LVI
H
9"

BIBLIOTECA NAZ.
Vittorio Emanuele III
LVI
H
9
NAPOLI



Humbelot Sculp.

BIBLIOTECA NAZIONALE VITTORIO EMANUELE III NAPOLI

HISTORIÆ FRANCORVM SCRIPTORES,

AB HVGONE ET ROBERTO REGG. VSQVE AD PHILIPPI AVGVSTI TEMPORA.

Quorum plurimi nunc primùm ex variis Codicibus MSS. in lucem prodeunt: alij verò auctiores & emendatiores.

CVM EPISTOLIS REGVM, PONTIFICVM, DVCVM, Abbatum, & aliis veteribus rerum Francicarum monumentis.

Opera ac ſtudio Filij poſt Patrem FRANCISCI DVCHESNE, in ſuprema Pariſienſium Curia Patroni, & Geographi Regij.

TOMVS IV.



NAPOLI

LVTETIÆ PARISIORVM,
Sumptibus SEBASTIANI CRAMOISY, Typographi Regij, viâ Iacobæâ.

M. DC. XLI.

CVM PRIVILEGIO REGIS CHRISTIANISSIMI.

PETRO

SEGVIER

MERITISSIMO

FRANCIÆ

CANCELLARIO.

QVOQVOMODO ſiſtam coram Te (CANCELLARIORVM MAXIME,) *ſiue ſiſtam vt filius patris, qui dum viueret Tuus omninò fuit; ſiue ſiſtam vt priuatus homo, qui publicæ particeps acclamationis Regio Te ornatum ſtemmate ſuſpicit:* CANCELLARIA *enim* DIGNITAS *qua fulges, non tam Regiæ fuit argumentum be-*

neuolentiæ, quàm Tuæ merces propriæ virtutis: EQVITIS autem ORDO non tam virtutis Tuæ ſignum, iam ſublimi remuneratæ gradu, quàm verus veræ Regis effectus amicitiæ.

SIVE, inquam, (TOGATORVM EMINENTISSIME) Hiſtoricum hoc opus Tibi offeram vt paternum, ſiue vt meum CELSITVDINI TVÆ conſecrem, ſanè fateri cogor, nullum ex retroactis ſæculorum omnium temporibus DIGNIOREM Galliæ fuiſſe CANCELLARIVM. Quid enim loquar de primis qui Sigilla Regum noſtrorum feliciter cuſtodierunt? Quid STEPHANVM DE GARLANDA memorem, qui regnante LVDOVICO VI. CANCELLARIAM DIGNITATEM ad tam altum honoris ac gloriæ culmen eue-

xerat, vt à quibuſdam ætatis ſuæ Scriptoribus in hoc volumine comprehenſis, ſecundus à Rege nominaretur? Quid denique Stephani *ſucceſsores recenſeam? qui cuncti alternatim magis ac magis* Eminentem *illam amplificauere* Dignitatem; *ſi conſtet certiſsimè Te his omnibus vltimum ordine, ſed meritis primum,* Dignitatem Tvam *in perfecto conſtituiſse gradu: ſed qua fronte, quóve temerario auſu hoc in anguſto loco, rudique epiſtola, de tam* Eminenti *loquor* Dignitate? *cùm verum ſit dicere,* Cancellariæ Dignitatis *iam in Te exiſtentis, laudibus adimpleri poſse volumina: Et ſiquidem ſpero de illa pro meis viribus Libellum conſcribere, in quo ſeriem* Gallicorvm *omnium*

Cancellariorvm, ac elogia comprehendam, modò ſauerit Tva Celsitvdo, mihique nomen arrogare permiſerit

Addictiſsimi Tui
Francisci dv Chesne.

INDEX EORVM

QVÆ IN TOMO IV.

HISTORIÆ FRANCICÆ

CONTINENTVR.

GLABRI Rodulphi Cluniacenſis Monachi hiſtoriarum ſui temporis Libri quinque; ab electione potiſſimum Hugonis Capeti in Regem ad annum vſque MXLVI. *Opus cum vetuſto exemplari M S. quod eſt in Bibliotheca Thuana accuratè collatum.* pag. 1.

HELGALDI ſiue Helgaudi Floriacenſis monachi Epitome vitæ Roberti regis: *ex alterius monachi ſcriptis.* 59.

Epitaphium Hugonis Magni, Roberti Regis filij, quod fecit Girardus Aurelianenſis: *ex antiquo M S. Cod. viri cla. Alexandri Petauij Senatoris Pariſ.* 79.

Aquitanicæ Hiſtoriæ fragmentum: *ex peruetuſta Scheda, ex qua eſt & pars illius fragmenti quod habetur Tomo 2. à pagina 632. ad 635.* 80.

Hiſtoriæ Francicæ fragmentum à Roberto ad mortem Philippi I. Regis: *ex veteri exemplari Floriacenſi, ex quo ſunt & alia Tomo 2. à pagina 630. vſque ad 633.* 85.

Chronici veteris excerptum ab anno Chriſti DCCCCLXXXVI. vſque ad annum MCIX.: *ex codice M S. Bibliothecæ Thuanæ nunc primùm editum.* 96.

Fragmenta diuerſorum Scriptorum de geſtis Hugonis Capeti, Roberti, Henrici, & Philippi I. Regum; de pietate Hugonis Ducis, poſteà Regis Francorum: *ex libro IV. miraculorum ſancti Richarij, quorum ſcriptor eiuſdem Hugonis tempore vixit: quorum miraculorum Codex M S. eſt in Bibliotheca Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis.* 99.

Hiſtoria depoſitionis Arnulphi Remenſis Archiepiſcopi, ob ipſius à fidelitate Regum Hugonis & Roberti defectum: *ex Synodo habita Durocortori Remorum ſub iiſdem regibus.* 101.

HVGONIS Regis Epiſtola ad Ioannem Papam. 107.

Item Epiſtola eiuſdem Regis ad eundem Papam. 113.

Vita Domni Burchardi venerabilis Comitis, qui ſub Regibus Hugone Capeto, & eius filio Roberto floruit: Authore Odone monacho Foſſatenſi, qui eam ſcripſit anno incarnati Verbi MLVIII. *ex editione Iacobi Broly Monachi S. Germani de Pratis in ſupplemento Antiquitatum Pariſienſ.* 115.

Pars vitæ S. Abbonis Floriacenſis Abbatis & Martyris, in qua res aliquot Hugonis & Roberti Regum exponuntur: *Auctore Aimoino Floria-*

cenſi monacho, qui eam petente Herueo Clerico, Sancti Pontificis Martini Theſaurario, conſcripſit. 125.

Excerpta hiſtorica de geſtis ſub Hugone & Roberto Regibus: *ex libro* III. *miraculorum S. Benedicti Abbatis, quem compoſuit Aimoinus Floriacenſis Monachus, anno* M. V. 135.

Fragmentum Chronici fratris Hugonis monachi Floriacenſis ab anno Chriſti DCCCCLXXXVII. vſque ad annum M. XXXIV. *ex Codice MS. Bibliotheca regia.* 142.

Fragmenta alia de Roberto Rege Hugonis Capeti filio: *ex Textu inuentionis corporis Beati Iudoci MS.* 144.

De Henrico I. Rege filio Roberti, fragmentum hiſtoriæ *MS. Auctoris incerti, qua extat in Bibliotheca viri clariſſimi Alexandri Petauij, Senatoris Pariſienſis.* 148.

De detectione corporum ſanctorum Dionyſij, Ruſtici & Eleutherij, quæ iuſſu Henrici primi Regis facta eſt, anno M. L. ad confutandam Germanorum vanam de ſancti Dionyſij corpore aſſertionem: *ex codice MS. Bibliotheca Thuana.* 157.

De rege Philippo I. Henrici I. filio. ordo qualiter Philippus I. in regem conſecratus eſt: *ex MS. Codice Domini Petauij Senatoris Pariſ.* 161.

Epitaphium Philippi I. Francorum regis: *ex vetere libro MS. Domini Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis.* 167.

Epitaphium aliud regis Philippi: *ex alio eiuſdem Domini Petauij Codice. ib.*

Epiſtolæ Hiſtoricæ Summorum Pontificum, Epiſcoporum, Ducum, Comitum, & aliorum quæ ad res Francicas pertinent, à Roberto rege vſque ad Ludouicum VI. cognomento Groſſum. 169.

Fulberti Epiſcopi Carnotenſis Epiſtolæ Hiſtoricæ: *cum veteri exemplari MS. quod in Bibliotheca viri clariſſimi Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis adſeruatur, diligenter collata, & variis in locis emendata.* 172.

Epiſtolæ Stephani X. Nicolai II. & Alexandri II. Pontificum Romanorum, ad Geruaſium Remenſem Archiepiſcopum. 198.

GREGORII VII. Papæ Epiſtolæ Hiſtoricæ. 207.

YVONIS Epiſcopi Carnotenſis Epiſtolæ Hiſtoricæ. 217.

HILDEBERTI Epiſcopi Cœnomanenſis Epiſtolæ Hiſtoricæ. 248.

BALDRICI Andegauenſis Abbatis Burgulienſis Carmina Hiſtorica: *ex veteri Codice MS. qui extat in Bibliotheca viri clariſſimi Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis, nunc primùm edita.* 251.

Vita Ludouici VI. regis Philippi filij qui Groſſus dictus, Auctore Sugerio Abbate beati Areopagitæ Dionyſij: *ab infinitis mendis quibus in editione Germanica ſcatebat repurgata: collatione duorum Codd. MSS. quorum vnus fuit Antonij Loyſelij celebris in Curia Aduocati, alter ipſius ſancti Dionyſij Monaſterij.* 281.

Veterum Scriptorum fragmenta de rebus Ludouici Groſſi Regis: *ex libro MS. de Sanctis & eorum pignoribus, quem Guibertus Abbas beatæ Mariæ de Nouigento, ſcripſit ad Odonem S. Symphoriani Abbatem ante annum* M. C. XXIV. 322.

Verſus de Ludouico VI. Rege cognomine Groſſo. 327.

Hugonis de Cleriis militis Andegauenſis; Fulconis Comitis ad Ludo-

uicum VI. Regem Legati commentarius: de Maioratu & Seneſcalcia Franciæ, Andegauorum olim Comitibus hereditaria: *ex editione doctiſſimi viri Iacobi Sirmondi Societatis* IESV, *in calce Notarum ad Epiſtolas Goffridi Abbatis Vindocinenſis.* 318.

SVGERII Abbatis ſancti Dionyſij liber de rebus in adminiſtratione ſua geſtis; in quo multa ad Hiſtoriam Ludouici Groſſi & Ludouici iunioris pertinentia annotantur: *ex Codice MS. Monaſterij ſancti Dionyſij, nunc primùm in lucem editus.* 331.

SVGERII Abbatis ſancti Dionyſij libellus alter de conſecratione Eccleſiæ à ſe ædificatæ, & tranſlatione corporum ſancti Dionyſij ac Sociorum eius facta, anno MCXL. *ex vetuſto Codice MS. qui eſt in Bibliotheca viri clariſſimi Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis.* 350.

Chronicon Morigniacenſis Monaſterij ab anno Chriſti MCVIII. vſque ad annum MCXLVII. quo Rex Ludouicus VII. in terram Sanctam profectus eſt, auctoribus Teulfo, & aliis eiuſdem loci monachis: *ex Bibliotheca viri clariſſimi Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis.* 359.

Geſta Ludouici VII. regis filij Ludouici Groſſi: *ex editione Francofordienſi, quæ cum MS. Codice Monaſterij ſancti Dionyſij, comparata & variis in locis correcta eſt.* 390.

Hiſtoria glorioſi regis Ludouici, filij Ludouici Groſſi, ab anno Chriſti MCXXXVII. ad annum vſque MCXLV. *ex MS. exemplari quod eſt in Bibliotheca clariſſimi viri Ioannis Baptiſtæ Hautein, Regij dum viueret in Caſtelleto Pariſienſi Conſiliarij.* 412.

Veterum Scriptorum fragmenta de rebus Ludouici VII. Regis cognomento Iunioris: *ex libro* IV. *vita beati Bernardi Clareuallenſis Abbatis, auctore Gaufrido Monacho Clareuallenſi, eiuſdem beati Bernardi Notario.* 410.

Fragmenta alia: *ex Hiſtoria MS. Vizeliacenſis Monaſterij, quam Hugo Pictauinus Notarius Guillelmi Abbatis Vizeliacenſis ſcribere aggreſſus eſt, anno* MCLVI. *& ſub ipſo Guillelmo abſoluit anno* MCLXVII. 424.

Fragmentum ex libro III. Chronicorum Anonymi Scriptoris: *quorum exemplar recentiore manu exaratum eſt, in Bibliotheca Monaſterij ſancti Victoris Pariſienſis.* 44?

Epitaphium Ludouici VII. regis. 44?.

Epitaphium aliud eiuſdem regis. *ibid.*

Epiſtolæ Hiſtoricæ, quæ ad res Ludouici Groſſi & filij eius Ludouici Iunioris Regum illuſtrandas pertinent. *ex Codice MS. Epiſtolarum Petri, Prioris ſancti Ioannis Euangeliſtæ Senonenſis, qui eſt penes eruditiſſimum virum Iacobum Sirmondum.* 445.

S. Bernardi Abbatis Clareuallenſis Epiſtolæ Hiſtoricæ. 448.

Petri venerabilis Abbatis Cluniacenſis Epiſtolæ Hiſtoricæ. 458.

Epiſtola Petri Abbatis Cellenſis. 462.

Petri Bleſenſis Bathonienſis in Anglia Archidiaconi Epiſtolæ tres. *ibid.*

Ioannis Sareſberienſis Epiſcopi Carnotenſis Epiſtolæ Hiſtoricæ: *cum MS. Codice Bibliothecæ Regiæ collatæ & variis in locis emendatæ.* 453.

Traimundi monachi Clareuallenſis Epiſtolæ Hiſtoricæ, quas nomine Ludouici VII. Regis, Petri & Henrici Abbatum Clareuall. ac aliorum conſcripſit: *ex duobus Codd. MSS. quorum vnus communicatus eſt à pio & do-*

ato viro Nicolào Camuzat Eccleſiæ Trecenſis Canonico : alter à Claudio de la Fons, celebri apud Auguſtam Veromanduorum Aduocato. 477.

Epiſtolæ Sugerij Abbatis ſancti Dionyſij ad Eugenium III. Papam, Regem Ludouicum VII. & alios Franciæ Maiores: ipſorúmque ad eundem dum regnum adminiſtraret de grauioribus negotiis conſcriptæ: *ex MS. exemplari clariſſ. virorum Puteanorum fratrum, nunc primùm in lucem editæ.* 491.

Abbatis Clareuallenſis ad Papam Eugenium, de laude domini Sugerij Abbatis Epiſtola. 493.

SVGERII Abbatis S. Dionyſij conſtitutiones & teſtamentum. 546.

Epiſtolarum volumen, quas Pontifices Romani, Imperatores, Reges, Cardinales, Epiſcopi, Abbates, Duces, Comites, ac alij Orbis Chriſtiani illuſtres viri, ad Ludouicum VII. Franciæ Regem, & alios, de rebus præcipuè ſtatum Regni Francorum concernentibus, ſcripſerunt: *ex veteri Codice MS. viri clariſſimi Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis, nunc primùm in lucem editum.* 557.

Epiſtolæ aliæ Hiſtoricæ: *ex Codice veteri MS. qui eſt in Bibliotheca Canonicorum Regularium cænobij S. Victoris Pariſienſis.* 762.

Geſtorum Dei per Francos Scriptores quatuor : *quorum duo iam editis auctiores, alij nunc primùm in lucem prodeunt.* 770.

Ad Petri Tudebodi Sacerdotis Siuracenſis Hiſtoriam de Hieroſolymitano itinere *Ioannis Beſly Pictonis Præfatio.* 773.

Petri Tudebodi Sacerdotis Siuracenſis hiſtoria de Hieroſolymitano itinere: *ex Codice membranco viri clariſſimi Ioannis Beſly Pictonis in Prætura Fontiniaci Comitalis Conſiliarij, & Patroni Regij.* 777.

Fulcherij Carnotenſis hiſtoria Hieroſolymitana ab anno MXCV. ad annum vſque MCXXVII. *ex vetuſto Codice MS. Cænobij ſancti Quintini de Monte prope Peronam.* 816.

Hiſtoria geſtorum viæ noſtri temporis Hieroſolymitanæ, cuius libri tres priores à Fulcone quondam, reliqui à Domno Gilone Pariſienſi editi ſunt. *ex MS. exemplari eruditiſſimi viri Iacobi Sirmondi Societatis* IESV, *Regiâ Confeſſionibus.* 890.

GLABRI

A

GLABRI RODVLPHI
CLVNIACENSIS MONACHI
HISTORIARVM SVI TEMPORIS
LIBRI QVINQVE,

B Ab electione potiſſimum HVGONIS CAPETI in Regem, ad annum vſque MXLVI.

Opus cum vetuſto Exemplari MS. quod eſt in Bibliotheca Thuana, accuratè collatum.

CLARORVM VIRORVM ILLVSTRISSIMO ODILONI CLVNIENSIS COENOBII PATRI GLABER RODVLPHVS.

IVSTISSIMA *ſtudioſorum Fratrum querimonia, interdúmque propria ſæpiùs permotus, cur diebus noſtri temporis non quiſpiam exiſteret, qui futuris poſt nos multiplicia hæc quæ videntur fieri tam in Eccleſiis Dei,*
C *quàm in plebibus, minimè abdenda qualicumque ſtili pernotatione mandaret: præſertim cùm, Saluatore teſte, vſque in vltimam extremi diei horam ſancto Spiritu cooperante ipſe facturus ſit in mundo noua cum Patre. Et quoniam in ſpatio ferè ducentorum annorum nemo iſta appetens extitit, id eſt, poſt Bedam Britanniæ Presbyterum, ſeu Italiæ Paulum, qui hiſtorialiter quippiam poſteris miſiſſet ſcriptum. Quorum vterque Hiſtoriam propriæ gentis, vel patriæ condidit. Dum videlicet conſtet tam in Orbe Romano, quàm in tranſmarinis ſeu barbaris Prouinciis perplura deueniſſe, quæ ſi memoriæ commendarentur proficua nimium hominibus forent, atque ad commodandum quibuſque cautelæ ſtudium potiſſimum iuuarent. Non ſecius ergo quæ dicuntur, quin ſolito multiplicius circa milleſimum humanati Chriſti Saluatoris contigerunt annum. Et iccirco prout valeo veſtræ præceptioni ac fraternæ voluntati obedio, primitus duntaxat oſtenſurus, quanquam ſalus annorum à mundi origine pernotata ſecundum Hebræorum hiſtorias à Septuaginta Interpretum tranſlatione diſcrepet: Illud tamen certiſſimè commendamus, quòd annus incarnati Verbi milleſimus ſecundus ipſe ſit regni* HENRICI

Saxonum Regis primus. Iſdem quoque annus Domini milleſimus fuit regni A
ROTBERTI *Francorum Regis tertius decimus. Iſti igitur duo in noſtro citra-marino Orbe tunc Chriſtianiſſimi atque præmaximi habebantur. Quorum primus, videlicet Heinricus, Romanum poſtmodum ſumpſit Imperium. Iccirco verò illorum memoriale ſeriei temporum ſtabiliuimus. Præterea quoniam de quatuor mundani Orbis partium euentibus relaturi ſumus, dignum videtur vt cordi eſt, qui vtique Religioſis loquimur, vt vim diuinæ & abſtractæ quaternitatis, eiuſque conformem conuenientiam, Domino præeunte ſuſcepto Operi inſeramus.*

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI PRIMI.

I. *De diuina quaternitate.*
II. *De Rodulpho Rege.*
III. *De Lothario Rege.*
IV. *Qui poſtmodum Romæ Imperatores extiterint.* B
V. *De Paganorum plagis.*

LIBER PRIMVS.

De diuina quaternitate. CAP. I.

MVLTIPLICIBVS figuris formiſque Deus conditor vniuerſorum diſtinguens ea quæ fecit, vt per ea quæ vident oculi, vel intelligit animus, ſubleuaret hominem eruditum ad ſimplicem Deitatis intuitum. In his ergo perſcrutandis pernoſcendiſque primitus claruere Patres Græcorum catholici mediocriter philoſophi. Cùm enim in plurimis exercitatos haberent ſenſus perinde in quarumdam quaternitatum ſpeculatione, per quam præſens mundus infimus mundúſque futurus datur intelligi ſupernus. Quaternitates verò earum, quæ in ſeſe reflexus, dum à nobis diſpertiri immobiliter cœperint, mentes ſimul atque intellectus ſe ſpeculantium alacriores reddent. Quatuor igitur ſunt Euangelia, quæ conſtituunt in noſtris mentibus ſupernum mundum. Tot enim conſtant elementa, quæ perficiunt iſtum infimum. Quatuor quoque virtutes, quæ ceterarum C
gerunt principatum, nóſque pet admirationem ſui ad ceteras informant. Pari etiam ratione quatuor ſenſus exiſtunt corporis præter tactum, qui ſubtilioribus famulatur ceteris. Quod eſt ergo æter igneum elementum in mundo ſenſibili, idem eſt prudentia in intellectuali. Surſum namque ſeſe erigens, anhelánſque deſideranter eſſe circa Deum. Illud quoque quod aër in mundo corporali, idipſum fortitudo in intellectuali, qui cuncta viuentia vegetans, & in quemcunque actum promouentia roborat. Simili quippe modo quod gerit aqua in mundo corporali, idem temperantia in intellectuali. Nutrix quippe eſt bonorum, effeténſque copiam virtutum, ac ſeruans fidem per diuini amoris deſiderium. Conformem quoque terra gerit ſpeciem mundi infimi, iuſtitiæ ſpeciei in intellectuali. Scilicet ſubſiſtens, atque immobilis collocatio rectæ diſtributionis. Dignoſcitur namque per omnia ſimilis Euangeliorum complexio ſpiritalis. Euangelium itaque Matthæi terræ myſticam continet figuram, quoniam Chriſti hominis ceteris apertius demonſtrat carnis ſubſtantiam. Illud autem ſecundum Marcum temperantiæ, quæ aquæ ſpeciem gerit, cùm ex Ioannis baptiſmate pœnitentiam temperanter indicit. Illud quoque iuxta Lucam aëriſque & fortitudinis præfert ſimilitudinem, quoniam ſpatiatim diffuſum, plurimiſque eſt hiſtoriis roboratum. Illud verò ſecundum Ioannem ignifici ætheris prudentiæ, quódque ceteris conſtat ſublimius,

A formam ſignanter exprimit, dum ſimplicem Dei notitiam & fidem inſinuans in-
troducit. Quibus etiam ſpeculatiuis connexionibus, elementorum ſcilicet, ac
virtutum, Euangeliorúmque, ille conuenienter ſociatur, videlicet homó, cu-
ius hæc inuiſa conceſſa ſunt obſequio. Namque illius vitæ ſubſtantiam Græci
philoſophi μικρόκοσμον, id eſt, paruum mundum dixerunt. Viſus quippe & auditus,
qui intellectum & rationem miniſtrant, ſuperiori conueniunt æthери, quod con-
ſtat ſubtilius in elementis, quódque quantùm ceteris ſublimius, eo honeſtius
ac lucidius. Subſequitur verò olfactus, qui aëris & fortitudinis ſignificantiam
ſorte exprimit. Guſtus namque ſatis conuenienter aquæ & temperantiæ parem
portendit ſignificantiam. Tactus ergo, qui omnium conſtat infimus, ceteríſque
ſolidius ac ſtabilius, terræ ac iuſtitiæ congruentiſſimè præfert indicium. Ab his
igitur euidentiſſimis complexibus rerum patenter & pulcherrimè ſilentérque
prædicatur Deus, quoniam dum ſtabili motu in ſeſe viciſſim vna portendit al-
teram, ſuum principale primordium prædicando, à quo proceſſerunt, expe-
tunt, vt in illo iterum quieſcant. Conſtat etiam iuxta prædictæ ſtipulationis
condictum mente cauta intueri fluuium, qui manat ex Eden Orientis, partitúr-
que in nominatiſſimos quatuor amnes. Horum igitur primus, id eſt Phiſon,
qui oris apertio dicitur, prudentiam ſignat, quæ ſemper eſt in optimis diffuſa &
vtilis. Per inertiam quippe paradiſus ſublatus eſt homini: neceſſe habet, vt
B præeunte prudentia repetatur. Secundus Geon, qui terræ hiatus intelligitur,
temperantiam ſignat, nutricem vtique caſtitatis, quæ ſcilicet frondes ſalubriter
extirpat viciorum. Tertius quoque Tigris, quem incolunt Aſſyrij, qui inter-
pretantur dirigentes. Per hunc nihilominus ſignatur fortitudo, quæ ſcilicet re-
iectis præuaricatoriis viciis, dirigens homines per Dei auxilium ad æterni regni
gaudia. Quartus verò Euphrates, cuius etiam nomen abundantiam ſonat, pa-
tenter iuſtitiam deſignat, quæ paſcit ac reficit omnem animam illam deſideran-
ter amantem. Cùm igitur ſignificantia horum fluminum gerat in ſe ſpecies præ-
dictarum virtutum, paritérque figuram quatuor Euangeliorum, non minus eaſ-
dem virtutes figuraliter gerunt tempora mundani huius ſeculi diuiſa per qua-
drum. A mundi namque initio vſque ad vltionem diluuij, in his duntaxat, qui
ex ſimplicis naturæ amando ſuum cognouerunt creatorem, bonitate prudentia vi-
guit, vt in Abel, Enoch, Noe, vel in ceteris, qui mentis ratione pollentes vtilia
quæ agerent, intellexerunt. Ab Abraham verò, & in reliquis Patriarchis, qui ſi-
gnis & viſionibus fruiti ſunt, vt in Iſaac, Iacob, Ioſeph, & in ceteris, temperan-
tia conformata probatur, qui ſcilicet inter aduerſa & proſpera proprium ſuper om-
nia dilexerunt auctorem. A Moyſe quoque & in reliquis Prophetis, viris videli-
cet robuſtiſſimis, legalium præceptorum inſtitutionibus fultis, fortitudo ſancitur,
dum laborioſa ſi quidem legis præcepta ſollicitè ab eis exercitata monſtrantur. Ab
aduentu denique incarnati Verbi ac deinceps omne ſeculum iuſtitia implet regit-
C que, circundat veluti ceterarum finis ac fundamentum, ſicut dixit ſuo Baptiſtæ
Veritas: *Decet*, inquiens, *nos implere omnem iuſtitiam.*

DICTVRI igitur ab anno DCCCC. incarnati creantis ac viuificantis omnia
Verbi ad nos vſque, qui claruere viri in Romano videlicet Orbe inſignes catho-
licæ fidei, cultoréſque iuſtitiæ, prout certa relatione comperimus, vel viſuri ſu-
perfuimus; ſeu etiam qui rerum euentúſque vel plura contigerunt memoranda
tam in ſacris Eccleſiis, quàm in vtroque populo primitus ad illud totius quon-
dam Orbis Imperium principale, ſcilicet Romanum, conuertimus ſtilum. Cùm
ergo omnipotentis Chriſti virtus vtique terrarum Principes ad ſuum incuruaſſet
imperium, tantò minus viguit terror Cæſarum, quantò iura illorum veraciùs com-
probantur, plus extitiſſe ex timore ferocitatis, quàm ex amore piæ humanitatis.
Sic denique tota paulatim illorum ſtirps à præfato Imperio diſpertita atque eua-
cuata, vt maius indigeret ſui dominio vrbs Romana, eiúſque populus, quàm vt
olim conſueuerat promere leges & iura externis patriis ac ciuibus. Cœperúntque
plures ex gentibus, quas prius ſubdiderat, crebris illam infeſtationibus vexare;
illius nomen etiam Imperij præripiendo vſurpare nonnulli ex circumiectarum
Prouinciarum Regibus. Tunc perinde valentiores & præmaximi Reges gentis
Francorum Chriſtianitatis iuſtitia pollebant, armorúmque induſtria ac militari
robore ceteris excellebant. Quorum videlicet ditioni triumphaliter per plures

annos applicatum eſt totum Imperij culmen. Inter quos etiam excellentiſſimè A
micuerunt, CAROLVS ſcilicet, qui dictus eſt Magnus, necnon & LVDOVI-
CVS cognomento Pius. Hi denique prudenti conſilio & virtute quoſque in
giro belliones ita proprio ſubiugauere dominio, vt quaſi vna domus famularetur
ſuis Imperaroribus Orbis Romanus: potiúſque Reſpublica de paterno gratulare-
tur prouectu, quàm tuta pompaticè extolleretur Imperatorum metu. Sed quia
horum geſta non diſpoſuimus, ſeu genealogiam, hiſtoriali more narrare: ad quem
tamen finem regnandi vel imperandi illorum genus deuenerit, breuiter curaui-
mus intimare. Perdurauere igitur Reges ex eorum proſapia Imperatores tam
in Italia quàm in Gallus, vſque ad vltimum Regem CAROLVM HEBETEM
cognominatum. Is denique habebat vnum inter regni ſui Primates quendam
Heribertum, cuius ex ſacro fonte filium ſuſceperat, qui tamen ei calliditate
ſua certiſſimè ſuſpectus eſſe potuiſſet, ſi non excogitatæ fraudis ſimultas inter-
ueniſſet. Cùm enim decreuiſſet idem Heribertus prædictum Regem decipere,
fingens cuiuſdam deliberandi occaſionem negocij, qualiter illum, vt poſtmo-
dum fecir, demulcendo in vnum caſtrorum ſuorum introduceret, ac vinculatum
carceri manciparet: tandem vero à quibuſdam ſuggeſtum eſt Regi, vt cautiſſi-
mè ſe ageret, ne Heriberti inuolueretur fraudibus. Dúmque ille ex hoc, quod
audierat, credulus, cautelam ſibi de Heriberto adhibere decreuiſſet, contigit
vna die nimis expeditè eundem Heribertum cum ſuo filio in Regis Palatium de-
uenire. Surgens itaque Rex ei oſculum porrexit. Ille verò toto ſe humilians B
corpore, oſculum Regis ſuſcepit. Deinde cùm eius filium oſculatus fuiſſet, ſtánſ-
que iuuenis quamuis conſcius fraudis, nouus tamen calliditatis, Regi minimè
ſemet ſupplicaret: pater cernens, qui propter adſtabat, valenter alapam collo
„ iuuenis intulit. Seniorem, inquiens, & Regem erecto corpore oſculaturum non
„ debere ſuſcipere quandoque ſcito. Quod intuens Rex, cunctique qui aderant,
abhinc deceptionis fraudiſque aduerſus Regem Heribertum expertem credide-
runt. Videns quoque Regem contra ſe placatum, nihilo minus rogabat atten-
tiùs, vt ad ſe veniens negocium deliberaturus, quod dudum popoſcerat. Statim
verò Rex promiſit ſe, quò vellet, iturum. Deſignato igitur die venit Rex vbi
Heribertus rogauerat, tenuem etiam ducens exercitum amicitiæ gratia. Qui ni-
mium pomposè die primo ab éo ſuſceptus. In ſecundo autem quaſi ex iuſſu Re-
gis præcepit idem Heribertus, vt vniuerſi, qui cum Rege venerant, ad propria
redirent, veluti ipſe cum ſuis obſequio Regis ſufficeret. Illi quoque audito He-
riberro receſſerunt, ignorantes quòd Regem in vinculis reliquiſſent. Tenuit enim
Heribertus vinctum prædictum Regem vſque in diem mortis ſuæ. Genuerat præ-
terea idem Rex filium nomine LVDOVICVM, adhuc tamen puerum, qui vt
cognouir quod de patre factum fuerat, arripiens fugam Oceanum tranſiit, ibi-
que vſque ad annos viriles deguit.

C

De Rodulpho Rege. CAP. II.

ERAT igitur tunc temporis RODVLPHVS Richardi Ducis Burgundiæ fi-
lius, aptus videlicet corpore, & intellectu idoneus. Qui etiam vxorem duxe-
rat, Emmam nomine, ſenſu ſcilicet atque aſpectu inſignem, ſororem videlicet
Magni Hugonis, cuius ſi quidem militari induſtria Regnum Francorum dirigeba-
tur. Is quoque Hugo cernens Regnum Rege deſtitutum, ac ſciens Regis inſtau-
rationem ſuo pendere arbitrio, miſit ad ſororem conſulens illam, quem potiſſimum
ad regale eligeret culmen, ſe videlicet ſuum fratrem, an potiùs maritum prædi-
ctum, ſcilicet Rodulphum. Illa igitur prudenter, vt fuerat conſulta, reſpondit
magis ſe velle Regis mariti genu oſculari, quàm fratris. Audiens autem Hugo
gratanter annuit, Regnique ſolium Rodulpho habere conceſſit. Qui Rodulphus
carens omni prole, ſolus ſui generis Regni culmine potitus obiit. Fuit enim hic
Hugo filius Roberti Pariſiorum Comitis, qui videlicet Robertus breui in tempo-
re Rex conſtitutus, & ab exercitu Saxonum eſt interfectus. Cuius genus iccirco
adnotare diſtulimus, quia valde inante reperitur obſcurum.

A *De Lothario Rege.* CAP. III.

INTEREA totius Regni Primates elegerunt LVDOVICVM filium videlicet prædicti Regis Caroli, vnguentes eum ſuper ſe Regem hæreditario iure regnaturum. Iam enim prædictus Heribertus morte crudeli obierat. Nam cum diuino excruciatus languore ad vitæ exitum propinquaret, atque à ſuis tam de ſalute animæ, quàm de ſuæ domus diſpoſitione interrogaretur, omninò nihil aliud reſpondebat, niſi hoc ſolummodo verbum, Duodecim fuimus, qui traditionem Caroli « iurando conſenſimus. Hócque plurimùm repetens expirauit. Præterea Ludoui- « cus ex Gerberga vxore quondam Giſleberti Ducis genuit filium, nomine LOTHARIVM. Qui confirmatus in Regno, vt erat agilis corpore, & validus, ſenſúque integer, tentauit redintegrare Regnum, vt olim fuerat. Nam partem ipſius Regni ſuperiorem, quæ etiam Lotharij-regnum cognominatur, Otto Rex Saxonum, immò Imperator Romanorum, ad ſuum, id eſt Saxonum, inclinauerat Regnum. Ipſum denique Ottonem, ſcilicet ſecundum, filium primi ac maximi videlicet Ottonis, conatus eſt quondam capere poſitum in Palatio Aquiſgranis. Sed quoniam eidem Ottoni clam prænunciatum à quibuſdam eſt, noctúque cum vxore vix fugæ præſidium petens obtinuit. Tunc denique Otto congregato exercitu ſexaginta millia & eo amplius militum Franciam ingreſſus, venit vſque Pariſius, ibique triduo commoratus cœpit redire in Saxoniam, rurſúſque quoque Lotharius ex omni Francia
B atque Burgundia militari manu in vnum coacta, perſecutus eſt Ottonis exercitum vſque in fluuium Moſam, multóſque ex ipſis fugientibus in eodem flumine contigit interire. Dehinc verò vterque ceſſauit, Lothario minus explente quod cupiit. Hic denique genuit filium nomine LVDOVICVM. Quem iam adultum iuuenem, vt poſt ſe regnaret, Regem conſtituit. Cui etiam adduxit ab Aquitanis partibus vxorem, quæ cernens videlicet iuuenem patre minus fore induſtrium, vt erat ingenio callida, elegit agere diuortium, monuitque illum fictè: vt ſimul de qua aduenerat redirent, Prouinciam ſcilicet iure hereditario ſibi ſubdituram. Ille quoque non intelligens mulieris aſtutiam, vt monitus fuerat ire parauit. Ad quam dum veniſſent, relinquens eum mulier, ſuis adhæſit. Cúmque patri nunciatum fuiſſet, proſequens filium ad ſe reduxit. Qui ſimul deinceps degentes, poſt aliquot annos abſque vlla liberorum ope vterque obiit. In his igitur duobus Regale ſeu Imperiale illorum genus regnandi finem accepit.

Qui poſtmodum Romæ Imperatores extiterint. CAP. IV.

PRÆSCRIPTORVM igitur Regum genere exinanito, ſumpſerunt Imperium Romanorum Reges Saxonum. Quorum ſcilicet primus Otto Henrici Saxonum Regis filius, cuius etiam ſororem nomine Haduidem duxit vxorem Hu-
C go Dux Francorum, cognomento Magnus. Is denique Otto in gloria & vigore Imperij non diſpar illorum, qui ante ſe Imperium rexerant, necnon & in Eccleſiarum atque eleemoſynæ expenſis valde liberalis extitit. Huius quoque Imperij tempore egreſſi audacter Sarraceni ab Africanis partibus occupauere tutiora Alpium montium loca, ibique aliquandiu morantes vaſtando regionem, in gyro diuerſo raptu tempus expleuerunt. Contigit ergo eodem tempore, vt beatus pater Maiolus ab Italia rediens in artiſſimis Alpium eoſdem Sarracenos obuiaret. Qui arripientes, abduxerunt illum cum ſuis omnibus ad remotiora montis, ipſo tamen Patre grauiter in manu vulnerato, dum in ea excepiſſet vltro ictum iaculi ſuper vnum de ſuis venientis. Diſpertitis quoque inter ſe omnibus, quæ illius fuerant, interrogauerunt eum, ſi tantæ ei eſſent in patria facultates rerum, quibus videlicet ſe ſuóſque valeret redimere de manibus illorum. Tunc vir Dei, vt erat totius affabilitatis dignitate præcipuus, reſpondit ſe in hoc mundo nihil proprium poſſidere, nec peculiaris rei ſe fieri poſſeſſorem velle: ſua tamen ditione non negans plures teneri, qui amplorum fundorum & pecuniarum domini haberentur. Quibus auditis ipſimet hortabantur illum, vt vnum è ſuis mitteret, qui ſuæ ſuorúmque redemptionis pretium illis deferret. Inſuper pecuniæ pondus atque numerum ei determinantes, indixerunt. Fuit enim mille librarum argenti, vt videlicet ſingulis libra vna in partem proueniret. Miſit quoque vir ſanctus per vnum

de ſuis, ad Monaſterium ſcilicet, cui præerat, Cluniacenſe, perparuam Epiſto- A
,, lam ita ſe habentem: Dominis & Fratribus Cluniacenſibus Frater Maiolus mi-
,, ſer & captus. Torrentes Belial circumdederunt me, præoccupauerunt me laquei
,, mortis. Nunc verò ſi placet pro me & his, qui mecum ſunt capti, redemptionem
mittite. Quæ vt delata eſt, videlicet prædicti Monaſterij Fratribus, extitit illis
pro vita incomparabilis mœror ac luctus, necnon & totius patriæ pertriſtis nun-
cius. Diſtractis quoque ab eiſdem Fratribus, quæque in omni eiuſdem Monaſterij
ornamentorum erant ſupellectili, præſtitutum pij Patris quantotiùs coadunauere
precium. Sed vir ſanctus ſecularis, dum interim à Sarracenis captus teneretur,
cuius meriti eſſet latere non potuit. Nam cùm ei hora prandij obtuliſſent cibos,
quibus veſcebantur, carnes videlicet panémque admodum aſperum, & dicerent,
,, Comede, reſpondit: Ego verò, ſi eſuriero, domini eſt me paſcere. ex his tamen
,, non comedam, quia non mihi in vſu fuerunt. Cernens enim vnus illorum viri Dei
reuerentiam, pietate ductus, exuens brachia, ſimúlque abluens, & clipeum, ſu-
per quem etiam in conſpectu venerabilis Maioli ſatis mundiſſimè panem confecit.
Quem etiam citiſſimè decoquens, ei reuerentiſſimè detulit. Ipſe quoque ſuſci-
piens illum, atque ex more oratione præmiſſa ex eodem reficiens, Domino gratias
egit. Alius quoque Sarracenorum eorundem cultro deplanans ligni haſtulam,
poſuit incunctanter pedem ſuper viri Dei codicem: Bibliam videlicet, quam
ex more ſecum ſemper ferre conſueuerat. Dúmque vir ſanctus intuens ingemuiſ- B
ſet, aliqui minus feroces ex ipſis perſpicientes ſuum increpuerunt comparem, di-
centes, non debere magnos Prophetas ſic pro nihilo duci, vt illorum dicta pedi
ſubſterneret. Si quidem Sarraceni Hebræorum, quin potiùs Chriſtianorum Pro-
phetas legunt: dicentes etiam completum iam eſſe in quodam ſuorum, quem illi
Mahomed nuncupant, quicquid de vniuerſorum Domino Chriſto ſacri Vates pręe-
dixere. Sed ad errorem illorum comprobandum, etiam ipſorum genealogiam pe-
nes ſe habent, ad ſimilitudinem videlicet Euangelij Matthæi, qui ſcilicet ab Abra-
ham narrat genealogiæ catalogum vſque ad Chriſtum per Iſaac ſucceſſionem de-
ſcendens. In cuius videlicet ſemine vniuerſorum promiſſa atque prædicta eſt be-
nedictio. Illorum, inquiens, Iſmaël genuit Nabaioth, atque deinceps vſque in
erroneum illorum deſcendens figmentum: quod ſcilicet tantum eſt à veritate alie-
num, quantum à ſacra & catholica auctoritate extraneum. Præterea, vt beati Ma-
joli ſanctitas clareſceret, is qui eius volumen pede calcauerat, eodem die pro qua-
uis occaſione reuera iudicio Dei ceteri furioſè irruentes in eum, eundem ei trun-
cauerunt pedem. Plures verò iam ex ipſis erga eum cœperunt mitiores ac reueren-
tiores exiſtere. Tandem verò quidam de Fratribus illuc expeditiùs remeantes, da-
ta eiſdem Sarracenis præſignata pecunia, Patrem cum viris tantùm, qui cum eo
capti fuerant, in patriam reduxerunt. Ipſi denique Sarraceni paulo pòſt, in loco,
qui Fraxinetus dicitur, circumacti ab exercitu VVillermi Arelatenſis Ducis, om- C
néſque in breui perierunt, vt ne vnus quidem rediret in patriam. Ipſo igitur in
tempore mortuus eſt prædictus Ottò Imperator, ſuſcepitque filius eius, ſecundus
videlicet Otto, idem Imperium, quod ſatis ſtrenuè dum adviueret rexit. Eodem
ergo imperante, venerabilis Pontifex Adalbertus ex prouincia, quæ lingua Scla-
uorum vocatur Bethem, in ciuitate Braga regens Eccleſiam ſancti Martyris Vitiſ-
clodi, egreſſus ad gentem Bruſcorum, vt eis verbum ſalutis prædicaret, dúmque
apud eoſdem plurimam egiſſet prædicationem, multique ex eis conuerterentur ad
fidem Chriſti, prædixit ſuis, quoniam in eadem regione martyrij coronam eſſet ac-
cepturus: ac ne pauerent, eis pariter indicauit, quia præter eum ibidem nemo ex
eis erat perimendus. Contigit enim vt die quadam præcipiente eodem Epiſcopo
quædam profana arbor ſita iuxta fluuium, cui etiam ſuperſtitioſè immolabat vni-
uerſum vulgus, videlicet exciſa conuelleretur. Constructóque ac ſacrato in eo-
dem loco altare, Miſſarum ſolemnia per ſe Epiſcopus ex plebe parauit. Qui dum
in ipſis ſacramentis peragendis eſſet conſtitutus, ictibus iaculorum ab impiis per-
foſſus, tamdémque ſacrum ſolemne peractum, ſimúlque præſentis vitæ impoſuit
terminum. Denique diſcipuli eius accepto corpore ſui domini illud ſecum feren-
tes, in propriam ſunt reuerſi patriam. Cuius etiam meritis vſque in præſens lar-
giuntur hominibus plurima beneficia. Sequenti quoque, poſt multa nobiliter
geſta, Rémque publicam decenter diſpoſitam, tempore, obiit Otto, relinquens

A filium Ottonem videlicet tertium, adoleſcentem tamen ferè duodecim annorum.
Qui vt erat iuuenculus, acer tamen viribus & ingenio, ſuſcepit iure paterno regi-
men Impetij. Contigit igitur Imperij illius initio, vt Sedes Apoſtolica vrbis Romæ
propoſito viduaterur Pontifice. Ipſe verò ilicò Impetiali vſus præceptó, quen-
dam ſui conſanguineum, cuiuſdam Ducis filium illò delegit, atque ex more in Se-
de Apoſtolica ſublimari mandauit. Quod vtique dum ſine mora peractum fuiſſet,
pergrandis calamitatis occaſio extitit. Erat enim quidam Creſcentius Romano-
rum ciuis præpotens, qui vt illorum mos eſt, quantum onetoſior pecuniæ, tantum
pronior ſetuiens auaritiæ. Hic autem non planè, vt tei probauit euentus, parti fa-
uebat Ottonis. Nam ipſum Pontificem, quem vt diximus ordinari Otto iuſſerat,
idem Creſcentius omni deſtitutum honore à Sede expulit, alterúmque procaciter
in eius loco ſubrogauit. Sed mox vt Otto hoc factum comperit, ira accenſus cum
permaximo exercitu Romam ptopetauit. Quod cùm cognouiſſet Cteſcentius, il-
lum ſcilicet vrbi propinquare, conſcendens cum ſuis turtim, quæ ſita eſt extra ciui-
tatem trans Tiberim, ob altitudinem ſui Inter-cœlos vocatam, vallauit eam, de-
fenſurus pro vita. Tandem cùm perueniſſet Imperatot ad vrbem, ptimitus iuſſit
comprehendere illum malè ſecurum Pontificem, videlicet Creſcentij arrogantia
conſtitutum. Comprehenſúmque ptæcepit eius manus quaſi ſactilegas amputari,
B deinde verò aures abſcindi, atque oculos expelli *. Poſt hæc denique comperiens * f. euelli;
Cteſcentium, vt diximus, turre vallatum, quæ ſcilicet paulo poſt illum crudeli
erat teddituta neci, præcepit eandem circumdari denſa obſidione ſui exercitus, ne
videlicet Cteſcentio quoquo modo locus daretut confugij. Interea iubente Im-
peratote conſtruuntur in gyto machinæ ex lignis celſarum abietum nimium artifi-
cioſè compoſitæ. Cetnens quoque Cteſcentius nullam poſſe euadendi viam repe-
rire, licèt tardiùs pœnitudinis adinuenit conſilium, non tamen ei præſtitit miſe-
rendi aditum. Quadam igitur die, quibuſdam de Imperatotis exercitu conſen-
tientibus, egrediens latentet Creſcentius, de turre ſcilicet, birro indutus, & opet-
to capite, veniénſque imptouiſus corruit ad Imperatoris pedes, oránſque ſe ab
Imperatotis pietate vitæ ſeruari. Quem cùm teſpexiſſet Imperator, conuerſus ad
ſuos, vt erat amaro animo, dixit: Cur, inquiens, Romanorum Principem, Impe- «
ratorum dectetotem, datotémque legum, atque otdinatotem Pontificum, intra- «
re ſiniſtis magalia Saxonum? Nunc quoque teducite eum ad thronum ſuæ ſubli- «
mitatis; donec eius honoti condignam videlicet præparemus ſuſceptionem. Qui «
ſuſcipientes illum, ſcilicet vt iuſſum fuetat, illæſum teduxerunt ad turris introi-
tum. Ingreſſúſque nunciauit ſecum patiter tecluſis, quoniam ſolummodò tantum
contingeret illis viuere, quandiu ipſa turris tueri valeret ab hoſtium captione, nec
vllam ptotſus ſalutem debere vltra ſperare. At Impetatoris exercitus à fotis vr-
C gendo impellens machinas, paulatimque euntes, applicatæ ſunt turri. Sícque pu-
gnæ inito certamine, dúmque alij deſuper contendentes intrare, alij prorupête ad
hoſtium turris, illúdque concidentes euellunt, ſurſúmque cettatim gradientes, ad
turris ſuperiora peruenerunt. Reſpiciens quoque Creſcentius, cetnit ſe teneri ab
his, quos putabat pugnando longiùs arceri poſſe. Capto namque ipſo, ac gtauiter
vulnerato, ceteríſque, qui cum illo inuenti fuetant, trucidatis, miſerunt ad Im-
peratotem, quid de eo præciperet. Qui ait, Per ſuperiota, inquit, propugnacula «
illum deiicite apertè, ne dicant Romani ſuum Ptincipem nos furatos fuiſſe. Quem; «
vt iuſſum fuerat, proiicientes, deinde poſt tetga boum teligarum per paludes via-
rum plurimùm deuoluentes, ad vltimum verò in conſpectu ciuiratis in trabe ex-
celſa pendere dimiſerunt. His denique ita geſtis, accerſiens Imperator Gerbertum
videlicet Rauennæ Atchiepiſcopum, conſtituit illum principalem Romanorum
Pontificem. Iſque Gerbertus è Galliis otiundus extitit, minorum etiam gerens
proſapiam, ſed tamen ingenio acerrimus, artiúmque liberalium ſtudiis pleniſſimè
inſtructus. Proinde Remorum etiam à Rege Ftancorum Hugone fuerat conſtitu-
tus Pontifex. Sed quoniam, vt diximus, valde erat acet ac prouidus, intelligens
Arnulphum eiuſdem vrbis Atchiepiſcopum, quo viuente ordinatus fuerat ex con-
ſenſu eiuſdem Regis, niti in priſtinam teformari ſedem, cautè itet arripiens ad
ptædictum deuenit Ottonem. Qui ſatis honorificè ab eodem ſuſceptus: quem
etiam ſtatim Rauennæ, inde vetò, vt diximus, Romanæ vtbis ſublimauit Ponti-
ficem.

Contigit igitur ipſo in tempore, vt idem Imperator ſuggerente tam ipſo Pontifice, quàm aliis quibuſque zelum profectus religionis domus Dei gerentibus, quóſque in beati Pauli Eccleſia nomine tenus Monachos, ceterùm prauè degentes, inde expellere deberet: ac alterius inſtituti, quos videlicet Canonicos dicimus, in eodem loco ſeruituros, vt ei ſuggeſtum fuerat, ſubſtituturus eſſet. Cúmque hoc appeteret implere decretum, apparuit ei noctu per viſum beatiſſimus Apoſtolus Paulus, atque eundem Imperatorem huiuſmodi monere curauit. Si verè, „ inquiens, zelus diuinæ ſeruitutis optimi operis te adurit, vide ne huius propoſiti „ inſtitutum præſumas in Monachis immutare expellendis. Non enim omninò ex- „ pedit cuiuſque Eccleſiaſtici Ordinis quamuis ex parte deprauati, proprium vm- „ quam abiici ſeu immutari propoſitum. In eo namque vnuſquiſque iudicandus eſt Ordine, in quo ſe primitus Deo vouit ſeruire. Reemendari tamen licet corrupto cuique in eadem propriæ vocationis ſorte. Taliter quippe monitus Imperator, retulit ſuis quæ audierat ab Apoſtolo, curámque agens qualiter eorundem inſtitutum, ſcilicet Monachorum, quiuiſſet ad melius informare, non expellere à loco, vel immutare. Interea minus idoneo vſus conſilio, prædicti Creſcentij Ioannis in ſuam vxorem aſſumens; quam etiam paulo pòſt, vt inconſultè acceperat, diuortium agens dimiſit. Tandem quoque nitens remeare ad Saxoniam, morte ſuperueniente in Italia obiit. Cernens quoque exercitus, quem ſecum duxerat, ſe ſuo domino deſtitutum, coëgerunt ſe pariter in vnum agmen, ne ab iis quos in Italia preſſerant, trucidarentur, impoſito ante ſe in equo defuncti Imperatoris corpore. Sicque in patriam tuti peruenientes, in Monaſterio beatæ ſemper virginis Mariæ Aquiſgranis decenter ſepelierunt. Suſcepit igitur poſt Ottonem, videlicet tertium, regnum Saxonum illius conſanguineus Henricus, qui etiam non regni ſui Imperator factus eſt Romanorum. Sed interim libet ex parte commemorare, quibus viciſſim cladibus præſcriptorum Regum temporibus tam externis, quàm inteſtinis conſequenter ſit flagellatus Orbis Romanus. Conſtat igitur ab anterioribus illud principale totius Orbis Imperium fuiſſe diuiſum, ſcilicet vt quemadmodum vniuerſæ Latinitatis Roma gerere deberet Principatum: ita Conſtantinopolis tam Græcorum ſpeciale caput in tranſmarinis Orientis partibus, quàm ceterorum. Sed dum ſemel in ſeſe nouit diſpertiri, poſtmodum paulatim pars vtraque vſitatius didicit minui: videlicet, donec contingeret illud admodum coartari prœliis, vt foret breuius, & iſtud appeteret moderari extraneus. Et quoniam magis contingebat tyrannide imperare, quàm vel liberali pietate, vel originali propagine; idcirco par erat talium contumaciam, cum ſibi ſubditis, crebris infeſtationum plagis atterere. A B

De Paganorum plagis. Cap. V.

Denique circa nongenteſimum Verbi incarnati annum egreſſus ab Hiſpania Rex Sarracenorum Algalif, veniénſq; cum exercitu maximo in Italiam, ſcilicet traditurus humanas res cum ſuis in prædam, cum gladio atque incendio demoliendas. Qui cùm veniſſet, depopulans totam regionem vſque Beneuentum progreſſus eſt. Ex aliquibus tantùm ciuitatibus Italiæ primates collecto agmine, niſi ſunt aduerſus prædictum Algalif inire pugnam. Sed cùm ſe cernerent exercitu nimium impares, vt ſæpiùs mos eſt, iſtis modernis Italicis fugæ potiùs, quàm bellum, petiere præſidium. Interea reuerſi cum ſuo Principe ad Africam, Sarraceni ab illo tempore non deſtiterunt impugnare regionem Italiæ, quamuis plurimis fuiſſent prœliis laceſſiti tam ab Imperatoribus, quàm à patriæ Ducibus, ac Marchionibus, vſque ad Altmuzor illorum Principem, & prædictum Henricum Romanorum Imperatorem. Præſcripto igitur tempore non minor clades in Galliarum populis, Normannorum infeſtatione, extitit hoſtium. Qui videlicet Normanni nomen inde ſumpſere, quoniam raptus amore primitus egreſſi ex Aquilonaribus partibus, audacter Occidentalem petiere plagam. Siquidem lingua illorum propria *Nort* Aquilo dicitur; *Mint* quoque populus appellatur. Inde verò Normanni, quaſi Aquilonaris populus denominatur. Hi denique in primo egreſſu diutius circa mare Oceanum degentes, breuibus contenti ſtipendiis, quouſque in gentem coaluere non modicam. Poſtmodum verò telluris amplæ & pelagi hoſtili manu peruagantes, aliquas vrbes ac Prouincias in propriam redegere ſortem. In C

A proceſſu quoque temporis ortus eſt vir quidam in pago Trecaſſino ex infimo ruſti-
corum genere, Aſtingus nomine, in vico videlicet, qui Tranquillus dicitur, tri-
bus à ciuitate diſtans milliaribus. Qui iuuenis valens robore corporis, peruerſæ
tamen indolis, ſuperbiendo abiiciens fortunam pauperum parentum, elegit exul
fore dominandi victus cupidine. Denique clam egrediens ad prædictam Nor-
mannorum gentem, illis tantummodo primitus adhæſit, qui aſſiduo raptui ſer-
uientes, victum ceteris miniſtrabant, quos etiam illi communiter *Flottam* vo-
cant. Illóque aliquandiu huic nequam mori inſeruiente, cœpit peſſimis commi-
litonibus tanto exiſtere diligentior, quantò efficiebatur flagitioſior. Paulatimque
robuſtior ceteris viribus ac rebus effectus, omnes pariter illum conſtituere ter-
ra maríque Principem. Conſtitutus autem huiuſmodi ampliore crudelitate aſ-
ſumpta, parui pendens præteritorum ſæuitiam, cœpit ſuum in longinquas gla-
dium dilatare Prouincias. Poſtmodum etiam cum vniuerſa pene, cui præerat,
gente, conſcendens ad ſuperiores Galliarum partes, quamuis peſtifer parens na-
tiuum malè quærens reuiſere ſolum. Qui cùm veniſſet, gladio & igne vltra om-
nem hoſtium cladem vniuerſa demoliens, nemine repugnante, diutiùs con-
ſumpſit. Tunc quoque domus Eccleſiarum per Gallias vniuerſæ, præter quas
municipia ciuitatum vel caſtrorum ſeruarunt, omnimodis dehoneſtatæ atque igne
ſuccenſæ ſunt. Vniuerſis ſiquidem peragratis Galliis, opimáque diuerſarum re-
B rum potitus ſpolia, ad propria reduxit exercitum. Sicque deinceps tam ab ipſo
Aſtingo, quàm ab eius ſucceſſoribus, illius videlicet gentis Principibus, in ſpatio
fere centum annorum huiuſmodi clades illata eſt longe latéq; populis Galliarum.
Hæc quoque, quæ retulimus, per interualla defunctorum Regum ſeu Imperato-
rum tam in Italia quàm in Galliis, priuſquam reſtaurarentur, ſæpiùs contigerunt.
Sed cùm interea prædictæ gentis exercitus more ſolito ad Gallias procedere de-
creuiſſet, occurrit illis iam longiùs à ſolo proprio remotis venerabilis Burgundiæ
Dux Richardus, pater ſcilicet Regis Rodulphi, vt ſuprà commemorauimus.
Initóque cum eis prœlio, tanta cæde eoſdem proſtrauit, vt perpauci ex eis fuga
lapſi, ad propria vix remearent. Et licèt poſthæc plures inſulas ac Prouincias mari
contiguas iidem ſcilicet Normanni depopulauerint, in partes tamen Francorum
Regum ſorte regendas non deinceps, niſi ab eiſdem Regibus euocati, conſcen-
derunt. Quin etiam paulo poſt viciſſim ſcilicet Franci, necnon & Burgundionum
plerique, cum prædictis Normannis Catholicæ fidei iam effectis cultoribus, paci-
ficè iunxere connubia, atque vnius Regis Regnum pari conſenſu decreuere dici
& eſſe. Indéque orti Duces excellentiſſimi, Guillermus videlicet, atque poſt ip-
ſum quique denominati, paterno ſeu auito iure Richardi. Illorum quippe Du-
caminis Principatus fuit metropolis ciuitas Rotomagorum. Cùm igitur præ-
dicti Duces vltra ceteros viguerint militiæ armis, tum perinde præ ceteris gratia
communis pacis ac virtute liberalitatis. Nam omnis Prouincia, quæ illorum
C ditioni ſubiici contigerat, ac ſi vnius conſanguinitatis domus vel familia inuiola-
tæ fidei concors degebat. Nempe furi ac prædoni apud illos comparabatur, qui-
cumque hominum in aliquo negotio plus iuſto, vel falſum quippiam venundan-
dum mentiens ſubtrahebat alteri. Egenorum quoque & pauperum, omniúm-
que peregrinorum, tanquam parentes filiorum, curam gerebant aſſiduam. Do-
na etiam ampliſſima ſacris Eccleſiis penè in toto Orbe mittebant; ita vt etiam ab
Oriente, ſcilicet monte denominatiſſimo Sina, per ſingulos annos Monachi Ro-
tomagum venientes, qui à prædictis Principibus plurima redeuntes auri & ar-
genti ſuis deferrent xenia. Hieroſolymam verò ad ſepulchrum Saluatoris cen-
tum auri libras ſecundus miſit Richardus, ac quóſque cupientes illuc deuotè per-
agrare donis iuuabat immenſis. Præterea in ſucceſſibus prædictorum temporum,
exigentibus culpis peccantium hominum, orta eſt diſcordia duorum Regum,
Francorum videlicet ac Saxonum. Quæ ſcilicet diutiùs exardeſcens, occulto
Dei iudicio rurſus terribile flagellum ingruit populis Galliarum. Denique Hun-
garorum Princeps cum omni ipſius gentis militari exercitu, huius diſcordiæ mali
occaſione, fines Galliarum irrumpens, ſemel ac bis omnem miſerabiliter depo-
pulans regionem, vtrumque etiam genus hominum captans, tum rebus humanis
abducens, nemine obſtante, diripuit. Quæ denique clades tamdiu deſæuit,
quouſque Deo propitiante, vtriuſque regni Principes, Francorum videlicet ac

Saxonum, vnius fidei ac conſanguinitatis vinculo necterentur. Euacuato ſiqui- A
dem priorum Regum genere, ſedatiſque iurgiis, cœpit Orbis nouorum Regum
pace ſubamica refloreſcere, Chriſtíque regnum per fontem ſacri baptiſmatis cir-
cumquaque tyrannos ſibi ſubiugare. Ipſa denique Hungarorum gens poſt tot pa-
trata flagitia, poſt tot flagella gentibus illata, cum ſuo Rege ad Catholicam fidem
conuerſa, quæ priùs conſueuerat crudeliter rapere aliena, libens impertitur pro
Chriſto propria, à quibus etiam iamdudum diripiendo captiuabantur, vndecum-
que in miſerrima mancipia diſtrahendi qui reperiebantur Chriſtiani, ab eiſdem
quoque fouentur nunc ceu fratres vel liberi. Illud nihilominus nimium conde-
cens ac perhoneſtum videtur, atque ad pacis tutelam optimum decretum, ſcilicet,
vt ne quiſquam audacter Romani Imperij ſceptrum præproperus geſtare Princeps
appetat, ſeu Imperator dici aut eſſe valeat, niſi quem Papa Sedis Romanæ mo-
rum probitate delegerit aptum Reipub. eíque commiſerit inſigne Imperiale.
Cùm videlicet olim vbique terrarum quilibet Tyranni ſeſe procaciter impellen-
tes ſæpiſſimè ſint Imperatores creati. Atque eò minus apti Reipub. quo conſtat
eos tyrannide, quàm pietatis auctoritate proceſſiſſe. Anno igitur Dominicæ in-
carnationis ſeptingenteſimo * decimo, licèt inſigne illud Imperiale diuerſis ſpe-
ciebus prius figuratum fuiſſet, à venerabili tamen Papa Benedicto Sedis Apoſtoli-
cæ fieri iuſſum eſt admodum intellectuali ſpecie idem inſigne. Præcepit fabricari
quaſi aureum pomum, atque circundari per quadrum precioſiſſimis quibuſque B
gemmis, ac deſuper auream crucem inſeri. Erat autem inſtar ſpeciei huius mun-
danæ molis, quæ videlicet in quadam rotunditate circumſiſtere perhibetur, vt dum
ſiquidem illud reſpiceret Princeps terreni Imperij, foret ei documentum, non
aliter debere imperare vel militare in mundo, quàm vt dignus haberetur viuifi-
cæ crucis tueri vexillo. In ipſo etiam diuerſarum gemmarum decoramine, videli-
cet Imperij culmen plurimarum virtutum ſpeciebus exornari oportere. Cúm-
que poſtmodum prædictus Papa Imperatori videlicet Henrico huius rei gratia
Romam venienti obuiam cum maxima virorum & ſacrorum ordinum multitu-
dine proceſſiſſet ex more, eíque huiuſmodi inſigne ſcilicet Imperij in conſpe-
ctu totius Romanæ plebis tradidiſſet: ſuſcipiens illud hilariter, circumſpectó-
„ que eo, vt erat vir ſagaciſſimus, dixit; Optime Pater, inquiens ad Papam, iſtud
„ facere decreuiſti noſtræ portendendo innuens Monarchiæ, qualiter ſeſe mode-
„ rari debuerat, cautiùs perdocuiſti. Deinde manu gerens illud auri pomum, ſub-
„ iunxit; Nullis, inquit, melius hoc præſens donum poſſidere ac cernere con-
gruit, quàm illis, qui pompis mundi calcatis, crucem expeditiùs ſequuntur Sal-
uatoris. Qui protinus miſit illud ad Cluniacenſe Monaſterium Galliarum, quod
etiam tunc temporis habebatur religioſiſſimum ceterorum, cui & alia dona plu-
rima contulerat ornamentorum. Sed & illud nimitum etiam perpendendum,
quoniam cùm iſta quæ retulimus, videlicet de conuerſionibus perfidarum ad fidem
Chriſti gentium extrinſecus in Aquilonaribus atque Occidentalibus Orbis parti- C
bus perſæpe fieri contigerit, nuſquam talia in Orientalibus atque Meridianis eiuſ-
dem Orbis plagis contingit audiri. Cuius denique veraciſſimus præſagij index fuit
conſtitutio illa crucis Dominicæ, dum in ea Saluator penderet, in loco Caluariæ.
Nam cùm retro illius verticem ſuſpēſi tum fuiſſet, crudus nimium populis Oriens,
tunc etiam in eius oculorum conſpectu lumine fidei repleturus conſtitit Occidens.
Sic quoque omnipotentem ipſius dexteram ad miſericordiæ opus extenſam, ſacri
verbi fide mitis ſuſcepit Septentrio, eiúſque læuam gentibus barbarorum tumul-
tuoſis ſortitur Meridies. Sed licèt huius ſacri breuiter meminerimus portenti,
noſtræ tamen, id eſt Catholicæ, manet inuiolabile ſubſidium fidei, quoniam in om-
ni loco & gente abſque exceptione, quicumque ſacro regeneratus fonte, credens
omnipotentem Patrem eiúſque Filium Ieſum Chriſtum pariter, & in Spiritum
ſanctum, vnum ſolúmque verum Deum, ſi quid boni egerit ex fide, Deo acceptum
fore, atque omnem, qui ſic permanſerit, perenni vita beatè viuere. Hoc quippe
ſoli Deo noſſe competit, cur humanum genus maius ſeu minus propriæ ſalutis ca-
pax efficitur in diuerſis partibus Orbis. Sed idcirco iſta retulimus, quoniam vſque
in fines prædictarum Orbis binarum partium, videlicet Septentrionalis & Occi-
dentalis, Chriſti Domini deueniens Euangelium illarum populis locauit optimum
in ſacræ fidei fundamentum. Cùm videlicet è diuerſo minus reliquas duas, ſcilicet

A Orientalem atque Meridianam penetrauerit, ac illatum populos cautiùs in pro-
prij erroris feritate irretitos ſciuerit. Sed ne boni conditoris proinde diſpenſa-
tioni contumelioſa à quoquam inferatur in hac parte calumnia, cautiùs nihilo-
minus proſpiciendus eſt ſacer Scripturarum canon. In quo videlicet canone
omnis proculdubio forma inuenitur expreſſa mundani ſeculi: vt ſcilicet ipſius
auctoris bonitas, paritérque iuſtitia probabiliter demonſtrentur, videlicet in his
qui ſalui fiunt, & in his qui pereunt. Nam ſicut primus hominum pater, propriæ
ſalutis arbiter, à totius boni auctore primitus fuerat conſtitutus, ita ab eodem
Redemptore vniuerſis pro captu ſpontanea generaliter oblata eſt ſalus. Sed ta-
men occulta illius diſpenſatio, cui ſemper & ſimul totum, quicquid eſſet ha-
bet, præſto fuit, ac cui nihil defuit, oſtendit ſpaciatim per incrementa tempo-
rum ſeſe omnipotentem ſolum bonum atque veracem, tam per opera pietatis,
quàm per vltionem vindictæ iuſtæ retributionis. Non enim principalis bonitas
aliquando vacat à pietatis opere, quin immò ſemper aggregat pleroſque ex
maſſa filiorum præuaricatoris in ſinum filij ſuæ Deitatis. Dúmque id quotidie
in mundo agitur, quid aliud quàm Omnipotentis bonitas, etiam immobiliter
mobilis, & mobiliter immobilis, operari monſtratur? Atque idcirco quantò
præſentis ſeculi terminus imminet propiùs, tantò iſta fieri, quæ dicuntur, conti-
B gerit frequentiùs. Suſpiciendum etiam quomodo paulatim ab ipſo humani ge-
neris exordio ipſius Auctoris ſit manifeſtata cognitio. Primus igitur hominum
Adam etiam cum omni ſuo genere Deum conditorem ſuum prædicat, dum per
tranſgreſſionis præcepti illius culpam priuatus paradiſi gaudiis, multatúſque exi-
lio, ſeſe miſerum clamat lugendo. Sed accepto diffuſiùs per vniuerſum Or-
bem terræ incremento, niſi proprij auctoris bonitatis prouidentia miſericordiæ
reduxiſſet ad ſinum, totum penitus idem genus humanum in ſui erroris atque cæ-
citatis præcipitium iam olim irreuocabiliter fuiſſet dimerſum. Idcirco ab exordio
ſui diuina boni conditoris diſpenſatione prolata ſunt ei prodigioſa rerum mira-
cula, ac portentuoſa elementorum ſigna, necnon & ſagaciſſimorum virorum,
tam ſpem quàm formidoloſitatem inculcatura diuinitus oracula. Ac velut idem
conditor per ſex dierum interualla cuncta mundanæ rerum machinæ proferendo
perficiens opera, híſque editis requieuit, die ſeptima videlicet: ita per ſex mil-
lia annorum ſpatia operatus eſt, pro eruditione hominum exhibendo illis fre-
quentia ſignanter oſtenta. Scilicet vt non prætentis ſeculis quodquam dimiſſum
eſt vacans ab his ſignis tempus miraculorum æternum Deum prædicantibus, vſ-
quequo illud maximum rerum Principium apparens homine veſtitus in mundo.
Sexta duntaxat ætate præſentis ſeculi, atque vt putatur, quod ſit finis in ſepti-
ma huius mundanæ molis diuerſorum laborum, vt ab illo proculdubio, vnde cœ-
C pit quicquid eſſe habuit exordium, in eodem competentiſſimum propriæ quietis
inueniat finem.

EXPLICIT LIBER I.

A

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI SECVNDI.

I. *De electione Hugonis in Regem.*
II. *De cetu marn, & Occidentalium bellis.*
III. *De Conano Duce Brittonum, & Fulcone Andegauorum.*
IV. *De Monaſterio Lucacenſi.*
V. *De portento Aurelianæ vrbis mirabili.*
VI. *De Prælationibus turpis lucri arreptis.*
VII. *De incendiis & mortibus nobilium.*
VIII. *De Henrici Ducis morte, & vaſtatione Burgundia.*
IX. *De fame valida, & infeſtatione Sarracenorum.*
X. *De inundatione lapidum.*
XI. *De Leutardo inſaniente hæretico.*
XII. *De hæreſe in Italia reperta.*

LIBER SECVNDVS. B

De Electione HVGONIS *in Regem.* CAP. I.

HVGO CAPETVS.

SICVT quiſpiam igitur petagtans quamlibet vaſtiſſimam otbis mundani plagam, ſeu ſpatioſum remigando æquor penetrans, ſæpiùs altitudini montium, aut proceritati atborum ſcilicet reſpectans, dirigit aciem oculorum, vt videlicet illotum à longo reperta agnitione, abſque errote, quo diſpoſuerat, valeat peruenire: Ita quoque erga nos fote contingit, qui vtique, dum cupimus præterita oſtendere futuris, obtutus noſtri ſermonis paritérque animi frequenter in relatione porrigimus magnatorum virorum perſonis, quibus videlicet fiat ipſa relatio clarior, & appareat certior. Igitur finito, vt diximus, tam regnandi, quàm imperandi apud Italiam & Gallias, magnorum Regum genere, videlicet Ludouici, necnon & Caroli, ac ſui generis cetetorum Regum, protinus in vnius conſanguinitatis viros vtriuſque Regni contigit deuenire Monarchiam. Nam qualiter primus ac ſecundus, necnon & tertius Otto, ſint potiti Romanorum Imperio, ſcilicet vſque ad Henrici Imperium, ſupetiùs nos iam digeſſiſſe meminimus. Nunc quoque teſtat, vt quemadmodum ab hinc Francorum ſit Regnum diſpoſitum, teferamus. Mortuis igitur Lothario ac Ludouico Regibus, totius Ftanciæ Regni diſpoſitio incubuit HVGONI Pariſienſis Ducis filio, videlicet illius Magni Hugonis ſuprà memorati, cuius etiam frater erat nobiliſſimus Burgundiæ Dux Henricus. Qui ſimul cum totius Regni Primatibus conuenientes, prædictum Hugonem in Regem vngi fecerunt. Erant etgo, vt iam commemorauimus, affinitate conſanguinitatis Regibus Saxonum vniti, à ptimo ſcilicet Ottone, qui natus eſt ex Hugonis Magni ſorore *. Suſcepto igitut Hugo tegimine Regni Ftancorum, non multo poſt pletoſque ſuorum, quos etiam prius in vniuerſis habuerat ſubditos, perſenſit contumaces. Tamen vt erat corpore & mente viuidus, cunctos ſibi rebellantes paulatim compeſcuit. Habebat enim filium admodum prudentem, nomine ROBERTVM, artium, etiam literarum ſtudiis plurimum eruditum. Cúmque ſe cognouiſſet iam aliquantulum viribus defici, congregatis in Aureliana vrbe tegia quibúſque Francorum ac Burgnndionum Regni Ptimoribus, eundem C

* Imò Hugonis M. vxor fuit ſoror Ottonis I.

ROBERTVS

987. Robertum, filium videlicer ſuum, anno ſcilicet tertiodecimo ante milleſimum incarnati Saluatoris, adhuc ſe ſuperſtite, Regem conſtituit. Poſt aliquot verò annos idem etiam Rex Hugo in pace, Regno diſpoſito, felicitet obiit. Etat namque Robettus Rex tunc iuuenis, vt diximus, prudens atque etuditus, dulcíſque eloquio ac pietate inſignis. Sed diuina prouidente clementia, huiuſmodi virum ad catholicæ plebis tegimen omnium Dominus illo ptæcipuè in tempore dignatus eſt deſtinare. Nam diebus regni ipſius, clementotum etiam ſignis ptæeuntibus,

non

A non modicæ clades incubuere Chriſti Eccleſiæ: quibus niſi idem Rex ſapienter, ROBERTVS.
Deo ſe iuuante, reſtitiſſet, ſæuiendo multipliciter in longinquum proceſſiſſent.

De cetu maris, & Occidentalium bellis. CAP. II.

ANNO igitur quarto de ſuprascripto milleſimo, viſa eſt cetus miræ magnitu- 996.
dinis deſcendiſſe per mare, in loco qui Bernouallis nuncupatur. Egrediens ſcilicet à Septentrionali plaga in Occidentalem. Apparuit quoque menſe Nouembrio manè prima diei aurora, ad inſtar inſulæ, ac tranſeundo perdurans vſque in horam diei tertiam, maximum etiam ſtuporem admirationémque ſe cernentibus contulit. Sed & ne alicui fortè ſit dubium quod narratur; quamuis à multis viſum fuit, tamen huic ſimile monſtrum à pleriſque inuenitur deſcriptum. Denique legitur in geſtis egregij Confeſſoris Bendani, Orientalium videlicet Anglorum, quoniam idem vir Dei ſcilicet Bendanus cùm pluribus Monachis per marinas inſulas per aliquod temporis ſpatium heremiticam tranſegiſſet vitam, hanc vel huic ſimilem quondam obuiam haberet belluam. Nam cùm remigando quaſque in mari conſtitutas circumiret inſulas, ſuperueniente noctis crepuſculo, cernens procul velut maritimam inſulam, ad quam etiam diuertens cum omnibus qui ſecum erant, ſuperuenientem duntaxat exacturus noctem. Cúmque ibi ventum fuiſ-
B ſet, exeuntes de ſcaphis, conſcendentéſque turgentem belluæ dorſum, vnius tantummodo ibidem hoſpitio noctis potituri. Cùmque poſt breuem cœnam ceteri Fratres feſſa indulſiſſent membra quieti, ſolus vir Domini Bendanus peruigil cuſtos Dominici ouilis, ac magis aſſiduus, quàm frequens pſalmicen, explorabat cautiùs vim ventorum, & ſiderum curſus. Qui dum hoc attentiùs per noctis conticinium ageret, repentè intellexit, quoniam illud promontorium, ad quod ſcilicet hoſpitaturi diuerterant, ad Orientalem illos eueheret plagam. Luce quoque alterius diei reddita, ſolertiſſimus vir conuocans collegas videlicet ſuos, qui aderant, blandè exhortans ac conſolans eos, inquiens: Vniuerſorum conditori & gu- "
bernatori Deo, Fratres benigniſſimi, indefeſſas referamus gratias, qui ſua nobis in "
his marinis fluctibus prouidentia præparauit vehiculum non egens humano remi- "
gio. Quibus à viro Dei ſocij auditis, mentis ſtupore adacti, diuinæ protinus ſeſe prouidentiæ committentes, ac viri ſancti innitentes prudentiæ, cœperunt ſecuriores euentum præſtolari rei fortuitæ. Huiuſmodi ergo per ſpacia plurimorum dierum niſi euectione, ſemper tamen ſemet conſpiciebant ad ſolis ortum tendere. Tandem verò peruentum eſt ad inſulam ceterarum ſpecioſiſſimam, atque omni amœnitate gratioſiſſimam. Illius quoque arborum habitudo, atque auium diſſimilitudinem gerit vniuerſorum. Egreſſus quoque vir ſecularis accedens ad eam, reperit etiam ibi Monachorum, vel potiùs Anachoritarum collectas miras ac multiplices, quorum ſcilicet vita & conuerſatio vniuerſorum mortalium ſtudiis
C ſanctior atque nobilior enitebat. A quibus etiam magna cum charitate ſuſcepti pluribus diebus ibidem commanentes, de multis quæ ad veram pertinent diligenter ſalutem inſtructi, poſtmodum & ad natiuum reuertentes ſolum, vniuerſa quæ comprerant patriæ redditi narrauerunt. Præterea viſo, vt dicere cœpimus, Oceani portento, exorſus eſt bellicus tumultus in vniuerſa Occidentali Orbis plaga, videlicet tam in regionibus Galliarum, quàm in tranſmarinis Oceani inſulis, Anglorum videlicet atque Brittonum, necnon & Scotorum. Siquidem vt plerumque ſolet contingere, propter delicta infimi populi verſi in diſſenſionem illorum Reges ac ceteri Principes, ſtatímque exardeſcentes in ſubiectæ plebis depopulationem ſcilicet, vſque dum perducuntur ad ſuimet ſanguinis effuſionem. Quod videlicet tandiu patratum eſt in prædictis inſulis, quouſque vnus Regum earundem vi ſolus potiretur regiminis ceterarum. Denique mortuo Rege Adalrado, in regno ſcilicet illorum, qui Danimarches cognominantur, qui etiam duxerat vxorem ſororem Ricardi Rotomagorum Ducis, inuaſit Regnum illius Rex videlicet Canuc Occidentalium Anglorum, qui etiam poſt crebra bellorum molimina, ac patriæ depopulationes, pactum cum Ricardo ſtabiliens, eiúſque germanam Adalradi videlicet vxorem in matrimonium ducens, vtriuſque Regni tenuit Monarchiam. Poſt hæc quoque idem Canuc cum plurimo exercitu egreſſus, vt ſubiugaret ſibi gentem Scotorum, quorum videlicet Rex Melculo vocabatur, viribus & armis

ROBERTVS. validus, & quod potiſſimum erat, fide atque opere Chriſtianiſſimus. Vt autem cognouit, quoniam Canuc audacter illius quæreret inuadere Regnum, congregans omnem ſuæ gentis exercitum, potenter ei, ne valeret, reſtitit. Ac diu multúmque talibus procaciter Canuc inſeruiens iurgiis, ad poſtremum tantùm prædicti Ricardi Rotomagorum Ducis, eiúſq; ſororis perſuaſionibus, pro Dei amore omni prorſus depoſita feritate, mitis effectus, in pace deguit. Inſuper & Scotorum Regem amicitiæ gratia diligens, illiúſque filium de ſacro baptiſmatis fonte excepit. Cœpit ergo ex illo fieri, vt ſi qua hoſtilis neceſſitas Rotomagorum Duci incumberet, à tranſmarinis inſulis in ſuum auxilium exercitum ſumeret copioſum. Sicque diutius gens Normannorum ſcilicet ac prædictarum populi inſularum tuti pace fidiſſima, vt ipſi potiùs formidine ſuæ potentiæ pleroſque exterarum Prouinciarum terrerent populos, quàm ipſi ab aliis terrerentur. Nec mirum quippe, quoniam à quibus bonorum extirpatrix Dei timore expulſa fuerat diſcordia, in eiſdem pace præuia Chriſti nobile Regnum felix obtinuit tripudium. A

De Conano Duce Brittonum, & Fulcone Andegauorum. CAP. III.

PRÆSCRIPTORVM igitur dierum tempore nihilominus in infimis Galliarum partibus inteſtinorum bellorum deſæuit tumultus. Narrant ſiquidem plerique diſputantes de mundani Orbis poſitione, quòd ſitus regionis Galliæ quadra dimetiatur locatione. Licet ergo à Rifeis montibus vſque Hiſpaniarum terminos, B in læuo habens Oceanum mare, in dextro verò paſſim iuga Alpium, propria excedat longitudine menſuram rationis quadriformæ. Cuius etiam inferius finitimum ac perinde viliſſimum cornu Galliæ nuncupatur. Eſt enim illius metropolis ciuitas Redonum. Inhabitatur quoque diutius à gente Brittonum, quorum ſolæ diuitiæ primitus fuere libertas fiſci publici, & lactis copia. Qui omni prorſus vrbanitate vacui, ſúntque illis mores inculti, ac leuis ira, & ſtulta garrulitas. Horum ſcilicet Brittonum aliquando Princeps extitit quidam Conanus nomine, qui etiam accepta in matrimonio Fulconis Andegauorum Comitis ſorore, ac demum inſolentior ceteris ſuæ gentis Principibus cœpit exiſtere. Nam more regio impoſito ſibi diademate in ſui anguli popello, plurimam inconſultè exercuit tyrannidem. Poſtmodum verò inter ipſum Conanum & prædictum Fulconem, Andegauorum videlicet Comitem, exortum eſt indiſſolubile iurgium. ita vt crebris ſuorum inuicem depopulationibus ac ſanguineis effuſionibus laceſſiti, ad vltimum quoque quanquam ciuile, tamen inluctabile inirent comminus prœlium. Cùm igitur diu multúmque viciſſim ſibi mala quæ poterant irrogaſſent, ab vtroque decretum eſt, vt in loco, qui Concretus dicitur, quiſque illorum cum ſuo exercitu die conſtituto aduenientes, prœlij certamen inirent. Sed Brittonum exercitus excogitata fraudis decipula, partem Fulconis exercitus nequiter proſtrauerunt. In prædicto denique loco, ſcilicet vbi certamen ineundum fuerat, clam præuenientes populi Brittonum, ibi nimium aſturè profundum atque perlongum fodêre vallum, ramíſque arborum denſatim ſuperinſertis, impoſita videlicet hoſtibus muſcipula, receſſerunt. Die igitur conſtituto iuxta condictum, dum illuc vterque cum ſuo exercitu aduenirct, atque acies vtraque iam in procinctu videretur, informata gens Brittonum callida fraudíſque propriæ conſcia, ſimulans ſe velle arripere fugam, ſcilicet vt auidius demergeret hoſtem in latentem muſcipulam. Quod cernens Fulconis exercitus, cupiens expeditè ſuper eos irruere, corruit pars ex eis non modica in foueam, videlicet Brittonum aſtu patratam. Ilicò autem Brittones conuerſi, qui priùs fugam ſimulauerant, inhiantérque ſuper Fulconis exercitum irruentes, aſperrima quam plures ex eis cæde proſtrauerunt. ipſum etiam Fulconem pulſum de equo in terram loricatum deiecerunt. Qui exurgens nimio accenſus furore, dictis releuans exacuénſque ſuorum animos, ac velut turbo vehementiſſimus per denſas ſegetes impellentes, omnem exercitum Brittonum crudeli nimium cæde mactauerunt. Deletóque penè vniuerſo exercitu Brittonum, ipſum etiam Conanum illorum Principem truncatum dextera viuum capientes Fulconi reddiderunt. Qui potita victoria, reuerſus ad propria, non illi poſtmodum quiſpiam Brittonum moleſtus extitit. C

A

Robertvs.

De Monaſterio Lucacenſe. Cap. IV.

DE eodem igitur Fulcone perplura dici potuiſſent ipſius geſtorum, quæ ſcili-
cet faſtidium vitantes ſiluimus. Vnum tamẽ reſtat memorabile, quod in præ-
ſentiarum relaturi ſumus. Cùm enim circumquaque in diuerſis prœliorum euenti-
bus, plurimum humanum fudiſſet ſanguinem, metu gehennæ territus, ſepulchrum
Saluatoris Hieroſolymorum adiit. Indéque vt erat audaciſſimus, admodum exul-
tanter rediens, aliquantulum ad tempus à propria feritate eſt lenior redditus. Tunc
ergo mente cõcepit, vt in optimo fundorum proprij iuris lo[illegible] Eccleſiam conſtrue-
ret, ibidémque Monachorum cœtum coadunaret: qui videlicet die noctúque pro
illius animæ redemptione interuenirent. Qui etiam (vt ſemper curioſè agebat) cœ-
pit quoſque percunctari religioſos, in quorum potiſſimum memoria Sanctorum
eandem Eccleſiam fundare deberet, qui videlicet pro eius remedio animæ omni-
potentem Dominum orarent. Cui inter ceteros à propria etiam vxore, quæ valde
ſano pollebat conſilio, ſuggeſtum eſt, vt in honore ac memoria illarum cœleſtium
Virtutum, quas Cherubin & Seraphin ſublimiores ſacra teſtatur auctoritas, votum
quod vouerat expleret. Qui libentiſſimè annuens, ædificauit Eccleſiam admodum
B pulcherrimam, in pago ſcilicet Turonico, milliario interpoſito à Lucacenſe caſtro.
Expleto denique quantocius Baſilicæ opere, protinus miſit ad Hugonem Turono-
rum Archipræſulem, in cuius ſcilicet conſtituta erat Dioceſi, vt illam ſacraturus,
quemadmodum decreuerat, adueniret. Qui venire diſtulit, dicens, ſe minimè
poſſe illius votum dicando Domino committere, qui videlicet matri Eccleſiæ Se-
dis ſibi commiſſæ prædia & mancipia ſurripuerat non pauca. Hócque potiùs illi vi-
debatur competere, vt primitus, ſi quid iniuſtè diripuerat, alicui reſtitueret, ſicque
deinceps iuſto Iudici Deo propria, quæ vouerat, offerre deberet. Cúmque igitur
iſta Fulconi à ſuis perlata fuiſſent, diutina feritate reſumpta; nimium indignè fe-
rens Epiſcopi reſponſa: inſuper comminatus illum valde, ac ſublimius inde quod
valuit adegit conſilium. Mox denique copioſa argenti & auri aſſumpta pecunia,
Romam pergens, ac Ioanni Papæ cauſam ſuæ profectionis expoſuit. Ac deinde po-
ſcens quod ab illo optauerat, plurima ei munerum dona obtulit. Qui protinus miſit
cum eodem Fulcone ad prædictam Baſilicam ſacrandam vnum ex illis, quos in bea-
ti Petri Apoſtolorum Principis Eccleſia Cardinales vocant, nomine Petrum, cui
etiam præcepit veluti Romani Pontificis auctoritate aſſumpta, quicquid agendum
Fulconi videbatur, intrepidus expleret. Quod vtique audientes Galliarum quique
Præſules, præſumptionem ſacrilegam cognouerunt ex cæca cupiditate proceſſiſſe,
dum videlicet vnus rapiens, alter raptum ſuſcipiens, recens in Romana Eccleſia
C ſciſma creauiſſent. Vniuerſi etiam pariter deteſtantes, quoniam nimium indecens
videbatur, vt is, qui Apoſtolicam regebat Sedem, Apoſtolicum primitus ac canoni-
cum tranſgrediebatur tenorem. Cùm inſuper multiplici ſit antiquitus auctoritate
roboratum, vt non quiſpiam Epiſcoporum in alterius Dioceſi iſtud præſumat exer-
cere, niſi Præſule, cuius fuerit, compellente ſeu permittente. Igitur die quadam
menſis Maij congregata eſt innumerabilis populi multitudo ad dedicationem ſcili-
cet prædictæ Eccleſiæ. Ex quibus multò etiam plures illuc Fulconis terror, ob ſuæ
elationis pompam, conuenire compulit. Epiſcopi tantùm, qui eius ditione preme-
bantur, coacti interfuere. Cœpta igitur die conſtituto ſatis pompaticè huiuſmodi
dedicatione, atque peracta, Miſſarúmque ex more ſolemnils celebratis, poſtmo-
dum quique ad propria rediere. Denique imminente ipſius diei hora nona, cùm
flabris lenibus ſerenum vndique conſiſteret cœlum, repente ſuperuenit à plaga
auſtrali vehementiſſimus turbo, ipſam impellens Eccleſiam, ac replens eam turbi-
do aëre, diu multúmque concutiens. Deinde verò ſolutis laquearibus, vniuerſæ
eiuſdem Eccleſiæ trabes, ſimúlque tota teges, per pignam templi eiuſdem Occi-
dentalem in terram corruentes, euerſum ierunt. Quod cùm multi per regionem
factum comperiſſent, nulli venit in dubium, quoniam inſolens præſumptionis au-
dacia irritum conſtituiſſet votum. Simúlque præſentibus ac futuris quibuſque,
ne huic ſimile agerent, euidens indicium fuit. Licèt namque Pontifex Romanæ
Eccleſiæ ob dignitatem Apoſtolicæ Sedis ceteris in Orbe conſtitutis reuerentior
habeatur, non tamen ei licet tranſgredi in aliquo canonici moderaminis tenorem.

ROBERTVS. Sicut enim vnuſquiſque orthodoxæ Eccleſiæ Pontifex, ac ſponſus propriæ Sedis, A vniformiter ſpeciem gerit Saluatoris, ita generaliter nulli conuenit quippiam in alterius procaciter patrare Epiſcopi Dioceſi.

De portento Aurelianæ vrbis mirabili. CAP. V.

ANNO igitur incarnati Verbi octingenteſimo octogeſimo octauo contigit in vrbe Aureliana Galliarum admodum memorabile atque formidoloſum portẽtum. Conſtat ergo in eadem vrbe Monaſterium in honorem Apoſtolorum Principis antiquitus conſtructum, in quo primitus Collegium Sanctimonialium virginum omnipotenti Deo deſeruiſſe dignoſcitur. Quod etiam exinde cognomento Puellare dicitur. In cuius deniq; Monaſterij medio defixum ſtabat crucis vexillum, præferens ipſius Saluatoris, pro ſalute humana mortem patientis, imaginem. A cuius ſcilicet imaginis oculis per aliquod dierum ſpatium continuè multis cernentibus, riuus emanauit lachrymarum. Ad quod nimirum terribile ſpectaculum inſpiciendum multitudo maxima conuenit hominum. Plerique tamen cùm illud cernerent, admodum animaduertentes quoddam eſſe diuinitatis præſagium, videlicet illius vrbis ſuperuenturæ calamitatis. Quemadmodum enim idem per ſe Saluator præſciens imminere vrbis detrimentum Hieroſolymitanæ, fleuiſſe illam perhibetur: ſic denique & hanc videlicet Aurelianam paulo poſt imminentem cladem paſ- B ſuram per expreſſam ſuę imaginis figuram fleuiſſe comprobatur. Contigit ergo poſt paululum in eadem ciuitate inauditæ rei, idipſum, vt putatur, portendens euentus. Deniq; cùm vnà noctium cuſtodes videlicet maioris Eccleſiæ, videlicet Epiſcopij, ex more exſurrexiſſent, atque ipſius Eccleſiæ portas quibuſque ad matutinales laudes properantibus aperuiſſent, ſubitò lupus affuit, Eccleſiámq; ingreſſus, ac funem ſigni ore arripiens, agitánſq; illud, inſonuit. Cernentes nimirum qui aderant, mentis ſtupore concuſſi, tandem clamore emiſſo, ac ſi inermes, niſu quo valuere, illum exturbantes, ab Eccleſia expulerunt. Sequenti verò anno tota illius ciuitatis humana habitatio cum domibus Eccleſiarum terribiliter igne cremata eſt. Vnde etiam nulli venit in dubium, quoniam vnius cladis euentum vtriuſq; rei præceſſiſſet portentum. Erat igitur tunc temporis prædictæ ciuitatis Pontifex venerabilis Arnulfus, qui videlicet genere & doctrina ſapientiæ pernobilis, ac paternorum fundorum redditibus locupletiſſimus, cernens excidium ſcilicet propriæ Sedis, deſolationémque ſibi commiſſæ plebis, potiore vſus conſilio, magnum colligens apparatum, cœpit domum maioris Eccleſiæ, quæ olim dicata fuerat in Crucis Chriſti honore, iugiter à fundamentis reædificare. Qui dum acerrimè cœpto operi cum ſuis omnibus intenderet, vt ſcilicet quantociùs honeſtiſſimè conſummaret, nimium euidenter præſtitum eſt illi diuinitus iuuamen. Contigit igitur quadam die, dum cæmentarij fundamenta Baſilicæ locaturi, ſoliditatem perſcrutarentur ipſius telluris, vt reperirent copioſa auri pondera, quæ ſcilicet ad totius, quamuis magnæ, Baſilicæ fabri- C cam reformandam certiſſimè crederentur ſufficere. Suſcipientes ergo qui fortuito caſu inuenerant aurum, ex integro Epiſcopo detulerunt. Ipſe verò omnipotenti Deo pro collato ſibi munere gratias agens, ac ſuſcipiens illud, cuſtodibus operis tradidit, totúmque fideliter in opus eiuſdem Eccleſiæ expendi iuſſit. Fertur namque quòd etiam illud aurum ſolertia beati Euurtij antiqui eiuſdem Sedis Præſulis ibidem huius reſtaurationis gratia fuiſſet reconditum. Icciteo permaximè, quoniam dum iſdem vir ſanctus quondam potiorem quàm fuerat primitus, eandem informaret Eccleſiam, contigit illi huic ſimile munus diuinitus ſibi teſeruatum inibi reperire. Sicque præterea factum eſt, vt & domus Eccleſiæ, videlicet Sedis Pontificalis, priore elegantior reformaretur: Ipſóque ſuadente Pontifice ceterarum, quæ in eadem ciuitate deperierant, Baſilicarum Sanctorum quorumcumq; meritis dicatarum ædes anterioribus potiores conſtituerentur, atque diuinorum operum cultus in eiſdem excellentior haberetur præ omnibus. Ipſáq; vrbs paulò poſt referta domorum ædificiis, plebs tandem illius mitigata à flagitiis Domini pietate ſubuenta, tantóque citius conualuit, quantò ſagacius propriam calamitatem excepit ob correptionis vltionem. Fuit namque prædicta ciuitas antiquitus, vt eſt in præſentiarum, Regum Frãcorum principalis Sedes regia, ſcilicet pro ſui pulchritudine ac populari frequentia, necnon & telluris vbertate, perſpicuiq; irrigatione fluminis.

ROBERTVS.

A Ex Ligere quippe ſibi congruo etiam flumine agnomen habet inditum, dicitúrque
Aureliana, quaſi *ore Ligeriana*: eo videlicet quòd in ore eiuſdem fluminis ripa ſit
conſtituta. Non vt quidam minus cauti exiſtimant, ab Aureliano Auguſto, quaſi
eam ipſe ædificauerit, ſic vocatam: quin potiùs ab amne, vt diximus, quod tectiùs
veriúſque illi congruit.

De Prælationibus turpis lucri arreptis. CAP. VI.

SACRO igitur præmonente eloquio, luce clarius compertum habetur, quo-
niam in proceſſu nouiſſimorum dierum frigeſcente in hominibus charitate, ac
ſuperabundante iniquitate, inſtabant periculoſa animarum tempora. Nam & mul-
tiplicibus antiquorum Patrum intimatur aſſertionibus, quòd craſſante auaritia
præteritarum iura vel Ordines Religionum ex eo vnde conſurgere debuere ad in-
crementi profectum, exindè ſumpſere corruptionis defectum. Illúdque aliquibus
verſum eſt in animarum detrimentum, quod quibuſdam eo legitimè vtentibus fuit
emolumentum. Siquidem, vt diximus, turpis lucri auaritia imperante, ſuffocatur
ſæpiſſimè cenſura iuſtitiæ. Cùm enim in diuerſarum gentium ac Prouinciarum cul-
tibus iſtud habeatur probabile, euidentiùs tamen in Iſraeliticæ plebis Leuitis &
Sacerdotibus. Qui ſcilicet quantò dudum ceteris opulentiores, eo ampliùs pleri-
que illorum ſuperba cupiditate inſolentiores. iccirco etiam ad vltimum omnibus
B effecti deteriores. Sed multum diſtant legis veteris inſtituta multiplicibus figura-
rum ænigmatibus veſtita à nouæ gratiæ perſpicuis ac ſpiritalibus ſacramentorum
donis. Ibi namque munera ſolummodo conferebantur terrenarum hoſtiatum: in
his ipſe Deus accipitur in præmium. Ibíq; nihilominus totum promerebatur quiſ-
que ex ſeruitutis actione: hic verò quiſq; dignus habetur duntaxat ex ſincera opti-
mæ conſcientiæ voluntate. Atq; iccirco iſta præmiſimus, quoniam iamdudum mu-
neribus ineptis excæcatis pene vniuerſis Principibus deſæuit hæc peſtis, longe laté-
que in Eccleſiarum quibúſq; Prælatis toto terrarum Orbe diffuſis. Deniq; omnipo-
tentis Chriſti Domini gratuitum ac venerabile donum ad propriæ damnationis cu-
mulum conuerterunt in auaritiæ lucrum. Ideóq; huiuſmodi videlicet Prælati tan-
to minus ad diuinum peragendum opus inueniuntur idonei, quanto conſtat, quia
non ad illud acceſſerunt per aditum principalis hoſtij. Et licèt aduerſus talium per-
ſonarum procacitatem multipliciter clamet ſacrarum Scripturarum canon, nunc
tamen ſolito multipliciùs comperitur fieri in diuerſis Eccleſiarum ordinibus. Nam
ipſi Reges, qui ſacræ Religionis idonearum decretores perſonarum eſſe debuerant,
munerum largitione corrupti, potiorē quempiam ad regimen Eccleſiarum vel ani-
marum diiudicant, illum videlicet, à quo ampliora munera ſuſcipere ſperant. At-
que idcirco permaximè quique procaces ac turgore ſuperbiæ inflati, ſeſe vltro cui-
que Prælationi ingerunt, minus formidantes incurrere lapſum neglectæ paſtoralis
C curæ, quoniam tota ſolummodo illorum pendet fiducia ex loculis collectæ pecu-
niæ, non ex perceptæ donis ſapientiæ. Tantóque amplius adepto regimine ſtudent
auaritiæ, quantò conſtat propriam ex illa ambitionem impleſſe. Ac velut idolo ſibi
pro Deo conſtituto illi ſeruiunt, per quam ſcilicet informati, ad tale nomen abſque
merito vel opere protuperunt. Fitque minus cautis deceptoria imitandi forma, ac
perinde viciſſim contumax inuidentia. Quippe quoniam quicquid in talibus aliter
æmulando colligit, videtur alteri inuidendo ſibi ſubripi: atque vt inuidorum ſem-
per mos eſt, alienis felicitatibus indeſinenter appetunt torqueri. Hinc etiam pro-
cedunt litigiorum tumultus aſſidui, oriuntúrque frequentia ſcandala, ac diuerſo-
rum tranſgrediendo conuellitur tenor ordinum. Sic etiam contigit, vt dum irre-
ligioſitas graſſatur in Clero, procacitatis & incontinentiæ appetitus ſuccreſcat in
populo. Deinde verò mendaciorum circumuenientiæ, fraudes, atque homicidia
vniuerſos penè in interitum ſubripiendo pertrahunt. Et quoniam Catholicæ fidei
oculū, videlicet Eccleſiæ Prælatos, peſſimæ cæcitatis caligo obrepſit, idcirco plebs
illius propriæ ſalutis viam ignorans in ſuæ perditionis ruinam decidit. Iure etiam
contigit, vt ipſi ſcilicet Prælati ab eiſdē, quos ſubiectos habere debuere, affligantur,
atq; contumaces ſentiant illos, quos vtiq; ſuo exemplo à iuſtitiæ itinere fecere de-
uios. Nec mirum præterea ſi in aliquibus anguſtiis conſtituti, minus dum clamant
exaudiuntur, quoniam ipſi ſibimet per auaritiæ cumulum clauſere miſericordiæ

ROBERTVS. hoſtium, cùm certiſſimum nihilominus habeatur pro huiuſmodi viciſſitudine flagitij ſæpiſſimè imminere communem cladem populis & animantibus cunctis, nec non etiam plurimam peſtem frugibus videlicet ex intemperie aëris. Sic quippe fieri contigit, vt hi ſcilicet, qui omnipotentis Dei gregi ſibi commiſſo ferre debuerant ſaluationis adminiculum, opponerent eidem conſueti beneficij obſtaculum. Quandocumque enim defuit religioſitas Pontificum, ac marceſſit diſtrictio regularis Abbatum, ſimúlque monaſterialis diſciplinæ vigor tepeſcit, ac per illorum exempla cetera plebs mandatorum Dei præuaricatrix exiſtit: quid aliud quàm totum ſimul humanum genus turſus in antiquum præcipitij chaos ſuæ perditionis ſpontanea voluntate illabitur? Ex eiuſmodi rei proculdubio euentu, dudum ille antiquus Leuiathan fiduciam cœperat, quòd inundatio Iordanis fluuij os illaberetur illius: vt videlicet baptizatorum multitudo per auariciæ appetitum viam veritatis deſerens, demergeretur in interitum. Et quia, vt ex auctoritate Apoſtolica complectum dinoſcitur, frigeſcente ſcilicet charitate, ac ſuperabundante iniquitate, in hominibus vtique ſemet plus iuſto amantibus, ſolito crebriùs iſta, quæ retulimus, circa milleſimum & poſt nati Saluatoris Domini annum vniuerſis mundi partibus contigerunt. A

De incendiis & mortibus nobilium. CAP. VII.

B

SEPTIMO igitur de ſupradicto milleſimo anno Veſeuus mons, qui & Vulcani olla dicitur, ſolito multipliciore hiatu euomens igne permixtam ſulphureo grandium ſaxorum multitudinem, qui vſque in tertium rotabantur miliarium. Sicque ſuo alatu putido circa ſe inhabitabilem cœpit facere Prouinciam. Sed neque hoc puto ſilentio præterire, cur iſtud in ſola Africana contingat regione. Primum denique ob telluris vacuitatem ex nimio ardore Solis: & quoniam illuc incumbit deuexum ab Oriente Oceanum mare, immenſos vndarum erigendo in ſeſe recolligit vortices, quibus videlicet percuſſus reconditur aër telluris in gremio. Deinde verò, cum igniflua vaporatione, quò valet, eructuat ad ſupera. Si quidem aër ſicut ex ordinali conſtitutione penetrat ſupera, ſic ex eiuſdem ambigua natura, humoris ſcilicet atque caloris, ſæpiùs exagitatus exprimit in aridis ignem, aut in humidis glaciem. Contigit interea penè vniuerſas Italiæ & Galliæ ciuitates ignium incendiis deuaſtari, ipſámque vrbem Romanam ex parte maxima igne cremari. Quod dum fieret, beati Petri Eccleſiæ tigna idem ignis arripuit, cœpitque ſub æreo tabulatu conſumendo lambere ligna. Quod cernens vniuerſa hominum multitudo quæ aderat, nullam omnino compeſcendæ cladis artem reperiens, conuerſi vnanimes voce clamantes terribili, ad ipſius Apoſtolorum Principis currere confeſſionem: eum imprecantes, ſi non peruigil propriæ foret ad præſens defenſor Eccleſiæ, multos in Orbe terrarum à ſuæ fidei profeſſione decedere. Statim verò vorax flamma abietinas deſerens trabes diſparuit. Per idem tempus obierunt in Italia & in Galliis, qui præcipui erant Pontifices & Duces, necnon & Comites. Primitus quoque Papa Ioannes, deinde Hugo Marchionum optimus. Poſt hæc verò per Italiam quique nobiliores. In Galliis namque Odo & Heribertus, quorum prior Turonorum Carnotique, ſequens verò Meldorum atque Trecorum Comes extitit. Tunc temporis etiam Dux Rotomagorum Ricardus obiit, qui Monaſterium ædificauerat nimium locuples, in loco qui dicitur Fiſcampus, in quo etiam ſepultus quieſcit. Viellermus quoque Pictauorum Dux ſub eodem tempore vitam finiuit. Pontifices item in Galliis quique religioſiores à ſeculo exceſſerunt, Manaſſes videlicet vir ſanctitate plenus Trecorum Epiſcopus, & Giſlebertus * Pariſiorum, necnon & Geboinus Catalonorum, cum aliis pluribus. Inter quos etiam bonæ memoriæ ſanctus videlicet Maiolus apud Siluiniacum Cœnobium vitæ præſentis terminum conſecutus. Cuius ſcilicet vitæ honeſtatem precioſus etiam commendat tranſitus. Nam ad illius famam ſanctitatis confluxere ex vniuerſo Romano orbe viri & mulieres vtrorumque ordinum plurimi, exinde referentes diuerſarum infirmitatum gratiam ſanitatis. Deſæuiebat eodem tempore clades peſſima in hominibus, ignis ſcilicet occultus, qui quodcumque membrorum arripuiſſet, exurendo truncabat à corpore. Pleroſque etiam in ſpacio vnius noctis huius ignis conſumpſit exuſtio. Sed cùm in plurimis Sanctorum memoriis huius tre- C

* al. Engelbertus.

A mendæ peſtis ſint inuenta remedia, maximus tantùm concurſus factus eſt ad trium ſanctorum Confeſſorum Eccleſias, Martini ſcilicet Turonorum, atque Odolrici Baioariorum, necnon & iſius venerabilis patris Maioli. optatæque ſalutis inuenta ſunt beneficia. ROBERTVS.

De Henrici Ducis morte, & vaſtatione Burgundiæ. CAP. VIII.

IGITVR anno tertio d ſupradicto milleſimo moritur in Burgundia Dux Henricus apud caſtrum Pullicum ſuper Ararim fluuium, ſepulturæque Autiſioderi apud eximium Confeſſorem Germanum traditur Octobrio menſe. Sequente verò menſe Decembrio veſpere Sabbati ante diem Dominicæ Natiuitatis apparuit in aëre portentum mirabile, ſpecies videlicet ſeu moles ipſa immenſi draconis à Septentrionali plaga egrediens cum nimia coruſcatione petebat Auſtrum. Quod prodigium pene homines vniuerſos, qui videre infra Gallias, terruit. Sequenti denique anno aſcendit ROBERTVS Rex in Burgundiam cum magno exercitu pugnatorum, ducens etiam ſecum Ricardum Rotomagorum Comitem cum triginta millibus Normannorum, quoniam Burgundiones ei fuere rebelles, nolentes eum ſuſcipere in ciuitatibus & caſtris, quæ fuerant Ducis Henrici, eius videlicet auunculi: quin potiùs ſibi in proprias diuiſere partes. Deueniens quoque 1003.
B Rex primitus cum omni exercitu ciuitatem Autiſioderum, eam obſidione circundedit. Qui diu ibi crebris aſſultibus fatigatus reſidens, non aduerſus eam præualuit, quæ fertur nunquam fraude vel hoſte fuiſſe decepta. Relicta namque ciuitate, Rex cum vniuerſo bellico apparatu conuertit ſe ad caſtrum beati Præſulis Germani expugnandum, quod munito aggere præpollens hæret ciuitati. Vallauerat enim illud Landrici Comitis exercitus, necnon eiuſdem loci familiares viri, hoſtium ſiquidem metuens ſacri gregis diremptionem. Occurrit interea furenti Regi Odilo venerabilis Abbas Cluniacenſis Monaſterij, cupiens interuenire partes vtraſque: ſiquidem vt Regi exhiberetur honorificentia, ſolidaretur concordia Principum, pax patriæ firmaretur. Qui minus poſſe fieri cernens quod decreuerat, hortabatur Fratres octo tantummodo, qui ad Confeſſoris cuſtodiam relicti fuerant (nam cæteros cum ſuo Abbate Hilderico nomine iuſſio Regis inde exire compulerat) vt orationi inſtarent aſſiduè, ſi fortè Domini pietas eos, paritérque locum, à tanta obſidione dignaretur eripere. Sexto igitur obſidionis illuceſcente, nimio Rex arreptus furore, indutus lorica ſimul & galea, omnémque exercitum dictis exacuens, habens etiam ſecum Hugonem eiuſdem vrbis Pontificem, ſolum ex omni Burgundia parti Regis fauentem. Eidem namque Regi in procinctu iam conſtituto occurrit ſupradictus Abbas Odilo, illum increpans, eiúſque Primates redarguens, cur aduerſus tantum Dei Pontificem, ſcilicet Germanum, hoſtili manu inſurrexiſſent: cui ſpecialiter, vt in geſtis illius inuenitur, vſui fuit Dei auxilio & bella compeſcere plurima, & Regum ferocitati reſiſtere. Cuius verbis minus auditum præbentes, quò tendebant peruenerunt, cingentéſque ſupradictum caſtrum in coronæ modum, certatim illud expugnaturi prœlium inierunt. Alternis quoque partibus diu multúmque decertantibus, domus ſuæ parti Dei ſubito affuit præſens auxilium. Nam eiuſdem caſtri vniuerſa capacitas ita repleta eſt in hora prœlij teterrima nebula, vt nemini hoſtium aforis peruius foret iaculandi aditus, cùm ab intro repugnantibus cernerent ſe graui cæde proſterni. Sícque cum ſuorum maximè Normannorum conciſione, dimiſerunt caſtrum incolume. quos licèt tardè pœnituit aduerſus magni meriti locum arma ſumpſiſſe. Cõtigit etiam vt hora, qua Regis exercitus aduerſus locum ſacrum certamen inire cœpiſſet, vir religioſus Giſlebertus eiuſdem loci Monachus, ſuper altare beatæ Mariæ ſemper virginis, quod decentius ceteris in vertice eiuſdem conſtat Eccleſiæ, quemadmodum hora diei tertia quotidie conſueuerat, Miſſarum ſacramenta celebrare inciperet. Quod ſcilicet factum ſatis cœlitus præſtitæ congruit victoriæ. Sequenti igitur die, egrediens Rex indè proceſſit igne cremando res hominum, præter ciuitates, & caſtra tutiſſima, vſque in ſuperiores Burgundiæ partes. Qui Franciam rediens, poſt hæc tamen licèt tardiùs ad ſe reuerſis Burgundionibus, proſperè vniuerſam obtinuit regionem.

ROBERTVS. A

De fame valida, & infeſtatione Sarracenorum. CAP. IX.

EODEM autem tempore facta eſt fames præualida quinquennio in vniuerſo
Romano Orbe, ſiquidem vt nulla audiretur non inops regio, & indigens pa-
ne. Multique exhauſti inedia de populo perierunt. Tuc etiam per plura loca ter-
rarum, non ſolùm immundorum animalium, & reptilim, verùm etiam virorum
ac mulierum, infantiùmque carnes compulit fames horida ſumere in cibum, nul-
la vel parentum obſtante neceſſitudine. Nam eo vſqe deuenerat huius ſæuitia
famis, vt iam adulti filij conſumerent matres, ipſæque in paruulos, remota pietate
materna, idem exercerent. Subſequente namque tempore, gens Sarracenorum
cum Rege ſuo Almuzor nomine, egreſſa eſt ab Africats partibus, occupans pene
vniuerſam Hiſpaniæ regionem vſque in Auſtrales Gaiarum fines: plurimáſque
Chriſtianorum dedere ſtrages. Sed licèt impar exercitu, ſæpiùs tamen iniit cum
eis prœlia VVillermus Dux Nauariæ cognomento Santus. Tunc etiam ob exer-
citus raritatem compulſi ſunt regionis illius Monachi ſumere arma bellica. Cæſæ
denique grauitet vtræque partes, tandem conceſſa Chriſtianis victoria poſt gran-
de ſuorum diſpendium, qui ſuperfuere Sarracenorum ad Africam fecere confu-
gium. Sed & in illis diutinis conflictibus prœliorum conſtit Chriſtianorum Reli-
gioſos plures occubuiſſe, qui potiùs ob fraternæ charitatis amorem cupiebant de-
certare, quàm propter aliquam gloriam laudis pompatiæ. Erat quippe eo tem- B
pore frater quiſpiam VVlferius nomine, dulcis admodum moribus, ex conuerſa-
tione in Monaſterio Reomagenſe, quod eſt ſitum in pago Tarnoderenſe, cui
etiam apparuit die quadam Dominica viſio ſatis credulitati commoda. Nam
dum per expletionem matutinalium laudum in ſupradicto oraturus quieuiſſet
Monaſterio, ceteris Fratribus inde aliquantulum ad pauſam redeuntibus, ſubitò
repletus eſt totius eiuſdem Eccleſiæ ambitus viris ſcilicet veſtibus albis indutis, ac
purpureis ſtolis inſignitis, quorum etiam continentiæ grauitas plurimùm de ipſis
inſtituebat eos cernentem. Qui verò eos præcedebat crucem manu geſtans, Epi-
ſcopum ſe eſſe multarum dicebat plebium, ibíque die ipſo ſacra Miſſarum celebra-
te ſe oportere perhibebat. Referebat etiam tam ipſe quàm ceteri, ſe illius noctis
cum Fratribus eiuſdem Monaſterij matutinales interfuiſſe ſolemnes. Aſſerebant
inſuper optimæ laudis officium, quod audierant, illi diei congruere. Erat autem
Dominica dies octaua Pentecoſtes, in qua propter gaudij expletionem Reſurre-
ctionis Dominicæ, eiuſdémque Aſcenſionis, & aduentus Spiritus ſancti, in ple-
riſque diuerſarum regionum locis mos eſt pſallere Reſponſoria, verbis valde ho-
neſtiſſimis compoſita, ac ſuaui ſonoritate referta, & vt men. valet humana, Dei-
ficæ Trinitati condigna. Cœpit interea, qui præerat Epiſcopus, ſuper altare ſan-
cti Mauritij Martyris Miſſarum ſolemnia eiuſdem Trinitats Antiphonam into-
nans celebrare. Interim verò percunctatus eſt ſupradictus Frater, qui, aut vn- C
de eſſent, pro quáve cauſa illuc deueniſſent. Cui ſatis leniter tale dederunt re-
» ſponſum: Profeſſionem, inquiunt, Chriſtianitatis geſtamus ſed ob tutelam pa-
» triæ, Catholicæque plebis defenſionem, gladius nos in bello Sarracenorum ſepa-
» rauit ab humanorum corporum habitatione. Idcirco nos omnes pariter diuina vo-
» catio nunc transfert in ſortem beatorum. Sed ideo per hanc Prouinciam nobis
» contingit habere tranſitum, quoniam plures ex hac regione infra breue temporis
» ſpacium noſtro ſunt addendi collegio. Præterea is, qui Miſſarum explebat offi-
cium, finita oratione Dominica, pacem omnibus dans, miſit vnum qui ipſi Fratri
pacis oſculum daret. Qui cùm feciſſet, innuit etiam ei, vt illum ſequeretur. His
ita conſpectis, cùm vellet eos ſequi, diſparuerunt. Intellexit quoque idem Frater,
ſe in breui ſpacio exiturum à ſeculo. quod etiam ſic contigit fieri. Nam menſe quin-
to, id eſt Decembrio, poſtquam hæc quæ diximus viderat, ſui Abbatis imperio
perrexit Autiſiodorum gratia medicandi aliquorum in Monaſterio beati Confeſ-
ſoris Chriſti Germani infirmantium Fratrum. Erat enim medicinæ artis ſtudiis in-
ſtructus. Qui veniens illuc, cœpit commonere illos Fratres, pro quorum cauſa ad-
uenerat, vt quàm citiùs, quæ pro ſalute illorum agenda erant, exercere curarent.
Cognouerat enim exitum ſuum proximum fore. Cui dum reſponderent, Quieti
» indulge iam hodie pro fatigatione itineris, vt dies craſtina te valentiorem inueniat.

A At ipſe ait: Si hodie, quantum ſupereſt, non expleuero, prout valeo, iam die craſtina noueritis me ex his nihil acturum. Qui ludere illum exiſtimantes, vt erat ſemper alacri mente placidus, quod monuerat omiſerunt. Die autem altera illuceſcente, præuentus acri dolore, acceſſit prout poterat ad altare beatæ Mariæ ſemper Virginis, ſacra Miſſarum celebraturus. Quibus peractis, receſſit ad domum infirmorum Fratrum, iámque nimium dolentes artus compoſuit lecto. Cui, vt talibus fieri ſolet, cœperunt palpebræ ſomnum quærere inter anguſtias. Repentè verò aſtitit ei Virgo ſplendida, coruſcans immenſo fulgore, interrogánſque illum, quam mentis dubietatem haberet. Quam cùm ipſe intuitus fuiſſet, adiecit: Si de itinere metuis, non neceſſe eſt enim vt paueas, quoniam ego tibi cuſtos extitero. Ex qua viſione ſecurior effectus, ad ſe venire mandans loci Præpoſitum nomine Achardum, eruditiſſimum valde virum, qui poſtea eiuſdem Monaſterij Abbas extitit, narrauit ei non ſolùm præſentem, ſed etiam præteritam viſionem ex ordine. Qui dixit ei, Confortare, Frater, in Domino. Sed quoniam ea vidiſti, quæ raro humano viſui conceduntur, neceſſe habes perſoluere vniuerſæ carnis debitum: vt in eorum, quos vidiſti, poſſis admiſceri conſortium. Conuocatíſque ceteris Fratribus, ſecundum morem ei viſitationem fecerunt. Tertia namque die peracta, incipiente nocte migrauit à corpore. Quem dum cuncti Fratres ex more abluere, ac pannis componere pararent, ſignáque Monaſterij vniuerſa pulſarent, quidam laicus, ſed religioſus, iuxta commanens, ignorans obitum Fratris, æſtimánſque ob nunciandos Matutinos ſigna pulſari, exſurrexit vt ſolebat pergere ad Eccleſiam. Qui cùm veniſſet ad pontem quendam ligneum, qui ferè in medio erat itinere, audierũt plures ex vicinis voces quaſdam ex latere Monaſterij proclamantes huiuſmodi: Extrahe, extrahe, & educ ad nos illum quantociùs. Quibus etiam vocibus tale reſponſum eſt redditum; Hunc interim non queo, alium tamen educam ſi potero. Statim verò ille, qui ad Eccleſiam pergebat, cernit ante ſe ſuper pontem quaſi vnum vicinorum ſuorum, reuera ergo diabolum contra ſe venientem; de quo etiam dubitare non poſſet. Quin etiam nomine proprio illum vocans, monuit vt prouidè tranſiret. Ilico autem malignus ſpiritus turrigera ſpecie in altum ſe erigens, cupiénſque decipere hominem, eius fallacem pompam viſibus ſequentem. Quam tamen dum aſpiceret, eius pes lapſus grauiter in ponte corruit. Qui citiſſimè ſe erigens, muniénſque ſe ſigno crucis, cognita maligni diaboli fraude, regreſſus domum cautior eſt redditus. paulo pòſt nempe & ipſe in pace obiit.

Robertvs.

De inundantia lapidum. Cap. X.

PER idem tempus contigit in Burgundia apud caſtrum Iaunniacum valde mirum & memorabile præſagium in domo cuiuſdam nobilis, nomine Arlebaudi. Nam per triennium ferè continuè per vniuerſam illius domum indicibiliter, vel ab aëre, ſiue à tabulatu, diſtillauere magni atque parui lapides, ita vt aceruos circa domum ex ipſis eiectis lapidibus vſque nunc in promptu eſt videre. Sed cùm die noctúque per domum vbique pluerent, neminem tamen ſuo ictu lædebant, ſed neque vas aliquod infringebant. Multi enim ibi limites, quos alij *bonnas* nominant, ſuorum recognouere agrorum. Simul etiam de viis, & domibus, ac diuerſis ædificiis & prope & longe conſtitutis illuc delati reperti ſunt lapides. Quod etiam futuræ peſtis illius domus familiæ fuiſſe indicium rei probauit euentus. Nam extiterat vir ſupra dictus cum vxore ſua de generoſis admodum parentibus. Idcirco increuerant eius filiis ac nepotibus paternorum fundorum cum circumiectis vicinis non parua litigia. Contigit ergo non longo pòſt ſpatio temporis, vt villam quandam Allanto cognomine, ſitam in pago Senonico, quæ etiam ex rectorum Monaſterij ſanctæ Columbæ virginis largitione iuri illorum peruenerat. Sed milites Autiſidori commanentes ipſam eis diripiendo abſtulerant, ipſi tamen toto niſu illam ſibi redintegrari pararent. Cùm verò iam plures de hac altercatum annos fuiſſet, vno vindemiarum die bellum inierunt in eadem villa partes vtræque. in quo etiam bello multi ex ambabus partibus ſunt interempti. Ex ſupra dicta quoque domo inter filios & nepotes vndecim ceciderunt. In proceſſu namque temporis imminente iurgio, creſcentibúſque diſcordiis, perdurauere cædes innumeræ illius familiæ, illorúmque homicidia hoſtium, vſque in triceſimum & eo amplius annum.

ROBERTVS.

De Leutardo inſaniente hæretico. CAP. XI. A

EXTITIT circa finem milleſimi anni homo plebeius in Galliis, apud vicum Virtutis vocabulo, in pago Catalonico, Leutardus nomine: qui, vt finis rei probauit, Sathanæ legatus credi potuit. Cuius etiam veſaniæ peruicacia hoc exordium habuit. Morabatur enim aliquando ſolus in agro quippiam ruralis operis peracturus. Qui ex labore ſomno depreſſus, viſum eſt ei, vt grande examen apum in eius corpus per ſecreta ingrederetur naturæ, quod etiam per illius os nimio cum ſtrepitu erumpens crebris illum punctionibus agitabat, ac diu multum agitato ſtimulis loqui ei videbantur, & multa hominum impoſſibilia præcipere vt faceret. Tandem fatigatus exurgens venit domum, dimittenſque vxorem, quaſi ex præcepto Euangelico fecit diuortium. Egreſſus autem velut oraturus, intrans Eccleſiam, arripienſque crucem & Saluatoris imaginem contriuit. Quod cernentes quique territi pauore, credentes illum, vt erat, inſanum fore. Quibus etiam ipſe perſuaſit, ſicut ſunt ruſtici mente labiles, vniuerſa hæc patrare ex mirabili Dei reuelatione. Affluebat igitur nimium ſermonibus vtilitate & veritate vacuis, doctórq; cupiens apparere, dedocebat magiſtrum doctrinæ. Nam decimas dare dicebat eſſe omnimodis ſuperfluum & inane. Et ſicut hæreſes ceteræ, vt cautiùs decipiant, Scripturis ſe diuinis, quibus etiam contrariæ ſunt, palliant: ita & iſte dicebat Prophetas ex parte narraſſe vtilia, ex parte non credenda. B Cuius etiam fama, quaſi alicuius mente ſani ac religioſi, in breui ad ſe traxit partem non modicam vulgi. Quod comperiens vir erudiriſſimus Gebuinus ſenex Epiſcopus, in cuius ſcilicet erat diœceſi, accerſiri illum ad ſe iuſſit. Quem cùm interrogaſſet de vniuerſis, quæ dixiſſe vel feciſſe compererat, cœpit venenum ſuæ nequitiæ occultare, cupienſque quod non didicerat de Scripturis ſacris teſtimonia ſibi aſſumere. Audiens verò ſagaciſſimus Epiſcopus, non eſſe conuenientia, immò non magis turpia, quàm damnabilia, oſtendens hominem inſanientem hæreticum factum, reuocauit ab inſania populum ex parte deceptum, Catholicæ pleniùs reſtituit fidei. At ille cernens ſe deuictum, atque ambitione vulgi deſtitutum, ſemet puteo periturus immerſit.

De hæreſe in Italia reperta. CAP. XII.

IPSO quoque tempore non impar apud Rauennam exortum eſt malum. Quidam igitur Vilgardus dictus, ſtudio artis Grammaticæ magis aſſiduus, quàm frequens, ſicut Italis mos ſemper fuit artes negligere ceteras, illam ſectari. Is enim cùm ex ſcientia ſuæ artis cœpiſſet inflatus ſuperbia ſtultior apparere, quadam nocte aſſumpſere dæmones Poëtarum ſpecies Virgilij, & Horatij, atque Iuuenalis, apparentéſque illi fallaces retulerunt grates, quoniam ſuorum dicta voluminum chariùs amplectens exerceret, ſéque illorum poſteritatis felicem eſſe præconem, C promiſerunt ei inſuper ſuæ gloriæ poſtmodum fore participem. Hiſque dæmonum fallaciis deprauatus, cœpit multa turgidè docere fidei ſacræ contraria, dictáque Poëtarum per omnia credenda eſſe aſſerebat. Ad vltimum verò hæreticus eſt repertus, atque à Pontifice ipſius vrbis Petro damnatus. Plures etiam per Italiam tempore huius peſtiferi dogmatis reperti, quique ipſi aut gladiis, aut incendiis perierunt. Ex Sardinia quoque inſula, quæ his plurimùm abundare ſolet, ipſo tempore aliqui egreſſi, partem populi in Hiſpania corrumpentes, & ipſi à viris Catholicis exterminati ſunt. Quod præſagium Ioannis Prophetiæ congruit: quia dixit Sathanam ſoluendum, & expletis mille annis, de quibus in tertio iam Libello prolixiùs tractabimus.

EXPLICIT LIBER II.

A ROBERTVS.

LIBER TERTIVS.

NVNC igitur quoniam de priorum geſtis aliqua retulimus, ab illo & infra, vt ſpopondimus, anno videlicet milleſimo nati cuncta viuificantis Verbi, tertij ſumamus incitamen huius Operis Libelli: Eo autem, vt diximus, imminente priuatus eſt penè Orbis vniuerſus perſonis & religioſis & nobilibus. Claruere tamen ab eodem anno tam in Italia, quàm in Galliis, vtrorumque ordinum viri, quorum vita & operatio queunt poſteris imitabilia informare exempla. Regnantibus quoque duobus Chriſtianiſſimis Regibus, Henrico ſcilicet Saxonum Rege, & Roberto Francorum, etſi ab exteris nationibus illorum quieuerunt patriæ, crebertimè tamen prœliis fatigatæ ſunt inteſtinis. Sicut enim aliquando perfidis honor
B exhibetur ex timore, ita bonis infertur pro ſua reuerentia timor. Nam cùm ab omni Romanorum populo, intercedente Papa Benedicto, viro ſanctiſſimo, Henricus adſciſceretur in Imperium Longobardorum, gens conſueta fraude diſſenſit, ſibique Regem Arduinum quendam vnguentes inſtituerunt. Sed licèt diu multùmque renitentes, poſtea tamen cum cæde ſuorum maxima Imperialibus ſemet ſubdidere præceptis. Qui veniens Papiam, ab eiſdem Longobardis miri operis Palatium ſibi conſtrui fecit. Potitóque decenter Imperio, accepit in Regno ſuo coniugem, filiam ſcilicet Sigefredi Saxonum Ducis. Ex qua etiam cernens non poſſe ſuſcipere liberos, non eam propter hoc dimiſit: ſed omne patrimonium, quod liberis debebatur, Chriſti Eccleſiæ contulit. Ædificauit quoque Monaſterium in Saxoniæ loco, qui dicitur Bauoberch, id eſt, Bauonis mons. Lingua enim Theutonica Berch mons appellatur. Quod etiam Monaſterium donis innumerabilibus locupletatum à Pontifice Romano, ſupradicto ſcilicet Benedicto, in honore Apoſtolorum Principis dedicari fecit: atque eiuſdem Pontificis vſus conſilio, eandem Eccleſiam in Epiſcopalem ſublimauit Sedem: conſtitutóque in ea Epiſcopo, ampliſſimorum fundorum redditibus eſſe fecit locupletem.

C

INCIPIVNT CAPITVLA LIBRI TERTII.

I. *De Stephano Rege Vngrorum, & bellis Beneuentanorum.*
II. *De Roberto Rege Francorum.*
III. *De ſtella Comete, quæ apparens plurima portendit.*
IV. *De innouatione Eccleſiarum in toto Orbe.*
V. *De Monaſteriis readificatis bene à VVillermo Abbate, vel inſtitutis.*
VI. *De Sanctorum pignoribus vbique reuelatis.*
VII. *De euerſione templi Hieroſolymorum, & cæde Iudæorum.*
VIII. *De hæreſe apud Aurelianos reperta.*
IX. *De filiis Regis eiuſdem.*

De Stephano Rege Vngrorum, & bellis Beneuentanorum. CAP. I.

IPSO igitur tempore Vngrorum gens, quæ erat circa Danubium, cum ſuo Rege ad fidem Chriſti conuerſa eſt. Quorum Regi Stephano ex baptiſmate vocato, decentérque Chriſtianiſſimo, dedit memoratus Imperator Henricus germanam in vxorem. Tunc temporis cœperunt penè vniuerſi, qui de Italia & Gal-

ROBERTVS. liis ad ſepulchrum Domini Hieroſolymis ire cupiebant, conſuetum iter, quod erat A
per fretum maris, omittere, atque per huius regionis patriam tranſitum habere.
Ille verò tutiſſimam omnibus conſtituit viam. excipiebat vt fratres quoſcunque
videbat, dabátque illis immenſa munera. Cuius rei gratia prouocata innumerabi-
lis multitudo tam nobilium, quàm vulgi populi, Hieroſolymam abierunt. Tunc
etiam Imperator Baſilius ſancti Imperij Conſtantinopolitani præcepit cuidam Sa-
trapæ ſuo, illi qui cognominatur Cataponti, eo ſcilicet quòd iuxta mare inhabi-
tet, vt à tranſmarinis ciuitatibus, quæ Romano debentur Imperio, veniens tribu-
ta exigeret. Qui libenter annuens, miſit Græcorum claſſem ad res Italicas ſubla-
turas. Hoc vero pertemptatum eſt per duorum annorum ſpacium. non parua etiam
pars ſubiugata eſt à Græcis Beneuentanæ Prouinciæ. Contigit autem ipſo in tem-
pore, vt quidam Normannorum audaciſſimus, nomine Rodulphus, qui etiam Co-
miti Richardo diſplicuerat, cuius iram metuens, cum omnibus, quæ ſecum duce-
re potuit, Romam pergeret, causámque propriam ſummo Pontifici exponeret
Benedicto. Qui cernens eum pugnæ militari elegantiſſimum, cœpit ei querelam
exponere de Græcorum inuaſione Romani Imperij, ſéque multum dolere, quo-
niam minimè talis in ſuis exiſteret, qui repelleret viros exteræ nationis. Quibus
auditis, ſpopondit ſe idem Rodulphus aduerſus tranſmarinos prœliaturum, ſi ali-
quod ei auxilium præberent vel illi, quibus maiór incumbebat genuinæ neceſſitu-
do patriæ. Tunc verò prædictus Papa miſit illum cum ſuis ad Beneuentanos Pri-
mates, vt eum pacificè exciperent, ſempérque prœliaturi præ ſe haberent, illiúſ- B
que iuſſioni vnanimes obedirent. Egreſſúſque ad Beneuentanos, qui eum vt Pa-
pa iuſſerat ſuſceperunt. Illico autem illos ex Græcorum officio, qui vectigalia in
populo exigebant, inuadens Rodulphus, diripuit quæque illorum, ac trucidauit.
His itaque auditis, illorum ſocij, qui iam plures ciuitates & caſtella propriæ ſub-
iugauerant ditioni, coacto in vnum ſuorum exercitu inierunt prœlium aduerſus
Rodulphum, & eos qui eius fauebant parti. In quo ſcilicet prœlio pars Græcorum
occubuit maxima, inſuper & caſtra aliqua dimiſere vacua. quæ ſubſequutus Ro-
dulphi exercitus victor obtinuit. Viſa igitur Græci ſuorum cæde, miſerunt Con-
ſtantinopolim, vt auxiliaretur eis quantociùs ab his, qui eos miſerant. Statímque
reformantes claſſem, multò plures quàm priùs prœliatores miſerunt. Interea cùm
auditum eſſet vbique, quoniam paucis Normannorum conceſſa fuiſſet de ſuper-
bientibus Græcis victoria, innumerabilis multitudo etiam cum vxoribus & liberis
proſecuta eſt à patria, de qua egreſſus fuerat Rodulphus: non ſolùm permittente,
ſed etiam compellente vt irent, Richardo illorum Comite. Egredientes autem ſa-
tis audacter venerunt ad loca Alpium, qui & Mons Iouis dicitur, vbi etiam in an-
guſtiſſimis ſemitis præpotentes regionis illius conſtituerant, imperante cupidita-
te, ſeras & cuſtodes ad pretia tranſmeantium exigenda. At illi Normannorum
exercitus confractis ſeris, cæsiſque cuſtodibus, per vim tranſitum fecerunt. Egreſsi-
que non paruum Rodulpho contulerunt auxilium. Sícque pars vtraque reſumptis C
viribus ſecundò inierunt prœlium, in quo vtrorumque exercitus grauiter cæſus.
Normannorum tamen exercitui victoria prouenit. Poſt paululum verò terno com-
miſſo prœlio, in ſeſe pars vtráque feſſa cohibuit. Perſpiciénſque Rodulphus ſuos
defeciſſe, vitóſque illius patriæ minus belli aptos, cum paucis perrexit ad Impera-
torem Henricum, expoſiturus ei huius rei negotium. Qui benignè illum ſuſci-
piens, diuerſis muneribus ditauit: quoniam rumor, quem de illo audierat, cer-
nendi contulerat deſiderium. Protinus Imperator congregans exercitum copio-
ſum, ob tuendam Rempub. ire diſpoſuit. Tandem vero Græci putantes à patria
fugiſſe Rodulphum, proſilierunt ad caſtra, quæ ipſe victor ab eis abſtulerat. ſed
nequicquam. Nam & veterem Troadem ciuitatem feſtinanter cinxere muris, re-
plentes eam copioſè viris & mulieribus. Interea Imperator pergens ad regionem
Beneuentanam, expugnauit ac ſubdidit vniuerſas ciuitates & caſtra, quæ Græci
ſurripuerant, eius Imperio. Ad ſupradictam autem cùm veniſſet Troadem, re-
bellantes qui intus erant, diu multúmque ei reſtiterunt. Nam ſperabant vt ſibi
futuræ æſtati, ſicut Græci promiſerant fore, Baſilius ſuccurreret. Inſuper adii-
cientes in tantum Henricum humiliari, vt pedes Baſilij tertius pauore ſuſciperet.
At ille circundans ciuitatem ſui exercitus obſidione, inſtruxit machinas, vt eam
per vim caperet. Illique deintus noctu egreſſi, tulerunt ſecum faces pice perlitas,
ignéque

A igneque ſuccenſas machinas à foris cremauerunt. Quod cernens Imperator, accenſus ira potiores fecit reinſtrui machinas; crudóque circundari corio: vigilantique cuſtodia iuſſit illas tueri. Exacto igitur iam tertio obſidionis menſe, alterníſque cædibus vtrique nimium feſſi (nam & exercitum Imperatoris diſſenterica clades oppidò vexauerat) tandem obſeſſi meliore vſi conſilio, inuenerunt viam euadendi diſcriminis. Quadam autem die accipientes ſolitarium quendam, indutum monachali habitu, quibus etiam Italia plurimùm abundat, dederunt ei crucem geſtare, miſerúntque poſt illum omnes ciuitatis pueros minoris ætatis. ſicque exclamando, *Kyrie eleiſon*, deuenit ad Imperatoris tentorium. Quod audiens Imperator, iuſſit interrogari quid ſibi vellent. Cúmque reſponſum fuiſſet, quòd misereri à ſe afflictæ ciuitati implorarent, reſpondit: Optimè nouit ipſe; qui agnitor eſt cordium, inquit, quoniam magis quàm ego horum paruulorum patres illorum ſunt homicidæ. Illachrymánſque iuſſit, vt ſalui in ciuitatem redirent. Fecerunt autem vt iuſſerat Imperator. Altera quoque die iterum primo mane proceſſerunt à ciuitate vt priùs clamantes, *Kyrie eleiſon*, vſque dum ſonoritas vocum illorum aures pulſaret Imperatoris. Qui ſtatim egreſſus tentorio; reſpiciénſque pupillorum turbam, pietate permotus, vt erat vir ſapientiſſimus, voce Dominica vſus, ait; *Miſereor ſuper turbam*. Nam antè iam dixerat, quoniam ſi ei contingeret capere ciuitatem, quicquid maſculini ſexus inueniretur in ea, ſuſpenderetur patibulis: reliqua verò igne cremari, ipſiúſque ciuitatis mœnia ad ſolum pertrahi.
B Præterea mandauit Imperator illis, qui in ciuitate ceteris præerant, vt ſi indulgeri ſibi ab eo vellent, irámque eius placare, ipſimet ſubuerterent partem murorum ciuitatis, quæ contra ſuas machinas rebellis ſtare videbatur. Qui audientes, certatim impleuerunt quod eis mandatum fuerat. Poſt hæc quoquè præcepit Imperator eos pacificè ad ſe egredi, murúmque ciuitatis ab eiſdem reædificari. Acceptiſque pacis obſidibus ab vniuerſis regionis illius Prouincialibus; reuerſus eſt Saxoniam. Normanni quippe cum ſuo Duce Rodulfo, reuerſi in ſuam patriam, gratanter recepti à proprio Principe Richardo. Sequenti denique anno menſe Iulio obiit Henricus Imperator apud Saxoniam, ſepultúſque eſt honorificè in Monaſterio Bauobereh, quod ipſe, vt dictum eſt, in honore Apoſtolorum Principis ædificauerat.

ROBERTVS.

De ROBERTO *Rege Francorum.* CAP. II.

IN præſcripto igitur tempore diſponente Francorum regnum ROBERTO Rege, plurimas ei intulere ſui contumeliæ inſolentias, illi maximè quos aut ex mediocri, aut ex infimo genere tam ipſe, quàm vterque Hugo ei, ſcilicet pater atque auus, fecerunt maximis honoribus ſublimes. Inter quos fuit Odo rebellionum maximus, qui fuit filius Tebaldi Carnotenſis cognomento Fallacis, ceterique quamplures inferioris potentiæ, qui exinde extiterunt ei rebelles, vnde eſſe debuerant
C humiliores. Quorum non diſpar fuit ſecundus Odo, filius ſcilicet prioris Odonis; qui quantò potentior, tantò fraudulētior ceteris. Nam cùm obiiſſet Stephanus Comes Trecorum & Meldorum, Heriberti filius, ipſius Regis conſobrinus, abſque liberis, apparuit idem Odo contra Regis voluntatem vniuerſa quæque latifundia in Regis videlicet dominium iure ceſſura. Fuit etiam iuge litigium & bella frequentia inter ipſum Odonem & Fulconem Andegauorum Comitem, quoniam vterq; tumidus ſuperbiâ, iccirco & pacis refuga. Necnon etiam VVillermus Henrici Ducis priuignus, ac Alberti Longobardorum Ducis filius, eidem Regi aliquādo rebellis extitit, fauente ei Landrico Neuernis Comite, qui eius filiam vxorem duxerat; & Brunone Lingonenſi Epiſcopo, cuius habebat in matrimonio ſororem, ex qua ſuſcepit filios & filias, de quibus priùs natam Landricus, reliquas vterque VVillermus, ſcilicet Pictauenſis & Arelatenſis, duxêre vxores. Vnúſque filiorum eius Rainaldus nomine duxit filiam Richardi Rotomagenſis Ducis Adeledam nomine vxorem. Qui licèt aduena puer etiam furtim ſublatus à Longobardorum patria, matríque non mediocriter aſtutè per quendam Monachum redditus in Burgundia, in tantum conualuit, vt in diuitiis & in militia non inueniretur ſecundus in patria. Sed huic plurimùm aduerſatus reſtitit Hugo filius Lamberti Cabillonēſis Comitis, viri honeſtiſſimi. qui inter cetera quæ geſſit optima, Monaſterium etiam conſtruxit in

ROBERTVS. pago Auguſtidunenſe, quod dicitur Paredo, in honore ſanctæ Mariæ, ſanctique Ioannis Baptiſtæ; in quo etiam ſepultus honorificè quieſcit. Fuit enim idem Hugo Epiſcopus Autiſſiodori, regénſque Comitatum patris ex imperio Regis, quoniam præter eum pater non habuit ſobolem ſexus maſculini. Idcirco hoſtibus Regis contrarius, quoniam Regi fidiſſimus parebat in omnibus. Accepit autem ſupradictus Rex illius cognatam nomine & animo CONSTANTIAM, inclitam Reginam, filiam videlicet VVillelmi prioris Aquitaniæ Ducis: ex qua etiam ſuſcepit filios quatuor, & filias duas. Extitit tamen aliquando quidam Hugo dictus Beluacenſis, qui inter ipſum Regem eiúſque coniugem nequam ſemen odiis ſpargebat, ſuíque gratia præmij Reginam ei fecerat odioſam. Tantam denique inſuper gratiam à Rege conſecutus fuerat, vt Comes Palatij haberetur. Factúmque eſt, vt die quadam Rex in ſilua venatum iret, idémque Hugo, vt ſemper ſolebat, cum illo. Venerúntque miſſi à Fulcone Andegauorum Comite, auunculo ſcilicet eiuſdem Reginæ, fortiſſimi milites duodecim, qui ſupradictum Hugonem ante Regem trucidauerunt. Ipſe verò Rex, licèt aliquanto tempore tali facto triſtis effectus, poſtea tamen vt decebat, concors Reginæ fuit. Hic itaque Rex, vt ſapientiſſimus Dei cultor, ſemper fuit humilium amator, ſuperborúmque vt valuit oſor. Si qua enim Pontificalis Sedes in ſuo Regno proprio viduaretur Præſule, cura erat maxima vt vtilis Paſtor, licèt genere infimus, reſtitueretur Eccleſiæ potiùs, quàm nobilitatis eligeretur perſona ſecularis pompæ. Qua de cauſa etiam Primates Regni ſenſit plurimùm contumaces, qui deſpectis humilibus, ſui ſimiles eligebant ſuperbos. Fuit enim ei pax cum Regibus in gyro Regni ſui poſitis, maximè cum ſupradicto Imperatore Henrico. Nam cùm aliquando ad inuicem colloquendum ſuper Moſam fluuium, qui limes eſt vtriuſque Regni, conueniſſent, pluréſque ex ambabus partibus muſitarent indecens eſſe, vt quis illorum, tantorum ſcilicet Regum, ſemet humilians, quaſi in alterius tranſiret auxilium. hoc etiam fore potiſſimum, vt in fluminis medio nauibus portarentur ſimul locuturi. Sed viri eruditiſſimi illud vterque in mente habens, *Quanto magnus es, humilia te in omnibus*. Primo namque mane ſurgens Imperator, tranſiit cum paucis ad Regem Francorum, nimióque amplexu ſemet deoſculantes, ſacramentiſque Miſſarum decenter ab Epiſcopis in conſpectu illorum celebratis, prandere vtriſque ſimul congruit. Explero quoque prandio, obtulit Robertus Rex immenſa munera auri atque argenti & pretioſarum gemmarum Henrico, centum inſuper equos honeſtiſſimè phaleratos, ſuper vnum quemque lorica & galea; mandans inſuper tantum illorum amicitiam minuere, quantum contingeret ex omnibus illi relinquere. At Henricus cernens amici liberalitatem, ſuſcepit ex illis tantum librum Euangelij, auro & lapidibus pretioſis inſertum, ac philaterium ſimile factum, continens dentem ſancti Vincentij Leuitæ & Martyris. Vxor verò illius pares auri tantùm naues accepit. Cetera autem egrediens in gratia dimiſit. Sequenti igitur die iterum Rex Robertus eum Epiſcopis ad Imperatoris tentoria tranſiens, qui eum ſatis ſublime ſuſcipiens, expletóque ſimul prandio, centum libras ei ex auro puro obtulit, Rex quoque pares tantum naues auri ex illo ſumpſit. Firmatóque vterque pacto amicitiæ, rediere ad propria. Ab aliis quoque Regibus ſatis gratificè fuit ſemper habitus, Adalrado ſcilicet Rege Anglorum, & Rodulpho Rege Auſtraſiorum, necnon & Sancio Rege Nauarriæ Hiſpaniarum. mittebántque ei munera, & petebant ab eo auxilia.

A B C

De ſtella Comete, quæ apparens plurima portendit. CAP. III.

APPARVIT igitur præfati Regis tempore in Occidentalis aëris parte ſtella quæ vocatur Cometa, Septembrio menſe, incipiente nocte, perdurans ſpatio trium menſium. Quæ ſcilicet nimia claritate fulgens, maximam aëris partem ſibi illuſtrando vendicabat, vſque dum circa galli cantum occumberet. Sed vtrum nouiter à Deo ſtella mittatur, ſeu ab eodem ob gratiam portenti alicuius ſtellæ lumen multiplicius augeatur, ipſi ſoli ſcire competit, qui cetera indicibiliter ſua ſapientia diſponit. Illud tamen habetur probatiſſimum, quoniam quotiens huiuſmodi hominibus oſtenditur fieri in mundo, paulò poſt quoddam mirum atque terribile patenter innuitur. Denique contigit in proximum Eccleſiam beati Michaëlis Archangeli cremari incendio, quæ ſcilicet conſtituta in quodam promontorio littoris

A Oceani maris, toto Orbe nunc vſq; habetur venerabilis. Nam & inibi certiſſimum conſpicitur, videlicet ex incremento atque decremento lunari eundo ac redeundo proceſſu mirabili in gyro eius promontorij reuma ſcilicet Oceani. Cuius etiam maris excrementum *malinas* vocant, decrementum quoque *ledones* nuncupant. Atque ob hoc maximè prædictus locus à plurimis terrarum populis ſæpiùs frequentatur. Eſt etiam non longe à prædicto promontorio fluuiolus cognomento Arduus, qui poſt hæc paululum excreſcens per aliquod temporis ſpatium intranſmeabilis effectus, atque ad prædictam Eccleſiam ire volentibus viam plurimùm impediens, aliquantiſper eiuſdem itineris obſtaculum fuit. Poſtmodum verò in ſeſe rediens profundiſſimè littus ſuo curſu ſulcatum reliquit. His ita geſtis, contigit, vt venerabilis Abo Pater Monaſterij S. Benedicti Floriacenſis cognominati, gratia propagandæ Religionis Monaſticæ in Prouinciam tranſiret Meridianorum Vuaſconum. Cúmque illuc deueniens in quodam moraretur Cœnobio, ibíque more ſolito ea quæ Dei ſunt ſedulò exerceret, nimio à cunctis venerabatur affectu. Accidit igitur die quadam, vt in atrio eiuſdem Cœnobij exardeſcentibus quorumdam litigioſorum irarum ſtimulis, nimium acer oriretur tumultus. Dúmque vir reuerentiſſimus, prædictus videlicet Abo, comperiens ad eundem tumultum ſedandum pugillares gerens in manibus tabellas cum ſtillo, proceſſiſſet, vnus è vulgo

B afflatus ſpiritu diabolico irruens in eum, eiúſque latus lancea perforans, Chriſti martyrem fecit. Qui etiam, vt fertur, paulò pòſt arreptus à dæmone, miſerabiliter vitam finiuit. Corpus verò prædicti Patris tam ſui, quàm ceteri, quique fideles eiuſdem Prouinciæ honorificè ibi ſepelierunt. Vbi etiam ad laudem ſui nominis perplura poſtmodum Dominus largitus eſt hominibus beneficia. Tunc igitur temporis in Italia, atque in Galliis, plerique Epiſcoporum nonnulla inter ſe diuerſis quæſtionibus habuere Synodorum conciliabula. Nam de ieiuniis, quæ plerique fidelium, ſcilicet inter Aſcenſionem Saluatoris & Pentecoſten obſeruant, ita decreuerunt, vt ne per imperium Sacerdotum fierent, excepto Sabbato Pentecoſten, & à quibus fieri vellent, ne prohiberentur fieri. Simúlque incidit quæſtio, cur Monachi per tres vel quatuor Dominicas dies ante diem Natiuitatis Dominicæ, ſeu Quadrageſimalis obſeruationis tempore, Hymnum, ſcilicet *Te Deum laudamus*, decantarent contra morem Romanæ Eccleſiæ. Qua videlicet quæſtione aggreſſi tam Abbates, quàm Monachi, reſponderunt. Se pro nulla re illud agere, niſi ex beati Benedicti nominatiſſimi, atque excellentiſſimi Patris præceptione. Cuius etiam actus ſimúlque dicta à ſummo Romanorum Pontifice, videlicet Gregorio, haberentur deſcripta, ac laudabiliter roborata. His denique compertis, Epiſcopi, vſus Monachorum authentico ex more viguit. Necnon etiam de die Annunciationis Dominicæ, qui celebratur octauo Kalendarum Aprilium, ſi fortè quolibet alio

C tempore præter Quadrageſimam excoli congruentiùs potuiſſet, ab eiſdem Pontificibus non parua illata eſt quæſtio. Ferebatur enim à quibuſdam, eandem videlicet Annunciationem Dominicam more Hiſpanorum quintodecimo Kalendarum Ianuariarum die irreprehenſibiliter poſſe celebrare. Nam cùm ego poſtmodum in Monaſterio Cluniacenſi cum ceteris Fratribus degerem, conuenerunt illuc ab Hiſpaniis, quam plures honeſtæ conuerſationis iamdudum more viuentes propriæ regionis Monachi. Propinquante verò die Natiuitatis Dominicæ, petierunt prædicti Monachi venerabilem Odilonem eiuſdem loci Abbatem, vt more ſuorum liceret eis celebrare Annunciationem. Quod cùm feciſſent, ſegregati à ceteris, viſum eſt nocte eadem duobus ſenioribus loci, quòd vnus de Hiſpanis fuſcina focaria arriperet deſuper altare puerum, mitterétque illum in ſartaginem prunis plenam, ita clamantem; Pater, Pater, quod tu dediſti, iſti auferunt. Quid plura? apud nos antiqua conſuetudo, vti decebat, præualuit.

De innouatione Eccleſiarum in toto Orbe. CAP. IV.

IGITVR infra ſupradictum milleſimum tertio iam fere imminente anno, contigit in vniuerſo penè terrarum Orbe, præcipuè tamen in Italia, & in Galliis, innouari Eccleſiarum Baſilicas, licet pleræque decenter locatæ minimè indiguiſſent. Æmulabatur tamen quæque gens Chriſticolarum aduerſus alteram decentiore frui. Erat enim inſtar ac ſi mundus ipſe excutiendo ſemet, reiecta vetuſtate, paſſim 1003.

ROBERTVS.

Robertvs.

candidam Ecceleſiarum veſtem indueret. Tunc denique Epiſcopalium Sedium Ecceleſias penè vniuerſas, ac cetera quæque diuerſorum Sanctorum Monaſteria, ſeu minora villarum Oraroria, in meliora quique permutauere fideles. Eo quoque tempore inter cerera beati Martini Turonis Monaſterium emicuir, à venerabili ſcilicer viro Heriueo eiuſdem loci Archiclauo euerſum, arque anre ipſius obirum mirifico opere reædificatum. De cuius etiam vita & conuerſatione, qualis à pueritia vſque ad præſentis vitæ rerminum extitit, ſi quis referre quiuiſſet, pleniter incomparabilem huius remporis oſtenderer virum hominibus. Duxit enim ex nobilibus Francorum, menre nobilior ipſe, proſapiam, & vr lilium vel roſa de ſpinis, de ferocioribus ſecundum ſanguinem patriæ fuit. Qui vt generoſioribus mos eſt nobiliter educatus; dehinc verò ſcholis artium liberalium applicarus. Sed intelligens ex his pleroſque plus fore contumaces, quàm diuinæ obedientiæ ſubdiros, ſufficere ſibi credidit, ſi exinde ſalutem animæ reportaret. Relictis aurem pompaticæ ſcientiæ ſtudiis, ad quoddam Monaſterium clam ingrediens, Monachum ſe fieri ſatis deuotè poſtulauir. Sed quoniam, vr diximus, clari erar generis, idcirco parentum minas pertimeſcentes nullo modo acquieuere fieri quod popoſcerar Fratres eiuſdem Monaſterij. In hoc tamen illum ſeruanres ei fidem dederunt, vr ſi vis non obſtaret, parenrum ſcilicer ipſius, libentiſſimè quod petebar explerenr. Tandem inibi commorans, qualis poſtmodum futurus eſſet dans ſanctitatis indicium, vniuerſiſque ibi degentibus imirabile præbuir exemplum. Comperiens verò pater eius quod fecerar, furore arreptus venir ad prædictum Monaſterium, filium exinde abſtracturus, reuera porioribus lucris inſeruienrem. Sariſque verbis redargutum, vim ei faciens, duxit illum inde ſecum vſque in Regis Curiam, ipſúmque Regem obſecrans, vr eius animum ab hae inrentione bonorum ſponſionibus reuocarer. Quem cernens Rex videlicer Robertus, vt erar pius ac religioſus, dulciùs illum exhortans, qualirer bonum propoſitum menre inregra conſeruare ſatagerer, arque in præſens beari Martini Eccleſiæ Archiclauum eſſe præcepir. cupiens illum poſtmodum cereris imirabilem conſtituere Pontificem. Id denique multotiens pertemptarum eſt. ſed ipſo renuenre, effectu caruir. Suſcepta quippe ac ſi coactus Eccleſiæ cura, veſtéque alba rectus, interdum more Canonico menrem tamen & viram plenirer poſſedit Monachicam. Nam ſemper ad nudum rectus cilicio inrefragabili macerans corpus, ieiunio ſibi parciſſimus, largus pauperibus, vigiliis & orationibus inſtabar aſſiduis. Prærerea vir Deo plenus, menre concepir, vr Eccleſiam, cui cuſtos adſcitus fuerat, amplioris altioriſque rotius operis corpore ſublimarer. Sancto itaque Spiritu ſe docente, deſignauir latomis incomparabilis iactare fundamentum operis, quod ipſe vr oprauerat ad perfectum duxit. Expleto iraque opere, accerſitiſque plurimarum vrbium Epiſcopis, opus prædictum Deo conſecrari ſtuduir. Ipſoque die ſanctum Dei Confeſſorem Martinum intrò ſicur decebar repoſuir. Venerabarur enim eo die prærcritæ dedicario Baſilicæ, quarto videlicet Nonarum menſis Iulij. Fertur eriam, quoniam idem vir Domini Heriueus anre aliquot dies præfaræ tranſlarionis Dominum rogauiſſer, vr ad oſtenſionem dilectionis ſponſæ ſuæ Eccleſiæ per bearum Martinum, vt olim feeerat, quodcunque miraculum dignaretur demonſtrare. Cui in oratione proſtrato apparuit idem

» Confeſſor blando vſus alloquio, ita inquiens: Hoc quod petis, fili dilectiſſime,
» ſcito re poriora poſſe apud Dominum impetrare. ſed rempori huic ſufficere debenr
» exhibita dudum miracula, quoniam contiguum inſtar prius exſparſi ſeminis col-
» lecturæ meſſis. Sola enim animarum erigens medela exoranda eſt vniuerſis. Pro
» his enim Domini miſericordiam obſecrare minimè omitto. Namque pro his no-
» ueris me apud Dominum præcipuè inreruenire, qui illi aſſiduè in præſenri ſer-
» uiunt Eccleſia. Quidam enim illorum plus iuſto præſenris ſeculi implicati nego-
» tiis, armis inſuper militaribus famulanres, quibus trucidati in prœlio deciderunt.
» De quibus nolo te latear, quoniam vix apud Chriſti clementiam obtinui, vr ere-
» pti de miniſtris renebrarum locis refrigerij ac lucis ſiſtere mererentur. Cererùm
» tu delectabile Domino vorum, vr cœperas, exple.

Superuenienre igitur deſignaro die, congregatiſque Epiſcopis, & Abbatibus, cum innumera multitudine fidelium vtrorumque ſexuum & ordinum, priuſquàm inciperenr ſacra fieri, vir reuerendiſſimus Heriueus ſanctioribus qui conueneranr Sacerdotibus hoc, quod ei reuelatum fuerar, manifeſtare curauir. Peracta verò ex more ſacrationc, omnibus vtenſilibus

A rirè compoſitis, cœpit idem vir artioris vitæ macerationibus ſeſe conterere, atque ſolitarius in exigua penes Eccleſiam Cellula Pſalmis & orationibus vacans degere. Qui cùm poſt hæc anno quarto cognouiſſet ſe in breui migraturum à ſeculo, iam iámque ægrotare cœpiſſet, ac plures ad eum viſitandi gratia concurrerent, ſimúlque præſtolantes in eius diſceſſu aliquod fieri miraculum videre, vtpote qui tanti meriti præſciebant virum. Ipſe verò mente ſagaci prædixit illis, ac monuit, vt alia curarent. ſignum, quod & minimè eſſent viſuri, ne expectarent. Pro ſe potiùs obſecrabat, vt piiſſimum Dominum attentiùs orarent. Iam ſiquidem propinquans ſui exitus horam, erectis in cœlum manibus & oculis crebertimè dicebat: Domine miſerere, Domine miſerere. Sicque inter hæc verba vltimum efflauit ſpiritum. Sepultúſque eſt in eadem Eccleſia, in eo ſcilicet loco, vbi primitus beatus Martinus ſepultus quieuerat. ROBERTVS.

De Monaſteriis readificatis benè à VVillermo Abbate, vel inſtitutis. CAP. V.

CLARVIT eo in tempore in prædicta domorum Dei melioratione venerabilis Abbas VVillermus, à beato ſiquidem Maiolo primitus Eccleſiæ ſancti Martyris Benigni Pater conſtitutus. Quam videlicet Eccleſiam illicò tam mira locatione permutauit, vt huiuſcemodi alter difficile queat inueniri. Regulari etiam diſtin-
B ctione non minus effloruit, atque incomparabilis huius Ordinis ſuo tempore propagator extitit. Sed quantum pro hac re diligebatur à religioſis & piis, tantò magis detrahebatur inſidiabatúrque à fraudulentis & impiis. Fuit enim ex Italia ortus, nobilem dúcens à parentibus proſapiam: nobilior tamen illuſtrem per aſſecutam ſcientiam. Nam in eodem territorio, ſcilicet in fundo, qui ei parentum iure debebatur, prius vocato Vulpiam, cōſtruxit Monaſterium totius gratiæ abundantiſſimum: poſtea ab ipſo mutato nomine Fruruarenſe cognominatum. Quod cùm multigenis locupletaſſet beneficiis, conſtituit ibi Monachorum Patrem, per omnia ſe imitátem, nomine Ioannem. Erat enim prædictus VVillermus acer ingenio, & inſignis prudentia. idcirco ſummum in Palatiis Regum ac ceterorum Principum obtinebat locum. Quodcunque denique Monaſterium proprio viduabatur Paſtore, ſtatim compellebatur tam à Regibus, vel Comitibus, quàm à Pontificibus, vt meliorandi gratia illud ad regendum ſuſciperet. quoniam vltra cetera diuitiis & ſanctitate ipſius patrocinio aſſumpta cernebantur excellere Monaſteria. Ipſe quoque firma teſtabatur aſſertione, quia ſi huius inſtitutionis tenor quocumque loco à Monachis cuſtodiretur, nullam omninò indigentiam cuiuſcunque rei paterentur. Quod etiam euidentiſſimè declaratum eſt in locis ſibi commiſſis. Fertur ſiquidem eadem inſtitutio, vſúſque huius conſuetudinis, ex ſancti Patris Benedicti Monaſte-
C rii vel Regula exordium habuiſſe, atque per beatum Maurum, ipſius videlicet diſcipulum, ad noſtrum, id eſt, Gallicanum territorium delatam fuiſſe. Extat etiam veridica relatio, quoniam poſt beati Mauri obitum, ſuccedenti tempore hoſtium infeſtationibus expulſi Monachi à Monaſterio cognomento Glannofolio, quod ipſe conſtruxerat, ſicut in eius geſtis habetur, in Andegauenſe territorio, venientéſque ad Monaſterium ſancti Sauini Confeſſoris Pictauenſis, tulerunt ſecum totam, quam valuere ſupellectilem, ibíque per aliquod ſpatium temporis ea quæ didicerant operam dedere. Rurſúſque illo frigeſcente eiuſdem diſtrictionis tenore apud Monaſterium ſancti Martini Auguſtidunenſis ſuſcepta dignoſcitur aliquotiens viguiſſe. Deinde verò quaſi tertia tranſmigratione in ſuperiore Burgundia locatum Balmenſe occupauit Monaſterium. Ad vltimum quoq; prædicta videlicet inſtitutio iam penè defeſſa, auctore Deo elegit ſibi ſapientiæ ſedem, vires collectura, ac fructificatura germine multiplici, in Monaſterio ſcilicet cognomento Cluniaco. Quod etiam ex ſitu eiuſdem loci adcliuo, atque humili, tale ſortitum eſt nomen: vel etiam, quod aptius illi congruit, à cluendo dictum, quoniam cluere, creſcere dicimus. Inſigne quippe incrementum diuerſorum donorum à ſui principio in dies locus idem obtinuit. Conſtruxit igitur prædictum Cœnobium primitus Pater Monachorum ſupradicti Balmenſis Monaſterij Berno vocatus, iubente VVillermo piiſſimo Aquitanorum Duce, in pago Matiſconenſe, ſuper Graonam fluuiolum. Quod etiam Cœnobium in primo non ampliùs quàm quindecim terræ colonias dicitur in dotem accepiſſe; Fratres tamen duodecim numero inibi memo-

Robertus. rantur conueniſſe. Ex quorum veluti optimo ſemine multiplicata ſtirps Domini A
exercituum innumerabilis magnam Orbis plagam cognoſcitur repleſſe. Qui quoniam his, quæ Dei ſunt, videlicet iuſtitiæ & pietatis, operibus inceſſanter adhæſerunt, idcirco bonis omnibus repleri meruerunt. inſuperque futuris imitabile reliquerunt exemplum. Nam poſt præfatum Bernonem ſuſcepit regiminis curam ſapientiſſimus Abbas Odo, vir per omnia religioſiſſimus, qui fuerat ſancti Martini Turonis Eccleſiæ Præpoſitus, moribus & conuerſatione ſanctitatis valdè ornatus. Hic enim in tantum huius inſtituti propagator extitit, vt à Beneuentana Prouincia quæque habebantur in Italia, & in Gallus, vſque Oceanum mare potiora Monaſteria, illius ditioni gratularentur eſſe ſubiecta. Poſt cuius obitum ſucceſſit Heimardus vir ſimplex in ipſius locum. Qui licèt non adeò famoſiſſimus, regularis tamen obſeruantiæ non impar cuſtos. Poſt hunc quoque ſanctus ac venerabilis eligitur Maiolus, cuius ſuperiùs memoriam fecimus, qui etiam ſucceſſorem ſibi Monachorum Patrem præuidit Odilonem. Hic etenim quintus à primo Bernone Abbas extitit prædicti Clunienſis Cœnobij. Ex quo videlicet Cœnobio per diuerſas Prouincias Fratres ſæpius petiti, atque Monachorum Patres ordinati, plurimum Domino acquiſiuere lucrum. Hic tamen Pater, ſcilicet VVillermus, de quo in præſentiarum ſermo exordium habuit, præ omnibus exinde præcedentibus præſcriptæ inſtitutionis laborioſior ac ſpermologius fructificatior eſt repertus.

B

De Sanctorum pignoribus vbique reuelatis. CAP. VI.

1008. CANDIDATO vt diximus in nouatis Eccleſiarum Baſilicis vniuerſo mundo, ſubſequenti tempore, id eſt anno octauo infra prædictum milleſimum humanati Saluatoris annum, reuelata ſunt diuerſorum argumentorum indicus, quorſum diu latuerant, plurimorum Sanctorum pignora. Nam veluti quoddam reſurrectionis decoramen præſtolantes Dei nutu fidelium obtutibus patuere, quorum etiam mentibus plurimùm intulere ſolamen. Hæc enim reuelatio primitus in Senonica Galliarum vrbe, apud Eccleſiam beati martyris Stephani dignoſcitur cœpiſſe. Cui etiam præerat Archipræſul Leotericus, à quo ſcilicet admiranda relatu reperta ſunt ibi antiquorum ſacrorum inſignia. Quippe inter cetera perplura, quæ latebant, dicitur virgæ Moyſi inueniſſe partem. Ad cuius rei famam conuenerunt quique fideles, non ſolùm ex Gallicanis Prouinciis, verùm etiam ex vniuerſa penè Italia, ac de tranſmarinis regionibus, ſimúlque ægrotantes non pauci Sanctorum interuentu exinde redierunt incolumes. Sed, vt ſæpiſſimè contigit, quoniam vnde humana vtilitas ſumit exordium, cupiditatis vitio impellente, exindè ſolet incurrere caſum. Nam prædicta vrbs conuentu populorum, vt diximus, gratia pietatis effecta opulentiſſima, conceperunt illius habitatores nimiam pro tanto beneficio inſolentiam. Siquidem mortuo ipſius ciuitatis Comite Frotmundo nomine, viro æquè ſimpliciſſimo, ſuſcepit eius filius Principatum ſatis nequam, res ciuiles C
diſpoſiturus. Nimium quippe flagitioſus effectus, Eccleſiæ inſuper decus, niſu quo valebat, fœdare tentabat. Iudæorum quoque in tantum præuaricatorias diligebat conſuetudines, vt ſe Regem ipſorum ſuo prænomine (Rainardus quippe dicebatur) ſuis omnibus imperaret. Cùm enim in ceteris mendaciſſimus, etiam Chriſtianæ fidei inſidioſus habebatur detractor. Atque ideò pauperum indicia abſque vlla promulgabat pietate, penitus humanitate remota. Nam rei, quam dicturus ſum, tot teſtes extiterunt, quanti in eadem ciuitate eo tempore viuebant homines. Comprehenſus aliquando flagitioſus quidam furtum faciens, ductúſque ad eum vt eius audientia, quid de eo faciendum eſſet, aſſignaretur. Qui ſtatim omni miſeratione remota ſuſpendi in patibulo illum adiudicauit. At ipſe qui deprehenſus fuerat lachrymabiliter prædictum Rainardum rogare cœpit, vt ei ad præſens vitam indulgeret, promitténſque ſe deinceps non latrocinaturum. Sed nequicquam. Crudelior quippe fiebat ſacramentis etiam ſe obſtringens, non vltra victurum obſecrantem ſe miſerum. Qui videns minimè poſſe prolatam de ſe immutare ſententiam, hoc ſolummodò impetrauit, vt prædicto fieret confeſſus ſuorum facinorum Epiſcopo: ſibique protinus morituro, quod huius miniſterio conceſſum eſt, clementer remitteret. Quod vt obtinuit, illico à nequam miniſtris compellitur ſuſpenſum iri. Eductúſque ad conſtitutum locum hæc verba ſæpius

ROBERTVS.

A iterabat: Domine Ieſu, qui in hac die pependiſti in cruce pro ſalute hominum, indulge mihi. Erat enim ille dierum ſextus, qui idcirco fidelibus vniuerſis reuerentior habetur. Eſto. vincitur, eleuatur, artatóque ſuſpenditur gutture. Cunctiſque ab hac funeſta, vt putabant, executione recedentibus, pendens velut exanimis manſit in diem alterum. Tunc nutu diuino ruptis ligaminibus ſuſcepit terra ſolutum hominem, pariter & viuum, qui cogebatur ſubire necem ſibi ſublatus per aëris vacua. Qui egreſſus ciuitatem, ſtupidum vniuerſis præbuit ſpectaculum. Sed heu! proh dolor! ad priſtina reuerſus flagitioſus euaſit. Cui rei ſimile fertur contigiſſe in Trecaſſina ciuitate non longo ante tempore. Nam dum quidam fures boues præ ſe minantes, à dominis boum inſequi ſe intellexiſſent, commiſerunt eoſdem boues viro cuidam ſeni & innocenti, quaſi victus neceſſaria quæſituri, re vera fugæ præſidium petentes euaſuri. Quod cùm feciſſent, ſtatim deprehenſus eſt ſenex cum bobus; trahitur, cæditur, ac reorum more vincitur. Ductúſque ad Principem ciuitatis, Comitem videlicet Heribertum, vult cauſam diſcutere. Non auditur. quin potius quaſi cruda ſenectute reus necis, ſuſpendio ab eodem Comite adiudicatur. Quodque etiam abſque vlla dilatione peractum eſt. Sed mox vt ſuſpendium pertulit, mirum in modum iuuenca magni & perualidi corporis, erecto corpore cornua ſuſpenſi plantis ſuppoſuit, ſicque per triduum ſine dolore viuum ſuſtinuit. Expletóque triduo, audiuit is qui pendebat, viatores iuxta prætereuntes

B ſermocinari ad inuicem. Qui exclamans voce qua potuit, ad deponendum ſe quantociùs venire rogabat. Illi verò audientes dæmonica fieri illuſione credebant. Proclamante quoque ipſo attentiùs, ſéque viuere affirmante, occurrerunt viri, ſoluentes illum depoſuerunt. Qui perductus ad ciuitatem, dum percunctaretur, quomodo tandem in patibulo pendens ſeſe habuiſſet, aiebat: Dum eſſem, inquiens, „ iunior, accepta iam coniuge, excepi cum ipſa oblatum mihi à quodam de ſacro „ fonte filiolum. cui etiam conſenſimus dare ex noſtra parua facultatula, quem ſo- „ lum de matre ſuſceperamus liberali gratia vitulum vnum. Vt enim pridem ſum di- „ miſſus celſa de trabe pendere, viſa eſt mihi grandior vniuerſis occurriſſe. extenſó- „ que corpore atque erecta ceruice leniter meis ſubmiſit cornua plantis, ac me hu- „ iuſinodi, quandiu pependi, ſuſtinuit. Hoc verò illo, qui ſeruatus à morte fuerat, „ referente, ad illius exemplum data eſt poſtmodum in giro filiolis fontis ſacræ fidei vitulorum innumera multitudo. Præterea Rainardo, vt diximus, iudaizante, quin potiùs inſaniente, ſuaſum eſt Regi, qui videlicet illum frequenter ob ſuam improbitatem redarguerat, vt ſcilicet tantæ ciuitatis Principatum regio ſubiugaret dominio, ne ſiquidem diutiùs vires peſſimi incrementi ſumeret ſcandalum ſacræ fidei. Qua ratione Rex compulſus, miſit exercitum, qui prædictum Rainardum à ciuitate pellerent, ſibique illam tuendam ſeruarent. Venientes verò qui miſſi fuerant à Rege, ceperunt vrbem cum nimia depopulatione. partem etiam eius non modicam incendio cremauere. Superauit ſiquidem magnitudinem prioris gaudij pro-

C merentibus flagitiis enormitas calamitatis.

De euerſione templi Hieroſolymorum, & cæde Iudæorum. CAP. VII.

EO quoque tempore, id eſt anno nono poſt præfatum milleſimum, Eccleſia, 1009. quæ apud Hieroſolymam ſepulchrum continebat Domini ac Saluatoris noſtri, euerſa eſt funditus iuſſu Principis Babylonis. Cuius videlicet euerſionis occaſio tale quod dicturi ſumus cognoſcitur exordium habuiſſe. Cùm enim de toto terrarum Orbe ob inſigne Dominicum memoriale plurima fidelium multitudo Hieroſolymam viſitaturi pergerent, rurſus cœpit inuidus diabolus per aſſuetam ſibi Iudæorum gentem veræ fidei cultoribus venenum ſuæ nequitiæ propinare. Erat igitur huius generis apud Aurelianenſem Galliarum regiam vrbem non modica multitudo, qui ceteris ſuæ gentis tumidiores & inuidi, atque audaciores ſunt reperti. Hi denique nequam conſilio inito corruperunt quendam data pecunia, videlicet girouagum, ſub peregrino habitu, nomine Robertum, fugitiuum vtique ſeruum beatæ Mariæ Melerenſis Cœnobij. Quem accipientes cautè miſerunt ad Principem Babylonis cum Hebraïcis caracteribus, ſcriptis epiſtolis, pictaciolis ferri baculo inſertis, ne quo caſu potuiſſent ab eo diuelli. Qui egreſſus detulit literas prædicto Principi refertas dolo & nequitia; & quoniam, niſi celeriùs domum

ROBERTVS. Chriſtianorum venerabilem ſubuerteret, ſciret ſe in proximum Chriſtianis Regnum illius occupantibus omni penitus dignitate carere. His verò Princeps auditis, protinus furore arreptus, miſit Hieroſolymam de ſuis, qui prædictum funditus ſubuerterent templum. Qui venientes fecerunt vt eis fuerat imperatum. Ipſum quoque concauum ſepulchri tumulum ferri tuditibus quaſſare tentantes, minimè valuerunt. Tunc etiam beati Martyris Georgij Eccleſiam in Ramulo pariter ſubuerterunt, cuius olim virtus Sarracenorum nimium gentem terruerat. Fertur enim crebrò illuc eos ingredi cupientes raptum cæcitatem pertuliſſe. Euerſo igitur, vt diximus, templo, poſt paululum manifeſtè claruit, quoniam Iudæorum nequitia tantum nefas ſit patratum. Vtque diuulgatum eſt per Orbem vniuerſum, communi omnium Chriſtianorum conſenſu decretum eſt, vt omnes Iudæi ab illorum terris vel ciuitatibus funditus pellerentur. Sicque vniuerſi odio habiti, expulſi de ciuitatibus, alij gladiis trucidati, alij fluminibus necati, diuerſiſque mortium generibus interempti, nonnulli etiam ſeſe diuerſa cæde interemerunt. Ita ſcilicet, vt digna de eis vltione peracta, vix pauci illorum in Orbe reperirentur Romano. Tunc quoque decretum eſt ab Epiſcopis atque interdictum, vt nullus Chriſtianorum illis ſe in quocumque ſociaret negotio. Si qui tamen de illis ad baptiſmi gratiam conuerti voluiſſent, omnémque Iudaicam reſpuere conſuetudinem vel morem, illos tantùm ſuſcipere decreuerunt. Quod & fecerunt plurimi illorum magis amore præſentis vitæ coacti metu mortis, quàm vitæ ſempiternæ gaudiis. Nam quicumque illorum ſeſe tales mentiendo fieri popoſcerant, paulò poſt ad morem priſtinum ſunt impudenter reuerſi. Præterea his ita geſtis, prædictus literarum baiulus ad natiuum malè ſecurus repedauit ſolum. Cœpit itaque ſedulò perquirere, ſi fortè quempiam gentis ſuæ fraudis conſciũ reperiret. Inuentis verò perpaucis in ciuitate Aurelianorum pauidè admodum degentibus, rurſus cœpit illorum familiariùs vti conſortio. Accidit igitur, vt quidam peregrinus eius in tranſmarino ſocius itinere, atque certiſſimè illius itineris conſcius negotij, illuc deueniret, rurſúſque illum Iudæorum amicitiis nimis hærere cerneret, palàm vniuerſis indicare curauit, quanti mali gerulus ille eſſet homoncio, ex cuius rei cauſa Iudæorum potiretur opibus. Qui ilicò comprehenſus, acriſque agitatus verberibus, propriæ dilationi confitetur crimen. Móxque à miniſtris Regis in conſpectu totius plebis extra ciuitatem igni eſt traditus atque conſumptus. Iudæi tamen profugi ac vagabundi, qui in locis abditis deliteſcentes prædictæ ſuperfuerant cladi, poſt quinquennium euerſionis templi cœperunt in vrbibus apparere perpauci. Et quoniam oportet, quamuis ad illorum proprium confuſionem, vt ex illis aliqui in futurum ſuperſint, vel ad confirmandum proprium nefas, ſeu ad teſtimonium fuſi ſanguinis Chriſti: idcirco verò credimus Chriſtianorum animoſitatem diuina diſpenſante prouidentia in eis ad tempus manſueuiſſe. Eodem nihilominus anno diuina propitiante clementia, cœpit mater ipſius Principis videlicet Ammirati Babylonis, mulier Chriſtianiſſima nomine Maria, reædificare Chriſti templum iuſſu eius filij euerſum, politis & quadris lapidibus. Nam & vir ipſius quaſi alter Nicodemus, pater huius ſcilicet, de quo præſens eſt ſermo habitus, occultè Chriſtianus dicitur fuiſſe. Tunc quoque de vniuerſo terrarum Orbe incredibilis hominum multitudo exultanter Hieroſolymam pergentes, domui Dei reſtaurandæ plurima detulerunt munera.

A B C

De hæreſi apud Aurelianos reperta. CAP. VIII.

1017. TERTIO de viceſimo infra iam dictum milleſimum anno reperta eſt apud præfatam Aurelianenſem vrbem cruda nimium atque inſolens hæreſis, quæ ſcilicet diutiùs occultè germinata, in perditionis ſegetem malè pullulans, plures in ſuæ cæcitatis præcipitauit laqueum. Fertur namque à muliere quadam ex Italia procedente, hæc inſaniſſima hæreſis in Galliis habuiſſe exordium, quæ vt erat diabolo plena, ſeducebat quoſcumque volebat, non ſolùm idiotas & ſimplices, verùm etiam pleroſque, qui videbantur doctiores in Clericorum ordine. Quæ ſcilicet veniens ciuitatem Aurelianenſem, dum moraretur ibi per aliquod ſpacium temporis, veneno ſuæ nequitiæ plures infecit. Quod etiam ſeminarium nequam in pluriores hi qui ſuſceperant toto conamine ſpargere nitebantur. Fuerunt nempe huius peruerſi dogmatis Hæreſiarches duo, heu proh dolor: qui in ciuitate pu-

A tabantur genere ac ſcientia valentiores in Clero; quorum vnus Heribertus, alter Liſoius dicebatur. Hi denique quandiu res latuit, tam apud Regem, quàm apud Palatij Proceres ſummam obtinuerant amicitiam. Nempe idcirco faciliùs quoſque decipere potuerunt, quorum mentes amor fidei vniuerſalis minùs adſtrinxerat. Qui non ſolùm in prædicta vrbe, ſed etiam in vicinis vrbibus malignum dogma ſpargere tentabant, dum quendam ſanæ mentis in Rotomagorum ciuitate Presbyterum cupientes ſuæ conſortem facere veſaniæ, miſſis Legatis qui ei omne ſecretum huius peruerſi dogmatis explanantes, docerent. Dicebant nempe fore in proximum, in illorum ſcilicet dogma cadere populum vniuerſum. Quibus compertis, Presbyter ſollicitè perrexit ad Chriſtianiſſimum Comitem eiuſdem ciuitatis Richardum, expoſuit ei omnem rei, vt compererat, ordinem. Qui videlicet Comes protinus miſit celeriter ad Regem, palam ei faciens clandeſtinam in Regno proprio Chriſti ouium peſtem. Vt autem cognouit Rex, ſcilicet Robertus, vt erat doctiſſimus ac Chriſtianiſſimus, triſtis ac mœrens nimium effectus, quoniam & ruinam patriæ re vera & animarum metuebat interitum: idcirco quantocius Aurelianis properans, conuocatis plurimis Epiſcopis & Abbatibus, ac religioſis quibuſque laicis, acerrimè cœpit perſcrutari, qui eſſent auctores huius peruerſi dogmatis, vel qui parti illorum iam decepti conſentirent. Facta igitur perſcrutatione inter Clericos, quomodo vnuſquiſque ſentiret, & crederet ea, quæ fides Catholica per doctrinam Apoſtolicam incommutabiliter ſeruat & prædicat, illi duo, videlicet Liſious & Heribertus, ſtatim ſe aliter ſentire non negantes, quales diu latuerant, manifeſtauerunt.

B Deinde verò plures poſt illos ſe parti iſtorum profitebantur hærere, nec vlla ratione ſe poſſe affirmabant ab illorum ſegregare conſortio. Quibus compertis, tam Rex quàm Pontifices triſtiores effecti interrogauerunt illos ſecretiùs, vtpote viros hactenus in omni morum probitate perutiliſſimos, quorum vnus Liſoius in Monaſterio ſanctæ Crucis Clericorum chariſſimus habebatur: alter idem Heribertus ſancti Petri Eccleſiæ, cognomento Puellaris, capitale Scholæ tenebat dominium. Qui dum interrogati fuiſſent, à quo vel vnde eis iſta præſumptio accidiſſet, huiuſmodi dederunt reſponſum: "Hoc enim diu eſt quòd ſectam, quam vos "iam tardè agnoſcitis, amplectimur, ſed tam vos quàm ceteros cuiuſcunque legis "vel ordinis in eam cadere expectauimus. quod etiam adhuc fore credimus. His dictis, continuò palam expoſuerunt omnium antiquarum ſtultiſſimam ac miſerrimam, nempe ſui deceptricem, hæreſem. Cuius videlicet ratiocinatio tantò minus erat idoneis ſermonibus obnixa, quantò conſtat eſſe illi ter veritati contrariam. Dicebant ergo deliramenta eſſe, quicquid in veteri ac nouo Canone certis ſignis ac prodigiis veteribúſque teſtatoribus de trina vnáque Deitate beata confirmat auctoritas. Cœlum pariter ac terram, vt conſpiciuntur, abſque auctore initij ſemper extitiſſe aſſerebant. Et cùm vniuerſarum hæreſum inſanientes, canum more latrantes deterrima, in hoc tantum Epicureis erant hæreticis ſimiles: quoniam voluptatum

C flagitiis credebant, non recompenſari vltionis vindictam. Omne Chriſtianorum opus, pietatis duntaxat & iuſtitiæ, quod æſtimatur precium remunerationis æternæ, laborem ſuperfluum iudicabant eſſe. Interea his aliiſque quamplurimis inſaniis impudenter ab eiſdem prolatis, defuere fideles atque idonei teſtes veritatis, qui illis ſufficienter ſe vellent tam veritati quàm propriæ acquieſcere ſaluti, reſpondere de ſuis cæcis atque erroneis aſſertionibus valerent.

SED & nos quoque ſecundum exiguitatem noſtri intellectus, his, quos prænotauimus, illorum erroribus vel per pauca reſpondere decreuimus. Primitus tamen fideles hortamur vniuerſos, vt interim mentes illorum præſagium ſerenet Apoſtoli, qui præuidens in futuram huiuſmodi cautelam intulit. *Oportet*, inquit, *hæreſes eſſe. vt ij qui ex fide ſunt probentur.* In hoc igitur permaximè iſtorum inſipientia deprehenditur, atque ipſi omni ſcientia ac ſapientia vacui pernoſcuntur, cùm negent creaturarum, auctorem vniuerſarum, ſcilicet Deum. Quoniam manifeſtum eſt, quòd omne, quantæcunque ſit molis vel magnitudinis, ſi cuiuſque ſuperatur magnitudine, à maximo omnium cognoſcitur proceſſiſſe. Pari quoque ratione ſciendum eſt, tam de re corporea quàm incorporea. Sciendum etiam, quoniam quæcunque res ſiue corporalis ſiue incorporalis, per quodlibet accidens, vel motione, vel cuiuſlibet alternitate ſit diuerſa ab immobili rerum præceptore, conſtat eam proceſſiſſe per ipſum, & ſi fortè quieuerit finem expetere. Cùm enim totius con-

ROBERTVS ditor creaturæ propria eſſentia ſit immobilis, propria eſſentia bonus, ſimúlque verax, ſua omnipotentia naturarum modos diſtribuens, ordinánſque ineffabiliter: non extat præter eum, vbi quietem expetant, niſi vnde proceſſerant redeant. Maniſeſtúmque eſt nihil in vniuerſis factori deperiſſe, niſi illud, quod procaciter ab illo conſtitutæ tranſcendit ordinem naturæ. Et idcirco omnis res tantò meliùs veriúſque eſt, quod illam conſtat eſſe, quantò ſolidiùs firmiúſque in propriæ naturæ ordine conſiſtit. Sicque fit, vt vniuerſa quæ illius diſpoſitioni incommutabiliter obediunt, continuè ſeruiendo auctorem prædicent. Si qua verò res procaciter ab eo deuiando in deterius cecidit, ceteris iure manentibus documentum præbuit. In prædictis videlicet creaturis quoddam medium continet genus hominum, potius ſcilicet cunctis animantibus, atque inferius cœleſtibus ſpiritibus. Quod vtique genus, vt diximus, velut medium ſuperorum inferorúmque, ſi cui parti plus adhæſerit, illi efficitur conformis. Ideóque tantò infimis potius atque melius efficitur, quantò ſupernorum ſpirituum naturam imitatur. Soli etiam homini datum eſt, præ ceteris animantibus fore ſeſe beatius, quoniam quidem & illum duntaxat, ſi caruerit omnibus fieri deuenire miſerius. Quem videlicet conditionis ordinem cautè ab initio prouidens omnipotentis bonitas Conditoris, cernénſque ſæpiùs eundem videlicet hominem deſerendo ſupera, inuolui nimium infimis, fecit proinde plura identidem pro tempore ad eruditionem illius gratia erectionis prodigia. Huius quoque rei teſtis vel documentum extat omnis diuinarum liber vel pagina literarum. Quæ ſcilicet literæ ipſius Omnipotentis magiſterio repertæ, cùm eius ſpecialiter multimoda gerant teſtimonia, mentem etiam, ſeu intellectum hominis in eiſdem eruditi ad cognitionis reſpectum ſui erigunt conditoris. Denique dum eidem homini depoſitæ oſtendunt ſuper quæ ſit conſtitutus, aut ſub quibus poſitus, inexplebile ingerunt ei deſiderium: quoniam tantum ei incipiunt diſplicere vniuerſa quæ adſunt, quantum incaleſcit ad amorem illorum quæ deſunt. ſitque tantò melior atque pulcrior, quantò his per amorem hæſerit vicinior. Atque in quantum melior, in tantum illi, qui ſummè bonus extat, creatori ſimilior. Et idcirco patenter datur intelligi, quoniam quiſquis hominum huius amoris vacuus fuerit deſiderio, omni proculdubio fiet pecude miſerior ac deterior. Quippe qui ſolus præ cunctis animantibus æternitatis potuit conſequi beatitudinem, nullum præter eum corporale animal proprij erroris vel flagitij æternam ſentiet vindictam. Sed & ſi cuius hominis animus ſui conditoris cognitionem deſiderat, expedit vt primum ſtudeat, qualiter ſeſe vt præualueqr intelligat. Quoniam ſicut non contemnenda teſtatur auctoritas, quod in ea parte præcipuè gerit homo ſpeciem conditoris, qua valet præ ceteris animantibus dono atque virtute rationis. Sed & ſicut rationis bonum cuſtodiunt ſui moderamen & auctoris dilectio, id eſt vera humilitas & perfecta charitas, ita illius adnullant vtilitatem nequam concupiſcentia & furor. Hiſque non repugnando efficitur homo beſtiis ſimilis, illis inſeruiendo conformatur ad ſpeciem vel imaginem conditoris. vt videlicet per humilitatem ſeſe quid ſit intelligat, per dilectionem verò in boni conditoris ſimilitudinem tranſeat. Ob id etiam conſtituuntur ei ſolummodo ab hominibus preces & donaria, vt vel illis donum rationis ſeruet integrum, ſeu quod minus eſt aut deprauatum conditoris bonitas augeat & reformet. Simul etiam laus & benedictio exhibentur eidem conditori, vt fiant hominibus ſana mente ac ratione vigentibus illius teſtimonium cognitionis. & quantò plus cuique contigerit in conditoris cognitionem proficere, tantò magis reperiet idem homo ſe ipſum per eandem cognitionem & plus & melius effectum eſſe. Nec iſdem poterit in aliquo conditoris ſui opere exiſtere blaſphemus, qui illius cognitione omnimodis melior quàm extiterat fuerit effectus. Atque ideò maniſeſtum eſt, quoniam quicumque illius operationis blaſphemus extitit, eiúſ cognitionis alienus fuit. Vnde etiam certiſſimè comprobatur, quoniam ſicut ad ſummum bonum deducit omnem hominem creatoris cognitio, ſic demergit ad extremum malorum illius ignoratio. Nam plures illius beneficiis per inſipientiam ingrati, ac miſericordiæ operibus illudentes, atque increduli, pecudibus deteriores effecti, qui etiam in ſuæ cæcitatis caliginē perpetuò ſunt demerſi. Et quod pleriſque contigit, factum in ſuæ ſalutis maximum remedium, exinde ſibi alij adquiſiere præeunte culpa æternum detrimentum. Hoc perſpicaciſſimè & permaximè claret in omnipotentis Patris ſingulari gratia, ſponte de cœlo hominibus

A ab eo in mundo miſſa per ſuæ Maieſtatis atque Deitatis coæternum Filium, videlicet Ieſum Chriſtum. Qui ſcilicet cum Patre æquè origo omnis vitæ & veritatis atque bonitatis exhibuit ſe planè credentibus. Quibúſque à ſeculis incognitum, occultis ænigmatibus inuolutum, de ſe etiam teſtimonium perhibentium ſcripturarum, adimplebile documentum. In quo etiam veracibus verbis & prodigiis ſeipſum, & ſuum Patrem, atque eorum Spiritum in tribus diſcretè certiſſimis perſonis vnum idem eſſe, id eſt vnius æternitatis & potentiæ, vniúſque voluntatis atque operationis, & quod idipſum totum eſt, vnius bonitatis, & per omnia coæqualis eſſentiæ. Ex quo ſcilicet, & per quem, & in quo ſunt omnia, quæ verè eſſe habent, plenum ſemper & æquale ſubſiſtens, ante omnia temporum curricula rerum principium. Cuius etiam tota plenitudo per omnia; & finis omnium. Sed cùm ipſe Omnipotens in quodam creaturarum medio; videlicet in homine, ſuam expreſſiſſet imaginem, illúmque proprio dimiſiſſet arbitrio, inſupérque omnia mundi optima illius ditioni ſubdidiſſet, neglecto propriæ conſtitutionis moderamine, ac plus quippiam vel aliud quàm auctoris voluntas illum decreuerat, ſeſe exiſtimans fore; continuò tantò deterior eſt effectus, quantò præſumptior. Ad cuius potiorem etiam reformationem idem conditor perſonam filij ſuæ Deitatis miſit in mundum, ſui præformatam ſumere imaginem. Quæ ſcilicet quantò vtilior ac decentior, tanto ſubtilior ac mirabilior. Quam etiam plerique hominum non valentes, ſeu minus volentes credere, vel amare, vt ſic tandem in illa ſuæ ſalutis ſufficientiam potuiſſent intellectam reperire: potiúſque diuerſis impliciti erroribus tantò extiterunt veritatis rebelles, quantò probantur illius cognitionis expertes. De quorum proculdubio ſorte ſunt vniuerſæ hæreſes, vel quorumcunque errorum ſectæ in toto terrarum orbe. Quibus ſcilicet omnibus; niſi conuerſi ſequantur Ieſum geſta plenitudine, melius fuerat non fuiſſe. At quorum mens plena fide, amando & credendo illi obediuit, tantò meliores ex eo effecti, quantò perfectiùs adhæſerunt illi, qui eſt initium & perfectio totius boni. Ex his nempe conſtat tota Sanctorum laudabilis ſumma, quorum venerabilis memoria vniuerſa ſeculorum ornat tempora. Quibus etiam datum eſt cum vniuerſorum creatore perenne & felicitet eſſe, & viuere, illiúſque ſemper agnitionis viſione beatiores fore. Nos igitur tandem credimus, vt ſpoponderamus, his paucis illorum damnatorum inſaniæ ſufficienter reſpondiſſe. Præterea cùm à pluribus omni ſagacitate laboratum fuiſſet, qualiter depoſita mentis perfidia, veram & vniuerſalem reciperent fidem, atque illi omnimodis ſe facere denegarent, dictum eſt eis, quoniam niſi celeriùs ad ſanam fidei mentem redeant, Regis iuſſu & vniuerſæ plebis conſenſu igne eſſent protinus crematuri. At illi malè in ſua confiſi veſania, vel pertimeſcere ſe iactantes, ſéque euaſuros ab igne illæſos promittentes, quin potiùs ad meliora ſibi ſuadentibus, ſpernendo illudebant. Cernens quoque Rex & vniuerſi qui aderant, minus poſſe illos reuocari ab inſania, iuſſit accendere non longe à ciuitate ignem
C permaximum, vt vel eo fortè territi à ſua malignitate deſinerent. Ad quem cùm ducerentur, rabida adacti dementia, ſe omnimodis hoc velle proclamabant, ac ſeſe vltrò ad ignem trahentibus inferebant. Quibus ad vltimum numero XIII. igni traditis, cùm iam cœpiſſent acriùs aduri, cœperunt voce quâ poterant ex eodem igne clamare, ſe peſſimè deceptos arte diabolica nuper de vniuerſorum Deo ac Domino malè ſenſiſſe, & ob hanc ab eiſdem illatam ei blaſphemiam illos temporali atque æterna vltione torqueri. His verò plures è circumſtantibus auditis, humanitatis pietate permoti accedentes, vt vel ſemiuiuos ab igne eriperent, minimè valuerunt, quoniam vindice flamma conſumente illos, continuò in puluerem ſunt redacti. Si qui verò poſtmodum huius peruerſitatis ſectatores fuerunt reperti, ſimili vltionis vindicta vbique fuerunt perditi. Præterea venerabilis Catholicæ fidei cultus, extirpata inſanientium peſſimorum veſania, vbique terrarum clarior emicuit.

De filiis Regis eiuſdem. CAP. IX.

SVSCEPIT igitur præfatus Rex de ſuprascripta coniuge ſua filios quatuor, prouidúſque de Regni ſucceſſu, elegit regnare poſt ſe illorum primogenitum HVGONEM nomine, puerum adhuc, clariſſimæ indolis illuſtrem. Cúmque de

ROBERTVS. ipſius ſacrando ſublimio Primates Regni ſagaciores conſuluiſſet, tale ei dedere A
„ reſponſum: Sine puerum, Rex, ſi placet, creſcendo procedere in viriles annos,
ne veluti de re geſtum eſt tanti Regni pondus infirmæ committas ætati. Erat autem
idem puer fermè decennis. Qui minimè illorum acquieſcens dictis, matre præci-
puè inſtigante, regio in Compendio adſcitis regni Primoribus coronam, vt decre-
uerat, ex more à Pontificibus fecit puero imponi. In proceſſu quoque temporis
cùm adoleuiſſet, cernens ſe nil dominij rei peculiaris præter victum & veſtitum ex
Regno, vnde coronatus fuerat, poſſe mandare, cœpit corde triſtari, atque apud
patrem, vt ei quippiam dominij largiretur, conqueri. Quod eius mater compe-
riens, vt erat auariſſima, maritique magiſtra, fieri renitens, inſuper conuitiis ac ma-
ledictis iuuenem laceſſebat. Et ſicut quidam ait; *Nous ingenium mulierum, cùm ve-
lis, ipſa nolit: at ſi nolis, cupiet vltro.* Nam quæ priùs, ne faſtu Regni careret aliquo,
ingruente mariti infortunio, contra omnium ſola decretum ſublimauit puerum,
poſtea toto mentis niſu, ac ſi hoſtem alienigenam turpabat illum verbis & operibus.
Ille verò cernens ſe non poſſe diutiùs talia æquanimiter tolerare, iunctis ſecum ali-
quibus ſuæ ætatis iuuenibus, cœpit infeſtari ac diripere ad libitum res genitorum.
Tamen paulò poſt Dei nutu in ſe reuerſus, ad genitores rediens, humili eos ſatis-
factione beneuolos erga ſe reddidit. Tunc demum ab eiſdem largitur illi; vt opti-
mum decebat filium, ius vbique ac poteſtas Regni. Sed qualis & quantus poſtmo-
dum extitit, præſenti ſtilo nequit explicari. Quàm humilis ac dulcis eloquio, patri
ac matri ſeruis obedientior, pauperum largus dator, Monachorum & Clericorum B
conſolator, necnon apud patrem cunctorum rogantum fideliſſimus interuentor,
quàm affluenter in cunctis optimis melior, quis valet exequi relator? Huiuſmodi
enim fama vbique Prouinciarum percitus peroptabatur à multis, præcipuè ab Ita-
licis, vt ſibi imperaret, in Imperium ſublimari. Nam & ex cognomento proaui,
Magnus Hugo dicebatur à cunctis. Dum igitur incomparabili mentis ſimul ac cor-
poris decore floreret, exigentibus maiorum flagitiis, repentè illum mors inuida
mundo ſubripuit. Sed quale iuſtitium contigit vniuerſis, nullo ſermone valet ex-
primi. De cuius etiam funere ſubſequentes Iambicos rogatus à Fratribus ce-
cini.

Plaſmator parce mæſtis mundialibus;
Succurrat fletus intimis doloribus:
Paſcat mærentes ſingultuum gemitus,
Humanum decus dum rapit interitus.
Annis florebat mundo iuuenilibus,
Ter denis minus excreuerat duobus,
Regnorum lumen HVGO, *Regum maximus.*
Quem nox funeſta inuidit hominibus.
Non alter noſtro talis emicat æuo,
Regnis ſpectatus, adſcitus Imperio. C
Bellorum tanto decoretur triumpho,
Vigore pars valeat corporeo.
Quo gens Francorum vigebat lætabunda,
Fideique pace tota ſimul Gallia.
Omnis quem prona poſcebat Italia,
Cæſar vt iura promeret Regalia.
Sed te non noſtra, iuuenum pulcherrime,
Heu! proh dolor! tempora meruere.
Quibus inundant malorum miſeria,
Vires bonorum corruunt aſſiduè.
Tu dolor matris, calamitáſque patris,
Crudele nimis monimentum germanis:
Mæror communis cunctis in Palatiis,
Iuſtitiúmque populorum vltimis.
Leone preſſo, Virgo Solem ceperat,
Tua cùm dirus membra pallor occupat.
Denis diebus ſorte fit lux ſeptima,
Te patri fama perdidiſſe nunciat.

Iam

A *Iam ſeculorum cerne rector optime* | Robertvs.

Gentem Francorum qui regat iuſtiſſimè;
Hoſtémque ſæuum valeat repellere;
Pactum quietis illi da perpetuæ.

Qui in eadem qua primitus coronatus fuerat Eccleſia, beati Martyris Cornelij videlicet, regio in Compendio eſt ſepultus. Poſt cuius obitum cœpit iterum idem Rex tractare, quis potiſſimum ex reſiduis filius poſt ſe regnare deberet. Conſtituerat autem ſecundum Burgundiæ Ducem Henricvm nomine poſt Hugonem natum, ipſúmque decreuit pro fratre in Regnum ſublimare: Sed rurſum mater muliebri animoſitate agitata, tam à patre quàm à ceteris, qui parti illius fauebant, diſſentit, dicens: Tertium ad regni moderamen præſtantiorem fore filium, qui & Roberti patris nomine cenſebatur. Hoc quippe inter fratres ſeminarium diſcordiæ fuit. Coadunatis denique Rex metropoli Remis Regni Primatibus, ſtabiliuit Regni coronæ Henricum, quem delegerat. Tunc demum poſt aliquod temporis ſpacium, illi duo fratres firmato amicitiæ fœdere, præcipuè ob inſolentiam matris cœpere vi inuadere vicos & caſtella ſui patris, ac circumcirca diripere quæ poterant bonorum illius. Nam ille, quem Regem fecerat, Drogas illi caſtrum ſubripuit: alter verò in Burgundiæ partibus Aualonem atque Belnenſem *. Pro quibus Rex graui turbatus amore, colligens exercitum aſcendit Burgundiam. bellum

* al. Bellenſem.

B plus quàm ciuile patratur. Interea cùm ſuper his venerabilem patrem VVillelmum conſuluiſſet, apud Diuionenſi caſtro, quid agere deberet: oránſque, vt erat vir totius manſuetudinis & pietatis, qualiter tam pro ſe quàm pro illis Dominum oraret, tale reſponſum ab eodem ſuſcepit: Meminiſſe te, ô Rex, conuenit iniuriarum op- «
probriorúmque patri ac matri à te illatorum in tua iuuentute, quoniam talia tibi «
iuſto iudice Deo permittente, à filiis ingeruntur, qualia tu ipſe genitoribus ingeſ- «
ſiſti. Hæc audiens Rex, patientiſſimè tulit: ſéque vltro culpabilem clamans, non negauit. Deinde poſt obſidionem ac depopulationem vtriuſque Prouinciæ, ad pacem redeuntes, pauliſper quieuerunt. Anno quoque ſequenti menſe Iulio Robertus Rex apud caſtrum Meledunenſe diem clauſit extremum. delatúmque eſt corpus eius ad Eccleſiam ſancti Dionyſij Martyris, ac in eadem ſepultum. Tunc rurſus oritur inter matrem & filios rediuiua diſcordiæ crudelitas, ac præteritarum irarum fræna laxant inueterata odia. Diu multúmque vaſtando res proprias, debacchatum eſt, donec Fulco Andegauorum Comes, cognatus * ſcilicet ipſorum, matrem redarguens: Cur beſtialem veſaniam erga filios exerceret, vtrumque parentem in pacem reduceret. Sequenti verò anno eodem menſe, atque in eodem caſtro, quo Rex obierat, & ipſa obiit, indéque portata eſt ad ſancti Dionyſij Baſilicam, ac iuxta Regem ſepulta. Henricvs nempe Rex paternis rebus potitus, germanum ſuum Robertvm conſtituit Burgundiæ Ducem. Præterea cùm idem Rex rempublicam viuaci mente & agili corpore Regni ſui diſcuteret, tunc contigit

* al. auunculus.

Henricvs I.

C vt Leotericus Senonum Archipræſul obiret. Ille verò vnum de ſuæ gẽtis nobilibus conſecrari mandauit, atque in eius loco ſubrogari. Sed Odo rerum ditiſſimus, licèt fide pauper, alterum è contra delegerat, ne iùs regium hac in parte foret integrum. Nam qui viuenti patri Roberto multa tam vi quàm calliditate ſubripuerat, arte ſimili filiis facere cupiebat. Cùm enim primitus ciuitates, Trecorum videlicet ac Meldorum, cum multiplicibus caſtris, illi præripuiſſet; poſt mortem eius coniugi & filiis illius Senonicam ſubripuit vrbem. quam etiam tunc aduerſus illos infamis poſſeſſor vallauerat. Quod cernens Henricus, acra animi ferocitate tamdiu illum inſecutus eſt debellando, quouſque genu flectens ei ſe ſubderet, eiúſque ditioni obediens pareret. Erat enim iſdem Odo natus ex filia Chuonradi Regis Auſtraſiorum Berta nomine, licet à patris ſui proauis obſcuræ duxiſſet genus lineæ. Et quoniam Regi Rodulfo, auunculo ſcilicet eius, non erat proles vlla, quæ foret Regni hæres, præſumpſit ipſo viuente, vi potius quàm amore, Regni habenas præripere. cõferens inſuper multa donaria, vt ei aſſenſum præberẽt Primores patriæ. Sed nequicquam. Domini eſt enim Regnum, & cuicumque voluerit, dabit illud. Eſt etiam Prouerbium, Secundum fidem hominis erit amicus illius. Gens enim præcipuè Regni eiuſ- «
dem aſſertionem fidei floccipendit, & fœdus pro nihilo ducit. Extitit igitur poſt mortem Henrici Imperatoris, qui fuit nepos Regis Rodulfi, Chuonradus de quo in ſubſequentibus narrabimus, habens in coniugio neptem præfati Rodulfi. ob hoc

HENRICVS I.

maximè valenter reſiſtens contradicebat Odoni. Quorum etiam lis acerrima Re- A
gni vtriuſque maximam fecit depopulationem. Ad vltimum denique cùm iam in
conſpectu Dei excederet menſura tanti mali, collecto vndecumque exercitu per-
maximo, conſcendit Odo in Tullenſem pagum, quem iam ſæpiùs depopulauerat,
ibíque oppugnans cepit Barrenſe caſtrum, cum magna tamen diremptionis euer-
ſione totius Prouinciæ. Cúmque in eodem caſtro locatis militibus ad cuſtodiam
fermè quingentis, vt tamen ipſe quantociùs ad propria repedaret, vtpote qui curis
agitabatur innumeris. Præſtolabantur itaque illum Legati ex Italia directi, defe-
rentes ei arram Principatus, vt agebant, totius Italię regionis. Contempſerant enim
ſuum Principem, prædictum videlicet Chuonradum Mediolanenſes, coniuratio-
ne facta aduerſus eum, iunctis ſibi quos poterant ex ciuitatibus in circuitu. Exiſti-
mabant quoque eundem Odonem poſſe percipere Regnum Auſtraſiorum, atque
ad eos tranſire, vt illis gereret Principatum. Sed ſicut ait Manufortis inſignis præ-
centor bellorum Domini: *Deiecisti eos*, inquiens, *dum alleuarentur*, ita contigit. Nam
ſubitò Gocilo Dux totius primæ Rhetiæ regionis cis Renum cum exercitu nimio
in eum irruens, omnem Odonis exercitum in fugam vertit. licèt ex vtraque parte
plurima multitudo moriens corruerit. Tunc denique & ipſe Odo miſerrimè inte-
riit; cuius lacerum cadauer Rogerius Gatalonorum Præſul, habens ſecum virum
venerabilem Abbatem Richardum, à cæde ſuſcipiens vxori reddidit. [* Narrant
etiam pleríque, quòd corpus eius diu multúmque quæſitum inueniri non potuit;
donec vxor eius veniens tali interſignio inuenit. Habebat enim verrucam inter ge- B
nitalia & anum.] Quod ſic inuentum accipiens, direxit illud Turonis, ibiq; ſepul-
tum eſt iuxta patrem ſuum in atrio ſancti Martini ſuperioris Cœnobij. Et quidem
finis Odonis talis extitit. Quem idcirco huic ſeriei intexere voluimus, qualiter in
præſentiarum cognoſceretur rerum creator iuſtiſſimus potẽter explere, quod olim
Theſmoforo ſuo Moyſi promiſit. *Ego*, inquiens *Dominus*, *qui iudico peccata patrum
in filiis in tertiam & quartam generationem*. Tertius namque hic Odo, de quo à no-
bis ſermo ſuperior eſt habitus, nepos fuit illius Tebaldi Carnoti Comitis, cui co-
gnomen Tricator fuit. Hic nempe quondam iunctus Arnulfo Flandrenſi Comiti,
expetẽs per Legatos VVillelmum Rothomagotum Ducem velut ad familiare col-
loquium pacis, promittens ſe ex parte Regis Francorum ſeu Hugonis Magni, qui
fuerat filius Roberti Regis, quem Otto Dux Saxonum, poſtea verò Imperator Ro-
manorum, Sucſſionis interfecit, ei vtilia eſſe dicturum. At ille quoq; vt erat vir in-
nocens, licèt potentiſſimus, vbi illi cõſtituerat, per fluuiũ Sequanæ euectus nauigio,
velociter illi affuit. Qui dum ſimul conueniẽtes, irruunt in amplexus, vnus ſimplici-
tate re vera, ceteri dolo illecti, ſimulatę pacis atq; amicitiæ miſcuere colloquia. Poſt
finem verò inſimulatorum verborum cœpto receſſu, iam longiuſculè progrediente
VVillelmo, reuocauit eum Tebaldus quaſi ſecretiora adhuc ei loquens crediturus,
ſeu cariùs valedicturus. At ille remum dextra accipiens, prohibuit vt nemo ſuorum
exiens eum ſequeretur, exiliuit ad ripam. Tebaldus quoque illum appropinquans, C
quaſi aliquid locuturus, ilico exerta, quam ad hoc tulerat ſub pallio, ſpata, vno ictu
à corpore caput decuſſit. Quod cernentes qui cum VVillelmo venerant, remigan-
do fugam arripiunt. nunciauere Rothomagenſibus vt contigerat. Erat enim VVil-
lelmo filius ex concubina Richardus nomine, tamen adhuc adoleſcens. Quem ac-
cipientes ſui ſtatuerunt pro patre Principem Regni. Tebaldus nempe patrato ſce-
lere concitus perrexit ad Heribertum Trecorum Comitem, petens ab eo ſororem
ipſius dari ſibi in coniugium, vxorẽ ſcilicet prædicti VVillelmi quem interfecerat.
At ille ſtatim promiſit dari, vocans eam ad colloquium ſui, quæ nondum genuerat
prolem, quaſi conſolaturus ex damno mariti, tradidit illam Tebaldo, deteſtabile
ſatis in coniugium. Ex qua genuit Odonem, patrem videlicet iſtius, cuius finem te-
terrimum ſupra diximus. Illud etiam commemorari in calce tertij Libelli placuit,
qualiter vindex diuina poteſtas totius boni moderatrix, inſolentiæ humani generis
vel vltrix in præſentiarum extiterit. Olim igitur circa milleſimum incarnati Verbi
annum, cùm Rex ROBERTVS accepiſſet ſibi Reginam CONSTANTIAM à partibus
Aquitaniæ in coniugium, cœperunt confluere gratia eiuſdem Reginæ in Franciam
atq; Burgundiam, ab Aruernia & Aquitania homines omni leuitate vaniſſimi, mo-
ribus & veſte diſtorti, armis & equorum phaleris incompoſiti, à medio capitis nu-
dati, hiſtrionum more barbis raſi, caligis & ocreis turpiſſimi, fidei & pacis fœdere

* In vno Cod. addita ſunt ſequentia in margine, ſed recentiore manu.

A omnino vacui. Quorum itaque nefanda exemplaria, heu! proh dolor! tota gens HENRICVS I.
Francorum nuper omnium honeſtiſſima, ac Burgundionum ſitibunda rapuit, donec omnis foret nequitiæ & turpitudinis illorum conformis. Si quilibet verò religioſus ac Deum timens talia gerẽtes compeſcere tentauiſſet, ab eiſdem inſania notabatur. Sed vir integerrimæ fidei ac conſtantiæ pater, videlicet VVillelmus, quem iam ſupra commemorauimus, reiecto pudore, ſumptáque ſpiritali inuectione, Regem pariter ac Reginam, cur talia in ſuo Regno permitterent fieri, acerrimè increpauit. quippe quod cęterorũ honeſtiſſimum honore & religioſitate diutius claruerat Regnorum. Ceteros quoque inferioris gradus ſeu ordinis ita redarguens comminabatur, vt plerique monitionibus illius coërciti, relicta ſuperſtitioſa vanitate, in priſtinum ſe reformarent vſum. Aſſerebat igitur idem Abbas, hæc omnia molimina calteria eſſe ſathanæ. Ac ſi quis hominum talibus inſigniis calteriatus ex hoc ſeculo migraſſet, difficulter à diaboli vinculis poſſe eripi. In pluribus tamen nequam vſus conualuit, cuius etiam deteſtans elogium paucis Heroïcis pernotaui:

Anno poſt Dominum terris de Virgine natum
Milleno, grauibus homines erroribus acti,
Dum cupimus rerum ſpecies intendere plures,
Præteritíſque placet ſtudiis componere mores,
Obiectat ſeſe nouitas incauta periclis.
Ecce priora ſibi rident, & tempora noſtri
B *Ludicra, quæque probris ſociant, tumque vſibus aptant*
Turpia nec horrent, animis & ferta calcant.
Quæ iuſtos rexere viros, honeſta refutant.
Corpore peruerſo creat hæc nunc vita tyrannos,
Trunca veſte viros, ſine fœdere pacis ineptos.
Conſilio muliebre gemit Reſpublica laxa.
Fraus, raptus, quodcumque nefas dominantur in Orbe.
Nullus honor Sanctis, nulla eſt reuerentia ſacris.
Hinc gladius, peſtíſque fames, populantur vbique.
Nec tamen impietas hominum correcta pepercit.
Ac niſi magna Dei pietas protenderet iram,
Infernus hos terricrepo conſumeret ore.
Hoc habet infelix peccandi conſuetudo,
Quòd plus quis peccat minus hic peccare paueſcat,
Quiſque minus peccat, magis hic peccare timeſcat.

EXPLICIT LIBER III.

C

LIBER QVARTVS.

POST *multiplicia prodigiorum ſigna, quæ tam ante quàm poſt; circa tamen annum Chriſti Domini milleſimum in Orbe terrarum contigere, plures fuiſſe conſtat ſagaci mente viros induſtrios, qui non his minora propinquante eiuſdem Dominicæ paßionis anno milleſimo fore prædixere. quod vtique euidentiſſimè contigit. Mortuo quoque, vt iam diximus, Henrico piiſſimo Imperatore, cui ſcilicet nulla proles extitit, qui in Regnum poſt illum ſuccederet, nonnulli ſeſe inferre tentantes de Primatibus, qui tamen potiùs vt Regni corona fulgerent, quàm profectum reipublicæ moderaménque iuſtitiæ exercerent. Præ cunctis ergo quidam Chounradus, quem ſuperiùs taxauimus, audax animo, & viribus ingens, ſed fide non multum firmus. Cùm enim diu multúmque de conſtituendo Regni Principe, ac præcipuè inter Præſules, tractatum fuiſſet, viſum eſt eis ipſum Chounradum debere eligere, niſi quòd vnum intererat, propter quod Henricus etiam illum valde exoſum ha-*

HENRICVS I. *buerat. Habebat enim coniugem, quæ illi erat affinis, quam etiam primitus quidam cognatus ipſius duxerat. Præterea innotuerunt ei Pontifices, quid potiſſimum vellet, aut tale coniugium, quod manifeſtiſsimè ſacræ auctoritati nimium repugnabat, tenere: ſeu eo dimiſſo coronam Imperij ſumere. Qui protinus dimittendum promiſit talis inceſti coniugium, ſéque parere diligentiſsimè illorum dictis, & obedire conſiliis. Deinde verò mittunt ad Papam Romanum, vt eis in hoc quod decreuerant conſentiret. Qui ſtatim libentiſsimè annuit, mandans inſuper, vt quantociùs ſuſcepto Germaniæ ſceptro Romam pergeret, ſuſcepturus totius Italiæ coronam. Interea indeptus Regni infula Chounradus Italiam perrexit, ſecúmque ducens vxorem, quam, vt diximus, illicito ceperat matrimonio. Cui protinus in deſcenſu Alpium, quem Curiam Gallorum licèt corruptè vocant; in oppido Cumis occurrit cum ſummo apparatu Papa Romanus, vt antè ſpoponderat. Fuere tunc quidam de Marchionibus Italiæ, qui minus eà aſſenſum præbuerunt. Sic enim illis facere mos eſt, vt iam ſupra taxauimus in mortibus Imperatorum. Nam & Papienſes, ceterorum ſuperbiſsimi, Palatium Regis in ſua ciuitate operoſo ſumptu conſtructum deſtruxerant vſq; ad ſolum. Ille verò vt comperit, ferociter irruit, Iporeiam primitus ciuitatem capiens, deinde ceteras cum caſtris vniuerſis propriæ ſubiiciens ditioni. Sicque Romam deueniens, coronam ex more ſumpſit Imperij. Cui dum Epiſcopi ſuggererent, vt auctoritate Romani Pontificis, qualiter illis promiſerat, repudium illiciti faceret coniugij, grauiter accipiens, dixit: ſe Imperatorem creatum nullo modo debere vxore viduari. ac ſicut ineptè ceperat, tenuit.* A B

CAPITVLA LIBRI QVARTI.

I. *De vniuerſalitate Eccleſiæ à Conſtantinopolitanis iniuſtè requiſita.*
II. *De hæreſi in Italia inuenta.*
III. *Quòd peccatu hominum exigentibus, Domino permittente, à nequam ſpiritibus aliquando fiant miracula.*
IV. *De fame validiſsima, quæ contigit in Orbe terrarum.*
V. *De pace & abundantia anni milleſimi à paſsione Domini.*
VI. *De confluentia populi totius Orbis, quæ ad Sepulchrum Domini Hieroſolymis facta eſt.*
VII. *De prœliis Sarracenorum aduerſus Chriſtianos in Africa partibus.*
VII. *De Leuticorum prœlio aduerſus Chriſtianos in partibus Aquilonis.* C
IX. *De ſigno quod in Sole apparuit.*

De vniuerſalitate Eccleſiæ à Conſtantinopolitanis iniuſtè requiſita.

CAP. I.

1024. CIRCA annum igitur Domini milleſimum viceſimum quartum, Conſtantinopolitanus Præſul cum ſuo Principe Baſilio, aliíq; nonnulli Græcorum conſilium iniere, quatinus cum conſenſu Romani Pontificis liceret Eccleſiam Conſtantinopolitanam in ſuo Orbe, ſicuti Roma in Vniuerſo vniuerſalem dici & haberi. Qui ſtatim miſerunt qui deferrent multa ac diuerſa donorum xenia Romam, tam Pontifici quàm ceteris quos ſuæ parti fauere conſpicerent. Vbi conuenientes, expoſuerunt apud Pontificem ſuæ profectionis querelam. Sed quid non pertentat cæcus amor habendi? éſtque prouerbium, Aureo pugillo murum frangere ferreum. Ac licet pro tempore philargyria mundi regina queat appellari, in Romanis tamen inexplebile cubile locauit. Mox namque vt videre Græcorum ſibi deferre fulgidas opes, verſum eſt cor illorum ad fraudulentiæ diuerticula, pertentantes an fortè clanculò concedere quiuerant quod petebatur. Sed nequaquam. Non enim poteſt falli ſumma Veritas, quæ ſpopondit, *Portæ inferi non præualebunt*

A *aduerſus eam.* Dum ergo adhuc leni ſub murmure huiuſce machinatores in con-
claui ſeſe putarent talia tractauiſſe, velox fama de ipſis per vniuerſam Italiam de-
currit. Sed qualis tunc tumultus, quàm vehemens commotio per cunctos extitit,
qui audierunt, dici non valet. Præcipuè tamen vir prudentiſſimus, pater videlicet
VVillelmus, de quo iam diximus, ad Romanum Pontificem de hac re miſit epiſto-
lam corpore breuem, ſed materiâ ingentem, ac ſermone pungentem, talia conti-
nentem: Gratia Dei & reuerentia beati Apoſtolorum Principis Petri Sedium in «
Orbe terrarum excellentiſſimo, indepto Papæ Ioanni * VVillelmus crucis Chriſti « * al. Gregorio.
ſeruus, ſedem iudicij cum Apoſtolis, & regni coronam. Magiſtri Gentium dictis «
inſtruimur, ſeniorem non increpandum. Idem tamen aliàs dicit, *Factus ſum inſi-* «
piens, vos me coëgiſtis. Idcirco igitur filiationis diligentia hortamur communem «
veſtram paternitatem, qualiter in vno imitemini cogitationes hominum, proui- «
dentem Dominum Saluatorem, vt dicatis ad aliquem vobis vnanimem, quemad- «
modum ipſe Petro, *Quid dicunt homines de me?* Si verò reſponſum illius ex fide «
fuerit, animaduertite qualiter ſonuerit. Si autem clarè, cuſtodite ne obfuſcetur. «
Si verò obſcurè, lux mundi oranda eſt, qualiter ita fulgeatis, vt vniuerſis in gre- «
mio Eccleſiæ conſtitutis ad viam mandatorum Dei gradiendam lumen præbeatis. «
Sed eſt fama rei, quæ nuper erga nos accidit, de qua quis audiens non ſcandaliza- «
tur, nouerit ſe longè ab amore ſuperno diſparari. Quoniam licèt poteſtas Romani «
B Imperij, quæ olim in Orbe terrarum Monarches viguit, nunc per diuerſa terra- «
rum innumeris regatur ſceptris: ligandi ſoluendique in terra & in cœlo poteſtas, «
dono inuiolabili incumbit Magiſterio Petri. Atque iſta idcirco diximus, vt ani- «
maduertatis, non aliter Græcis quàm cenodoxia huiuſce quam audiuimus, apud «
vos requirere impetrauiſſe. De cetero quoque optamus, vti vniuerſalem decet «
Antiſtitem, vos acriùs in correctione ac diſciplina ſanctæ & Apoſtolicæ Eccleſiæ «
vigere, æternéque ac feliciter valere. Erat quippe Ioannes * iſte cognomento * Gregorius
Romanus, frater illius Benedicti *, cui in Epiſcopatum ſucceſſerat largitione pe- * Iohannis.
cuniæ, repentè ex laïcali ordine neophitus conſtitutus eſt Præſul. Sed inſolentia
Romanorum huiuſmodi adinuenit palliatæ ſubdoloſitatis ridiculum, ſcilicet vt
quemcumque pro ſuo libitu in præſentiarum ad Pontificatus officium delegerint,
mutato nomine, quod illi prius fuerat, aliquo magnorum Pontificum nomine il-
lum appellari decernunt. Re vera quem ſi non meritum rei, ſaltem nomen extol-
lat. Præterea Conſtantinopolitani ad propria remeantes, confutata illorum vndi-
que tumida præſumptio conquieuit.

De hæreſi in Italia inuenta. Cap. II.

CASTRVM igitur erat per idem tempus in gente Longobardorum, quod vt erat
vocabatur, Mons videlicet fortis, plenum etiam ex nobilioribus eiuſdem gen-
C tis. Hos nempe cunctos ita maculauerat hæretica prauitas, vt ante erat illis crudeli
morte finiti, quàm ab illa quoquomodo poſſent ad ſaluberrimam Chriſti Domini
fidem reuocari. Colebant enim idola more Paganorum, ac cum Iudęis inepta ſacri-
ficia litare nitebantur. Sæpiſſimè deniq; tam Mainfredus Marchionum prudentiſſi-
mus, quã frater eius Alricus Aſtenſis vrbis Præſul, in cuius ſcilicet Diœceſi locatum
habebatur prædictum caſtrũ, ceteriq; Marchiones ac Præſules circumcirca creber-
rimos illis aſſultus intulerunt. capientes ex eis nonnullos, quos dum non quiuiſſent
reuocare ab inſania, igne cremauere. Contigit ergo in vicino haberi aliud caſtrum
noſtræ Religionis & fidei, in quo quidam miles aliquando ægrotans ad extremũ pe-
ne deuenerat. Ad quem vtiq; viſitãdum ex hæreticorum caſtello illorum præcipua,
iuxta morem, veniens mulier, re vera potiùs vt euidentior fieret ſecta eiuſdẽ nequi-
tiæ, protinus vt egrediens domum, in qua æger decubabat, intraret, repentè proſpi-
ciens is qui languebat, vidit intrare cum eadem muliere ad ſe innumerabilem exer-
citum in nigerrimis veſtibus faciebúſq; teterrimis. Qua verò ingreſſa, poſtquã lan-
guẽtis frontẽ, ac pulſum pectoris, & cetera, vt vſus habet, manu perluſtrauiſſet, pro-
nuntiarétq; illum conualiturum in proximũ, domo egreſſa eſt, totáq; ſimul familia
cum illa ſolum reliquere infirmum. Statim quoq; affuit illi nigrorũ, quem viderat,
globus, cui ita, qui videbatur illorum princeps, inquit: Agnoſcis me, inquiens, Hugo? «
Hoc enim erat illius ægri vocabulũ, cúmq; ille reſpõdẽs diceret, Tu quis es? dixit ei; «

HENRICVS I. Potentiſſimus potentum, ac ditiſſimus diuitum. Ego qui occurro tibi, ſi me tan- A
tùm credideris facere poſſe, vt te à morte, quæ præſens imminet, eripiam, longo-
„ que viuas tempore. Et vt certiſſimè credas quod ſpondeo, noueris meo auxilio,
„ meáque induſtria Chounradum hoc tempore Imperatorem eſſe cteatum. Tu quip-
„ pe benè noſti, quòd nullus Imperatorum ita velociter omnem Germaniam atque
„ Italiam, ſicuti iſte, ſuæ ſubiugauit ditioni. Noui, inquiens æger, & mirum diu
„ mihi cum ceteris fuit. Deinde verò primæ fraudis auctor adiecit: Nonne etiam in
„ tranſmatinis partibus regnum Græcorum poſt Baſilium Michaëli mihi obedienti
„ tradidi? Idcirco crede mihi, & faciam tibi multò maiora quàm ſperare queas, té-
„ que ipſum ſanitati reſtituam. Erat quippe fama tunc temporis, quòd idem Mi-
chaël Cubicularius fuiſſet Baſilij, clàmque illi venenum in potu ad necem dediſ-
ſet. Cuius proculdubio Imperij poſt mortem eius ſumpſit coronam. Cuius etiam,
vt par erat, regimen Imperij non ſatis vtile fuit. Interea memoratus Hugo in ſeſe
reuerſus, dextra ſignum venerabilis crucis exprimere tentans, dixit: Ego verò Ie-
» ſum Dei filium teſtor, quem adoro, credo & confiteor, non alium te omninò cre-
» didero, niſi vt fuiſti & es, fallacem diabolum. Tunc dæmon continuò hanc vocem
» edidit: Quæſo ne brachium contra me erigas. Sicque continuò omnis ille globus,
vt fumus euanuit. At ille exclamans voce qua potuit, occurrunt quippe domeſti-
ci, narrat illis ex ordine quæ vidit, quæ audiuit. Quibus dictis, ipſo die ante Solis
occaſum obiit. Nulli denique dubium, quoniam iſta & ſibi & nobis vidit. B

Quòd peccatis hominum exigentibus, Domino permittente, à nequam ſpiritibus aliquando fiant miracula. CAP. III.

DIVINA igitur auctoritas per Moyſem Iudæis prolata, taliter illos monuit, dicens: *Si fuerit*, inquit, *Propheta inter vos, loquens in nomine alicuius deorum Gentium, quæ prædixerit quiſpiam futurum, & fortuitu euenerit, non credatis ei, quoniam tentat vos Dominus Deus veſter, vt ſciat ſi diligatis eum, an non.* Habemus ergo in præſentiarum in re diſſimili non diſpar exemplum. Fuit enim in præſcripto tempore homo plebeius mangonum calidiſſimus, ignoti tamen nominis & patriæ, quoniam pro diuerſitatibus locorum quærens latebram ne agnoſceretur, fraudulenter imponebat ſibi vocabula, vel de qua foret Prouincia. Effodiebat quoque è tumulis clanculè oſſa euellens à cineribus nupertimè defunctorum hominum, ſicque impoſita in diuerſis apophoretis, venditabat apud plurimos pro ſanctorum Martyrum ſeu Confeſſorum reliquiis. Hic vero poſt innumeras huiuſce illuſiones in Galliis patratas, perfuga venit ad loca Alpium, vbi perſæpè brutæ gentes inhabitant, habentes in arduis plurima domicilia. Ibi nempe ſe Stephanum nuncupauit, qui aliàs Petrus, aliàs Ioannes dictus fuerat. Illic ergo more ſolito noctu colligens à loco abiectiſſimo ignoti oſſa hominis, quæ poſuit in caſſella & feretro, dicebat ſibi angelica oſtenſione reuelatum fuiſſe, quem fingebat eſſe ſanctum Martyrem no- C mine Iuſtum. Mox quoque vulgus, vt ſe in talibus habere ſolet, ignauum quicquid ruſticanæ plebis fuit totum ad hanc famam confluit. pœnitet inſuper ſi non eſt ſibi morbus, quo curari depoſcat. Tunc ducit debiles, confert munuſcula, peruigil tenet excubias, præſtolans repentina fore miracula, quæ, vt diximus, aliquotiens permittuntur fieri à malignis ſpiritibus tentatoriè, peccatis hominum præcedentibus. quod tunc proculdubio euidentiſſimè claruit. Multimodè quippe membrorum reformationes ibidem viſæ ſunt extitiſſe, ac inſignia pendere oſcillorum multiformia, nec tamen Moriannæ, vel Vtzeticæ, ſeu Gratinonæ vrbium Præſules, in quorum Diœceſibus talia profanabantur, diligentiam huius inquirendæ rei adhibuere. Quin potiùs conciliabula ſtatuentes, in aliquibus nihil aliud niſi inepti lucri quæſitum à plebe, ſimul & fauorem fallaciæ exigebant. Interea Mainfredus Marchionum ditiſſimus huiuſmodi famam comperiens, miſit è ſuis, qui vi rapientes illud quod colebatur ſimulachrum, ſibi deferrent, quem æſtimabant Martyrem venerandum. Imperat idem Marchio conſtituere Monaſterium in Seutiæ caſtro, quod eſt antiquiſſimum inter Alpes, in honore Dei omnipotentis, eiuſdémque genitricis Mariæ ſemper Virginis. in quo etiam poſt expletionem operis illum cum aliis quamplurimis Sanctorum pignoribus locare decreuerat. Poſt paululum quoque completo Eccleſiæ opere, ſtatutóque dedicationis die, acceſſitis Epiſcopis in

A giro degentibus, cum quibus etiam ſæpenominatus Abbas VVillelmus, nonnulli- HENRICVS I.
que Abbares affuerunt. Erat aurem runc prædictus ibi mango iam dicto Marchio-
ni percharißimus effectus, quippe quoniam ſpondebar ſe multò precioſiora San-
ctorum pignora in proximo reuelarurum, quorum ſcilicet geſta & nomina, arque
paſſionum certamina, vt cetera, fallacirer confingebat. Qui cùm à doctioribus qui-
búſque interrogaretur, qualiter ralia pernoſcerer, minus veriſimilia blarterans per-
ſonabar. Nam & egomet cum ſæpiùs nominato Abbate illuc deueniens intereram.
Aiebat namque; Apparet, inquiens, mihi noctu Angelus, narrátque ac docet «
quæcunque me velle ſcire nouerit, & tam diu apud me manet, vſque dum ego re- «
cedere compello. Cùm verò ad hæc reſpondentes ſciſcitaremus, an vigil ſeu in-
ſomnis hoc cernerer, ſubiunxit: Per ſingulas penè noctes eripit me Angelus è le- «
ctulo, vxore mea ignorante. qui poſt multa colloquia ſalutans me atque deoſcu- «
lans recedit. Nos quoque expoliatum calliditatibus intelligentes mendacium, co-
gnouimus virum non angelicum, quin potiùs fraudis ac malignitatis miniſtrum.
Præterea Pontifices rirè peragentes, ob quam venerant, Eccleſiæ conſecrationem,
intromiſerunt cum ceteris reliquiarum pignoribus oſſa illius prophani aſtu adin-
uenta: non tamen ſine magna vtriuſque plebis exultatione, quæ innumerabilis il-
licò conuenerat. Contigit ergo iſta fieri die XVI. Kalendarum Nouembrium: Id-
B circo nempe, quoniam fautores huius erroris aſſerebant eſſe eadem Iuſti Martyris
oſſa, qui eo die Beluaco Galliarum paſſus vrbe: cuius etiam caput Autiſiodoro, vbi
natus & nutritus fuerat, relatum eſt & habetur. Sed ego, qui rei nouitatem noue-
ram, friuolum quod dicebatur aſſerebam. Elegantiores tamen virorum perſonæ
cognoſcentes figmenta fallaciæ, fidem dabant aſſertioni quam protuleram. Nocte
denique inſecuta, viſa ſunt à quibuſdam Monachorum ſeu aliorum Religioſorum
monſtruoſa in eadem Eccleſia phantaſmata: atque à locello, quo incluſa habeban-
tur oſſa, formas nigrorum Æthiopum exiſſe, necnon ab Eccleſia receſſiſſe. Et li-
cèt plures ſanæ mentis deteſtabile figmentum abominandum clamarent, vulgus
tantum ruſticanæ plebis mangonem corruptum iniuſti nomen pro Iuſto venerans,
olim in ſuo permanſit errore. Nos autem idcirco iſta retulimus, vt à multiformi
dæmonum ſeu humanorum errorum, qui in Orbe paſſim abundant, præcipuè in
fontibus ſeu arboribus ab ægris incautè veneratis, caueatur.

De fame validiſſima, quæ contigit in Orbe terrarum. CAP IV.

IMMINENTE igitur anno incarnati Chriſti milleſimo triceſimo tertio, qui eſt 1033.
à paſſione eiuſdem Saluatoris milleſimus, obiere viri in Orbe Romano famoſiſ-
ſimi, ſacræque Religionis ſigniferi, Benedictus videlicet Papa vniuerſalis, ac Rex
C Francorum, vt iam diximus, Robertus. Fulbertus quoque Carnoti Præſulum in-
comparabilis, vir ſapientiſſimus, necnon prænominatus Pater Monachorum, fun-
datórque Cœnobiorum eximius VVillelmus. de quo etiam perplura forent dicen-
da vtilia, niſi quòd in libello, quem de vita & virtutibus illius edidimus, prolata
dudum fuiſſe noſcuntur. Vnum reſtat tamen, quod noui ibidem minimè contine-
ri. Migrauit enim prædictus Pater à ſeculo ad beatorum requiem in Neuſtriæ par-
tibus, in Fiſcamnenſe videlicet Monaſterio ſupra mare Oceanum conſtituto, quod
à Rothomagenſe vrbe quadraginta fere milliaribus diſtat: ſepultúſque eſt, vti tan-
tum condecebat virum, in loco optimo eiuſdem Eccleſiæ. Poſt aliquot verò dies
contigit vt puerulus fermè decennis valida confectus ægritudine ad ſepulchrum
illius gratia recuperandæ ſanitatis duceretur, ibique à parentibus dimiſſus decuba-
bat ſolus. Qui ſubitò reſpiciens, vidit ſuper idem ſepulchrum inſidentem auiculam
formam columbæ præferentem. quam diu intuens obdormiuit. Dehinc leni ex-
pletus ſomno, euigilans ita ſe reperit incolumem, ac ſi nihil ægritudinis perſenſiſ-
ſet. Suſcipiunt itaque læti parentes ſuum. fit omnibus commune gaudium. Se-
quenti itaque tempore cœpit in vniuerſo Orbe terrarum fames conualeſcere, ac
interitus penè vniuerſi humani generis imminere. Nam temperies aëris ſic intem-
peſtiua eſt effecta, vt nullius ſationis proueniret tempus congruum, nec meſſioni
præcipuè ob inundantiam aquarum foret opportunum. Videbantur enim inter ſe-
ipſa elementa pugnam diſcordiæ agere, cùm proculdubio vindictam exercerent
humanæ inſolentiæ. Aſſiduis enim imbribus ita compluta erat vniuerſa tellus, vt

HENRICVS I. in ſpatio trium annorum nulli reperirentur ſulci vtiles ſeminibus. Tempore quoque meſſis herbæ agreſtes, atque infelix lolium, totam opperuerant ſuperficiem agrorum. Modius quoque ſementis vbi magis proficiebat, reddebat in meſſe ſextarium, ipſéque ſextarius vix referebat pugillum. Cœperat enim primitus hæc ſterilitas vltionis in partibus Orientis: depopulando Græciam, deuenit in Italiam. Dehinc infuſa per Gallias, tranſiit ad vniuerſos Anglorum populos. Tunc verò conſtricta tota gens indigentia victus, maiores ac mediocres fame pallebant cum pauperibus. Ceſſit enim raptus potentum vniuerſali inopiæ. Si quid ergo victus venundatus reperiebatur, arbitrio vendentis pro libitu erat excedere, ſeu accipere pretium. Nam in pleríſque locis fuit modij pretium ſexaginta ſolidorum. aliàs quoque ſextarius ſolidorum quindecim. Interea poſt eſum beſtiarum & volucrum, vrgente fame acerrima, cœpere homines præripere in cibum morticina quæque ac dictu horrenda. Quidam verò fecere confugium euadendæ mortis ad radices ſyluarum, herbáſque fluuiorum. ſed nequicquam. Non ergo aufugium iræ vltionis Dei, niſi ad ſemetipſum. Horret denique referre quæ tunc generi humano corruptiones acciderunt. Heu! proh dolor! quod olim raro audiri contigerit, tunc rabida inedies compulit vorari ab hominibus humanas carnes. Arripiebantur autem viantes à ſe præualentibus, membratímque diuidebantur, ignéque decocti vorabantur. Multi quoque de loco ad locum famem fugiendo pergentes hoſpitiis recepti, noctúque iugulati, quibus ſuſcepti ſunt, in cibum fuerunt. Plerique verò pomo oſtenſo vel ouo pueris, ad remota circumuentos trucidatóſque deuorauerunt. Corpora defunctorum in locis plurimis ab humo euulſa, nihilominus fami ſubuenerunt. Quæ denique rabiei inſanies in tantum excreuit, vt tutiùs moraretur ſolidarium abſque raptore genus pecudum quàm hominum. Nam veluti iam in vſum deuenire deberet carnes humanas comedi, quidam decoctas detulit venundandas in forum Trenorchij, ac ſi fuiſſent alicuius pecudis. Qui deprehenſus, crimen flagitij non negauit. deinde artatus loris, igne crematus eſt. Carnem autem illam humo abſconſam alter effodiens, noctu comedit. Pari modo & ille igne combuſtus eſt. Eſt nempe Eccleſia à ciuitate Matiſconenſe tribus fere millibus diſtans, in ſylua Caſtanedi ſita, ſine plebe ſolitaria, ſancto Ioanni dicata. Iuxta quam locauerat quidam feralis homo tugurium, qui ibidem multitudinem tranſeuntium vel ad ſe diuertentium trucidans, in nefandiſſimum ſumpſit edulium. Contigit ſiquidem vna dierum, vt vir quidam cum muliere illuc diuertens ad hoſpitium, paulum conquieuit. Dehinc cùm duceret oculos per angulos tugurij, proſpexit detruncata capita virorum, atque mulierum, & infantium. Qui protinus palluit, egredi cupiens. ſed peſtifer ille poſſeſſor tugurij renitens, vi manere compellebat. Sed ille pertimeſcens mortis decipulam, præualuit, concitúſque ad ciuitatem cum vxore perrexit. Ad quam veniens, quod compererat Ottoni Comiti, ceteriſque ciuibus indicauit. Qui protinus mittentes viros quamplurimos, qui rei veritatem inquirerent, pergenteſque velociùs, repererunt illum crudeliſſimum in ſuo tugurio cum quadraginta octo capitibus trucidatorum, quorum carnes ore belluino vorauerat. Quem deducentes ad ciuitatem, in quodam horreo religatum ad ſtipitem, vt ipſi poſtmodum conſpeximus, igne combuſſerunt. Tunc etiam pertemptatum eſt in eiſdem partibus, quod nuſquam comperimus quempiam feciſſe. Effodiebant enim plerique albam humum argillæ ſimilem, permiſcentes quantum erat farinæ, vel cantabro: exinde panes conficiebant, vt vel ſic inediæ mortis ſuccurrerent. In hoc conficiendo ſpes tantùm erat euadendi, ſed prefectus inanis. Tenebat ergo pallor & macilentia ora cunctorum, cutiſque diſtenſa inflatione in pluriorbus apparebat, ipſæque voces humanæ perexiles effectæ, garritus morientium auium imitabantur. Tunc nihilominus è cadaueribus mortuorum paſſim præ multitudine ſepultura carentibus, lupi adeſcati, poſt longum tempus prædam cepere ex hominibus. Et quoniam, vt diximus, ſepeliri ſingulatim ob multitudinem non quibant, constructa in quibuſdam locis à Deum timentibus, quæ vulgo dicuntur carnaria, in quibus quingenti, & eo ampliùs, ſeu quantum capere poterant, permixtim abſque ordine proiecta ſunt ſeminuda, vel abſque tegminibus, defunctorum corpora. Triuia quoque & agrorum ſucciſiua pro cimiteriis habebantur. Si qui verò auditu compererant quod melius haberent, ſi ad alia tranſirent arua, perplures in itinere deficientes moriebantur. Deſæuit

A enim in Orbe terrarum, peccatis hominum exigentibus, prædictæ peſtilentiæ cla- HENRICVS
des in ſpatium trium annorum. Tunc in expenſis egenorum diſtracta ſunt Eccleſia- I.
rum otnamenta, diſpettitique theſauri, qui ob hoc in Decretis Pattum inueniun-
tur ibidem primitus fuiſſe repoſiti. Sed quantum ſupererat vindictæ iuſtæ vltionis,
exceſſit nimietas egenorum in pleriſque locis theſautos Eccleſiatum. Nam & ipſi
famelici nimia affecti inedia, ſi contigiſſet eos tepleri cibo, diſtenti inflatione pro-
tinus moriebantur. Alij autem cibos manibus contrectantes, oti tentantes impo-
nere. ſed conquiniſcendo deficiebant, non valentes explere quod cupiebant.
Quantus enim dolor tunc, quanta mœſtitia, qui ſingultus, qui planctus, quæ la-
chrymæ à talia cernentibus datæ ſunt; præcipuè à viris Eccleſiaſticæ religionis,
Epiſcopis videlicet, atque Abbatibus, Monachis & Sanctimonialibus, ſimúlque
omnibus in commune vtriuſque ſexus & ordinis Deum metuentibus, non valet
ſtylus quiſpiam explicare charactetibus. Æſtimabatur enim ordo temporum &
elementotum prætetita ab initio moderans ſecula in chaos decidiſſe perpetuum,
atque humani genetis interitum. Illud prætereà ſtupore nimio permirabillimum,
quoniam in tam clandeſtina diuinæ vltionis calamitate tariſſimè teperiebantur,
qui pto talibus contrito corde, & bumiliato corpore vt expediebar, leuatent cot-
da cum manibus ad Dominum, ſibique ſubueniendum interpellarent. Tunc nem-
B pe Eſaianum illud elogium noſtro impletum eſt tempore quod dixit, *Populus non
eſt conuerſus ad percutientem ſe.* Erat enim in bominibus quædam duritia cordis cum
hebetudine mentis, & quoniam ille ſummus iudex & auctor totius bonitatis dat
velle rogare ſe, qui nouit quando debeat miſereri.

De pace & abundantia anni milleſimi à paſſione Domini. CAP. V.

ANNO à paſſione Domini milleſimo memoratæ cladis penutias ſubſequente,
ſedatis nimbotum imbribus reſpectu diuinæ bonitatis & miſericotdiæ, cœpit
læta facies cœli clareſcete, congruiſque æthereis flare, placidáque ſcrenitate ma-
gnanimitatem Conditoris oſtendete: telluris quoque tota ſuperficies amicabiliter
virens frugum abundantiam funditus inopiam expellendo portendere. Tunc etgo
primitus cœpere in Aquitaniæ partibus ab Epiſcopis & Abbatibus, ceteriſque viris
ſacræ religionis deuotis ex vniuerſa plebe, coadunari Conciliotum conuentus. Ad
quos etiam multa delata ſunt corpora Sanctorum, atque innumerabiles ſanctarum
apophoretæ reliquiarum. Dehinc per Arelatenſem Prouinciam, atque Lugdu-
nenſem, ſícque pet vniuerſam Burgundiam, vſque in vltimas Franciæ partes, pet
vniuerſos Epiſcopatus indictum eſt, qualiter certis in locis à Præſulibus Magnatiſ-
que totius patriæ de refotmãda pace & ſacræ fidei inſtitutione celebrarentur Con-
C cilia. Quod etiam tota multitudo vniuerſæ plebis audiens, lætanter adiere maxi-
mi, mediocres, ac minimi: patati cuncti obedire quicquid præceptum fuiſſet à
Paſtoribus Eccleſiæ. non minùs videlicet, quàm ſi vox emiſſa de cœlo hominibus
in terra loqueretur. Tertebat enim vniuerſos clades præteriti temporis, inſtabãt-
que metus ne adipiſcetentut opulentiam futuræ vbettatis. Erat quippe deſcriptio
capitatim digeſta, qua continebantur tam illa quæ fieri prohibebantur, quàm ea
quæ deuota ſponſione omnipotenti Domino offerre decreuerant. In quibus po-
tiſſimum erat de inuiolabili pace conſeruanda, vt ſcilicet viri vtriuſque conditio-
nis, cuiuſcunque antea fuiſſent tei obnoxij, abſq̃ue formidine procederent armis
vacui. Prædo namque aut inuaſot alterius facultatis legum diſtrictione arctatus,
vel donis facultatum, ſeu pœnis cotporis acertimè mulctaretur. Locis nihilominus
ſactis omnium Eccleſiarum honor & reuetentia talis exhiberetur, vt ſi quis ad ea
cuiuſcunque culpæ obnoxius confugium faceret, illæſus euaderet, niſi ſolummo-
do ille qui pactum prædictæ pacis violaſſet. hic tamen captus ab altare, præſtatu-
tam vindictam lueret. Clericis ſimilitet omnibus, Monachis, & Sanctimonialibus,
vt ſi quis cum eis per tegionem pergeret, nullam vim ab aliquo pateretur. Plurima
autem in eiſdem Conciliis conſtituta ſunt, quæ perlongum duximus referre. Illud
ſanè memorandum, quod omnibus in commune placuit, qualitet omnibus heb-
domadibus ſanctione perpetua, ſexta die abſtineretur à vino, & carnibus ſeptima
niſi fortè grauis infirmitas compelleret, aut celeberrima ſolemnitas interueniret.
Si verò effectio aliqua intercederet, vt hic tenor paululum laxaretur: tres proinde

HENRICVS I. pauperes victu ſuſtentarentur. Tunc innumeræ ſanitates patratæ ſunt infirmantium in eiſdem conuentibus Sanctorum. Sed & ne cui friuolum videretur in multis diſrupta cutis, diſciſſaque caro crurium & brachiorum nuper curuorum, erigendo in ſtatum priſtinum plurimus ſanguis effundebatur. Quod vtique in ceteris, quæ dubitare poterant, fidem præſtabat. Quibus vniuerſi tanto ardore accenſi, vt per manus Epiſcoporum baculum ad cœlum eleuarent, ipſique palmis extenſis ad Deum, Pax, pax, pax, vnanimiter clamarent. vt eſſet videlicet ſignum perpetui pacti de hoc, quod ſpoponderant inter ſe & Deum. In hac tamen ratione, vt euoluto quinquennio confirmandæ pacis gratia idipſum ab vniuerſis in Orbe fieret mirum in modum. Eodem denique anno tanta copia abundantiæ frumenti & vini, ceterarúmque frugum extitit, quanta in ſubſequente quinquennio contigiſſe ſperari non potuit. Aliquis enim victus humanus, præter carnes ſeu delicioſa pulmentaria, nullius erat pretij. Erat autem inſtar illius antiqui Moſaïci magni Iubelei. Sequenti verò anno tertio & quarto non minus prouenit. Sed heu! proh dolor! humana denique ſtirps immemor beneficiorum Dei, ab initio prona ad malum, veluti canis ad vomitum, vel ſus lota in cœni volutabrum, irritum in multis fecere propriæ ſponſionis pactum. Et ſicut ſcriptum eſt, *Impinguatus & dilatatus recalcitrauit.* Nam ipſi Primates vtriuſque ordinis in auaritiam verſi, cœperunt exercere plurimas, vt olim fecerant, vel etiam eo ampliùs, rapinas cupiditatis. Deinde mediocres ac minores exemplo maiorum ad immania ſunt flagitia deuoluti. Quis enim vnquam antea tantos inceſtus, tanta adulteria, tantas conſanguinitatis illicitas permixtiones, tot concubinarum ludibria, tot malorum æmulationes audierat? Inſuper ad cumulum tanti mali, cùm non eſſent in populo, vel rari, qui ceteros corrigentes talia redarguerent, impletum eſt Prophetæ vaticinium, quod ait, *Et erit ſicut populus ſic Sacerdos.* Præſertim cùm tunc in ſeculari poteſtate, tum etiam in Eccleſiaſtica Religione, totius regiminis perſonæ conſtiterant in puerili ætate. Propter peccata enim populi contigit tunc illud Salomonicum, quod ait, *Væ tibi terra!* Nam & ipſe vniuerſalis Papa Romanus, nepos ſcilicet duorum, Benedicti atque Ioannis, qui ei præceſſerant, puer fermè decennis, intercedente theſaurorum pecunia electus extitit à Romanis. A quibus exinde frequenter eiectus, ac inhoneſtè receptus, nulla poteſtate viguit. Et vt iam ſuperiùs taxauimus ceteros tunc temporis Eccleſiarum Prælatos, aurum potiùs vel argentum exaltabat quàm meritum. Proh pudor! de his euidentiſſimè Scriptura ait, immò os ipſius Dei, *Principes extiterunt, & non cognoui.* A B

De confluentia populi totius Orbis, quæ ad ſepulchrum Domini Hieroſolymis facta eſt.

CAP. VI.

PER idem tempus ex vniuerſo Orbe tam innumerabilis multitudo cœpit confluere ad ſepulchrum Saluatoris Hieroſolymis, quantam nullus hominum priùs ſperare poterat. Primitus enim ordo inferioris plebis: deinde verò mediocres; poſthæc permaximi quique Reges, & Comites, ac Præſules. Ad vltimum verò, quod nunquam contigerat, mulieres multæ nobiles cum pauperioribus illuc perrexere. Pluribus enim erat mentis deſiderium moti, priuſquam ad propria reuerterentur. Contigit enim, vt quidam à Burgundiæ partibus ex Auguſtidunenſe territorio Lethbaldus nomine cum ceteris illuc pergens deueniret. Qui proſpectis locis omnium ſacerrimis, cùm ad illum locum montis Oliueti deueniſſe contigit, ex quo Saluator ad cœlos aſcendens tot cernentibus idoneis teſtibus, venturus indè iudicare viuos & mortuos, eſt repromiſſus, proiiciens ſe in crucis modum, toto proſtratus corpore cum lachrymis inenarrabile mentis iubilo exultauit in Domino. Reerigens ſe identidem palmis ad cœlum extenſis, niſu quo poterat corpus librabat in altum, ac in voce hujuſmodi aperiebat mentis deſiderium. Aiebat nam-
» que, Domine Ieſu, qui propter nos de ſede maieſtatis tuæ ad terras deſcendere
» dignatus es, vt genus humanum ſaluares; quique ex hoc loco, quem oculis in-
» tueor, carne veſtitus remeaſti ad cœlos vnde veneras: obſecro tuam omnipoten-
» tiſſimam bonitatem, vt ſi hoc anno eſt mea anima ex hoc corpore migratura, non
» hinc recedam, ſed in conſpectu loci tuæ aſcenſionis fieri contingat. Credo enim, C

A quoniam ſicut te ſecutus ſum corpore, qualiter ad hunc deuenirem locum: ſic anima mea illæſa & gaudens poſt te ſit ingreſſura ad paradiſum. His peroratis, reuerſus eſt cum ſociis ad hoſpitium. Erat autem iam hora prandij. Ceteris verò diſcumbentibus, conuerſus ipſe ad lectulum vultu alacris, ac veluti graui ſopore paululum requieturus, illico namque obdormiſcens, ignoratur quid viderit, protinus dormiens exclamauit: Gloria tibi Deus, gloria tibi Deus. Socij quoque hæc audientes, monebant illum vt ſurgens comederet. Qui noluit, ſed vertens ſe in latus aliud, dixit ſe pati aliquid incommodi. Recubánſque vſque ad veſperum, conuocatis ſui itineris ſociis viuificæ Euchariſtiæ requirens accepit viaticum, illiſque dulciter ſalutatis emiſit ſpiritum. Iſte proculdubio liber à vanitate, ob quam multi proficiſcuntur, vt ſolummodò mirabiles habeantur, de Hieroſolymitano itinere in nomine Domini Ieſu fideliter petiuit patrem, quod & accepit. Cuius ſocij reuertentes, nobis ea quæ diximus retulerunt poſitis tunc apud Beſue Monaſterium. Eodem quippe tempore Odolricus Aurelianorum Præſul illuc pergens, quid viderit, nobíſque narrauerit, non prætermittendum videtur miraculum. Die igitur magni illius Sabbati, quo ignis mirabili Dei potentia veniens ab vniuerſo populo præſtolatur, ibi cum ceteris idem Præſul adſtabat. Iámque dies ipſa in veſperum tranſiens repente penes horam, qua ſperabatur ignis affuturus, vnus Sarracenorum ſcurra impudentiſſimus, ex plurima illorum multitudine, quæ annuatim ſemper vna cum Chriſtianis adeſſe ſolet, exclamauit, vt Chriſtianis mos eſt, cum primum
B videtur, *Aios*, *Kyrie eleiſon*, cauillanter cachinnum emiſit, extenſáque manu arripuit cereum de manu cuiuſdam Chriſtiani aufugere tentans. Qui illicò arreptus à dæmonio, turpiter nimium vexari cœpit. Quem proſequens Chriſtianus, cereum abſtulit. Ille verò tortus acerrimè, protinus inter Sarracenorum manus expirauit. Quod factum omnibus in commune terrorem immiſit. Chriſticolis tamen gaudium & exultationem præbuit. Statim verò, vt aſſolet, Dei virtute erumpens ignis ex vna lampadarum, quæ ſeptem ibidem pendere cernuntur, curſim eructuando ceteras inflammauit. Quam etiam cum ſuo oleo præfatus Epiſcopus emens auri libra à Iordano, qui tunc præerat Patriarcha, ſecum detulit: atque in ſede propria reponens, plurima infirmis contulit beneficia. Detulit etiam Roberto Regi partem prægrandem venerabilis Crucis Domini Saluatoris miſſam à Conſtantino Imperatore Græcorum cum multitudine palliorum oloſericorum, cui iſdem Rex miſerat per eundem Epiſcopum ſpatam capulum habentem aureum, thecámque auream cum gemmis pretioſiſſimis. Tunc etiam inter ceteros Robertus Normannorum Dux cum ingenti multitudine ſuæ gentis Hieroſolymam proficiſcens, detulit ſecum plurima auri & argenti donaria, erogandi gratia. Qui dum rediret, apud Niceam obiit vrbem, ibidémque ſepultus quieuit. De quo maximum apud ſuos, idcirco extitit iuſtitium, quoniam non fuerat ei proles matrimonio aliqua ad regimen ſuſcipiendum Prouinciæ, quamlibet ſororem Anglorum Regis Canuc manifeſtùm eſt duxiſſe vxorem, quam odiendo diuortium fecerat. Ex concubina ta-
C men filium genuerat, VVillelmi nomen atatui ei imponens. Cui antequam proficiſceretur, vniuerſos ſui Ducaminis Principes militaribus adſtrinxit ſacramentis, qualiter illum in Principem pro ſe, ſi non rediret, eligerent. Quod etiam ſtatim ex conſenſu Regis Francorum HENRICI vnanimiter poſtmodum firmauerunt. Fuit enim vſui à primo aduentu ipſius gentis in Gallias, vt ſuperiùs pernotauimus, ex huiuſmodi concubinarum commixtione illorum Principes extitiſſe. Sed & hoc ne ſupra modum putetur abominabile, libet comparationem de filiis concubinarum Iacob inducere, qui ob hoc non caruere paterna dignitate inter ceteros fratres conſtituti Patriarchæ. Et longo pòſt inferiore tempore ſingularis Monarchiæ, magnus Imperij protochriſticola Conſtantinus ex concubina Helena legitur genitus fuiſſe. Præterea dum quidam de ſollicitioribus, qui eo tempore habebantur, conſulti à pluribus fuiſſent, quid tantus populorum concurſus ad Hieroſolymam deſignaret olim ſeculi inauditus prætériti. Reſponſum eſt à quibuſdam ſatis cautè, non aliud portendere, quàm aduentum illius perditi Antichriſti, qui circa finem ſeculi iſtius diuina teſtante auctoritate præſtolatur affuturus. Tunc & gentibus vniuerſis via Orientis plagæ, vnde venturus eſt, patefacta, obuiam illi cunctæ nationes incunctanter ſint proceſſuræ. Reuera vt illud Dominicum adimpleatur præſagium, *Quoniam tunc in tentationem incident, ſi fieri poteſt, etiam electi.* Huius

HENRICVS I.

hic meta verbi. Ceterùm non negamus deuotum laborem fidelium exinde præmium ſeu mercedem percipere à iuſto Iudice. A

De prœliis Sarracenorum aduerſus Chriſtianos in Africæ partibus. CAP. VII.

SVB iiſdem verò temporibus conſurgens rediuiua Sarracenorum in Africæ partibus aduerſus Chriſtianorum populum perfidia, perſequendo eos terra mariq́ue quoſquos reperire poterant, quoſdam excoriabant viuos, alios trucidabant. Et cùm iam diu multúmque inter vtroſque debacchatum plurima cæde fuiſſet, pluréſque ſtrages ab vtriſque partibus datæ, contigit vt ex deliberatione partis vtriuſque in comminus illorum acies pugnaturæ deuenirent. Illi præſumentes confidebant in rabida feritate immenſæ ſuæ multitudinis, victores ſeſe fore exiſtimabant. Noſtri verò licet admodum pauci numero, Dei omnipotentis auxilium inuocantes per interuentum genitricis ipſius Mariæ, ſanctique Apoſtolorum Principis Petri, omniúmque Sanctorum, ſperabant de illis fiducialiter obtinere triumphum. Præcipuè quoque in voto, quod in ipſius procinctu belli vouentes ſeſe obſtrinxerant, vt ſi videlicet manus Domini valida gentem illam perfidiſſimam in manus illorum concluderet, potito de illis triumpho, quicquid auri argentique ſeu ceteræ ſupellectilis ex eiſdem capere contigiſſet, totum omninò ad locum Cluniaci, Apoſtolorum Principi Petro deſtinarent. Iam olim namque, vt ſuperiùs pernotauimus, plures ipſius gentis veri religioſi in eodem Cœnobio ſacri inſtituti habitum ſuſcipientes, totam gentem ad amorem eiuſdem loci conſciuerant. Sed quid plura? inito pugnæ certamine, diu multúmque congreſſum eſt. Chriſtiani tamen omninò inlæſi victores apparebant. Ad vltimum quoque tantus horroris tremor inuaſit Sarracenorum exercitum, vt veluti pugnæ obliti, fugam arripere tentantes, quatenus nequicquam, propriis irretiti iaculis, immò virtute Dei ſtupentes hæſerunt. Chriſtianorum verò quantus erat cuneus diuino fortificatus auxilio, tanta eoſdem cæde proſtrauit, vt ex innumerabili multitudine illorum vix pauci euaderent. Motget nempe Princeps illorum, qui quaſi Moyſes ita confusè nominatur, illo prœlio dicitur defuiſſe. Collectíſque ſpoliis, confecerunt ex eiſdem plurima argenti talentorum pondera, memores voti quod Deo ſpoponderant. Eſt namque mos Sarracenorum ad prœlia euntium, vt ſeſe phaleris argenti vel auri plurimùm perornent. Quod tunc etiam deuotioni noſtrorum præſtitit augmentum, qui protinus miſerunt quicquid exinde prouenit, vt vouerant, ad Clunienſe Monaſterium. Ex quibus venerabilis eiuſdem loci Abbas Odilo Ciborium ſuper altare ſancti Petri perhoneſtiſſimum fieri præcepit. Cetera verò liberali diſpenſatione famoſiſſimè, vt decebat, erogari indigentibus vſque ad aſſem mandauit. Sarracenorum nihilominus tumultuatio ad præſens conquaſſata quieuit. B

De Leuticorum prœlio aduerſus Chriſtianos in partibus Aquilonis. CAP. VIII. C

GERMANIA igitur, quæ à Rheno flumine ſurſum verſus ad Aquilonarem Orbis plagam tendens ſumit exordium, gentibus incolitur quamplurimis, ferociſſimis tamen atque promiſcuis. Inter quas vna ceteris crudelior, commanens in vltima parte ſecundæ Retiæ. Nam prima Retia, licet à Reno vtræque dicantur, in parte eiuſdem Reni coniacet Occidentali. Quæ ſcilicet corruptè Regnum Lotharij vulgò nuncupatur. In altera, vt diximus, gens Leuticorum barbara omni crudelitate ferocior. cuius vocabulum à luto deriuatur. Eſt enim omnis illorum habitatio circa mare Aquilonare, in paludibus ſordentibus, & idcirco Leutici quaſi Lutei vocantur. Hi quoque anno à paſſione Domini milleſimo de ſuis egreſſi latibulis, vicinas ſibi Prouincias Saxonum ac barbarorum nimium crudeliter deuaſtantes, res Chriſtianorum ad ſolum vſque deleuerunt. viros ac mulieres trucidantes exterminabant. Aduerſus quos Imperator Chounradus cum exercitu permaximo egrediens, multotiens plures ex illis cæde proſtrauit. non tamen ſine damnó ſuorum. Ob quam rem totius Eccleſiæ clerus ac plebs Regni ſui ſemet affligentes, Dominum rogauerunt, vt vltionis vindictam de tanta barbarorum vifania illi concederet, vt ad ſui nominis honorem Chriſtianis foret ex illis victoria. Dehinc verò irruens ſuper eos, maximam illorum partem contriuit. Ceteri fugæ præſidium arripientes

A ripientes ad loca ſuarum paludum inacceſſibilia nimium perterriti euaſerunt. De Henricus
qua victoria idem Imperator accepta confidentia, rurſum collecto exercitu Italiam I.
pergens, ad ipſam vrbem Romam progrediens, vniuerſos rebelliones, qui contra
eum inſurgere tentauerant, anno integro ibidem degens, proterendo compeſcuit.
Pactum etiam ſecuritatis & amicitiæ, veluti Henricus cum patre illius egerat, cum
Rege Francorum HENRICO filio Roberti ſtatuit. Cui etiam leonem pergran-
dem amicitiæ gratia miſit. Qui poſt modum vxorem nomine Mathildem moribus
egregiam de Regno eius, ex Germaniæ nobilioribus accepit.

De ſigno quod in Sole apparuit. CAP. IX.

ANNO igitur eodem die Dominicæ paſſionis milleſimo, die tertio Kalenda- 1033.
rum Iuliarum, ſexta feria, Luna viceſima octaua, facta eſt eclypſis ſeu deli-
quium Solis ab hora eiuſdem diei ſexta vſque in octauam, nimium terribilis. Nam
Sol ipſe factus eſt ſaphyrini coloris, gerens in ſuperiori parte ſpeciem Lunæ à ſua
reilluminatione quartæ. Intuitus hominum in alterutrum velut mortuorum pal-
lor conſpiciebatur: Res verò quæcunque ſub aëre crocei coloris eſſe cernebantur.
Tunc corda humani generis ſtupor ac pauor tenuit immenſus: Quoniam illud in-
B tuentes intelligebant portendere quiddam fore ſuperuenturæ cladis humano ge-
neri triſte. Nam eadem die, natale videlicet Apoſtolorum, in Eccleſia beati Petri
quidam de Principibus Romanorum conſpirantes in Papam Romanum, cupien-
tes illum interimere. Sed minimè valentes, à Sede tamen propria expulerunt. Sed,
vt præmiſimus, tam pro hac re, quàm pro aliis inſolenter patratis, Imperator illuc
proficiſcens propriæ ſedi reſtituit. Necnon & alia paſſim in Orbe cùm in Eccle-
ſiaſticis, tum etiam in rebus ſecularibus multa contra ius faſque patrata contige-
runt. Inſtinctu nempe rapidæ cupiditatis, penè nullius tuta fides in altero, quæ eſt
fundamentum & columen totius boni, reperiebatur. Et vt euidentius foret, quòd
peccata terræ cœlos pulſarent, ſicut Propheta clamat, propter creberrimas populi
iniquitates, *Sanguis*, inquit, *ſanguinem tetigit*. Nam poſtmodum penè in vniuer-
ſis mortalium ordinibus inſolentia pullulante, ac vigore iuſtæ ſeueritatis tenoriſ-
que tepeſcente, vt illud Apoſtolicum noſtræ genti rectiſſimè potuiſſet improbari
elogium, quod ait, *Auditur inter vos nefas, quod nec inter gentes.* Nam impuden-
tiſſima auaritia humana pectora inuadente, periclitabatur fides in cunctis. Exinde
procedebant rapinæ & inceſtus, litigia cæcarum cupiditatum, furta & adulteria
immaniſſima. Proh pudor! horrori erat cuique referre de ſe quod ſentiebat. Ne-
mo tamen propter hoc à nefario malitiæ vſu ſeſe corrigebat. Iterum quoque poſt
annos quatuor facta eſt eclypſis Solis vndecimo die Kalendarum Septembrium, 1037.
C feria quarta, hora ſexta, atque vt ſemper fit Luna viceſima octaua. Eodem nihil-
ominus anno Chuonradus, cuius ſuperiùs mentionem fecimus, apud Saxoniam
Romanorum obiit Imperator. Cuius filius Henricus nomine, quem ipſe viuens
pro ſe Regem conſtituerat, imperauit. VVillelmus etiam Pictauorum Comes mul-
tis pecuniis liber à captione, qua filius Fulconis Gozfredus cognomento Martel-
lus illum in prœlio capiens, ſpatio trium annorum tenuerat, ad propria remeans
ipſo in anno finem vitæ habuit. Hugo quoque Autiſiodorenſis Epiſcopus vir no-
minatiſſimus viuendi finem fecit. Similiter Rainaldus Comes eiuſdem ciuitatis,
Landrici Comitis filius, qui filiam Roberti Regis duxerat vxorem, ipſe quidem
audax, à quodam milite generis infimi audacter interemptus eſt. Is quoque perti-
meſcens ob audaciam, ſicuti contigit, præproperè ſibi funus imminere, dum ad-
huc viueret, Abbatiam in honore Domini Saluatoris conſtructam Monaſterio bea-
ti Germani ex integro perpetualiter poſſidendam reſtituit, quo etiam ſepultus
quieſcit. Præterea Fulco Andegauorum Comes, de quo ſuperiùs quædam retu-
limus, ter Hieroſolymam iam perrexerat, veniénſque Metenſem vrbem ibidem
obiit. Cuius corpus Lucacenſe ad Monaſterium, quod ipſe conſtruxerat, delatum
eſt, atque in eodem ſepultum honorificè.

EXPLICIT LIBER IV.

 A

LIBER QVINTVS.

SVMMA CAPITVM LIBRI QVINTI.

I. *Variæ quæſtiones.*
II. *De bello mirè geſto.*
III. *De tertia eclypſi Solis.*
IV. *De diſſenſione Lugdunenſis Præſulatus.*
V. *De extirpatione Simoniaca.*

Variæ quæſtiones. CAP. I.

RERVM diuerſarum permutationibus, ac variorum caſuum euentibus attonitæ aures; mentéſque obtuſæ ſeu hebetatæ vniuerſorum tunc temporis penè mortalium, tum etiam infeſtationibus ſiniſtrorum ſpirituum. Aliquibus tamen reuelationum vtilium phantaſiæ manifeſtatæ fuiſſe crebertimè ferebantur. Cuidam B
namque Monacho vna noctium viſum eſt, hora qua matutinale
agitatum eſt ſignum, affuiſſe ſibi quendam teterrimum, qui eidem plura perſuaden-
» do inferebat huiuſcemodi colloquium: Cur, inquiens, vos Monachi tot labores, tot
» vigilias, atque ieiunia, necnon afflictiones & pſalmodias, pluresq; alias humiliatio-
» nes exercetis extra communem aliorum hominum vſum? Nonne innumerabiles
» ſecularium homines vſq; ad vitæ terminum in diuerſis flagitiis perſeuerantes, tan-
» dem tamen percepturi quam vos expectatis requiem? Sufficeret enim dies vnus,
» vel hora, ad promerenda præmia æternæ beatitudinis veſtræ iuſtitiæ. Namque tu
» ipſe, miror qua de cauſa tam ſollicitus mox vt audis ſignum velociter exurgis à le-
» cto, rumpíſque dulcem ſomni quietem, quum poſſes quieti indulgere vel vſque ad
» tertium ſignum. Eſt etiam quod tibi pandam ſecretum valde memorabile, licèt no-
» ſtræ ſit parti diſpendium, veſtræ quoque ſalutare remedium. Nam conſtat omnibus
» annis, die qua Chriſtus reſurgens ex mortuis vitam reparauit humani generis, ab
» eodem vniuerſa ſpoliari tartara, & ſuos quoque reduci ad ſupera. Pro quare nihil
» vobis pertimeſcendum. Quicquid libuerit voluptatum, carnis, ac deſideriorum ſe-
» curi agere poteſtis. Hæc nempe & alia perplura, ſicuti erat fallaciſſimus dæmon,
eidem Monacho illudens friuola retulit, adeóq; illum illexit, vt communi fratrum ſinaxi matutinali defuerit. Illud ſane, quod de Dominica reſurrectione ſeductoriè confinxit, verba ſacri redarguunt Euangelij, quæ dicunt; *Multa corpora ſanctorum, qui dormierant, ſurrexerunt.* Non inquiunt omnia, ſed multa. Et ita reuera profitetur fides Catholica. Licèt enim aliquotiens vera Omnipotentis præſcientia diſponente fallaciſſimi omninò dæmones minus irrita prænuntient, tamen quantum ex illorum deliberatione fit, perfunctoria ac ſeductoria conſtant. Vel etiam ſi contigerit ex parte quæ præſagantur ab eiſdem fieri, non planè ſaluti humanæ ſunt profutura, niſi fortè diuina fiat prouidentiâ ob correctionis ſolertiam. Huiuſmodi igitur mihimet nupertimè multoriens Deo propitiante palam eſt contigiſſe. Nam dùm aliquando in beati Martyris Leodegarij Monaſterio, quod Cappellis cognominatur, poſitus degerem, nocte quadam ante matutinalem ſynaxin aſtitit mihi ex parte pedum lectuli forma homunculi teterrimæ ſpeciei. Erat enim quantum à me dignoſci potuit, ſtatura mediocris, collo gracili, facie macilenta, oculis nigerrimis, fronte rugoſa & contracta, depreſſis naribus, os exporrectum, labellis tumentibus, mento ſubtracto ac peranguſto, barba caprina, aures hirtas & præacutas, capillis ſtantibus & incompoſitis, dentibus caninis, occipitio acuto, pectore tumido, dorſo gibbaro, clunibus agitantibus, veſtibus ſordidis, conatu æſtuans, ac toto corpore præceps. Arripiénſque ſummitatem ſtrati in quo cubabam, totum terribiliter con-
» cuſſit lectulum, ac deinde infit: Non tu in hoc loco vltra manebis. At ego territus,
euigilánſque ſicuti repente fieri contingit, aſpexi talem quem præſcripſi. Ipſe verò

A infrendens identidem aiebat: Non hic vltra manebis. Illico denique à lectulo exiliens, cucurri in Monaſterium, atque ante altare ſanctiſſimi Patris Benedicti proſtratus, ac nimiùm paucfactus, diutinè decubui. Cœpíque acerrimè ad memoriam reducere quicquid ab ineunte ætate offenſionum, grauiúmque peccaminum procacirer ſeu negligenter commiſeram. Tum præcipuè, quoniam penè nulla pœnitudinis ſatisfactio ob amorem ſeu timorem Diuinitatis à me exinde ſucceſſerat. Ita quoque miſer & confuſus iacens, non habebam quid potiſſimum dicerem, niſi tantùm, *Domine Ieſu qui veniſti peccatores ſaluos facere, ſecundum magnam miſericordiam tuam miſerere mei.* Interea confiteri non erubeſco, me non ſolùm in peccatis parentum meorum genitum, verùm fuiſſe moribus importunum, & actibus intolerabilem pluſquam narrari queat extitiſſe. Vi etiam cuiuſdam Monachi, mei ſcilicet auunculi, abſtractus à peruerſiſſima, quam præ cæteris agebam, ſecularis vitæ vanitate, cùm eſſem ferme duodenis, atque Monachili indùtus habitu; heu! proh dolor! quoniam veſte ſolummodo, non mente mutatus. Quæcunque enim à Patribus vel ſpiritalibus Fratribus modeſta & ſancta charitatiuè mihi ſuggererentur, truculenti animi inflatione turgidum ſcutum cordis gerens, dictante ſuperbia, ne ſalubria me contingerent, opponebam. Dehinc ſenioribus non obediens, coæqualibus moleſtus, iunioribus oneroſus. Atque vt verè fatear, vniuerſis mei præſentia grauedo erat, leuamen abſentia. Præterea his & huiuſmodi prædicti loci fratres inſtigati, expulerunt me à contubernio ſuæ habitationis. tamen ſcientes non

B defore mihi locum quempiam commanendi tantùm ob litteratoriam notionem. Hoc etiam perſæpè expertum fuerat. Poſt hoc igitur in Monaſterio ſancti Benigni Diuionenſis Martyris locatus, non diſpar, immò idem mihi viſus eſt in Dormitorio Fratrum. Incipiente aurora diei currens exiit à domo latrinarum, taliter inclamando, Meus Baccalaureus vbi eſt, meus Baccalaureus vbi eſt? Sequenti quoque " die, eadem fere hora, aufugiens abiit exindè quidam Frater iuuenis, mente leuiſſimus, Theodoricus nomine: reiectóque habitu, per aliquod temporis ſpacium ſeculariter vixit. Qui poſtmodum corde compunctus, ad propoſitum ſacri Ordinis rediit. Tertio quoque, cùm apud Cœnobium beatæ ſemperque Virginis Mariæ cognomento Meleredenſe demorarer, vna noctium dum matutinum pulſaretur ſignum, & ego labore quodam feſſus non vt debueram, mox vt auditum fuerat, exſurrexiſſem, mecúmque aliqui remanſiſſent, quos videlicet praua conſuetudo illexerat, ceteris ad Eccleſiam concurrentibus. Egrediens autem poſt Fratrum veſtigia anhelus aſcendit gradum præſignatus dæmon, ad dorſum manibus reductis, hæréntque parieti bis terque repetebat dicens: Ego ſum, ego ſum, qui ſto cum il- " lis qui remanent. Qua voce excitus caput eleuans, vidi recognoſcens, quem bis " dudum iam videram. Poſt diem verò tertium, vnus ex illis Fratribus, qui, vt diximus, clamculè cubitare ſoliti fuerant, procaciter à Monaſterio egreſſus, præfato dæmone inſtigante, ſex dies extra Monaſterium cum ſecularibus tumultuosè manſit.

C Septima tamen die, correptus recipitur. Profectò vt beatus Gregorius teſtatur, quibuſdam hic apparent ad ſuum detrimentum, aliquibus verò ad emendationis emolumentum. Quod mihi contingat ad ſalutem orari ac prouenire opto per Dominum Ieſum Redemptorem noſtrum. Illud nempè attentiùs eſt memoriæ commendandum, quoniam dum manifeſtiſſima prodigia in corpore adhuc conſtitutis, ſiue per bonos, ſeu per ſiniſtros ſpiritus oſtententur, non illos diutiùs in hac carne victuros, quibus huiuſmodi videre contigerit. Huius quoque aſſertionis experimenta multa comperimus, ex quibus etiam nonnulla memoriæ commendari placuit: vt quotiens euenerint, cautelam inferant potiùs quàm deceptionem. Apud caſtrum Tarnodorenſe erat quidam Preſbyter religiosè degens, Fretterius nomine, tempore quo Bruno Lingonum Præſulatum tenebat. Hic verò vna dierum Dominica iam veſperaſcente, cùm cœnaturus eſſet, exiuit paululum ſe releuandi gratia ad feneſtras domus ſuæ. Proſpiciénſque vidit à Septemtrionali parte egredi acies equitum, velut in prœlium innumeræ multitudinis pergentes ad Occidentem. Quas cùm diu multúmque intuitus fuiſſet, æſtuans vocare quempiam è ſuis ad teſtimonium tanti oſtentus. Dum autem cœpit clamare vt occurreretur, rareſcendo protinus diſparuerunt. Ipſe quoque tanto animi terrore perculſus, vt vix à lachrymis ſe continere poſſet, dehinc cœpit infirmari. eodémque anno, vt optimè vixerat, obiit. Portento denique ſubtractus quod vidit, illi qui perſenſere

HENRICVS I.

teſtes fuerunt. Nam ſequenti anno filius Regis Roberti Henricus, qui poſt illum A
tegnauit, ad idem caſtrum ira petmotus veniens cum ingenti exetcitu, multa ibi-
dem hominum cædes ab vtraque parte patrata eſt. De hoc profectò conſtat, quo-
niam ea quæ viderat, & ſibi proſpexit, & aliis, licèt diſſimiliter, mitificè tamen
apud Auriſiodorum in Eccleſia beati Germani contigiſſe meminimus. Erat ibi-
dem Frater Gerardus nomine, cui mos erat poſt ſolemnes matutinales in Orato-
tio temotati. Huic contigit quodam mane vt inter orationes obdormiſceret. Qui
ptotinus graui ſomno depreſſus, velut exanimis delarus eſt foras Monaſterij. ſed
qualiter, aut à quibus, huc vſque neſcitur. Qui expergefactus reperit ſe in clau-
ſtro extra Monaſterium eiectum, admirans indicibiliter quod factum de ſeſe cer-
nebat. Simili quippe modo contigit cuidam Preſbytero in eodem Monaſterio per-
noctanti, dum in ſubteriotibus criptis, vbi multa Sanctorum requieſcunt corpora,
obdormiret, circa galli cantum reperit ſemet aſportatum poſt Chorum Mona-
chorum. Namque de eadem Eccleſia certa relatio conſtat, quoniam ſi contigerit
noctu luminate extingui, quoúſque reaccendatur, cuſtodes eiuſdem Eccleſiæ nul-
lam quietem poſſe conſequi. Præterea fuit quidam Frater, qui ſolitus erat ad al-
tare ſanctæ Mariæ, quod excellentiſſimè conſtat, frequenter orare, ac gemitus &
compunctionis lachrymas fundere. Vnum igitur ei erat, quod penè vniuerſis ac-
cidir, inter orarum frequentet ſpuete, ac de lumbe ſaliuam emittere. Contigit
vetò aliquando, vt ſomno oppreſſus obdormiret. Apparuit ei ſtans iuxta altare qui- B
dam candidis indumentis circundarus, præferens in manibus pannum candidiſſi-
,, mum, atque in huiuſmodi erumpebat verba: Cut me, inquiens, ſputis ptopriis
,, verberando illinis? Nam ego, vt cernis, ſuſcipio munus tuarum orationum, de-
,, fetens illud ad conſpectum miſericotdiſſimi Iudicis. Qua viſione correptus Frater
ille, & ſeſe continuit, & ceteros, vt ſe in quanrum valerent in ſacris locis contine-
rent, ammonere curauit. Et licèt hoc naruta dictante proueniat, tamen in pleriſ-
que locis gentium omnimodis abſtinetur in Eccleſia ab ſcreationum ſputis, niſi
fottè ſuſcepta, delatura exinde foras in quibuſdam receptaculis. & præcipuè apud
Græcos, vbi ſemper tenor Eccleſiaſticus cautiſſimè viguit. Clarere igitur locum
prædictum diutinè metitis beati Germani, ac ceterorum Sanctorum ibidem qui-
eſcentium, ſignis & ptodigiis tam in donis ſanitatum, quàm in vltionum vindictis
ad ſe pertinentia diripientium manifeſtum eſt. Si qui nempe de Ptimatibus pa-
triæ huiuſce loci rerum inuaſotes ſeu ditemptores increuerunt, Deus exinde vl-
tor, ipſorum genus cum ſuis tebus in opptobrium & pœnæ ad nihilum tedigere
conſueuit. Huius enim teſtimonium intet cetera noſtræ aſſertionis euidens ex-
tat vltio genetis cuiuſdam Bauonis, necnon & filij eius Aluuálonis, crebettimá-
que confuſio Silliniaci ſactilegiſſimi caſtri. Præterea egomet quondam rogatus à
conſeruis & Fratribus noſtris eiuſdem loci, vt altariorum titulos, qui à Scholaſticis
vitis compoſiti olim fuerant, ſed vetuſtate, vt penè cuncta, fatiſcente minimè com-
parebant, reformarem. Quod vt competens erat, libenti animo quomodo valebam C
adimplere ſtudui. Sed priuſquam ad cœpti operis calcem opus petducerẽ, ex nimia
corporis ſtatione, vt reor, nocte quadam in ſtrato conquiniſcens ita contractus ſum
membtis omnibus hicterica paſſione, vt non etigete memet, neque in latus aliud
vertere vllo modo valerem. Poſt triduum verò inſecuta nocte nimiis detento an-
guſtiis, apparuit mihi vir canitie venerandus, qui me in ſomnis per brachium eri-
gens aiebat: Exple quantociùs quod cœpiſti; dolere vltra ne paueas. Illico verò ex-
pergefactus memet admirans, excutiénſque à lectulo, cucurri ad altare victorioſo-
rum Martyrum, Victoris videlicet, Apollinariſque ăc Geotgij, quoniam illorum
Oratorium contiguum erat Domui infirmorum. Ibique vniuerſorum Dẽo humil-
limas grates refetens, alacer matutinales expleui ſolemnes. Die verò inſecuta toto
integettimè valens corpore, eorundem Martyrum nominibus propriis ibidem
compoſui tirulum. Eccleſiæ denique maiotis erant altaria numeto viginti duo,
quibus, vt decens etat, titulis ſynopi de verſibus hexametris conuenienter digeſtis,
Sanctorúmque epitaphiis reparatis; teligioſorum etiam virorum quorundam tu-
mulos ítidem perornare cutaui. Quod ſanæ mentis hominibus admodum placa-
,, bile fuit. Sed vt Pater Odilo ſæpiùs plangere ſolitus fuerat, ita contigit: Heu! ptoh
,, dolor! inquiens, quoniam næuum inuidentiæ licet in cetetis graſſerur hominibus,
,, tamen in finibus aliquorum Monachaliter viuete ptofeſſis cubile ſibi locauit. Nam

A quidam à ſui Monaſterij Fratribus exoſus diſcedens, venit ad noſtros. A quibus, vt HENRICVS
mos illorum ſemper fuit, deuotè ſuſceptus eſt. Is autem veneno inuidiæ infecit Ab- I.
batem cum aliquibus Monachis, compellens in tantum aduerſum me odium, vt
præſcriptos altariorum titulos deſtruerent vniuerſos. Sed protinus Domino vltore
affuit illius vindex, qui incentor extiterat fraternæ diſcordiæ. Multatus enim illi-
co damnabili oculorum cæcitate, offendens pedibus irrecuperabiliter vſque in fi-
nem vitæ ſuæ. Cuius denique rei euentus tam vicinis quàm longè poſitis non mini-
mam præbuit admirationem. Contigit ibidem ipſo in tempore, vt aliqui è Fratri-
bus ſubinde migrarent ab hac luce. Quorum vnus nomine VValterius, cognomen-
to, vt erat ſtatura, Puſillus, ac natura ſimpliciſſimus, incipiente nocte magni Sab-
bati Reſurrectionis Dominicæ, qua ipſe obiit. Apparuit enim in hora ſui exitus in-
numerabilibus viris ac mulieribus columna lucis ignea, à culmine Monaſterij ad
cœlum vſque pertingens. Quibus nempe non dubium fuit miſericordiſſimi Dei
actum largitione, qui animam Fratris iſtius ſuæ glorioſæ reſurrectionis voluit par-
ticipem fore, ac viuentibus viam innocentiæ demonſtrare.

QVÆRI ſolet à nonnullis, cur tempore nouæ Legis vel gratiæ, non manifeſtè,
ſicut antiquitus, fiunt viſiones diuinitus, ac rerum miracula? Quibus paucis reſpon-
dendum eſt ex ipſius diuinę Scripturæ teſtimoniis, ſi tamen cor illorum capax fuerit
ſancti Spiritus donorum. Libet quoq; vt Deuteronomium euidens primitus exhi-
beat teſtimonium. Poſtquam enim populus Hebræorum paſtus quadraginta anno-
B rum cœleſte manna, Iordanem tranſiens, in terram venit Chanaan, ceſſauit cœ-
lum pluere illud. nec vltra vſi ſunt tali cibo filij Iſraël. Quid igitur in hoc facto no-
bis innuit, quibus penè omnia in figura contingunt, niſi quòd tranſito noſtro Ior-
dane, id eſt Chriſti baptiſmate, non vltra præſagiorum cœlitus ſigna debere inqui-
ri? Sed potiùs nobis debet panis viuus ille ſufficere, quo qui veſcetur, viuet in æter-
num poſſeſſurus terram viuentium. Rurſus verò ex præcepto Domini conſtitutum
eſt à Moyſe, vt quæque vaſa ex præda hoſtium illi populo prouenirent: lignea, aqua
expiarentur; quæ ænea, igne. Simili quoque modo figuraliter exprimit, quoniam
vaſa iidem homines, qui ex præda hoſtis antiqui in partem ceſſerunt Saluatoris,
aqua baptiſmatis atque igne martyrij purificandi eſſent. Non minus etiam virgeus
ille ſerpens, qui Moyſi pauorem incuſſit, ita vt fugeret illum; & rurſus accipiens
illum caudatenus, effectus eſt virga. typicè in hoc facto perſpiciendus eſt. Signa-
tur per ſerpentem ex virga factum Deitatis potentia ex ſanctæ Mariæ Virginis car-
ne induta. Per Moyſen enim Iudaïcus populus, qui cernens Dominum Ieſum ve-
rum Deum & hominem, fugit ab eo incredulus: ſed recipiet illum circa finem ſe-
culi, quod exprimitur per caudam ſerpentis. Ille quoque tranſitus maris Rubri, in
quo illud mare diuiſum vel exſiccatum eſt: deinde gentes ex præcepto Domini
gladio extirpatæ, euidenter ſignant Regnum Iſraëliticæ gentis temporaliter ſub-
ſiſtens marceſcendo adnullari. In initio quippe nouæ gratiæ, vel regni Chriſti,
C ſtans Dominus Ieſus atque ambulans ſuper fluctus maris, ac Petro, quem Eccleſiæ
ſuæ præfecerat, ſecum ambulare conceſſit: fidelibus vniuerſis innuitur, niſi quod
ſubactis gentibus vniuerſis, & non funditus perditis vel extirpatis, ex eiſdem ſta-
bilietur Chriſti regnum per ſecula manſurum. Eſt enim frequens atteſtatio diuini
ſermonis, quòd videlicet mare figuram gerat præſentis ſeculi.

SÆPE igitur, dum aliquis rem permaximam verbis elucidare cupit, in ſeſe de-
ficiens minuit, vt Scriptura dicit, *Qui eſt ſcrutator maieſtatis, opprimitur à gloria.*
Sed cur iſta præmiſimus, breuiter intimabimus. Conſtat enim myſterium Eucha-
riſtiæ pauciſſimis perſpicuum, dum ſit penè mortalibus vniuerſis incognitum, ſicu-
ti cetera quæ fide conſtant, & intuitum oculorum non expoſcunt. Illud præcipuè
commonendum, quòd corporis & ſanguinis Domini Ieſu Chriſti viuificans confe-
ctio exiſtimetur nullatenus in ſeſe pati diſpendium, aut caſu aliquo incurrere pe-
riculum. Si quando autem videtur conlabi, ſeu deperire per negligentiam ſibi tra-
ctantium, reſtat eiſdem, ſi non alacriter pœnituerint, damnationis iudicium. At
cùm Dominus dixerit, *Qui manducat meam carnem, & bibit meum ſanguinem, ha-
bet vitam æternam, & ego reſuſcitabo eum*; nullo modo putare debemus, vt quod-
quam animal præter hominem carnis reſurrectionem percipiat, ſed nec niſi fi-
delis etiam Euchariſtiam percipit ad ſalutem. Denique extitit quidam in no-
ſtro tempore in Clericali habitu, dum iure culparetur quodam crimine, contigit

HENRICVS I.

vt ſumeret audacter iudicio examinationis donum Euchariſtiæ, calicis videlicet A
ſanguinis Chriſti. Cui protinus per medium vmbilici egredi viſa eſt pars candidiſ-
ſima quam ſumpſerat eiuſdem ſacrificij, dans procul dubio euidens indicium rea-
tus ſe indignè percipientis. Illico verò confitens quod prius negauerat, dignè pœ-
nituit. In Cabillonenſi quoque pago, ob imminentem cladem, vidimus qui vide-
ret ex pane ſacrato veram carnem effectam. Apud Diuonem caſtrum eodem tem-
pore, dum à quodam deferretur cuidam ægrotanti, caſu excedere manu ferentis.
Qui attentè quærens, reperire minimè potuit. Poſt annum verò euolutum, re-
pertum eſt iuxta viam publicam, vbi ſub diuo ceciderat, ita candidum, atque in-
contaminatum, ac ſi hora eadem cecidiſſet. Lugduni denique in Monaſterio Bar-
barenſe, dum quidam, vt credi debet, inconuenienter buſtulam vel pixidem, in
qua ſeruabatur, vt mos eſt, adtractare vellet, è manibus illius ſeſe eripiens, longiùs
in aëre ſtetit.

De Criſmale etiam, quod à quibuſdam Corporalis appellatur, plurimùm ex-
pertum eſt præſtare remedia, ſi fides exigentium non fuerit dubia. Nam contra in-
cendia ſæpiùs eleuatum, aut extinguendo compeſcuit, aut retrorſum pepulit; ſeu
in partem alteram retorſit. Membra quippe ægrorum dolentia multotiens ſana re-
ſtituit, febricitantibus nihilominus impoſitum ſalutem contulit. Apud Monaſte-
rium Reomenſe, tempore venerabilis VVillelmi Abbatis contigit, vt incendium
circumiacentia Monaſterij depopularetur. Arripientes autem eiuſdem loci Fratres
Criſmale conto impoſitum, eleuauerunt illud contra incendij flammas dirè fla- B
grantes. Statim verò, idem ignis in ſeſe retorquens, minimè ampliùs quàm inua-
ſerat, arripere valuit. Panis tamen ille Dominicus, aura flante, à contulo elapſus,
plus minus duobus milliariis auolauit vſque ad villam, cui Tiualgas vocabulum
eſt. ibique ſuper domum cuiuſdam veniens ſedit. Quo proſecutus, ad Monaſte-
rium dignanter eſt delatus. Contigerat enim in ipſo anno, die Paſchæ, in Eccleſia,
quæ Monaſterio adiacet beati Pauli nomine dicata, vt calix viuifici ſanguinis de
Sacerdotis manibus in terram laberetur. Sed vt prædictus Pater comperit, vt erat
vir ſolertis ingenij, tribus è ſuis Monachis huius delicti culpam pœnitere præcepit.
videlicet pertimeſcens ne culpa inſipientis Presbyteri ſuos inuolueret cum illo ad
vindictam vltionis. Quod etiam feciſſet, ſi non obſtitiſſet prouidentia ſagacis viri,
vt rei probauit euentus. Atque idcirco iſta præmiſimus, vt intimaremus fidenter
credere, quoniam ſicubi caſus huius ſacri ac viuifici doni negligenter euenerit, vl-
tionis cladem diuinitus imminere ac ſubſequi. Quemadmodum verſa vice quoli-
bet in loco condignè illud tractari contigerit, abundare commodis vniuerſis. Sed
& illius magnifici myſterij celebratio, quantum proſit animabus defunctorum fi-
delium, cùm in multis ſit probatiſſimum, libet tamen è diuerſis præſentialiter pro-
ducere ad medium vnum. In remotioribus Africæ partibus erat quidam Anacho-
rita, de quo ferebatur quòd ſpatium viginti annorum tenebat illum omnino ſegre-
gatum à conſpectu vllius hominis. Viuebat enim labore manuum, & radicibus her- C
barum. Contigit vt homuncio quidam genere Teiphalus, vnus ex illis circuitori-
bus regionum, qui nunquam ſaturantur experientia & nouitatibus locorum, illuc
pergens deueniret. Qui famam illius Anachoritæ competiens, aggreſſus ſolitudi-
nem ardore Solis peruſtæ regionis, diu multúmque illum inquirens, ſi fortè repe-
riret. Tandem ille prior ſolitarius ſe inquirentem aſpiciens, vocauit eum vt ad ſe
veniret. Qui veniens ad illum, interrogare eundem cœpit; Quis, aut vnde eſſet,
ſeu cuius rei gratia illuc deueniſſet. Qui protinus reſpondit; ipſius deſiderio con-
ſpiciendi accenſus illuc deueniſſe, nihilque præter eum aliud quærere. Deinde vir
» ille Theologus ſubſecutus ait: Noui te, inquiens, à partibus Galliarũ huc deueniſſe.
» Sed quæſo, dic mihi, ſi Cœnobium Maioris * Monaſterij, quod in eiſdem partibus (* al. Cluniacenſe.)
» habetur, aliquando vidiſti. At ille dixit: Vidi, inquit, & optimè cognitum eſt mihi.
» Tũc dixit ei: Scito, ait, præ cunctis Romani Orbis illud valere præcipuè in liberatio-
» ne animarum à dæmonica dominatione. Tanta enim viget in eo viuifici ſacrificij
» frequens immolatio, vt nulla pene dies pertranſeat, in qua non de poteſtate mali-
» gnorum dæmonum tale commercium animas eripiat. Erat ſiquidem, vt ipſi perſpe-
ximus, mos illius Cœnobij, à prima diei aurora vſq; in horam prandij, propter Fra-
trum copiam, continua Miſſarum celebratio. Quæ videlicet tam dignè puréque
ac reuerenter fiebat, vt magis angelica, quàm humana exhibitio putabatur.

A ANNO igitur milleſimo quadrageſimo primo Incarnationis Dominicæ extitit terminus Paſchalis duodecimo Kalendarum Aprilium, & ipſe dies vndecimo: Atque iccirco adnotare placuit, quoniam nec communis vnquam fit temptior, nec emboliſmus ſeptimo Kalendarum Maiarum diem aliquando excedit. Sed inter ipſos triginta quinque dies legitimè dies ſacerrimus Paſchæ coarctatur. Obiit quoque eodem anno Chuonradus Imperator. Cui ſucceſſit in Regnum Henricus filius ipſius iam ab eodem patre conſtitutus Rex. Contigit verò ipſo in tempore, inſpirante diuina gratia, primitus in partibus Aquitanicis, deinde paulatim per vniuerſum Galliarum territorium, firmari pactum propter timorem Dei pariter & amorem. Taliter vt nemo mortalium à feriæ quartæ veſpere vſque ad ſecundam feriam incipiente luce, auſu temerario præſumeret quippiam alicui hominum per vim auferre, neque vltionis vindictam à quocumque inimico exigere, nec etiam à fideiuſſore vadimonium ſumere. Quòd ſi ab aliquo fieri contigiſſet contra hoc decretum publicum, aut de vita componeret, aut à Chriſtianorum conſortio expulſus patriâ pelleretur. Hoc inſuper placuit vniuerſis, veluti vulgo dicitur, vt *Treuga Domini vocaretur*. Quæ videlicet non ſolùm humanis fulta præſidiis, verùm etiam multotiens diuinis ſuffragata terroribus. Nam plerique veſani audaci temeritate præſcriptum pactum non timuere tranſgredi, in quibus protinus aut diuina vindex HENRICVS I. 1041.

B ira, ſeu humanus gladius vltor extitit. Et hoc paſſim tam frequenter contigit, vt præ ſui multitudine ſingulatim non queant adnotari. & hoc ſatis iuſtè. Nam ſicut dies Dominicus propter Dominicam reſurrectionem venerabilis habetur, & Octauus cognominatur, ita quintus, ſextus, & ſeptimus, ob Dominicæ cœnæ & eiuſdem paſſionis reuerētiam, debent ab iniquis actionibus eſſe feriati. Contigit enim, vt dum penè, ſicut iam diximus, per totas Gallias hoc ſtatutum firmiter cuſtodiretur, Neuſtriæ gens illud ſuſcipere recuſaret. Erat enim huius rei occaſio diſſidium ſuperbiſſimi litigij, quod ortum fuerat inter Henricum Regem filium Roberti, & filios ſupradicti Odonis, qui viciſſim incendiis bella miſcentes inteſtina, ſibimet damna inferentes non modica, plurimas ſuorum ſtrages dederunt. Deinde quoque occulto Dei iudicio cœpit deſæuire in ipſorum plebibus diuina vltio. Conſumpſit enim quidam mortifer ardor multos tam de magnatibus, quàm de mediocribus atque infimis populi: quoſdam verò truncatis membrorum partibus ſeruauit ad futurorum exemplum. Tunc etiam penè gens totius Orbis ſuſtinuit penuriam pro raritate vini & tritici.

EODEM verò anno, id eſt, quinto poſt quadrageſimum atque milleſimum Dominicæ Incarnationis annum, antedictus Henricus filius Chuonradi Rex Saxonum iam in re, Romanorum verò Imperator in ſpe, duxit vxorem filiam VVillelmi Pictauorum Ducis, nomine Agnetem, quam etiam deſponſauit in ciuitate 1045.

C Chryſopolitana, quæ vulgo Veſuntio vocatur. Illuc denique ob amoris ac beneuolentiæ gratiam vtriuſque conuenit maxima Nobilium multitudo, Epiſcoporum verò numero viginti octo. Prouenerat enim in deditionem prædicti Regis Regnum Auſtraſiorum, quod illi à progenitoribus competebat. Simul etiam genti Hunorum proprio moderamine Regem Abbonem nomine inſtituerat. Vnanimiter enim vniuerſi Marchiones ac Comites tam ex Italia quàm ex Germania, longè latéque eiuſdem Regis dominium ſemet ſuper exercere gratanter expetebant. Et non immerito. Erat enim affabilitate gratiſſimus, ac liberalitate perſpicuus, atque humilitatis gratia præditus. Nec cuiuſpiam extollentiæ nutu notabatur ineptus. Atque ideirco vniuerſis circumcirca exiſtebat amabilis. Ipſo itidem anno prædicta gens Vngarorum eius Imperio rebellis extitit. Quam ille hoſtiliter aggreſſus, potenter deuicit, ſibique tributariam ſubiugauit. Tamen, proh pudor! vnum in eo erat nimium reprehenſibile, quod incontinentia carnis luxuriæ infamabatur. Illud enim vitium plus ceteris in genere humano rerum ordinem turbat.

SEQVENTI igitur anno, id eſt, quadrageſimo ſexto poſt milleſimum, facta eſt per loca magna vini fertilitas & leguminum. Poſt hæc verò ſexto Idus Nouembrij menſis, Luna quattadecima, nulla currente Epacta, concurrente ſeptimo, facta eſt eclypſis Lunæ hominibus valde tremenda. Nam octaua hora noctis inter Solem & ipſam Lunam ſiue patratum à Deo oſtenſum, ſeu inuertente ſphæra alterius ſideris qualiter euenerit, manet notum ſcientiæ conditoris. Ipſa quoque Luna 1046.

HENRICVS I.

primitus penè facta eſt tota ſicut ſeter ſanguis, paululum euadendo vſque ad auroram ſuperuenientis diei. Eodem nihilominus menſe apud caſtrum ſancti Florentini, quod eſt ſuper Armentionem fluuium, circa medium cuiuſdam diei cecidit de cœlo quod Græcè dicitur ſelas, vel caſma, ſeu palmerie, dum fulgor ætherei ſplendoris inſolito ad terras emittitur. inſulſum enim vulgus perhibet ſtellam de cœlo cadere. Tunc ergo prædicto menſe Nouembrio perductæ ſunt in quibuſdam locis Galliarum præter ſolitum ad maturitatem ſegetes primæ ſationis Auguſti menſis collectæ menſe Octobrio. quod non ſine magna admiratione contigit fieri. A

De bello mirè geſto. CAP. II.

SVB eodem quoque tempore fuerat orta grandis diſcordia vſque ad effuſionem multi ſanguinis, inter HENRICVM Francorum Regem Roberti filium, & filios ſupra taxati Odonis, Tebaldum videlicet, atque Stephanum. Contigit enim poſt multas ſtrages cladis vtrarúmque partium, vt idem Rex ablato ab eiſdem dominio Turonicæ vrbis daret illud Gozfredo cognomento Tuditi, filio ſcilicet Fulconis iam dicti Andegauorum Comitis. Qui collecto magno exercitu, ipſam ciuitatem anno vno & eo amplius obſidione circumdedit. Aduerſus quem tandem hoſtili manu pergentes dimicaturi, re vera vt afflictæ indigentique alimoniis ſuccurrerent vrbi, ambo prædicti filij Odonis. Quod Gozfredus comperiens, expetiuit auxilium beati Martini, promiſit ſe humiliter emendaturum, quicquid in ipſius ſancti Confeſſoris, ceterorúmque Sanctorum poſſeſſionibus raptu abſtraxerat. Indéque accepto vexillo imponens illud propriæ haſtæ, cum exercitu equitum peditúmque multorum obuiam perrexit aduerſum ſe dimicaturis. Dúmque venirent vtræque partes in comminus, tantus terror inuaſit exercitum duorum fratrum, ac ſi vincti ligaminibus omnes pariter imbelles extiterunt. Stephanus autem arrepta fuga, cum aliquibus militibus euaſit. Theobaldus verò ex cetera multitudine totius exercitus captus ad Turonenſem ciuitatem deducitur, ipſámque Gozfredo reddidit: atque cum ſuis omnibus huc illúcque diſperſis, in captione remanſit. Nulli dubium eſt, beato Martino auxiliante, qui illum piè inuocauerat, ſuorum inimicorum victorem extitiſſe. Referebant enim aliqui ex acie fugientes, quòd tota phalanx militum Gozfredi in ipſo procinctu belli, tam equites quàm pedites candidiſſimis indumentis videbantur adoperti. Nam ex rapina pauperum eiuſdem Confeſſoris ferebant ſupplementum ſuis filij Odonis. Præbuit enim vniuerſis audientibus formidoloſum ſtuporem, quòd mille ſeptingenti & eo amplius viri armis inſtructi abſque ſanguinis effuſione in prælio capti ſunt. B

De tertia eclypſi Solis. CAP. III.

IN præſcripto quoque menſe Nouembrio decimo Kalendarum Decembrium C
hora tertia eiuſdem diei facta eſt noſtro in tempore tertia eclypſis Solis, Luna duntaxat viceſima octaua, quoniam neque Solis aliquando eclypſis niſi in viceſima octaua Luna, nec Lunæ niſi in quartadecima Luna proueniet. Dicitur enim eclypſis defectus ſiue defectio, non quòd ſibimet res, ſed nobis impedita potiùs deficiat. Ipſis quoque diebus, referente VVidone Remorum Archipræſule, didicimus quòd viſa ſit à ſuis ſtella Boſphorus, quæ & Lucifer Veſpere, ſurſum atque deorſum agitari quaſi comminans terrigenas identidem tabat. Huiuſmodi quippe oſtentis cœlitus emiſſis terruerunt quamplurimos ſuæ prauitates, vt ad correctionis viam pœnitendo redirent. Tunc inter ceteras rerum inopias vini tanta raritas extitit, vt viginti quatuor ſolidorum foret pretium vnius modij.

De diſſenſione Lugdunenſis Præſulatus. CAP. IV.

FVIT igitur in ſuprà taxatis diebus diſſenſio permaxima poſt mortem Burchardi Archipræſulis Lugdunenſis, de Præſulatu ipſius ſedis, quam plures non iuſtis appetebant meritis, ſed inſtinctu ſuperbæ elationis. Primus omnium prædicti Burchardi nepos, eiuſdem æquiuocus, ſupra modum ſuperbiſſimus, relicta ſede propria Auguſtanæ ciuitatis procaciter Lugdunenſem arripuit. Qui poſt multas

HENRICVS I.

A perpetratas nequitias captus à militibus Imperatoris perpetuò eſt condemnatus
exilio. Poſt ipſum verò quidam Comes Girardum ſuum filium puerulum quen-
dam arroganter ibidem ſola præſumptione auctore ſubſtituit,& ipſe poſt modicum
non vt Paſtor ouium, ſed veluti mercenarius in fugam verſus delituit. Quæ omnia
dum perlata fuiſſent Romano Pontifici, ſuggeſtum eſt ei à viris fidelibus, vt ſua
auctoritate Patrem Odilonem Clunienſis Monaſterij Abbatem ibidem eligeret
conſecrari Pontificem. Sic enim totius Cleri ac plebis optans acclamabat deuotio.
Qui protinus mittens eidem Patri pallium ſimul & anulum, imperauit eundem
prædictæ ciuitati fore Archiepiſcopum. Sed vir religioſus ſuæ humilitatis atten-
dens propoſitum, omnimodis renuit fieri. Pallium & anulum ſuſcipiens, illi qui
Deo dignus exiſteret reſeruauit futuro Pontifici eiuſdem Sedis. Habetur enim
antiquitus ipſa Lugdunenſis ciuitas index veri luminis maximæ partis Galliæ, quo-
niam præcones primitus Chriſtianę fidei à ſancto Policarpo diſcipulo Ioannis Apo-
ſtoli miſſi deuenientes vniuerſam illuſtrauerunt regionem. Contigit enim poſt-
modum, vt ſuperiùs diximus, vt Henricus Rex recepto Regno Auſtraſiorum, dum
comperiſſet huius diſſenſionis cladem condoluit, perquirens quid exinde agere
deberet. Cui, dum apud Veſoncionem deueniſſet, ſuggeſtum eſt tam ab Epiſco-
pis quàm ab omni plebe, vt virum æquè tali miniſterio dignum, Odolricum ſcili-
B cet Lingonenſis Eccleſiæ Archidiaconum, Lugduni conſtitueret Pontificem. Qui
protinus vt ſuggeſtum fuerat, ſpecioſiſſimis adornatum indumentis ad præfatam
illum deſtinauit Sedem. Illico nempe reſtituta eſt totius Prouinciæ requies, &
pax diu optata cum gaudio. Poſtmodum verò gens Hungrorum iam ſecundò præ-
dicto Regi rebellis exiſtens, aduerſus eundem prœliari diſpoſuit. Contra quam
egreſſus, licèt impar numero, confidens tamen in Dei auxilio, confligere cum ipſis
non timuit. Non enim erant in exercitu ipſius pluſquam ſex millia virorum, cùm in
Hungrorum phalangibus æſtimarentur ducenta millia armatorum. Erant etiam
cum Rege quamplures Epiſcopi, cum Clericis multis, qui pietatis gratia inermes
cum eo in certamen introierunt. In eóque certamine tanta caligo ac tenebræ oc-
cupauerunt Hungrorum partem, vt vix iuxta ſe poſitum quis illorum poſſet agno-
ſcere. Exercitus quoque Regis videbatur clariſſimo Sole circum & infra perluſtra-
tus. Qui fortiter dimicans innumerabili cæde proſtrauit aduerſarios, fugauitque,
cùm de ſuis perpauci corruiſſent. Capta verò præda hoſtium, ac Regno, vt primi-
tus cœperat, ordinato, triumphans Rex deuenit ad propria. Contigit ergo tunc
temporis vt Abbas cuiuſdam Monaſterij honeſtæ poſſeſſionis eidem Imperatori
equum valde optimum præſentaret, quatenus ſibi ac loco ſibi commiſſo ipſius li-
beralitatis amicitiam conciliaret. Fuerat denique idem equus ignorante Abbate,
cuidam militi clam ſublatus, ſibíque precio venundatus. At Imperator gratanter
C illum ſuſcipiens, ſuimet euectioni mancipauit. Quodam igitur die eidem equo
inſidens, iter agebat, obuiam fuit ei miles, cui præfatus equus furtim ablatus fue-
rat. Qui prudenter aggrediens Imperatorem, in huiuſmodi prorupit verba: Tu,
inquiens, ô Rex, qui cenſuram debes tenere totius iuſtitiæ, equum modò fraudu- “
lenter abſtractum cerneris poſſidere. Cui illicò Rex tale pertulit reſponſum: Si “
tuus, inquit, eſt equus, vt ais, accipe illum cum ſeſſore, & educ tecum quò melius “
optas, & habeas vtrumque quouſque perſolutionem furti ſuſcipias. Miles quoque “
exiſtimans ſibi illudi, hærebat ſtupens. Enimuero Rex compulit eum, vt manu in-
iecta duceret vtrumque in ſuum dominium. Aſpicientes verò qui circumſtabant,
ingenti admiratione ſtupuerunt. Quæ grates, inquiens Rex, referendæ ſunt illi “
viro, qui me tam ſubdolè in hanc impulit captionem? Qui dum ab vniuerſis horri- “
biliter deteſtaretur, ait Rex, Adducite illum, vt ſecundum illuſionem, quam in “
me geſſit, in eo vindicetur. Dúmque præfatus Abbas accerſitus fuiſſet, ait ei: De- “
pone baculum regiminis paſtoralis, quem credis largitione mortalis hominis de- “
bere geſtari. Quem cùm à ſe proieciſſet, ſuſcipiens illum Rex: impoſuit dexteræ “
imaginis Saluatoris: Vade, inquiens Abbati, & ſuſcipe illum de manu omnipo- “
tentis Regis, nec ſis vltra pro eo debitor alicuius mortalis: ſed liberè vtere eo, vt “
decet culmen tanti nominis. At ipſe gaudenter illum ſuſcipiens, plurimis de tali “
facto alacritatem contulit, ac dehinc omni cum libertate viguit.

Henricus I.

A

De extirpatione ſimoniaca. Cap. V.

DIGNOSCENS igitur idem HENRICVS per vniuerſam Galliam atque Germaniam ſimoniacæ philargyriæ graſſati cupiditatem, coadunari fecit ex omni imperio ſuo tam Archipræſules quàm ceteros Pontifices, & tale eis intulit
» colloquium: Lugens vobis incipio loqui, qui vice Chriſti in Eccleſia conſtituti
» eſtis, quam ipſe ſibi deſponſauit, ac precio ſui ſanguinis redemit. Sicut enim ipſe
» gratuita bonitate de ſinu Dei Patris per Virginem ad nos natus eſt redimendos, ita
» ſuis præcepit, mittens eos in Orbem vniuerſum, Apoſtolis; *Gratis accepiſtis, gratis*
» *date.* Vos enim auaritia & cupiditate corrupti, qui dum conferre deberetis, in hu-
» iuſmodi tranſgreſſionis dando & accipiendo * canonem; maledicti eſtis. Nam &
» pater meus, de cuius animæ periculo valde pertimeſco, damnabilem auariciam in
» vita nimis exercuit. Idcirco quicunque veſtrorum huiuſce * ſeſe norunt contami-
» natos, oportet vt à ſacro miniſterio ſecundum diſpoſitionem canonicam arcean-
» tur. Patet ergo manifeſtiſſimè, quoniam propter hanc offenſam venerunt ſuper
» filios hominum diuerſæ clades, fames videlicet, atque mortalitas, necnon & gla-
» dius. Omnes quippe gradus Eccleſiaſtici à maximo Pontifice vſque ad Hoſtia-
» rium opptimuntur per ſuæ damnationis precium, ac iuxta vocem Dominicam in
» cunctis graſſatur ſpiritale latrocinium. His denique ab Imperatore acerrimè pro- B
latis, ſtupefacti Pontifices, quid illi reſponderent non habebant. Pertimeſcebant enim carere ob hanc culpam propriis Epiſcopatuum Sedibus. Et quoniam non ſolùm in Gallicanis Epiſcopiis hæc peſſima pullulauerat nequitia, verùm etiam multò ampliùs totam occupauerat Italiam. (Omnia quippe miniſteria Eccleſiaſtica ita eo tempore habebantur venalia, quaſi in foro ſecularia mercimonia.) Cernentes quoque Epiſcopi graui ſeſe inuectione irretitos, miſericordiæ operam implorabant. At ipſe Princeps miſericordiâ motus, tale conſolationis protulit ver-
» bum: Ite, inquiens, & quod illicitè accepiſtis, benè diſponere ſatagite, ac pro
» anima patris mei, qui hac noxa reus vobiſcum tenetur, attentiùs intercedere me-
» mentote: quatenus ei indulgentiam huius facinoris à Deo poſſitis acquirere. Tum
propoſuit edictum omni Imperio ſuo, vt nullus gradus Clericorum, vel miniſterium Eccleſiaſticum precio aliquo acquireretur. Ac ſi quis dare aut accipere præſumeret, omni honore deſtitutus, anathemate multaretur. Spopondit inſuper
» promiſſum huiuſmodi, dicens: Sicut enim mihi Dominus coronam Imperij ſola
» miſeratione ſua gratis dedit; ita & ego, quod ad religionem ipſius pertinet, gratis
impendam. Volo, ſi placet, vt & vos ſimiliter faciatis.

IPSO quoque in tempore Romana Sedes, quæ vniuerſalis iure habetur in Orbe terrarum, præfato morbo peſtifero per viginti quinque annorum ſpacia miſertimè laborauerat. Fuerat enim eidem Sedi ordinatus quidam puer circiter annorum XII. contra ius fáſque. Quem ſcilicet ſola pecunia auri & argenti plus commendauit, quàm ætas aut ſanctitas. Et quoniam infœlicem habuit introitum, infœliciorem perſenſit exitum. Horrendum quippe referre, turpitudo illius conuerſationis & vitæ. Tunc verò cum conſenſu totius Romani populi, atque ex præcepto Imperatoris eiectus * eſt à Sedo, & in loco eius ſubrogatus eſt vir religioſiſſimus ac ſanctitati perſpicuus Gregorius natione Romanus. Cuius videlicet bona fama quicquid prior fœdauerat in melius reformauit.

C

** al remotus.*

FINIS.

A

HELGALDI SIVE HELGAVDI FLORIACENSIS MONACHI EPITOMA VITÆ ROBERTI REGIS,

Ex alterius Monachi ſcriptis.

VIR Domini ſanctiſſimus Anianus inter cetera, quæ à Deo poſſedit in hoc ſeculo, præcipuos & non ſegnes ad regendum ſuum B *ſanctum Dei locum habuit Patres. Ex quibus vnus benigniſſimè effloruit* LEODEBODVS *nomine, ſanctitate, ſcientia, diuitiis pollens & gloria. Hic autem fuit temporibus* CHLOTHARII *Francorum Regis, patris* DAGOBERTI *ſenioris, & eius in diebus Monaſterij ſancti Aniani Pater eſt electus. Sanè mortuo Chlothario & eius filio Dagoberto, Chlodoueus inclitus ei ſucceſſit in Regno, iuſtitiæ & pietatis amictus ornamento. Ad quem accedens memoratus Abbas, facto & dicto impetrauit vicum Floriacum Monachorum vſibus præparandum, dans pro eo agellum Attiniacum, cum cunctis ſibi adiacentibus, ſuper Axonam fluuium ſitum. Vnde memor ſui, de his teſtamentum condidit, regia auctoritate muniuit, & eum in archiuo Monaſterij ſancti Petri, quod ipſe poſtea ædificauit, cuſtodiri fecit. In quo heredes fecit Floriaci fiſci Fratres Floriacenſes ex toto, ſicut & à Rege eum emerat corde deuoto. Vbi quæ & quanta regiæ poteſtati Ieſu Chriſti, & domni Petri, & ſancti Aniani, & Francorum Regis Chlodouei ſubmiſerit, ſubiecta declarat Epiſtola.*

C

EXPLICIT PROOEMIVM.

INCIPIT TESTAMENTVM LEODEBODI ABBATIS.

IN nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Anno ſecundo regnante domno noſtro Chlodoueo glorioſiſſimo Rege ſub die v. Kal. Iulij, virtute & firmiſſimo robore adquiritur, vt agreſtæ & doctæ menti teſtificatio ſuffragetur. Et quoniam ita eſt, Dei protegente dextera, ego LEODEBODVS iſta conſcribo, ac ſi indignus & peccator Abba. Dum me diuina pietas Baſilicæ domni Aniani, vbi ipſe domnus in corpore requieſcit, Abbatiæ ſublimatum honore eiuſdem loci cuſtodem eſſe inſtituit, congruum duxi, & deuotione pleniſſima mihi conſenſit voluntas, vt de re proprietatis meæ tam in ipſa Baſilica, quàm & Baſilicæ domnæ Mariæ, quam Ioannes Floriacus à nouo quondam conſtruxit, vbi venerabilis vir Fulcaldus Abba cuſtos præeſſe dignoſcitur, ſeu & in agro Floriaco, quem cum glorioſo atque præcelſo domno Chlodoueo Rege, & glorioſa domna vxore eius Baltilde Regina viſus ſum de rebus meis propriis commutaſſe: vbi pro ſalute Regia vel cuncto populo exorandum, Monaſterium in honore ſancti Petri ædificare delibero, vbi iamdictus vir

Dei, ſanctus videlicet Præſul Anianus condignè iacet tumulatus: in quo Mona- A
chi iuxta Regulam ſanctiſſimi Benedicti & domni Columbani conſiſtere debeant,
ſingulariter de facultate proprietatis meæ Chriſto præſule conferre delibero. Do-
no igitur ante dictæ Baſilicæ domni Aniani, vel Monachis ibidem deſeruientibus,
vbi ad præſens diuinitate propitia funguntur officio, & de iure meo in ius antedi-
ctæ Baſilicæ à die præſenti transfundo portiones terrulæ infra agrum Nogtometen-
ſe ſitas in territorio Biturico, nuncupatas Litmaró & Mariniaco, quas de Auiam
& Proſperiana fœminis per inſtrumenta chartarum viſus ſum recepiſſe; cum domi-
bus, ædificiis, mancipiis, qui à me liberati non fuerint, vineis, ſyluis, campis, pra-
tis, paſcuis, cum omni iure & beneficio ſuo, vel omnigeno pecude ibidem reſiden-
te, ſicut à me poſſeſſum eſt. Similiter portionem meam quæ eſt infra agrum Litti-
dum in Secalonia, quam de Agana fœmina dato pretio per venditionis titulum vi-
ſus ſum comparaſſe, cum domibus, ædificiis, mancipiis, præter quos ingenuos re-
laxauero, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, omníque beneficio ſuo, ſicut à
me poſſeſſum eſt. Itémque & portionem meam quæ eſt ad Vetulam caſam, quam
de Abbone & filio ſuo Fraterno, dato pretio per venditionis titulum comparaui, &
quæ per Epiſtolas donationis ad me peruenit; cum manſis, vineis, campis, pratis,
ſyluis, paſcuis, omníque genere pecudum & beneficio ſuo, ſicut à me poſſeſſum
eſt. Simili modo & portionem meam, quæ eſt in villa Frietoni in Secalonia, ſicut
à me poſſeſſa eſt, cum manſis, accolabus, ſyluis, pratis, campis, paſcuis in inte- B
grum, cum termino, vel omnigeno pecude ibidem reſidente. Simúlque terras vel
prata, quæ ab Albuna in pago Stampenſi viſus ſum comparaſſe, ſicut à me poſſeſ-
ſum eſt in integrum. Pari modo vaſa dono argentea anacleta penſantia libras VIII.
& vncias duas. Sandalia II. ad Miſſas, & oralia ad menſam vna cum cappis &
omni apparatu, & vela II. acu picta. Iſta omnia vt in poteſtate & dominatione
ipſius Monaſterij & Monachorum ibidem Deo ſeruientium perenniter maneant,
integra deuotione inſtituo. Simúlque & quod in pago Biturico cognominante
Monte, qui eſt iuxta Carbrias vico, portionem terrulæ, quam de Domolo & vxore
ſua Ingata, vel de pluribus hominibus viſus ſum comparaſſe, dono: vel quodcun-
que ibidem per donationis epiſtolam aut quolibet contractu ad me peruenit. Seu
& quod in Bria, quæ eſt ſuper fluuium Flironte, habeo, quæ de pluribus homini-
bus viſus ſum comparaſſe, & ad ipſum montem ſubiungitur, cum domibus, ædifi-
ciis, mancipiis, qui à me liberati non fuerint, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis,
cum omni iure & termino earum, omnique genere pecudum, ſicut à me poſſeſſum
eſt, dono. Idémque & villam Camberon, quæ eſt iuxta terminum Clariacenſe vel
Veello vico, quam de hæredibus Mummoli dato pretio per venditionis titulum vi-
ſus ſum comparaſſe; cum domibus, ædificiis, mancipiis, qui à me liberati non fue-
rint, vineis, ſyluis, campis, pratis, paſcuis, omnique genere pecudum, cum om-
ni iure & beneficio vel termino ad ſe pertinente, ſicut à me poſſeſſum eſt, dono
ſancto Petro Floriacenſi. Idémque & in Rauſedone villa, quæ eſt in pago Magdu- C
nenſe, quam de hæredibus VVagini dato pretio comparaui, ſupraſcripta pars
ante dictæ Baſilicæ domni Petri Floriacenſis perpetuo iure atque proprietario, vt
poſſideat integra voluntate decerno. Idémque antedictæ Baſilicæ domnæ Mariæ
portionem meam, quæ eſt iuxta Columnæ vicum, quartam partem ex ipſo agro
Colommenſi, cum manſis, accolabus, campis cultis & incultis, cum omni genere
pecudum in integrum, ſicut à me poſſeſſum eſt, delego perpetualiter poſſidendum.
Idémque in Simpliciacenſe, quod eſt in Secalonia, quod de homine quodam Are-
giſilo nomine, vel de aliis, dato pretio per venditionis titulum viſus ſum compa-
raſſe, portionem ipſam cum manſis, ſyluis, pratis, campis, paſcuis, vel omni ge-
nere pecudum, & beneficio ſuo ſicut à me poſſeſſum eſt, Baſilicæ domnæ Mariæ
tribuo, & vt in perpetuum poſſideat pleniſſima voluntate exopto. Pari modo & ad
memoratum Monaſterium, quod in honorem domni Petri, ſicut prædictum eſt,
in agro Floriaco ædificare delibero, vbi Monachi regulariter conſiſtere debeant,
dono à præſenti fiſcum Floriacum, cum domibus, ædificiis, mancipiis, præter
quos iugo ſeruituris non relaxauero; ſyluis, campis, pratis, paſcuis, vineis, aquis,
aquarúmve decurſibus, cum adiunctis & adiacentibus ſuis, omnique genere pecu-
dum, cum omni iure & termino ſuo, ſicut acto tempore ad fiſcum fuit poſſeſſum,
vel ad nos peruenit. Idémque in poteſtate Melliaco quod per venditionis titulum
viſus

A viſus ſum comparaſſe, cum domibus, ædificiis, mancipiis, qui à me liberati non fuerint, cum campis cultis & incultis, ſeu officina molendini, quod in Malua in ipſo territorio eſſe videtur, in integrum cum termino ſuo & omni genere pecudum ſicut à me poſſeſſum eſt concedo. Seu & quod de hæredibus Pauloni negotiatoris quondam viſus ſum comparaſſe, areas ſcilicet in oppido ciuitatis Aurelianenſium, cum domibus deſuper poſitis, accolabus ibidem reſidentibus, vel vineas ad oppidum ipſius ciuitatis pertinentes, ſeu & locella villarum cognominata Curun, Canauarias, Simpliciaco, & Caliace vltra fluuium Ligeris, quod dato pretio anteacto tempore viſus ſum comparaſſe. Vnde & in iudicio ante virum Apoſtolicum domnum Audoënum Epiſcopum, & illuſtrem virum Chrannulfum optimatem, vel reliquos Abbates conuenit, vt ex omnibus tam in terris quàm in mancipiis, ſeu & vineis, medietatem exinde pars Baſilicæ domnæ Mariæ retineret, & aliam medietatem in meo iure in integro deberem recipere. Quam medietatem eorum iudicio viſus ſum recepiſſe. Ipſam enim in integrum ad memoratum Monaſterium S. Petri Floriaco conſtructum delego perpetualiter poſſidendam. Simúlq; & Aſinarias villam, quæ eſt in valle, quæ de ratione illuſtris viri Trodouei per commutationis epiſtolas, quãtum textus earum declarat, ad me peruenit, dum ego è contra portionem illam quæ eſt in Suncanto, vel VVarentias, quod de Machilde femina quondam dato pretio per venditionis titulum comparaui: & hoc ad vicem memorati B Trodouei dediſſe viſus fui in ipſa villa Aſinarias, pars memorati Monaſterij domni Petri, quod eſt Floriaco conſtructum, in integrum abſque cuiuſlibet impedimento, cum omni iure & termino, ſicutà me poſſeſſum eſt, omnéque genus pecudum ibidem reſidens, recipiat poſſidendum. Areas verò infra muros Aurelianis, quas de Chonulfo Clerico dato pretio per venditionis titulum viſus ſum comparaſſe, vbi Leobaſtus accola commanere videtur, ad prædictum Monaſterium domni Petri, vel Monachis ibidem degentibus integra voluntate dare decerno. Similiter & caballos xxx. bonos, greges equinos v. cum emiſſariis eorum, boum greges xx. vaccarum v. armentorum x. Argentum quod ad ipſum Monaſterium domni Petri, vel Monachis ibidem deſeruientibus dono, per huius texti vigorem inſerendum putaui. Hoc eſt baccohoaicha pura ſigillata tranſmarina penſantia pondo libras x. quorum vnus habet in medio crucem auream. Dono & ſcutellam, quæ habet in medio effigiem capitis hominis ſimili modo auream. Idémq; & ſcutellas II. minores Maſſilienſes deauratas, quæ habẽt in medio cruces niellatas. Quæ ſpecies argenti in iure & dominatione memorati Monaſterij domni Petri perenniter permaneant volo. De veſtimentis verò quæ in paupertate mea habere videor, præter id quod ſuperiùs Baſilicæ domni Aniani delegaui, reliquum quod ſuperfuerit, pars domni Petri Floriacenſis recipiat ad poſſidendum. Spero autem non futurum, nec quolibet modo fieri poſſe credo, vt aliquis de hæredibus meis, aut quælibet perſona, contra præſentem venire tentet epiſtolam. Quòd ſi fecerit, & factum meum irrumpere cona- C tus fuerit, in primis iram cœleſtis incurrat Trinitatis; & inſuper partibus Baſilicæ domni Aniani, & Baſilicę domnæ Mariæ, vel Monaſterio ſancti Petri, quod eſt conſtructum Floriaco, duplum quod ad ipſas Baſilicas dedi; iuxta quod res ipſæ melioratæ fuerint, ipſis Abbatibus vel Monachis ibidem deſeruientibus reformet, & fiſci iuribus auri libras III. argenti pondo xx. teneatur obnoxius. Quam donationem, vt firmior habeatur, geſtis municipalibus alligare decreui, & duas epiſtolas vno tenore conſcriptas feci de re ſuperiùs nominata: vna quæ in archiuo domni reſideat Aniani, aliam verò pars Monaſterij domni Petri per futura tempora reſeruandam recipiat. qualiter Monachi ibidem Deo ſeruientes, id quod eis per ipſam dedi defenſare valeant. Et præſens nihilominus à me facta donatio, firma omni tempore & inuiolata permaneat, ſtipulatione in omnibus comprehenſa. Actum Aurelianis publicè. Addi verò conuenit quod ſuperiùs intimare debueramus, vt quicquid præfato Monaſterio domni Petri Floriacenſis, quod nos à nouo conſtruximus, delegauimus, & à rimoratis viris delegatum fuerit in poſterum, quicquid Abbas, qui ibidem præfuerit, exinde voluerit facere, pro vſu, aut vtilitate Monaſterij ipſius, vel lucro animæ, aut Fratrum neceſſitate, liberam habeat poteſtatem, abſque detrimento & impedimento ſæpe dicti Monaſterij.

ROBERTVS.

Leodebodus peccator Abbas, epiſtola à me facta.

Audoënus peccator Epiſcopus, rogante venerabili viro Leodebodo Abbate hanc epiſtolam relegi & ſubſcripſi.

ROBERTVS. LEODEGARIVS ac ſi indignus Epiſcopus, togante Leodebodo Abbate, hanc deuotionis eius epiſtolam firmaui in Chriſti nomine. A

Beccelenus Abba.
Ado Abba.
Salomon Abba.
Leotſindus Abba.
Burgulfus Preſbyter.
Higecius Diaconus & Vicedominus.
Martinus Diaconus.
Boſo Diaconus.
Agneramnus, Dagobertus.
Mummolenus, Vapingus.
Sigitigus, Framcſindus.
Autbertus, Salomon ſiue Boſo.
Pappolus, Siſobaldus ſiue Saxo.
Amnegiſilus teſtis.
Manaſſes, Authacatius.
Nonno, Hildulfus.
Grimoldus, Segonius.

ANNO Incarnationis Dominicæ DCXXIII. data in menſe Iunio, anno II. domni Chlodouei Francorum Regis filij Dagoberti ſenioris, ſanctorum Dionyſij ſociorúmque eius loci mirifici conſtructoris.

HIC autem præcipuus Abba Leodebodus quantum locum Floriacenſem dilexetit, in quibuſdam ſuis factis agnoſci valet. Nam in Camberon & Roſdon villis à ſe S. Petro datis, hanc ipſe conſuetudinem tenuit, & Fratribus Floriacenſibus tenendam reliquit, vt quilibet Eccleſias, in quarum parrochiis ipſæ villæ ſunt, poſſideret, media pars decimæ agrorum & vinearum in quibuſdam locis ipſarum villarum, in aliquibus verò tota ad dominium perueniret Fratrum. Qui videlicet vſus hactenus ſeruatur. Quódque magis eum diuitem fuiſſe declarat, non eſt omittendum, emiſſe videlicet illum hereditatem Thomæ cuiuſdam Patiſiaci ciuis obrizi auri mille & ſexcentis ſolidis. Teſtatur hoc Charta memorati venditoris ad ipſum domnum Leodebodum facta, in noſtris archiuis recondita, licèt vetuſtate conſumpta. Cuius hereditatis in territorio Aurelianorum ſitæ media pars ab eo huic ſacto collata eſt loco, alia medietate Monaſterio ſanctæ Mariæ remanente, quod quidam Ioannes, vt ſupra ſcriptum eſt, à fundamentis conſtruxerat, cuiúſque idem Dei famulus Leodebobus Abba extitit, habens ſub ſe Fulchaldum nobilem vitum. Quartam quoque partem de Suncanto, atque villam VVarentiarias à Machilde femina CCC. probatis auri ſolidis, Roſdon ab Auderanno CC. eiuſdem metalli emit ſolidis. Ipſe verò vſque ad XVIII. annum memorati Regis Chlodouei perdurans, poſtmodum laudabilis vitæ curſum ſancto fine concluſit. Reperiuntur autem ab Incarnatione Domini non plures quàm DCXX. præteriiſſe anni, donec à domno Leodebodo fabrica huius ſacri cœpta eſt Cœnobij, auxiliante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui viuit & regnat. B

Explicit Teſtamentum Leodebodi Abbatis Monaſterij ſancti Aniani, quod factum eſt ſub Chlodouco Rege Francorum filio Dagoberti ſenioris.

Fiat. Fiat.

C

INCIPIT EPITOMA VITÆ REGIS ROTBERTI PII.

Editio P. Pithœi emendata ad fidem veteris Cod. MS. qui extat in Bibl. viri Cl. Alex. Petauij Senat. Pariſ.

COELESTIS *Imperij dignitas, cui ſpiritus ſuperbiæ æqualis voluit eſſe poteſtas, elegit in hoc ſeculo Principes, qui regerent huius ſeculi ſceptra potentes. Et ſicut ſancta Eccleſia, quæ eſt mater noſtra, obtinuit ſibi ad regendum populum Dei Pontifices, Abbates, & ceteros ſacri Ordinis miniſtros: ita & in hoc mundo elegit Imperatores, Reges, & Principes ad vindictam malefactorum, & ad reprimendam proteruiam iniquorum, vt laudaretur Deus in ſecula ſeculorum. Et quia à patribus Monaſterij domni Aniani ſermo ſumpſit exordium, neceſſarium eſt & vtile, vt vnus adhuc præcipuus pater ſumatur pro omnibus, vt habeat de eo leuamen omnis mundus, quia eum bonum elegit Chriſti Domini pietas, & conſtituit ſuper familiam ſuam diuina maieſtas. Ad quid iſta protulerimus, dicamus.*

ROBERTVS.

A *OMNIPOTENTIA igitur omnipotentis Dei volente, & beato Aniano auxiliante, memoriam domni & venerandi Leodebodi Abbatis Monaſterij ſæpedicti ſancti Aniani fecimus, per teſtamentum quod de ſuis rebus propriis ſancto Petro Aurelianenſi, Domnæ Mariæ, & ſancto Petro Floriacenſi, contulit: nunc huic ſcripto addere curauimus, quod in omnes terras ſonus exiens pietatis & bonitatis ROTBERTI ſuauiſsimi & piiſsimi Regis Francorum filij Hugonis Regis, hunc Sanctum in quantum potuit exornauit, dilexit, & excoluit. Quo concedente, Vitam huius excellentiſsimi Regis adoriri cupimus, præſentibus & futuris imitabilem. Nam hic languentes animæ perſpicient quid charitatis, humilitatis, & miſericordiæ valeant opera, ſine quibus nullus ad regna poterit peruenire cœleſtia. In quibus ita enituit, vt poſt ſanctiſſimum Regem Prophetámque Dauid nullus ei æquaretur: præcipuè in ſancta humilitate, quæ ſemper Deo proxima, amatores ſuos corpore ſimul Deo coniungit & ſpiritu. Initio autem deſcriptionis omnem vultus illius habitudinem corporíſue elegantiam, prout ipſi perſpeximus, propalamus: adiuuante Domino noſtro Ieſu Chriſto, qui vbi vult, & quomodo, & cui vult, inolita bonitate adſpirat.*

B

EXPLICIT PRÆFATIO.

INCIPIT VITA.

IN tempore quo reſpexit Deus ſuper filios hominum, vt videret, ſi eſſet intelligens aut requirens Deum, fuit Rex Francorum ROTBERTVS origine natus nobiliſſima, patre illuſtri Hugone, matre Adhelaide vocitata, quæ adeo benè laudata tanti filij digna extitit prærogatiua. Eius inclita progenies, ſicuti ipſe ſuis ſanctis & humillimis aſſerebat verbis, ab Auſoniæ partibus deſcenderat. Probis hic actibus decoratus, creſcebat quotidie meritorum lumine, qui erat inſignitus totius ſcientiæ perfectione. Huius igitur ſtatura corporis eminens, cæſaries admodum plana & benè ducta, oculi humiles, nares porrectæ & patulæ, os ſuaue & dulce ad dandum ſanctæ pacis oſculum, barba ſatis honeſta, humeri eius in altum porrecti. Corona capiti impoſita, decernebat eum auis & atauis ſtirpe proceſſiſſe regia. Sedens equo regio, mirabile dictu, penè iungebant pedum digiti calcaneo, & hoc erat videntibus in ſeculo pro miraculo. Erat in eo iugis & frequens ad Deum oratio, genuum flexio innumerabilis erat pro certo, & vt verbis Aurelij Victorini loquar, ad hu-
C manæ conuerſationis exemplum, per laboris genera vniuerſa, vir prouectus ad ſumma. Siſtens in conſiſtorio, clientem ſe eſſe libentiſſimè fatebatur. Nunquam iniuria accepta ad vlciſcendum ductus. Amabat ſimplicitatem; communi ſe affatu & conuiuio & inceſſu præbebat. Eloquentiæ tantum incumbens, vt nullus laberetur dies, quin legeret Pſalterium, & exoraret cum ſancto Dauide Deum altiſſimum. Extitit mitis, gratus, ciuilis animi & lepidi, magis beneficus quàm blandus.

FVIT idem Rex ſapientiſſimus literarum, cuius prudentiſſimo cordi erant inſita à Deo data perfectæ ſcientiæ dona. Nam à piiſſima matre Scolæ Remenſi traditus, domno Girberto ad erudiendum eſt datus, qui eum ſufficienter liberalibus inſtrueret diſciplinis, vt in omnibus Deo omnipotenti complaceret virtutibus almis. Factúmque eſt. Is quippe Girbertus pro maximo ſuæ ſapientiæ merito, qua toto radiabat in mundo, donatiuo Regis Hugonis munere, Pontificium adeptus Remenſe, non multis annis illud adornauit ſplendidè, in his quæ forent neceſſaria Eccleſiæ ſanctæ. Eo namque derelicto, Rauennatium factus eſt Rector ab Ottone III. De quo ad Apoſtolatum Petri Apoſtoli ſanctiſſimi feſtinus conſcendens, multa in eo virtutum operatus eſt inſignia; & præcipuè in eleemoſyna ſancta, quam fortiter tenuit, dum fideliter vixit. Inter cetera de ſe lætus & hilaris ita in R. litera luſit:

Scandit ab R. Girbertus in R. poſt Papa viget R.

ROBERTVS.

Hoc apertè demonſtrans, quòd hi tres Epiſcopatus honores, quos profeſſione re- A
gularis vitæ Patris Benedicti Monachus factus ſuſcepit, rexit, & renuit, huius R. li-
teræ ſigno in capite ſunt declarati. In addiſcendis verò artibus hic vir Dei humilli-
mus domnum Ingonem collegam habuit, quem Abbatiâ S. Martini Maſciacenſis
remuneratum, poſt Abbatia S. Germani Pariſiacenſis inclitum ſeculo reddidit, vt
decebat tantum virum. Quantum autem in eo harum virtutum incrementa vigue-
rint, nos breuitati ſtudentes paucis adnotare curauimus.

QVODAM tempore Palatio Compendij, hic vir miſericordiæ, vir pietatis, po-
ſitus; vnum quiddam ibi in vno operatus eſt, quod omni ſeculo paruit, & cunctis
pro ipſa pietate & miſericordia imitabile reliquit. Sanctum Paſcha illo in loco Rex
amabilis celebraturus in die cœnæ Domini, à duodecim iniquæ conſpirationis du-
cibus mors ei iuramento promittitur, vita abſtrahitur, honor regius tollitur. Capi
eos & adduci ante ſe iubet Rex mitiſſimus. Percontatus eos, mandat ſeruari domo
Karoli Calui, regalibus dapibus opulenter refici, & in die ſanctæ Reſurrectionis
perceptione corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti inſigniter præmuniri.
Secunda autem Sabbati, proferuntur in medium, iudicantur, damnantur, & ſuper
eos tot ſententiæ, quot homines. Audiuit iſta Princeps Dei, pius & prudens, ſciens
& intelligens, & ipſos propter benignum Ieſum abſoluit: dicens, non debere dam-
nari, qui fuerant præmuniti cibo potúque cœleſti. Sed ne ampliùs talia in aliquo ge-
rerent, ſuis ſanctis imperat verbis, & ſic eos inlæſos ad ſua regredi iuſſit. In latroci- B
niis verò pauperum Clericorum & laicorum ſibi inlatis, adplenè erat conſentiens,
quæ pro certo erant in auro vel argento & pretioſiſſimis ornamentis. Volentibus ea
inueſtigare, minas dabat virtute, iurans Domini fidem, ne perderent quæ aſporta-
uerant. Stampis caſtro Regina Conſtantia Palatium conſtruxerat nobile, ſimul
cum oratorio. Quo delectatus Rex ad prandendum cum ſuis aſſedit, impleri do-
mum ſanctis pauperibus iuſſit. Inter quos ad pedes eius vnus ſe collocans, ab eo ſub
menſa ſatiatus eſt. Qui non obliuioſus factus, ornamentum, quod erat in ſex vnciis
auri dependens à genibus, & quod nos lingua ruſtica lablellos vocamus, ipſo cõſpi-
ciente, cultello diripit, quantociùs diſceſſurus. Liberata vacuatur domus à paupe-
rum caterua, imperat longè à ſe expelli, qui iam ſatiati fuerant carnium eſu ſimul &
poculo. Cúmq; ſurgerent à menſa, aſpicit Regina Dominum ſuum fraudatum glo-
„ ria. Et turbata contra ſanctum Dei non cõſtantia protulit verba: Heu, Senior bone!
„ quis inimicorum Dei vos aureo veſtitu deturpauit honeſto? Me, inquit, aliquis non
„ deturpauit, ſed illi qui abſtulit neceſſarium magis quàm nobis, volente Deo, profi-
ciet. Sedatis his vocibus, collocat ſe in oratorio Rex Dei dono, lætificans ſe de ſuo
perdito, & de ſuæ coniugis dicto, adſtantibus ibi domno Guillelmo Diuionenſium
Abbate, ſimul & Odone Comite, & non minimis Francorum primoribus. Quæ-
dam adhuc de eius non minima pietate narranda ſunt. Præſuli * cuidam de Domi-
no non benè ſentienti, & quærenti pro quibuſdam cauſis probationem in corpore
Domini noſtri Ieſu Chriſti, indignè tulit Rex amator bonitatis, & ſcripſit ei in his C
„ verbis: Cùm ſit tibi nomen ſcientiæ, & non luceat in te lumen ſapientiæ, miror quã
„ ratione quæſieris pro tuis iniquiſſimis imperiis, & pro infeſtato odio, quod erga Dei
„ ſeruos habes, examinationem in corpore & ſanguine Domini: & cùm hoc ſit quod
„ à dante ſacerdote dicitur, *Corpus Domini noſtri Ieſu Chriſti ſit tibi ſalus animæ & cor-*
„ *poris*, cur tu temerario ore & polluto dicas: *Si dignus es accipe*, cùm ſit nullus qui
„ habeatur dignus? Cur diuinitati attribuis ærumnas corporis, & infirmum doloris
„ humani diuinæ connectis naturæ? Iurans Domini fidem Princeps Dei, Priuaberis,
„ inquit, honore Pontificis, niſi ab his reſipueris, & damnaberis cum his qui dixerunt
„ Domino: *Recede à nobis*, & non communicabis his quibus dicitur: *Appropinquate*
„ *Deo, & appropinquabit vobis*. His verbis Præſul non benè doctus à Rege pio & bono
ſapienter inſtructus, quieuit, obmutuit, & ſiluit à dogmate peruerſo, quod erat
contrarium omni bono, & iam creſcebat in ſeculo.

* Leotherico Senon. Archiepiſcopo.

IN ſinu matris Eccleſiæ collocatus iſte Dei ſeruus, factus eſt Dominici corpo-
ris & ſanguinis, vaſorúmque eius cuſtos fortiſſimus. Ad vnguem ita perordinans
cuncta, quaſi videretur Deus ſuſcipi non vt in alterius, ſed in propria ſanctæ maie-
ſtatis gloria. Hæc eius deuotio, hæc erat fortis prouiſio, vt corde mundo & veſti-
tu candido Deus immolaretur pro totius mundi piaculo. Hoc ſeruitutis obſequio
delectabatur terris, poſitus iam in cœlis. Iocundabatur in ſanctorum pignoribus à ſe

A auro & argento benè ornatis veſtibus albis, ſacerdotalibus indumentis, crucibus pretioſis, calicibus auro bono fabricatis, thuribulis electum thymiama proferentibus, vaſis argenteis ad emundationem manuum ſacerdotis, qui ſtabat illa hora fundens preces ad Deum pro totius populi delictis. Et quid? Vas vinarium ex argento factum, quod cantara dicitur, à ſuo quodam Clerico fuerat furatum, quod eum omnimodis triſtem reddidit. Non ſic autem vt turbaretur Clericus, qui poſtea fuit illi pretioſus. Examinationem furti minitans Rex fieri, volens nolens Clericus, mali patrator operis, quæſiuit, redemit, & ſuo illud loco reſtituit. In hoc Rex Dei amicus alludens Clerico dicebat: Melius eſſe in domo propria apportare quàm exportare, ne efficeretur ſimilis Iudæ, qui fur erat, & loculos habens ea quæ mittebantur exportabat. Habuit enim poſtea hunc ſuæ vtilitati proximum, & ſui boni conſilij dignum. Sciebat hic piiſſimus Dei virtute ſua & aliena curare vulnera, ſecundum Patris Benedicti mandata, non detegere & publicare. Huius igitur peccata pro tali facto ſua Deus deleat quæſumus clementia, vt Sanctis omnibus intercedentibus, poſſideat iuſtorum gaudia repromiſſa.

Pergratum mihi eſt & hoc auribus intimare fidelium, quod eſt omnino narratu digniſſimum. Prouocabit nos Deum amantes in hoc liberalis iſtius ſereniſſimi Regis memoria, & eius operatio digna, cùm cordibus fidelium & infidelium tinnierit tuba, non illa quæ ex æramento, ſed quæ procedit de cœleſti theſauro, & aperiens os ſuum dicit: *Conclude eleemoſynam in ſinu pauperis, & ipſa pro te exorabit.* Hæc
B de tali viro cogitantes, occurrunt nobis plura cogitatione, auditu, & ſermone, quæ non poſſunt adſcribi præ multitudine, quia illa ſolus Deus agnouit ſua forti prudentia & ſcientia, ingenio & arte, quæ non poteſt comprehendi miſerabilis hominis virtute. Et quia à nobis diligitur mundus, delectamur in huius excellentiſſimi Regis operibus. In quibus, vt credimus, laudatur Deus Rex glorioſus, cuius Regni hæres erit perpetuus, qui fuit mentis & corporis integra bonitate conſpicuus. Quia eius iucunda & delectabili vita adhuc frueretur mundus, credat orbis vniuerſus, ſi voluiſſet Dei filius pro peccatoribus occiſus.

Aliqvando proficiſcente eo ad Eccleſiam, & proſtrato in oratione coram Deo, quiddam verecundiæ in ornamentis pellium, à ſancto collo dependentium, ſuſtinuit Rex mitis & corde humilis. Fundente eo preces ad Deum, adſtat è proximo Rapaton latro, non ille fortiſſimus princeps latronum, qui tenet lectione principatum in libro Regum. Nam medietatem finalium chlamidis Regis auferens, hæc ab eo ſuſcepit manſuetiſſima & omni melle dulciora mandata: Recede abhinc, recede: ſufficiat tibi quod abſtuliſti, quia & alteri neceſſarium erit quod reliquum eſt. Confuſus latro abſceſſit ad imperium ſancti viri, qui periclitantibus & pauperrimis hoc conſentiebat ex more pro Dei amore: vt haberet eos apud Deum interceſſores, quos ſciebat iam eſſe factos Dei ciues.

Sedes regalis Piſciacus dicta, ſupra Sequanam poſita, Francorum Regibus ſatis
C eſt oportuna. In ea Monaſteria tria ab antiquis viris didicimus facta: vnum in honorem ſanctæ Mariæ, aliud ſancti Ioannis, tertium ſancti Martini Confeſſoris. E quibus vnum in honore ſanctæ Mariæ matris Domini Rex bonus aſſumens, & à nouo ædificans, illud in ornamentis & Clericis, auro & argento ſatis honorabile reddidit. Quo laudandi Deum nunquam finem habuit. Porrò orationibus ibi adhærens Deo, cùm ad locum repauſationis ſui humillimi corporis reuerteretur, poſt aſſuetos in oratione lachrymarum imbres fuſos, inuenit ibi ſuam lanceam à coniuge glorioſa benè argento paratam. Hanc conſiderans aſpicit à foris ſi quempiam reperiret, argentum hoc cui neceſſarium foret. Inueniénſque quendam pauperrimum, interrogat cautè ſi haberet aliquid ferramenti, quo poſſet auferri argentum. Pauperi inſcio ad quid ita requireret, ait Dei famulus, vt perquirat quantociùs. Inter hæc orationi vacabat. Adueniens is qui miſſus fuerat, ferramentum offert tali operi ſatis congruum. Obſerantur oſtia domus, & Rex cum paupere argentum à lancea auferens, paupercule dat benè faciens, & ſuis ipſe ſanctis manibus ei in ſacculum mittens, dat in mandatis, ſicut mos erat, vt ſibi in redeundo proſpiceret, ne vxor eius eum videre poſſet. Obaudiuit præceptis Regis neceſſitas pauperis. Peractis his, aduenit Regina, mirans quod factum fuerit de lancea, quæ ſic erat deſtructa, de qua ſperabat Dominum ſuum forti lætificari gloria. Ad hæc Domini fidem iurans Rex ioco, huius ſe non eſſe facti conſcium, inter eos amicabilis eſt exorta contentio, qui-

bus eleemoſynæ largitio profuit, & proderit faciente Deo mortuis ſeculo, viuentibus Deo. Quædam adhuc de eius non minima pietate narranda ſunt. A

Clericvs quidam pauperculus de Regno Lotharij exiens, ad hunc, de quo loquimur, ſeruum Dei veniens, eſt receptus. Is nempe Clericus Oggerius dicebatur. Qui eum nimia bonitate ſuſcipiens, ſuo ſanctorum Collegio ſociauit Clericorum, & eum ſufficienter in his quæ debuit adornauit, ſperans ſecum habitaturum non paucis diebus & annis. Verùm in his quæ præuidere noluit, inuentus eſt. Nam ſuper eum dicta Dauid Prophetæ meritò dicta ſunt: *Verba oris eius iniquitas & dolus: Noluit intelligere, vt benè ageret. Iniquitatem meditatus eſt in cubili ſuo. Aſtitit omni viæ non bonæ, malitiam autem non audiuit.* Splendebat quippe in eo ſpecies Iudæ traditoris Domini, qui loculos habens, ea quæ mittebantur exportabat. Nam quodam tempore adueſperaſcente hora diei, cœna cum ſuis ſumpta, incumbentibus iam noctis tenebris, dum ad complenda, & quæ ſunt Deo reddenda cogitaret, ad domum Dei de more proceſſit, præeuntibus ante ſe Clericis cum ceroferariis non minimi ponderis. Quibus poſitis, ſignificauit Rex humilis, ne accederent ad excelſa. Stat Rex in angulo, & corde tacito Deo ſuo reddit vota iucundo. Meditans ergo in conſpectu Domini, aſpicit iam dictum Oggerium ad altare accedere, cereum ad terram deponere, candelabrum ſinu contegere. Turbantur Clerici, qui huius latrocinij debuerant eſſe cuſtodes. Inquirunt Dominum Regem de furto, quibus ſe reſpondit neſcire vllo modo. Peruenit hoc ad aures Conſtantiæ Reginæ eius coniugis, de qua quidam ad nomen eius luſit dicens: B

Conſtans & fortis, quæ non Conſtantia ludit.

Hæc accenſa furore iurat per animam VVillelmi ſui genitoris, cuſtodibus mala ſe irrogaturam fore, luminibus priuari, & malis aliis deturpari, ni reddant quod ablatum fuerat de theſauro ſancti & iuſti. Hoc vbi audiuit, in quo erat requies pietatis, eum qui erat latrunculus aduocans, ita ad eum locutus eſt: „ Amice Oggeri, „ abi hinc iam, ne te conſumat inconſtans Conſtantia vxor mea. Sufficiunt enim „ quæ habes, donec intres in terram natiuitatis tuæ. Sit Dominus tecum vbicun„que perrexeris. Vbi hoc audiuit furti dominus, cadens ad pedes piiſſimi Regis vo„lutabatur clamans: Succurre mihi Domine, ſuccurre. Ipſe verò volens eum eri„pere, dicebat: Tranſi, tranſi, noli hîc permanere. dans ei & alia cum his quæ abſ„portauerat, ne deficeret in via. Poſt aliquot dies idem Dei famulus credens illum iam poſſe ſuum attigiſſe ſolum, conuerſus ad ſuos lepidè & iucundiſſimè dixit: „ O bone Theudo (hic enim ei erat familiaris) vt quid tantum laboras in quærendo „ candelabro, cùm Deus omnipotens illud ſuo attribuerit pauperculo? Scias etenim „ tu & tui, quòd illi plus quàm nobis neceſſarium fuerat, cùm Deus nobis peccatori„bus omnia quæ ſunt in terris attribuerit, vt ſubueniamus pauperibus, orphanis, vi„duis, & omni populo Dei.

Palativm inſigne, quod eſt Pariſius, ſuo conſtruxerant iuſſu officiales eius. Quod volens præſentia ſui die ſancto Paſchæ nobilitari, more regali iuſſit menſam parari. Cúmque aquam ad abluendas manus præſtò haberet, adeſt cæcus quidam inter pauperum multitudinem coram eo aſſiſtentium, qui illius erant memoriale continuum, qui vt illi aquam iactaret in faciem, humillimam effert precem. At ille continuò, velut pro ioco ducens pauperis precem, dum primùm in manibus accepit aquam, illius proiecit in faciem. Qui mox, videntibus cunctis Optimatibus qui adſtabant, cum reſperſione aquæ amiſſa oculorum cæcitate, congratulantibus cunctis in Domino, lætior inter conuiuas diſcubuit prandio. Fuitque diſcumbentibus tota die huiuſce rei confabulatio ad laudem omnipotentis Dei: quorum verba fortè fuiſſent vana & otioſa, niſi tanto lumine forent illuſtrati illo die. Nec immeritò ſanè poteſt exiſtimari, quòd Palatium illud frequenti regio conuentu ſit honorandum, quod diuina virtus tali decorauit miraculo, & populi ſacrauit iubilo, dum veſci voluit ibi deuotiſſimus Rex die primo. C

Vigore iuſtitiæ vigens idem Rex ſereniſſimus, ſtudebat non continuari os ſuum mendacio, ſed veritatem corde & ore proferre, Domini Dei fidem iurans aſſiduè. Vnde nimirum ſuos, à quibus ſacramentum recipiebat, volens iuſtificari, quemadmodum ſeipſum, fecerat vnum phylacterium olocriſtallinum, in gyro auro puro adornatum, abſque alicuius Sancti pignorum incluſione: ſuper quod iurabant ſui Primates, hac pia fraude neſcij. Aliud quoque iuſſit parari argento, in quo

A poſuit ouum cuiuſdam auis quæ vocatur Grippis, ſuper quod minùs potentes & ruſticos iurare præcipiebat. O quàm benè & congruè huic ſancto viro concordant illius ſancti dicta Prophetæ dicentis: *Habitabit in tabernaculum Altiſsimi, qui loquitur veritatem in corde ſuo: qui non egit dolum in lingua, nec fecit proximo ſuo malum, & opprobrium non accepit aduerſum proximum ſuum.* Cui vtique bono illum adhæſiſſe tota cordis intentione certiſſimum eſt, vt mereretur eſſe in ſuperna hereditate beatorum coheres.

QVANTA verò humilitatis virtus in eo fuerit, paucis edicendum eſt verbis. Colloquium cum Epiſcopis ſui Regni habens Rex humilis, inter colloquium vnumquemque aſpiciens, vidit quendam eorum mole carnis grauatum, pedes ſuos dependere ab alto. Pietate ductus, à longè quærens ſubpedaneum reperit vnum. Quod manibus Deo & hominibus charus apprehendens, illud tanto Pontifici offerre nõn recuſauit, & ſub pedibus eius ponere non eſt dedignatus. Erat autem hic Epiſcopus Lingonenſis Lambertus nomine dictus, ſcientiâ, religione, & bonitate pollens. In magna etenim ex hoc admiratione pro tali facto omnes Epiſcopi & Principes habuere ſæpè fatum ROTBERTVM humillimum & inclytum Regem.

IS quippe Rex Deo dilectus ROTBERTVS ſemper meminit ſanctæ legis, quia memor fuit operis Dei in omnibus viis ſuis. Sciebat etenim ſcriptum; *Scientia, virtus; cuſtos virtutis, humilitas ſancta.* Et illud beati Papæ Gregorij; *Qui ſine humilitate virtutes congregat, quaſi in ventum puluerem portat.* Legerat quid dixerit
B quidam ex Patribus; *Omnis labor ſine humilitate vanus eſt: humilitatis ſignum dat regnum cælorum.* Nos ergo oremus omnipotentem Deum, vt hic electus, qui depoſito omni tumore ſuperbiæ coniunctus eſt Chriſto Deo ſanctæ humilitatis virtute, ita illi iungatur in ſeculo venturo, vt in iudicio à ſiniſtra parte diſiunctus, non inueniat in eo Ieſus Chriſtus, quod damnet in pœna, ſed quod pietate multiplici prouehat ad coronam, quam promiſit diligentibus ſe ad gloriam. Hic etenim vir Dei tantus ac talis, quod amauit, quod cupiit, quod credidit, Deus eſt Rex regum, Dominus dominorum, ſpes vtique certa fidelium.

IACTANTIAM ſuperbæ mentis à ſe reiiciens Rex humilis, & cum multiplici pietate nominandus ROTBERTVS; ſtudebat illi ſemper placere virtutibus bonis, qui habitat in excelſis. Deuitans ſublimes, ſuſcipiebat quos poterat humiles, qui certis temporibus veras vero Deo redderent laudes. Suſcepit in hoc & exemplum ab Ambroſio Mediolanẽſium ciuitatis venerabili Epiſcopo, qui binos Eccleſiæ ſuæ, cui præſidebat, Clericos pro inceſſu ſuperbo grauibus tradidit lamentis, donec calcato tumore ſuperbiæ addiſcerent humilitate pergere, qui erant correcti virga ſacerdotalis diſciplinæ. Idem namque beatus Pontifex, in tractatu de diluuio & arca Noë, habitus hoc modo arrogantium curauit edicere; ſcilicet quales deſcribit Eſaias Iudææ filias oculorum micantes nutibus, & alta ſe ceruice iactantes. Sunt enim huiuſmodi erigentes ſupercilia, inflato corde, elato pectore, cer-
C uice reſupina, qui ſolum quidem pedum præſtringant veſtigiis: toto autem ſe librant corpore, & inani ſuſpendunt examine. In priora greſſu prodeunt, in poſteriora verticem reclinantes, cœlum ſpectant: terram autem faſtidiunt, tanquam ceruicis dolore ſuffixi, vt eam inclinare non poſſint. Hos igitur deleuit Deus de libro vitæ, dicens; *Omnis qui ſe exaltat, humiliabitur.* Nec inter merita Sanctorum commentis * facit adhærere cœleſtibus. Hæc idcircò diximus, vt cognoſcant omnes, quis in tanto Francorum Imperatore mundi fuerit deſpectus, qui humilitate ſancta cœlorum poſſedit regna. * al. commentus.

HVIVS igitur inclyti Regis auus Hugo, pro pietate, bonitate, fortitudine Magnus dictus, Monaſterium S. Maglorij Confeſſoris Chriſti in ciuitate Pariſius ſimul cum filio conſtruens nobiliter, Monachos ſub Regula Patris Benedicti viuere paratos ibi collocat, & in auro vel argento locum ipſum dicat, & ceteris ornamentis, pro ſalute ſua & filij ac futuræ poſteritatis. Mater quoque eius ſupradicta Adhelaidis, admiranda ſatis in ſancta deuotione Regina, fecit Monaſterium ſancti Frambaldi in ciuitate Siluanectenſi, vbi XII. ad ſeruiendum Domino Clericos miſit, & de quibus viuerent abundè ſubminiſtrauit. Conſtruxit & Monaſterium in territorio Pariſienſi, villa quæ dicitur Argentoilus, vbi numerum ancillarum Dei non minimum ſub norma ſancti Benedicti viuere paratas adunauit, ad laudem & gloriam bonorum omnium inſpiratoris, & ſub honore ſanctæ Dei genitricis &

perpetuæ Virginis Mariæ omnipotenti Domino dedicari & conſecrari voluit. Fecit nihilominus ſancto Pontifici Martino caſulam auro operatam optimo, inter ſcapulas maieſtatem veri Pontificis continentem, Cherubim quoque ac Seraphim colla dominatori omnium ſubmittentia. In pectore verò agnum Dei, noſtræ redemptionis hoſtiam; quatuor è regione præfigens animalia, Dominum gloriæ adorantia. Fecit & eidem beato Confeſſori cappam vnam intextam auro, duas verò ex argento. Speciali autem ſuo poſt Dominum amicorum amico, beato videlicet Dionyſio, caſulam miro itidem opere factam contulit. Cui & aliud, vt tantam decebat feminam, ornamentum contexuit, quod vocatur Orbis terrarum, illi Caroli Calui diſſimillimum. Sperabat enim ſe Deo fidelis Regina partem habituram cum eo, cui promiſerat Deus ſermone non caſſo, impetraturum pro quibuſcunque petiiſſet. Etenim illius vniuerſa progenies famulam ſe tanti Martyris in omni opere proclamabat, reddens Domino ſuo quæ ſunt ſerui, debitæ ſeruitutis obſequio. Erant ſiquidem huic generationi ſpeciales amici, ſancta videlicet Maria, & Pater & dux Monachorum ſanctus Benedictus; ſanctus quoque Martinus, ſanctus necne Anianus, atque victorioſi Martyres Chriſti Cornelius & Cyprianus: optatiſſimus verò glorioſus Martyr Dionyſius, ac inclyta virgo beata Genoueſa. Fertur autem dixiſſe moriens bonus Pater: A

» O optime fili, per ſanctam & indiuiduam Trinitatem te obteſtor, ne quando ani-
» mus ſubripiat adquieſcere conſiliis adulantium, vel muneribus doníſque venena- B
» tis te ad vota ſua maligna adducere cupientium; ex his Abbatiis, quæ tibi poſt
» Deum perpetualiter delego. Néve animi leuitate ductus quolibet modo diſtrahas,
» diripias, aut ira excitante diſſipes. Specialiter verò tibi inculco, nullo pacto ducem
» omnium, Patrem dico Benedictum, à te patiaris diuelli, illum apud communem
» iudicem ſalutis aditum, tranquillitatis portum, póſtque carnis obitum ſecuritatis
» aſylum.

QVÆ autem hæc ancilla Dei, mater prudentiſſimi Regis ROTBERTI, opera bona fecerit, paucis adnotare libet. Ipſe iuuenis laborabat forti infirmitate corporis, de qua erat patri & matri in timore periculum. Pro quo fecit in ſeniori Eccleſia Aurelianenſis ciuitatis, quam ſanctus Euurtius per Dei dexteram fundauit, & more Eccleſiaſtico benedixit, in ſanctæ & viuificæ Crucis honore imaginem Domini & Saluatoris noſtri Ieſu Chriſti pendentis in Cruce, ex auro puro: vt liberaretur à mortis periculo, quem Deus omnipotens iam apud ſe decreuerat regnaturum in mundo. Nam & eius virtute liberatus eſt. Dederat autem & pater pro filio vnico ſanctæ Crucis loco vrceum argenteum penſantem lx. libras, qui vſque ad hæc noſtra tempora permanſit in domo Dei ſancta. Creſcens quippe ætate, & vir factus virtute, totam terram ſanctæ Crucis, quam Fulco Epiſcopus pro adiutorio ſui Hugoni potentiſſimo Beluacenſi dederat: hic vir Dei, qui laude & verbo omnipotenti complacebat Deo, mœſto factus animo, per ſecula celebrando ſalutiferæ Crucis loco ſuo reddidit dono. Hunc denique locum, Aurelianenſem ſcilicet Sedem, ſpecialiùs ſemper dilexit, quia in ea natus adoleuit, & poſt regeneratus ex aqua & Spiritu Sancto, ibi aſſumptionis ſuæ in Regem ſolemnem vtique percepit benedictionem. Domnus etiam Theodericus eiuſdem ciuitatis Epiſcopus, cuius vox laudem Domini dignè & laudabiliter eructabat, volens haberi memoriam ſui nominis in Monaſterio ſanctæ Crucis, iubet vas fieri ex centum ſolidis auri optimi, in quo conſecraretur ſanguis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Iunxerat ſe tanto Pontifici Rex mente humili, qui ſuperno tactus amore, fecit in ipſo ſancto calice patinam, ad conficiendum in ea corpus Redemptoris mundi, vt eſſet ei Crucis ſignaculum in auxilium, & ſancta paſſio, vera animæ carníſque redemptio. Nihilominus & domnum Odolricum Epiſcopum in ſacerdotali veſtimento ſic honorauit, vt adſtans in ſacrificio Domini, circumtectus ex omni parte auro & purpura, videretur. Vrceolum ex onichino factum, quod comparauerat Rex ditiſſimus pretio lx. librarum, iterum ipſi ſanctæ Crucis loco contulit ſimul cum alio argenteo & manipulo. Dedit etiam & pallia tria pretioſa in ornatu Eccleſiæ, pro ſua ſuorúmque filiorum ſalute, & alia multa, quæ non poſſunt literâ notari, nec numero comprehendi. Sanctorum enim corpora Martyrum pretioſorum Sauiniani & Potentiani, qui paſſi ſunt acerrimè in Senonenſi vrbe, auro, argento, gemmis ita veſtiuit, vt in his delectaretur omnis mundus, quos in terris Rex honorificauerat laude

dignis. Prӕterea Patri Benedicto & ſuis, cui ſemper totis adhæſerat præcordiis, pro ROBERTVS.
A ſua in tota mundi latitudine admirabili vita, piſcatoriam Ligeritti fluminis beniginiſſimus adtribuit, ſcripto firmauit, & ex his nil aliud quàm interceſſionis illius quæſiuit ſuffragia. Sed & Præceptum de immunitate Floriaci loci, ſeu de his quæ Monaſterij competunt vtilitatibus, auctoritate regia firmauit, & ſigillo ſuo vt bonus & ſapiens inſigniuit. In ornamentis quippe Eccleſiaſticis Patrem Benedictum honorans, quo eo amore dilexerit, manifeſtiſſimè aperuit. Nam altare ſanctæ Dei genitricis Mariæ pallio pretioſiſſimo poſt ignem, qui fuit immenſa noſtri ſancti loci calamitas, cooperuit: & thymiamatherio vſquequaque ſatis mirabili, auro & gemmis benè eleuato in ſublimi, hunc Sanctum deuotiſſimè nobilitauit. Erat enim & hoc adplenè conueniens thymiamatherium thuribulo aureo à Gauzlino Abbate mirabilium factore patrato, cuius opus ſplendeſcit præ omnibus, quæ vidimus ipſi, qui hæc ſcribimus, in Floriaco loco. Monaſterium S. Caſſiani Confeſſoris ſummi in Hedua ciuitate; quæ & Auguſtidunus, nimia dirutum vetuſtate à nouo ædificauit, & in eo Dei miniſtros collocans, Abbatiam ſicut priùs conſtruxit, præbens ſumptus his qui ibidem Deo deſeruirent. Hoc ei ſtudium; hæc eius ſemper fuit in opere Dei voluntas.

PALATIO Compendij damnum accidit Regi in furto nobili. Inſtabat tunc dies Pentecoſtes, quo Spiritus ſanctus replens animas mundat fidelium corda, vt
B placeant Patri & Filio, quibus æqualis Spiritus ſancti portio. Volens illo die pater Rex glorioſus filium ſuum ſtatuere in Regem nomine HVGONEM, ſtrenuiſſimæ nobilitatis iuuenem; pro immenſa patris & filij bonitate, quæ erat diuulgata toto terrarum Orbe, ad faciendum eum feſtinabat omnis mundus, quia delectabatur in talibus. Fuit enim hic bonus iuuenis excellentiſſimæ probitatis; omnes complectens, omnes diligens, nullum deſpiciens, dilectus à cunctis & ſemper amatus. Die autem primò perfecta benedictione mirabili, pater lætus factus de filio, exultabat gaudio immenſo. Ammonitio patris eo die talis facta eſt in filio bono: Vide fili, « ſemper ſis memor Dei, qui te hodie participem ſui fecit regni, vt æquitatis & iuſti- « tiæ in ſemitis delecteris. Quod quæſo adtribuat mihi Deus vt videam, & tibi vt fa- « cias iuxta eius voluntatem, quæ omnibus deſiderantibus eam ſemper adeſt. Inter « hæc feſtiua ſolemnia quidam Clericorum veſano corde meditatus peruerſa, accelerat perficere ea. Speciem cerui ex argento mero facti vir Dei habens in theſauris ſuis, eo delectabatur ſolemnibus feſtis. Acceperat hoc munus à Duce Normannorum Richardo ad vſus humanos, quod benignus ore, benignus corde, benigno non diſtulit conferre Deo. Erat huic ornamento adiunctus cyphus corneus, quo deferebatur vinum ad celebrandum ſacrificium. Hæc aſpiciens quidam peſtifer & nequam Clericus, arripit, caligis recondit, huc illúcque vadens non inuenit cui ea venditione contribueret, vel quomodo illam ſpeciem cerui deſtruere poſſet. Credendum eſt cunctis ea pij Regis ſeruata meritis, qui toto corde erat Deo fidelis.
C Nam tertia Sabbati in oratorio Turris Caroli colloquens cum quodam familiaritate perfecta ſibi coniuncto, ecce fur veniens ante altare ſe collocat, preces inutiles ſpargit, & longa protrahens ſuſpiria, faciſtergio altaris prolixo operit, ſimul cum cypho. & ſic verecundus abiit, neſciens miſer quorum oculi ſuper eum erant defixi. Ceſſans Rex à colloquio, vadit ad altare pede leui, cum amico vero, & ſua accipiens reddit lætus miniſtro: interminans ſocio, ne dum aduiueret, nomen eius ſeculo innoteſceret, & tanto viro verecundiam faceret.

VERVM quia opponit ſe noſtræ narrationi quorundam peruerſæ mentis intentio, qui omne bonum quod ipſi nequeunt aſſequi aliis inuidere, & malignitatis calcaneo prout poſſunt premere non erubeſcunt, quique ſi quid exceſſus humanitus admiſſum eſt, eo cuncta boni operis ſuccedentia germina canino dente oblatrant ſuffocari, hunc ſanctiſſimum virum lacerare non pertimeſcentes: Non, inquiunt, hæc quæ prolata ſunt bona de eo opera ad ſalutem illius prouenient animæ, quoniam non exhorruit facinus copulationis illicitæ, dum commatrem & ſibi conſanguinitatis vinculo nexam duxit vxorem. Quorum irrationabilitatem placet euidenti ſanctæ Scripturæ indicio conuincere. Sed ne fortè loquendi proclament aditum ſibi intercludi, dent nobis aliquem ſine prolapſione delicti. Quis verò caſtum ſe habere cor gloriabitur? cùm nec vnius diei infans mundus eſſe Scripturæ teſtimonio comprobetur? Siquidem ob inertiam deſipientium comprimen-

ROBERTVS.

dam hæc dixerim, non vt viri vltrò pœnitentis culpam occultem. Sicut enim ſan- A
ctus Dauid lege prohibitus, Berſabee contra fas concupiuit & rapuit: ita & iſte
contra ſacræ fidei iura agens, præfatam mulierem nefariè ſibi copulauit vxorem.
Illi non ſolùm ſatis fuit in mulierem peccaſſe; ſed molita viri innoxij nece, incur-
rit duplex peccatum. Huic profectò magis libuit Deum offendiſſe, quàm à mulie-
re duplici ſibi lege prohibita thorum ſeruare immaculatum. Sed vtriuſque pec-
cati vulnus, verus humani generis benigna diſpoſitione ſanauit medicus. Illum per
Nathan Prophetam ſuum, dum pauperis viri vnius ouiculæ, & diuitis ouium abun-
dantis multitudine paradigma obiecta, ſe reum agnoſcens dixit peccaſſe; iſtum
æquè per domnum & venerabilem Abbónem Floriacenſium à Deo præelectum
Abbatem, nunc Chriſti fauente gratia miraculis coruſcum, ſpreta mortis formi-
dine durè increpatum priuatim & publicè. Cuius ſancti viri increpatio tam diu
perſtitit, donec Rex mitiſſimus reatum ſuum agnoſceret, & quam malè ſibi copu-
lauerat mulierem prorſus derelinqueret, & peccati maculam grata Deo ſatisfa-
ctione dilueret. Vterque igitur Rex Deo acceptus, vtpote ab illo coronatus. Quos
nudos peperit natura mundo, ſancta diſpoſitione ſui glorioſos habere voluit & in-
clytos ſeculo. Et quia, vt ait Scriptura, permittit Deus fieri quod non vult, per-
miſit benigna diſpenſatio ſic eos accumbere peccato, vt ſe humanitate æquales
ſubiectis recognoſcerent, & reliquum vitæ tempus vigiliis & orationibus inhæren-
do tranſigerent, varias corporum paſſiones ſuſtinerent, vt adimpleretur in eis ſa-
cræ Scripturæ teſtimonium, quæ ait; *Corripit Deus quem diligit, flagellat autem om-* B
nem filium quem recipit. Vterque peccauit, quod ſolent Reges. ſed à Deo viſitati
pœnituerunt, fleuerunt, ingemuerunt, quod non ſolent Reges. Siquidem exem-
plo beati Dauid, domnus iſte noſter ROTBERTVS confeſſus eſt culpam, obſe-
crauit indulgentiam, deplorauit ærumnam, ieiunauit, orauit, & confeſſionis ſuæ
teſtimonium in perpetua ſecula vulgato dolore tranſmiſit. Quod non erubeſcunt
facere priuati, Rex non erubuit confiteri. Qui tenentur legibus, audent ſuum ne-
gare peccatum, dedignantur rogare indulgentiam, quam petebat qui nullis legi-
bus tenebatur humanis. Quod peccauit conditionis eſt, quod ſupplicauit corre-
ctionis. Lapſus communis, ſed confeſſio ſpecialis. Culpam itaque incidiſſe natu-
ræ eſt, diluiſſe virtutis. Ob hoc nimirum iſta facere non deſpexit, quia ſciebat
Deum puſillis & magnis fore timendum, & potentem quemque diuina admoneri
Scriptura; *Quanto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo inuenies gratiam.*
His igitur Rex humilis legibus abſolutus, ſuæ tamen reus fuit conſcientiæ. Qui-
bus vinculis ſe edomare deſiderans, diuinum ſibi precatur auxilium, vt ab omni cri-
minis labe mundetur. Et re vera cùm mitis & corde manſuetus egregia ſemper ha-
buerit ſanctus Rex ſuæ manſuetudinis & pietatis inſignia, ita vt aduerſariis ſuis fre-
quenter ignouerit, atque ab eorum nece abſtinendum putauerit, non eſt mirum,
quòd tam grauiter doleat noxium ſibi obrepſiſſe peccatum. Et ideo à peccatis mor-
talibus liberari ſe poſtulauit: laudauit Dominum Deum ſuum, iuſtitiam Domini C
prædicauit, & exultauit eius linguâ iuſtitia de cœlo proſpicientis, quæ proceſſit de
vtero intactæ Virginis.

VNVM verò quiddam memoria dignum à patre huius inclyti Regis & à Deo
electi patratum, huic lectioni inſerere dignum duxi. In eo namque Sacerdotes ve-
ridici, Abbates & Monachi ſanctæ normæ non neſcij, exemplar virtutum, quod
non ſolùm imitari, ſed etiam admirari valeant, inuenient. Ante omnia autem pie-
tatis & miſericordiæ omni laude extollenda inſignia. Quodam namque tempore
ſanctum diem Paſchæ in ciuitate Pariſius ſolemniter celebrans, ſecunda Sabbati
ad domum ſuam apud Sanctum Dionyſium lætus regreſſus eſt, ibique ſolemnes
exegit dies. Tertia autem Sabbati adueniente hora, qua laudibus laudaretur per
omnia ſecula Deus, ſurgit à lecto, & ad Eccleſiam ire diſponit. Aſpiciens ergo vi-
det duos ex aduerſo iacentes in angulo, operi inſiſtentes nefario. Horum fragilita-
ti condolens, ornamentum pellium, quod erat pretioſiſſimum, tollit à collo, & ſu-
per peccatores proiicit corde benigno. Quo facto, Eccleſiam Sanctorum omnipo-
tentem Deum rogaturus intrauit, vbi pro ipſis peccatoribus ne perirent orauit.
Prolongata verò oratione, & ſperans iam abiiſſe mortuos peccatores, qui pœni-
tentiâ viuerent Deo, euocat ſui corporis cuſtodem, & vt aliud ſibi eiuſdem gene-
ris deferat ornamentum humillimis verbis imperat: mandans hoc minis imperiali-

A bus, vt neque coniugi glorioſæ, neq; alicui iſtud vnquam manifeſtaretur. O quàm perfectus, qui ſic ſuo peccatores protexit veſtimento! quàm ſanctus Sacerdos, quàm pius Abbas, religioſúſque Monachus, quàm rectiſſima virtutis & perfectionis norma, cui inniti poteſt iuſtitiæ concupiſcens ſemitas! Tali quippe mandat Monachorum pater & dux confiteri peccata, qui ſcitet ſua & aliena curare vulnera, non autem deregere & publicare. O fœlix participatione Dei pietas & miſericordia, quæ ſic floruerunt in tanto & tali viro! quas & ipſe ROTBERTVS noſter quaſi hereditario iure à patre relictas poſſedit. ROBERTVS.

INGO ſummæ ingenuitatis vir & bonitatis, Abbas ſancti Germani Pariſius ciuitate conſtituti Monaſterij, ad hunc Dei famulum pro ſua & Fratrum vtilitate Aurelianis duos boni teſtimonij direxit Fratres. Qui ab eo viſi pacis honorati ſunt oſculo, vt ei mos erat: interrogatíque ſunt benigniſſimè, qua cauſa ad eum properaſſent. Vocabantur autem propriis nominibus Herbertus vnus, alter verò Gauzfredus, haud infimi ordinis monaſtici viri. Quibus pio de more imperat, vt poſt matutinos Hymnos ſua præſentia adſiſtetent, & de quibus vellent audientiam haberent. Quibus iuſſa obſeruantibus, contigit vt in ipſa Eccleſia, in qua conſederant, his cernentibus candela extingueretur. Qua extincta, religioſum virum Theudonem Clericum proximum ſuum à lecto euocat, candelámque porrigens, ad requirendum lumen quantociùs dirigit. Interea deuotiſſimus Rex Pſalmis & orationibus vacans, dum qui miſſus fuerat reuertitur, videt virum Domini candelam ardentem tenere in manibus, qui tenebat charitatem in moribus. Quod admirans, & Deum hymniſonis vocibus laudare cupiens, omnimodis illum prohibet, vt à iactantia ſuperbæ mentis ex toto ſe liberans, Dei in omnibus conlaudans virtutem, diceret cum Dauid: *Ego ſum vermis, & non homo, opprobrium hominum, & abiectio plebis.* Et iterum: *Humiliatus ſum vſquequaque Domine, viuifica me ſecundum verbum tuum.*

B

LEGIMVS in diuinis voluminibus, quòd *Seruire Deo regnare eſt.* Quod pro certo cognouit qui admonuit, dicens: *Seruite Domino in timore.* Quod vtique iſte noſter, de quo loquimur, vir beatus adimpleuit pro poſſe & velle. Et ſicut Moyſes Dei famulus precibus humillimis, manibus extenſis proſtrauit Amalech: ita & hic verus Dei amicus, ſuis deuictis hoſtibus virtute ſancti Spiritus, ſemper Deum habuit adiutorem, qui eſt ſalus omnium. Reſplendebat quippe in eo animi dulcedo, quà omnem ſibi conciliabat hominem. Erat ei ſapientia ſalutaris, qua delectabatur cum ſuis. Docebat quoſdam in lectionibus, alios in Hymnis & laudibus, & ad talia ſemper exhortans, omne ſecundum Apoſtolum omnibus fiebat, vt cunctos lucrifaceret. Ceterùm quod Pontifices ipſi Abbatéſque facere pigritabant, quorum eſt errantes corrigere, & bonos quoſque exemplo ſuo ad meliora prouocare, ipſe verus Dei amicus audebat: de cuius cordis theſauro procedebat vox exultationis & ſalutis, qua delectati gaudebat cum omnibus Sanctis, ſecundum

C Apoſtolum carnem ſuam crucifigendo cum vitiis & concupiſcentiis mundi huius, delectabile ſemper diuinitati ſeipſum præparans templum. Ad diuinum officium primus, ad laudandum Deum ſedulus. Quocunque illi erat eundum præparabatur vehiculum, quod deportaret diuini miniſterij tentorium. Quo in terram fixo, deponebantur ibi ſancta, vt quia ſecundum Pſalmiſtam, *Domini eſt terra & plenitudo eius, Orbis terrarum & vniuerſi qui habitant in eo*, prodeſſet ſe deuotum famulum, quouis in loco Deo deuotas perſoluere laudes. Erant enim fixa & benè plantata in corde manſuetiſſimi & Deum benè amantis Regis, beatiſſimi Antonij verba: *Ieſum Chriſtum ſemper deſiderate, quia in omni ſede terrarum conſtituta ſunt regna cælorum.* Sanctas noctes, hoc eſt Natiuitatis Domini, ſancti Paſchæ, & Pentecoſten, ſic totas ducebat inſomnes vſque ad ſummum manè, vt nec ſedens vel ſtans ſomnum caperet, donec quam expectabat & deſiderabat ſalutiferam corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti perceptionem perciperet. Probata de eo teſtes iſta, & in omni ſeculo manifeſtata. Solemnitate verò Natiuitatis ſancti Ioannis Baptiſtæ, hanc quam in Natiuitate Domini tenebat conſuetudinem, vt poſt laudationem Domini, quæ eſt in hymno, *Te Deum laudamus*, Miſſa celebraretur deuotè, quæ ſanctis eſt libris prænotata, in primo mane. Hoc ſancta conſtituit auctoritas Gregorij Magni & aliorum in Miſſa. Amalarij verò iterum doctrina, quam aſſumpſit ex dictis ſanctorum Patrum.

ROBERTVS. QVIS autem ei mos fuerit dandæ eleemoſynæ in ſui Regni ſedibus, non prætermittimus. In Pariſius ciuitate, Syluanectis, Aurelianis, Diuione, Autiſſiodoro, Aualone, Miliduno, Stampis, in vnaquaque harum ſede trecentis; vel quod eſt verius mille pauperibus dabatur panis & vini abundantia, & hoc ſpecialiùs ipſo quo ad Deum tranſiit anno, qui eſt Incarnationis Dominicæ milleſimus triceſimus ſecundus. Præter hæc, quò ibat quotidie in ſancta Quadrageſima c. aut cc. iubebat pauperibus dari panis, piſcium, & vini cibaria. In die autem Cœnæ Domini, non videntibus incredibile, videntibus verò & ſeruientibus in tali negotio ſatis admirabile, cùm non minùs quàm trecenti ipſa die ſua prouidentiâ congregari, de eius ſancta manu flexo poplite in terram, vnuſquiſque legumen, piſcem, panem, denarium vnum ſumebat in manibus. Et hoc hora diei tertia. Hora itidem ſexta. Itidem centum Clericis pauperibus præbendam panis, piſcis, & vini concedebat: duodecim vnumquemque eorum honorans denariis, corde & ore Dauidicos ſemper decantans Pſalmos. Poſt menſam verò præparans ſe ad Dei ſeruitium Rex humilis ponebat veſtimenta ſua, indutus ad carnem cilicio, adiunctóque Clericorum Collegio centum ſexaginta & eo ampliùs numero, ad exemplum Domini, eorum pedes lauans, capillis capitis ſui tergebat, & ad mandatum Domini ſingulos eorum duobus ſolidis remunerans, Clero præſente, & Diacono adſtante, qui lectionem legeret ſecundum Ioannem in Cœna Domini dictam & factam. Talibus factis occupabat ſe Rex meritis glorioſus, loca Sanctorum perluſtrando toto die ſancto Paraſceue, & crucem Domini adorando vſque in vigilia ſanctæ Reſurrectionis, in qua aſſumebat ſtatim ſacrificium laudis, quæ non defuit ab eius ore, in omnibus ſeculis. His & huiuſcemodi virtutum meritis, bonorúmque operum exhibitionibus glorioſus, ROTBERTVS Rex ſe mirabilem mundo præbuit, cunctis poſteris imitabilem dereliquit. A B

HIC autem poſt Deum ſpecialis gloria Regum, pro ſacrato ſanctorum Apoſtolorum numero, quos ſemper amabat corde benigno, & quorum ſolemnes feſtiuitates votiuo præueniebat ieiunio, ad horum exemplum duodecim pauperes ſecum ducebat, quos ſpecialiùs diligebat. Quibus ipſe erat vera requies, poſt labores. Nam his ſanctis pauperibus comparans fortiſſimos aſinorum pullos, ante ſe vbicunque pergebat lætantes, Deum laudantes, & animam ſuam benedicentes dirigebat. In his nempe & aliis innumerabilibus pauperibus recreandis nunquam habuit nolle, ſed ſemper velle. Morituris his fortis erat prouiſio, ne quis minueretur de numero, erátque eis viuotum ſucceſſio, & apud Deum tanti Regis oblatio. Hoc ſtudium, hæc eius ſemper fuit bona voluntas, cui ſemper adhæſerat, participatione ſummi boni; vera bonitas, in qua clariſſimus verſificator his verſibus eſt delectatus:

Maior cura boni eſt Fratrum releuare labores,
Et fieri optatum triſtibus auxilium.
Paſcere ieiunos, nudos veſtire, ligatos
Soluere, diſcordes conciliare ſibi. C
Et quæcunque homines miſeri ſolatia quærunt,
Hæc vt poſsibile eſt promere corde pio.
Vt rectè verè cupidus, veréque benignus
Quæ mala ſunt fugiat, quæ bona ſunt faciat.

Hæc omnia in tanto viro fuiſſe omnis cognouit mundus, quia eum ſemper dilexit Deus.

PRÆTEREA conſtruxit à nouo in vrbe Aureliana Monaſterium ſancti Aniani ſingularis ſui apud Deum aduocati. Qui quàm pium ſanctæ deuotionis amorem erga eundem habuerit, nullus edicere valet, quia illum ſuum ſemper poſt Deum adiutorem, protectorem, & defenſorem habere voluit, ad quoſcunque potuiſſet pergere greſſus. Nam vno die à quodam ſuo ſpeciali amicorum amico interpellatus, vt quid talem ac tantum Pontificem, & non alios ſic Sanctos ſuis ſanctis laudibus extolleret, reſpondiſſe humillima & piiſſima voce fertur: Quis eſt Anianus? Anianus, Anianus pro certo eſt vera noſtrorum conſolatio, laborantium fortitudo, Regum protectio, Principum defenſio, Pontificum exultatio, Clericorum, Monachorum, orphanorum, & viduarum egregia & inenarrabilis ſubleuatio. Er illudens ad circumſtantes pueros, ait: Num & iſte, de quo loquimur, Anianus

A nus à pœnis virgarum vobis pueris non eſt frequens, vera, & probata liberatio?

Ardens tanti Pontificis honore hic redolens flos, & decus Eccleſiæ ſanctæ, & gratia, Dei deſiderio cum in altiori volens conſtituere loco, domum Domini ſuper eum in melius conſtruere cœpit, & Deo cooperante & ſancto Aniano auxilia præbente, ad finem vſque perduxit. Habet namque ipſa domus in longitudine tenſas quadraginta duas, in latitudine duodecim, in alto decem, feneſtras centum viginti tres. Fecit & Altaria in ipſo Monaſterio ad laudem Sanctorum numero nouemdecim, quorum memoriam hîc adnotare curauimus. Principale in honorem Apoſtoli Petri, cui ſupradictus Rex adſociauit Coapoſtolum Paulum in benedictione, cùm non antea ibi niſi ſolius ſancti Petri eſſet veneratio. Ad caput S. Aniani vnum. Ad pedes aliud. Aliud in honore S. Benedicti. Cetera ſunt in honore eorum, quorum nomina ſunt adſcripta, ſancti videlicet Euurtij, ſancti Laurentij, S. Georgij, omniúmque Sanctorum, item S. Martini, S. Mauritij, S. Stephani, S. Antonij, S. Vincentij, ſanctæ Mariæ, ſancti Ioannis, ſancti Saluatoris, S. Mamerti, S. Nicolai, & S. Michaëlis. Caput autem ipſius Monaſterij fecit miro opere, in ſimilitudinem Monaſterij ſanctæ Mariæ matris Domini & Sanctorum Agricolæ & Vitalis in Claromonte conſtituti. Lecticam ipſius S. Aniani à fronte auro bono & optimo, & lapidibus pretioſis, & argento mero præoccupauit. Tabulam ad Altare S. Petri, in cuius honore extat locus, auro bono totam cooperuit, de qua

B Cōſtantia nobilis Regina eius coniux glorioſa poſt mortem viri ſui ſanctiſſimi Deo & ſancto attribuit Aniano, ſummam ſcilicet librarum ſeptem ipſius metalli in meliorandis à ſe Monaſterij facti tectis: quibus ab imis ad ſuperiora apertis, cœlum melius cerneretur quàm terra. Extitit in ea quantitas auri quindecim librarum probati. Quod reliquum fuit, in quibus debuit diſtribuit, quia erat ei ſollicitudo Eccleſiarum Dei, iuxta vtile Senioris ſui velle. Poſt quæ omnia cupidus ſanctæ benedictionis Rex Rotbertvs glorioſus, ſuæ ordinationis, benedictionis, & aſſumptionis in Regem anno triceſimo ſexto, iuſſione imperatoria euocauit Archipræſules Gauzlinum Bituricenſem & Abbatem Floriacenſem, Leothericum Senonenſem, necnon & Arnulphum Turonenſem. Quorum præſentiam ſubſequuntur Præſules, Odolricus Aurelianenſis, Theodoricus Carnotenſis, Bernerius Meldenſis, Guarinus Beluacenſis, & Rodulfus Syluanectenſis. Non defuit etiam præſentia domni & venerabilis Odilonis Cluniacenſium Abbatis, & aliorum bonorum virorum non minimi meriti, cum quibus ſemper deſiderabat colloqui. Ab his pro certo & aliis Dei Miniſtris leuatur illud nobile corpus amici Dei Aniani ſanctiſſimi de ſepulchro, cum corporibus Sanctorum Euſpicij, Monitoris & Floſculi Confeſſorum, Baudelij & Scubilij Martyrum, & Agiæ matris S. Lupi Confeſſoris: & ab ipſo glorioſo Rege & aliis, quos iam prænotauit litera, qui pro tali negotio aduenerant, cuſtoditur, laudatur, & decantatur in Hymnis & laudibus in Eccleſia S. Martini, quoadusq; præpararentur vtilia & neceſſaria ſanctæ benedictioni. Præparatis ergo omnibus, ab ipſis ſanctis Sacerdotibus locum ipſum benedici & conſecrari ſolemniter fecit, anno Dominicæ Incarnationis milleſimo viceſimo nono, Indictione duodecima. Sumitur itaq; humeris inclyti Regis gaudentium ſimul & lætantium populorum, & transfertur cum laudibus in Templum nouum, quod ipſe inclytus Rotbertvs ædificauerat, laudantes Dominum & S. Anianum in tympano & choro, in chordis & organo: & cum in loco collocant ſancto, ad honorem, gloriam, & laudem Ieſu Chriſti Domini noſtri, & famuli ſui Aniani, ſpeciali gloria decorati.

C (margin) 1029.

Expleta benedictione ſolemni, & omnibus, quæ ad dedicationem ſancti Templi pertinebāt, vadit iam cum reuerentia nominandus pater patriæ Rotbertvs ante Altare ſanctiſſimi Petri, & dilecti domni Aniani, in conſpectu omnium populorum, & exuens ſe veſtimento purpureo, quod lingua ruſtica dicitur rocus, vtroque genu fixo in terram, toto de corde ad Deum ſupplicem fudit precem, in his verbis: Gratias, inquit, ago tibi bone Deus, qui ad effectum meam voluntatem hodie meritis S. Aniani perduxiſti, lætificans animam meam de corporibus Sanctorum, cum eo hodierna die triumphantium. Da ergo Domine, per hos Sanctos tuos, viuis delictorum indulgentiam, defunctis omnibus vitam & requiem ſempiternam. Tempora noſtra proſpice, regnum tuum, quod tua pietate, miſericordia, bonitate nobis datum eſt, rege, diſpone, cuſtodi ad laudem & gloriam nominis tui, S. Aniani

ROBERTVS. virtute mirabili, patris patriæ ab inimicis mirabiliter liberatæ. Peracta oratione, A ad ſua quiſque lætus regreditur, & de ſuis donariis ipſo die locus inſigniter nobilitatur, in quatuor ſcilicet palliis pretioſiſſimis, & vrceo argenteo, & capella, quam poſt obitum ſuum Deo omnipotenti, & ſanctiſſimo Confeſſori delegauit Aniano. Capella autem huius piiſſimi, prudentiſſimi, potentiſſimi Regis ROTBERTI talis fuit: Cappæ octodecim bonæ, optimæ, & benè paratæ. Libri Euangeliorum aurei duo, argentei duo, & alij duo parui, cum Miſſali vno tranſmarino, benè parato ebore & argento. Philacteria aurea duodecim. Altare vnum auro & argento mirabiliter paratum, continens in medio petram laudabilem, quæ dicitur onichinus. Cruces aureæ tres. Maior ex his continet in ſe libras auri puri ſeptem. Signa quinque. Vnum ex his ſatis mirabile, in quo duo millenaria metalli, & ſexcentæ libræ fuerunt, cui imprimi iuſſit ſignum baptiſmi, de oleo & chriſmate facti, ſicut ordo depoſcit Eccleſiaſticus, & vt vocaretur ROTBERTVS attribueret Spiritus ſanctus. Dedit etiam & huic Sancto Eccleſias duas, Sentiliacum & Rutinagum, cum villis, & omnibus quæ ad ipſas pertinent, quas Præcepto Regali firmauit, & corrobotari iuſſit. Promeruit autem & à domno Theoderico venerabili Aurelianorum Epiſcopo Altaria ipſarum Eccleſiarum cum Pontificali Priuilegio de ipſis à ſe facto, quod ſancto contulit Aniano, & Regi inclyto, qui eum in voce exultationis ſemper dilexerat, de corde bono.

CASTRVM Criſpiacus dictum à VValtero potenti nobiliter conſtructum Sueſſionico in territorio, Abbatiam ſancti Arnulfi à ſe factam nobilis nobilem, & per ſecula reddidit illuſtrem. Noſtra enim ætate ibi Abbatem quendam Lezcelinum nomine conſtituit, boni teſtimonij virum, profeſſione regularis vitæ Monachum, quotannis venientem ad hunc Dei virum. Suſcipiebatur ab eo vt Dei ſeruus, & colloquium habentes de cœleſtibus, pòſt in redeundo honorabatur ab eo honorabilibus muneribus quàm ſplendidè, quæ erant iuncta cœleſtibus perfectæ charitatis virtute. Quodam autem tempore ſanctæ Quadrageſimæ Piſciaco ad Regem de more properans, temporales ſimul & ſpiritales ſumpſerunt cibos. Auita ſe poſthæc coniungentes bonitate, offert Regi charitatem Dei Abbas bonus, pro releuatione corporis eius humillimi, vt haberet leuamen ciborum, qui precibus pulſans oſtia cœlorum fieret conſors Sanctorum. Hoc renuens vir pietatis, & incumbens ſe terris, omnimodis orabat, ne vi eum opprimeret, quia talibus obediens nullum adhuc Deo ieiunij votum obtuliſſet. Abba hoc audiens, taciturnitatis vincula ſuſcepit, & meditans corde, quòd eſſet perfectus virtute, pro ieiunij eius obſeruatione, ſuſcepit eum in multimodam & non numeroſam Miſſarum celebrationem, vt attribueret ei Deus in his firmam deuotionem. His lætus Rex donis à ſancto viro perceptis, Deo gratias egit, & ſanctum celebrauit continuò ieiunium, expectans Dei & Domini noſtri Ieſu Chriſti Reſurrectionem. Erat & hoc amatori bonorum in religione pro ſuarum emundatione culparum, quòd à ſancto Septuageſimo vſque in Paſcha, nulla vſus culcita, frequenter eum ſuſcipiebat ad iacendum fortiſſima terra, tendentem indeſinenter ad æthera. Proſit tamen pro his & aliis animæ C eius ſubſcripta & breuis oratio: Priorum actuum eius maculas Deus tergat, obliuioni perpetuæ tradat, partem ei in Reſurrectione prima concedat, qui eſt Reſurrectio mortuorum Ieſus Chriſtus viuens & regnans in ſecula ſeculorum.

CORDI meo quid dulcius, quid iucundius poteſt iungi, quàm vt præceptorem, adiutorem meum in omnibus Dei operibus collaudem? Redeo, redeo, & ſicut ſolebam in diebus, quibus nos ſimul reſpiciebamus, eius mihi amabilem & deſiderantiſſimam recipio bonitatem. Delector etiam in illa, & experior quid vtilitatis mihi illa fuerit. In illa vt meæ eſt recordationis nil accipio, nil ſentio, quàm vt bonus filius de patre bono, amicus de amico, dilectus de dilecto. Erubeſco tamen valde in huius admirabilis viri operum bonorũ narratione, cùm in eo ſemper floruerint quæ ſunt fixa ſummis cœlorum, pro lucratione animarum & corporum. Quempiam videns deſudare in Dei opere, hunc exhortabatur voce, clanculo alleuãs munere, cuius erat donum promiſſis pauperrimũ, dato permaximum. In fundo Monaſterij Floriacenſis loci, paterna imitabilis Abbatis mei Gauzlini iuſſione, Eccleſiam cœpi ædificare, modicã quidem, ſed feſtiuam: ad quam occurrebat populus amore, quorũ erat ſacrãda condigna benedictione. Licet eſſet imperfecta, quamuis lignea, tamen promouit ſe Rex vir cœleſtium deſideriorũ à Vitriaco caſtro, deſiderans eam

A videre aſpectu ſanctiſſimo. Fuerat iam iuſſu domni & amabilis Odolrici Pontificis à venerabili Bituricenſium Archiepiſcopo Gauzlino benedicta, dante eo in circuitu pleniſſimè terram ipſi Eccleſiæ perutilem. Intrans in ea Rex & orans, pallium quatuor librarum ſuper altare poſuit; quod quia in honore ſanctorum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, conſecratum fuit, proculdubiò eius cordi ita inſedit, vt ſuis piis aſpicientibus oculis, poſt ad eum Patiſius me veniente, de reliquiis ipſorum Martyrum, almi ſcilicet Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, ſplendidè exornaret, interceſſionibus ditaret. Protectionis eorum dona hæc ſunt: De caſula ſancti Dionyſij, dalmatica ſancti Ruſtici, caſula ſancti Eleutherij, de veſtimentis eorum ſanguine aſperſis, de carnium eorum puluere, & funiculo triplici quo fuit adſtrictus Dionyſius Martyr Domini pretioſus. His & aliis Sanctorum pignoribus, à Rege amante Deum nobiliter inſignitus eſt locus. Suſceptæ ſunt autem ipſæ Sanctorum ſupra dictorum pretioſiſſimæ reliquiæ in Flotiaco Monaſterio à domno Gauzlino Abbate in dando & accipiendo ſatis honorabili viro, die Kalendarum Octobrium, quo celebris agitur in omnibus ſeculis ſanctorum Germani, Remigij, atque Vedaſti ſolemnitas Confeſſorum. Sanè peccatis exiſtentibus ipſa Eccleſia pòſt ignibus aduſta, iterum à me miſero auxiliatrice manu Domini operante, ſanctæ Mariæ matris Domini, Patris quoque Benedicti, & eorundem Sanctorum adiuuantibus meritis, quæ erat lignea, facta eſt lapidea, quam magnæ bonitatis glorioſus Epiſcopus Odolricus ſua, non alterius, vt prius, manu Domino Deo & ſuis
B Sanctis dedicari & conſecrari voluit. Fecit vt decebat talem virum. Quippe qui ſic me protexit amore, omni quo aduixit tempore, operante Dei virtute, vt in his quæcunque volui nunquam eius habuerim nolle, ſed ſemper quod eſt honeſtum & vtile. Hereditatem ſanctorum Sacerdotum, quam ſemper hic Sacerdos inclytus honore Pontificatus conſequi deſiderabat, hanc quæſumus ei tribuere dignetur Pontifex ſummus Deus & Dominus noſter Ieſus Chriſtus. Huius peccata deſtruat, collocet in cœleſtibus, iungat cœlorum ciuibus Redemptor & conditor, & ſanctarum animarum mitiſſimus liberator. Intrantes hanc Eccleſiam præ oculis habent ſubſcriptos verſiculos, memoriam ſancti Dionyſij & factoris loci retinentes, quos binis partibus diuiſos agnoſcunt Altaria, quorum ſunt honore ſacrata. Ad ſiniſtram partem Altaris ſancti Dionyſij hi ſunt:

Iſta Dionyſius penetrantes limina ſanctus,
Auxilio ſancto conſociet Domino.
Quem quicunque petis Dominum depoſce tonantem,
Quatenus Helgaudum ſeruet amore ſuum.
Cuius amor Chriſto ſic ſic venerabile Templum
Conſtruxit Domino atque Dionyſio.

Item ad dexteram:

Eſt domus iſta Deo ſine fine dicata ſuperno,
C *Helgaudi ſtudio conſilióque boni.*
Hinc Paradiſiaci pulſatur ianua regni:
Hinc pia plebs Domino coniubilat ſupero.
Intrantes pariter Chriſtus conſeruet Ieſus.
Dicite cuncti voce fideli omne per æuum, Sic fiat: amen, amen, amen.

Hvivs certè temporibus, cuius adiuuante Deo facta deſcribimus, fulſit in Monaſterio Flotiacenſi loco celebri, ſplendidus mundo Gauzlinus Abbas merito, Sanctis Deo coniunctus operibus, pollens ſcientia ſpirituali ſimul & humana. Inerant eius cordi Abonis magiſtri prolati ſanctæ Scripturæ flores boni, de quibus honeſtiſſimè imbutus ita eructabat omnibus, vt poſſent delectari in cœleſtibus. In ſanctis eleemoſynis ita largiſſimus, vt ipſe poſitus in fortiſſimis frigoribus à ſe veſtes pellium abiiciens, pauperes Chriſti indueret, vt à remuneratore bonorum præmium perciperet, de quo audiret: *Nudus fui, & vos operuiſtis me. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis: Venite benedicti patris mei, percipite regnum, quod vobis paratum eſt ab origine mundi.* Hunc perfectus Rex ita ſuis affixit obtutibus, vt eum præ ceteris diligens ſuis eum ſpecialiter deuinceret conſiliis, quæ ab eo probè probata, ſemper ea habuit honeſta, nunquam tamen iniuſta. In honoribus ſeculi cum honorans attribuit illi honores non minimos, Abbatiam S. Benedicti, quæ eſt caput totius Ordinis Monaſtici, & Epiſcopatum Bituricenſem ſancti Prothomar-

ROBERTVS.

ROBERTVS. tyris Stephani, principatum tenentis totius Aquitaniæ, qui fuit & eſt honor & decus Franciæ. In quibus quæ peccauit vera charitas & eleemoſyna, quæ in eum floruerunt virtute magna, perpetuæ tradent obliuioni, actione felicis boni quod habuit participatione ſummi boni. In diebus quippe Septuageſimæ reſidens Rex illuſtris Pariſius ciuitate, miſit ad eum Abbas humilis ex more, pro ſacratiſſimi loci vtilitate. Qui miſſi erant his propriis appellabantur nominibus: Albericus vnus Sacerdotij gloria decoratus, largifluæ charitatis vir. Cui adiunctus Dei dono & excellentiſſimi patris Gauzlini imperio, frater de nomine dictus HELGAVDVS, quem iſte Princeps Dei affectu diligebat paterno. Tertium ſecum habentes in obſequio fraternitatis laborantem Hiſembertum nomine, conuerſione dignum factum Monachum. Dies autem ſanctæ Quadrageſimæ Piſciaeo celebraturus, iter accelerat nobiſcum proficiſcentibus eius præceptis imperialibus, in quo erat rationem redditurus, de quibus eum adieramus. Cùm ecce venientes ad portum Sequanæ, qui dicitur Caroli-venna, hoc eſt piſcatoria, quæ erat difficultate tranſmeabilis, iuſſione eius ſancta ſoli nauiculam intrauimus, ipſo aſpiciente & conſiderante quis finis nos aſſumeret, quos ad ſe venire alacres & incolumes expectabat. Affuit nobis miſeris huius interceſſione Regis, qui laudatur, benedicitur & adoratur vbique Deus. Nauigantibus nobis, & equos noſtros iuxta lintrem frænis trahentibus, contigit vnum ſonipedem indomitum, & nunquam talia id actum, in mediis fluctibus duos in naui anteriores poſuiſſe pedes: cuius forti rabie nauis periclitabatur, trahens nos B iam in profundum. Inclamans Rex poſt Deum altiſſimum cum ſuis, & virtutes cœlorum, dat voces immenſas ad cœlum noſtro pro periculo. Pronuntiat grandi voce fræna relinquere, & equos longè à naui arceri. Ad cuius amabilem vocem laxatis frænis vt iuſſerat, & equi pedibus de naui eiectis, cœpimus ad littus cuehi. Ipſe quoque ſanctum Dionyſium, ſanctúmque Benedictum, & omnes Sanctos Dei in adiutorium noſtrum prouocabat, lachrymis perfuſus oculis. cuius precem audiuit is qui eſt in ſecula benedictus Deus. Factum eſt vt voluit, & deducta naui ad terram, ſuſcepit nos per Dei gratiam incolumes, qui eramus ſimul cum eo mirabilem Deum laudantes. Ex quo facto habuit nos Deus omnipotens omni tempore laudatores. Manſimus autem cum ipſo Dei viro illo in loco triduò, delectati dulci eius colloquio, ſicut & aſpectu iucundo. Cuius quæſumus ſanctiſſimam animam ſuo collocet in regno, qui eam redemit ſanguine pretioſo.

ADHVC in maiori quàm ingreſſi ſumus loco placet ponere pedem, ad eius glorioſum feſtinantes tranſitum in deſcribendo, quem laudibus veraciſſimis & non falſis, apertis & non fictis, Domino noſtro audebimus commendare, ſancti Spiritus virtute: vt mereatur euadere diem vltionis extremæ, inſignitus ſignaculo Trinitatis ſanctæ. Sed quia adhuc quædam de eius mira operatione, quæ ſunt veræ humilitati ſociata, non ſcripſimus, & quæ multis proſunt & proderunt ad ſalutem: reſtat vt his manifeſtatis, non teneat nos orioſos eius ſanctiſſimus obitus, qui dono Dei extitit laudabilis & glorioſus. Habens deſiderium mori ſeculo, & viuere Chriſto Deo, C Rex ſtrenuiſſimus eum, cui eſt omne quod eſt, & cui attribuimus omne quod ſcribimus, deſiderans videre, voluit terris habere ſocium, quem non poteſt capere cœlum. Proficiſcente eo quadam Quadrageſima ad Sanctos, Dei ſeruitio ſibi coniunctos, adit, orat, honorat, aures eorum precibus humillimis & ſalutaribus pulſat, vt cum ipſis & Sanctis omnibus inueniri poſſet in Dei laudibus dignus. Laborabat in hoc carnis & ſpiritus fortitudine, vt euinceret Dei virtute. Intrans fines Bituricum ſuſcipit eum ſanctus Prothomartyr Stephanus, cum ſancto Maiolo meritis præcipuo, ſancta Maria, cum celebri Iuliano, Martyre ſummo, iterum ipſa piiſſima Virginum virgo Maria, cum ſancto Egidio Confeſſore magno. Inclytus verò Saturninus, cum forti Vincentio, dignus Antoninus cum Fidi Martyre. Sanctus Domini Giraldus ipſum iam reuertentem ad propria ſancto iterum reddit incolumem Stephano glorioſo, cum quo terris lætum deducens diem Palmatum, properat Aurelianis, ibi in Paſcha percepturus auctorem noſtræ ſalutis. Quo itinere, multa ab eo fuerunt dona Sanctis data, à pauperibus verò eius manus nũquam fuit vacua. Nam ipſa terra multos habens infirmos, & præcipuè leproſos, hos vir Dei non abhorruit, quia in Scripturis ſanctis legit Dominum Chriſtum multoties in ſpeciem leproſorum hoſpitio ſuſceptum. Ad hos auida mente properans & intrans, manu propria dabat denariorum ſummam, & ore proprio figens eorum manibus oſcula,

A in omnibus Deum collaudabat, memor verborum Domini dicentis: *Memento, quia puluis es, & in puluerem reuerteris.* Ceteris autem mittebat deuotè, pro Dei omnipotentis amore, qui operatur magna vbi eſt. Tantam quippe gratiam in medendis corporibus perfecto viro contulit diuina virtus, vt ſua piiſſima manu infirmis locum tangens vulneris, & illis imprimens ſignum ſanctæ Crucis, omnem auferret ab eis dolorem infirmitatis. Charitatis integræ non immemor ſeruus Dei conſiderabat pretioſa Martyrij Monachi facta, qui proprio leproſum adſtringens veſtimento, illúmque ſuo leuans humero, dum ei ſeruitutis officia dare voluit, repente ad æthera rediit, & ei aſcendens dixit Chriſtus, qui in ſpecie leproſi fuerat ſuſceptus: Martyri, tu me non erubuiſti ſuper terram, ego te non erubeſcam ſuper cœlos. Habeat hic, de quo loquimur, præſtante Deo, partem cum ſancto Martyrio, qui iſtis & aliis bonis operibus feſtinabat ſe ſociari Chriſto Deo. Robertvs.

In ædificationibus verò Eccleſiarum Dei, hic temporali ſimul & ſpiritali oleo inunctus Rex ſanctæ benedictionis dono, ſuam potentiam & voluntatem adimplere deſiderans, & ad æternæ beatitudinis palmam conſequendam anhelans, inter alia cogitare cœpit, & poſt cogitata ad effectum perducere, Sancti Dei, cuius ſublimitatis, cuius meriti, quáve eſſent honorandi & extollendi laude; de quibus nulla ei cunctis temporibus loquendi laudandive fuit ſatietas. Enimuero apparebit in his quæ ſubter ſunt adnexa, deſcripta, & ſuperioribus iuncta, quia omnia ſemper fuerunt ei curæ, ſcilicet quæ ſunt pudica, quæ ſunt caſta, quæ ſunt ſancta, & quæ B habet virgo verè mater Eccleſia ſancta. Attamen nunquam fuit illi Deus obliuioſus. In ipſa autem ciuitate Aurelianis ædificauit Monaſterium in honore ſancti Aniani, vt diximus, item aliud in honore ſanctæ Mariæ matris Domini noſtri Ieſu Chriſti, & S. Hilarij Confeſſoris ſummi. Sanctæ itidem Mariæ genitricis Dei cognomento Fabricatæ. Fecit inibi & Monaſterium ſancti Vincentij Martyris Chriſti. Monaſterium S. Pauli Apoſtoli in Cantogilo villa. Monaſterium S. Medardi in Vitriaco caſtro. Monaſterium S. Leodegarij in ſylua Aquilina. Monaſterium ſanctæ Mariæ in Miliduno caſtro cum alia Eccleſia. Monaſterium S. Petri & S. Reguli in ciuitate Syluanectenſi. Monaſterium ſanctæ Mariæ in Stampenſi caſtro. Item in ipſo caſtro Eccleſiam vnam, in Palatio. In ciuitate Pariſius Eccleſiam in honore S. Nicolai Pontificis in Palatio. Monaſterium S. Germani Autiſſiodorenſis. S. Michaëlis Eccleſiam in ſylua cognominata Bieria. Item Monaſterium S. Germani Pariſiacenſis, cum Eccleſia S. Vincentij in ſylua cognominata Ledia. In villa quæ dicitur Gomedus, Eccleſiam in honore S. Aniani. Item in villa Faida, Eccleſiam in honore S. Aniani. Monaſterium ſanctæ Mariæ in Piſciaco. Monaſterium S. Caſſiani in Auguſtiduno. Pro his omnibus, & aliis innumerabilibus, quæ per Domini virtutem operatus eſt, bonis, oremus ſinguli, oremus omnes, & dicamus:

« Devs, qui inter ſanctiſſimos Reges famulum tuum Rotbertvm regali feciſti dignitate vigere, præſta quæſumus, vt quorum vicem ad horam gerebat in C terris, intercedente glorioſa Dei genitrice Maria, cum omnibus Sanctis, eorum quoque perpetuo conſortio lætetur in cœlis. Per eundem Dominum noſtrum. »

Ante ſuum ſanè ſanctiſſimum obitum, qui tertio decimo Kalendis Auguſti extitit, die paſſionis Apoſtolorum ſanctorum Petri & Pauli, Sol ad ſimilitudinem quartæ Lunæ ſubtractis radiis fuſcatus apparuit in toto mundo, hora diei ſexta palleſcens ſuper homines. Quorum viſus ita obnubilauit, vt nullus alium recognoſceret, donec quoddam recognoſcendi tranſiret ſpatium. Quid autem portenderit, in proximo patuit, cùm nil nobis miſerius aluit, quàm de ſua morte dolorem intolerabilem reliquerit. A die enim S. Petri ad ſui ſanctiſſimi tranſitus diem, xx. & vnus dies ſupputantur. In quibus diebus ſancta Dauid canens, meditabatur legem Domini die ac nocte, vt proculdubio ei concordari queat illud, quod de ſanctiſſimo Patre Benedicto ſpecialiter dictum eſt:

Pſalmicen aſſiduus nunquam dabat otia plectro,
Sacra canens obiit Pſalmicen aſſiduus.

Cognouerat autem hic miles beatus, tunc Dei ſeruis pacem eſſe liberam, quietem tranquillam, quando de huius mundi turbinibus abſtracti ad ſedem & ſecuritatem æterni portus intrarent, & abſorpta morte ad immortalitatem venirent. Feſtinabat enim ſupra nominatis virtutibus de præſenti triſtitia ad lætitiam venire perennem. Dicebat, illi perfectum eſſe gaudium, qui elaboraret vt videre poſſet Chriſtum

ROBERTVS. Deum. Exire ipſe de hoc ſeculo paratus, Dominum Ieſum ſuæ ſalutis atque vtilitatis magiſtrum ſemper inuocabat. Ad videndam Regis æterni inſuperabilem potentiam, Angelos, Archangelos, & omnes Dei Sanctos, in auxilium ſuum venire, voce, ſignis, indeſinenter orabat, muniens ſe ſemper in fronte & oculis, naribus & labiis, gutture & auribus per ſignum ſanctæ Crucis, memoriâ Dominicæ Incarnationis, Natiuitatis, Paſſionis, Reſurrectionis & Aſcenſionis, & gratiæ Spiritus ſancti. Habuit hoc ex more in vita, cui nunquam defuit voluntate aqua benedicta. His verò aliiſque refertus bonis virtutibus, ſexagenarius, vt credimus, oppeciebat mortem intrepidus. Et inualeſcente validæ febris languore, petiit viaticum ſalutare & ſalubre viuifici corporis & ſanguinis Domini noſtri Ieſu Chriſti. Sumpto eo, & paruo interuallo facto, ad Regem regum & Dominum dominorum demigrans: felix feliciter felicia promeruit regna. Obdormiuit autem, vt diximus, in Domino decimo tertio Kal. Auguſti, luceſcente aurora diei tertiæ Sabbati, Miliduno caſtro: & Pariſius deportatus apud S. Dionyſium iuxta patrem ſuum ſepelitur ante altare ſanctæ Trinitatis. Fuerat ibi ingens luctus, intolerabilis dolor, dum Monachorum ingemiſcens turba, pro abſentia tanti Patris, Clericorum innumerabilis multitudo ærumnas ſuas ab ipſo Sancto piè releuatas dolens, viduarum & orphanorum infinitus numerus beneficia ab eo percepta deplorans, dabat A

„ voces ad cœlum immenſas. Vna pro certo omnium vox: Rex magne, Deus bone,
„ vt quid nos interficis, cùm nobis Patrem bonum abſtrahis, & tibi adiungis? Pugnis enim pectora percutientes ibant & reuertebantur ad Sancti tumulum, repetentes iam dicti ſermonis verſiculum. adiicientes, vt miſereretur ei Deus in bonum, precibus omnium Sanctorum in ſeculum ſempiternum. In cuius morte, B
„ heu! proh dolor! ingeminatis vocibus adclamatum eſt. ROTBERTO imperante
„ & regente, ſecuri viximus, neminem timuimus. Patri pio, Patri Senatus, Patri
„ omnium bonorum, felix anima & ſalus, felix ad ſuperna aſcenſus, felix cum
„ Chriſto Rege regum per ſecula cohabitatio. Huius igitur mirabilis Regis portio in cœleſti regno fuit Dominus Deus. Etenim narranda eſt. Faſtigio regni erectus in ſublimi, hic humillimus vir Dei abiecità ſe iactantiam inhoneſtæ mentis, quæ ſunt honorum ſublimia, mundi gloriam, & in cœlis ſuum collocans theſaurum. propter hoc huius portio factus eſt Deus. Magnus apud Deum eius theſaurus, egregius ſanctarum diuitiarum cumulus, cubile requietionis ſanctæ perpetuum, cuius eſt Deus propitiatio, qui fuit totius mundi liberatio. Inter alia vnum quiddam doloris nobis hoc adfert, quòd talis ac tantus vir ſine titulo ornati lapidis, ſine nomine, ſine literis iacet, cuius in toto terrarum Orbe gloria & memoria in benedictione eſt. Proinde omni ſeculo profuit & proderit huius ſereniſſimi Regis ratio, cui indeſinenter adhæſit Eccleſiaſticus & ſibi ſemper amabilis Monaſticus Ordo. Hunc Chriſtus Deus bonum omnibus dederat Patrem. Attamen libet annotare paucis in fine huius Operis innumeroſam huius mirabilis bonitatem Regis. Sermocinans quis cum eo, non eſt lætificatus gaudio magno? Pacem quis deſiderans, in eius conſpectu non abhorruit iram? Vultus ſui præſentiam aſpiciens, quis non eſt oblitus dolos? Orationibus eius quis Monachorum non habuit requiem, & non eſt amatus, dilectus, & veneratus? Eius ſanctiſſima admonitione, quis Clericorum non fuit amator caſtimoniæ? Ipſius amicabilia verba, quibus non fuerunt medicamina? Aſpectus eius quibus non profuit inſipientibus vt virga? Oculos eius humiles quis aſpiciens, non eſt meditatus cœleſtia? Pauper & eſuriens quis non ſatiatus ab eius receſſit menſa? Mortuus ſuo termino non eius veſtitus eſt veſtimento? Hebes quis non eſt ab eo factus ſapiens? Viduæ & pauperes ad exemplum bonæ Dorcadis non ab eo datas oſtenderunt veſtes? Omnis miſerorum multitudo, non eum patrem & nutricium inclamauit? Incidens quis in peccatum, non huius ſanctæ conſolationis habuit auxilium? Dormitans quis præ tædio, non eſt euigilatus à ſomno? Laudans quis Deum, hunc non habuit in exemplum? Eleemoſynam quis facere deſiderans, hunc non accipit imitatorem, quaſi alium Ioannem? Ioannem dico Alexandrinum Patriarcham, qui pro eius immenſa, quæ fuit ſuper miſeros & pauperes, miſericordia, miſericors dici & eſſe meruit ſua in vita ſimul & in omni terra. Enimuero non fuit ei ſimilis poſt ſanctum Dauid de cunctis Regibus terræ, in ſanctis virtutibus, humilitate, miſericordia, pietate, & charitate, quæ ſuper omnes eſt, & ſine qua nemo videbit Deum: quia ſemper adhæſit Domino, & non re- C

A ceſſit à mandatis eius eorde perfecto. Cetera quæ ſunt de ſeculi miliriis, hoſtibus deuictis, honoribus virtute & ingenio adquiſitis, Hiſtoriographis ſcribenda relinquimus. Qui ſi fuerint, & ea ſcriptitauerint, inuenient in eis patrem & filios bellis ineliros, & inſigni gloria glorioſos. Iam nunc Monaehorum, Clerieorum, viduarum, orphanorum, & omnium pauperum Chriſti ex parte habeas perpetuum vale, noſter præcordialis amor ROTBERTE, & profer preces pro ſeruo propitiabili Chriſto Deo, eui eomplacuiſti laudabili vita & ſeruitio, & per ſanctarum virtutum merita promeruiſti cœleſtia regna. Annuat hoc Deus omniporens, qui iuſtificat impios, & viuificat mortuos, & ſanctiſſimis Regibus ornat eœlos. cuius regnum & imperium permaner in ſeeula ſeculorum. ROBERTVS.

EPITAPHIVM HVGONIS MAGNI ROBERTI REGIS FILII,

Quod fecit Girardus Aurelianenſis.

Ex antiquo MS. Cod. Viri Cl. Alexandri Petauij Senatoris Pariſ.

B

SVBLATVM viduæ iuuenem tibi Francia luge,
Quæ caput extuleras damna tui lugeas.
Exue quicquid habes, feſtina ſcindere veſtes,
Dilacerans crines da capiti cineres.
Indomitos dociles qui redderet arduus hoſtes,
Hugo decus patrium flos cecidit iuuenum.
Indolis extremæ miro dilectus amore,
Nunc etiam luctus & dolor immodicus.
Celsiberi lachrymant, te Regem Roma petebat,
O miſerande puer! ſed tumulatus hic es.
Aſpectu pulcher, victis pius, hoſtibus acer,
Si fore vir poſſes, te Babylon tremeret.
Parthus & in pharetra propter te conderet arma,
Apparenſque minor cederet Orbis honor.
Pax igitur tibi ſit, quæ claudi limite neſcit:
Lector ad hoc pronus quòd repetat petimus.

A

AQVITANICAE HISTORIAE FRAGMENTVM.

Ex peruetuſta ſcheda, ex qua eſt & pars illius Fragmenti, quod habetur Tom. II. à pag. 632. ad 635.

HVGO Rex Francotum amator ſanctæ Eccleſiæ mortuus eſt, & tegnauit pto eo ROBERTVS filius eius. Hiſdem temporibus tebellantes Bulgari Gtæciam nimis exaſperauerunt, & Baſilius Imperator ſupet eos nimis irtitatus voto ſe obligauit Deo Monachum fieri, ſi Græcis eos ſubdetet. Et pet annos quindecim cum hoſte ſuper eos laborans, ad vltimum Regibus eorum Samuele & Aaron non publico ptælio, ſed aſtucia Græca interfectis, omnem terram eorum obtinuit, & fortiſſimas ciuitates confregit, & Gtæcorum præſidia contra eos vbique ordinauit: populúmque Bulgarorum maxima ex parte in Græciam captiuauit, & ſicut voto promiſerat, habitum Monaſticum Græca figura ſubindutus, in reliquum eſt B omni vitæ ſuæ tempore à concubitu * & carnibus abſtinens, & Impetiali ſchemate extrinſecus circundabatur. Deinde Hibetiam repugnantem per annos ſeptem ita edomuit, vt omnia ad Imperium illius exerceret. Richardo verò Comite Rotomagi filio Richardi Nortmannos gubernante, multitudo eorum cum Duce Radulfo atmati Romam, & inde coniuente Papa Benedicto, Apuliam aggreſſi, cuncta deuaſtant. Contra quos exetcitum Baſilius intendit, & congreſſione bis aut tet facta, Nortmanni victotes exiſtunt: quarto congreſſu cum gente Ruſſorum victi & proſtrati ſunt, & innumeti ducti Conſtantinopolim, vſque ad exitum vitæ in carcetibus tribulati ſunt. Iterum Nortmanni Duce Rotgerio in auxilium Chriſtianorum in Hiſpaniam profecti, innumeros Sarracenorum deleuetunt, & ciuitates & caſtella ab eis abſtulerunt multa. Pet hæc tempora Ermengaudus Comes Irgeldenſis * poſt copioſos triumphos de Mauris & Sarracenis, prœlio inito vltimo innumerabilem ſtragem Satracenorum perficiens, dum victor regreditur, alium exercitum Maurorum offendit fugientem. Quem cum paucis ſuorum laſſis perſequens, multos eorum occidit, & ipſe cecidit. Tunc Ottone Imperatote defuncto ſine filiis, Henricus propinquus eius Dei nutu Imperium accepit, qui in terra Theodiſca à nouo ciuitatem ædificauit, vocabulo Baenburg; quam Benedictus Papa in honotem Dei genetricis conſecrauit, & parochias in circuitu ex Paganorum vicis & oppidis, dum conuerterentur, attitulauit ad illam. Arnaldus autem C Comes Egoliſmenſis Monachus factus, mortuus eſt, ſepultus iuxta patrem ſuum, & ſucceſſorem ſibi reliquit VVillelmum filium ſuum. Et Fulcaldus Epiſcopus Pontificatum pet duodecim annos agens, Ranulfum ſucceſſotem accepit. Quo Epiſcopo exiſtente per nouem annos, & mortuo, Hugo Epiſcopatum per annos viginti obtinuit, & poſt eum Grimoardus. Deinde domnus Roho Antiſtes Egoliſmæ glotioſus tefulſit. His diebus lues grauiſſima Lemouicinos deuotauit, incendens corpora, & exardeſcendo deuorans, donec omnes Aquitaniæ Epiſcopi Lemouicæ congregati, corpus beati Martialis ab imo ſublatum ſepulchro mortalium viſibus oſtenderunt. & mox peſtis ipſa ceſſauit. Tenebat tunc Præſulatum Lemouicæ Alduinus, qui etat ſucceſſor Aldegerij ſucceſſoris Ebli Epiſcopi. Quibus temporibus Aldebertus Comes Petragoricenſis, qui fuit filius Boſonis Vetuli ex ſorore Betnhatdi ſupradicti, nomine Emma, ad vrbem Pictauis bellum intulit, & victor extitit.

* al. à voluptate & carnalibus

* al. Orgelitanus.

VRBEM quoque Turonis obſidione captam in deditionem accepit, & Fulconi Comiti Andegauenſi donauit. Sed ille ingenio doloſo ciuium amiſit poſt paululum, & iterum Odo Campanenſis eam recuperauit. Qui cùm eam obſideret, nequaquam Rex Hugo vel Robertus filius eius auſi ſunt eum prouocare ad bel-
» lum, ſed hoc ei mandauerunt: Quis te, inquiunt, Comitem conſtituit? Et Alde-

A bertus remandauit eis; Qui vos Reges conſtituerunt. Poſtea defuncto Alde- ROBERTVS.
berto, & Boſone fratre eius Principatum gerente ipſius, VVillelmus Dux Regem
Robertum conduxit ad caſtellum eius Bellacum in Marcha Pictauis & Lemouicæ,
quod diu obſidentes cum maximo exercitu, fruſtrati receſſerunt omnes. Quo tem-
pore VVido Vicecomes Lemouicæ, dum obſeſſum eſſet caſtrum eius Procia in pa-
go Bituricæ à quinque Comitibus cum innumerabili exercitu, bello eos appetit,
& victor exiſtens obſidionem diſrupit. Comites fuerunt VVillelmus Dux, Arnal-
dus, Elias, Aldebertus, Boſo. His temporibus ſigna in aſtris, ſiccitates noxiæ, ni-
miæ pluuiæ, nimiæ peſtes, & grauiſſimæ fames, defectiones multæ Solis & Lunæ
apparuerunt, & Vincenna fluuius per tres noctes aruit Lemouicæ per duo millia-
ria. Tunc Iudæi Occidentales epiſtolas miſerunt in Orientem accuſantes Chriſtia-
nos, mandantes exercitus Occidentalium ſuper Sarracenos Orientales commo-
tos eſſe. Tunc Nabuchodonoſor Babyloniæ, id eſt, Admiralus, concitatus in ira à
Sarracenis & Iudæis, magnam afflictionem ſuper Chriſtianos exercuit; & Eccle-
ſias Chriſti ſubuertit, ac peccatis noſtris promerentibus, glorioſum ſepulchrum
Domini cum Baſilica ipſius confregit, & cunctas Eccleſias præter Bethleemiticam,
vbi Chriſtus natus eſt: quam Sarraceni conati deſtruere, ſubitò omnis multitudo
ab Angelo percuſſi, corruerunt mortui. Et fames omnem terram Sarracenorum
ita ſubruit, & omnes peremit morte, vt vix centum viderentur euadere viui ex ip-
B ſis. Tunc Arabes ſuper terram eorum irruunt, & qui remanſerant à fame, gladiis
trucidant: & Admiralum viſceribus extractis, in mare demerſerunt cum plumbo.
Tunc inceptum eſt reædificari ſepulchrum Domini. His diebus in Paraſceue poſt
Crucem adoratam vſque Sabbato ſancto circa veſperam concuſſa eſt Roma à vi
ventorum, & penè omnes Romani mortui ſunt, tam Chriſtiani quàm Iudæi: &
quidam Iudæus Chriſtianis intimauit, quia in Paraſceue Synagoga Iudæorum ima-
ginem Chriſti deluſerunt, ſicut fecerant Dominum parentes eorum. Quod Bene-
dictus Papa ſollicitè inquirens, & probans, mox Iudæos, qui hoc egerant, iuſſit
decollare. quibus decollatis, ceſſauerunt venti. Eo tempore decem ex Canonicis
ſanctæ Crucis Aurelianis probati ſunt eſſe Manichæi. Quos Rex Robertus, cùm
nollent ad Catholicam conuerti fidem, igne cremare iuſſit. Simili modo apud
Tholoſam inuenti ſunt Manichæi, & ipſi igne cremati ſunt: & per diuerſas Occi-
dentis partes Manichæi exorti, per latibula ſeſe occultare cœperunt, decipientes
quoſcunque poterant. His temporibus cometes velut enſis latus & longior contra
Septentrionem apparuit. & per Gallias è veſtigio ciuitates, caſtella, & Monaſte-
ria igne cremata ſunt plurima. Inter quæ Carroſum flamma caſu combuſtum eſt
cum Baſilica. Tunc Comes Fulco ſupradictus dolo accerſitum ſecum adduxit
Sanctonas Arbertum nobiliſſimum Comitem Cenomannis, & prima Quadrageſi-
mæ Dominica poſt Cœnam nocte intempeſta eum traditione cepit, & in vinculis
ſecum duxit, tenuítque in carcere biennio. Vnde eripere eum Dominus digna-
C tus eſt. Sequenti anno propter ipſum ſcelus combuſta eſt ipſa ciuitas cum Sede
Epiſcopali, & dein manſit deſerta Baſilica. His temporibus Guillelmus Viceco-
mes Martiliacenſis, & frater eius Odolricus, in traditione ceperunt fratrem eo-
rum Alduinum de Roſiaco caſtro, & oculis & lingua eum damnauerunt propter
contentionem de caſtro Roſiaco. & hoc ſcelus perpetrauerunt poſt dies Paſchæ.
Poſt tres verò hebdomadas reuerſus VVillelmus Comes Egoliſmenſis à Roma, ob-
ſedit caſtrum Martiliacum vna cum Alduino filio ſuo, accerſito ſecúm in auxilium
VVillelmo Duce: & capto caſtro vitam & membra eis conceſſit, ſed omni honore
eos priuauit, & caſtrum ipſum deſtruxit, & demum reædificauit; & Alduino ocu-
lis multato Roſiacum caſtrum conceſſit. Eo tempore ipſe VVillelmus per Baioa-
riam ſepulchrum Domini adiit. Vnde reuerſus ipſo anno correptus languore, lau-
dabili memoria in pace quieuit. Sepultus in Dominica Palmis in Baſilica beati
Eparchij, vbi quatuor patres eius tumulati ſunt, videlicet Arnaldus, VVillelmus,
Alduinus, & VVlgrinus. Et mox poſt eum Principatum Egoliſmæ obtinuit fi-
lius eius litteris & armis edoctus, nobiliſſimus & glorioſiſſimus domnus Aldui-
nus, anno M. XXVIII. ab Incarnatione Domini, cui eſt gloria in ſecula ſecu- 1028.
lorum.

ROBERTVS. *Quæ ſequuntur ex alia ſunt ſcheda præcedenti inſerta, ſed alio charactere ſcripta: nec quò referri debeant ſciri potuit.* A

Et Aquitaniam, plurima iuxta maritimam oram dona in redditibus terrarum ad copiam victus & veſtitus ſeruorum Dei delegauit. Fulberto quoque ſapientia valde ornato Epiſcopo Carnotenſi pro reuerentia philoſophiæ eius à Francia ad ſe euocato, Theſaurariam ſancti Hilarij gratis tribuit, & ſummo honore eum excoluit. Regulares Abbates & Monachos maximo affectu amoris amplectebatur, & conſilio eorum vtilitatem regni adminiſtrare curabat. Vnde & domnum Odilonem Abbatem Cluniacenſis Cœnobij copioſis muneribus ſibi attraxit, contemplatus in eo verum Dei habitaculum, in quo Spiritus ſanctus requieſceret, & Cœnobia nonnulla ſuæ ditionis eius magiſterio commendauit. Fecit idem Dux VVillelmus à nouo Cœnobium ingens Malliacenſe in territorio Pictauenſi, itémque aliud Cœnobium Borgolienſe in ceſpite Andegauenſi, in fundo proprio, vna cum matre ſua nomine Adala Chriſtianiſſima, quæ extitit ſoror Richardi Comitis Rotomagenſis. In quibus Cœnobiis Monachos regulares adgregauit plures numero, qui die & nocte Domino laudes perſoluerent omnipotenti, eiſque conſtituit Abbatem feruentiſſimum in ſancto propoſito & regularis diſciplinæ firmiſſimam columnam, nomine Teclinum. Multoties denique per Aquitaniam nonnulli primores recuſantes imperium eius, omnes edomiti ſunt, caſtellis eorum fortiter expugnando captis. Vnde cùm obſideret caſtrum Roccameltim, vicinum Sancto Carrofo, Comes Boſo cum multitudine pugnatorum fortiſſimorum & audacium contra eum aciem direxit. Vbi commiſſo fortiter prœlio, Dux VVillelmus victor extitit, Deo ei tribuente palmam victoriæ. Ibi captus eſt Comes Boſo, & directus Pictauis vrbi ſub cuſtodia. Iterum Dux repetita obſidione caſtrum in deditione ſupradictum accepit, & victor reuerſus inimicum ſuum occidere noluit, ſed vſus pietate, illæſum eum cum Sacramentis abſoluit. Et hac pietate ſempet vſus eſt, vt quos victor viuos capere potuit, non eos interimere permiſit, ſed ereptos à morte & à multatione membrorum incolumes abire præcepit. Eo tempore infinita multitudo Normannorum ex Danamarcha & Ireſca regione, cum claſſe innumera mare tranſeuntes, armis confidentes, multitudine feroci hoſtium appulerunt portum Aquitanicum iuxta Pictauorum terminos. Et ſicut antiqui parentes eorum pagani Aquitanica rura depopulati ſunt, ita & iſti mixtim Chriſtiani, mixtim Pagani noſtros vicos, caſtella, & ciuitates conati ſunt flammis comburere, & populum Chriſtianum ferro diuerberare & captiuare, & Eccleſias Dei & Monaſteria deſertare. Tunc abſque mora Dux VVillelmus præſumens de Chriſti victoria, interritus pro nihilo eorum magnam virtutem deputauit. Mandauitque per Monaſteria Aquitaniæ à cunctis cum ieiuniis & letaniis Domini miſericordiam pulſare, quatinus virtutem hoſtium contereret, & ſuum populum victorem & ſuperiorem præſtaret. Quod & factum eſt. Congregatóque plurimo & fortiſſimo Aquitaniæ exercitu electorum pugnatorum, iuxta eos caſtra diſpoſuit circa oram maris, imminente iam nocte. Nortmanni verò videntes præparatum Aquitanorum exercitum contra ſe ad bellum, terrore diuino conſternati ſunt valde timentes. Nec ipſa nocte fugere valentes, cùm propter littus maris reſiderent, & æſtus maris tunc mitior factus eſſet, & claſſis ad terram nudam iaceret, per totam noctem circa ſe foueas præparauerunt virgis & ceſpitibus contextas deſuper, vt ignorantes bellatores delaberentur, dum currentes equi præcipites ferrentur. Itaque primo mane craſtino neſcientes laqueos fouearum exercitus Ducis, ipſo Duce in prima frontis acie præcurrente velociſſimo equo, dum calore pectoris ſuper Nortmannos frena equorum laxarent, mox per foueas equi cum ſeſſoribus ſuis delapſi ſunt. Et quia graues eos faciebat pondus armorum, plurimi à Nortmannis capti ſunt. Sed diuina pietas Ducem mirabiliter eripuit. Nam & ipſe caſum paſſus, dum à Nortmannis penè iam caperetur, licèt galea capiti, & thorax humeris magnum grauamen eſſet, tamen fortiſſimus viribus ſaltu excuſſo à fouea proſiliit longiùs, & ſuis ſeſe reddidit. Timore verò eorum, qui primi ceciderant, & capti iam tenebantur, (erant enim plures triginta nobiliores) ne forte ipſi à Nortmannis necarentur, dimiſſum eſt mox bellum. Sequenti verò media nocte, æſtu maris inuitante, con-

B and C margin letters appear beside the lines "nulli primores…" and "pulſare, quatinus…".

A ciro curſu Nortmanni cum captis nobilibus viris nauibus inſiliunt,& auxilio maris fuga liberati ſunt, nec amplius appoſuerunt venire in noſtros fines. Dux autem ſuos, qui capti erant, miſſis poſtea nunciis ad Nortmannos, infinito pondere auri & argenti dato, omnes redemit & recepit incolumes. Fuit autem à pueritia doctus literis, & valde habebat ſcientiam ſcripturarum. Librorum etiam copiam in Palatio ſuo retinebat; & ſi fortè à frequentia cauſarum & tumultu vacaret, per ſemetipſum lectionibus intentus erat. Longioribus etiam hyemis noctibus crebro ſeſe lectionibus occupabat, donec vinceretur à ſomno. Imitator erat in hac, ſicut in multis aliis cauſis, Caroli Magni Imperatoris, & filij eius Ludouici Imperatoris, qui per ſemetipſos lectionibus paſcebantur. Octauianus quoque Auguſtus, licèt Paganus, non ſolùm frequenter legebat libros aptos, inſuper propriis digitis ſcribebat geſta & prœlia ſua, & aliorum. Theodoſius etiam Pius Imperator Chriſtianiſſimus non ſolùm legendo, ſed etiam ſcribendo exercebat ſeſe. Robertus.

His temporibus contigit Lemouicæ internecio virorum & mulierum nocturna. Medio enim Quadrageſimæ tempore, dum reſerantur nocturnis laudibus valuæ Baſilicæ Saluatoris, concurſus turbæ fluminis more in Eccleſiam influens, caſu inuoluta eſt, vt vnus alterum ſuperconculcaret. Et ſic plus quàm quinquaginta viri & mulieres ab alterutro inter multam turbam conculcati, expirauerunt confeſtim. Eueſtigio exorti ſunt per Aquitaniam Manichæi ſeducentes promiſcuum populum à veritate ad errorem. Suadebant negare baptiſmum, ſignum ſanctæ Crucis, Eccleſiam, & ipſum Redemptorem ſeculi, honorem Sanctorum Dei, coniugia legitima, eſum carnium. vnde & multos ſimplices auerterunt à fide.
B

Temporibus ipſis, dum reuerſus eſſet à Roma poſt Paſchales dies glorioſus ſupradictus Dux, inuentum eſt caput ſancti Ioannis in ipſius Baſilica in tugurio ſaxeo, Cœnobio Angeriacenſi. Quod ſanctum caput dicunt eſſe proprium caput ſancti Ioannis Baptiſtę. Tunc VVillelmus Dux repletus magno gaudio, ſanctum caput populorum viſibus oſtendendum decreuit. Et non ſolùm omnis Aquitania, verùm etiam Francia, & Burgundia, Hiſpania, & Britannia, atque Longobardia, & cetera gentium diuerſitas certatim velut amnis deuenit ibi occurrir, audita fama tam præclara noſtris diebus. Rex quoque Rotbertus honorificè aduenit, & ſicut decebat regiam dignitatem, obtulit in eodem loco concham ex auro puriſſimo penſantem libras triginta: pretioſas quoque veſtes ad Eccleſiaſticum ornamentum, & magno honore à VVillelmo Duce exceptus eſt, cum omnibus qui eum comitabantur. Et his expletis, reuerſus eſt Aurelianis. Quod etiam maius videtur, omnes Congregationes ſeruorum Dei ex Aquitania, cum Sanctorum corporibus, & reliquiis, & apparatu Eccleſiaſtico, pſallentes proceſſerunt ad memoriam ſancti Præcurſoris Chriſti. Interque concurſus Lemouicinorum vnà cum Monachis & Clericis, & Primoribus, & Epiſcopo Geraldo, & Ioffredo Abbate præcelſo, eum inenarrabili gloria memoriam Aquitaniæ Patroni præcipui Martialis recto curſu per
C Sanctum Carroſum prætereuntes, ad memoriam Baptiſtæ Domini detulerunt. Et magnis lætantes miraculis, quæ Apoſtolus Galliæ glorioſiſſimus Martialis patrauerat, per viarum interſtitia ſub oculis omnium tripudiantes, reuerſi ſunt. Dux verò VVillelmus ſemper cogitans de Dei honore, ad ipſius laudem & gloriam domnum Odilonem Cluniacenſem Abbatem acceſſiuit, & in eodem ſupradicto Cœnobio Angeriacenſi diſciplinam Monachorum ſub iugo regulari in melius reſtaurauit. Nec prætererire debeo, quantum Dei honorem idem Dux præ omnibus dilexit, nihilque aliquando furibundus egit. Nam abſente Abbate reuerentiſſimo Aimirico, cùm familia ſancti Ioannis fortuitu in ſeditionem verſa eſſet contra familiam VVillelmi Ducis, ex ea nonnullos familiares eius vſque penè ad mortem vulneratos ferro reddidit: & ira hoſtis vrgente, aulam Ducis, quæ eidem Cœnobio contigua eſt, penè totam dituit. Et cùm multi nobilium eius, maximéque Comes Fulco, qui tunc præſens Pictauis cum Duce erat, ſuaderent eum grauiter vindicare iniuriam ſuam de familia ſancti Ioannis, & vt omnes à loco extruderet Monachos,& ibi collocaret Canonicos: idem ſereniſſimus Princeps nequaquam acquieuit malo eorum conſilio, licèt furore commotus magno. Sed omnia pacificè & cum ratione, ſicut eum decebat, finiuit & diſpoſuir, & cauſa pacificè & laudabiliter eſt ab eo terminata. Et ſicut ſolebat defenſor & paſtor Monachorum eſſe, potiùs fuit defenſor quàm deſtructor, & potiùs paſtor quàm diſſipator. * *

ROBERTVS.

STEMMA COMITVM ENGOLISMENSIVM & Petragoricenſium,

A

Ex ſcheda veteri.

VVlgrinus Engoliſmenſis, Petragoricenſis, Aginni Comes, in vxorem duxit VVillelmi Toloſani ſororem.

Alduinus Engoliſmen. Comes 30. an. poſt patrem vixit, ciuitatis muros reſtituit contra Norman. excurſiones.

VVillelmus ſector ferri dictus, quòd Normannum loricatum gladio à pectore ad vẽtrem ſecuiſſet. Lotharij Regis tempore moritur, Comes Engoliſ.

Arnaldus VVillelmum Tallerandum Comitatu Engoliſmenſi eiecit. moritur Monachus Roberti Regis tempore.

VVillelmus moritur an. 1024. Comes Engoliſmenſ.

Alduinus Comes Engoliſmenſis literis & armis doctus.

VVillelmus Comes Petragoricenſis & Aginni.

Benar Conte de Perigeux.

Sancie femen Ademari filij Emenonis Comitis de Poictiers.

Arnaldus Borracio Comes Engoliſmenſ. poſt VVillelmum ſectorem ferri.

VVillelmus Tallerandus Engoliſm. Comes ab Arnaldo filio VVillelmi ſectoris ferri Comitatu Engoliſ. eiectus.

Emma Boſoni vetulo Comiti Marchiæ nupſit. B

Aldebertus Comes Petragoricenſis.

HISTORIÆ

A

HISTORIÆ FRANCICÆ FRAGMENTVM,

A ROBERTO AD MORTEM PHILIPPI I. REGIS.

Ex veteri Exemplari Floriacenſi, ex quo ſunt & alia Tom. II. à pag. 630. vſque ad 633.

HVGO Rex anno Incarnationis Dominicæ DCCCCXCVII. obiens 997.
reliquit ROBERTO filio Monarchiam ſui Principatus. Hic Ro- *Editio P. Pithæi collata est cum MS. Codice, qui extat in Bibl. Thuana.*
bertus Guillelmum cognomento Captiuum, Comitem Tranſſa-
gonnanum, qui totam penè auſu temerario peruaſerat Burgundiam,
B armis perdomuit, eúmq; ab omni ipſa expulit Prouincia, & ſuo con-
tentum eſſe coëgit Comitatu. Ipſique Burgundiæ Ducem filium ſuum eſſe conſti-
tuit AINRICVM. Idem verò Rex in vxorem ſibi aſſumpſit matrem Odonis Co-
mitis, Bertam nomine, qui eodem tempore puerulus erat. Illa autem commater
eiuſdem fuerat Regis. Idem namque Rex filium ipſius de ſacro ſuſceperat lauacro.
Quod agnoſcẽs Papa Gregorius totam Franciam anathemate percuſſit. Porrò Rex
amore eiuſdem mulieris plus iuſto detentus, nequaquam eam dimittere voluit, do-
nec Omnipotens per ſe corrigere eundem Regem ſtuduit. Dum enim de eodem
Rege eadem mulier concepiſſet, credens ſe parituram filium, peperit monſtrũ. Quæ
res Regem perterruit, & librum repudij eidem mulieri dare compulit. Quo facto,
abſolui cum toto ſuo meruit Regno. Qui quàm Deo deuotus fuerit, quàm magni-
ficus erga ſeruos eius, quam aſſiduus circa Eccleſiam, quàm largus in eleemoſynis,
quanta fundatus humilitate, non eſt huius temporis diſſerere. Hic multas fundauit
Eccleſias, venuſtauit auro, argento, & variis ornamentis multorum memorias San-
ctorum. Quamobrem attribuit ei Omnipotens cõtinuam pacem, ita vt nemo eſſet,
qui eum inquietare auderet. Cuius erga Deum deuotionis affectum, & inſignium
opera virtutum, ſi quis pleniùs cognoſcere voluerit, legat Geſta ipſius ab Helgaldo
Floriacenſi compoſita Monacho. Hic in ſuum aſciuit coniugium filiam Guillelmi
Tholoſani Comitis, nomine Conſtantiam, cognomento Candidam, ſtrenuam ſa-
C nè puellam, & ſuo nomine dignam. De qua ſuſcepit inclitos filios, HVGONEM,
AINRICVM, ROTBERTVM, ODONEM. De quibus Hugonem conſortem
Regni effecit, ſublimans eum regio ſolio apud Compendium. Qui poſt octo ſuæ
ſublimationis annos, ſuperſtite patre vita diſceſſit. Quod cernens pater, in eius lo-
cum Ainricum ad regimen totius Regni ſibi aſſociauit, prouehens Remis ciuitate.
Quam rem ægrè tulit Regina, volens Rorbertum conſtituere Regem. Regnantẽ
eodem anno Incarnationis Dominicæ M. III. & qualitas hyemis longior ſolito, 1003.
pluuiarúmque inundatio extitit grauior, atque diuerſis in regionibus flumina ſuos
vltra modum prætererunt terminos. Præ ceteris verò Liger fluuius in tantum ſuas
præterit metas, vt cuncta circa ſe poſita periculo mortis tremefaceret. Quo anno
propter Aurelianenſem vrbem in loco qui Porcaria dicitur, multis eſt viſa ciuitas
phantaſmate conſtructa, ab hora diei tertia vſque in horam nonam, pratis, aquis,
molendinis vallata, militibus aliíſque neceſſariis rebus referta. Infantem quoque
natum fuiſſe diuulgatum eſt, omnium animalium pedes habentem, ſolo capite, vna
manu, vno pede hominem ſimulantem. Quem parentes rubore confuſi bis térque
terra occulentes, terra eum reiiciente, in fluuium demerſere. Cuius caſum tantus
fragor vocum ſecutus eſt, vt tota regio vlulaſſe crederetur. Eodem etiam anno Gir-
bertus Papa obiit. Quibus temporibus exorta eſt Aurelianis nefanda hæreſis. Huius
erant principes Stephanus cum Liſoio, qui & alios ſibi ſuæ perditionis aſciuerãt ſo-

ROBERTVS. cios, quorum alij erant Preſbyteri, alij Leuitæ, alij aliorum ordinũ gradu ſublimati. A
Ij dicebant, non poſſe aliquem in baptiſmate Spiritum ſanctum ſuſcipere, & poſt criminale peccatum veniam non promereri. Impoſitionem manuum nihil poſſe conferre. Nuptias ſpernebant. Epiſcopum affirmabant non poſſe ordinare, & ſanctum dare Spiritum. De his & aliis nefandis conuicti erroribus, igni ſunt traditi. Circa id temporis in regione Aquitaniæ ſecus maritima, tale prodigium accidit. Ante ſolemnitatem ſancti Ioannis Baptiſtæ tribus diebus de cœlo pluit ſanguis, qui cadens ſuper carnem hominis, ſuper veſtimentum, aut ſuper lapidem, non poterat lauari; ſi verò ſuper lignum caderet, lauabatur. Factum eſt autem vt Guillelmus Dux Aquitaniæ & Gaufredus Comes Andegauenſium graui perduellione ſe ſuóſque per annum armis peſſundarent; donec Guillelmus ſui captura finem rixæ imponeret, multis mortalibus antè interfectis. Ricardus quidam Normannus eo tempore in Apuliam profectus, videns eandem Prouinciam ab inertibus habitari incolis, mandauit ſuæ gentis hominibus, vt ſe ſequerentur. Qui in multitudine eum minimè ſequi præſumentes, deni & viceni de Normannia egreſſi, tandem ſuorum validam manum ad ſe contraxerunt. Inter quos nepos ipſius Ricardi Rotbertus nomine profectus eſt. Hi ſociatis viribus incolas illius regionis ſibi ſubiugauerunt. Rotbertus autem inclitus Dux ſuorum poſtea factus eſt, qui Siciliam & Calabriam ſuo poſteà ſubdidit dominio. Hic obiens reliquit duos filios, Buiſmundum & Rotgerium. Quorum Rotgerius patri ſucceſſit. B

IGITVR Rotbertus poſt obitum patris XXXIII. annis regnauit. Obiit autem
1032. Miliduno anno Incarnationis Dominicæ M. XXXII. & ſepelitur Pariſius in Monaſterio ſancti Dionyſij iuxta patrem ſuum. Quo obeunte, obtinuit Monarchiam
HENRICVS I. totius Franciæ iam dictus AINRICVS, qui Ducatum Burgundiæ fratri ſuo dedit ROTBERTO. ODO verò frater eorum priuatus permanſit. Regina autem dolens ſuum non eſſe adimpletum votum, poſt viri ſui obitum maximam Regni partem in ſua ditione conabatur retinere. Quare tam Odonem Carnotenſium Comitem, quàm plurimos Galliæ Proceres odio in filium armauit. Porrò Rex Ainricus cùm eſſet in rebus militaribus exercitatus, manu promptus, conſilio prouiſus, inconſtantem Conſtantiam ſua ſuperauit conſtantia. Siquidem quas ſibi ſubduxerat vrbes & oppida armis obtinuit, eámque ad deditionem impulit. Odonem etiam, bis fuſo ipſius exercitu, tertio demum repentino ſuperuentu, ſeminudum fugæ latebras quærere compulit: plurimis de eius exercitu interemptis, captíſque multis. Ad extremum verò dextras perere coëgit. Ceteros deinde, qui contra eum arma mouerant, aut patria expulit, aut quo voluit modo ſubiugauit.

PRÆTEREA anno quo defunctus eſt Rex Rotbertus hora noctis tertia eclypſis Lunæ apparuit, cometes etiam VII. Idus Martij, hora decima noctis, ad longitudinem haſtæ, ardens vſque ad auroram per trium dierum ſpacium viſa eſt. Subſecuta eſt innumerabilis multitudo locuſtarum, omnia virentia depaſcens. Sequenti etiam anno menſe Iulio tantus grandinum imber cecidit, vt ſata omnia, vineas, arbores, & omnes hominum labores attereret. Poſt grandinem autem tanta cecidit tempeſtas, vt totam ſpem eorum quæ relicta erant deleret. Extemplo per continuum triennium irremediabilis fames ſubſecuta eſt, ita vt vix humanis abſtinerotur carnibus, & vt mures, canes, & cetera immunda pro deliciis haberentur. Hæc lues maximam humani generis deleuit partem. C

1037. ANNO Dominicæ Incarnationis M. XXXVII. hora diei prima poſt octauas Paſchæ amiſit Sol radios ſuos, & apparuit in ea ſpecie qua ſolet Luna ſecunda apparere, & circa horam tertiam, ſpeciem Lunæ quintæ habuit, & poſt pauculum octauæ. Eodem anno Liger fluuius ſua littora bis tranſgreſſus, haud modica ſuis vicinis intulit detrimenta. Quo anno Comes, cuius ſupra meminimus, Odo contra Regis AINRICI voluntatem, cum maximis bellorum copiis contra Alamanos & Lotharingos properauit ad bellum. Conſerto igitur prælio cum eorum Duce Gothelone, cum multis ſuorum millibus corruit. Porrò Conſtantia Regina poſt tertium obitus viri ſui annum, diem clauſit vltimum, ſepultáque eſt iuxta eum. Perempto Odone, Tetbaldus & Stephanus filij ipſius more ſuorum patrum, qui ſemper infidi Regibus extiterunt, contra Regem Ainricum rebellauerunt, ODONEM fratrem illius falſa ſpe Regni illicientes. Qui pollicitationibus eorum credulus, fratri manifeſtus factus eſt inimicus. Exin cædes, rapinæ, incendia, depopulatio-

A néſq; penè vniuerſam demolita ſunt Franciam. Rex verò Dei adiutus auxilio, contra fratrem arma corripiens, eum in quoddam municipium fugere compulit, quem aliquantis ſuis cepit cum complicibus, Aurelianíſque in cuſtodia depoſuit. Cùm Stephano etiam congreſſus vicit eum, fugauit, multis de ipſius exercitu captis, in quibus retentus eſt Comes Rodulfus, in quo tota vis factionis ſita erat. In Tetbaldum quoq; Gaufredum Andegauenſium Comitem animans, effecit eum ſibi acerrimum inimicum. Hic vrbem Turonicam, quæ illius erat ditionis, exercitu circumdat, aggeribus extructis, machiniſque, & omnibus, quæ ad obſidionem pertinent, paratis. Quo cognito, Tetbaldus, vndecunque collectis auxiliariis, cum fratris & ſuorum militum cohortibus, tendit Turonis. Gaufredus autem comperiens eum cum valida manu aduentare, ſuis & ipſe in vnum contractis, obuiare prædictis properat hoſtibus. Commiſſo demum certamine, Tetbaldus & ſui terga vertentes fugam ineunt. Ille acſi inermes inuadit, ipſum eorum Principem cum multitudine maxima capit. Deinde reuerſus ad obſidionem prædictæ vrbis, cepit eam, & ſuo mancipauit iuri. quam vſque hodie Comites poſſident Andegauenſes.

Post hæc Stephanus frater Tetbaldi moriens reliquit filium Odonem nomine. Quem Tetbaldus hæreditate priuauit patris. Ille autem ad Comitem confugit Normannorum, qui ei vxorem & aliquas dedit poſſeſſiones. Vgo Bardulfus circa idem tempus contra eundem Regem Peueris caſtrum muniebat. Quem Rex biennali obſidione cingens, incluſis inediâ conſumptis, ad deditionem compulit, caſtrúmque recepit. Ipſum verò omni honore expoliatum à tota perturbauit Francia.

B Eodem Rege regnante Leo Papa in Franciam venit, rogatu Hermeri Cœnobij ſancti Remigij Abbatis. Qui Remis pertingens, Monaſterium eiuſdem ſancti Remigij ab eodem Abbate magnis ſumptibus conſtructum, cum maxima conſecrauit gloria. Vbi etiam multorum adunauit Concilium Epiſcoporum & Abbatum, in quo ſimoniacam hæreſim, quæ ferè totam reſperſerat Galliam, anathematis ſugillauit gladio, multos humilians quos ea peſtis extulerat, & ſanctorum Patrum ſtatuta, quæ propemodum apud Gallos abolita fuerant, reformans.

Anno m. xliv. incarnati Verbi, vi. Idus menſis Decembris, octaua hora noctis, feria v. luna xiv. eclypſis ipſius Lunæ inter Hiadas & Pleiadas contigit. Eodem quoq; anno & menſe, & feria eadem, hora diei ſecunda, x. Kal. eiuſdem menſis, Solis eclypſis euenit. Eodem anno, in pago Aureliano inuenti ſunt duo panes ſanguine madentes, vnus ſubcinericius, & alter in clibano coctus. Quo anno Mahildis Regina obiit. Enimuerò tribus poſt hæc exhauſtis annis, idem Rex mouit exercitum in Normannos, qui obeunte Ricardo ſuo Principe, filium ipſius Guillelmum poſtea Regem Anglorum, Normanniâ pepulerant, nolentes eum ipſorum habere primatum, eo quòd non eſſet natus de legali connubio. Hic ad Regem ſuprà memoratum confugit auxilium petens, à quo benignè ſuſceptus eſt. Rex ergo fines Normannorum cum tribus tantum armatorum millibus ingreſſus, hoſtes 1044.

C paratos inuenit. Erant enim fere triginta millia hominum instructa ad bellum. Commiſſo igitur prœlio, regius exercitus tanta animoſitate in hoſtes irruit, vt maximam partem eorum ſterneret, & ceteros in fugam verteret. Exterriti verò qui de prœlio ſuperfuerant Normanni, Regi eidem colla ſubdiderunt, & iam dictum Guillelmum vt ſuum Dominum receperunt. Rex autem cum integro ſuorum numero reuerſus eſt in Franciam. Qui poſt Mahildis Reginæ humationem, accepit aliam coniugem, videlicet filiam Iuriſclobi Regis Ruſſorum, nomine Annam, quæ ei genuit tres filios, Philippvm, Hvgonem, Rotbertvm. Quorum Rotbertus puer obiit. Hugo poſtea donatus eſt Comitatu Virmandenſium à fratre ſuo Philippo iam Rege. Ea tempeſtate Berengarius Andegauenſis Eccleſiæ Archidiaconus, cuius tunc nomen inter ſectatores diuinæ Philoſophiæ celeberrimum habebatur, in hæreſim de corpore & ſanguine Domini incidit, dicens eſſe tantùm Sacramentum quod conſecratur ſuper altare, non rem Sacramenti. Qua de cauſa à Papa Nicolao euocatus, Romam petiit; vbi in præſentia eiuſdem Papæ & multorum Epiſcoporum examinatus, ſuum confitens anathematizauit errorem, Ioannem Scotum igni comburens, cuius lectione ad hanc nefariam deuolutus fuerat ſectam. Profeſſus eſt deinde eſſe in veritate corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti, quod conſecratur ſuper altare, non tantummodo Sacramentum. & ſuam ipſe profeſſionem in eodem Concilio ſuo recitauit ore.

AINRICVS ergo per triginta ſeptem annos poſt obitum patris Regno Franco- A
1059. rum ſtrenuè gubernato Vitriaci defungitur, anno incarnati Verbi M. LIX. relinquens Regnum totius Franciæ PHILIPPO ſuo filio, quem ante obitum ſuum Remis
PHILIPPVS I. ciuitate in Regem vngi cum magna fecerat ambitione. In cuius obſequio Geruaſius eiuſdem Metropolis Præſul expendit non modicum apparatum. Qui Præſul quantæ fuerit ſtrenuitatis, difficile eſt proſequi. Rege defuncto, Regina Anna Rodulfum Comitem in coniugio accepit. Quo mortuo natiuum repetiit ſolum. PHILIPPVS igitur, quoniam puerulus erat, tutorem & nutritorem à patre accepit Balduinum Flandrenſium Comitem, probum ſanè virum, & iuſti tenacem. Qui vſque ad intelligibilem ætatem eum benignè fouit, Regnum gnauiter adminiſtrauit, rebelles & inquietos virga directionis correxit. Adoleſcenti verò demum ex integro Regnum reſtituit. Ipſe autem non poſt multum tempus ex hac vita deceſſit, relinquens filium ſibi æquiuocum Balduinum, qui etiam paucis ſuperuixit annis. Is quoque reliquit heredem nomine Arnulfum. Cui inimicans Rotbertus patruus ſuus, exhæredare niſus eſt. quod & fecit. Arnulfus autem Regem petens Philippum, auxiliari ſibi ab eo expoſcebat. Porrò Rex congregatis multis armatorum millibus, Flandriam petit, cum Rotberto congreſſurus. Rotbertus diffidens viribus, primò cum Rege congredi timuit. Poſtremò aſſumpta audacia, regium fudit exercitum, ipſúmque voti incompotem regredi in Franciam compulit. In qua pugna Arnulfus nepos Rotberti, qui Regem in auxilium ſui inuitauerat, cum pluribus B
aliis nobilibus occubuit. Rotbertus autẽ fratris ſui Balduini obtinuit hereditatem.

HIS temporibus Dux Aquitaniæ Guillelmus, & quidam alij Optimates Galliarum, quiſque de ſuo exciti loco, copioſum in Hiſpaniam conduxerunt exercitum. Cuius ditiſſimam vrbem Barbaſtam, & quamplura capientes caſtella, maximámque eiuſdem Prouinciæ partem ferro & igni depopulantes, demum ad ſua reuerſi ſunt, multámque & variam ſupellectilem ſecum afferunt, multáque mancipia adducunt. Eodem tempore cometes apparuit fere per trium ſpacia menſium, ad Auſtrum pluros emittens radios. Ea tempeſtate Comes Normannorum Guillelmus, contracto à Normannia, Francia, & Aquitania, non modico exercitu, ex-
1066. tructáque multa nauium claſſe, in Angliam transfretauit. Siquidem Rex eiuſdem inſulæ Eduardus nomine, quoniam proximus fuerat ſanguine, ſibi Regnum reliquerat Anglorum. Eiraudns autem vnus Optimatum gentis illius, diadema Regni ſibi impoſuerat. Quem præfatus Guillelmus cum maximo belli apparatu tranſito mari aggrediens, primo certamine vicit, peremit omnéſque copias ipſius fudit. Deinde totam illam multis prœliis adeptus eſt inſulam: cuius demum Rex effectus, barbaros illius mitigauit mores, cultúmque Chriſtianæ Religionis, qui in ea modicus erat, ampliauit. Cuius poſtremò potentia penè toti innotuit Orbi. Rotberto Duce Burgundionum obeunte, quem ſupra retulimus, Ainrici Regis fuiſſe fratrem, filio quoque ipſius Ainrico ante obitum patris mortuo, filius ipſius Ainrici Hugo Ducatum Burgundiæ ſuſcepit. Quo facto Monacho, poſt aliquot an- C
nos Principatum ipſius frater eius Odo obtinuit.

SECVNDAM expeditionem in Hiſpanos Dux Burgundionum Hugo, pluréſque alij Principum Galliæ parauerunt. Quibus Rex Aragonenſis Sancio, cuius patrem Milonem ſcilicet Regem ipſi Sarraceni iamdudum excoriauerant, obuiam venit, eiſque Ducatum contra eoſdem præbuit Sarracenos. Quo Duce Hiſpaniam ingreſſis, captáque vna nobilium eiuſdem Hiſpaniæ vrbium, & deuaſtata ex parte ipſa regione, plurima onuſti præda domum remeant, quamplurimis captiuis adductis. Tetbaſdo Carnotenſium Comite vita obeunte, Stephanus patris ſuſcepit dominatum, fratri ſuo Hugoni quandam partem attribuens paternatum poſſeſſionum. Qui Stephanus contra Regem rebellans Philippum, à militibus Regis captus eſt. Exin ſacramenta facere, & obſides dare coactus, ne aliquando eius efficeretur hoſtis, veniam eſt conſecutus. Rotberto etiam Flandrenſium Comite ſuperos relinquenre, filius eiuſdem nominis Rotbertus hereditatem adeptus eſt patris.

TERTIAM deinde expeditionem in Hiſpanos Galli faciunt. Quippe vnus ex Sarracenorum Regibus nomine Iuſſetus cum multis tam Maurorum quàm Sarracenorum legionibus Hiſpaniam occupauerat citeriorem, mari tranſito. Quod audiens Andefonſus Rex Galliciæ & Aſturciæ, congregatis vndecunque bellorum

A copiis ei obuiare properauit. Tandem in locum vnum vtriuſque concurrentibus turmis, ſigno dato prœlium commiſſum eſt. Porrò Andefonſus Sarracenos ſuſtinere non valens, terga vertit, multis ſuorum oppreſſis. Quo infortunio exterritus, mittit per Gallias vt ei ſubueniatur. Alioquin ſe fœdus cum Sarracenis inire, & aditum præbere quo in Gallias tranſirent, minatur. Hoc accepto nuncio, Galiorum Proceres certatim milites congregant. Denique tam vrbana quàm ruſtica plebs ſe offert. Milites verò gregatim conuenientes, ad bellum ſe præparant. Statuto tempore quique de ſuis moti Prouinciis in auxilium Andefonſi feſtinant. Verùm Agareni Francorum aduentu audito, cum ſuo Rege terga præbent, nequaquam eos expectare audentes. Quorum fugam Rex Andefonſus, cùm iam prope fines Hiſpanorum Franci eſſent, eis notam fecit, gratias agens quòd ſibi auxiliaturi veniſſent, mandánſque vt redirent ad propria. Franci eius accepto nuncio, triſtitiam habuerunt maximam, eo quòd hoſtis iam dictus fugâ lapſus eſſet, & quòd tantum iter nequicquam expendiſſent. Ingreſſi tamen Hiſpaniam crebras agentes deprædationes, & plura deuaſtantes loca, demum reuerſi ſunt ad ſua. Rex autem Andefonſus, quàm ſtrenuus in armis fuerit, quotiens Sarracenos prœliandò fuderit, quot expeditiones in eos egerit, non ibi deſcribere decreuimus. Qui etiam Toletum maximam vrbem eorum ſuo ſubiugauit imperio, magnam ſuæ habitationis partem eis auferens. Hic filiam Rotberti Ducis Burgundionum duxit in vxorem, nomine Conſtantiam, de qua ſuſcepit filiam, quam in matrimonium B dedit Raimundo Comiti, qui Comitatum trans Ararim tenebat. Alteram filiam, ſed non ex coniugali thoro natam, Ainrico vni filiorum filij eiuſdem Ducis Rotberti dedit. Hóſque ambos in ipſis finibus Hiſpaniæ contra Agarenorum collocauit imperium.

Defvncto Alexandro Papa, loco eius ſucceſſit Hildebrandus, qui & Gregorius. Hic magna Synodo Romæ congregata, Ainricum Imperatorem de quibuſdam criminalibus ad ſe delatis accuſabat. Imperator audiens ſe criminari, legitimam purgationem offert. Papa autem purgationem eius negat ſe recepturum, ſed eum, cùm imperio dignus non ſit, anathemate feriendum, niſi coronam Imperij deponeret. Quo nolente Imperium deponere, contra voluntatem totius penè Concilij eum excommunicauit. Quæ res totum Eccleſiæ ſtatum turbauit. Exigebat quoque idem Papa ab eo dimitti dominationem omnium ſui Imperij Eccleſiarum, ne cui baculum paſtoralem donaret, iuxta quod in antiquorum ſtatutis continetur Patrum. Quod ille facere renuit. Hæc fuit iuſtior cauſa iſtius anathematis. Imperatore igitur Eccleſiæ communione priuato, Papa Gregorius quendam Rodulfum, genere Saxonem, pro eo regnare conſtituit. Hic à Ducibus eiuſdem Imperatoris, qui ad bellum eum laceſſierant, interfectus eſt.

Post hæc Imperator Legatos Papæ dirigit, iterum atque iterum ſatisfactionem ſuper ſuis accuſationibus offert. Papa verò in ſua perſeuerante ſententia, Ro- C mam cum magna armatorum manu tendit, eámque per aliquod tempus obſidet. Qua tandem recepta, Guitbertum Rauennatem Epiſcopum pro Gregorio Papam conſtituit, qui mutato nomine dictus eſt Clemens. Gregorius verò in Apuliam aufugit, in qua, quandiu ſuperuixit, commoratus eſt. Defunctus autem ſepultus eſt Salernæ in Monaſterio ſancti Matthæi. Loco ipſius Abbas Caſſinenſis Deſiderius ordinatus eſt, qui alio nomine vocatus eſt Victor. Quo obeunte, Odo qui & Vrbanus de genere Francorum ei ſuccedit. Eo tempore Fulco frater Gaufredi Andegauenſium Comitis eundem fratrem ſuum cepit, incarcerauit, & vſque ad obitum in vinculis tenuit. Ipſe verò illius Comitatum arripuit, formidánſq; ne Rex pro perpetrata fraude ſibi aduerſaretur, Comitatum Vaſtinenſem, quem Andegauenſes Comites ante eum tenuerant, eidem Regi conceſſit habendum. Interea idem Rex Philippus filiam Florentij Ducis Friſiæ Bertam nomine in coniugium duxit. Quæ filium ei genuit Lvdovicvm nomine, & filiam quam Hugoni Comiti in matrimonio copulauit. Mortuo Guillelmo glorioſo Anglorum Rege, filius eius æquè Guillelmus, paternum obtinuit Regnum. Frater verò eius Rotbertus Comitatum Normannorum adeptus eſt. Ainricus autem frater eorum vſque ad mortem fratris Regis priuatus manſit. Hoc tempore, tam in diuina quàm in humana Philoſophia floruerunt Lanfrancus Cantuariorum Epiſcopus, Guido Langobardus, Maingaudus Teutonicus, Bruno Remenſis, qui poſtea vitam duxit heremiticam.

PHILIPPVS I. In Dialectica quoque hi potentes extiterunt Sophiſtæ; Ioannes, qui eandem artem ſophiſticam vocalem eſſe diſſeruit, Rotbertus Pariſiacenſis, Roſcelinus Compendienſis, Arnulfus Laudunenſis. Hi Ioannis fuerunt ſectatores, qui etiam quamplures habuerunt auditores. A

1096. ANNO ab Incarnatione Domini M. XCVI. viſæ ſunt ſtellæ quaſi pluere de cœlo denſatim, velut pluuiarum guttæ per quædam interualla plurimarum noctium. Eodem anno Papa Vrbanus in Gallias venit, Conciliúmque maximum Epiſcoporum & Abbatum apud Clarummontem in menſe Nouembre celebrauit. Inſequenti quoque anno apud Nemauſum aliud congregauit in menſe Iulio Concilium. Aduentus autem ipſius & Conciliorum hæc maxima cauſa fuit. Turci, gens infidelis, & à Chriſti cognitione aliena, ad bellum verò præ omnibus Orientalibus populis viuidam gerens dextram, examen ſui generis de terra ſui incolatus emittens, Hieruſalem & circumpoſitas longè occupauerat regiones: ita vt eius barbara feritas vſque ad mare, quod Brachium ſancti Georgij vocatur, dominaretur. Minabatur etiam regiam ciuitatem ſe inuaſuram, & Chriſtianum Imperium ſuæ ſubdituram ferocitati. Hæc gens Eccleſias totius diruens Orientis, vel ad cultum ſuæ religionis conformans, Epiſcopis illudens, & omnes ſacros Ordines ludibrio habens, omnem cultum diuinum illis in partibus euacuauerat. Qua ſæuienti procella, viri religioſi per totum fermè Orientem turbati, nuncios ad iam nominatum Papam dirigunt: orantes lachrymoſis queſtibus, vt eis ſubueniretur. Quibus acceptis nunciis, pius Papa, quia nouerat gentem Gallorum bellicoſiſſimam, B & ad talia adorienda ſatis promptam, in duobus ſupra memoratis Conciliis verbum de huiuſmodi negotiis ad populum facit. Exhortatur vt fidelibus viris malignorum violentia oppreſſis ſuccurrant, & ne nomen Chriſti Orientis in regionibus occidat, quibus valent viribus adiuuent. Iubet etiam omnibus Epiſcopis, vt vnuſquiſque in ſua Diœceſi hæc prædicet, præconetur, exoret. Epiſcopi quæ iuſſa fuerant complent, exhortantur ſibi commiſſos greges, & conteſtantur, ne ſpernant quæ præcipiuntur. Chriſtianus autem populus iniuriis oppreſſorum, Papæ etiam & ſuorum ſuaſionibus Paſtorum permotus, præparat ſe ad reſiſtendum infidelibus, & ex vniuerſis Orbis partibus, in quibus fides Chriſti vigebat, ad peragenda ſui bella Chriſti Tribus & Linguæ armantur. Igitur Hieroſolymam tendunt, cruce Chriſti inſignitis deſuper veſtibus. Sic enim præceperat domnus Apoſtolicus, vt quicunque ad hoc bellum faciente Chriſti gratia animaretur, Crucem eiuſdem in vna ſuarum ferret veſtium. Erant in eodem exercitu nobiliores iſti: Epiſcopus

* Anicienſis Anienſis * Ademarus, Buamundus frater Rotgerij Ducis Apuliæ, Raimundus quoque Sancti Egidij Comes, Hugo Comes Virmandenſis frater Philippi Regis, Stephanus Carnotenſium Comes, Robertus Comes Normannorum, item Rotbertus Comes Flandrenſium, Godefridus Dux Boloniæ, & frater illius Balduinus. Fuerunt & alij quamplures viri potentes & famoſi, diuerſarum nationum Proceres, quos hic inſerere longum videtur. Quos præceſſit comitatus, ſeu ſubſecutus C eſt Catholicæ plebis exercitus innumerabilis quaſi arena maris, paratus animam ponere pro fratribus. Tandem poſt multos labores, poſt terræ & maris pericula, poſt multas Conſtantinopolitani Imperatoris inſidias, poſt maximam alimentorum inopiam, & horrida cum Turcis commiſſa prœlia, aliquibus iam captis ciuitatibus, Antiochiam adueniunt, quæ caput eſt totius Syriæ. Eodem tempore apparuit cometes ad auſtrum fermè per quindecim dies, emittens radium in modum haſtæ. Obſident itaque Antiochiam. Defecerat autem iam pars maxima eorum ſuperiùs memoratis moleſtiis. Obſidentibus ergo illis, pluribus tam ſuorum quàm aduerſariorum quotidianis congreſſibus antè interfectis, & protracta obſidione iam per octo menſes, tandem Dei fauente gratia, recipiunt eandem vrbem per quendam Turcum, qui noſtram ſuſcepit poſtmodum fidem. ſed poſtea apoſtataſſe dicitur. Hic cum Duce Buamundo hanc laudabilem compegit proditionem. Qui cùm eſſet cuſtos aliquarum turrium eiuſdem ciuitatis, per vnius quam ſeruabat turris portam eundem Buamundum vniuerſúmque exercitum ſubmiſit. Qui vrbe potiti, omnes quos habent obuios in ore gladij perimunt, ſexum vel ætatem minimè diſcernentes. Quidam autem partis aduerſæ ad munitiſſima ciuitatis ipſius confugerunt loca. Sed extructo muro, oppilata ſunt loca oportuna, per quæ noſtros impugnare poterant. Manſerunt tamen in ipſis firmitatibus vſque ad ſubſecutum

A bellum. & erant ſemper illis in Sathan quas valebant inſidias machinantes. Ecce autem adeſt improuiſa hoſtium innumerabilis multitudo, quæ totam ambiens cinxit vrbem. Defecerant autem alimenta in ipſa ciuitate. Corripit itaque extemplo obſeſſos fames, ita vt vnum ouum ſedecim denariis venderetur: caſeus vnus quatuor denariorum libris. Panis non inueniebatur. Calceamenta vetera & quæque particulæ coriorum vetuſtate attritæ in cibum ſumebantur. Immundorum animalium carnes pro deliciis habebantur. Paſſi etiam duram exteriùs fuerant famem, dum ipſi eandem obſiderent vrbem. ſed illa ad comparationem huius nulla fuit. Fatigati igitur per trium hebdomadarum ſpacium hac obſidione, cum periculo famis clamauerunt ad Dominum. Qui miſertus eorum, miſit, vti refertur ab eis, beatum Apoſtolum Andream, qui in viſione nocturna manifeſtauit cuidam Clerico nomine Petro lanceam de qua transfixus fuerat in Cruce idem Dominus, infoſſam in maiori Eccleſia, quæ in honore Apoſtoli Petri dicata erat. Hic Clericus de contubernalibus Raimundi ſancti Egidij Comitis erat. Effoſſa igitur humo, inuenerunt eam. Plura verò & alia prodigia oſtendit Saluator per hoc totum tempus ad ſuorum conſolationem, & ad terrorem hoſtium: quæ nos, quoniam aliorum ſcriptis tenentur, omiſimus. ſuccinctim ſeriem percurrentes temporum. Aſſumentes ergo multam fiduciam pro inuentione lanceæ, ſtatuerunt præcedente ea cum ſuis hoſtibus decertare, ſatiùs ducentes pro Chriſto animas in bello ponere, quàm B mori turpiter fame in ciuitate. Statuta igitur die portis apertis, lancea præeunte hoſtes adgrediuntur. Qui Dei perterriti virtute, nequaquam eis congredi præſumentes, tergá vertunt, relinquentes ſua tentoria, tam ciborum abundantiâ quàm variæ ſupellectilis multiplicitate referta. Quæ omnia noſtri quaſi ſpernentes, pertranſeunt hoſtes inſequentes. Facta eſt autem tanta cædes eorum non ſolùm à noſtris, verùm ab incolis eiuſdem regionis, per quos fuga ipſorum erat, vt vix pauci equitum è tanto ſupereſſent numero. peditum verò vix vnus ſuperfuit. Oderant namque incolæ illarum regionum eoſdem Turcos, quoniam iugo grauis ſeruitutis eos oppreſſerant. Reuerſis deinde noſtris à cæde, tanta copia farinæ, pecorum, & omnium rerum ad cibum habilium, reperta eſt in hoſtium tentoriis, vt omnia infortunia, quæ illis antea acciderant, obliuioni traderent. Quis enim multitudinem camelorum, equorum, pecorúmque diuerſi generis, copiam vaſorum auri & argenti, veſtium pretioſarum & theſaurorum inibi inuentorum, dinumeret? Mos eſt enim Orientalium nationum, vt omnem ſuam gazam ad bellum ſecum deferant. Regrediuntur itaque onuſti in ciuitatem iam ſuam, in hymnis & laudibus gratias Chriſto toto referentes corde, qui ſic miſeretur ſuis ſeruis. Comperto, qui in arcem ciuitatis confugerant, ſuorum excidio, ſeſe dediderunt, conceſſa eis vita & abeundi licentia. Obiit autem in eadem vrbe venerabilis Ademarus Anienſis Epiſcopus, in qua cum multis Chriſtianæ plebis lachrymis ſepultus eſt.

VERGENTE vna dierum Sole ad occaſum, dum adhuc in eadem eſſent vrbe, C per noctem illam vſque ad auroram texit maximus rubor velut ſanguinis cœlum, ab Oriente per Septentrionem pertingens vſque in Occidentem. qui rubor in omnibus Orbis partibus viſus eſt. Commorati ergo in Antiochia per aliquantum temporis, tradunt eam poſſidendam Buamundo & ſuis. Reliqui verò, Dux videlicet Boloniæ Godefridus, qui admirandus tam armorum virtute quàm prudentia conſilij omnibus habebatur, Raimundus Comes S. Egidij, Rotbertus Comes Normannorum, Rotbertus Comes Flandrenſium, Tencredus nepos Buamundi, & reliquus exercitus decernunt Hieroſolymam proficiſci. Porrò Balduino fratri prædicti Ducis Godefridi conceſſerant iam Rhoes vrbem famoſiſſimam, & vniuerſa oppida ad eam pertinentia, quæ plurima erant. Ceteri igitur Duces cum ſuis turmis egreſſi ab Antiochia, per maritima proficiſcuntur. In quo itinere tres ceperunt vrbes, & multa millia profanæ gentis in eis interemerunt. Peruenientes Hieroſolymam, eam obſident. Partiuntur Duces portas, turres, & mœnia extrinſecus. Eligit ſibi quiſque ſtationem, in qua cum ſuis reſideat. Dirigunt deinde partem exercitus inueſtigare ſyluam, vt ea reperta ligna cædant & aſportent. Quam cum difficultate inueniunt, vtpote locorum ignari. Allata itaque copioſa lignorum congerie camelorum dorſis, extruunt arietes & diuerſas machinas ad quatiendas & deiiciendas turres idoneas. Ædificant ſcalas, quibus muros aſcendant, componunt diuerſi generis tormenta ad iaciendos lapides. Erigunt etiam duas ligneas turres

PHILIPPUS I.

PHILIPPVS I.

multæ altitudinis. Has ſtatuunt in locis opportunis, de quibus milites pugnantes A
deiicerent eos, qui de muris propugnabant. Paratis itaque omnibus obſeſſos fati-
gant aſſiduis concertationibus; applicant muris turres, iaciunt immania diuerſis
tormentis ſaxa. Illi econtra fortiter reſiſtentes, baliſtis, ſudibus, & variis miſſili-
bus ipſos à muris arcebant. Ptotelata igitur obſidione per ſex hebdomadarum in-
teralla, obſidentibus acritet inſtantibus, obſeſſis verò viriliter repugnantibus:
tandem noſtri pertæſi obſidionis, quadam die acriùs ſolito animati incluſos hoſtes
adoriuntur, Chriſtum corde inuocant, Chtiſtum ore clamant, Chriſtum totus per-
ſonat aër. Ergo tormentis ſaxa iaciunt, omni genere miſſilium decertant. Porrò
qui in turribus ligneis ſtabant, ſudes peracutas & lapides mittebant in eos, qui de
muris pugnabant. Sagittarij quoque à ſuperioti loco, de eiſdem videlicet turribus,
ſagittis eos infeſtabant. Qui ſuſtinere non valentes, murum linquunt. At iſti con-
iunctione clypeorum teſtudine facta, alij accedunt ad murum, admotúmque alij
arietem, quem deſuper cratibus & crudis texerant pellibus, tam pro ſui quàm eiuſ-
dem machinæ defenſione, frequenti impetu propellentes, ipſum pulſant murum.
Murus deinde crebra arietatione fatiſcere cœpit. Obſidebant autem ex ea patte
Rotbertus Normannus, Rotbertus Flandrus, Tancredus, & quidam alij Ducum.
Præminebat ibi turris muro adhærens, quæ cacumen in altum extulerat. Hæc con-
tinuis imbribus pulſata ſaxorum, tandem ſua pandit interiora. Cuius tamen rimas
& vulnera qui eam ſeruabant texerant, opponentes vimineas crates, taperia, cul-
citras, mattas, & quæque ad deludendos iactus tormentorum apta. Eiſdem etiam B
operimentis extrinſecus velauerant murum, quacunque infeſtabatur ictibus lapi-
dum. Porrò noſtri turri illi impoſito igni, eos qui in ipſa erant, dum ignem extin-
guere non valent, fugauerunt. Quos fugere, & turrim accenſam flammas in ex-
celſum attollere, eóſque qui de muro obſiſtebant, ab his qui de ligneis turribus
omni genere iaculorum inſtabant, proturbatos cernens exercitus, illuc aduolat ex-
hortans ſe mutuis vocibus. Exteriorique muro ariete demolito (duplici enim mu-
ro eadem vrbs cingebatur) ſcalis interiori muro applicatis aſcendunt, & de muto
ciuitati illabuntur nemine reſiſtente. Denique quos in ligneis turribus ſtetiſſe di-
ximus, pontibus factis de ttabibus, quibus crates ſuperpoſuerant, ciuitati inſiliunt.
Alij ſecuribus & quibuſcunque ferreis inſtrumentis pórtas deiiciunt. Hoſtes per-
territi videntes noſtros ſecum eſſe in ciuitate, non iam teſiſtunt, ſed paſſim diffu-
giunt, ignorantes quid agere. non iam ſagittis & miſſilibus, ſed diſtrictis gladiis ſe
impeti conſpicientes. Tunc demum omnem ſpem ſuam fugæ committunt. Quos
palantes per plateas ciuitatis more pecudum mactat exercitus. Qui euadere potue-
rant, in Templum, quod Salomonis dicitur, ſeſe recipiunt. Mox omnes turmæ
illuc accurrunt, vniuerſóſque, qui ſe illic incluſerant, gladiis trucidant: reſiſtere
quidem volentes, ſed non valentes. Et totam perſcrutantes vrbem, eius habitato-
res perimunt ſine diſcretione ſexus & ætatis: multo tamen agmine ad varia officia
peragenda reſeruato. Quorum plures poſtmodum cognati & amici à captiuitate C
tedemerunt. Properant deinde ad Templum, quod Domini dicitur; quod impia
gens prophanauerat ſuæ teligioni mancipando. In quo tantam auri & argenti, la-
pidúmque pretioſorum reperiunt gazam, vt auditu incredibile videatur. Eodem
modo in vniuerſis ferè vrbis domibus tanta inuenta eſt pecunia, tanta copia om-
nium quæ cibis congruunt rerum, quanta vix inibi congregari potuiſſe credatur.
Emundato ergo Templo & vrbe à ſordibus infidelium, cœperunt cum quiete ha-
bitare. Poſt hæc facto conuentu, ſtatuunt letanias celebrare, agere ieiunia, qua-
tenus Saluator eis manifeſtaret, quem eorum regali ſceptro dignum iudicaret. Fa-
ctis itaque crebris letaniis & ieiuniis, vnanimi conſilio eligunt Ducem Godefri-
dum ſibi præeſſe, qui promptior ceteris Ducibus, & manu & conſilio probatus fue-
rat. Cauti in hoc, quòd nequaquam ei licere iudicant, regium diadema infra vr-
bem eandem portare. Solus enim Chriſtus eius vtbis Rex dignè iudicatur, qui pro
peccatis noſtris in eadem ſuſcepit ſpineam coronam. Patriarcham verò quendam
Clericum nomine Arnulfum ordinare voluerunt, qui eos plurimum verbo conſo-
lationis in cunctis eorum laboribus ſuſtentauerat. Sed reniſus eſt ille, dicens ſe mi-
nimè abſque Papæ præcepto tantum onus ſuſcepturum. Curam tamen Eccleſia-
ſticarũ rerum aſſumpſit, donec Papa Vrbanus dirigeret illis in Pattiarcham virum
omni probitate decoratum, domnum videlicet Dagbertum Epiſcopum Piſanum.

A Quem cum gaudio ſuſcipientes, Patriarcham conſtituerunt. Igitur Turci, qui PHILIPPVS
per reſiduas vrbes & caſtella Orientis diſperſi erant, & cum eis Duces Perſarum, I.
comperto maximum ſuorum præſidium eſſe captum, congregant infinitam multi-
tudinem exercituum, tam de ſuæ gentis hominibus, quàm de Syris, Agarenis, Ara-
bibus, & ceterarum Orientalium nationum infidelibus populis. Congregatis ita-
que illis in vnum, decernunt communi conſilio Hieroſolymam obſidere. Dux au-
tem Godefridus, & ceteri Optimates, rati nequaquam ſibi profuturum, ſi eis ob-
ſidere ciuitatem liceret, paucis ſuorum ad cuſtodiam relictis, obuiam properant
cum quanta poſſunt manu. Et occurrentes illis in campis vrbis Aſcalonis, quæ ſita
eſt ſecus mare, XX. & DCC. ſtadiis ab Hieroſolymis diſtans, diuidunt exercitum
belli more. Extructáque acie, & animis oratione Ducis roboratis, confiſi de adiu-
torio Saluatoris inſiliunt in hoſtes, qui more ſolito fugæ ſubſidio Dei potentia ex-
territi, ſe committentes terga præbent. Tanta verò ſtrage in eos debacchati ſunt,
vt vix aliquis de numero pedeſtri remanſerit, qui euentum belli renuntiare reſiduis
valeret. De equeſtri verò ordine multi: quoniam Chriſtianus exercitus propter
panis inopiam præter paucos, ſuos comederant equos. Idcirco equites perſequi
non valebant. Peracta igitur cæde reuertuntur in vrbem, grates innumeras ſuo ac-
clamantes Saluatori, qui in cunctis ſuis operibus eſt mirabilis. Poſt expletum verò
Hieroſolymitanæ captionis annum, defunctus eſt glorioſus Dux Godefredus. De-
B functo Papa Vrbano, & in Monaſterio Apoſtoli Petri tumulato, Paſchalis pro eo
ordinatus eſt.

ANNO ab Incarnatione Domini M. C. in regione Anglorum ſanguis pro lym- 1100.
pha de quodam manauit fonte, qui tamen non fluebat, ſed circa fontem coagula-
batur. Poſtea verò putrefactus, fœtorem intolerabilem emittebat. Eodem anno
Rex Anglorum Guillelmus filius magni Guillelmi, qui Regnum Anglorum armis
vindicauit, morte occubuit. Hic cùm in omni armorum fortitudine nequaquam
inferior patre exiſteret, circa mortem ſuam, ſicut & genitor eius fecerat, pro te ea-
dem contra Regem Francorum Philippum rebellauit, à quo Normanniam in be-
neficio habere videbatur: hac videlicet occaſione, qua dicebat ſibi ab eodem Re-
ge deberi de eodem beneficio medietatem pagi Vulcaſſini. Cui pro hac contro-
uerſia prædas, incendia, frequentes etiam incurſiones facienti, prudenter reſtitit
LVDOVICVS filius eiuſdem Regis, quamuis adhuc puer. Pro hac igitur neceſ-
ſitate, & quia nimis appetebat videri munificus & largus, expoliauit penè vniuer-
ſas Regni ſui Eccleſias. Qui etiam dùm aliquis Epiſcopus vel Abbas in illa obibat
inſula, quæ eius Regnum erat, omnes reditus Eccleſiæ ipſius ad ſuum retorquebat
dominium, donec poſt multum tempus pro eiuſdem Eccleſiæ prælatione ab ali-
quo nefario infinitam acciperet pecuniam. Contigit ergo, vt in nocte Prothomar-
tyris Stephani, quæ ſolemnitatem reuelationis præcedebat, ſomniaret à frigido
vento ſua tranſigi latera. Quod ſomnium dum in craſtino ſuis narraret, parabat
C verò venatum ire, prohibuerunt ne illo die venaretur. Qui ad horam quidem eos
audiuit, pranſus autem illos increpare cœpit, dicens: Non eſſe rectæ fidei, qui "
ſomnia obſeruarent. Aſcenſis itaque equis ſyluam petit; inuentóque multorum ",
ramorum ceruo, vni ſuorum, amico quidem & nobili viro, iubet eum ſagitta ap-
petere. Qui tenſo arcu ſagittam iaciens, dum ceruum percutere cupit, in cor Re-
gis ſagittam fixit. Quo accepto vulnere, animam exhalauit. Porrò Gauterius (ſic
enim vocabatur, qui eum peremiſſe dictus eſt) iureiurando affirmabat eandem ſa-
gittam Regem arcu emiſiſſe, quæ reuerſa eum percuſſerit. Eo hoc modo vita pri-
uato, frater illius Henricus Regnum obtinuit Anglorum. Rex Philippus repudia-
ta Berta matre Ludouici, accepit aliam coniugem Bertradam filiam Simonis de
Monteforti, quæ Fulconi Andegauenſium Comiti nupſerat. cui idem Rex eam
abſtulit. Vnde multotiens à beatæ memoriæ Papa Vrbano ammonitus, nequa-
quam conſenſit. Quo obeunte, ſucceſſor ipſius Paſchalis in Gallias miſit duos de
ſuis Cardinalibus probabiles viros, Ioannem & Benedictum: qui Regem conue-
nientes, & eius animum obſtinatum reperientes, Pictauis adunato Concilio, ro-
tam Franciam pro hac re anathemati ſubdiderunt. Eodem anno in pago Aurelia-
nenſi, villa quæ Tergiacus dicitur, inuenti ſunt duo panes in clibano decocti ſan-
guine madentes dum frangerentur. Non poſt multum temporis idem Rex corde
compunctus direxit quoſdam ſuorum Romam, ſpondens Papæ pariturum ſibi in

PHILIPPVS I.

quibuſcunque iuberet, tantum vt abſolui mereretur. Qui direxit illi duos honeſtæ vitæ viros à latere ſuo, qui eum à vinculo anathematis ſoluerent. Illi Pariſius Regem adeuntes, multa Optimatum præſente frequentia fecerunt vt ſibi iniunctum fuerat: in communione videlicet fidelium recipientes, eo tamen tenore, ne Bertradæ vlteriùs commiſceretur, ſeu cum ea abſque duobus boni teſtimonij viris colloqueretur. Suſceperat autem iam ex ea Philippum, & quam Tancredus poſtmodum in coniugium ſumpſit. A

QVI verò Hieroſolymis habitabant, glorioſo Rege Godefrido defuncto, vnxerunt loco ipſius fratrem eius Balduinum, ſtrenuum ſanè virum, & bellis ſuperioribus iam probatum. Porrò Pictauenſium Comes VVillelmus, quoniam Gallicanarum Primores Prouinciarum ceteri, vel obſidioni Hieroſolymitanæ cum ſuis affuerant copiis, vel poſtremò ad exhibenda ſuffragia eis, qui ibidem remanſerant, deuotè ſubſecuti fuerant, volens & ipſe ſuas oſtentare vires, & extendere famam, collecta multitudine earum quibus dominatur gentium, aſſociatis etiam ſibi multis, quorum plures erant Comites, aut populoſarum vrbium ſeu caſtrorum Primores, Hieroſolymam tendit. Qui dum Conſtantinopolim appropiaret, audito tanti Ducis aduentu Imperator pertimuit. Aſſerro igitur eo, ceteriſque Optimatibus, qui cum eo erant, ad colloquium, plura donaria eis diſtribuit, plurima promittens ſi ei fidem ſeruarent: datis etiam itineris Comitibus, qui eos docerent, per quæ loca exercitum ductarent. Duces ergo dati neſcitur an viæ ignorantiâ, an fraude Imperatoris, per vaſta ſolitudinis loca eos minarunt, in quibus fame & ſiti penè conſumptus eſt exercitus. Hoſtes quoque comperientes eos aduentare, in locis quæ opportuna erant inſidiis, imparatum & penuria ciborum deſtitutum inuadunt populum. Plures interimunt, alios captiuant, reſiduos in fugam vertunt. Qui verò tantæ calamitati ſuperfuêre, diſperſi per auia montium, per confraga vallium, ad ſacra vix attingentes loca, adorantes inglorij reuerſi ſunt. Eo tempore ſtella in Occidente apparuit plures per dies, radium emittens verſus Meridiem in trabis modum. Igitur Buamundus, qui Antiochenis dominabatur, tranſito mare in Gallias venit, innumerabilem tam equitum quàm peditum multitudinem ab eis eduxit: & non ſolùm de Galliis, verùm & de toto Occidente. Græcorum Imperium perturbare conatus, ea videlicet occaſione, quoniam Imperator ſemper aduerſabatur omnibus Hieroſolymam tendentibus, commiſſis aditibus viarum & maritimis portibus prædonibus & pyratis. Buamundus ergo filiam Regis Philippi in coniugem duxit; & commeatu tanto exercitui neceſſario apparato in Barri portu, anguſtum pelagus verno tempore permeans, in aduerſum littus illæſam nauium traduxit claſſem. Hinc Græcorum peruadens Imperium, vrbes, municipia, villas & agros deuaſtans, venit Dirrachium; quam obſidione cingens oppugnabat tempore multo. Obſeſſi itaque pertæſi obſidionis, ſuo mandant Imperatori non ſe poſſe diutius pati Buamundum, & niſi ſubueniat, celeriùs tradituros vrbem. Qui colligens diuerſarum gentium, quæ ſub eius degunt Imperio, ſexaginta & eo amplius armatorum millia, præfectis illis magiſtratibus, mandat & obſeſſos ſoluere, & Francos à ſuis expellere finibus. Dux ergo audiens Imperiales aduerſum ſe venire legiones, dirigit & ipſe ex ſuis manum validam obuiam illis itinere dierum ſex. Sabbato igitur ſancto peruenere ad radicem montis, in quo ſitum eſt caſtrum Corbianum. Comperientes autem hoſtes caſtra metatos in altera parte eiuſdem montis, velle occupare cacumen eius, præuenerunt eos. Mane verò facto, quoniam ſanctum Paſcha erat, communicarunt omnes. Aduerſarij denique prœlio diſpoſito opperiebant illos. Itaque Franci cum alacritate ſeſe exhortantes adoriuntur eos. Principabant verò eis Hugo de Puteolo, Rainerius Brunus, Philippus de Monte aureo, Robertus de Veteri ponte, cum aliis. Inito ergo prœlio, ab hora diei tertia vſque in veſperam tanta cæde debacchati ſunt in eos, vt vix ſupereſſet qui euentum belli renuntiaret. Sed cùm iam placidè Dirrachium regredi cogitarent, audiunt non minoris numeri exercitum appropinquare in auxilium prioris. Conſilio igitur accepto feſtinant & illis obuiam, quos tandem in loco, qui Scala ſancti vocatur Georgij, attingunt. Commiſſo itaque bello, hos quoque penè omnes deleuere, reportantes Duci ſuo quindecies capita centum de ſtrage iſtorum, vno tantum de ſuis in vtriſque extincto prœliis. Imperator conſiderans inſuperabiles eſſe Francos, mandat Buamundo & reliquis Ducibus nefariè ſe agere, quia cùm eſſent Chriſtia- B C

A ni Chriſtianos perſequerentur, & abſque vllo miſericordiæ reſpectu interimerent. PHILIPPI
Se prompto animo ſuſcepturum pacis conditiones, quas ſtatuerent, aut quas ipſe I.
proponebat, quæ huiuſmodi erant: Neminem qui ad ſepulchrum Saluatoris prope-
raret, de cetero iniuriam in toto ſuo paſſurum Regno. Quòd ſi quis eorum aliqua
violentia quicquam amiſiſſet, quantum probare poſſet, de ſuo reſtituturum. Om-
nibus, qui in exercitu illo militabant, damna quæ contigerant emendaturum. Du-
ci quas pater armis vindicauerat terras redditurum. Præbiturum quoque ex ſuis
ſupplementum copiis ad conquirendum in Romania quam Turci obtinuerant,
quantum itineris diebus XV. confici poſſit longitudinis & latitudinis: eò ſcilicet
pacto, quatenus Dux ſe ipſi ſubdens fidem deuotè ſeruaret. Auditis Duces exerci-
tus his propoſitionibus, dixerunt nequaquam eſſe ſpernendas. Statuta ergo die,
qua hæc iuramento corroborarentur, Imperator vrbe regia egreſſus venit obuius
Buamundo & Ducibus via dierum fere XV. Impoſitis itaque manibus ipſe & XII.
primi ſuæ ciuitatis ſacris pignoribus, cruci videlicet Dominicæ cum aliis quæ ſe-
cum attulerat, aſtante Ioanne filio eius iurauit omnia, quæ propoſita ſunt, abſque
fraude conſeruaturum omni quo ſuperſtes tempore foret. Buamundo illi ſe ſub-
dente, & fidem promittente quandiu iurata ſeruaret. Quibus peractis, Imperatore
ad ſua reuertente, pars exercitus Hieroſolymam adorandi proficiſcitur gratia, pars
cum Buamundo in Apuliam repedat. Guido autem frater Ducis poſt tempus bre-
B ue languorem incidit, ita vt deſtitutus omnibus membris ad extrema duceretur.
Aſcito denique fratre, orat vt parcat quæ in ipſum peccaſſet. Interrogante quæ
eſſent commiſſa, confeſſus eſt, Imperatorem ſibi filiam ſuam ſpopondiſſe cum Dir-
rachio & aliis donis: ſæpiùs vrbem vi aut deditione ſubactam, niſi ciues retardaſſet
ſuo animatos conſilio. Audito tam immani ſcelere, deteſtatus illum, maledictáque
maledictis accumulans, abſceſſit. At ille breui defungitur.

ANNO ab Incarnatione Domini M. CVIII. Rex Francorum Philippus de- 1108.
fungitur III. Kal. Auguſti, cùm regnaſſet annis XLIX. menſibus duobus, diebus
VII. Regni ſceptra relinquens LVDOVICO filio. Sepultúſque eſt Floriaco in
beati Benedicti Monaſterio, vti iuſſerat. Ludouicus autem V. die poſt obitum pa-
tris, videlicet III. Nonas Auguſti, Aurelianis ſublimatus eſt in ſolio paterno. Eo-
dem anno, tempore Paſchali, cùm eſſem ſuper fluuium Garonnæ in loco qui dici-
tur Scyrs, concurrente populo ad tantum prodigium, vidimus cœlo ſereno ab ho-
ra fere ſecunda, vſque in horam V. magni ambitus circulum, & in eo tres Soles non
ſimul, ſed vnum ad Orientem, alterum ad Meridiem, tertium ad Septemtrionem.
Quo tempore gentes, quas Amorauiz vocabant, vaginam ſuæ habitationis egreſſæ,
Hiſpanias occupauere: & non ſolùm Chriſtianis, verùm etiam Sarracenis infeſtæ,
plures vrbes vtrotumque cepere, alias incendere, caſtella verò quamplurima, mul-
tis & victę & victrices prœliis. Denique Andefonſus Rex Galliciæ tam ſenio, quàm
morbo conſumptus, equitandi impotens expeditionem in eas agere volens, filio
C quem de Sarracena puellarum nobiliſſima prius baptiſmo abluta ſuſceperat, Opti-
matibúſque ſuis exercitum tradidit. Præcipiens, vt cum illis aſtutè & ordinatè di-
micarent, ſi fortuna daret: expellerent verò ab Hiſpaniis. Quod longè aliter con-
tigit. Nam victus & interemptus filius, ducéſque penè ſunt omnes, exercitus fu-
ſus. In quo prœlio nobiliores totius Hiſpaniæ perierunt. Poſt hæc autem & ipſæ
nationes deuictæ ſæpiùs ſunt ab Hiſpanis. Rex verò Andefonſus eodem anno, quo
& Rex Philippus, diem clauſit extremum. Vir ſanè bellicoſiſſimus & victorioſiſſi-
mus, qui toto ſuo tempore gentes ab Africa inundantes detriuit, & ab Hiſpaniis
depulit. Qui quoniam virilem non habuit ſobolem, interfecto illo, de quo dixi-
mus, habito Primores Regni illius conſilio, Regem Aragoniæ itidem Andefon-
ſum dictum Regem ſibi conſtituunt, copulata ei in coniugio filia ſui Regis, quæ
priùs Raimundo Comiti nupſerat, quam moriens vir ſuus viduam reliquerat. His
temporibus maxima extitit indigentia rerum victualium, panis videlicet, vini, ſa-
lis etiam. Denique imbres annos fermè per tres aſſidui vltra ſolitum irrigarunt.
Eclypſis Lunæ anno Dominicæ Incarnationis M. C. X. apparuit more ſuo in ple- 1110.
nilunio à prima noctis vigilia.

A

CHRONICI VETERIS EXCERPTVM,

Ab anno Chriſti DCCCCLXXXVI. vſque ad annum MCIX.

Ex Codice MS. Bibliothecæ Thuanæ nunc primùm editum.

ROBERTVS. RELIGIOSVS Rex ROBERTVS præcepto patris, viuente patre, Aurelia-
986. nis in Regem coronatus eſt anno Dominicæ Incarnationis DCCCCLXXXVI.
regnauitque cum eo IX. annis. Duxit autem vxorem CONSTANTIAM filiam
VVillelmi Comitis Arelarenſis, natam de Blanca ſorore Gaufridi Comitis Ande-
gauenſis, ex qua genuit quatuor filios; Hugonem qui cognominatus eſt Magnus,
Henricum, Robertum, Odonem. Ex his HVGONEM Compendij coronari
fecit in Regem adhuc viuens, qui patri acceſſit in Regnum, non ſucceſſit, quia ad-
huc viuente patre iuuenis defunctus eſt. Hic Rex manſuetus & mediocriter lite-
ratus, honeſtauit Regnum ſuum ædificiis, & Eccleſiis ſanctis. Inter quas ædifica-
uit in vrbe Aurelianenſi Monaſterium ſancti Aniani, & Eccleſiam ſanctæ Mariæ
matris Domini, necnon & ſancti Confeſſoris Hilarij ante Palatium ſuum. Extru-
xit etiam Eccleſiam S. Leodegario in ſilua Aquilina, & S. Medardo in Vitriaco
caſtello. Ædificauit Monaſterium S. Reguli in ciuitate Siluanectenſi, & ſanctæ B
Dei genitricis Mariæ in Stampenſi caſtro. Apud Auguſtidunum denique ædifica-
uit S. Caſſiani Monaſterium. Sed & Pariſius conſtruxit Eccleſiam S. Nicolao in
Palatio ſuo. Et item Eccleſiam ſanctæ Mariæ in Piſſiaco caſtello. Sub memorato
1014. denique Principe anno Incarnationis Dominicæ M. XIV. dedicata eſt Turonis
S. Martini Eccleſia ab Hugone Archipræſule Turonenſi. Hac præterea tempe-
ſtate Fulco Comes Andegauenſis ædificauit Cœnobium in territorio ſuo in hono-
rem ſancti Sepulchri. Verùm ſæpenominatus Rex Robertus iam ſenior factus Hu-
gonem filium ſuum participem ſui conſtituit regni. Sed Hugone ſexto regni ſui
anno defuncto, HENRICVM eius germanum virum armis ſtrenuum ſuum ite-
rum ſublimauit in Regnum.

FLORVIT his temporibus in Floriacenſi loco GAVSLINVS Abbas egre-
gius. Qui propter ſuorum probitatem morum, & animi ſui libertatem, à Rege
Roberto cum Abbatia Floriacenſi Bituricenſem obtinuit Pontificatum. Cuius
diebus ſuperiùs nominatum Floriacenſe Cœnobium caſuali conflagratum eſt in-
cendio, ſed eo inſiſtente infra biennium eſt reſtauratum, & enceniatum: Concre-
1026. matum eſt autem anno Incarnationis Dominicæ M. XXVI. III. Kal. Auguſti,
ſeptima Sabbati. Præterea domnus Gauſlinus ſecundum cordis ſui magnificen-
tiam turrim ex quadris conſtruere cœpit lapidibus ad Occidentalem præfati Mo-
naſterij plagam, ſed eam morte diſturbatus reliquit imperfectam. Porrò multis C
ipſam ſacratiſſimam ædem honeſtauit ornamentis. Inter quæ analogium Hiſpani-
co metallo fieri fecit fuſoria arte compactum, cui præminet deaurata aquila ſpan-
ſis alis. Turibulum denique aureum pulcherrimi operis, & copioſæ quantitatis.
Chorum etiam pſallentium tabulis Hiſpanici cupri circumdedit opere fuſili. Has
columnarum ſeiunxit interpoſitione celeberrimo ſcalpro comptarum. Fecit quo-
que X. & VIII. tholos eiuſdem metalli ſparſim eidem choro deſuper infixos. Pa-
rietémque poſt priorum dorſa tabulis fragineis compegit, porphiretico marmore
à foris indutis. Stationem quoque ſuæ Sedis eodem marmore decorauit. Intulit
etiam eidem Eccleſiæ ſanctæ portionem non modicam ſudarij Domini noſtri Ieſu
Chriſti, incluſitque illam aurea dextrâ, quam his verſibus depingi fecit extrin-
ſecus.

Gaudia læta
Fert manus iſta,
Sindone Chriſti
Plena refulgens.

Conſtituit denique vt ipſa dextera annuatim deportetur in circumitu caſtri ipſius
die Aſcenſionis Domini in feria V. vt hac benedictione fidelium populus munitus
cum gaudio remeet ad propria. Fecit & alia plura, quæ recenſere per ſingula ni-
mis longum nobis eſſe videtur.

VE-

A VERVM inſtante obitu memorati Regis Roberti, pluuiarum inundatione di- ROBERTVS.
uerſis in regionibus flumina ſuos prætericre terminos. Sed præ cæteris Liget ſuas
præterut metas, itaut villas penetraret, caſas euertetet, & ouilia eum ouibus rape-
ret, & ruticolarum nonnullos pueros interficeret. Cometes etiam ardens apparuit,
& ſequenti anno magno grandinum imbte Iulio menſe vineæ cum ſarionibus ſunt
protritæ. Per triennium denique eueſtigiò ſubſecuta eſt tam valida famés, vt mu-
res & canes ab hominibus vorarentur. Præcedenti tamen tempore, duobus Ptin-
cipibus Franciæ inter ſe diſſidentibus, ODONE videlicet Carnotenſium, & FVL-
CONE Andegauenſium, commiſſum eſt intet eos prælium in loco quod Pontile-
uium nuncupatur. In quo prælio Comes Fulco victoriam obtinuit.

[* ANNO Domini M. XXXI. obiit Robertus Rex, cui ſucceſſit filius eius *Sequentia ex alio Exēplari ſunt hic addita.*
Henricus. Huius tertio anno, hoc eſt anno Domini M. XXXIV. vrbs Pariſij fla-
gtauit incendio.]

HENRICVS igitut, defuncto patre Roberto, regnauit annis ferè XXX. Hu- HENRICVS I.
ius mater CONSTANTIA maximam regni portionem in ſuam poſt funus mariti
detorſerat dominationem. Siluanectenſem ſcilicet vrbem, atque Senonenſem.
Caſtellum etiam Biſtiſiacum, & Domnummartinum, Puteolúmque, & Meledu-
num, necnon & Piſſiacum, & Codiciacum. Multos etiam Ftanciæ & Burgundiæ
Proceres ſibi conciliauerat, quos à filij fidelitate mala fraude ſubduxerat. Intet
quos ptæcipuè ODONEM Campaniæ Comitem ſibi deuinxerat, cui medieta-
B tem Senonicæ ciuitatis donauetat. Verùm Rex Henricus cùm eſſet miles acerti-
mus, & matrem aduerſus eum calcitrantem cita deuicit fottunâ, & perfidorum ma-
chinamenta Procerum ſua peſſundedit prudentiâ. Siquidem prima congteſſio-
num ſuarum ptincipia cum matre conſetuit Conſtantia, & caſtrum adorſus Piſſia-
cum, mox illud ſuum tetotſit ad dominium. Demum verò Puteolum obſedit; atq;
recepit. Quod cernens Conſtantia, mox ab eo dextram expetiit, & deinceps quoad
vixit tempore ſibi fidelis extitit. Deinde Odónem aggreſſus Comitem Rex Hen-
ricus, Gornacum caſtrum illi abſtulit, & Senonicæ vrbis partem ad ſuum itetum
dominium teuocauit. Poſt hæc verò cum Marcione Flandrenſium Balduino Hu-
gonis Bardulfi caſtellum Meriſuillam euertir, Petuetam caſtrum biennali obſeſ-
ſione concluſum ſuam redegit in poteſtatem. Anno denique Incarnationis Do-
minicæ M. XXXVII. memoratus Princeps Campaniæ Comes videlicet Odo, 1037.
contra Alamannos & Lothatingos nimio faſtu ducens exercitum, magnum de ſe
eis præbuit triumphum. Nam commiſſo prælio cum potentiſſimo Alamannorum
Duce Gothelone, multa ſuorum amiſſa copiâ, terga vertit, & confoſſus occubuit.
Quo defuncto, Tetbaldus filius maior natu Carnotenſem vrbem & Turonenſem
ſibi vindicauit. Minor frater Tetbaudi nomine Stephanus Meldenſium & Tricaſ-
ſinorum ſottitus eſt ciuitates. Sed hi ambo contra Regem Henricum rebellare
cœpetunt. Rex autem primùm cum Stephano congreſſus, illum facilè ſuperauit
C atque fugauit, Comite Rodulfo retento. Medandicum * etiam poſt hæc deuicit *Metlandicum.
Galerannum, quem & exhereditauit, & tetram eius ſibi ſubiugauit. Demum au-
tem Gaufridum Comitem Andegauenſium contra Tetbaldum Comitem excita-
uit. Vnde eius nutu Comes Gaufridus vrbem obſidione cinxit Turonicam. Quod
audiens Tetbaldus, cum ſuis viribus eò tetendit. Sed Gaufridus ei obuiam proce-
dens, cum eo viriliter decertauit, eúmque ſuperauit, & cum ſeptingentis & ſexa-
ginta militibus cepit. A quo etiam eodem tempore Turonicam extorſit ciuitatem.
Denique Rex Henricus conſtruxit Eccleſiam prope mœnia Pariſiacæ vrbis in ho-
nore ſancti Martini. Comes etiam ſuprataxatus Gaufridus extruxit ſanctæ Trinita-
tis Cœnobium apud Vendocinum caſtrum.

ANNO denique Incarnationis Dominicæ M. XLVII. ſæpenominatus Rex 1047.
HENRICVS cum tribus tantùm milibus atmatorum commiſit bellum cum XXX.
milibus Normannorum, eóſq; ſupetauit, & venerabilem adoleſcentem VVILLEL-
MVM magni Normannoram Principis Roberti filium eis vi ſuperpoſuit, quem ex-
hereditare volebant. Hic Rex pacato ſibi Regno, vxorem duxit nomine ANNAM
filiam Georgij Sclaui Regis Rutiorum, ex qua genuit filios tres, Philippum, Ro-
bertum, Hugonem. Ex quibus Robertus puer mortuus eſt. Hugo verò factus iu-
uenis vxorem duxit filiam HERBERTI Comitis Vermandenſis, natam ex filia
Rodulphi Comitis, per quam obtinuit Comitatus duos, Vermandenſem, & Va-

HENRICVS I. denſem. Ex qua cùm genuiſſet filios & filias, diuino amore ſuccenſus, cum exercitu Gallorum & Germanorum Ieroſolymam profectus eſt, & in hoc itinere defunctus eſt. PHILIPPVS verò adhuc puer hoc ordine in Regem ſublimatus eſt. A

1059. PHILIPPVS I. ANNO ab Incarnatione Domini M. LIX. præfatus Rex Henricus ſenio ſe grauari conſpiciens, præfatum filium ſuum PHILIPPVM in die Pentecoſtes conſecrari fecit ante altare beatæ Mariæ à Geruaſio tunc Remenſi Archiepiſcopo, aſtantibus quamplurimis Franciæ, Burgundiæ, & Aquitaniæ Archiepiſcopis, & Epiſcopis viginti duobus. Affuit etiam Hugo Biſuntinus Archiepiſcopus Nicolai Papæ Legatus. Affuerunt Abbates quamplurimi, & Primates Regni: VVido Dux Aquitaniæ, Hugo filius Roberti Ducis Burgundiæ, cum multis aliis. Non multo pòſt, defuncto patre, puer poſitus eſt ſub cuſtodia Balduini Flandrenſis Comitis, qui eum fideliter & nobiliter educauit, & Regnum eius ſtrenuè rexit & defendit. Rex verò poſtquàm ad iuueniles annos peruenit, Regnum ſuum integrum recepit, & defuncto tutore ſuo Balduino Comite, conſilio Roberti Friſonis filiam Florencij Ducis Friſonum BERTAM in vxorem duxit, ex qua LVDOVICVM, & filiam nomine CONSTANCIAM genuit. Quæ cùm adulta eſſet vſque ad nubiles annos, nupſit Hugoni Trecaſſino Comiti. A quo poſtea diſiuncta propter conſanguinitatem, nupſit Buamundo Principi Barrienſi viro magnanimo & ſtrenuo. Defunctus eſt autem præfatus Rex Philippus anno ab Incarnatione Domini
1109. M. CIX. pridie Kal Auguſti apud caſtrum Militonenſe. Cuius corpus ſecundum diſpoſitionem patris LVDOVICVS deferri fecit ad Monaſterium Floriacenſe, & in Monaſterio ſancti Benedicti ſepulturæ mandari. Quo facto, Epiſcopi qui ad exequias Regis conuenerant, poſt exequias ſtatim Aurelianis conuenerunt, & propter perturbatores Regni ſalubri conſilio Ludouicum iuuenem religionis amatorem, moribus manſuetum, armis ſtrenuum, bello acerrimum, in die Inuentionis Prothomartyris in Regem vnxerunt ante altare ſanctæ Crucis, & coronam Regni capiti eius impoſuerunt Daimbertus Senonenſis Archiepiſcopus, Hiuo Carnotenſis Epiſcopus, Ioannes Aurelianenſis Epiſcopus, Hubertus Siluanectenſis Epiſcopus, prouocati plurimis exemplis aliorum Regum, qui diuerſis in locis propter imminentes turbas à diuerſis Epiſcopis conſecrati ſunt. B

A

FRAGMENTA
DIVERSORVM SCRIPTORVM;
DE GESTIS HVGONIS CAPETI, ROBERTI, HENRICI, ET PHILIPPI I. REGVM.

B

DE PIETATE HVGONIS DVCIS, POSTEA REGIS FRANCORVM.

Ex Libro IV. Miraculorum Sancti Richarij, quorum Scriptor eiuſdem Hugonis tempore vixit.

HACTENVS antiqui retinet quæ pagina Libri
Carmine prout valui cecini miracula Sancti. *Horum Miraculorum Codex MS. eſt in Bibl. Alex. Petauij Senatoris Pariſ.*
Hinc ea complectar proprius quæ vidit ocellus.
Ingenio validus, magnis opibus quoque fultus
ARNVLFVS patriam poſſedit Marchio noſtram,
Hanc etiam fraude, vt perplura ſolebat, adeptus.
Tranſtulit hic Sanctum cupiens tam nobile lucrum *HVGO DVX.*
Cum quiſdam Sanctis propriæ regionis habere.
Hic iam longæuus deponens tegmina carnis,
Filius vt nati iuſſit fieret ſuus heres,
C Præſentabat auum proprio qui nomine tantum.
Poſt Regem primus tunc Regni iura regebat,
Vir humilis cunctis, cunctis pius atque benignus,
Filius HVGONIS MAGNI Dux inclytus HVGO,
Poſtea Regali qui ſublimatus honore,
Rexit FRANCORVM miro moderamine Regnum.
Hic grauiter tolerans fraudem ſuprà memoratam,
Reſtituit patriæ quæcumque erepta fuêre.
Vtque magis celebris fieret regreſſio Sancti,
Præcipit immenſam populi glomerare cateruam.
Nec ſolùm noſtræ conuenit concio terræ,
Quinetiam ex multis facta eſt collectio Francis.
Relliquias Sancti poſthæc mandar ſibi reddi.
Accipiens cuius præcepta puer memoratus
Efficitur mœſtus, tanto precio cariturus.
Sed reputans, ſi deſpiciat, non eſſe ſalubre,
Reddidit inuitus. veritus me forrè coactus.
Iam tandem præclara dies illuxerat Orbi,

HVGO. DVX.

Qua debet fieri tam grata receptio Sanɔti. A
Procedunt partes, gaudentes & lacrimantes.
Námque illi tradunt quod ſemper habere volebant,
Iſti ſuſcipiunt, ſine quo nec viuere curant.
Poſtea primores populi iurare rogantur,
Quicquam vt non deſit penitus de corpore Sanɔti.
Quo facto, noſtri feſtinauêre reuerti.
O memoranda dies! ô lux potiùs colenda!
Fines dignatur patrios qua viſere Sanɔtus.
Huius lætitiam vix enarrare diei
Sufficiet quiſquam, quiſquam vix gaudia tanta,
Aduentus Sanɔti quæ concutiebat vbique.
Ad quaſcunque etenim venit proceſſio villas,
Obuia cunɔtorum procedit turba colonûm,
Ac præ lætitia gemitus ad ſidera iaɔtant.
Ante ſed ad Templum quantum eſt ſpacium prope leugæ
Quàm perueniſſet, Dux iam præfatus equino
Deſcendens dorſo, nudis incedere plantis
Incipit, & propriis ſcapulis portare feretrum,
Et ſecum plures; qui viſi nobiliores: B
Illud támque diu portat lacrimis madefaɔtus,
Altari donec gaudens proprio impoſuiſſet.
Sed iam diuina quid ſit virtute peraɔtum
Perpendat Leɔtor, Sanɔti meritis ſociatis.
Hæc quam prædixi faɔta eſt regreſſio Sanɔti
Tempore quo plenis campus flaueſcit ariſtis.
Sed tot militibus quæ ſufficerent, quia teɔta
Non fuerant, cultos ſeſe ſparſêre per agros.
Dicere quis poterit fuerit quàm diruta meſſis
Penè omnis, pedibus dum conculcatur equorum
Pars quædam, quædam dum pars depaſcitur ore.
Vſta eſt pars etiam ſtabilita ardente culina
Partibus in multis, coɔta radicitus herba.
Tandem diſcedunt nuda tellure reliɔta.
Mira loquor. paucis tranſaɔtis fermè diebus
Ecce incredibilis cœpit ſuccreſcere meſſis
Fruɔtifera, ac demum cùm tempus & hora metendi
Inſtaret, totos videas flaueſcere campos,
Ac ſi nil damni regio perpeſſa fuiſſet.
Hæc cernens meritis patrata fuiſſe Richarij, C
Ad laudes Domini populus ſe contulit omnis.

A

HISTORIA DEPOSITIONIS ARNVLFI REMENSIS ARCHIEPISCOPI,

Ob ipſius à fidelitate Regum HVGONIS & ROBERTI defectum.

Ex Synodo habita Durocortori Remorum ſub iiſdem Regibus.

ANNO ab Incarnatione Domini noſtri Ieſu Chriſti DCCCCXCI. 991.
Indictione quarta, anno v. Regni domni HVGONIS Auguſti, &
excellentiſſimi Regis ROBERTI, congregata eſt Synodus in Re-
menſi territorio. Actum eſt autem magna induſtria Principum, vt
quia omnes Galliarum Epiſcopi eò conuenire non poterant, pro-
pter quaſdam Regni neceſſitudines: ij maximè conuenirent, qui comprouinciales
eſſent. Deinde ex vicinis Prouinciis fama & dignitate honeſtiores, & qui lega-
tione ſuarum Prouinciarum digni viderentur, ſuorúmque fratrum abſentiam ſua
B præſentia ſuſtinere poſſent.

IGITVR XV. Kalend. Iul. collecti ſunt in Baſilica domni Baſoli Confeſſoris; CAP. I.
Remorum quidem Diœceſanei: Guido Sueſſionicæ vrbis Epiſcopus, Adalbero
Laudunenſis, Herueus Beluacenſis, Goteſmannus Ambianenſis, Ratbodus No-
uiomenſis, Odo Siluanectenſis. Ex Prouincia Bituricenſium, quæ Aquitanorum
eſſe putatur, Daibertus Archiepiſcopus. Ex Prouincia Lugdunenſium prima
Gualterus Epiſcopus Auguſtidunenſis, Bruno Lingonenſis, Milo Matiſconenſis.
Ex Prouincia Senonenſium, quæ eſt prima Sequanorum Metropolis, Remenſi-
que Prouinciæ contigua, Siguinus Archiepiſcopus, Arnulfus Aurelianenſis, Her-
bertus Autiſiodorenſis. Præterea diuerſarum vrbium Abbates quam plurimi ade-
rant: qui poſt ſolitariam Epiſcoporum diſputationem, reſidere iuſſi ſunt. Habitá-
que ratione totius ſummæ Synodi, dignitas Prælaturæ ac poteſtas quaſi Iudiciaria
ſtetit penes Archiepiſcopum Siguinum, quem & ætas & vitæ meritum ac ſcientia
commendabat. Arnulfus autem venerabilis Epiſcopus, ordinis cuſtos, ac omnium
gerendorum interpres declaratus eſt, eò quòd inter omnes Galliarum Epiſcopos
ſapientiâ & eloquentia clarior haberetur. Hunc poſt expoſitam allegationem eo-
rum Sacerdotum, qui minimè adeſſe poterant, poſt totius Cleri ingreſſum, qui-
buſdam ſententiis pertractatis, hoc modo prælocutum accepimus.

ITA quidem eſt, vt dicitis, reuerendiſſimi Patres: nullus tumultus, nullus « II.
accuſator improbus, nullus iudex iniquus, hoc ſanctum Concilium agitare debet. «
C Seruetur vnicuique perſonæ ſuus locus, debita reuerentia: nullúſque aut ſe aut «
alium præiudicio grauari putet, cùm ſit libera facultas & proponendi, & ſciſcitan- «
di, & reſpondendi. Conſultationes autem, ſiue deliberationes, ſic in medio lo- «
centur, vt nemo cauſetur imponi ſibi quod nolit, aut eripi quod velit. Sanè quia «
me priorem dicere voluiſtis, dicam quod ſentio in præſentia veſtra, & Cleri nuper «
admiſſi: idq; paulò altius repetam, vt res benè digeſta meliùs innoteſcat. Ego quip- «
pe cùm inter varios tumultus bellorum pro pace Eccleſiæ, cui authore Deo deſer- «
uio, totis viribus elaborarem: noui nuncij fama, inauditi ſceleris rumore, ſic ſubitò «
turbatus ſum, vt etiam in vilibus rebus lingua balbutiret, intellectus hebeſceret. «
Ferebatur quippe illa nobilis vrbs Remorum dolo proditionis hoſtibus paruiſſe, «
prædæ ac direptioni ceſſiſſe, Sancta Sanctorum armata militum acie polluta fuiſſe. «
Horum omnium malorum incentor, auctor, quod ſine magno dolore animi refer- «
re nequeo, is qui tutari debuerat, Arnulfus Epiſcopus nunciabatur. Sacerdotalis «
dignitas huius cauſa impetebatur: vixque erat qui noſtro ordini non inſultaret. «
Nunc quia religionis amore, & ſtudio ſereniſſimi Regis noſtri domni HVGONIS «
congregati ſumus, quærendum eſt, quomodo tanta infamia carere poſſimus, & ſi «
frater & Coëpiſcopus noſter Arnulfus illata crimina diluere queat, vel crimen Re- «
giæ Maieſtatis propulſare. Scitis enim, omnes nos inſimulari probro infidelitatis «
& perfidiæ cauſâ vnius. Si, inquiunt, iuſtis Epiſcopi vtuntur legibus, fidiſſimique «

Hvgo et Robertvs.

» ſuis Regibus ſunt, cur hominem impuriſſimum ſuis legibus non puniunt? Nimitum A
» aliorum flagitia ideo moliuntur celare, vt impunè liceat eis peccare. Abſit hoc ab
» veſtro ſanctiſſimo cœtu, abſit vt contra diuinas & humanas leges quenquam mo-
» liamur defendere vel damnare. Dicant tantùm qui nóuerunt ſeriem geſtorum:
» iique ſuos exponant caſus, qui graues (vt ipſi aſſerunt) iniurias pertulerunt. Tùm,
» ſi qua contradictio fuerit oborta, diſcuſſis partibus ex authoritate Canonum iudi-
» cium promulgetur.

III. » Tvm Siguinus: Non patiar, inquit, diſcuſſionem fieri eius qui dicitur eſſe Ma-
» ieſtaris obnoxius, niſi fortè conuicto ſupplicij indulgentia promittatur. Simúlque
trigeſimum primum caput Tolerani Concilij prolatum eſt ex eadem re.

Sæpe Principes contra quoſlibet Maieſtatis obnoxios Sacerdotibus negotia
ſua committunt: & quia Sacerdotes à Chriſto ad miniſterium ſalutis electi ſunt, ibi
conſentiant Regibus fieri iudices, vbi iureiurando ſupplicij indulgentia promitte-
tur: non vbi diſcriminis ſententia præparatur. Si quis etiam Sacerdotum contra
hoc commune conſultum diſcuſſor in alienis periculis extiterit, ſit reus effuſi ſan-
guinis ad Chriſtum: & apud Eccleſiam perdat proprium gradum.

IV. » Gratissimvm verò eſt, ait Daibertus, ideo te iudicem præbere in alienis
» negotiis, vt cùm reum conuincis, tu concidas: cùm diiudicas, tu damnatus abeas.
» Si hoc, inquit Herueus Epiſcopus, periculoſum eſt, videte ne ſit periculoſius, iu-
» dicia Eccleſiaſtica deinceps à ſecularibus non expectari. Conſequens enim eſt, ad
» forenſia iura nos pertrahi, ſi diuinis legibus in aliquo videbimur obniti. At quo- B
» modo ſine iudicio relinquetur, quod commiſſum eſſe conſtiterit? vel cur contra
» Principem noſtrum cauſabimur, ſi quod attingere non andebimus, iudiciaria po-
» teſtate conceditur?

V. » Brvno Epiſcopus dixit: Nullum certè veſtrum æquè turbat tanti diſcrimi-
» nis examen, ac me. Ego quippe ſolus ob hunc infeliciſſimum per ora omnium voli-
» to. Ego cum in has miſerias præcipitaſſe videor, qui contra omnium bonorum
» vota memetipſum in pignus obſidis dedi, pro ſpe conſeruandæ fidei. Tanti erant
» apud me Regis Lotharii merita, tantúmque me carnis affinitas permouebat.
» Et cùm ſcirem hunc Laudunenſis vrbis peruaſorem, totiúſque tyrannicæ factionis
» fuiſſe Principem: ſub obtentu tamen huius honoris, ad meliorem ſtatum vitæ at-
» trahere niſus ſum: vt qui diſcordiarum & bellorum incentor extiterat, pacis &
» charitatis ipſe iaceret fundamenta. Attendite pacis principia: attendite hominem
» mala pro bonis reddentem. Homines mihi percharos, & ad vſum vitæ multum
» neceſſarios: id eſt, vnicum fratrem meum Comitem Giſlebertum, meúmque con-
» ſobrinum Comitem Guidonem, cum ceteris, quorum amicitia gloriabar, ſua ſimu-
» lata captiuitate veræ captiuitati contradidit. Me pacis ſponſorem in mortis diſcri-
» mine dereliquit: &, ô impudens audacia hominis! qui mei, imò ſui & totius Ec-
» cleſiæ homicida, adhuc improba fronte negat, quod negari non poteſt. Certè ex
» his quæ confitetur, eliciemus ea quæ propalare erubeſcit. Certè in præſentia Re- C
» gum, in præſentia Epiſcoporum, ante ora Cleri & populi, ſacramento volens ob-
» ligatus eſt, ſe Principibus ſuis adiumento futurum conſilio & auxilio ſecundum
» ſuum ſcire & poſſe, contra Carolvm: itémque inimicis dominorum ſuorum,
» nec conſilium nec auxilium ſe laturum ſcienter ad eorum infidelitatem: neque
» pro præterito aut futuro ſacramento ſe præſens relicturum. An non erat inimicus
» Carolus, qui Regnum peruadere nitebatur? an non inimici Rotgerius & Manaſ-
» ſes, qui Clerum & populum eius in Eccleſia ipſius, armata militum manu cepe-
» rant? Hos ipſe conſecretales & primos amicorum eſſe fecerat: hos eorum bonis
» ditauerat, qui ſe elegerant, qui ſibi Principatum contulerant, quibus ſine periu-
» rio auferre nihil poterat, quos neceſſariò iuuare debebat, niſi in ſe peccarent: At
» quid peccauerunt? fidémne promiſſam ſeruare quid ſibi perſuadere niſi ſunt?
» Ignoſcite, fratres, ſi dolor nimius de grauitate Sacerdotali aliquid derogauit: etſi
» orationem finire non finit, quam veſtra intelligentia ex præcedentibus ad plenum
» comprehendit.

VI. » Hic Godeſmannus Ambianenſis Eccleſiæ Epiſcopus ſubintulit: Multa vene-
» rabilis Pater Bruno proſecutus eſt, quæ quantò magis fidem dubiis faciunt, tantò
» magis reum Maieſtatis arguunt, ac Sacerdotio indignum reuincunt. Sed quia
» paulò antè de periculoſa diſcuſſione ſermo habitus eſt, velim noſſe, quid Pater

A Bruno inde ſentiat. Non eſt enim æquum, nos fieri authores effundendi ſangui- Hvgo et Robertvs.
nis, qui debemus eſſe authores ſalutis. Et ille: Sentio, inquit, reuerendi Patres,
& hoc vos intelligere quod dicitis, & alterum pudori eſſe quod tacetis. Nam mo-
uent vos diuinæ leges, mouet etiam homo affinitate carnis mihi coniunctiſſimus,
vtpote auunculi mei Regis Lotharij filius. Habeo & rependo charitati veſtræ mul-
tiplices grates. Sed abſit hoc à me, vt amori Chriſti amorem ſanguinis præferam:
aut vt meo ſanguine (quantum in me eſt) Eccleſia Dei polluatur. Ergo agite: diſ-
cuſſionem ſimul & iudicium aggrediamur. Nec ſanguinis effuſionem perhorreſci-
te, cùm apud beneuolentiam Principum iuſtè perita obtinere non difficile ſit. Cùm
hoc maximè ſit pertimeſcendum, ne dum fortè vni perſonæ parcere volumus, ſi-
cut frater & Coëpiſcopus noſter Herueus paulò antè retulit, & eam, & omnem
Eccleſiaſticum Ordinem ſub periculo ſanguinis relinquamus. Itaque is Preſbyter,
qui vrbis portas aperuit, intromittatur, ſi placet: atque geſtorum ordinem pandat.
Ab vniuerſis dictum eſt: Placet.

Qvoniam, inquit Ratbodus Nouiomenſis Eccleſiæ Epiſcopus, à multis no- VII.
ſtrorum fratrum audio dici, libellum fidelitatis ſub ſpecie chirographi editum ab
Arnulpho, ad damnationem eius poſſe ſufficere: quoniámque Lothirienſium
quoſdam contra hanc Scripturam fama eſt diſputare: interim de hac re iudicium
tantorum fratrum experiri velim, quidque de eo ſentiendum ſit, agnoſcere. Sy-
nodus dixit: Proferatur in medium. Prolatus eſt itaque libellus chirographi, ad
B hunc modum.

Ego Arnulfus gratia Dei præueniente Remorum Archiepiſcopus, promitto VIII.
Regibus Francorum Hvgoni & Rotberto, me fidem puriſſimam ſerua-
turum, conſilium & auxilium, ſecundum meum ſcire & noſſe, in omnibus nego-
tiis præbiturum: inimicos eorum nec conſilio nec auxilio ad eorum infidelitatem
ſcienter adiuturum. Hæc in conſpectu diuinæ Maieſtatis, & beatorum Spirituum,
& totius Eccleſiæ aſſiſtens, promitto, pro benè ſeruatis laturus præmia æternæ be-
nedictionis. Si verò, quod nolo, & quod abſit, ab his deuiauero, omnis benedictio
mea conuertatur in maledictionem, & fiant dies mei pauci, & Epiſcopatum meum
accipiat alter. Recedant à me amici mei, ſintque perpetuò inimici. Huic ego
chirographo à me edito, in teſtimonium benedictionis vel maledictionis meæ, ſub-
ſcribo, fratréſque & filios meos vt ſubſcribant rogo. Ego Arnulfus Archiepiſco-
pus ſubſcripſi.

Qvo perlecto, Arnulfus Aurelianenſis Eccleſiæ venerabilis Epiſcopus ſub- IX.
iunxit: Habet, inquam, hæc Scriptura maximam vim reprehenſionis: habet etiam
ſubtiles defenſionis vires, habita ratione perſonarum. Nam eius author Arnulfus
deteſtabilis eſt, eò quòd ob immenſum ambitum affectati honoris, inauditum ſe-
culo priùs monimentum ſui deteſtabile reliquit. Qui verò commentati ſunt, rem
vtilem ac neceſſariam feciſſe viſi ſunt: vt ſi aliquando fidem promiſſam pernegare
C vellet, Scriptura contra ſe teſtis exiſteret: & ſi deniaret ipſe, contra ſuam profeſ-
ſionem & ſubſcriptionem veniens, honore ſe priuaret. Et ne fortè peccans nomi-
ne ſummi Pontificis diutiùs defenderetur, ipſe ſummus Pontifex ſententiam ſuæ
damnationis in ſe dixiſſe viſus eſt. Sed quia Preſbyter adeſt, finem dicendi faciam,
vt ipſi locus pateat. Interim tamen dum Preſbytero ſtandi locus eligitur, ſignifica-
bat ſibi aſſidentibus, quendam Epiſcopum ex hæreſi ad fidem Catholicam conuer-
ſum, beato Gregorio ſimilem libellum porrexiſſe. Sed hoc intereſſe, quòd hic Ar-
nulfus malarum cauſarum rationibus permotus ſit, id eſt, perfidiâ & cupiditate: il-
le autem optimarum, id eſt, fide Catholica & amore habendi Deum. Erat verò ibi
ita ſcriptum inter cetera.

Et ideò, poſtquam comperto diuiſionis laqueo, quo tenebar, diutina mecum X.
deliberatione pertractans, prona & ſpontanea voluntate ad vnitatem Sedis Apoſto-
licæ diuina gratiâ duce reuerſus ſum: ne non pura mente, ſed ſimulatè reuerſus
exiſtimer, ſpondeo ſub ordinis mei caſu, & anathematis obligatione, atque pro-
mitto tibi, & per te ſancto Petro Apoſtolorum Principi, atque eius Vicario beatiſ-
ſimo Gregorio, vel ſucceſſoribus ipſius, me nunquam quorumlibet ſuaſionibus,
vel quocunque alio modo, ad ſchiſma, de quo Redemptoris noſtri miſericordia li-
berante ereptus ſum, reuerſurum: ſed ſemper me in vnitate ſanctæ Eccleſiæ Ca-
tholicæ, & communione Romani Pontificis per omnia permanere. Vnde iuratus

Hvgo et Robertvs.

» dico per Deum omnipotentem, & hæc ſancta quatuor Euangelia, quæ in meis ma- A
» nibus teneo, & ſalutem geniúmque Mauricij atque Theodoſij dominorum noſtro-
» rum, Reip. Gubernatores, me in vnitate (ſicut dixi) Eccleſiæ, ad quam Deo pro-
» pitio ſum reuerſus, & communione Romani Pontificis, ſemper & ſine dubio per-
» manere. Quod ſi (quod abſit) aliqua excuſatione vel argumento ab hac me vnita-
» te diuiſero, periurij reatum incurrens, æternæ pœnæ obligatus inueniar, & cum
» auctore ſchiſmatis habeam in futuro ſeculo portionem.

XI. » Adalgervs: Scio me, inquit, non magnam habiturum expectationem in
» dicendo, reuerendiſſimi Patres: cùm omnia quæ pro defenſione mea dicturus ſum,
» contra me fortaſsè videantur. Hoc enim & in initio intellexi, cùm Dudo Karo-
» li miles, vt huius proditionis auctor exiſterem, machinatus eſt. Cui cùm reſ-
» ponderem, cur ex tanta maſſa hominum ego Clericus & Sacerdos potiſſimùm eli-
» gerer, vt Seniorem & Epiſcopum meum traderem ob cauſam Caroli, ad quem ni-
» hil attinebam: Primum, ſocordiam & fatuitatem hominum me ſcire dicebat:
» meum autem ingenium, prudentiam, animi magnitudinem, meris laudibus ex-
» tollebat: deniqueipſum meum Seniorem hoc ita velle, ſibique ita præcepiſſe. Cui
» cùm fidem quaſi ſpopondiſſem, non tamen ſatis tutum fore hoc mecum reputa-
» bam, niſi ex ipſius Senioris ore non benè credita per memetipſum ſine interprete
» recognoſcerem. Eius amor, eius imperium, me in has præcipitauit miſerias. Quæ-
» rebam tamen ex eo, cuiuſnam fretus auxilio imperata perficerem, & ſi ſibi perti- B
» meſcendum foret. Qui cùm Karolum ſibi patruum eſſe dixiſſet, Manaſſem quo-
» que & Rotgerium ſacramenta quæ voluerit præſtitiſſe: auunculum ſuum Rotber-
» tum, Karoli ſeruum, comitem fideliſſimum fore deſignauit, cum aliis quibuſdam.
» Et vt hoc factum ſub ſpecie honeſti tegeretur, manus & ſacramenta ſimul Karolo
» præbui. Sed iuſſu ipſius, claues vrbis accepi: ſed à manu ipſius portas aperui, ſed
» illius præcepto. Hæc ſi quiſquam veſtrum aliter eſſe putat, méque indignum cui
» credatur: credat igni, feruenti aquæ, candenti ferro. Faciant fidem tormenta,
» quibus non ſufficiunt mea verba. Ipſi hoſtes mei, quibus nuper inuiſus eſſe cœpi,
» teſtimonio erunt, cùm ſuo me beneficio viuere comprobabunt: quando veſtrum
» anathema perhorreſcens, eorum tunc miſeratione, gladios Richardi fratris Epi-
» ſcopi vix euaſi, hanc meam confeſſionem expaueſcentis.

XII. » Ad hæc Odo Epiſcopus Siluanectenſis: Benè nunc (inquit) anathema in me-
» moriam redit. Paret enim Arnulfus hunc noſtrum Arnulfum in chirographo ſe
» damnaſſe dicit. Nos autem quoddam ſcriptum ab eo in tempore ipſo accepimus,
» per manus Guidonis venerabilis Epiſcopi, in quo & confeſſio ſui facti, & damna-
» tio ipſius contineri videbatur. quod in præſenti iubeat recitare Sanctitas veſtra. Sy-
» nodus dixit: Recitetur. Recitatum itaque eſt in hunc modum: Arnulfus gratiâ
» Dei Archiepiſcopus commonitorium prædonibus Remorum. Quid tibi vis præ-
» donum Remenſium ſcelerata manus? nihilne te mouent pupilli & viduæ lachri-
» mæ, nec aduocatus eorum? Velis, nolis, Dominus tuus, ipſe teſtis & iudex, & C
» grauis vltor, cuius iudicium non effugies. Vide quid ante oculos ipſius ege-
» ris. Sanctam pudicitiam virginum non erubuiſti, matronas etiam Barbaris ve-
» rendas nudas reliquiſti: orphanum & pupillum non reſpexiſti. Paruum tibi hoc:
» acceſſiſti ad Templum Matris Dei, cunctis mortalibus reuerendum: eius atrium
» perfregiſti, polluiſti, violaſti. Quod oculi ibi viderunt, concupiuiſti: quod ma-
» nus attrectare potuerunt, rapuiſti. Et nos quidem, contra diuinum ac humanum
» ius miſericordia abutentes, quod cibi & potus abſtuliſti, non indulgemus: ſed pro-
» pter impia tempora non exigimus. Exigimus autem reliqua omnia, quæ pollutis
» manibus peruaſiſti, ac retines. Redde ergo, aut ſententiam damnationis in per-
» uaſores rerum Eccleſiaſticarum, à ſacris Canonibus promulgatam, eam in te latam,
» multoriéſque ferendam, excipe.

Anathema in prædones.

Avctoritate omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, interueniente & adiuuante beata Maria ſemper Virgine, auctoritate quoque ac poteſtate Apoſtolis tradita, nobiſque relicta, excommunicamus, anathematizamus, maledicimus, damnamus, & à liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ ſeparamus, vos Remenſium prædonum auctores, factores, cooperatores, fautores, & à propriis

A dominis rerum ſuarum ſub nomine emptionis abalienatores. Obrenebreſcant oculi veſtri, qui concupiuerunt: areſcant manus, quæ rapuerunt: [debilitentur omnia membra, quæ adiuuerunt.] Semper laboretis, nec requiem inueniatis, fructúque laboris veri priuemini. Formidetis, & paueatis à facie perſequentis, & non perſequentis hoſtis, vt tabeſcendo deficiatis. Sit portio veſtra cum Iuda traditore Domini, in terra mortis & tenebrarum, donec corda veſtra ad ſatisfactionem plenam conuertantur. Hic autem ſit modus plenæ ſatisfactionis, vt omnia iniuſtè ablata, præter cibum & potum, propriis dominis ex integro reſtituatis, corámque Remenſi Eccleſia pœnitendo humiliemini, qui ſanctam Remenſem Eccleſiam reueriti non eſtis. Ne ceſſent à vobis hæ maledictiones, ſcelerum veſtrorum perſecutrices, quandiu permanebitis in peccato peruaſionis. Amen: fiat, fiat.

Qvo perlecto, Gualterius Auguſtidunenſis Eccleſiæ Epiſcopus: Quidnam, « XIII.
inquit, hoc portentum eſt? Satiſne ſanæ mentis eſt hic Epiſcopus, qui pro iactura « viliſſimæ ſupellectilis reos damnat, ſuper ſui autem & Cleri & populi captiuitate « tacet? Pro pauperum tuguriis fortè magis carie quàm vi ruentibus, anathematizat: & pro Templo Dei per Orbem terrarum famoſiſſimo nihil dicit? Nempe, omnis terrena creatura, homine vilior eſt: & omne manufactum ædificium, Templo « Dei vilius. Sed fortè quia Apoſtolus dicit, *Si eſurierit inimicus tuus, ciba illum: ſi ſitit, potum da illi:* tanquam pietate vſus, prædonibus cibum & potum indulget: « B attamen ab auro & argento deterret. Quid hoc ad pauperes Chriſti? Certè ij aurum & argentum non perdiderunt, quia non habuerunt: ſed cibum & potum, « quem ad vſum vitæ non ſine magno labore conquiſiuerunt. Ecce audiſtis, fratres, « argumentum perditi hominis, pauperum necatoris, prædonum nutritoris. Intellexiſtis quia ad hoc voluit capi, vt ſua ſimulata captiuitas veram nobilium efficeret « captiuitatem. Ideo ſacrilegos à communione non arcet, quia ſe auctorem ſacrilegij eſſe cognoſcit. Nec ſic tamen euadit, dum auctores, inuentores, factores, cooperatores, fautoréſque ſimul permiſcet. Ipſe enim auctor, cuius conſilio & imperio proditio facta eſt. Ipſe factor & cooperator, vt per quendam Sapientem dicitur: *Comites illi tui, manus erant tua.* Ipſe fautor, qui vſque in præſens tacendo conſenſit: &, vt fama eſt, magnis inſuper beneficiis cumulatur. Tendit materia hæc « in immenſum: ſed contraho ſermonem qua poſſum breuitate, ne videar quaſi criminales dictare. «

Gvido Epiſcopus: Si in propriis conſcriptionibus, vbi cauere ſibi potuit Ar- « XIV.
nulfus, ita læſus eſt; quomodo in proxima Synodo Siluanectis habita, damnatus « non eſt? Conueneramus quippe in vnum nos omnes, qui hîc adſumus Remorum « Diœceſanei, conqueſtum ſanctam Remenſem Eccleſiam noſtratum omnium matrem deſolatum iri. Metropolitanus noſter cum Clero & populo teneri ab hoſtibus prædicabatur. Rumor tamen ab eo factæ proditionis frequens erat. Itaque « noſtrorum Comprouincialium communi conſultu ſtatuimus anathema in reos, « C quod nullus aliquomodo ſe occultans ſubterfugere poſſet. Eius exemplar (ſi placet) proferatur. Prolatatúmque eſt in hunc modum. «

Oratio inuectiua Epiſcoporum Remenſis Diœceſeos, vice Decreti habita Siluanectis.

Qvovsqve ſe extendet effrenata licentia veſtra, alterius proditoris Iudæ ſatellites? Ad quem finem ſcelerum progredietur incœpta audacia veſtri ducis, ducis dicimus Adalgeri Preſbyteri, qui nomen Sacerdotalis dignitatis ſuo nomine « polluit? Te igitur interpellamus funeſte Preſbyter. Quid tibi viſum eſt, poſt illa « cruenta arma, quibus te Lauduni exercuiſti, vt iterum vilis apoſtata factus, Arnulfum Remorum Archiepiſcopum traderes, cùm antè velut fidiſſimus cuſtos cubares, conuiua aſſiduus eſſes, conſilia diſponeres, Sacroſancta adminiſtrares? Num « rigorem Eccleſiaſticæ ſeueritatis, vel iudicium omnipotentis Dei effugere te putaſti? Vrbis portas aperuiſti, hoſtes introduxiſti: venerabile Templum Matris « Dei, atque ipſis barbaris reuerendum, velut hoſtium caſtra oppugnaſti. Num etiam « vos, prædonum maxima portio, qui Eccleſiæ ingentibus beneficiis eratis obligati: « qui dicitis, *Hæreditate poſſideamus Sanctuarium Dei:* qui ſigna militaria, loricati & « galeati, cum ſcutis & lanceis ante aram beatæ Dei Genitricis intuliſtis: qui pollutis « manibus Paſtorem cum Clero & populo intra Sancta Sanctorum comprehendi- «

HVGO ET ROBERTVS. » ſtis, cuſtodiæ diſtribuiſtis, carceri mancipaſtis, & adhuc retinetis: num, inquam, vos diuina iura effugietis? Vos quoque, quorum dolo & fraude, conſilio & auxilio tantum ſcelus factum eſt, cum his, qui Principes tanti facinoris fuerunt, conſociandi eſtis, vt pœnam peccati ſimul feratis, qui cauſa peccati ſimul conſpiraſtis, bonáque ciuium Remenſium, prædones impiiſſimi, velut ſub haſta diſtraxiſtis. Nec etiam vos abeſſe debetis, qui in Adalberonem Laudunenſem Epiſcopum non minùs leuia perfeciſtis. Et, vt pullulantem hereſim reſcindamus, quæ dictitat omnia licere Karolo, etiam in ſacris locis: Remenſem ſimul ac Laudunenſem Eccleſiam, vtramque ſacrilegio (quamuis diſſimili) pollutam, à ſacris remouemus Officiis, donec legitimè reconcilietur vtraque. Et ne quis nos talibus monſtris hominum fauere, talibus negotiis aſſenſum præbituros putet: ſed pro fide qua viuimus, omnibus expoſitos periculis, ſententiam noſtram ita confirmamus, ſtabilimus, corroboramus. A

Anathema in reos.

AVCTORITATE omnipotentis Dei, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, interueniente & adiuuante beata Maria ſemper Virgine, cum omnibus Sanctis: auctoritate quoque ac poteſtate Apoſtolis tradita, nobiſque relicta, excommunicamus, anathematizamus, damnamus, & à liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ ſeparamus, Adalgerum Presbyterum, diaboli membrum, Epiſcopi, Cleri, & totius populi Remenſis traditorem: eos quoque qui huius traditionis extiterunt inuentores, auctores, factores, fautores, cooperatores, ciuiúmque depopulatores, & à propriis dominis rerum ſuarum ſub nomine emptionis abalienatores. His adiungimus Laudunenſis Epiſcopij peruaſores, ac ipſius Epiſcopi grauiſſimos tortores. Fiat illis ſicut Scriptura dicit: *Qui dixerunt, hereditate poſſideamus Sanctuarium Dei, Deus meus, pone illos vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti. Sicut ignis qui comburit ſyluam, & ſicut flamma comburens montes: ita perſequeris eos in tempeſtate tua, & in ira tua turbabis eos. Imple facies eorum ignominiâ, & quærent nomen tuum Domine. Erubeſcant, & conturbentur in ſeculum ſeculi, & confundantur & pereant, & cognoſcant, quia nomen tibi Dominus, tu ſolus altiſſimus in omni terra.* Et quia pupillum & viduam non miſerati ſunt, neque Templa Dei veriti, dominiúmque Eccleſiarum ſibi vſurpauerunt, fiant filij eorum orphani, & vxores viduæ. Scrutetur fœnerator omnem ſubſtantiam eorum, & diripiant alieni labores illorum. Nutantes transferantur filij eorum & mendicent, eiiciantur de habitationibus ſuis. Fiant dies eorum pauci, & principatum eorum accipiat alius. Et duplici contritione contere eos, Domine Deus noſter: niſi reſipiſcant, & Eccleſiæ Catholicæ fructuoſa pœnitentia ſatisfaciant. Amen; fiat, fiat. B

XVII. » ARNVLPHVS Epiſcopus dixit: Quamuis hæc ita ſe habeant, reuerendiſſimi Patres, certúmque ſit hunc Arnulphum omnium Patrum concordibus damnari ſententiis: tamen ne in inuidiam adducamur, admoneantur ſi qui ſunt ſtudioſi eius defenſionis, habeátque locum contradicendi, ſuúmque Arnulphum quomodolibet defenſandi. Sitque hoc noſtrum edictum ſub diſciplina Eccleſiaſtica, ita vt nullus deinceps excuſandi pateat locus. Excuſet nunc, qui eum iuſtas putat habere cauſas. Hic Clerus ipſius adeſt, hic Abbates ſcientia & eloquentia non ignobiles: erigant iacentem, attollant humiliatum: & ſi iniuſtè deiectum exiſtimant, quâ iuſtitiâ reformari debeat edoceant. Non enim in ruina fratris & conſacerdotis noſtri lætari nobis fas eſt, nec quiſquam in iniuriam ſui ducet, ſi ea quæ contra Arnulphum dicta vel facta ſunt, veracibus cognouerit refelli aſſertionibus. C

XVIII. » SIGVINVS Archiepiſcopus dixit: Sicut frater & Coëpiſcopus noſter venerabilis Arnulphus perorauit, auctoritate Dei Patris omnipotentis, & Filij, & Spiritus ſancti, adiuuante beata Maria ſemper Virgine, cum omnibus Sanctis, auctoritate quoque huius ſacri Conuentus præcipimus, vt nemo in hac Synodo ſilentio tegat, quæ pro defenſione Arnulphi putauerit eſſe idonea; vel ſi ea, quæ circa ipſum dicta ſunt, reprehenſione digna exiſtimat.

XIX. HIC cùm ab vniuerſis Patribus pronunciatum eſſet, Placet, placet hoc edictum Patris Siguini; ſtupor ſe quamplurimis infudit, qui pertinaci Epiſcoporum ſententiâ Arnulphum damnandum fore putabant, quoſdam autem ſpes defendendi in magnam alacritatem perduxit. Et ſuæ quidem Eccleſiæ filij accuſare nolebant, pu-

A dore permoti: defendere autem minimè præſumebant, conſcientiâ ſimul & ana- HVGO ET ROBERTVS.
themate deuincti. Sed aderant acerrimi defenſores, ſcientiâ & eloquentiâ inſi-
gnes, Ioannes Scolaſticus Autiſſiodorenſis, Romulfus Abbas Senonenſis, Abbo
Rector Cœnobij Floriacenſis, ignorantiâ præteritorum geſtorum preſſi, & anathe-
mare ad dicendum prouocati. Facto itaque ſilentio, diuerſarum partium multipli-
cia Librorum volumina ſubitò apparuerunt. Multa denique in medium prolata,
multa inter confidentes collata, ingens ſpectaculum præbuerunt. --- ⁝

IN his omnibus, qui defenſioni Arnulphi ſtudebant, quatuor quædam princi- XXIII.
paliter ingerebant. Primum, vt ſuæ ſedi reſtitueretur. neque enim ſpoliatum re-
ſpondere debere. Deinde legitimas vocationes, & vt Romano Pontifici cauſa ſi-
gnificaretur. Tum accuſatum, accuſatores, teſtes, ac iudices in magna Synodo
diſcernendos. Neque ſibi aliter ex ratione canonum poſſe videri cauſam conſtare.
Quibus omnibus diligenter conſideratis, ab altera parte reſpondebatur: Iuxta hunc
ordinem decretorum, omnia penè conſummata eſſe. Nam vt ab vltimis, inquiunt,
repetamus, accuſator eius ad hanc cauſam ſatis idoneus eſt. Quippe nec antè ini-
micus, nec ad accuſandum metu aut præmio adductus, ſed tantùm zelo religionis
permotus: & qui ſi eum non cognouiſſet, eo quo vtitur Preſbyteratu dignus habe-
ri poſſet. Vocationes autem eius ad Synodum per Epiſtolas canonicas, & per Apo-
criſiarios, non ſolùm ſex menſium, ſed etiam anni ſpatia tranſcendunt. Addebant
B præterea, Sedi ſuæ minimè poſſe reſtitui, eo quòd etiam reſtitutus vocem loquen-
di non haberet. Sic enim contineri in Africano Concilio, Titulo XII. Si Clerici
intra annum cauſam ſuam purgare contempſerint, nulla eorum vox poſtea penitus
audiatur. Et quia captio eius inuidioſa putabatur, neque inuſitatum neque alie-
num à ſacris legibus idem reperiebatur. In Hiſtoria quippe Remenſium Pontifi-
cum ſcriptum conſtabat, Hildemannum Beluacenſem Epiſcopum, detentum in
Monaſterio ſancti Vedaſti, Synodum expectaſſe: eò quòd apud Imperatorem Lu-
douicum inſimularetur, ad Lotharium Cæſarem profugere voluiſſe. Ebonem quo-
que Remorum Archiepiſcopum idem molientem, per Rothadum Sueſſionicum,
& Erchenradum Pariſiorum Epiſcopum, in Vuldenſi Monaſterio pro ſimilibus ſi-
milia ſuſtinuiſſe. Iuſtum ergo videri, vt qui de Regiæ Maieſtatis crimine impedi-
tus, vocationi Epiſcoporum non paruerit, iudiciaria poteſtate conuentus ſit: id-
que firmari ex Africano Concilio, Titulo XXXVIII. --- ⁝

AD Romanum autem Pontificem cauſam perlatam fuiſſe dicebant, exempla-
ribus in hunc modum prolatis.

HVGONIS REGIS EPISTOLA
ad Ioannem Papam.

BEATISSIMO Papæ Ioanni, HVGO gratiâ Dei Francorum Rex. Nouis XXV.
atque inuſitatis rebus permoti, ſummo ſtudio ſummáque curâ veſtra conſilia expe-
C tenda decreuimus. Quippe cùm ſciamus, vos omne tempus in humanis ac diuinis
ſtudiis peregiſſe. Conſiderate ergo quæ facta ſunt, & facienda præſcribire: vt &
ſacris legibus ſuus honor reddatur, & Regalis poteſtas non annulletur. ARNVL-
PHVS Regis LOTHARII, vt dicunt, filius, poſt graues inimicitias ac ſcelera,
quæ in nos Regnúmque noſtrum exercuit, loco parentis adoptatus eſt à nobis, ac
Metropoli Remorum gratis donatus, iuſiurandum præbuit, quod contra præ-
terita & futura valeret ſacramenta. Libellum fidelitatis ſub nomine chirogra-
phi conſcripſit, recitauit, corroborauit, corroboraríque fecit. Milites ac om-
nes ciues iurare coëgit, vt in noſtra perſiſterent fide, ſi ipſe aliquando in pote-
ſtatem hoſtium deueniret. Contra hæc omnia, vt certiſſimi teſtes ſunt, ipſe por-
tas hoſtibus patefecit: Clerum ac populum ſuæ fidei creditum captiuitati & præ-
dæ diſtribuit. Sed, eſto eum eſſe addictum alienæ poteſtati, vt ipſe videri vult: cur
ciues & milites peierare cogit? Cur arma contra nos comparat? Cur vrbem ac ca-
ſtra contra nos munit? Si captus eſt, cur non patitur liberari? Si vi hoſtium oppreſ-
ſus, quare non vult ſibi ſubueniri? Et ſi liberatus eſt, cur ad nos non redit? Voca-
tur ad Palatium, & venire contemnit. Inuitatur ab Archiepiſcopis & Coëpiſcopis:
nihil ſe eis debere reſpondet. Ergo qui vices Apoſtolorum tenetis, ſtatuite quod
de altero Iuda fieri debeat, ne nomen Dei per nos blaſphemetur: & ne fortè iu-
ſto dolore permoti, hac veſtra taciturnitate vrbis excidium, totiúſque Prouinciæ

Hvgo et Robertvs. moſſamur incendium. Nec iudici Deo excuſationem prætendetis, ſi nobis quærentibus atque ignorantibus formam iudicij dare nolueritis. A

Item Epiſcoporum Epiſtola ad eundem.

XXVI. Domino & reuerendiſſimo Papæ Ioanni, Epiſcopi Remorum Diœceſeos. Non ſumus neſcij, beatiſſime Pater, iamdudum oportuiſſe nos expetere conſulta ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, pro ruina atque occaſu Sacerdotalis Ordinis. Sed multitudine tyrannorum preſſi, longitudine terrarum ſemoti, deſideria noſtra hactenus implere nequiuimus. Nunc itaque veſtro examini, non ſine magno dolore, perferimus nouum atque inuſitatum crimen Arnvlphi Remorum Archiepiſcopi, qui famoſus apoſtata factus, locum Iudæ traditoris olim in Eccleſia tenet: qui filius quondam Eccleſiæ Laudunenſis, cùm Epiſcopum ſuum dolo & fraude ceperit, Eccleſiam eius peruaſerit, ad cumulum ſuæ damnationis Remenſem ſibi creditam cum Clero & populo captiuauit. Nec mouet eum noſtra vocatio, vel potiùs ſaluberrima exhortatio: non Archiepiſcoporum comprouincialium multoties repetita admonitio, non canonicè facta coram Deo & Angelis eius profeſſio, non chirographi in conſpectu Eccleſiæ recitata deſcriptio, non numeroſa ſacramenta miris excogitata conſiliis. Stant, ſuo vitio, quamplures Eccleſiæ Paſtoribus viduatæ, pereunt innumerabiles populi ſine ſacerdotali benedictione & confirmatione. Ipſe factione tyrannica diuina humanáque iura contemnens, tyrannidem exercet. Regibus noſtris, à quibus tantam gloriam gratis conſecutus eſt, interitum meditatur. B Ergo tandem ad monſtra perditiſſimi hominis expergefacti, iuimus in ſententiam Domini dicentis: *Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipſum ſolum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum: ſi autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos, vt in ore teſtium duorum vel trium ſtet omne verbum. Quòd ſi non audierit eos, dic Eccleſiæ. Si autem & Eccleſiam non audierit, ſit tibi ſicut ethnicus & publicanus.* Adeſto, Pater, ruenti Eccleſiæ, & ſententiam ex ſacris Canonibus promulgatam, vel potiùs ab ipſa Veritate prolatam, profer in medium. Sentiamus in vobis alterum Petrum defenſorem, & corroboratorem Chriſtianæ fidei. Ferat ſancta Romana Eccleſia ſententiam damnationis in reum, quem vniuerſalis damnat Eccleſia. Suffragetur nobis veſtra auctoritas, & in huius apoſtatæ deiectione, & in eius, qui Domni Dei præeſſe poſſet, Archiepiſcopi noua ordinatione, ſimúlque inuocaris Epiſcopis noſtris fratribus neceſſaria promotione: vt ſciamus & intelligamus, cur inter ceteros Apoſtolatum veſtrum præferre debeamus.

XXVII His Epiſtolis in media Synodo recitatis, miſſionis earum tempus & relata legatio à defenſoribus Arnulfi perquirebatur: & de primo quidem menſis vndecimus reperiebatur, de altero autem nihil memoriâ dignum. Sed legatos tantùm ſcripta Romano Pontifici porrexiſſe, primóque blandè acceptos eſſe. Poſtea verò quàm Heriberti Comitis legati equum corpore præſtantem, niueó colorē inſignem, cum aliis muneribus Pontifici obtulerunt; ſe per triduum ante ianuas Palatij defatigatos, nec admiſſos, infecto negocio rediſſe. C Aſtipulabantur etiam huic rationi Brunonis Epiſcopi præſentes Clerici, qui ſe pro eius captione Romanum Pontificem adiſſe dicebat. A quo maledicta in reos cum auctoritate Apoſtolica expeterent, eius miniſtri ſummam ſolidorum decem dari cenſebant. Quibus deriſis, eò quòd ſi pecuniâ redimi poſſet, nec mille talenta moras inferrent: hoc tandem in reſponſis ab ipſo Pontifice acceperunt, vt is, pro quo captus eſſet, benè illi proſpiceret. Non ergo Sedem Apoſtolicam huic iudicio præiudicare --- :·

XXX. His omnibus pertractatis, à defenſoribus Arnulphi venia poſtulatur: & quòd eius negotia minùs cautè priùs inquiſierint, & quòd Concilium longis dilationibus defatigauerint. Deinde adiungunt, non ſe controuerſiarum genere adductos, ad ſtudium defenſionis acceſſiſſe: ſed Epiſcoporum anathema ſibi neceſſitatem dicendi impoſuiſſe. Epiſcopi verò, & qui contra Arnulphum ſtetiſſe videbantur, æquo ſe obiecta accepiſſe dicebant. Sibi quoque placere, quòd iudicium poſſe fieri iam in commune legitimum putaretur: nihílque aliud ſupereſſe, quàm vt ipſe Arnulphus in medium deduceretur, & de qualitate ſui facti iuxta quod vellet reſponderet. Itaque iubente Synodo, in Epiſcoporum ordine conſedit. Cui Pater Arnulphus circa eum Regis beneficia, itémque ipſius in Regem maleficia, miti allòquio commemorat. Negat ille ſe quicquam contra Regis ſalutem egiſſe, ſed pro fide

ad

A ad eum conſeruata, cum Clero & populo ſe in propria vrbe ab hoſtibus captum fuiſſe: nihílque ſolatij proindè à Rege tuliſſe, ſed inſuper maleficia pro beneficiis recompenſata ſibi eſſe. Opponit Pater Arnulphus, præſentem Preſbyterum, qui vrbis portas, acceptis à manu eius clauibus, iuſſu ipſius affirmabat ſe hoſtibus aperuiſſe. Ille reſpondet, Preſbyterum longè meditata dicere, falsáque pro veris narrare, ſuámque innocentiam eius fictis criminationibus haberi ſuſpectam non debere. Cui contra Preſbyter ingerebat, quòd ſe ad accuſandum nemo impulerit, quòd locus fugæ ſibi patuerit, quòd ſibi ſemper fidiſſimus fuerit: nihílque aliud in accuſandi cauſa ſe habere, quàm vt crimine proditionis liberaretur, qui eius imperio patuiſſet, & ſi quid in veri confeſſione Synodi dubitet, vel ſuo vitio adſcribat. Synodi decretis ſe ſubiacere pollicebatur, tantùm Eccleſiaſticæ communioni reſtitueretur. Ad hæc Arnulphus, teneri ſe ab hoſtibus conquerebatur, nec aliquando ſe vidiſſe Epiſcopum ſic attractatum. ideoq; ſe reſpondere neſcire. Neque verò ſibi relictos eſſe ſuos Monachos, ſuos Clericos, ſuos Abbates, quibus quæ vellet præcipere poſſet. quod dictum inſulſi hominis eſſe putabatur. Et quidnam, inquit Pa- « ter Arnulphus, his præcipiendum eſt? Num vt te à culpis eximant? Et quidem, « ſi pro teſtimonio ferendo dicis, en tui Epiſcopi, qui te frequenter pro temetipſo, vt « apud Synodum venires, hortati ſunt. En tui Abbates, tuúſq; Clerus, cum ſibi Præ- « latis. His omnibus datur licentia te defendendi, non ſolùm voluntaria, verùm ne- «
B ceſſitate impoſita. Ad hæc ille ad priora relabebatur? Non ſe vidiſſe Epiſcopum « ſic attractatum dicens, nec ita ſe habitum ſcire reſpondere: doctum etiam hominem inter tot ſapientes inſipientem videri poſſe. Cur ergo, inquit Epiſcopus Gui- « do, ſecundum tua vota habitus, totiéſque ab Epiſcopis & domino tuo Rege vo- « catus, reſpondere noluiſti? Et ille: Delatus ad Regem eram, & ideò quò voca- « bar ire non audebam. Non ita eſt, inquit Guido Epiſcopus, ſed cùm te in vicinia « Laudunenſis vrbis apud Cauinionem conueniſſem, coram fidelibus teſtibus Cle- « ricis & laïcis, tertiò te ad fratrum tuorum conuentum inuitaui ſub obteſtatione « diuini nominis, ex Canonum auctoritate & ſocietate omnium fidelium ad Domi- « norum quoque tuorum præſentiam ire monui, per fidelitatem quam eis promiſe- « ras, per omnia ſacramenta quæ ipſis præbueras. Vnde periurum te eſſe negare « non potes, per chirographum cui ſubſcriſiſti, & omnes nos ſubſcribere feciſti. « Sed cùm tu reſponderes, non poſſe te ire ſine ductoribus Odone & Heriberto, « eò quòd vim tibi inferri timeres: fratrem meum Gualterum obſidem tibi obtuli: « me, & patrem meum Comitem Gualterum, itineris ductores pollicitus ſum: vt « ſine periculo vitæ, membrorum, captionis, ad tua redires. Idem quoque in eo- « dem momento ſacramento firmare propria manu præſto fuit. Cúmque te à KAROLO captum eſſe prætenderes, eíque ſacramenta & obſides præbuiſſe, ideóque « ſine eius licentia ire non poſſe: percontabar à te, quínam obſides pluris tibi viderentur? Vtrum RICHARDVS frater tuus, Bruno Epiſcopus conſobrinus tuus, «
C eiúſque ſororis filius, in Regum poteſtate conſtituti? An milites tui, Sehardus « & Rainoldus, qui datis pro ſe pueris abire permiſſi ſunt, quorúmque beneficia « ſimulatis captiuatoribus tuis attribuiſti: palam faciens, quanta in dante & ac- « cipiente obſidum diligentia fuerit? Quódnam etiam tibi ſacramentum potiùs ſer- « uandum foret, requirebam: ſcilicet quod Regi & Domino tuo ſponte dederas, « aut quod hoſti armato inuitus dare debueras? Tria autem erant ſacramenta, « quæ nulla arte, nullo ingenio effugere poteras. Primum, quo te obligaſti, vt « pro nullo à te facto vel faciendo ſacramento à fidelitate Dominorum noſtro- « rum recederes. Secundum, vt ſi ab hoſtibus interceptus eſſes, (ſicut tunc ſimu- « labas) mox vt locus fugæ tibi pateret, ad Dominos tuos redire per rectam fidem « non differres. Idque in præſenti facere monebam, cùm tecum pauci eſſent, ego « autem optimorum militum copias haberem. De tertio verò quid dicam? cùm tam « multiplicis periurij reus ſis, quot eſſe periuros facis? Omnes enim ciues tui ac « milites te iubente iurauerunt, vt ſi aliquando ab hoſtibus caperêris, vel ſi ipſe « tua ſponte à Regis fidelitate deficeres, Regi ſe fidem ſeruaturos, vrbémque & « caſtra ſub eorum iure retenturos. Econtrà, cùm tu à fidelitate Regis defece- « ris, contra omnes mortales tibi ſacramenta præbere iuſſiſti. Domino tuo Re- « gi portas ciuitatis obſtruxiſti: KAROLO, quoties ſibi libuit, aperuiſti. Nec « ad profeſſionem tui chirographi reſpicere voluiſti, cum inimicis Dominorum «

HVGO ET ROBERTVS.

tuorum conſilium & auxilium, ſecundum ſcire tuum & poſſe, ſubminiſtraret. Nunquid & hæc negare contendes? Addebat etiam de pactis & conſtitutis in vulgari lingua cum eodem habitis, quibus Epiſcopos à ſua ſubiectione quaſi emancipauerat, ſi à chirographi conditionibus declinaſſet: ſeque id ex ſua ac reliquorum Epiſcoporum perſona iamdudum apud Cauimonem effeciſſe. Ad hæc ille, de non ſeruatis chirographi & ſacramentorum conditionibus erubeſcebat. quibus tamen poterat modis hæc eadem attenuabat. Petebant ergo Epiſcopi, vt aliquis familiarium eius teſtis horum admitteretur, cuius cōſcientiam vereretur. Admittitur ergo Rainerius, ſecretorum ipſius per omnia conſcius, & qui eum inter alia periuria etiam contra ſe ac ſuam vxorem & filium publicè periurum proteſtabatur. Cui cùm à ſacro Conuentu diceretur, quæ Arnulphus de Regis infidelitate denegaret, tali eum A
» ſermone aggreſſus eſt: Cur omnem populum tuo errore perdis? Neſcis quæ ante
» vrbis traditionem iuxta fluuium Axonam mihi retuleris? Et vt omnium melius re-
» corderis, neſcis te LVDOVICI amorem filij KAROLI omnibus prætuliſſe
» mortalibus? & ſi tibi placere vellem, vt de eius ſalute cogitarem? Vade ergo, &
» ſcelera tua Epiſcopis confitere: vt quia corpus perdidiſti, ſaltem animam per pœ-
» nitentiam ſalues, & populum, qui de tuis criminibus adhuc dubitat, ab hoc erro-
» re abſoluas. Quod ſi nolueris, coram Epiſcopis, corámque omni multitudine, quæ
» pro foribus aſtat, peccata tua, quæ adhuc dubia ſunt, manifeſta faciam, & ſcelera
» tua, quæ in nulla opinione populi ſunt, in medium proferam: vt omnes ſciant &
» intelligant, quid de te ſentire debeant, & vt verbis meis fides in æternum habea- B
» tur. Poſtquam perorauero, mea dexterâ ita eſſe ſacramento firmabo, meúmque
» vernaculum Epiſcopis tradam, qui per ignitos vomeres incedens, Deum de te
» iudicare manifeſtis declaret indiciis. Ad hæc Abbatum quidam dicebant, debere dari Arnulpho ſeceſſum deliberandi cum quibus vellet, vt conſultiùs pro ſe
» reſpondere valeret. Quibus Pater Arnulphus: Quis, inquit, prohibet? Surgat,
» & quoſcumque delegerit ſuis conſultationibus adhibeat. Surgens itaque, ad criptæ ſecretiorem partem, oſtiis diligenter obſeratis, venerabiles deduxit Epiſcopos, Siguinum Senonenſem, Arnulphum Aurelianenſem, Brunonem Lingonenſem, Goteſmannum Ambianenſem.

XXXI. IN horum abſentia, multa ex Canonum capitulis in Synodo prolata ſunt, multa inter aſſidentes collata, vtpote omnium ignaros, quæ in abditis agerentur: non tamen neſcios, Imperatricis Theuphaniæ, ac hoſtium Regis colloquia, contra ipſius Regis voluntatem & vtilitatem Arnulphum expetiſſe: ſuorúmque militum copias ſub ſignis KAROLI contra eundem Regem in acie conſtituiſſe, & inſuper criminis Regiæ Maieſtatis reum eſſe. Itaque variis quoque ſacramentorum generibus implicitum videri, vt à nemine Sacerdotum tot periuriis obuoluto Epiſcopale miniſterium vllis legibus valeret impleri ---:·

XL. HÆC & huiuſmodi dum ſibi quiſque vel alteri replicat, Epiſcopi qui in Synodo reſidebant ab eis conuocantur Epiſcopis, qui Arnulphum ad remotiora Comitati fuerant. Quò cùm conueniſſent, cauſam ſui aduentus non ſine lacrimis & multo gemitu dixicerunt. Erat autem Arnulphi cauſa Apiarij Preſbyteri cauſæ conſimilis. de quo ſicut Africani Epiſcopi Celeſtino Papæ Romano retulerunt, ita & hic de Arnulpho Epiſcopi Epiſcopis in hunc modum referre viſi ſunt. Ter-
» giuerſationes Arnulphi, quibus nefandas turpitudines occulere conabatur, Deus
» iudex iuſtus, & fortis, & longanimis, magno compendio reſecauit. Tetriore
» quippe ac putridiore obſtinatione compreſſa, qua tantum liuidum cœnum impu-
» dentiâ negationis volebat obruere, Deo noſtro eius conſcientiam coartante, &
» occulta, quæ in illius corde tanquam in volutabro criminum iam damnabat, etiam
» hominibus publicante, repentè in confeſſione cunctorum obiectorum flagitiorum
» doloſus negator erupit; & tandem de omnibus incredibilibus opprobriis vltro-
» neus ſe ipſe conuicit. Atque ipſam quoque noſtram ſpem, qua eum & credeba-
» mus & optabamus de tam pudendis maculis poſſe purgari, conuertit in gemitus:
» niſi quoniam iſtam noſtram mœſtitiam vno tantùm ſolatio initiauit. Quod & nos
» labore diuturnioris quæſtionis abſoluit, & ſuis vulneribus qualemcumque mede-
» lam, etſi inuita, ac ſuæ conſcientiæ reluctante confeſſione, prouidit. Addebant
» præterea confeſſores Epiſcopi, eum ſuis pedibus prouolutum, cum lacrimis & ge-
» mitu ſua crimina ſub nomine confeſſionis declaraſſe, ſeque à ſacerdotali officio,

HVGO ET ROBERTVS.

A quo hactenus indignè vſus fuerat, remoueri velle. Sed Epiſcopi, qui conſentiente Arnulpho confeſſionis teſtes admiſſi fuerant, ab ipſius ore ſe audire malle dicebant. Quod cùm factum eſſet, Epiſcopi per terribile nomen omnipotentis Dei, ſub tremendo anathemate præcipiunt, ne vlla formidine coactus aliquid falſi de ſe proferat: ſéque illi omne ſolatium laturos, ac priſtinum honorem etiam inuitis Regibus recuperaturos pollicentur. tantùm innocentiam ex æquo & vtili aſtruere velit. At ille Epiſcopis quidem pro ſalutis ſuæ ſtudio gratias agens, quæ eorum fidei commiſerat, vera eſſe confirmat. Petebant ergo Epiſcopi, quoniam ea quæ per confeſſionem protulerat grauiſſima ſibi viderentur, vt Abbatum & Clericorum doctiſſimos ac religioſiſſimos intromitti liceret: quique ſacramento vel anathemate deuincti, & ſua peccata fido ſilentio tegerent, & quid facto opus eſſet in commune decernerent: futuris quoque temporibus dictorum & factorum fidiſſimi teſtes exiſterent. Quod aliquandiu ſecum reputans, fieri permiſit. Admiſſi ergo ſunt ex omni Abbatum & Clericorum Collegio ferè numero triginta, quibus per conditionem anathematis Arnulphi confeſſio, ipſo iubente, in ipſius præſentia propalata eſt. Itaque eo remoto, longis conſultationibus definitum eſt, quomodo eius arcanum tegeretur, & Clero ac populo abſenti pro eius depoſitione ſatisfieret. Iam enim eum, qui ſibi delectos Iudices conſtituerat, ad alterius non poſſe commeare iudicium certum erat. Iam Epiſcopi inuidiâ Romani priuilegij carere vide-

B bantur, cùm Arnulphus nec ad alios Iudices, nec ad Sedem Apoſtolicam prouocaſſet: vel ante electorum Iudicum audientiam, quod benè quidem licuerat, ſeſe iuſtam habere cauſam putaſſet: vel poſt eorundem Iudicum ſententiam, quod minimè licere manifeſtum erat. Sed vtpote reus à torquente ſe conſcientia conuictus, & ſua ſponte, vt videri tunc potuit, confeſſus, iudicij formam improbus accuſator ſui expoſtulauerat. ---

SEQVENTI autem die, conſidentibus Epiſcopis in Baſilica domni Baſoli Confeſſoris, totiúſque Cleri diſpoſito Conuentu, pauca de ciuilibus, plurima verò de Eccleſiaſticis negotiis pertractata ſunt. Ruſúmq; Arnulphus Remenſis in memoriam rediit. Cúmque cauſa eius iam non in defenſione, ſed maximè in conqueſtione verſaretur: aliis illum propter genus, aliis propter florem iuuentutis miſerantibus, Epiſcopos ruina fratris & ignominia ſacerdotalis dignitatis grauiùs ſtimulabat. Vnuſquiſque enim caſum eius ex ſeipſo metiebatur: ſéque ab infamia liberari putabat, ſi is, qui publicè impetebatur, à criminibus liber foret. XLIX.

SED cùm has in longum ducerent querimonias, ecce FRANCORVM REGES cum primoribus Palatij ſacro Conuentui ſeſe inferunt. Epiſcopis gratias agunt, quòd pro ſalute Principum diutiùs conſultando, deuotionem ſuam plena fide ſignaſſent. Laudant, quòd à prauorum hominum conſpiratione non ſolùm ſe remouiſſent: verùm etiam ipſa mente ſe alienos fuiſſe, ſtudio demonſtraſſent. Simúlque geſtorum ſeriem breuiter exponi petunt, & in quo fine conſtiterint. L.

C NON, inquit Pater Arnulphus, hoc nobis adſcribi debet, quod minimè promeritos conſtat. Pro ſalute enim veſtra quamuis omni tempore conſultandum ſit, hoc tamen tempus ſaluti fratris noſtri, in periculo poſiti, totum contulimus. Et ſi res eò, quò volumus, deducta non eſt, non vtique amore & beneuolentiâ veſtri, vel odio ipſius hoc actum eſt: ſed cauſarum difficultate, in quibus ſi aliqua ſimilitudo defenſionis apparuiſſet, argumentorum fortia machinamenta, ſentẽtiarum validiſſima iacula, pro eius munimine excitaſſemus. tanta nos pietas commouit, tãtus charitatis feruor accendit. Denique non ſolùm eos, qui defendere parati erant, pro eo exacuimus, verumetiam eos qui impugnare videbantur, noſtro anathemate dubitare coëgimus. Itaque vtrimque numeroſæ Patrum ſententiæ prolatæ ſunt, ſed nulla earum adiutus eſt. Deductus quoque in medium eſt, & interrogatus. qui primò quidem omnia negauit. Sed cùm ſibi ſingillatim ſpecies cauſarum proponerentur, neceſſe erat ſibi confiteri, quod publicè factum conſtabat. Cúmque ex his quæ confitebatur conſequerentur ea quæ negauerat: illa quoque, quæ plurimùm celare nitebatur, in dubium adducebat. Inter has tergiuerſationes cùm hæreret, propoſitum ſibi eſt, vt ſibi conſuleret. Qui ſeceſſum petens, Epiſcopos ad remotiora duxit. Ibique dum de qualitate purgationum agere putaretur, ſtimulante conſcientiâ, ſubitò in confeſſionem peccatorum ſuorum erupit, cunctóſque qui aderant attonitos reddidit. Epiſcopis autem ſalutem illi promittentibus, nihilque graue paſſurum, ſi LI.

HVGO ET ROBERTVS.

» rumores aduerſos propelleret: ille nihilominus in ſui confeſſione permanſit, ſeque A
» ſacerdotio priuari popoſcit. Huic confeſſioni quidam ex Abbatibus, multi ex Cle-
» ro interfuerunt, ſecretorum Arnulphi teſtes per longa ſecula futuri. Sed ſi placet,
» in præſentiam omnium deducatur, corámque multitudine ipſe ſibi teſtis & iudex
» cauſam ſuam exponat: ſimúlque accuſatores, teſtes, atque iudices inuidiâ liberet,
» in ſe vno horum omnium perſonam gerens.

LII. QVO ingreſſo cum vniuerſo populo, poſt paululum ſilentium indictum eſt. De-
» inde Pater Arnulphus ad Arnulphum: Vidéſne omnium ora in te vnum conuerſa?
» Cur pro te ipſo non loqueris? Qui cùm malè concinna verba effunderet, minúſque
» intelligi poſſet, ait Pater Arnulphus: Es ne adhuc in ſententia, in qua te ſerò reli-
» quimus? Sum, inquit. Viſne te abdicare à ſacerdotij honore, quo hactenus abuſus
» es? Et ille: Sicut dicitis. Tum Comes BROCHARDVS: Quid eſt, inquit, iſtud,
» Sicut dicitis? Palam eloquatur, palam confiteatur, ne poſtmodum Epiſcopos crimi-
» na, quæ voluerint, finxiſſe dictiret: ſe confeſſum eſſe abneget. Et ille, Palam, inquit,
» dico, & profiteor me erraſſe, & à fidelitate Regia deuiaſſe. Sed peto, vt domino Ar-
» nulpho pro me loquenti credatis, ipſúmque in veſtra præſentiâ deprecor, ſicut mihi
» conſcius eſt, & ſibi placet, vt ita cauſam meam exponat. Naturâ, inquit Pater Arnul-
» phus, taciturnus eſt; & inſuper quæ ſub teſtimonio Chriſti noſtræ fidei celanda com-
» miſit, palam confiteri erubeſcit. Sufficiat vobis hoc tantùm noſſe quod publicè con-
» fitetur: ſcilicet ſacramenta quæ Regibus publicè præbuit, minimè conſeruaſſe: con-
» tra confeſſionem & ſubſcriptionem ſuam ſub ſpecie chirographi factam, publicè B
» veniſſe. Non eſt mihi ſatis, inquit Comes Brochardus, niſi publicè fateatur, aut pu-
» blicè perneget, ſub veſtro teſtimonio ſe traditionem feciſſe: vt alteri ſit libera facul-
» tas in eius locum ſuccedendi. Imò, inquit Pater Arnulphus, non eritis hodie pares
» ſacerdotibus, quibus ſolis pura debetur confeſſio. Nónne ſi quis militum pro no-
» minato crimine apud Regem inſimularetur, ipſe autem illud quidem denegaret,
» confiteretur autem ita ſe in aliis peccaſſe, vt nec prædium nec beneficium obtinere
» poſſet, próque ſola vita ſupplicaret: ſi eius, inquam, prędium vel beneficium Regali
» munificentiâ vobis offerretur, accipere recuſaretis? Quid eius intereſt inter omnia
» mortifera crimina, vtrum homicidio, vel adulterio, an veneficio quis puniatur? Sa-
» tis ergo vobis ſit, quòd per confeſſionem nobis ſua peccata manifeſtauit: quòd pu-
» blicè ſe indignum ſacerdotio proteſtatur: quòd ſic ſe peccaſſe coram Regibus in
» conſpectu Eccleſiæ confitetur, vt nullo honore huius ſeculi dignus ſit. Non enim
» ad rem ſpectare videtur, vtrum hoc an illo crimine ſeipſum ſacerdotio priuet.

LIII. TVM conuerſus ad Arnulphum: Quid ad hæc, inquit, dicis, quæ pro te hacte-
» nus locutus ſum? Ita, inquit, dico & profiteor, ſicut hactenus locuti eſtis. Proſter-
» nere ergo, inquit Pater Arnulphus, coram tuis Dominis, corámque tuis Regibus,
» quos inexpiabiliter offendiſti: propriámque confitens culpam, pro tui vita ſuppli-
ca. Qui cùm in modum crucis proſtratus, pro vita & membris eiulatu quo poterat
ſupplicaret, in lacrimas & ſuſpiria Synodum totam conuertit. Móxque Daibertus
Bituricenſium Archiepiſcopus, ad genua Principum obuolutus, humillimas pre-
» ces omnium pro ſalute viri offert. Qui pietate flexi, Viuat, inquiunt, veſtro bene-
» ficio, noſtráque degat ſub cuſtodia, nec ferrum, nec vincula metuens, niſi fortè in
» fuga ſpem poſuerit. Hoc dictum Epiſcopis non ſatis placuit. quippe cùm putarent
adoleſcenti fugã facilè poſſe perſuaderi: quamobrem mortis legibus iterum ſubia-
ceret. Iterant ergo preces, & iterum obtinent, iuuenem minimè gladio feriendum,
niſi iterum digna vltore gladio committat. Eleuatus itaque à terra, nihilque graue
vltrà metuens, depoſitionem ſui attonitus expectabat. Quærebatur itaque ab eo,
vtrum abdicationem ſuam ex auctoritate Canonum ſolemniter celebrari vellet.
Quod cùm poteſtati Epiſcoporum aſſignaſſet, perſuaſum illi eſt, vt culmen hono-
tis, quod gradibus extulerat, gradibus deponeret. Reſignat ergo Regi quæ à Rege
acceperat. Deponit quoque ſacerdotalis dignitatis inſignia apud Epiſcopos, non
quidem exigentes, nec retinere cupientes: ſed iis, quorum intererat, in futurum
reſeruare diſponentes. Deinde Libellum ſuæ abdicationis, ſecundum exemplar
abdicationis prædeceſſoris ſui Ebonis, perſcribi rogat, perſcriptúmque hoc modo
in medio Conuentu recitat.

LIV. » EGO Arnulphus quondam Remorum Archiepiſcopus, recognoſcens fragi-
» litatem meam, & pondera peccatorum meorum: teſtes confeſſores meos, Sigui-

A num Archiepiſcopum, Daibertum Archiepiſcopum, Arnulphum Epiſcopum, Goteſmannum Epiſcopum, Herueum Epiſcopum, Ratbodum Epiſcopum, Gualterium Epiſcopum, Brunonem Epiſcopum, Milonem Epiſcopum, Adalberonem " Epiſcopum, Odonem Epiſcopum, Guidonem Epiſcopum, Heribertum Epiſcopum, conſtitui mihi iudices delictorum meorum: & puram ipſis confeſſionem de- " di, quærens remedium pœnitendi, & ſalutem animæ meæ, vt recederem ab offi- " cio & miniſterio Pontificali, quo me recognoſco eſſe indignum, & alienum me " reddens pro reatibus meis, in quibus peccaſſe me ſecretò ipſis confeſſus ſum, & " de quibus publicè arguebar, eo ſcilicet modo, vt illi ſint teſtes alij ſuccedendi & " conſecrandi in loco meo, qui dignè præeſſe, & prodeſſe poſſit Eccleſiæ, cui ha- " ctenus indignus præfui: & vt indè vltrà nullam repetitionem aut interpellatio- " nem auctoritate Canonum facere valeam, manu propria mea ſubſcribens fir- " maui. Quo perlecto, ita ſubſcripſit: Ego Arnulfus quondam Archiepiſcopus " ſubſcripſi. Huic Libello Arnulphi præſentes Epiſcopi teſtes adfuerunt, atque ab eo rogati ſubſcribere ſubſcripſerunt, ac ſingillatim illi dixerunt: Secundum " tuam profeſſionem & ſubſcriptionem, ceſſa ab officio. Poſt hoc, Clerum & po- " pulum à ſacramentorum nexu abſoluit, vt omnibus libera facultas in alterius tranſmeandi iura pateret.

His ſolemniter peractis, ecce Adalgerus Preſbyter ad Regum pedes pro- LV. B ſternitur, ſeque priuari communione conqueritur, eò quòd imperio domini & Archiepiſcopi ſui, cui reſiſtendum non erat, paruerit. Cui Pater Arnulphus: Aperuiſti, inquit, vrbis portas hoſtibus? Et ille: Aperui. Et Pater Arnul- " phus: Ingreſſus es Templum Dei hoſtiliter? Tum Preſbyter: Negare non " poſſum. Et Pater Arnulphus: Ex ore, inquit, tuo te iudico. Sanguis tuus ſu- " per caput tuum. Subiunxit Gualterus Epiſcopus: Quando, inquit, imperans " Epiſcopus ita mulctatus eſt, tu obtemperans, ac manibus iuſſa perficiens, con- " ſequentem mulctam exolues. Et Pater Bruno: Tu, inquit, ac tui ſimiles, ma- " lis conſiliis, & malis executionibus iuuenem perdidiſtis. Vt ergo ille ploret, & " tu cantes? Aut quomodo queſtibus temperare poteto, ſi nulla afficiantur pœ- " na, qui filium patrui mei in has præcipitauêre miſerias? Itaque Preſbytero iube- " tur, vt quod malit eligat, aut perpetuum anathema, aut ſui legitimam depoſitionem. Sua enim ſponte venerat ſub conditione, ne quid violentiæ paterentur. Diu ergo ſecum deliberans, maluit deponi, quàm ſub perpetuo anathemate detineri. Et Epiſcopi nulla miſeratione circa eum adducti, veſte ſacerdotali induunt, ac mox illi ſingula quæque vſque ad Subdiaconatum ſine reuerentiâ detrahentes, ſigillatim per ſingula ſubinferunt: Ceſſa ab officio. Deinde per legitimam reconciliationem laïcam illi tantùm communionem concedunt, ac pœnitentiæ ſubdunt. Eos verò ſacrilegos, vrbiſque proditores, qui nec ſponte, nec vi ad ſatisfactionem venerant, iterato anathemate damnant. Poſt hæc Concilium ſolemniter determinatur.

C

EPISTOLA HVGONIS REGIS ad Papam Ioannem.

HVgo Rex Papæ Ioanni. Beatitudini veſtræ ego & Epiſcopi mei per T. Archidiaconum Remenſis Eccleſiæ ſcripta direximus, in quibus Arnulphi rationes vobis explanauimus. Sed hoc nunc obſecrando ſuperaddimus, vt mihi meiſque iuſta decernatis, nec dubia pro certis recipiatis. Nihil nos contra Apoſtolatum veſtrum egiſſe ſcimus. Quòd ſi abſentibus non ſatis creditis, Gratianopolis ciuitas in confinio Galliæ & Italiæ ſita eſt, ad quam Romani Pontifices Francorum Regibus occurrere ſoliti fuerunt. Hoc ſi vobis placet, iterare poſſibile eſt. At ſi nos & noſtra inuiſere liber, ſummo cum honore deſcendentem de Alpibus excipiemus: morantem ac redeuntem debitis obſequiis proſequemur. Hoc ex integro affectu dicimus, vt intelligatis & cognoſcatis, nos & noſtros veſtra nolle declinare iudicia. Petimus itaque, vt T. Archidiaconi legationem benignè ſuſcipiatis, vt dum quod petit obtinuerit, nos in ſuo aduentu efficiat lætos, & in veſtro obſequio feruentiſſimos.

HVGO ET ROBERTVS. *Ex Epiſtola* GIRBERTI *ad VVilderodum Argentinæ ciuitatis Epiſcopum, quæ eſt Apologia pro Remenſi Synodo.* A

ARNVLFVS Regis HLOTHARII, vt fama eſt, filius, poſtquàm ſuum Epiſcopum dolo & fraude circumuentum cum propria vrbe captiuauit, poſt multum cruorem humani ſanguinis à ſe effuſi, poſt prædas & incendia, in Conuentu Epiſcoporum totius Galliæ damnatus eſt. At deindè poſt obitum beatæ memoriæ Adalberonis, à ſolo Adalberone Epiſcopo Laudunenſi reconciliatus, ſpe obtinendæ pacis Metropoli Remorum donatus eſt: acceptis ab eo terribilibus ſacramentis, & libellari profeſſione, pro fide ſuis Regibus conſeruanda. quam & viua voce in conuentu Eccleſiæ recitauit, & propria manu ſubſcribendo corroborauit. Nec dum à ſua ordinatione ſextus menſis elapſus erat, & ecce quaſi tempeſtas vrbem ab eo proditam hoſtis inuaſit, Sanctuarium Dei polluit, ſpolia diripuit, Clerum & populum captiuauit. Poſt hæc verò Arnulphus ſuos prædones ſub anathemate poſuit, atque vt idem facerent Galliarum Epiſcopis imperauit. Prædia Eccleſiæ, quæ per ſacramentum ſuis militibus dederat, abſtulit, hoſtibus contulit. Coniuratorum manum contra ſuum Regem eiúſque exercitum in aciem ſub ſignis KAROLI produxit. Interea Legatis, & literis Synodicis, Romanus Pontifex, vt Eccleſiæ turbatæ ſubueniat, ammonetur. Sed neque Legatis, neque Literis conſulentibus conſulit. Itaque grauium Epiſcoporum facto conſultu, Legatis & Literis Synodicis, ac miti ammonitione Arnulphus conuentus decem & octo continuis menſibus, vt à cœpto furore deſiſteret, ſeque à ſcelere proditionis & rebellionis, quo impetebatur, regulariter purgaret, noluit. Sed cùm à ſe fautores maximos nequitiæ ſuæ diſcedere ſenſit, territus, Regem adiit, nouiſque ſacramentis, ac nouis rerum conditionibus Regiæ menſæ particeps factus eſt. Atque ita irâ Regis ſedata, omni crimine ſe exutum credidit. Indéque mox rediens, fidem ſacramentorum rupit, conditionibus non ſeruatis. At ij, quorum intererat, totiens ſe decipi, totiens bonis ſuis priuari non ferentes, Lauduni arcem occupant. Arnulphus inter hoſtes Regis inuenitur, Synodo repræſentatur, pro tot tantiſque flagitiis rationem reddere depoſcitur. Qui diu ſecum atque cum ſuis familiaribus multùm deliberans, ſua ſponte in confeſſionem peccatorum ſuorum erupit, ſuiſque confeſſoribus alios teſtes adhibuit, crimina ſua in Libellum retulit, eique à ſe viua voce coram Eccleſia recitato ſubſcripſit. Inſignia ſacerdotij depoſuit, eóque ſe abdicauit: confeſſoribus ſuis ac teſtibus atteſtantibus, & reſpondentibus: B
» Secundum profeſſionem & ſubſcriptionem tuam, ceſſa ab officio.

A

VITA DOMNI BVRCHARDI VENERABILIS COMITIS, QVI SVB REGIBVS HVGONE CAPETO, ET EIVS FILIO ROBERTO FLORVIT.

Auctore ODONE *Monacho Foſſatenſi, qui eam ſcripſit anno incarnati Verbi* MLVIII.

INCIPIT PROLOGVS.

B RELIGIOSORVM *geſta virorum vitâ Deo fideliter placentium memoriæ tradere poſterorum dignum fore autumamus, atque iuſtiſſimum. Pertranſeuntibus enim generis humani ætatibus obliuioni traduntur quæ geruntur à fidelibus, niſi fortè contigerit aliquibus membranis inſerere, quæ ab ipſis, dum viuunt, peraguntur honeſtiſſimè. Commonitus itaque Patrum priorum exemplis, qui de multis ſui temporis geſtis plurima nobis reliquere, maximè beati Gregorij Romanæ vrbis Apoſtolici, qui de plurimis Sanctorum geſtis, tam in Dialogo ſuo quàm in Homeliis diſſerit; ſtudui aliqua Fratribus Foſſatenſis Eccleſiæ perſcribere, qualiter venerabilis Comes* BVRCHARDVS, *eiúſque filius, Præſul ſcilicet* RAGENALDVS, *ſancto Spiritu commonente eundem locum honoribus ac poſſeſſionibus ſublimauerunt: atque poſtmodum appropinquante fine, Religionis habitu. Nam licèt multa eorum benè geſta hac noſtra ætate obliuione ſint deleta: pauca tamen, quæ adhuc perſpici poſſunt, & quæ ab ante-natis comperi, ob eorum perpetuum memoriale rememorandum, ſtylo percurrere aggreſſus ſum. At quoniam ſecundum Domini dictum, abundante iniquitate, & refrigeſcente charitate, omnes qui piè volunt viuere perſecutionem patiuntur: Iam dicto loco ad ſummam* C *miſeriæ calamitatem decidente, antequàm penitus ad ima corruat, cogor natiuum relinquere ſolum, quo pueriliter, vt Chriſto placitum fuit, educatus ſum. Preſſuris ſiquidem plurimis ſtimulatus, infeſtationum iaculis colaphizatus atque fugatus, exteras cupio adire Nationes: ignorans, ſicut dicit Apoſtolus de ſe, quid mihi futurum ſit. Nec, hoc agendo, extra Domini præceptum facere pertimeſco, qui ſuos fideles, vt vitare valerent rabiem perſequentium, de ciuitate in ciuitatem fugere iubet. Ipſius tamen poſco ſanctæ miſericordiæ largitatem; vt ab hoſtium tam viſibilium quàm inuiſibilium incurſu ereptum iugiter dignetur protegere, quem precioſo ſui ſancti ſanguinis redemit cruore. Antequam ergo itineris, ſeu mutationis aſſumam laborem, hoc Scriptum iam dictæ Foſſatenſi Eccleſiæ ſtudui relinquere, vt Fratres deuotionis atque ſanctæ dilectionis amorem circa me exhibentes, dum docti ab indocto perceperint verba huius lectionis, ſint memores* ODONIS *peccatoris, quatinus eorum Sanctis precibus merear poſt mortem carnis conſequi brauium æternæ felicitatis. Amen.*

Ex editione Iacobi Broli Monachi S. Germani de Pratis in Supplemẽt: Antiq. Pariſ.

EXPLICIT PROLOGVS.

HVGO ET ROBERTVS.

A

INCIPIT VITA.

INCLYTVS BVRCHARDVS nobili ſtirpe progenitus, ſacro baptiſmate eſt ingeneratus, atque nobiliter in Religione Catholica militari tyrocinio edoctus. Nam pueritiæ tempora dum tranſigeret, Curiæ Regali more Francorum Procerum à parentibus traditus eſt. Qui Chriſtianitatis operibus pollens, totius prudentiæ atque honeſtatis aſſumpſit commoda. In Aulâ enim glorioſi HVGONIS Francorum Regis, cunctis tam cœleſtibus quàm militaribus imbuebatur inſtitutis. Dum verò adoleſcentiæ atque iuuentutis appulit ad nos, Domini prouidente gratiâ, qui fidelem militem ſibi eum prouidebat futurum, magno dilectionis amore à Rege amplectitur: intantum vt cunctos coætaneos tranſcendere videretur. Amabatur enim à cunctis, honórque maximus ei ab omnibus Francorum Proceribus impendebatur. Honoratur quoque ab inclyto Rege, auróque & argento, caſtris quoque ac poſſeſſionibus multis ditatur, ipſiúſque Conſiliarius fideliſſimus efficitur. Contigit itaque iiſdem temporibus Dei diſponente iudicio, vt Comes Corboili caſtri nomine HAYMO, ad limina ſanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli orationis gratiâ Romam pergeret, ibidémque in eodem itinere finem huius vitæ acciperet. Quo defuncto, admonetur ſtrenuæ iuuentutis tyro Burchardus tam à Rege quàm ceteris Francorum primoribus, vt prædicti Comitis vxorem ſibi coniugio copularet. Ille verò, quem iam iuuentutis ſeu naturæ humanæ neceſſitas talia facere cogebat: præceptis Regalibus libenter paruit. Datur ergo dono Regali ei vxor iam dicti Comitis Haimonis, ELIZABETH vocitata, nobili progenie & ipſa exorta: coniunguntúrque thoro nuptiali, vt ſecundum Domini imperium, prole dulciſſima poſtmodum lætarentur. In quo copulæ thalamo dedit Hugo Rex ſibi fideli militi caſtrum Milidunum, atque iam dictum Corboilum, Comitatúmque Pariſiacæ vrbis. taliterque Comes Regalis efficitur. Suſceptóque honore temporali, gubernabat ſibi commiſſam familiam ſecundum Domini voluntatem. Erat enim fidelis defenſor Eccleſiarum, quæ ſub imperio Regni Francorum habebantur, largitor eleemoſynarum, conſolator miſerorum, ſubleuator piiſſimus Monachorum, Clericorum, viduarum, atque virginum in Cœnobiis Deo militantium. B

CVM igitur his & aliis multis Domino placere ſtuderet virtutibus, vtpote vir ſeculari militiæ deditus, atque in cunctis mundi negotiis implicitus, eius mens Regi Regum fideliter deuota mundo minimè celari potuit. Non enim dignum erat vt lucerna ſub modio poſita diutius lateret in tenebris, ſed ſuper candelabrum poneretur, vt lumen lucernæ clarè ardentis omnibus in limine ſanctæ Eccleſiæ introeuntibus pateſceret. Tempore ergo iam dicti Francorum Regis HVGONIS Eccleſia Foſſatenſis Cœnobij, quæ olim ab antiquis Regibus nobiliter fuerat ſublimata, præ cæteris erat confuſa, atque omni humanæ neceſſitudinis auxilio deſtituta. Hoc autem acciderat partim iuſtitiæ penuriâ, partim quoque Rectorum negligentiâ. Iiſdem namque diebus Magenardus vir nobilis, ſecundum huius caduci ſeculi honorem nobiliter natus, eandem gubernabat Eccleſiam. Qui non iuxta Patris Benedicti imperium agens, ſeculo valde deditus, animarum ac corporum commoda poſtponebat. Delectabatur enim canum atque beſtiarum venationibus auiúmque volatibus. Dúmque alicubi voluntas pergendi adeſſet, depoſitis Monachalibus indumẽtis, precioſarum pellium tegmentis exornabatur, calamancúmque* optimum pro capitio humili capiti imponebatur. Subiecti etiam quique pro poſſe & ipſi eadem ſectabantur. Ne ergo cuiquam erga habitatores ipſius loci moleſtum videatur, hic mos à cunctis Monachis iſtius Regni agebatur. Dum itaque hæc & multa alia agerentur, quidam Cœnobita Adicus nomine graue tulit, & ſecum cogitatione tacita, quomodo hoc à Sanctuario Dei prohiberi poſſet, ſedulè meditabatur. Omnibus ergo inſcientibus Abbate quoque, ignorante, religioſum adiit Comitem, cunctam ſui cordis ei pandens voluntatem: ac omnibus eum exorans precibus, vt locum ipſum memor ſuæ animæ in priſtinum ſtatum reſtituere dignaretur. At memoratus Comes talia mente pertractans, promittit ſe eius precibus aſſenſum præbiturum. Accedens itaque ad Regis præſentiam, humili mente „ ac voce cœpit dicere: Licet, Rex Francorum glorioſe, tua Regalis Maieſtas præ C

* al. calamantum.

HVGO ET ROBERTVS.

A cæteris Aulæ tuæ effecerit me caſtris, ac multis honoribus terrenis ditiorem: vnum tamen adhuc requiro tuæ benignitati, quod ne prohibeas ſuper cunctis precatibus me depoſcere agnoſcas. Ad quem Rex: Quid, inquit, illud eſt chariſſime, quod tibi in Regno noſtro poſſit negari? Cui venerandus Comes: Non valde, multúmque larga, ſed parua videtur res eſſe, quam requiro. Oro namque vt Eccleſiam Foſſatenſis Cœnobij, quæ Regali ſubdita eſt dominio, veſtérque fiſcus fore videtur, mihi ſeruitutis veſtræ obſequiis parenti tua præcelſa Maieſtas concedere dignetur. Cui Rex ait: Cùm omnibus conſtet prædeceſſorum noſtrorum temporibus Regalem ſemper fuiſſe Abbatiam, quomodo valet fieri vt à noſtra Regali poteſtate ſeparetur? Si enim hoc à nobis factum fuerit, fortè poſt tui corporis obitum, heredum ſiue ſucceſſorum tuorum nequitiis ſubuertetur, atque tunc culpabimur, detrimentúmque animæ patiemur, cùm nullus iuſtitiæ fuerit locus, Fratribúſque in eo degentibus infinitum acciderit detrimentum. Ad hæc Comes reſponſum reddidit: Dum minimè nunc impetrare valeo vt mihi perpetuali concedatur dono, ſaltem hoc tribuatur, vt emendationis ac reſtaurationis gratiâ; cauſa quoque ſalutis noſtrarum animarum, hoc petitionis donum ſuſcipere merear. Valde quippe delector tam precioſum locum ad emendandum ſuſcipere, veſtróque ſuffultus auxilio, honoribus ac poſſeſſionibus plurimis, ſi vita Deo propitio comes fuerit, ſublimare, atque in priſtinum ſtatum erigere. Salutem quoque meæ animæ, atque ſcelerum & peccatorum meorum diminutionem eleemoſynarum largitione per ipſum locum Deo annuente ſpero conſequi. B Et poſt huius caduci ſeculi decurſum, fragilia mei corporis membra volo ibidem tumulari. Cernens itaque Rex ex Dei voluntate eſſe quod à tanto poſcebatur viro, cauſa emendationis ac benefaciendi, ſicut pollicebatur, eius prouidentiæ commiſit; vt ſubleuator fidelis atque defenſor ipſius Eccleſiæ aduerſus hoſtes malignos, terrarúmque inuaſores exiſteret. Quod alacri cordis gaudiò ſuſcipiens, gratiarum Deo laudes, Regíque mortali reddidit.

Illis igitur diebus fama venerabilis MAIOLI Abbatis Cluniacenſis laudabilis per omnem Galliam habebatur. Accepta itaque Comes Regis licentia, ad eundem Sanctum virum perrexit. Cúmque ab eo reuerenter, vt dignum erat, ſuſceptus fuiſſet, humo proſtratus, tam admirabilem humilitatis exhibitionem, aduentúſque eius ad eum cauſam à tam longinqua patria inquirere ſtuduit. Cui Comes: Laborem tanti itineris aſſumens, non cauſa leuitatis ad te veniſſe credendum eſt. Supplex namque requiro, vt petitionis meæ verba ſuſcipias, ne pœnitens inueniar tam longo itinere fatigatus, tam longinquam adiſſe patriam. Locum ſiquidem Foſſatenſis Eccleſiæ nuper à domno HVGONE Francorum Rege emendationis gratiâ ſuſcepi, quem depoſco veſtro emendari ac ſublimari præſidio: quatinus S. Benedicti inſtitutio ibidem religioſè ſeruetur. Non enim alicuius auxilium requirere ſtudij, niſi tuum, quem Deo placere comperi. Cui Pater Maiolus admirans, C reſpondit: Cùm multa Monaſteria in veſtro habeantur Regno, cur ab illis non accipitis quod à nobis requiritis? Valde enim laborioſum nobis eſt exteras atque incognitas adire Regiones, noſtráque relinquere, & veſtra appetere. A veſtris ergo hoc potiùs vicinis expetendum eſt, quàm à nobis longinquis & ignotis. Hoc Comes audiens, valde triſtis atque mœſtus redditur, timens tantum iter in vanum aſſumpſiſſe. Iterum ergo atque iterum ad pedes ſancti Viri proſternitur, poſcens vt affectus deſiderij eius ſuſciperetur. Sanctus itaque Maiolus multis venerandi Comitis deuictus precibus, acceptíſque perfectioribus ſui Cœnobij Fratribus, cum eodem Comite ad Pariſiacum vſque peruenit. Cúmque ad portum villulæ ſuper fluuium Matronæ Monaſterio Foſſatenſi proximæ perueniſſent, iubet Comes Abbatem, cunctámque congregationem ſibi vltra flumen occurrere. Illi autem ignari futurorum, alacriter iuſſis Comitis obaudiunt. Cúmque cuncti adunati fuiſſent, præcepit vt qui cum Abbate Maiolo manere in Cœnobio voluiſſent, eiúſque iuſſis in omnibus obedire, liberam haberent licentiam reuertendi. Qui verò nollent, abirent quò vellent. Illi autem triſtes admodum effecti, vtpote omni humano deſtituti auxilio, magis elegerunt vias cordis proprij appetere, quàm cum Abbate vel Monachis ſibi ignotis ad Eccleſiam redire. Nemini enim licuit ex his quæ habebant ſecum quicquam deferre, exceptis indumentis quibus induti erant. Abbas autem Magenardus, qui, vt diximus, nobilis progenie erat, ex ſanguinitate enim

HVGO ET ROBERTVS. Anſoaldi diuitis Pariſiacæ ciuitatis exiſtebat, in Cœnobio ſancti Mauri, quod A
Glannafolium dicebatur, tranſmiſſus eſt, vt ibidem Paſtor Fratrum illic degentium exiſteret. Qui quamdiu vixit, in eodem loco conuerſatus eſt. Quo defuncto, ante vultum Crucifixi Domini in Eccleſia corpus eius ſepultum eſt.

SANCTVS igitur Maiolus ſæpefatum locum cum ſuis ſuſcipiens Monachis, diſtrictionem regularis Ordinis diſtrictè obſeruare cœpit: vt omnino nihil prætermitteretur ex his quæ ſancti Benedicti præcipit Regula. Cúmque regulariter intus & exteriùs cuncta ibidem agerentur, ac ſollicitè omnia, vt poſſibile erat, emendata fuiſſent: accedens ad HVGONEM Francorum Regem, exoratus eſt, vt victus alimoniam ſeruorum Dei ſub eo conuerſantium multiplicando adaugere dignaretur. Cuius preces Rex benignè ſuſcipiens, adhortante eum Comite Burchardo, contulit Eccleſiæ Foſſatenſi villam quæ dicitur Manſiones, cum Eccleſiis, & cum cunctis ſibi adiacentiis, ſitam in Pariſiaco inter Sequanam & Matronam, ſicut ipſe eam regali iure habere videbatur. Facto itaque teſtamento monogrammare firmatur, & in eo ſigillum Regalis Maieſtatis à Ragenaldo Cancellario filio Comitis,
988. poſtea Pariſiorum Præſule, imponitur anno incarnati Verbi DCCCCLXXXVIII. ſub die XII. Calend Iuliarum, perpetuóquè in eodem Monaſterio conſeruatur. Ob hoc etiam dies obitus ipſius Regis IX. Cal. Nouembris vſque hodie in ipſo Monaſterio ſolemnitet celebratur. His igitur ita peractis, ſanctus Pater Maiolus ad propria regredi accelerabat. Committens ergo locum cuidam religioſo viro B
nomine Teutoni, quem de Cluniaco ſecum cum ceteris adduxerat, ipſe vnde venerat teuerſus eſt.

POST multum verò temporis, dum ſanctus vir Maiolus in Galliam reuerti differret, defuncto iam inclyto Rege HVGONE, cùm piæ memoriæ ROBERTVS
ROBERTVS. Rex filius eius Regnum ſuſcepiſſet, conſilio & hortatu Comitis eidem Teutoni donum Abbatiæ iſdem Rex dedit, eúmque Abbatem ordinare præcepir. Quod cùm ad aures Cluniacenſium perueniſſet, valde triſtes effecti ſunt, quia cupiebant ſibi ipſum locum ad Cellam redigere. Ordinatus autem prædictus vir ad honorem regiminis, magno ſtudio conabatur onus ſuſceptum æquo diſponere moderamine; ac Eccleſiam ſibi commiſſam ſummo ſublimare honore. Parietes enim ipſius Aulæ, qui ab antiquis fuerant conſtructi, nimia vetuſtate erant conſumpti. Quod idem Pater cernens, eámque meliorando reſtaurare cupiens, omne ædificium illius ſolotenus euertit, atque aliam maioris amplitudinis, & excellentiori dignitate conſpicuam, Deo ſibi auxiliante conſtruxit. Deinde duo ſigna precioſa nomen ſuum vni imponens, ad honorem Domini facere præcepit. Hæc itaque & multa alia ipſe Deo dignus Abbas bona in eodem loco operatus eſt opera. Venerabilis aurem Comes de ſalute ſuæ animæ valde ſollicitus, ſancto eum Spiritu adhortante contulit dilectæ ſibi Eccleſiæ, ſanctæque matri Domini Mariæ, & Apoſtolis eius Petro & Paulo, necnon venerabili Mauro Confeſſori res poſſeſſionis ſuæ, quæ precioſæ ſibi eſſe videbantur. Helizabet quoque Comitiſſa ſociali coniugio illi iun- C
cta, cum Ragenaldo ſuo filio iam Præſule vrbis Pariſij effecto, talis facti aſſenſores, & deſiderij ſui participes extiterunt. Accedens ergo ad Regis præſenriam, exoratus eſt vt Regali more hoc & ipſe annueret, teſtamentúmque ſuæ auctoritatis iuberet fieri, ac ſuo ſigno muniri: quatinus per futura tempora eiſdem rebus prædictum frueretur Monaſterium, & eius memoriale in orationum precatibus ſemper haberetur. Hortante itaque Regis clementiam eius genitrice ADELAIDE, & eius coniuge Regina BERTA, quæ à tanto poſcebantur viro libentiſſimè annuit. Dedir itaque ſæpedictus Comes Burchardus Eccleſiæ Foſſatenſi has poſſeſſiones de rebus ſuæ proprietatis: villam videlicet, quæ Nobiliacus dicitur, in Epiſcopatu Pariſiacenſi ſuper flumen Matronæ ſitam, cum aduocatione & vicaria, cum Eccleſia & altari, & cum omnibus, quæ ad ipſam aſpiciunt. Item in eodem pago, in Comitatu Corbolienſis caſtri, in villa quæ vocatur Licias, manſum Algardis cum omnibus ad illum pertinentibus. In VVaſtinenſi quoque pago, in Comitatu Nantonenſi, atque in Epiſcopatu Senonenſis vrbis, prædium iuris ſui, quod nuncupatur Seia, cum aduocatione & vicaria, atque Eccleſia, & cum cunctis quæ ad ipſum aſpiciunt. In Comitatu etiam Milidunenſi alodum, qui vocatur Curciacus, cum aduocatione & vicaria, & cum omnibus ad eum pertinentibus. Hanc ergo ſuæ ſanctæ deuotionis voluntatem plurimi Francorum videntes & audientes, erga

A eundem locum & ipſi ex propriis rebus multa conferebant. Inter quos Viceco- ROBERTVS.
mes Milidunenſis caſtri nomine IOSCELINVS exoratus eſt Deo deuotum Co-
mitem, vt ei Eccleſiam, quæ ſita eſt in vico, qui Noſiacus-ſiccus dicitur, quam de
eius beneficio poſſidebat, Deo & Sanctis eius concedere dignaretur. Comes verò
gaudio repletus, & hoc ipſum libenti animo conceſſit. Ipſe quoque Vicecomes
cingulum militiæ pro Chriſto deponens, in eodem Cœnobio Monachus poſtmo-
dum eſt effectus, atque dignè finem ſuæ complens vitæ, ibidem obiit ſub die XIV.
Calend. Aprilium. Super his ergo omnibus inclytus Rex ROBERTVS auctori-
tatis ſuæ teſtamentum fieri iuſſit, traditionémque Abbati Teuroni ſeu reliquis Mo-
nachis fecit, & præfatæ Eccleſiæ munificentiæ ſuæ Præcepto confirmauit: per quod
præcepit iubens, vt vſque in finem ſeculi Cœnobitæ illius loci hæc omnia tene-
rent, atque pleniter poſſiderent: nullúſque Rex, nullus Epiſcopus, nullus Comes,
aut vlla mortalis poteſtas illas res diſponere, aut in ſua poteſtate quicquam horum
decernete aut delegare præſumeret: ſed perpetua ſoliditate in ipſorum iure con-
ſiſterent, diſponendi atque faciendi ad vtilitatem loci quicquid elegiſſent. Vt ve-
rò ipſius præceptionis atque roborationis edictum per cuncta æui tempora inuio-
labilem obtineret firmitatis vigorem, more Regali manu propria confirmauit; &
annuli ſui impreſſione inſigniri iuſſit. Quod Rogerius Cancellarius deuotè pere-
git, qui poſtea Deo concedente ad honorem Pontificatus in vrbe Beluacenſi ſubli-
matus eſt. Acta ſunt autem hæc in ciuitate Pariſius, anno incarnati Verbi DCCCC. 998.
B XCVIII. anno verò ROBERTI Regis X. ſub die XIII. Cal. Maiarum.

FVIT etiam ipſis diebus miles quidam egregius, potentiis & diuitiis ſeculi val-
de ſublimis, venerandóque Comiti fidelis, nomine Ermenfredus, fideliter Deo
complacere deſiderans. Hic itaque pauore æterni ſupplicij perterritus, & exem-
plis iam dicti viri religiosè animatus, retulit ei, multùm locum ſibi commiſſum di-
ligere, ac de propriis poſſeſſionibus ſe velle in eo largiri. Deprecatus eſt itaque
eum, quatinus villam, quam de eius beneficio tenebat, quæ Licias appellatur, Ec- Liciæ.
cleſiæ Foſſatenſi daret: itaut etiam prædium ſuæ poſſeſſionis, quod Aiuteum dici- Iury.
tur, ſpontanea voluntate ſimul tribueret. Ille verò, qui optabat vt cuncti milites
Francorum ſimilia peragerent, liberam dedit illi facultatem dandi quicquid eius
animo placitum fuiſſet. Veniens itaque ad ſibi dilectum præ cæteris locum, cum
ſua coniuge, quæ Ermenſendis dicebarur, innotuit teligioſo Abbati Teutoni ac
ceteris Fratribus ſui cordis ſecretum. Qui gratias Deo agentes, in ſuis orationibus
prædictos coniuges ſuſcipiunt: ſicque familiares Dei ſeruorum effecti ſunt, atque
locum ſuæ tumulationis poſt reſolutionem corporum acceperunt. Dederunt ergo
ibidem prædium ſuperiùs nominatum Aiureum ſuper flumen Sequanæ ſitum, di-
ſtantem à caſtro Cotboilo milliario & dimidio, Eccleſiam quoque & vicariam, &
aduocationem, cum omnibus ad eum pertinentibus. Simili etiam modo donatio-
nem fecerunt de villa iam dicta, quæ vocarur Licias, in prædicto pago ſita, diſtan-
C te à caſtro milliario & dimidio: quam de beneficio Burchardi Comitis & filij eius
honore Pontificali præcluentis Rainaldi tenebant: quorum conſenſu & voluntate
hoc donum fecerunt, pro æternæ vitæ remuneratione, & pto animarum ſuarum,
ſiue Gelonis, cui ſucceſſores exiſtebant, atque parentum eorum abſolutione, cum
aduocatione & vicariorum poteſtate, & cum cunctis, quæ ad ipſam aſpiciunt. Do-
num ergo harum rerum ſuper altare ſanctæ Mariæ ſanctique Petri Apoſtoli po-
ſuerunt tenore tali, vt annuatim recognitionem ex ipſis haberent denominatam:
ambobus verò ab hac luce migrantibus, perpetuò habendas poſſiderent. Poſt hæc
etiam Regis adeuntes præſenriam, deprecati ſunr, vr hæc dona Præcepti ſui aucto-
ritare roboraret, & annuli ſui impreſſione munire dignaretur. Ipſe quoque ſuæ
matris Adelaidis, vxoríſque Bertæ ſuggeſtionibus, vti precatus fuerat, peregit.
Conſcripto itaque teſtamento, ac monogrammate Regis manu facto, Franco tunc
Cancellarius, poſtea verò Epiſcopus Pariſij factus, imaginem Regis impoſuit. Fa-
ctum eſt autem hoc in prædicta vrbe anno Incarnationis Chriſti M. Indictione XII. 1000.
anno verò regni inclyti Regis Roberti XII. feliciter.

HIS ita narratis, ad noſtrum BVRCHARDVM reflectatur ſtylus. Huic ergo
venerando Comiti, inſtigante humani generis inimico, infeſtus atque inimicus
exiſtebat valde Odo Comes, eiúſque bonis inuidebat actibus: quia illum in Aula
Regis ſibi ptæponi, atque honotari, & diligi à cunctis conſpiciebat. Qua de re ſe-

ROBERTVS. ductione quadam atque traditione caſtrum Milidunum ei furatus eſt. Quod cùm A didiciſſet, auxiliante ſibi Rege, coadunato Francorum exercitu, multis millibus militum circumuallauit. Cernens itaque Odo non ſe poſſe ibidem quietum manere, nec idem caſtrum proprio retinere dominio, clam cum ſuis abiens fugit. Burchardus verò introgreſſus, proprium recepit caſtrum. Galterius verò, cuius traditione hoc tantum nefas perpetratum eſt; in monte, qui eidem præminet, cum ſua coniuge laqueo ſuſpenſus eſt. Alio quoque tempore inimico pacis luciſque aduerſario adhortante, hi duo Comites in eodem pago Milidunenſi denominato ſibi loco bellum inter ſe condixerunt. Cúmque ibidem adueniſſent, pugnáque ab vtriſque partibus acerrimè præpararetur, prædictus miles Ermenfredus ſolius tunc Regis dominio ſubditus, ſuis manibus ac eius poteſtati humiliter ſe ſubmiſit. Non enim mos erat, nec eſt Francis, in bello aliquo modo introire abſque præſentia aut iuſſu proprij Senioris. Humiliato ergo Burchardo valde in conſpectu Dei, quatinus contra hoſtem ſuperbum, ceruicem corporis & cordis rigidè erigentem, victoria ſibi daretur, in campum villulæ, cui nomen Oreciacus eſt, ſimul pugnaturi Orcey. conueniunt. Illis itaque in acie decertantibus, Dei iudicio exercitus Odonis intra ſemetipſum dimicans, magna cæde proſternitur. Burchardus verò in Domino fiducialiter confidens ſuper hoſtes irruit, multiſque millibus interfectis, victoria illi de cœlo tribuitur. Videns quoque Odo multum ſuum exercitum minui, valdéque occiſum per campi planiciem iacere, nec illa die penitus poſſe victorem B exiſtere, pauore valido tremefactus, valdéque effectus confuſus, timebat minimè inde euadere, ſed latenter auxilium fugæ citiſſimè petiit. Sic itaque Deo fidelis Comes victor exiſtens, laudans cum ſuis Dominum, ad propria cum gaudio reuertitur.

RELIGIOSVS denique Abbas Teuto ieiuniis & orationibus, vigiliatúmque pernoctationibus aſſiduè intentus, Deo ſemper placere fideliter deſiderabat. Cùm ergo in loco ſibi commiſſo arduam, vt cupiebat, vitam, ob paſtoralis cuſtodiæ curam, minimè ſeruare poſſet, Remenſis vrbis pagum ad habitandum ſibi elegit. Habetur ſiquidem illuc quædam poſſeſſiuncula, quam glorioſus Rex Carolus Caluus Eccleſiæ Foſſatenſi, Abbatique Godofredo, refugij causâ propter Northmannorum perſecutionem dedit, in qua etiam corpus ſancti Mauri multis annis reuerenter traditur conſeruatum. Illuc ergo iam dictus Abbas, arduam pro Chriſto peragens vitam, multo tempore conuerſatus eſt. Quò pergens, ibidémque permanere deſiderans, baculum curæ paſtoralis per ſui ſeruitij miniſtrum nomine VValterum, quem ipſe in Domini timore nutriuerat, Fratribus tranſmiſit: mandans vt ſibi ſecundum Chriſti voluntatem dignum Paſtorem eligerent. Hoc ergo Cœnobitæ audientes, valde mirati, atque triſtes effecti, Comiti præcipuo ac eius filio Pariſiorum Præſuli Rainaldo protinus ſtuduerunt innoteſcere. Illi autem hæc omnia Regis auribus innotuerunt. Venerabilis autem Pater Teuto in iam dicta villa multis diebus commoratus, in ieiuniis & orationibus, atque in C cunctis bonorum operum exhibitionibus inquantum homini mortali poſſibile fuit, Deo ſibi opem ferente, ſolitariam peregit vitam. Poſtmodum verò cupiens locum ſibi commiſſum, Fratréſque quos reliquerat reuiſere, vſque ad Nogent ſur Marne. Nouigentum prope Monaſterium peruenit. Ibidem ergo figens greſſum, mandat Fratribus ſe adeſſe, atque ad eos ſe velle venire. Quod multi audientes, hanc eius deſiderij deuotionem prohibuerunt, dicentes ſuo loco iam Abbatem ſuſcepiſſe, nec debere eum recipi, quia animatum curam penitus reliquerat. Cùm autem ipſi Dei ſeruo hoc nunciatum fuiſſet, valde mœſtus efficitur, ignorans quid agere, aut quò ſe vertere deberet. Tandem meditatus in corde ſuo, confortante illum Domino, qui ſperantes in ſe non deſerit, ſalubre conſilium reperit. Nam repente ad Cluniacum ſui Cœnobij locum rediit. Ibique duos Abbates, qui poſt ipſum in ſibi commiſſo loco ordinati ſunt, ſuperuixit, atque in ſancta conuerſatione, vt cœperat, permanſit. Nemo enim illorum diu viuere potuit, quia Domini diſponente iudicio poteſtatem regiminis nonniſi quinque annis tenuerunt. Completo igitur termino, qui præteriri non poteſt, ibidem feliciter obiit ſub die Iduum Septembrium. Ad cuius ſepulchrum, vt referre audiuimus, multi infirmi poſtea ſanitatem receperunt.

HIS ergo ita narratis, ad ea quæ omiſſa ſunt reflectatur ſtilus. Audito itaque

A que Rex, quòd taliter Parer Teuto locum Fratréſque teliquiſſet, tractate ſollicitè cum venerabilibus viris, Burchatdo ſcilicer atque Rainaldo Præſule, cœpir, quomodo ex Domini voluntate ipſum locum ordinare poſſent. ROBERTVS. Qui ſoletri induſtriâ commoniti, filium Haimonis Comitis, fratremq́ ipſius Epiſcopi, nomine THEOBALDVM, qui iam Cœnobio Cotmaricenſi præerat, ad ſe venire præcipiunr. Cui Rex donum Abbatiæ dedit, cúmque Parrem Monachorum fore conſtituit, quia & ipſe ex Cluniacenſibus erat, atque ſancti Patris Maioli inſtiturione edoctus fuerat. Nobilitate autem huius mundi ſublimis Comes non ſolùm in loco, de quo ſetmo agirur, verùm etiam per multa Monaſteria Regni Francorum multa bona contulit: inter quæ Cœnobium ſancti Petri Milidunenſis, quod Siguinus Archipræſul Senonenſis ædificare cœperat, ptopriis muneribus ditare ſtuduit. Erant autem & in aliis pagis plurima ei caſtra; ex quibus Vendocinum, Lauarzinum, & Montem-aureum proprio retinebat dominio: Vendoſme. Lauardin. Montoir. exceptis aliis, quorum nomina mihi ignota exiſtunt, & quæ multi milites beneficij & fidelitatis gratia ab ipſo poſſidebant. Statuit denique dectetum, vt quicumque fidelium ſuotum ex ſuis caſtris vellet aliquam partem tetratum Eccleſiæ Foſſatenſi tribuere, liberam haberet licentiam dandi, abſque iuſſione ſuorum ſucceſſorum, quicquid animo libuiſſet. Quod à quibuſdam ſeruatum, poſtea multa nobis largiti ſunt. Dederat autem cuidam ſuo Præpoſito nomine Badoni, ac duobus ipſius heredibus, quoddam beneficium, B taliter, vt diebus ſuæ vitæ cenſum ipſius Monaſterio perſoluerenr, id eſt LXXII. nummos: illis verò ab hac luce ſubſtractis, ipſam terram perpetuò Cœnobitæ poſſiderent. Sed iam dicto viro obeunte, filius ipſius Alrannus nomine, qui primus hetes extiterat, cuiúſque nomen in Carta continebatur, accedens ad Odonem, qui poſtmodum loco præfuit, accepto ptecio, ſupet altare ſanctæ Mariæ eandem poſuit Cartulam, atque cuncta, quæ in ea deſcripta erant, Abbati ac Monachis tradidit. Sunt autem ipſæ res non magnæ, ſed admodum paruæ, ſitæ in Pariſiacenſi pago non longè à caſtello Corboilo, ſed in circuitu eiuſdem caſtri. Hoc eſt in villa quæ vocatur Licias, villulam quæ dicitur Burgunnaria, eo quòd ibi Burgundiones habitauerunt, vbi habetur ſylua cum terra arabili. Item prope caſtrum farinarium, quod vocatur Toluia, cum dimidio atipenno tetræ, ad ædificandum ſi fuetit opus. In ipſo quoque loco aliquantulum de terra ſancti Stephani. Cetera verò ſunt, id eſt contra caſtellum ſancti Exuperij, & in iuniori, & in veteri Cotboilo, & in Atelas, & in Soſiaco, atque in Sintrio. Quæ qui cuncta noſcete cupit, in Cattula, ſiue in teſtamento ROBERTI Regis, quod anno incarnati Verbi M. XXVIII. anno verò regni 1028. ſui XLI. factum eſt, apertè reperire valebit.

Eo igitur tempote dum Francotum Regnum optima pace à ROBERTO glorioſo Rege gubernaretur, & Eccleſia Dei pacis concordiâ repleretur, ſubitò C idem Regnum maligna conturbatut aduerſitate. Vnde accidit vr quidam huius ſeculi ventoſa nobilitate prædiues, Arnulfus vocitatus, Comitatus officio inſignitus, contra domnum Robertum inſurgeret; cuncta quæ eius ditioni ſubiecta fore videbantur, incendio concremaret, & ea mala quæ inferre poterat in omnibus adhibetet. Qua diſcotdia præualente, & diaboli ſæuitia præeunte, Cœnobium ſancti VValarici adiit, incendio cuncta quæ potuit concremauit, atque ipſum corpus Confeſſoris Chriſti proprio dominio ſubdidit. Qua de re triſtitia magna repleti Monachi, tanto carentes patrono, celeri greſſu Regem Francotum adeunt, poſcentes vt eis ſuccurrete dignaretur. Qui eis præſentiam ſui exhibere non valens, domnum Butchardum exorando deprecatur, vr eis ſua vice ſuccurreret, & eis corpus ſanctum quo valeret iuuamine teddere facetet. Venetandus verò Burchatdus Comes illuc adueniens, de Dei gratia corde confidens, Comitem Flandrenſem adiit, Regia profert verba, & cum exotando deprecatur, quatinus Confeſſotis Chriſti membra, quæ iniqua cupiditate ſuſtulerat, voluntate & miſericordiâ Dei præeunte ſolo reſtituetet proprio. Qui eius precibus aſſenſum præbens, pacem fecit cum Rege & Francis, & quod à tanto Comite petebatur celeriter adimpletur. Cúmque veniſſent ad fluuium qui Summa dicitur, & inde tranſire vellent, repente mare cernunt inundaſſe, & viam ſancto corpori, Comitique Burchardo, & ceteris qui

Robertus. cum eo erant, denegare. Tunc Comes, qui baiulus ſancti corporis erat, cun- A
» ctis audientibus & Deum tota mente ignorantibus, dixit: Domine Ieſu Chri-
» ſte ſi miſericordia voluntatis tuæ exiſtit, vt cotpus huius Sancti tui proprio
» reſtituatur Cœnobio, iubeas nobis hoc flumen maris clementiâ tuæ bonitatis
» diuidere, & viam huius itineris clementia tua nobis pandere non dedignetur:
» quatinus hæc plebs tuo nomini ſeruiens, ad laúdem glotiæ tuæ, & ad hono-
» rem huius Sancti tui, corde deuoto munera laudum læta cordis exultatione
» perſoluere valeat. Ad hanc vocem ſerui Dei & precibus Sancti ſui exotatus Dominus, ſubitò æquoreum mare ira diuiſum eſt, vt baiuli ſancti corporis, & cunctus populus laudando & benedicendo Dominum Deum, cum ſumma laudis deuotione illud æquoreum maris periculum ſiccis veſtigiis, abſque vllo maris periculo, pertranſiret. Ex quo facto illud Dominus reïterare dignatus eſt miraculum, quod per Moyſen famulum ſuum fugientibus filiis Iſraël per medium mare operari dignatus eſt. Illud quoque Cœnobium multis prædiorum ſuorum poſſeſſionibus ditatum reddere cupiens, multa intrinſecus & extrinſecus ob ſuum perpetuum memoriale largiendo contulit. Vnde etiam ibidem dies anniuerſarij ipſius ſolemniter celebratur, tanquam ſi præſens illic adeſſet corpore. Qui etiam teſtando profitentur, ſi poſſibile eſſet, vt apud illos corpus illius haberetur, quod fieri non valet, quia hoc voluntati Dei placere non confidimus: tamen illius venerandum corpus penes ſancti VValatici corpus ponetetur: quatinus quem honorare ſtuduit in terra, cum ipſo quoque à Chriſto B honorificaretur in cœlo & in terra. Sed his omiſſis, ad noſtrum Burchardum reflectamus articulum, ac qualiter ad ſacrum Ordinem acceſſerit, & ad Chriſtum poſtmodum peruenerit, auxiliante Domino vertatur ſtilus: & cunctis hoc ignorantibus noſtra oratione manifeſtáque ratione cunctis demonſtretur mortalibus.

Diebus igitur prædicti Abbatis miles inuictus Deo deuotus Comes Burchardus in infirmitatis langorem decidit. Sed quoniam omnis filius, qui recipitur à Deo miſericorditer, flagellatur: deſiderans inueniri vigilans animæ ſuæ, cuſtos peruigil exiſtere cupiebat. Protinus enim milicia ſecularis contemnitur, Monachalis vita appetitur, cœleſte regnum toto mentis intuitu concupiſcitur. Formidans ergo mortis periculum minimè poſſe euadere, accepto auro & argento, palliiſque & multis Monaſterialibus ornamentis, in conſtructo & ædificato à ſe loco Monachalia indumenta requirit, & accipit. Fit luctus ingens ab omnibus Francorum Proceribus, à Monachis, à Clericis, à viduis, à cunctis ordinibus vtriuſque ſexus & ætatis: eò quòd ipſorum patronus eos deſereret, quos affabili conſilio, dulciſſimo alloquio confortare ſolebat. Plangunt cuncti milites, lamentantur vniuerſi pauperes: quoniam conſolator miſerorum, ſubleuator afflictorum, cunctorum militum ſpes & refugium ab eorum ſubtrahebatur aſpectibus, & ipſi præſidium totius ſuæ ſalutis & conſola- C tionis amittebant. At contra Cœnobitæ Chriſti ſerui, licèt de eius incommodo triſtarentur, gaudebant tamen, quoniam tam egregius miles Comitali honore præfulgens, ſecundum Domini præceptum cuncta relinquebat, eiúſque iugum ſuaue & onus leue mente deuota ſuſcipiebat. Deferuntur itaque inter cetera ipſius ornamenta, vaſa plurima aurea & argentea, ærea & lignea, candelabra quoque precioſa. Quæ omnia, vt dignum erat, ad ſanctæ Eccleſiæ, ſeu ſancti Altaris miniſteria deputantur. Inter hæc ergo duo vaſa precioſa ad lympham fundendam ſiue recipiendam in Sacerdotis manibus, quorum vnum manipulum vocamus, eo quòd manu geritur, in quo etiam Litteræ habentur, quæ Abagari Regis ad ſanguinem minuendum eum fuiſſe teſtantur. In ipſo quoque ipſe Rex cum ſe phlebotomante, alióque ſibi ſeruiente, ex precioſo puróque auro cernitur imaginatus, tamque precioſum ac decorum vas in hac patria minimè dicitur inueniri. Textus etiam libri ſancti Euangelij optimè litteris aureis conſcriptus, auro & argento atque ebore inciſo pulchrè operatus, minimè defuit. Aureus quoque enſis cum cingulo aureo, ex quo hoc magnum Monaſterium dicitur eſſe inceptum, à lumbis reſolutus, eius dono allatus fuit. Item vas precioſum valde ex lapide, quem berillum dicimus, ex quo aqua in ſancto calice fundebatur, locúmque quo milites exerceri ſolent criſtallino la-

A pide optimè operatum ſecum detulit. Seruorum quoque & ancillarum infinitum contulit numerum. Quid plura? nemo hac mortali carne tegitur, qui cuncta eius dona pleniter enumerare valeat. Cùm ergo tam glorioſus Comes innumeris in ſeculo claruerit honoribus, nulli heredum, nulli amicorum, nulli ſuorum fidelium tanta, exceptis caſtris, reliquit, quanta Deo Sanctiſque eius in loco ſibi præ cunctis dilecto pro ſalute ſuæ animæ contulit.

Sacro igitur ſcemate religioſè indutus, in domo ſibi iuxta Eccleſiam præparata plurimis diebus infirmus iacuit, poſtmodum ſuorum ſeruorum preces pro eo ſemper fundentium Dominus pius placatus conualeſcere cœpit, atque cum ceteris abire Fratribus. Cùm itaque ſanitati redditus Domino fideliter placere ſtuderet, illi iugiter gratias referebat, eúmque humili mente benedicebat, quia ſuæ ſanctæ miſericordiæ gratiam illi etiam in hoc ordine conferebat. Seruitium quoque ſanctæ Eccleſiæ, quod more Cœnobitarum à ſeculo conuerſi Deo exhibere debent, ipſe vir nobiliſſimus humili deuotione peragebat. Cúmque ei à Fratribus diceretur, vt quid tam nobilis vir ſeculari dignitate præcelſus, & ſenectutis iam labore fractus, ſe humiliando affligere dignatur? Ille reſpondebat: Si, inquit, cùm militari honore ſublimatus eſſem, atque vt dicitis, militum ſtipatus agmine, Comitatus dignitate fulgerem, mortali Regi lucerna indigenti cereum manu anteferebam, quantò magis nunc immortali Imperatori debeo ſeruire, atque ante ipſum candelabra ardentia ma-
B nibus cum exhibitione humilitatis reuerenter ferre? Hoc dicens, & agens, magnum de ſe humilitatis exemplum cunctis videntibus & audientibus proponebat. Sic itaque Deo probatus, & velut aurum precioſum igne examinatus, iterum langoris moleſtia corripitur, atque ad extrema deducitur. Sacri igitur corporis & ſanguinis Chriſti perceptione munitus, beatum Domino ſpiritum reddidit ſub die IV. Calendar. Martiarum. Quo defuncto, continuò adeſt Præſul cum Clericorum numero, Abbas quoque cum Monachorum agmine. Corpori perſoluuntur obſequia funebria, ſanctam Deo commendantes animam. Fit repentè clamor per vrbem, per caſtella, vicos & plateas. Concurrunt milites, diuites & pauperes, ſenes & iuuenes, viduæ & virgines, cuncti plangentes & eiulantes repleti dolore & miſeria. Impletur Foſſatus luctu & gemitu, omniſque doloris plenitudine, amittens patronum & aduocatum, quem habere meruit defenſorem & ſubleuatorem fideliſſimum. Clamat ſe minimè ampliùs talem reperturum, cuius nobilitate ditetur, cuius auxilio tam fideliſſimè muniatur: ſed morſibus patere malignorum, inuaſione diripi hoſtium, atque cunctorum aduerſantium malignitate circundari. Quod ita poſtmodum accidiſſe, cunctis hodie per Orbem degentibus claret. Sepelitur igitur tam nobilis viri corporis gleba ante vultum noſtri Redemptoris, in domo vbi Fratres ad matutinum & ſerotinum conueniebant Capitulum. Studuerunt
C autem antiqui Patres eius Mauſoleum talibus decorare verſiculis, quò eius perpetuum memoriale ſine fine maneret inuiolabile.

Hic vir magnus erat quondam dum corpore vixit,
Nomine Burchardus per mundi climata notus,
Celſus erat meritis, dictiſque factiſque modeſtus:
Pauperibus largus, viduis per cuncta benignus.
Ipſius en corpus tumulo requieſcit in iſto,
Martius oſtendit quarto migraſſe Calendas.

Illa autem tabula ſepulcri ipſius ab anteceſſoribus noſtris optimè operata ac decorata fuit, ſuper pectus eius crux deaurata cum literis α & ω ſuperpoſita fuit: & nos quoque pueritiæ noſtræ tempore oculis noſtris inſpeximus. quæ cuncta poſtmodum, vt hodie patet, penitus deſtructa exiſtunt.

Venerabilis quoque Elizabet Comitiſſa vxor eius eundem locum ſecundum ſexus ſui naturam magnis muneribus ditare ſtuduit, quæ à ſeculo migrans ibidem ſepulta iacet. Cuius obitus dies agitur XV. Cal. Februarias. Cuius etiam polyandrum his decoratur verſiculis,

Hos placuit Domino viuos coniungere binos,
Et polyandra ſimul iungere ſic voluit.

ROBERTVS.

Hoc quicumque legis perſolue carmina pſalmi, A
Spiritus vt valeant ſcandere regna poli.

Hæc de multis Comitis geſtis ſufficiat enarraſſe. Sunt denique innumera bonorum eius operum acta, quæ faſtidio compellente relinquimus, quia ad alia gerenda feſtinat animus. Nobis ergo, Fratres, ſolerti ſtudio prouidendum eſt, vt iſtius viri ceterorúmque benefactorum eleemoſynas, quas pro redemptione criminum ſuorum huic loco contulerunt, taliter ante oculos conditoris pro ipſis deſeruiamus, vt non, quod auertat Deus à nobis, ad æternam confuſionem proueniant. Sciendum eſt enim quòd eleemoſynis bonorum virorum præſentis vitæ curſum, Deo auxiliante, tranſigimus, ideóque animo recondendum quod Dominus terribiliter peccatores exprobrando per Prophetam clamat dicens: *Peccata populi mei comederunt.*

ANNIVERSARIA etiam horum coniugum ſolemniter à ſeruis Dei in diebus prædictis celebrari debent, vt animabus eorum proficiat, quod hunc præ ceteris locum dilexerunt, & ſua corpora ibidem tumulari voluerunt: vt à Chriſto Domino in die iudicij reſuſcitari mererentur. Vſque hodie enim, id eſt
1058. vſque ad præſentem annum, qui eſt incarnati Verbi M. LVIII. anni verò Regni Regis Francorum HENRICI XXVIII. hoc ipſum deuotè in hac peractum eſt Eccleſia. Quod & vt in poſterum fiat, humiliter fatendum eſt. A Rectoribus quoque loci ſiue à miniſtris magnopere procurandum eſt, vt ſicut B in Eccleſia agi diximus, ſic quoque refectio ex precioſis dapibus & pigmentis pro ipſorum ſpiritibus ſolemni præparetur obſequio: quia vt vulgo dicitur, inanis videtur eſſe labor, qui victus alimoniam non tribuit. Et ne hoc vanum cuiquam, aut floccipendendum videatur, Abbatis Giraldi ſeu totius Congregationis fauore ac voluntate ſtatutum eſt, vt pro Comite Burchardo, qui tanta beneficia huic Eccleſiæ contulit, vt quiſque ex præſentis ſtyli narratu noſcere valet, prouiſor Nobiliaci; pro Eliſabeth verò Cruciaci, pro Rainaldo Præſule Seiæ, pro HVGONE Rege Manſionum, pro Ermenfredo autem eiúſque coniuge Liciarum & Yurei, pro Abbatibus huius Congregationis Prouiſor atque Theſaurarius huius loci diligenter, abſque omnis negligentiæ incurſu, ſtuderent perficere. Qui autem hoc decretum poſtmodum deſpicere aut deſtruere conaretur, perpetuo excommunicationis anathemate damnaretur.

PROPOSVERAM in proœmio huius Operis poſt hæc de Præſule Rainaldo aliqua diſſerere, quo eius memoriale poſteris notum fieret. Sed quia non eſt in poteſtate hominis vita eius, multis incommodis vrgentibus, me nunc hoc perficere minimè libet, donec optatæ pacis & tranquillitatis tempus adueniat. Gratias tamen & in proſperis & in aduerſis ſemper agamus Ieſu Chriſto, Sanctóque Paraclyto, qui viuit & permanet vnus Deus indiuiſibiliter per cuncta ſecula, amen.

EXPLICIT VITA DOMNI BVRCHARDI venerabilis Comitis.

A

PARS VITÆ S. ABBONIS FLORIACENSIS ABBATIS ET MARTYRIS, IN QVA RES ALIQVOT HVGONIS ET ROBERTI Regum exponuntur.

Auctore AIMOINO *Floriacenſi Monacho, qui eam petente Heruco Clerico, ſancti Pontificis Martini Theſaurarico, conſcripſit.*

POSTEA factum eſt, vt venerabili Abbate Oylbaldo humanis rebus exempto, communis Floriacenſium electio Fratrum vſque perferretur, hunc (nempe ABBONEM) ſibi Patrem poſtulantium. Præerat per idem tempus Regiæ Francorum Aulæ Princeps HVGO nomine, qui conſenſum præbere non diſtulit. Et quamuis vt in talibus fieri aſſolet, aliqui ex Fratribus huic electioni peruicaciter reniſi eſſent, tamen plurimorum, & vt poſt patuit, ſanioris conſilij, præualuit authoritas. Suſceptum ergo vir Deo dignus Abbo paſtorale officium, vti ille qui quid ſuſcepiſſet intelligeret, irreprehenſibiliter diſponere pro poſſe ſatagebat. Monebat ergo ſubditos, vitiorum abdicatis ſpinis, in areolis cordium diuinarum ſerere aromata virtutum. Iam verò contra vitia carnis iugem aiebat debere haberi pugnam. Omníque induſtria inueſtigandum, quibuſnam armis, quis eius repugnet oblectamentis. Ad quod explendum, poſt orationum vota, poſt ieiuniorum virilia certamina, multum prodeſſe cenſebat literarum ſtudia, maximéque dictanti exercitia. Quarum ipſe perſtudioſus exiſtens, nullum penè intermittebat tempus, quin legeret, ſcriberet, dictarétve. Extant multa ſcriptorum eius inſignia, quæ proprio indigeant volumine. Nos interim aliqua, futuris profutura ſeculis, ſuccinctim noſtris inſerimus cartis. Nempe poſt elucidatos vt prælibauimus dialecticos Syllogiſmos, poſt exaratas Compoti calculationes, poſt Solis ac Lunæ viarum declaratas dimenſiones, in diuinas quoque animum intendit Scripturas. Aſſumptiſque ex plurimorum Patrum auctoritatibus ſententiis, velut prudentiſſima apis, variis fauos componens floribus, mellitum defflorauit opus. Quod licèt ad præſens non reperiatur, partim noſtrorum negligentia, partim extraneorum ſubtractum cupiditate: certum tamen eſt, idcirco eum excerpſiſſe, quò haberet ad manum defenſiones contra Pontificem Eccleſiæ Aurelianenſis, non recta quædam ab eo exigentem. CAP. VII.

B

C

DENIQVE cùm idem vir Domini paratus eſſet iuxta Apoſtoli præceptum, *Subdi etiam omni humanæ creaturæ, propter Dominum*: intelligens tamen, loco quem regebat poſtmodum poſſe officere, ſi ei modos ſubiectionis quos requirebat ad ipſius libitum dependeret: id facere in omni ſua recuſauit vita. Vnde idem Pontifex Arnulfus nomine, animaduertens nec ratione, nec diuinarum legum eum poſſe conuinci altercatione: manifeſtum ſe ei oſtendit inimicum. Qua de re actum eſt, vt ſatellites memorati Pontificis eundem virum Dei, Turonis ad feſtiuitatem ſancti Martini properantem, noctanter aggreſſi, grauibus afficerent contumeliis: quibuſdam obſequij illius hominibus ad necem vſque vulneratis. Quam rem præfatus Antiſtes, cùm in reliquis actibus ſuis honeſtis ſemper ſe demonſtraret pollere moribus, nequaquam, vt par erat, indignè tulit. Verum propter vulgi famam, aliquos eorum qui hoc perpetrauerant ſcelus, quaſi pro ſatisfactione, vt virgis cæderentur, ante eum adduxit. Sed Dei ſeruus perpendens hæc non recta fieri intentione, ſimúlque memor Domini per Scripturam dicentis, *Mihi vindictam, & ego retribuam.* quæ offerebantur accipere noluit. Et quia vindictam ſumere per ſemet diſtulit, vt à Domino vindicaretur emeruit. Etenim quoſdam ex ipſis morte ſubita VIII. 1. Petr. 2. 13. Rom. 12. 19.

HVGO ET ROBERTVS.

A interceptos, in lectulis ſuis repertos mortuos: alios in rabiem eſſe verſos, fama vulgante didicimus. Enimuero quia difficile eſt in proſperis inuidia carere, à quibuſdam aliis Præſulibus, necnon noſtri Ordinis viris, videlicet Monachis, quos nunc nominibus propriis deſignare ſuperuacuum fore credidimus, æmulo lacerabatur dente. Qua propter ad Dominos rerum, inclitos ſcilicet Franciæ Reges, HVGONEM ac eius filium RŌTBERTVM, à quibus pro ſummæ æquitatis ac veritatis tramite, quam ipſe Dei famulus inoffensè diligens tenebat, quàm maximè amabatur, Apologeticum ſcripſit librum. Cujus hoc exiſtit exordium. Sæpè contingit, vt dum nimius inſurgentium calamitatum horror mentem fatigat ipſo horrore, non ea quę dicere debuerat turbatus animus expediat: ſed phantaſmate cogitationum aliorſum raptus, quæ tacenda ſunt dicat, ac quod eſt conſequens, quæ dicenda taceat, Semper enim ſummæ tranquillitatis quietem diligit, qui veritatis arcanum ratiocinando diſponere geſtit. Quapropter ab ipſis diſciplinarum rudimentis, ſicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita deſiderat anima mea laborioſum ſpiritualis Philoſophiæ otium, cùm ad multorum vtilitatem verterem in honeſtum negotium. Cum meis peccatis propedientibus, eò relicto, quodammodo ad ſeculi ſollicitudinem ſum reductus, qui ſub cura paſtoralis regiminis cotidiè ſuſtentor aqua anguſtiæ, & pane tribulationis. Corrodit me canino dente æmulorum ſupplantatrix calliditas, circumlatrat aduerſariorum frequens acerbitas. Nec aliud contra me immurmurant, niſi quòd Monachorum Senatum ſaluum eſſe velim. Noſtræ Reipub. B augmentum quęſiui, ac cauillationi inſidiantium authoritate qua valui contradixi. Nec abſcondi omninò miſericordiam & veritatem à conſilio multo. Pro huiuſmodi malis meo inſidiantur ſanguini, me ſuccenturiatis inſequuntur odiis. Adeò vt nec Regia Maieſtas eos deterreat, quin me clanculum trucident, ſi eis locus tempúſve arrideat. Vnde ſedulus in orationibus meis, Dominum deprecor: vt iudicet & diſcernat cauſam meam ſolitò, eripiátque ab homine iniquo & doloſo. Hereticorum autem in hoc eodem libro faciens mentionem, poſt nonnulla alia, hæc interſerit. Omnes, inquiens, hereſes, ita perſecuti ſunt Patres noſtri, vt primitus fide expoſita, explorarent in ſuis Conciliis, ne quis ſentiret contrarium ipſis Apoſtolis. Qui repertus, abſque vlla dilatione, aut ad corpus Eccleſiæ eſt reductus: aut vſque ad erroris abrenuntiationem percuſſus anathemate, Catholica priuatus eſt communione. Nec magis ſerpentem tangere vitauerunt orthodoxi, quàm adhærere huiuſmodi lepra contaminatis. Vnde in Canonibus prohibemur, ſi nos Catholicos eſſe ſcimus: ne cum eis ſaltē oremus. Nam ſub Marciano Principe, apud Calcedoniam xv. & eò amplius dierum actio de hac re ventilata eſt, reſidentibus Epiſcopis DC. & vt quibuſdam placet, M. CC. Quibus omnibus pius Princeps ex ſuarum rerum copia ſumptus abundanter præbuit, quoad ad omnes Hereticos à ſe repellerent, id eſt eos qui in verbo vel opere, aliter quàm ſancti Apoſtoli ſenſiſſent. Quo facto, in tantum fidei puritas placuit pio Principi, vt eam ipſe cum ſua coniuge cub chirographo hoc publicè profiteretur coram illo magno Concilio, cuius piam religionem C imitamini Domini noſtri Hugo & Robette chariſſimi Reges: ſi in terra viuentium Chriſto vultis eſſe heredes ac coheredes. Et de Regno veſtro omnem hereticam prauitatem depellite, vt Deus vos cuſtodiat in æterna pace. Et poſt pauca. Inter reliquas, Hereſes etiã de * oratione Eccleſiam, in his deflens exſurrexiſſe regionibus, hæc infert. Caueat, inquiens, quicumq; vult ſaluus eſſe, eam, haud dubiè quin Eccleſiam, alicuius alterius, niſi ſolius Dei poſſeſſionem credere. Vnde Petro Principi Apoſtolorum dicitur: *Tu es Petrus, & ſuper hanc Petram ædificabo Eccleſiam meam.* Meam, inquit, non tuam. Et Chriſtus alibi: *Domus mea, domus orationis vocabitur.* Pſalmiſta quque: *Domum tuam, Domine, decet ſanctitudo.* Si ergo Eccleſia non eſt Petri, cuius erit? Aut ſucceſſores Petri audebunt poteſtatem ſibi vendicare, quam non habuit Petrus Princeps Eccleſiæ? Certè, chariſſimi Principes, nec Catholicè viuimus, nec Catholicè loquimur, quando illam Eccleſiam dico eſſe meam, ille alteram dicit eſſe ſuam. Ac veluti quædam iumenta, comparati iumentis inſipientibus, vtraſque aliquando venales proponimus, propoſitáſque ab aliis emere non formidamus. Eſt etiam alius error grauiſſimus, quo fertur altare eſſe Epiſcopi, & Eccleſiam alterius cuiuſlibet Domini: cùm ex domo conſecrata & altari, vnumquoddam fiat, quod dicitur Eccleſia, ſicut vnus homo conſtat ex corpore & anima. Videte, æquiſſimi Principes, quò nos ducit cupiditas, dum refrigeſcit charitas.

* fort. ad delolationem Eccleſiæ.

Matt. 16. 18.

Matt. 21. 13.

Pſal. 92. 5.

Hugo et Robertu.
IX.

A In illis ſanè diebus, in Monaſterio ſancti Dionyſij haud procul à Pariſiis, Concilium aggregatum eſt quamplurium Epiſcoporum. Qui cùm de fidei puritate, de corrigendis tam ſuis quàm ſubditorum prauis motibus, ſermocinari debuiſſent, iuxta vulgare prouerbium, cunctum ſuum ſermonem ad decimas verterunt Eccleſiarum. Quas laïcis, ac Deo ſeruientibus Monachis auferre moliti, reſiſtente eis in hac re hoc venerabili Dei cultore Abbone, promiſcuam in ſe vulgi concitauêre manum. Ortáque ſubito ſeditione, tantus in Epiſcopos timor irruit, vt publica ſtatione relicta, paſſim quiſque diffugeret. Inter quos Seguinus Senonum Archiepiſcopus, Primatum Galliæ in ea Synodo ſibi vſurpans, primatum quoque fugæ arripuit. Et inter fugiendum, ſecuri inter ſcapulas ictus, lutóque à popularibus oblitus, ægrè euaſit. Vni quoque Epiſcoporum timor fugienti tam veloces addidit alas, vt affluentiſſimo prandij apparatu, quem ſibi extruxerat, relicto, vicinæ vrbis Pariſiorum mœnia, fugitabundus expeteret. Totam ergo tantæ calumniam iniuriæ, tam à præfato Arnulfo, quàm à reliquis Pontificibus, ſub ſemet deuolui perpendens. Hic Deo deuotus Abbo, in eodem Apologetico non ſolum «
ab hoc, verùm & à quibuſdam aliis hoc modo ſe purgat obiectis. Nec me ve- «
ſtro, ait Regibus, aliorúmque ſapientum examini ſubduco, qui contra Canones «
ſenſiſſe ſoſpicor. In Epiſcopos manum Monachorum mouiſſe accuſor, veſtram «
beneuolentiam proprio Epiſcopo tuliſſe blaſphemor, quibuſdam excommuni- «
B catis participaſſe criminor. Sed eſto, cui ſententiæ Canonum contradixi, qui in «
illo Concilio vix apertum librum videre potui? Aut Concilium illud fuit, vbi «
conciliati venerunt, & diſconciliati receſſerunt? cùm ibi diſcordes reconciliari de- «
buerint, aut canonica diſtrictione mulctari. Quid in me ſingulariter commiſe- «
runt Epiſcopi, vt eis ſaltem cogitatione obeſſe voluerim, præſertim cùm non ini- «
micum: ſed fide & opere amiciſſimum, grauiora pericula pertuliſſe contigerit? Ec- «
ce coram Deo in Chriſto non mentior, quia audita inſequentium conclamatione, «
vltra quàm dici poſſit indolui, recordatus priſtinæ amicitiæ & beneficiorum tanti «
viri, cuius nix venerandum caput oſtendit, excepta Primatis prærogatiua, & Sa- «
cerdotali infula. Qua ſuggeſtione vos decepi, vt veſtram beneuolentiam optimis «
auferretis, malemeritis conferretis? Num ego Deus ſum, qui mutat mentes, mu- «
tat corda, mutat regna & tempora? Verè fateor me magicam ignorare, nec ali- «
quid malarum artium didiciſſe. Atque paulò pòſt, hæc addit. Denique quod ex- «
communicatis me miſcuiſſe aſſerit, eius exemplo vtique feci, qui filios Belial no- «
cturno latrocinio in meam necem graſſantes recepit: poſtquam eos anathemati- «
ſauerat ſuus Archiepiſcopus, ſingularis meriti Seguinus, & Odo Carnotenſium «
Epiſcopus, necnon & alij magnæ vitæ & religionis viri. Et iniqua indignatus exur- «
gere iudicia, execrantis voce proclamat. O tempora! ô mores! Certè qui volunt «
exequi in fabrateria mendacij cupiditates ſuas prauas, ipſi nituntur condere le- «
ges iniquas. Ad vltimum ſua non ignorans multis diſplicere ſcripta, Regibus ſe-
C ſe commendat, præcipuè domno ROTBERTO, quem ſcientem literarum, ac idcirco diligentem fore nouerat ſtudioſorum, ſcribens in hæc verba: Præterea
Dominos meos cùm familiariter alloquens bona ſuadeo, multorum animos ſcio «
contra me concito. iuxta illud Comici. *Obſequium amicos, veritas odium parit.* De «
quorum animoſitate non multorum moueor, dulce decus meum Rotberte, quem «
attauis Regibus editum, diuina pietas perduxit ad Regni faſtigium; ſi poſt Domi- «
num & Sanctos eius, veſtro ſpecialiter ſuſtentor auxilio & conſilio, cuius mentio- «
nem in cotidianis orationibus meis nunquam prætereo. «

BERNARDO etiam Abbati Bellilocenſium, inter alia, duarum mittit textus Epiſtolarum, quarum non putauimus prætermittendam commemorationem. X.
Hunc ſanè Bernardum, pater Hugo haud infimo inter Proceres Aquitanicos ortus loco, ex copioſa filiorum caterua Deo obtulerat ad ſeruiendum: ac ad Floriacenſe ſancti Patris Benedicti Cœnobium miſerat, literis imbuendum. Quem hîc totius bonitatis plenus Abbo, ex præcepto Abbatis ſui honorabilis Richardi, ſuſceptum, valde dilexit, & in quantum temporis opportunitas adriſit, liberalibus artibus erudiuit. Sed idem Bernardus, non longo annorum interiecto ſpatio, à patre ſuo euocatus, Solemniacenſi Abbatia, quam ſanctus quondam conſtruxit Eligius, eſt donatus. Ac non multò pòſt, Bellilocenſem locum, quem eius genitor iure belli armíſque conquiſierat victricibus, eſt adeptus. Cui cùm VVillelmus

HVGO ET ROBERTVS.

Comes Tholoſanus Caturcenſem Præſulatum, quem nunc regit, committere A
diſpoſuiſſet: & ob hoc tam ipſe Comes, quàm & Archiepiſcopus Bituricenſium,
ſub cuius Diœceſi eadem Eccleſia conſiſtit, non minimam pecuniæ ſummam ab eo
exigerent, ad hunc alumnum ſuum ſanctum dirigit Abbonem, quid facto opus
eſſet interrogans. Ad quem ille charitatiuam direxit Epiſtolam, ita ſe habentem:
» Quia te diuina pietas ſeruum ſuum multis honoribus admodum extulit, quos vir-
» tutum prærogatiua adeo excolis, vt te imitabilem præbeas pluribus bonis: hortor
» & admoneo, vt tuæ memor profeſſionis, illos gradus excellentiæ appetas, in qui-
» bus Dominum non offendas. Et poſt aliquanta, eos denotans qui gratiam ſancti
» Spiritus vel vendunt, vel emunt, hæc dicit: Huiuſmodi emptores quaſdam ve-
» lut telas arancarum texunt, quibus ſe defendunt, quòd non benedictionem, ſed
» res Eccleſiæ poſſeſſuri emunt. Cuius vero poſſeſſio eſt Eccleſia, niſi ſolius Dei?
» Quis eius Dominus, niſi Deus? Quia etſi præſens Eccleſia indiget duobus aduoca-
» tis, vno in rebus temporalibus, altero in ſpiritalibus, neutrum tamen habet vt Do-
» minum, qui eam vel vendere poſſit, vel emere, quam Chriſtus redemit ſuo ſan-
» guine. Dánſque ei conſilium, huiuſcemodi clauſula finem imponit Epiſtolæ: Nun-
» quam ergo, inquiens, fieri hæreticus vllo modo acquieſcas; quia inaniter de pecca-
» tis pœnitentiam agit, qui eam fidem impugnat, quam ſub ſanctis Apoſtolis Catho-
» lica tenuit Eccleſia. Verum, Bernardus tandem aliquando bonorum huius vitæ
pertæſus, videns multorum frigeſcere charitatem, & ideo ſuperabundare iniqui-
tatem, deliberauit animo, relictis omnibus quæ poſſidebat, Hieroſolymam pete- B
re. Quod iter à patre eius, pœnitentiæ voto, ante omnes ferè in hoc tempore
Galliæ habitatores cœptum, ac percurſatum fuerat. Nec tamen hoc abſque ſui
ſententia didaſcali aut conſilio perficere diſponens, ad Floriacum venit Monaſte-
rium, ſecreta cordis ſui huic ſuo totius bonitatis patefacturus magiſtro. Ille, Hie-
roſolymitano interdicto itinere, ne omnino eius voluntati contraire videretur,
Romam petere, montem Garganum adire conceſſit. Paternóque affectu, attri-
butis comitatui ſiue obſequio illius aliquibus ſuorum, cum fraterna eos ſiuit abire
benedictione. Qui propinquorum ſuorum æquè limina Apoſtolorum adeuntium
coactus querelis, dicentium eius abſceſſu clandeſtina inter ſe conſurrexiſſe bella,
Conſtantinum Preſbyterum, quem ei vt obſequeretur pius magiſter ipſi delega-
uerat, ex itinere ad eum remittit, mandans ſuorum neceſſitudine, ſe domum re-
dire compulſum. Non tamen quippiam ſe ſine eius præcepto acturum, quin potiùs
ei per omnia, vti prius ſpoponderat, pariturum. Simúlque quæſtione propoſita,
inquirit vtrumnam melius eſſet cuncta relinquere, an vt ſuis præſidio foret, ſeculo
ſpecietenus deſeruire? At veritatis amator Abbo, apicibus ad eum directis, &
quid ſibi rectius videretur exponit; & quid ipſe tenere mallet, liberam dat eligendi
copiam. In quibus, non ſolùm ipſum Bernardum Abbatem, ſed etiam vniuerſos
viæ eius conſortes, aut graui laborauiſſe incommodo, aut mortem obiiſſe condo-
lens deflet. Inter quos domnus Remigius Monachus, qui poſt Cellæ, in qua idem C
beatus Abbo corpore humatus quieſcit, præfuit, ab eodem Dei viro ad obſequium
memorati Abbatis, nunc Epiſcopi, directus, magna vi febrium vexatus eſt. Sed
nos memoratos apices, ad demonſtrandum huius hominis Dei benignitatis affe-
ctum, ex integro huic volumini inſerere dignum duximus: in Reliquis eius Epi-
ſtolis abbreuiationi operam daturi. Eſt enim huiuſmodi. Domno meo Abbatum
» chariſſimo Bernardo, ſeruus ſeruorum Dei Abbo. Suſcepi V. in Chriſto, vi-
» uas tuæ peregrinationis literas, & ex penè mortuo Preſbytero addidici, quid in-
» ter fluctus cogitationum ſemiuiuus lugeas, quem concepti voti impotem patriæ
» calamitas impræſentiarum reddit, & innatam deuotionem, vt opinor, diſtulit, non
» funditus extinxit. Quod audiens, fateor nimis indolui, & lachrimando dolori ſa-
» tisfeci: quandoquidem tui deſiderio gemebat circumſtans Fratrum maxima mul-
» titudo, & omnibus in commune gementibus, redibat ad memoriam, quod vir ma-
» gnæ grauitatis Hugo, tui comes itineris, & ſocius laboris, multis bonis flebilis
» occidit, nulli flebilior quàm tibi, pro cuius amore, poſt Dominum, Patriam, pa-
» rentéſque relinquens, exul vitam finiuit. Cúmque ſatis egiſſem mœroris, tandem
» mihi conſului, quia tibi abſenti non potui, quem in orationibus interdiu videre vi-
» deor, dum omnipotenti Deo ſacrificium ſpiritus contribulati offerre non deſi-
» ſto. Siquidem id nimium extimui, quod baiulus legationis innotuit, vultum vi-

HVGO ET ROBERTVS.

A delicet veſtrum ita emarcuiſſe, vt vix queatis ſubſiſtere: non ſolùm deſtitutus ſo-
brietate & amicitia defuncti, verumetiam robore corporis. Vereor itaque ne inſi-
diæ diaboli, quæ multæ ſunt, & vias ſeruorum Dei ſpinis circumſepiunt, te à via
mandatorum Dei auerrant, & retro reſpicere compellant, *priuſquam ad Segor par-* Gen. 22.
uulam ciuitatem deuenias, in qua tuam animam ſaluans, ſaluari queas. Scio ete-
nim quòd nunc tibi circumſtrepunt propinquorum greges, militum phalanges, 1. Reg. 6, 12.
amicorum multitudines, & ſuccenturiati, declamatoriè perſuadent quod ſibi,
non tibi, vtile diiudicant. Sed domi vitulis relegatis, noſti quid vaccæ fecerint,
quæ mugientes arcam teſtamenti portauerunt: & non declinantes ad dexteram
vel ad ſiniſtram Betſamis pertulerunt. Cuius facti non immemor, recordare quòd
in ſacrificio iubetur offerri cauda hoſtiæ. Nec vlla rei familiaris cogitatio ſubre-
pat, quæ te à recto itinere dimoueat. Nam occurrit animo quod mecum fami-
liariter locutus es, dum Romam proficiſci decreuiſſes, conſulens, vtrum ſcilicet,
relinqui deberet ſemel ſuſcepta cura paſtoralis regiminis: & oporteret dare libel-
lum repudij fratribus & filiis, qui nobis aduerſantur in via Dei? Cui cùm ego
reſpondiſſem, quod authoritate Patrum certum noueram, & creditis ouibus mor-
tem præualere perſentiſcerem, te infructuoſum ſaltem tibi perſuadere nec auſus
ſum nec debui, exemplum proponens Pauli Damaſcum fugientis, & beati Pa-
tris Benedicti Monachorum Legiſlatoris. Denique in multis cauſis occaſio ſe
B immergit, quæ difficultatem contrariæ legis bono exitu meliorem reddit. Quis
enim non laudet curam paſtoralis regiminis, ſi proſit? Quis rurſus non laudet in
ſe beneuolentiam Paſtoris, ſi aliis non proſit? Solet nempe eſſe in præceptis diui-
nis, quod & in antiquis reperitur edictis. Lex eſt. Si quis maſculus templum Ve-
neris fuerit ingreſſus, capite puniatur. Quidam iuuenis præteriens templum Ve-
neris, intus matrem cædi conſpexit, & introgreſſus eam eripuit. Accuſatur con-
tra legem feciſſe. Defendit ſe ille legi paruiſſe, & inter diſſidentes, ſi propulſori
ignominia non proſit, iuuat ex circumſtantiis occaſio pietatis. Idem eſt in noſtris
Euangeliis, vbi præcipimur non ſolùm vxorem relinquere, ſed etiam odiſſe, pro-
poſito præmio, quòd qui hoc fecerit centuplum accipiet, & vitam æternam poſ-
ſidebit. Rurſus qui vxorem dimiſerit, non quidem præmio, ſed eo ſupplicio di-
gnus ſcribitur, quo mœchi damnari præcipiuntur. Porrò, & qui matrem eripuit,
& qui vxorem dimiſit, vterque præiudicium patitur, ſi ſupplicio punitur: quoniam
inde authori legis ſe placere putat, vnde offendiſſe præiudicatur. Quapropter di-
lectiſſime, non bonum malo melius exiſtimes, ſed bonum bono melius credas: &
ex contrariis ſententiis eam eligas, qua viciis abrenuncies, & moralibus virtu-
tum exercitiis creſcas. Denique num Abbatis onus portare debeas, an debeas
deponere addubitas. Diſcretionem, qua maximè opus habes, matrem virtutum
aſſumas, & conſcendendo tribunal conſcientiæ, iudicio diſcute, quid vtilius hone-
ſtiúſve ſit animæ tuæ. Nam officium Abbatis implere, & lucrum animarum quæ-
C rere honeſtiſſimum eſt, cui non impoſſibile eſt. Cui verò malitia ſubiectorum im-
poſſibile eſt, quid ſupereſt, niſi vt honeſtum putet diuino parere oraculo, quo
ſcriptum eſt: *Fili miſerere animæ tuæ placens Deo?* Sanè & apud Ezechielem, ſpe- Eccl 30. 24.
culator clamans & non auditus, animam ſuam liberat: & apud Benedictum Pa-
trem, Paſtor ſpretus & contemptus abſoluitur, qui omnem curam exhibuit cre-
ditis ouibus. Ceterum V. Pater, ſaltem in feſtiuitate Patris noſtri Benedicti
quod tibi placeat innoteſce, vt certi eſſe poſſimus quantociùs de tua quam op-
tamus ſalute.

INTEREA eximius Abbo condigno apparatu Romam proficiſcitur: Priuile- XI.
gia Eccleſiæ ſibi commiſſæ corroboraturus, imò renouaturus. Sanè non qualem
voluit aut qualem debuit, Sedis Apoſtolicæ Pontificem nomine Ioannem inue-
nit. Nempe turpis lucri cupidum, atque in omnibus ſuis actibus venalem repe-
rit. Quem execratus, perluſtratis orationis gratia Sanctorum locis, ad ſua re-
diit, emptis optimæ ſpeciei aliquantis holoſericis palliis, ornatui Eccleſiaſtico
congruis. Porrò paucis labentibus annis, occaſio ſe præbuit, vt rogatu ac preci-
bus glorioſi Regis ROTBERTI Romuleam repedaret ad vrbem. Præcipua ve-
rò earum pro quibus directus eſt cauſarum, hæc fuit: Quia Arnulfus Remorum
Archiepiſcopus, abſque iuſta audientia Sede ſua priuatus, cuſtodiæque fuerat
mancipatus. Ob hoc, Gregorius qui Ioanni in Apoſtolica ſucceſſerat Sede, non

HVGO ET ROBERTVS. ſolùm nobilitate generis, verumetiam probitate clarus mentis, toti Regno Francorum anathema ſe inuecturum comminatus eſt. Hac igitur ex re Italiam repetere ſeruus Chriſti Dei cogitur. Et quamuis mole corporis grauaretur (nam in tranſmarinis regionibus, peregrinorum ciborum inuſitata qualitas, decoctæque potionis hauſtus, corpus eius pingue reddiderat) nequaquam tamen labore fatigabatur. Nec verò ipſa eius pinguedo vllam ei ingerebat dehoneſtationis maculam. Et cupidus pacis cùm foret, leue ducebat omne genus defatigationis: dummodo eum reperiret virum, per quem fama vulgante audierat, ad priſtinum poſſe ſtatum Religionis reſurgere normam. Profectus ergo, Romana iteratò reuiſit mœnia, vbi eo quem quærebat nequaquam reperto, per concaua vallium, per prærupta montium, inueſtigans: tandem in finibus Spoletanorum inuenit. Cúmque ſe inuicem duo Eccleſiæ lumina conſpexiſſent, gaudio vltra quàm credi poſſit gauiſi magno, in mutuos ruunt amplexus. Et prior veræ humilitatis cuſtos Abbo, ſalutatoria à parte Regis depromit verba. Tum Sacerdos verè Apoſtolicus, reddita benedictionis recompenſatione, ait beato viro: Benè te adueniſſe gaudeo fili Eccleſiæ, veritatiſque, vt comperi, cuſtos ardentiſſime. Etenim ſurdus de re rumor meas repleuerat aures, te tam diuina quàm humana pollere ſapientia: nec qualibet amicitia à iure æquitatis abduci poſſe. Verè fateor, me iamdudum deſideraſſe tuum intueri vultum: tuo concupiuiſſe amicabiliter perfrui alloquio. Fruamur ergo cupitis ſermocinationibus, alterníſque diuinarum atque mundanarum lectionum aliquandiu mentem releuemus ſtudiis. Porrò, vnum te volo noſſe, legationem tuam me benignè ſuſcipere: & quæque ſuaſeris, me facturum fore. Tuum autem erit petere, meum verò petitis pro poſſe aſſenſum præbe. Noui namque, nihil te contra ius fáſque poſtulaturum, ac ideò me tibi contraire ſcio non eſſe æquum. Poſt hæc verba, omnibus ei collaris victui neceſſariis, ad hoſpitium ſiuit abire. Sicque octo fermè diebus eum detinens, & frequenter conuiuio ſuo eum aſciſcens, cunctis pro quibus ierat libens annuit.

XII. TVNC verè ſollicitus Paſtor Abbo, memor vtilitatis loci quem regebat, Priuilegium illi Apoſtolicæ vtilitatis fieri rogauit. Quod Deo dignus Papa tam fauorabiliter largitus eſt, vt non ſolùm nullum pecuniæ quæreret lucrum, verùm thimiamate ac planeta, qua inter Miſſarum vteretur ſolemnia, donatum eumdem Dei famulum gaudentem ad proprium remiſit ſolum. In eo ſanè Priuilegio, & inter alia continetur, vt Epiſcopus Aurelianenſis, niſi inuitatus, Flotiacum nequaquam adeat Cœnobium. Néve vnquam quilibet Pontificum eidem Monaſterio diuinum interdicat officium, etiam ſi tota Gallia ob populi peccata anathematis feriatur vindicta à Sede Apoſtolica. Sed ne quis eos, domnum dico Apoſtolicum & Abbonem ſanctum, exiſtimet in hoc facto contraria Regulis Sanctorum ſenſiſſe Patrum: neceſſarium nobis viſum eſt, ex Epiſtolis Magni Papæ Gregorij pauca de pluribus hìc exempla inſerere, in quibus exquirendis pia huic beato viro ſemper fuit intentio. Sciebat namque, illum nunquam vel ſenſiſſe vel ſcripſiſſe contra Canonum decreta. Scribit ergo idem egregius Papa Gregorius Maximiano Rauennati Epiſcopo, inter alia. Quoties pro vtilitate Monaſterij ſui ad Pontificem Romanum, Abbas venire vel tranſmittere fortè voluerit: id ei modis omnibus liceat. Quod verò ab Epiſcopis & Clericis Monaſteria inquietari non debeant, tam memorato Pontifici, quàm eius anteceſſori Ioanni, frequentibus ſcripſit Epiſtolis. Luminoſo quoque Abbati, de eadem re, inter cetera, ſic ait. Caſtorio, inquiens, fratri & Coëpiſcopo noſtro, noſtra præceptione tranſmiſſa, ei ſucceſſoribúſque eius, à te Monaſterióque tuo cunctam læſionis abſtulimus funditùs poteſtatem: vt nec vltra in veſtro verſaretur grauamine, nec Monaſterij res deſcribat, nec publica illic debeat eſſe proceſſio. Ad eundem etiam Caſtorium poſt aliqua ita ſcribit. Miſſas, ait, illic haud dubiè quàm in Monaſterio, publicas per Epiſcopum fieri omninò prohibemus: ne in ſeruorum Dei receſſibus populatibus præbeatur vlla occaſio conuentibus, & ſimpliciores ex hoc animos plerumque, quod abſit, in ſcandalum trahat, frequentior quoque muliebris introitus. Quod autem diuinum officium Monaſteriis interdici non oporteat, Ioanni Epiſcopo de Vrbe-veteri ſcribens, ita aſſerit. Agapitus Abbas Monaſterij ſancti Georgij inſinuauit nobis, plurima ſe à veſtra ſanctitate grauamina ſuſtinere: & non ſolùm in his quæ neceſſitatis tempore Monaſterio aliquod poſſint ferre

HVGO ET ROBERTVS.

A ſubſidium, verumetiam in hoc Monaſterio Miſſæ prohibentur celebrari, ſepeliri etiam ibidem mortuos interdicis. Quod ſi ita eſt, à tali vos hortamut inhumanitate ſuſpendi, & ſepeliri ibidem mortuos, vel celebrari Miſſas nulla vlterius habita contradictione petmittas, ne denuo querelam de his quæ dicta ſunt prædictus vir venerabilis deponere compellatur. Verum de his ſatis dictum: Nunc cœptæ narrationis ordo repetatur. Regreſſus itaque honorabilis Abbo ad Regem, à quo miſſus fuerat: cuncta pto quibus ierat perfecta nunciat. Arnulfum Remenſem cuſtodia exemptum Pontificatui reſtituit: pallium illi à domno Papa directum reddidit. Poſt hæc, per internuncios ipſi venerabili Apoſtolico domno Gregorio amicabiles plenáſque reuerentiæ dirigit literas. In quibus innoteſcit, ſe cuncta vti iuſſerat petfeciſſe. Quarum iſtud eſt exordium: Domino ſemper in Chtiſto venera bili ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedis Præſuli, ac ideo vniuerſalis Eccleſiæ Doctori, ſuus illius, Abbo Flotiacenſium rector in Chriſto ſalutem. Sæpius contingit vt puritas integræ veritatis vacillet ſententia maleſidi interptetis. Quod ego venerabilis Pater cauens, veſtri animi ſenſa fideliter ſimpliciterque vt præcepiſtis deprompſi: nec animoſitatem Regis perhorrui, dum fidem quam vobis promiſeram ex aſſe ſeruaui. Quandoquidem nihil addidi, nihil minui, nihil immutaui, nihil reliqui. Horum omnium, ipſe Arnulfus è cuſtodia liberatus & abſolutus, teſtis eſt: cui veſtrum pallium coopertum obtuli, quomodo illud acceperam ex ſanctis manibus veſtris. Meminit & in fine earum, planetæ ab ipſo ſibi datæ, ita in-
B quiens: Nam liberalitatis veſtræ memor, vt ſeruus Domino gratias refero, qui inter Miſſarum ſolemnia, munere veſtro vſus planeta, veſtri nullo modo obliuiſci valeo in meis oblationibus. Ceterum vobis ſemper parere decteui, cuius Apoſtolatum Deus cuſtodiat, in æterna pace.

Igitvr cùm hic Deo amabilis hominibúſque venerabilis Abbo, per ſexdecim annos continuos in à Deo ſibi commiſſo paſtorali deſudaſſet officio, VVaſconiam proficiſcitur. Eſt in illis partibus Monaſterium quoddam Squirs vt fertur antiquitus nominatum: à modernis contrario nunc vocabulo, Regula vocitatum. Nulla quippe Religionis norma, nulla aut rara bonæ conuerſationis ſaltem veſtigia, vſque ad hæc in eodem loco apparuêre tempora. Id Guillelmus Sanctionis filius Burdegalenſium Comes, ac totius Guaſconiæ Dux, audita fama religioſæ vitæ domni Richardi Floriacenſium Abbatis, ipſi, ſucceſſoribúſque eius, ad regendum dudum commiſerat: vti in Libro, quem de vita vel actibus Abbatum noſtri loci ſcripſimus, pleniùs explanatum eſt. In quo loco, tam ab ipſo venerabili Richatdo, quamque à duobus eius ſucceſſoribus Amalberto ac Oylboldo, diu multúmque elaboratum eſt, quo verè is locus, per habitatorum conuerſationem, vocabulo vteretur ſuo. nec quicquam vtilitatis actum. Poſt quos, dum hic vir beatus Abbo regiminis adeptus eſſet gradum, quibuſdam ſibi perſuadentibus, quatinus eò proficiſceretur: reſpondebat cum ioco, ſe illuc iturum, quando eum ſatietas ce-
C piſſet vitæ. Et quamquam id ipſe ludens diceret, tamen ita ſe poſt rei habuit exitus. Ferebatur deniquè nulli prædeceſſorum eius poſt iter Guaſconiæ diu viuere licuiſſe. Tandem ipſe ad iam dictam pergit patriam, eius regionis adit Comites, memorati filios Guillermi, Bernardum & Sanctionem, eundem locum non pro ſuo, ſed ipſorum diſponit libitu. Et tunc quidem proſperè ad ſua rediit, quibuſdam ſuotum quaſi ob tutelam loci relictis. Verùm hi quos relinquebat, perfidiam Guaſconum veriti, & inuicti remanſetunt: ac poſtmodum multis à Guaſconibus perpeſſis iniuriis, cùm his quos illis veluti adiutores miſerat, ad eum reuertuntur. Qui eorum inertiæ culpam fore nactus, alios mittit: qui quod priores neglexerant cotrigere curarent. Illi ſimilia paſſi, legatos ad eum dirigunt, quid patetentut intimant, ac ni maturato ſibi ſubueniatur, locum deſerturos, atque ad propria minitantur ſe regreſſuros. Vnùm hoc ſibi ex ſententia Comitum notum fore mandant: liberiorem ſibi quàm priùs affututam loci poteſtatem: ſi ſemel ad eos adeat, & tam Comitibus quàm etiam Malguino Vicecomiti, quem ipſe eis Aduocatum dederat, quid ipſe velit, verbotenus declaret. Quos manere decreuerit, manſuros: quos exire iudicauerit, memoratos polliceri Principes, vi ſe expulſuros.

Tandem talibus impulſus allegationibus, impendente iam vltimo vocationis ſuæ die, ſecundò iter arripit. Hos ex Monachis itineris comites aſſumens: ſupranominatum Remigium, mèque qui hæc ſcribo Aimoinvm, cum Guillelmo

HVGO ET ROBERTVS.

ſuæ venerantiæ, iuxta Abbatum morem, tum baiolo. Iámque in via conſtitutus, A
legatis qui pro ſe venerant imperat ſe antecedere. Comites Aduocatúmque certos
de ſuo aduentu reddere, ne moram colloquij faciant, dum ipſe ad eos venerit, pro-
curare. Ipſe in nullo negligens vtilitatis Cœnobij quod regebat, Pictauos pergit,
Guillelmum illius vrbis adiit Comitem, pro iuuamine poſſeſſionis Monaſterij ſui,
quæ Salx dicitur, calumniis Aduocatotum valde oppreſſæ, eum rogaturus. A quo
die dicta, in qua ſibi poſt ſuam regreſſionem ab eodem Comite iuſta deferretur
audientia: pro re alia, aliquantas perinibi moras nectit. Fortè Abbas Monaſterij
ſancti Cypriani, in ſuburbio Pictauorum ſiti, eidem ſancto conſanguinitate con-
iunctus, vocabulo Giſlebertus, crimine falſo impetebatur. Is eum humillima de-
tinuit prece, vti ſuæ cauſæ, quam in proximo ventilandam autumabat, intereſſe di-
gnaretur. Sed cùm improbus ſubſediſſet accuſator, manifeſtúſque fieri vereretur:
vir Domini Abbo qui cunctis iniuriam patientibus quantum in ſe erat, opem ferre
cupiebat, Literas eidem propinquo ſuo, ex ſua parte Abbati Cluniacenſium Odi-
loni, cui idem Monaſterium ſubiectum erat, perferendas tradit. Quæ videlicet Li-
teræ, & vltimæ Epiſtolarum eius exiſtunt, & apud nos cum reliquis conſeruantur.
Ipſe iter quod cœperat maturare contendit. Nos ergo quinta poſtquam ibi adue-
neramus die, celebrata omnium Sanctorum ſolemnitate, quinta æquè feria indè
progreſſi, per Carrofenſe Monaſterium ad Nantoliacum deuenimus Cœnobio-
lum, in honore ſanctiſſimi Patris Benedicti fundatum. Vnde digredientes Sabba-
torum die, Engoliſmam aduenimus: à qua vrbe die Dominica egreſſi, dum incer- B
ti pro aduenientis noctis hoſpitio, ac idcirco mœſti incederemus: oſtendit Domi-
nus nobis, nequaquam ſe oblitum illum ſanctum habere virum, in cuius obſequio
iter illud conficiebamus.

XVIII. Nam dum ad caſtrum, cui Albaterra nomen eſt, tendere deliberaſſemus, re-
pentè Dominus ipſius caſtri, nobilis vir nomine Giraldus, poſt tergum noſtrum
celerrimè adueniens apparuit. Qui dum inquireret quinam eſſemus, & beatum
Patrem noſtrum Abbonem adeſſe cognouiſſet: gaudens ob eius præſentiam, ait
» ad eum: Dominum, inquiens, fidémque meam teſtor, me admodum gaudere,
» quòd te, Domine, videre merui. Nam bònitas & ſapientia tua vniuerſo noſtro
» peruulgata ſunt orbi. Vnde ſi tuæ placet benignitati, hoſpes tibi ero in hac nocte
» perliberalis, cuncta victui neceſſaria tribuens. Fecit vt dixerat, & vſque ad noctem
» permanens, etiam in obſequendo, famuli fungebatur officio. Cúmque iuxta quan-
dam ſui iuris Eccleſiam nobis hoſpitium præbuiſſet, ad memoratum caſtrum inci-
batus abiit. Poſtera die, in ſtatu perſeuerans heſternæ beneuolentiæ, obuiam ei
proceſſit: præmittens per internuncios piſcium xenia, cúmque per aliquot dedu-
cens milliaria, tam ipſi homini Dei, quàm his qui hoſpitij gratiâ comitabantur, du-
ces viæ largitus eſt. Sic demùm benedictione poſtulata, atque percepta, gaudens
regreditur ad ſua. Hæc ideò retulimus, vt apertè clareat, huic ſancto viro num-
quam defuiſſe diuinum, vbi humanum putabatur defore auxilium. Nec tunc ſo- C
lummodò, verùm in omnibus itineribus eius, ac præcipuè per vniuerſam quam ea
tempeſtate tenuit viam: ſicut Domini à ſeruis, ita à cunctis per quos tranſitus fuit,
iocundus ipſius præſtolabatur aduentus. Porrò nos eadem die qua de Albaterra
promouimus, tranſmeato Ella flumine, vna cum beato Abbone, in villa, quæ ad
Francos dicitur, hoſpitati ſumus. Suſcepit nos inibi genitrix mea, memorati mi-
litis Geraldi conſanguinea, vocabulo Annenrudis, cum quanta potuit humanita-
tis exhibitione. Hæc deuotionis & obſequij feruore circa eimdem Dei flagrans
hominem, obnixè orabat, vt biduò apud eam manere dignaretur. Quod ille ve-
hementer abnuit, & die data, ſuis vt viam maturatò capiant imperat. Túmque pri-
mùm quaſi præſagus, brachium, in quo poſt percuſſus eſt, dolere ſibi prædixit.

XIX. Inde ad Dordonæ fluenta ventum. Quo enauigato amne, Guaſconiæ fines
ingrediuntur. Tranſmeantibus Dornoniam, antequam ad præfatum veniatur Re-
gulæ cœnobium, Aroth ſeu Codrot torrens occurrit. Quem dum tranſire eſſet
neceſſe, vir Dei lintrem, quæ perexigua illo habetur in fluuiolo, dum aſcendit: ea
introrſus à lutoſo litore relabente, cingulotenus penè in aquam decidit. Mirum
dictû, veſtigiis paululùm madefactis, in reliquis indumentis vix tenuis apparuit hu-
mor. Tranſmeato ſane hoc peſſimi occurſus torrente, poſtero die ad Monaſterium
Regulæ ventum. Et primo quidem die, cum quiete manſerunt. Secundo ſanè,
inter

HVGO ET ROBERTVS.

A inter noſtros & Guaſcones iurgium propter cibaria equorum ad veſperum ortum,
vixque à maioribus ſedatum eſt. Quod vbi in craſtinum V. Pater Abbo comperit,
ſuos vehementer redarguit, cur inermes & inter infenſam ſibi gentem bella cie-
rent. Monebátque patientiam ſeruare, donec ipſe cum Comite ac loci Aduocato
colloqueretur: qui iam iámque affuturi credebantur. Tum demùm ſuas ſuorúm-
que, quos primitùs ibidem reliquerat, iniurias, ad libitum vltum iri pollicebatur.
His ac ſimilibus verbis ſuorum furibundos ſedare temptabat animos. Erat ea die
celebris vniuerſo Orbi beati Pontificis Martini Turonici ſolemnitas, & ſanctus vir
magna cordis ac corporis alacritate Miſſarum feſtiua celebrauit ſolemnia. Qua
die & ſequenti, quæ Dominica fuit, idem Dei famulus Abbo, poſt ſancti ſacrificij
per ſeipſum oblationem, ac corporis refectionem, montem in quo Monaſterium
ſitum eſt vndique perluſtrans; laudare ſimul ac mirari, non ſolùm loci firmitatem,
verum etiam maximorum, quæ inibi fuerant, ædificiorum fundamenta cœpit. Ho-
rum itaque locorum ſitum à ſancto viro laudatum, ſuccinctim literis mandare op-
portunum fore credimus.

MONASTERIVM Regulæ in honore Principis Apoſtolorum Deo dicatum, XX.
in monte eſt poſitum. Qui videlicet mons à tribus lateribus, Orientali, Aqui-
lonali, & Occidentali, aliis cingitur montibus. A Meridie Garonna vallatur flu-
mine, periculoſáque vallis voragine. Ab Oriente inter ipſum & alterum montem
B vallis exiſtit perangusta: per quam fons meat, quam incolæ Moſellam nuncupant.
Simili modo ab Occidente, alterius fontis rapido alluitur curſu, cui Moſa nomen
eſt. Hæc nomina à Francis illis impoſita æſtimantur, qui à Magno Karolo ad
tuitionem Prouinciæ ibi relicti ſunt. Non longè quippe ibi abeſt Palatium ipſius
magni Principis Caſſignolum: ſed quaſi tribus milliariis. In quo idem Impera-
tor vxorem ſuam, Ludouici pij matrem, grauidam reliquit: dùm contra Sarrace-
nos expeditionem in Hiſpaniis ageret. Quod & Eynardus vitæ illius relator ſcri-
bit, & nos in Librum Miraculorum ſancti Patris Benedicti breuiter expreſſimus.
Locus ſanè Regulæ ob ſupradictam poſitionem non facilè hoſtium patuiſſet acceſ-
ſui, niſi ab Aquilone parua ei adiaceret planicies, cui conditor municipij, vel vt
quidam volunt ciuitatis, turrim quadris lapidibus exſtructam oppoſuit. Quæ nunc
ruinarum tantummodo ſuarum indicia præfert. Igitur tam huius quàm cetero-
rum ædificiorum dirutos parietes, & per deuexa totius montis latera, propter
firmam cementi tenacitatem dependentes, homo Dei conſpicatus: admiranſque,
læto nobis adridens vultu, infit: Potentior, inquiens, nunc ſum Domino noſtro «
Rege Francorum intra hos fines, vbi nullus eius veretur dominium: talem poſſi- «
dens Domum. Sed heu proh dolor! aliter quàm ei ac nobis vtile fuit, huius loci
parabatur poſſeſſio. Denique malignorum factio, qui illis, quos ipſe ſanctus Pa-
ter ad eundem miſerat locum, irrogauerant iniurias, in id iam conſpirauerat: vt
ex qualibet occaſione commoto tumultu, tanta famulos ipſius cædis contumelia
C afficeret, quatenùs nec ipſe, nec quilibet alter, eos vlteriùs adire auderet. Quod
verò mortem illius inter dolos machinata ſit, non verè ſcitur, niſi quia is, qui eum
percuſſiſſe dicitur, in iurgio noſtris dixiſſe fertur: pro nihilo ſe ducere, ſi lancea
ventrem eius transforaret. Secunda igitur feria, qua ſancti Confeſſoris Bricij age-
batur feſtiuitas, Monachum, qui hos eſſe dicebatur machinatus dolos, ſanctus
Pater noſter Abbo increpare cœpit, quòd ſine eius licentia de Monaſterio egreſ-
ſus foras manducare præſumpſiſſet. Hic Anezan nomine dicebatur proprio,
gente barbarus ac vocabulo. Qui dum ſancti viri increpationem ſe patienter fer-
re ſimulat, ſed circumſtantibus contumaciæ verba reſpondet: ſubitò auditur cla-
mor mulierum iuxta morem gentis illius, vbi ſeditio oritur, aut mors hominis in-
teruenit, conclamantium. Tum ille perfidus ſolo nomine Monachus, ad eos qui
ſe circunſtabant infit. Nunc, inquiens, dicetur, meo monitu, hoc eſſe ortum ſcan- «
dalum. Cui, quidam ex his qui aderant: Si, ait, id metuis, nobiſcum ad hos ſedan- «
dos progredere motus. Verùm eo differente, ad noſtros reprimendos, is qui moni- «
ta dederat, curſim progreditur. Cauſa autem ortæ ſeditionis hæc erat. Tam Fran-
cis quàm Guaſconibus ſe alterutrum conuiciis laceſſentibus, vnus Francorum
nimium impatiens conuicij Domino ſuo illati, conuiciatorem baculo inter cer-
uicem & ſcapulas ictum humi proſtrauit. Eo proſtrato, tam noſtri quàm ſeditioſi,
ſemet mutuò lapidare cœperunt. Interea, vir Domini Abbo intra clauſtrum

Hvgo et Robertvs.

Monaſterij reſidens, & quaſdam computi ratiunculas dictitans, tumultuantium A clamore exaudito, foras ab inferiori montis parte progreditur: & ad reprimendos ſuos, qui ſuperiora occupauerant loca, feſtinans, ab vno aduerſæ partis ſatellite lanceæ tam validè vulneratur in læuo lacerto, vt interiora coſtarum adactum penetraret ferrum. Qui percuſſus, non clamauit, non titubauit, aut cadentium more loco motus eſt: verumtamen hoc tantùm dicens: Iſte, ait, ſeriò hæc fecit: ad domum vbi ſui famuli hoſpitium habebant, aſcendere cœpit. Suſtentabat autem eum Frater quidam nomine Guillelmus, cuius ſuprà meminimus. Ego veſtigia eius perſecutus, conſpicio ſuper limen domus, quam vir ſanctus ingreſſus iam erat, partem coagulati ſanguinis. Interrogánſque de quo foret, hoc à Dei homine reſponſum accepi: De me, inquit, eſt. Teſtor Dominum, continuò mihi ſtetêre comæ. Horrórque infuſus corpori, raucisonam reddidit vocem. Nondum enim quiſpiam animaduerterat, eum in carne eſſe vulneratum: ſed tantùm indumenta æſtimabamus fuiſſe perforata. Itaque aio ad eum: Quanam in parte, inquam, tibi Domino meo illatum vulnus eſt? Tum eo eleuante brachium vt plagam detegeret, repentè ab intimis coſtarum receſſibus vnda ſanguinis prorumpens, manica laxioris pelliceæ excipitur. Verùm ipſe nihilo triſtior, nec vultus colore mutato, cùm me trepidare magis magíſque ſenſiſſet: tam ex faciei permutatione, quàm ex verbis querimoniæ, alacri vultu & penè ridenti ſimilis, ait. Quid tu, inquiens, ageres, ſi ipſe vulneratus eſſes? Attamen noli metuere: Quin potiùs foras ad noſtros progredere, eóſque ad me venire facito, vt hæ B ſedentur turbæ. Quod cùm feciſſem, illiqu obtemperantes ingreſſi eſſent: ipſe iam exanguis factus, inter manus diſcipulorum famulorúmque ſe ſuſtentantium Idibus Nouembris ſpiritum reddidit. Retulerunt autem qui eius ſanctum finem videre meruerunt (nam ego ob ſedandos tumultuantes forinſecus remanſeram) hunc ipſius vltimum fuiſſe ſermonem. Miſerere, inquiens, Deus omnipotens animæ meæ, locóque ac Congregationi, quam nunc vſque te concedente rexi. Et ille quidem hæc effatus, vt prædictum eſt, animam efflauit. At ſeditioſi domum, in qua beatus Pater iam defunctus à ſuis lamentabatur, circundantes, obſeratos ſucciderunt cardines oſtiorum. Sicque furens ingreſſa turba, aliquibus vulneratis, cubicularium viri Dei vocabulo Adelardum, qui caput Domini ſui propriis genibus ſuppoſitum lachrymis rigabat, ad necem vſque fuſtibus præacutis ac lanceis conciderunt. Qui ægrum vſque ad tertiæ feriæ diluculum protrahens ſpiritum, defecit ac mortuus eſt: ſepultúſque in clauſtro Monaſterij. Iuxta quem quoque cuſtos equorum ipſius Sancti poſtea tumulatus eſt. Qui tunc quidem vulneratus, vſque ad diem feſtiuitatis ſancti Andreæ languit: ſicque obiit. Ceterum tantæ cladis compilatores, certiſſimè agnoſcentes beatum obiiſſe Abbonem, certatim cuncti in fugam vertuntur. Ita vt terris reddito die, ne mulieres quidem in vniuerſis forenſibus ipſius villæ inuenirentur domibus. Quatriduo poſt obitum ſancti viri, morati ſumus: commorante ſemper nobiſcum ob cuſtodiam noſtri, quodam honorabili viro nomine Guillelmo Orioli C filio. Qui videlicet Guillelmus gratia beatum virum videndi, eadem die cum quibuſdam aliis ibidem aduenerat. Eoque viſo, ad metatum ſuum, quaſi milliario ac ſemis diſtans à Monaſterio, ſeceſſerat. Is vbi noſtræ miſeriæ nuncium accepit, ad noſtrum auxilium cum ſuis velociter accurrit. Hi ergo corpus beatum, quod adhuc in domo, in qua animam Creatori reddiderat, ſuper nudam penè humum iacebat, tapeti impoſitum ad nos vſque pertulerunt: noſtris propter caliginem noctis è clauſtro Monaſterij minimè exire audentibus. Dubitatum aliquandiu eſt, quonam in loco poni deberet. Tunc in commune placuit, vt quando innocenter, ac pro veritate, quæ Chriſtus eſt, interemptus erat, in Eccleſia poneretur. Vbi vſque ad diluculum feriæ quartæ, duabus videlicet noctibus vnáque die, eum cum quanta potuimus Pſalmorum & lachrymarum deuotione, inſepultum ſeruauimus. Referri nequit, qui luctus, quíve gemitus ab his, qui ad eum viſendum è propinquis venerant locis, editus ſit: cùm eum, quem viuentem cernere concupierant, mortuum conſpiciebant. Contemplabantur ſanè vultum eius adhuc ſudario nequaquam opertum, qui dormientis potiùs quàm mortui ſpeciem ex rubore præferebat, & lachrymis opplebantur: incredibiléque dum aduiueret videbatur, eum tam ingentem poſt obitum, non ſolùm à ſuis, verùm etiam lachrymoſum

A ab extraneis habiturum planctum. Nam quilibet adueniret notus ſeu ignotus, eius viſo corpore, ſiue poſt tumulationem ſepulchro, continuò in lachrymas prorumpebat. Matutino ſanè tempore feriæ quartæ, cum ipſis quibus indutus erat veſtimentis, vti mos eſt ſepeliri interemptos, inlotus etiam, lapideo tumulatus ſarcophago, in interioribus cryptæ, ante altare ſanctiſſimi Patris Benedicti. Et quidem ſatis decentiſſimè, ſi non ei tam inſperatus contigiſſet finis vitæ. Sed Scriptura teſte nouimus, quia *Iuſtus quacumque morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.* Hvgo et Robertvs. Sap. 4.

XXI. Nos igitur quarto à tumulatione ſancti corporis die inde digreſſi, per biduum à Vicecomite Amalguino, eiúſque vxore Oſemberga detenti charitatiuo ſumus affectu. Cuius mulieris benigniſſimam erga noſtros compaſſionem, nobis ad concluſionem voluminis tendentibus, breuiter memorare congruit. Nam ipſa viro ſuo, vt vulneratos retineret, etiam nolentes ſuaſit. Retentis autem ipſa cuncta tribuit neceſſaria, non ſolùm languentibus, verùm etiam eorum ſeruientibus, atque equis, qui omnes ſexdecim erant numero. Medicum ipſa quæſiuit, eique pro ſanandis equis ipſa pretium præbuit. A me quoque, vt eum eis remanerem, non ſolùm manſueta prece, verùm quadam imperioſa conſanguinitatis exegit authoritate. Hi verò, qui ſani euasêre, à procuratoribus eius, ipſa præcipiente, per omnes ipſius poſſeſſiones, quæ in itinere erant, honorificè ſuſcepti, triſtem tanti doloris nuncium per omne ſpargentes iter, tandem Floriaco Cœnobio intulerunt. Quis tunc luctus, quíve dolor, tam noſtram ſanctam inuaſerit Congregationem, ſermo explicare non ſufficit: cùm ab his quoque, quibus eius grauitas oneroſa videbatur, inconſolabiliter lugeretur. Auxit hunc ingentem dolorem aduentus plurimorum Abbatum, in imminente ſancti Patris Benedicti ſolemnitate, quæ in menſe colitur Decembri, confluentium. Horum alij ab ipſo, ob quaſdam ordinandas vtilitates, erant euocati; alij ſuarum neceſſitatum certis ex cauſis eum conſulturi aduenerant. Inter quos reuerendus Cluniacenſium Abbas Odilo aderat, charitatiuo laudabilis in Domino familiaritatis glutino ei in omni ſua coniunctus vita. Talium itaque præſentia, & ipſius abſentia, propter quem venerant, ingerebat mœſtitiam, & noſtris ampliorem addebat dolorem, quòd tali forent Paſtore deſolati, cuius prudens conſilium aliorum expeterent Prælati Cœnobiorum.

B

Hæc de vita, moribus, & actibus, necnon martyrio ſanctiſſimi Patris noſtri Abbonis, partim à fidelibus viris audita, partim à nobis viſa, ad te, reuerentiſſime Clericorum Heruee, vt tua ſanctitas petiit, veraci pro poſſe relatu ſcripſimus. Nunc tuam expoſcimus benignitatem, quatenùs pro nobis Domini implores clementiam, vt ſi quid fortè eum in noſtra offendimus narratione, ipſe ſua piiſſima indulgere dignetur miſeratione. Et qui eius ſepulchrum dignatus eſt miraculis illuſtrare, mihi facultatem dignetur conferre, in ſequenti volumine ea ad laudem

C nominis ſui fidelibus manifeſtare.

EXCERPTA HISTORICA, DE GESTIS SVB HVGONE ET ROBERTO REGIBVS.

Ex Libro III. Miraculorum S. Benedicti Abbatis, quem compoſuit AIMOINVS *Floriacenſis Monachus anno* M. V.

Favorabilis ſupernæ dignationis præſagio, hoc, in quo Deo authore famulamur, Cœnobium, vt Floriacus vocaretur accepit; qui priſcis temporibus, non diſſimilis gratiæ prærogatiua, Vallis nominabatur aurea. Retinet enim in ſe aureum paradiſi florem, ſanctiſſimum Patrem Benedictum; qui gratantiſſimo virtutum odore quoſque remotiſſimos ad ſui reuerentiam inuitat. Quarum proprietatem operationum ſi per ſingula explicare velimus, cartam nobis ſermonémque, antequam ſermonis materiam, deficere pro certo intelligemus. Sed ne beneficiis piæ paternitatis eius, ab ipſo nobis immeritis impen- Cap. I.

Hvgo et Robertvs.

ſis, ingrati eſſe videamur: ea quæ noſtram attigête noticiam, in quantum ipſius A
benigni Patroni clemens ſupplicatio vires noſtro tenui ingeniolo à Chriſto obri-
nuerit? ruſticano licet ſermone, poſterorum mandare adoriemur memoriæ. Et
primò, qualiter his temporibus Reſpublica Francorum ſubſtiterit, ſuccinctim
perſtringamus: vt pòſt liberiùs ea quæ propoſuimus exequamur. Lothario
Regi cæleſte vt credimus, pro terreno commutanti Regnum, Hlvdovicvs
filius ſucceſſit. Qui immatura præuentus morte, deſtitutum proprio hærede Fran-
cigenæ gentis Principatum, vtporè naturalis expers coniugij, dereliquit. Sanè
patruus eius Karolvs, quem priuatum ſenuiſſe ſuprà prælibauimus*, cona-
batur ſi poſſet, à ſui generis auctoribus diu poſſeſſum ſibi vindicare Imperium.
ſed eius voluntas nullum ſortitur effectum. Nam Franci Primates eo relicto, ad
Hvgonem, qui Ducatum Franciæ ſtrenuè tunc gubernabat, Magni illius Hu-
gonis filium, cuius iam mentio facta eſt, ſe conferentes, eum Nouiocomo ſolio
ſublimant Regio. Is eodem anno Rotbertvm filium ſibi conſortem Re-
gni legit. Et quia quantum ad cœptæ rei cauſam attinet, de Regibus dixi-
mus, ad eam proſequendam veniendum eſt. Igitur Oylboldo Abbate in Chri-
ſto quieſcente, Abbo Deo & hominibus vir amabilis, à Fratribus, Hugone an-
nuente Rege, electus, in gradum ſucceſſit Monaſtici regiminis. Qui præce-
1004. dente hunc, quo hæc ſcribimus anno, qui fuit ab Incarnatione Domini M. IV.
in Vaſconiæ partibus, à perfidis illius nationis hominibus, nobis præſentibus,
innocenter occiſus, martyrij ſanguine laureatus ad regna eſt æterna à Chriſto B
vocatus. In cuius diebus res mirabiles per præeminentiſſimum Patrem noſtrum
Benedictum ab omnipotente Domino patratas, quia iam tunc nos intelligibi-
lis contigit perueniſſe ad metas ætatis, certiori, vtpotè aliquibus præſentes, di-
gerimus ſtilo.

* ſiil. lib. II. cuius Fragmenta Tom. III. habentur.

IV. Qvia, vt refert beatus Papa Gregorius, ſancti Martyres frequentiora oſten-
dunt miracula, vbi eorum tantum habetur memoria, quàm vbi eorum ſacra con-
ſeruantur corpora: liquet idem de ceteris intelligere Sanctis, maximè ex hoc Pa-
tre noſtro multipliciter excolendo ſanctiſſimo Benedicto. Cuius excellentiſſima
ſignorum à Deo per eius meritum aliis in locis patratorum notitiæ poſterorum tra-
dere noſter geſtit animus. Caput-ceruium dicitur prædium in finibus Bituri-
gum ſitum, Lemouicinis contiguum: à quo vicina regio corrupto vocabulo Cap-
cerpgenſis vocitatur. Hoc ad dominium Floriacenſis Cœnobij, omnipotenti
Deo ſub nomine perpetuæ Virginis Mariæ, ſanctiſſimique Benedicti dicatum, hac
de cauſa, relatu Seniorum valde antiquorum, perueniſſe comperimus. Eius poſ-
ſeſſionis dominus Otherivs dicebatur: inter Aquitanicos Primates clara no-
bilitatis pollens proſapia. Is à primæuæ iuuentutis flore paralyſis percuſſus languo-
re, manuum ac pedum caruerat iuuamine. ſolius illi linguæ, auditus quoque, ac
viſus, ex parte manebant officia. Diutino igitur laborans morbo, dum vana Me-
dicorum ſtudia propenſiùs ſibi adhibita nihil intellexiſſet conferre valetudinis: au- C
dita famâ, quæ Saluatoris noſtri omnipotentia apud ſacratiſſima patroni commu-
» nis Benedicti crebertimè tunc operabatur oſſa, ait ſuis: Videtis, fidiſſimi mihi,
» vitâque ipſa, qua nunc fruor miſerrima, chariores amici, quòd medicinæ impen-
» ſis nihil proficio: immò in dies ægritudinis protrahitur longitudo. Quapropter ſi
» qua vos cura veſtri tangit Otherij, mearum quæſo miſerantes ærumnarum, cele-
» ri calle ſepulchrum adire curate glorioſi Confeſſoris Chriſti Benedicti. Et ne
» fortè vos conturbent ignota viarum, ſcitote Ligerici amnis litora, pagúmque
» Aurelianenſem, hoc præclaro inradiari theſauro. Id mihi diuinum prænunciauit
» Oraculum, dum feſſos artus ſopori mandaſſem: debere me eò cum votis dirigere
» meæ petitores ſalutis. quia inde forem adepturus remedium ſanitatis. Et quia
» ſolus cum dulciſſima genitrice reſedi, patre orbatus & fratribus: ipſa non abnuen-
» te, verùm hoc ipſum fieri ſedulò depoſcente, voueo Deo & iam dicto eximio Be-
» nedicto, hereditatis meæ portionem, cui Caput-ceruium nomen eſt, cum omni-
» bus ad eam pertinentibus: eo videlicet tenore, vt ſuperſtites ambo vſum fructum
» ac præſentis vitæ exactionem retinentes, Fratribus Floriacenſibus poſt noſtri
» diſſolutionem cuncta reſtitui faciamus. Spe etenim ſuſcipiendæ prolis per ſu-
» prà memoratam priuatus reuelationem, ſollicitudinem ducendæ vxoris funditus
» abieci. Properare igitur quantociùs, & veſtris ſeruorúmque inibi degentium

Sauriges.

HVGO ET ROBERTVS.

A precibus opem efflagitate miſero. Acceptis eius fideles huiuſmodi præceptis, cùm vvantis ipſius auro ornatis, per quos donationem memoratarum rerum ſacris imponerent altaribus, abſque dilatione venerandum adeunt Cœnobium, mandatáque præceſque ſui domini cæteruæ innoteſcentes Fratrum. Memorabile dictu! eadem die, ipſóque horæ momento, quo qui miſſi erant donum cum orationibus ante Sancti præſentarunt tumulum, æger, qui nonaginta millibus iacebat ſemotus à loco, integerrimam adeptus eſt ſanitatem. Qui laudum Deo præconia, ſanctóque dans Benedicto gratiarum cantica: exercitationis venationiſve gratia, ſiluarum petiit abdita. Cui, dum ſtudet operam dare rei, occurrit ſuis à noſtro remeantibus Monaſterio. Quem illi conſpicati equitando ſaltum peragrare, ſtupore ingenti perculſi ſunt, videntes hominem, dudum abſque alterius adminiculo è lectulo non valentem ſurgere, tunc non ſolùm firmiter incedere, verùm etiam equum curſu fatigare. Hæſitantibus illis, & vultus ſimilitudine ſe deceptos autumantibus, obuium ſe ille gratulabundus offert. Inquirit deindè ſollicitius diem, quo pro ſe vota ſoluiſſent: ipſúmque fuiſſe certiſſimè comperit, quo ſibi ſalutem obtigiſſe gaudebat. Huic antiquæ veterum relationi virorum repugnabat antiquius tertij Chlotarij Regis edictum. In quo continetur, quòd memoratus Otherius ob perfidiam ab ipſo Rege interfici iuſſus ſit: rebúſque eius omnibus confiſcatis, illud prædium ab eodem Principe ſancto eſt Benedicto collatum. Et hoc eſt, quod in qua-

B dam ſententia primi Libri legitur, Caput-ceruium liberalitate regia Floriacenſes promeruiſſe Fratres. Potuit tamen fieri, vt poſt hanc quam nunc retulimus donationem, ipſe Otherius apud Regem infidelitatis inſimulatus, iuberetur interfici: & quaſi ex ſua parte, eandem villam idem Rex noſtro conferret Cœnobio. Quod verò in ipſo Regali Præcepto Aaotharius vocatur, permutatio veterum facit verborum, vt poſt latiùs oſtendemus. Poſt cuius exceſſum, vicini quique hoc eis prædium auferre moliti, ad ſibi vtile coëgerunt declinare conſilium.

V.

DENIQVE vt ſuperioris continetur ſerie Libri, habitaculis Monachico congruis ordini inibi conſtructis: ſpem potiendarum rerum ipſarum aduerſariis ſuſtulêre, vſque ad tempora ROTBERTI Regis filij HVGONIS. Quo onus gubernandi ſuſcipiente Regni, Ademarus quidam, iuuentâ paritérque corporis elatus formâ, cuius genitor VVido in vrbe Lemouicina Vicecomitis fungebatur honore, nefarium molitus eſt ſcelus. Namque Lemouicinis nequaquam contentus facultatibus, ex paterna ſibi hereditate iure ſuppetentibus: dùm cerneret numeroſam coheredum fratrum ſuorum ſuccreſcere ſtirpem, in ſubripiendas res alienas animum intendit. Dolíque artifex, caſtrum quod à ruſticanis Bruccia dicitur ingreſſus, Dominum ſe agebat. Erat in ea Prouincia vir quidam haud contemnendæ potentiæ, Hugo nomine: cui media pars ipſius caſtri hereditaria obuenerat ſucceſſione. Hanc ille, vti & eam quæ genitorem competebat ſuum, auſu temerario peruadit. Toto itaque potitus caſtro, copias duorum Comitum, qui eum in-

C depellere nitebantur, VVillelmi videlicet Pictauenſis, & Boſonis Petrogorici, per quindecim dierum eludens ſpatium, obſidionem eos ſoluere coëgit. Qua liberatus neceſſitate, audendo maiora, municipium Patris Benedicti quatuor & ſemis millibus à memorato diſtans caſtello, abſentiam Præpoſiti Otherij aucupatus, latrocinantium more ingreditur. Municipio illi antiquitas Salis nomen indiderat, eóque Monachi habitationem aſſiduam à Caput-ceruio commutauerant: eò quòd is locus magna ex parte natura foret munitus. Hunc præfatus Ademarus idcirco, vt poſt ipſe retulit, inuadere niſus eſt, vt copiis frumenti ac vini, quæ à circumiacentibus incolis inibi ob tutamen ſanctorum locorum aggregâta erant, peruaſæ Brucciæ inopiam ſubleuaret. Re autem vera, vt arctiſſimos poſſeſſionis ſuæ fines ampliaret, operam dabat. Interim Præpoſitus loci iam dictus Otherius, tantæ calamitatis accepto nuncio, dolore cordis tactus intrinſecus, quòd commendatum ſibi à venerabili Abba ABBONE tunc Floriacenſium Rectore & Fratribus locum funditùs amiſiſſe videretur, in diuerſa cogitationum turbine rapitur: tandémque non mœroris, ſed conſilij tempus ingruere ſibi intelligens, ad ſuperius nominatum Hugonem recta proficiſcitur via. Cui opportunitatem capiendi innoteſcens inimici, quòd ſcilicet Brucciæ firmiſſimo derelicto præſidio, in Salenſis municipij demigraſſet domicilium: ad præoccupandos eius conatus proficiſci hortabatur. Nec ille diſtulit, qui intelligeret ſuo vſui proficere,

Hvgo et Robertvs. ſi eum in minus tuto valeret præoccupare loco. Quid plura? non ſolùm illum, ve- A
rùm quoſque cireummanentes vicinos, quibus cordi eſſe Patris Benedicti vene-
randam dilectionem cognoſcebat, ad ſui adiutorium alliciens: dilueulo feriæ ter-
tiæ præmonet hoſtibus occùrrendum. Interea cuidam militi ex auxiliaribus noſtræ
partis, nocte, quæ diem belli præcedebat, huiuſmodi per quietem oſtenſa eſt viſio.
Videbatur ei, quòd quaſi cum Præpoſito Eccleſiæ ſancti Stephani Lemouicinæ
Sedis nomine Ainardo ſiluam peragraret; opportuniſque in locis, retibus oppan-
ſis, multitudinem aprorum præ ſe ageret. Quorum quidem alios ad præparatas
inſidias deductos viuos caperet, alios verò venabulis transfixos neci traderet. Eui-
gilans igitur, dum cuidam ſodalium quæ viderat enarraſſet, hoc ab eo reſponſum
» accepit. Viſionis, inquit, tuæ Deo opitulante, & ſanctiſſimi Benedicti ſuffragan-
» tibus meritis, manifeſtus in proximo propalabitur intellectus. Nam quod tibi de
» porcis præoſtenſum eſt ſilueſtribus, hoc tu patrari conſpicies de perfidis homini-
» bus: quódque authore Ainardo te agere ſomniabas, hoc ventura luce, Otherio
» ſancti viri Benedicti Monacho duce, vnà nobiſcum Chriſto auxiliante perficies.
Cúmque ille, qui ſomnium viderat, rem ſibi manifeſtiùs declarari peteret (erat
enim earum quæ gerebantur inſcius rerum) interpres ad eum: Num, ait, ad aures
» adhuc peruenit tuas, Adhemarum Guidonis filium egregij Confeſſoris Benedicti
» peruaſiſſe Monaſterium: & Otherium Præpoſitum idcirco Domini noſtri petiiſſe
auxilium? Gausfredus ob fortitudinem corporis Aſini prænomine vocitabatur, in
cuius caſtro memoratus Monachus tum fortè aderat, cùm hæc miles contubernali B
» referret ſuo. Quique hæc adiecit, dicens: Nos quoque volente Deo, ac ſancto
» iuuante Benedicto, ſacri peruaſores loci aut vindice feriemus gladio, aut captos
» nobili ducemus in triumpho. Hoc dictum multorum roborauit pauitantia corda
virorum. Videntur mihi ſomniator iſte, ac eius interpres, duobus Orientalibus
fore ſimiles; quorum vnus victoriam Gedeonis ſomniauit, alter interpretatus eſt.
Feria porrò ſexta ſecundæ hebdomadis ſanctæ Quadrageſimæ vertebatur, quando
factio latronum memoratum occupauit Cœnobium.. Et ecce crepuſculò tertiæ
feriæ ſequentis ſeptimanæ vndecunque aſciti auxiliares improuiſi adſtitêre portis.
Tunc quibuſdam noſtri agminis viris adhuc procul à caſtro conſtitutis, vnà cum
Præpoſito Otherio, diuinum apparuit prodigium. Viderunt namque, Sole totius
terræ reliquas clariſſimè inluſtrante partes, ambitum caſtri denſiſſima vallari nebu-
la: quæ quidem nullum ſibi pugnandi afferret impedimentum, hoſtium verò ob-
nubilaret intuitum. Illi hæc dies æquanda videtur, de qua antiquus Legiſlator
Exod. 10. 22. ſcribit: *Quia Aegyptiis erant tenebræ craſſæ & palpabiles: filiis autem Iſraël erat lux in
omnibus finibus ſuis.* Roboratis hoc ſigno animis, ſtatuunt hoſtes prœlio aggredi:
& præmiſſo Præpoſito, qui præuius dudum ſibi fidos, tunc autem hoſtiles, aggre-
diens muros, beati Benedicti nomen celſiùs inclamaret: ipſi elata in excelſum vo-
ce, Benedictum inuocant Monachorum Patrem, Benedictum reſonant tum val-
lium concaua, reſpondéntque Benedictum proximæ ſiluæ abdita. Quo fragore C
vicinos conſediſſe montes, infernáque paruiſſe hoſtibus viſum. Et quia montium
facta mentio eſt, non ſit audientibus onerosum, iam dicti Salenſis caſtri memora-
re ſitum. Mons eſt non multæ altitudinis, in cuius decliuo caſtrum conſtitutum
eſt, quod quidem ab Orientali Auſtralíve parte difficilem ad ſe venientibus præ-
ſtat acceſſum. Ab Aquilonali ſanè latere, deuexus montis machinamentorum
omnium inhibet euectionem. At Occidentem versùs, vbi hoſtium facilis formi-
dabatur progreſſus, domus erat lapidibus firmiſſimè conſtructa, ad Auſtrum in lon-
gum porrecta, ad repellendos inimicos ſatis idonea. Huiuſmodi enim munitio
aduerſariis facta eſt perditionis occaſio: dum ob nimiam ſecuritatem priùs hoſtem
adeſſe ſenſerunt, quàm præuidiſſent. Primus ferratas Aquilonali parte intulit
acies Gaufredus, propter vires, non propter pigritiam, Aſinus agnomine: igném-
que, vt pridie ſuis inter pocula in amore Patris Benedicti ſumpta condixerat, ad-
moueri præcepit. Poſt eum reliqui auxiliares, Giraldus ſcilicet Cluenſis caſtri
dominus, & Hugo Gargelenſis, reliquíque, quorum nomina dicere ſuperſedi.
Qui ducentorum vallati caterua armatorum, aduerſarios pari fidentes numero,
ſed virtute conſtantiæ impares, è propugnaculis, quæ tueri parabant, iaculis ac la-
pidibus repellere cœperunt. Et ecce, prouidentiâ diuina interuentúque egregij
Confeſſoris, ventus Aquilo ſurgens flammas quidem ignium portis ingerebat,

A hoſtilia verò tela retro agebat. Cúmque ignem conualeſcere, iaculáque ſua in irritum cadere oppidani eernerent, formidinem animis induentes, introrſus fugêre. Seditioſis Eccleſiam petentibus, noſtri à tergo ſequuntur attentiùs, cæſis in introitu portæ aliquantis, eos qui Baſilicam perebant inſectabantur. In qua non tutam ſibi latebram fore auſpicatus Ademarus, turrim ligneam, de qua ſigna dependebant, cum ſex factionis ſuæ ſociis formidoloſus conſcendit. Ibi quoque ſe latere poſſe diffidens, tecta more architecti perambulabat: donec ab Hugone, qui ſtudioſiùs reliquis eum inueſtigabat, viſus, pacta vitæ ac membrorum ſecuritate, captus eſt. Cum quo, quinque commanipulares ex eminentioribus renti ſunt. Hugo videlicet ac Archembaldus de Buciaco, Rainardus & Americus frater eius; filij Heldegarij haud ignobilis viri Argentomagenſis; atque Giraldus Termenſis. His exceptis, quos aut minor potentia, aut minus pollens de nobilitate parentum ſanguis, noſtræ ſubſtraxit notitiæ: quorum numerus ad viginti & eo ampliùs fuiſſe refertur. Equi capti numero centum viginti; præter eos qui vel à victoribus furtim ſubducti, vel à victis fugâ ſibi conſulentibus obducti ſunt. E quibus & multitudo hoſtium colligi potuit, & virtus ſuperna, pariterque excellentiſſimum Patris Benedicti meritum, euidenter agnoſci: quòd à tam paucis exercitatæ militiæ viris, aduerſarij copiis ac naturâ muniti loci, tam facilè ſint ſuperari. Illud nihilominus gratiâ Dei gratuita nobis collatum credimus; quòd hoſtium triginta militibus peremptis, noſtrorum nemo ſaltem vulneratus eſt: tribus exceptis, vnus videlicet militaribus deditus ſtipendiis, qui lethali accepto vulnere, ad propria rediens, vita deceſſit. Ac duo agriculturæ potiùs quàm bellicis dediti ſtipendiis: qui cum multis aliis artis hominibus, famâ prœlij exciti, auxiliatum noſtris venerant: dum nimium rapinæ ſtudent, incertum, à ſociis, àn ab extraneis interempti ſunt. Hoc itaque modo, caſtrum intra ſextam diei quo primum ibi aduenerant horam receptum, noſtriſque redditum eſt anno Incarnationis Dominicæ milleſimo. Et ne quis æſtimet tantam victoriam hominum potiùs virtuti quàm diuinæ aſcribi debere largitioni: ſciat ipſorum nobis relatione aduerſariorum vulgatum, eos vigore ita deſtitutos, vt quamuis telorum ſeu lapidum mole abundare ſe cernerent, nullam tamen efficaciam in iaciendo ſibi ineſſe ſentirent. Animæ quoque peremptorum, nocturno tempore, in eadem villa quieſcentes homines ſomnos rumpere ſæpiſſimè cogebant: flebiliter oberrando inclamantes, ſe miſeras fore, quæ excellentiſſimi Patris Benedicti res peruadere non dubitauiſſent. Nec Guido genitor Ademari, ſiue etiam Giraldus frater eius, patrinus iam dicti adoleſcentis, immunes miſeriarum fuêre. Verùm ſicuti participes eius maligni fuêre conſilij, ſic quoque Dei iuſtiſſima diſponente prouidentiâ periculorum fuêre conſortes. Si quidem Guidonem non tantùm orationis, quantùm diſſimulationis neſcire ſe quæ à filio gererentur, gratiâ Romam profectum morbus adeò vitiliginis debilitauit, vt non aliter quàm in lectica ad ſua regredi valeret. Giraldum verò obtentu eiuſdem ſimulationis apud Pictauum degentem, & rei euentum præſtolantem, ferox equus mordicus per coxam arreptum, per aliquot dies lecto cubare coëgit. Hildebertus quoque Argenſis incola, huius factionis ſignifer, qui pacis medius palàm quidem videbatur fore, occultè autem proditionem alebat, igne diuino in maxillam aduſtus vſque ad diem ſuæ mortis incurabilis perſeuerauit: ita vt conſumpta carne, dentes ſpecie miſerabili nudarentur. Per omnia Benedictus Deus, qui ſibi beneplacitos aſſiduè mirificat Sanctos.

Hvgo et Robertvs. — B — 1000. — C

VI. Qvia verò ſemel Aquitaniam ingreſſi ſumus, non ab re eſſe videtur, ſi rei geſtæ miraculum, quod ordo cauſarum ſuperiori paucis elabentibus annis ſubnexuit, enarrauerimus. Captus, vt ſuprà dictum eſt, Adhemarus, ab Hugone ad caſtrum Bruccíæ deductus eſt. Id Giraldus quidam partibus fauens Adhemarianis tenebat, excluſis factoribus Hugonis, qui partem eiuſdem caſtri ab Adhemaro ſibi præreptam non mediocriter indignabatur. Denique eundem iuuenem, quem captum habebat, è regione murorum, vnde à ſuis intueri poſſet, deduci præcipiens, interminatus eſt, ſe eius caput abſciſſurum, ni maturarò ſibi munitionibus cederent. Quæ res Giraldum, & eos qui intus erant, grauiter perterruit, maximè videntes Dominum ſuum cum tot exercitatæ militiæ egregiis bellatoribus, ſubita rerum conuerſione deiectum. Vnde non ſolùm oppidum, ſed etiam ſe ſuáque omnia territi dedidêre. Hugo potitus caſtro, turrim, quæ iuris Adhemari fuiſſe vide-

[illegible], confeſtim diruit. Iuxta eam ciſterna erat ad colligendas imbrium aquas A
[illegible], quadraginta quinque & eo ampliùs cubitis in profundum patens. Fortè
poſt aliquod temporis ſpatium, duo ex Fratribus noſtris apud memoratum ſancti
Patris Benedicti Salenſe Monaſterium degentibus, vtilitatis Monaſterij gratiâ
præfatum Hugonem Brucciam tunc incolentem adierunt. Ob cuius colloquium
ſuperiora turris petentes, binos equos retinaculis ſibimet connexos in inferioribus
reliquerunt. Horum vnus quietis impatiens, dum hûc illúcque errando ſocium
trahit, poſtrema corporis parte in ſuperiùs nominatam ciſternam labitur, nec al-
terius ope iuuari valuit, quin ad fundum vſque decideret. Clamor illicò intuen-
tium oritur, equum Monachorum in puteum eſſe lapſum. Tumultus cauſam Hu-
go ſollicitè perquirens, vbi damna lapſi animalis reperit, vehementer indoluit,
quòd hi, qui eum viſitandi gratiâ adierant Monachi, (æger quippe erat) tantam
fuiſſent paſſi iacturam. Itaque vxori imperat, vt euocatis iuuenum robuſtioribus,
ſemiuiuum equi cadauer è puteo abſtrahi faciat. Ipſe poſt paululùm, vbi ſe veſtibus
induit eam ſequutus, inclinans ſe ad os putei, ſolùm equinum caput aquis emine-
re proſpexit, reliquis membris cum ſella limphis opertis. Et ad circumſtantes con-
» uerſus: Hic, inquit, equus ſellæ deinceps nunquam ſentiet onus. Ad quem mu-
» lier: Num, ait, ille ſenex Benedictus, qui tibi à Domino victoriam obtinuit ex ho-
» ſtibus, tam eſt inualidus, vt impetrare nequeat, quatinùs proprio animali ſuus re-
» uehatur Monachus? Ad hæc ille diffidens: Si, inquit, hæc ille impetrarit ceteris B
» Prælato Sanctis, eius me committam tuitioni. Admotis igitur ſcalis, deſcendit
quidam, audaci fiſus iuuenta, qui equum per oportunas corporis partes funibus
ligaret, quò facilius educi poſſet. Verùm eo egreſſo, cùm difficile videretur, tam
immenſi corporis animal ſimul cum ſcala poſſe abſtrahi, ob anguſtiam putei, primò
ſcalam educentes, dehinc caballum abſtrahere cœperunt. Sed omnipotens Deus,
vt oſtenderet non ſolùm iam ſæpiùs dicto Hugoni, verùm quibúſque ſanum ſapien-
tibus, egregium Ducem Monachorum, ſummum videlicet Benedictum, non par-
ui apud ſe eſſe meriti, immò maioris, quàm quiſque mortalium conijcere valeat:
geminauit miraculum. ---:·

VII. Oportvnvm videtur & illud inſerere lectioni, quod in eadem Prouincia
ſub antedicto Præpoſito Otherio meritis ſancti ſui Benedicti Dominus operari di-
gnatus eſt. Hildebertus ſupranominati Boſonis filius, ex materni aui ſucceſſione
Comitatum Petragoricæ vrbis adeptus, aduerſus Guillelmum Comitem Pictauo-
rum arma mouit: & commoto exercitu, ad ſecundum Pictauæ ciuitatis milliarium
caſtra poſuit. Inter reliquos verò eius auxiliares, quos ad id euocauerat bellum,
erat Hugo, de quo præmiſimus, dominus caſtri quod Gargiliſſa dicitur. Is cogni-
tum habens beatiſſimum Patrem noſtrum Benedictum, his qui ſe plena inuocaue-
rint fide vbique, & maximè in bello, ſolere auxiliari: memoratum rogauit Præpoſi-
tum Otherium, vt ſibi ſaltem duos conferret panes ex iis, quibus Monachi veſce-
bantur, quos ipſe cum ſuis certamen intraturus, in eſcam ſumeret: fidei non mo- C
dicæ exiſtens, qui crederet illo ſe cibo validiùs omnibus poſſe armis contra vni-
uerſa muniri pericula. Interim Hildebertum, tam ipſum Hugonem quámque ce-
tera expectantem auxilia, præcipuè Fulconem Andegauenſem Comitem, congre-
gati Pictauenſes repentina inruptione opprimere conati ſunt. Quatinus eo, qui
Dux belli erat, antequam cunctæ eius congregarentur copiæ, oppreſſo, reſiduos
ab ipſius deterrerent adiutorio. Nec ille ſegnior in obuiando fuit, ſed cum paucis,
quos ſecum habebat, excipiens aduenientes: bis cum eis campali certamine con-
flixit. Cùmque in eo eſſet, vt ab hoſtium multitudine ſuperaretur, veteranis etiam
ſuis fugere non erubeſcentibus, ex improuiſo iam dictus ſuperuenit Hugo, qui de-
iectos rebus aduerſis ſociorum intuens animos, fractis citatim, quos ex Monaſterio
ſancti Benedicti acceperat, panibus, & ipſe ſumpſit, & his, quos ſecum adduxe-
rat, diſtribuit. Ac demùm Pictauos iam iámque victores, & ſui nimiùm ſecuros,
cum Hildeberto aggreſſus, vicit, fugauítque. Sanè ex militibus, qui quippiam
panis ſancti Benedicti quamuis modicè ſumpſerant, nullus lethale ſuſcepit vulnus,
ſed omnes incolumes euaſerunt.

VIII. Nvnc iam ab Aquitania greſſum verbi promouentes, in Franciam redeamus:
narratiſque de ſtatu Regni ſeu Regum quæ ad rem pertinere videbuntur: miracu-
lum per beatiſſimum Patrem noſtrum Benedictum ab omnipotente Deo in loco,

HVGO ET ROBERTVS.

A qui Abbatis-villa dicitur, geſtum recitemus: ſicque per Monaſterium ad Burgun-
diæ partes certis ex cauſis tranſitum faciamus. Dux Francorum HVGO inſulas
Regni adeptus, cum filio per decem continuos annos eis potitus eſt. Moriens au-
tem, ROTBERTO filio Monarchiam ſui reliquit principatus. Hugonides Rot-
bertus vxoriam inire copulam iam dudùm mente tractans, & ab Arelatenſium par-
tibus aſſumere ſibi coniugem volens, exercitum congregat, ſponſæ iam iámque ad-
uentanti occurſurus. Dum ergo iter agens exercitus, vlteriorem Ligeris ripam te-
neret, contigit Guillelmum Beleſmenſem, caſtra metandi cauſâ, curtim ſuperiùs
nominatæ Villæ-Abbatis ſibi deligere. Porrò è ſatellitibus eius quidam peruerſæ
mentis iuuenis, præueniens Dominum, Monacho ei curti Præpoſito Theoderico
nomine furibundè imperat, vt ſibi portas aperiat, eo quòd ipſe inibi metatum ha-
biturus foret. Ad quem Monachus: Patientiam, inquit, ô optime militum, in
me habe, aduentum tui Senioris operientem, cui ſoli hæ patebunt portæ. Animad-
uertens miles, copiam introeundi ſibi denegari, conuerſus in iram, ſociis infit: En,
inquit, contemplamini hunc Monachum veluti tumidum bufonem, equo itidem
tumenti ſuperbè reſidere, nec mihi aperire velle. His contumeliæ verbis Cœno-
bita motus; conuerſus ad Orientalem, ad quam Monaſterium ſitum eſt, plagam:
Ego, ait, te ô Senior ſanctiſſime Benedicte, aut perpetuò obdormiſſe ſuſpicor ſom-
no, aut noſtris offenſum peccatis, ab his olim tibi dilectis abſceſſiſſe ſedibus, qui
ita inultas tuorum pateris manere iniurias. Quid multis morer? Non diu vindex
B dilata eſt blaſphemiæ vltio, diuina eam meritis beati Confeſſoris idcircò, vt credi-
mus, accelerante prouidentia, ne puſillanimitate victus Frater, maioris offenſæ in
verbo incurreret lapſum. Námque aduentante Guillelmo, infelix ille qui ſcan-
daliſauerat Fratrem, & inſuper Benedictum deſpexerat Patrem, iactitans ſe vino
ſeruorum eius ad ebrietatem vſque ſua ſuorúmque viſcera abſque eius oppleturum
gratia, domum à curti longiuſculè remotam ingreditur: in qua minarum ſuarum
ſatisfacturus executioni, dum vltra modum vina hautit, calicem furoris Domini
vnà cum mero vſque ad feces potauit. A menſa quippè ſurgens, ſecus ignem ſe
collocauit, temporalem æterno ſocians ſomno. Námque ignis ſtramenta lecto-
rum corripiens, flammarum globos in ſublimi extulit, ac tectum domus facilè ac-
cendit. Nec euigilauit miſer, donec comprehenſis omnibus, obrueretur trabium
molibus. Itaque cum duobus obſequij ſui pueris, (nam tertius ſemiuſtulatus eua-
ſit) ac quinque equis, ſeu cum omni itineraria ſupellectili, incendio conſumptus
eſt. Qui verò ambuſta veſte vel capitis crinibus, diſcrimine mortis beneficio ex-
emptus fuerat fugæ, in præſentiam Guillelmi deductus, rem, vt erat geſta, ordine
retulit. Tùm ille: Meritò, ait, hæc infelicibus pœna prouenit, qui maliuolo ve-
cordiæ ſuæ ſpiritu vina Monachorum cuncta ſe exhaurire poſſe æſtimantes, ira
ebrietati operam dederunt, vt imminens periculum vitare nequirent. Hoc itaque
facto, ſuſpitio Fratris abolita eſt, qua falsò calumniatus erat beatiſſimum Patrem
C noſtrum Benedictum obdormiſſe, qui cura peruigili aſſiduam ſollicitudinem ſibi
ſubdito exhibet gregi. Porrò à ſibi placitorum iſtorum viſitatione locorum nullius
noſtrûm quolibet immani poterit deterreri facinore, quem grata ſuorum inuitat
præſentia oſſium. Verumtamen eò magis nobis cauendum, ne tam pij aſpectum
Viſitatoris fuſca commiſſorum offendamus caligine peccaminum.

IN ea inundatione Ligeris, quam plus ſolitam, litoris accola, inſolitam procul IX.
remotus ſenſit agricola, quid mirandi per meritum ſæpiſſimè nominandi Patroni
noſtri actum ſit Benedicti, quia abſentem me contigit fuiſſe, relatu Seniorum co-
gnitum, memoriæ adoriar tradere poſterorum. Igitur Liger eorum maximus flu-
uiorum, qui per Galliam aluei ſui curſus in Oceanum propriis inuehunt nomini-
bus, inaudito anteà ſeculis modo antiquos exceſſit terminos anno Incarnationis
Domini M. III. regni autem ROTBERTI Regis, quo cum patre regnare cœ-
pit, ſexto decimo, Monarchiæ verò ſeptimo. Tanta verò támque repentina eius
fuit profuſio, vt agrarios laborantes, ſeu equites iter agentes, ſubita inuoluerit
ruina ---:·

PATRICIACVS dicitur villa, in Auguſtudunenſi territorio Burgundiæ ſita. XV.
Hanc ECHARDVS Comes Burgundionum ditiſſimus, ſancto Benedicto & Fra-
tribus Floriacenſis Cœnobij, ad ſtipendiarios quondam ſumptus, benigna largi-
tate contulit. Quo defuncto, ac in Floriacenſi Monaſterio iuxta Eccleſiam ſanctæ

HVGO ET ROBERTVS. Mariæ ſepulto: in memorata poſſeſſione Fratres habitationem ſibi ſtatuerunt. In qua etiam delatis à Floriaco ſancti Patris Benedicti reliquiis, Eccleſia in honore Dei ac glorioſæ Virginis Mariæ, ſimúlque egregij ipſius Confeſſoris, conſtructa eſt. Quam Chriſtus Dominus meritis ſanctæ ſuæ Genitricis, necnon dilecti famuli ſui Benedicti, ſæpiſſimè miraculis inluſtrem reddidit. --- A

XVI. BERNARDVS quidam eiuſdem Burgundiæ vir inluſtris, dominúſque caſtri quod Vzon vocatur, diſcordiam habebat cum quodam ſibi affinitate propinquo, non minoris potentiæ, nomine Letboldo. Cuius poſſeſſiones dum direptionibus vaſtaret, etiam ex villis ad iam dictum Patriciacum Monaſterium pertinentibus armenta abducere cupiens, quoſdam ſeruorum ſancti Benedicti reſiſtentes ſibi interemit. ---

FRAGMENTVM CHRONICI FRATRIS HVGONIS MONACHI FLORIACENSIS,

Ab anno Chriſti DCCCCLXXXVII. vſque ad annum MXXXIV.

Ex Codice MS. Bibliothecæ Regiæ.

987. ANNO DCCCCLXXXVII. obiit LVDOVICVS Rex iuuenis, qui regnauit in Francia annis II. ſepultus verò eſt in Baſilica beati Cornelij Martyris Compendio. Cui ſucceſſit CAROLVS frater * eius, filius Clotarij Regis. Eodem anno rebellauit contra Carolum HVGO Dux Francorum, eò quòd accepiſſet Carolus filiam Herberti Comitis Trecarum. Collecto igitur Hugo exercitu copioſo valde obſedit Laudunum, vbi manebat hoſtis. Cernens itaque Hugo Dux quòd minimè poſſet Carolum vincere, conſilium habuit cum Aſcelino traditore vetulo, qui erat Epiſcopus falſus Lauduni, & Conſiliarius Caroli. Itaque tradidit Aſcelinus Epiſcopus Laudunum in nocte vna quieſcentibus cunctis Hugoni Duci Francorum, vinctúſque eſt Rex Carolus cum vxore ſua, & ductus in cuſtodia Aurelianis ciuitate. Nondum autem ipſe Carolus erat vnctus in Regem, reſiſtente Hugone Duce. Manens verò idem Carolus in cuſtodia Aurelianis in turri, genuit illi vxor ſua filios duos, Ludouicum & Carolum. Eodem anno vnctus eſt in Regem Remis ciuitate HVGO Dux, & ipſo anno ROBERTVS filius in Regnum piiſſimus Rex ordinatus eſt. Hic deficit Regnum Caroli Magni. B

* leg. patruus eius, frater Clotarij.

IN diebus illis erat in Remenſium ciuitate Archiepiſcopus vir bonus & modeſtus, frater * Clotarij Regis ex concubina nomine Arnulfus. Hugo autem Rex inuidebat ei, volens exterminare progeniem Clotarij Regis. Congregánſque in vrbe Remenſi Synodum, idem Hugo Rex inuitauit Archiepiſcopum Senonicæ vrbis nomine Siguinum cum ſuffraganeis ſuis. In quo Concilio fecit degradare domnum Arnulfum Archiepiſcopum Remorum dolo nepotis ſui, quem tenebat in carcere, dicens non debere eſſe Epiſcopum natum ex concubina. In loco verò eius conſecrari fecit domnum Gerbertum Monachum Philoſophum. Qui Gerbertus magiſter fuit Roberti Regis filij iſtius Hugonis, & domni Leotherici Archiepiſcopi ſucceſſoris venerabilis Seguini: Arnulfum verò mancipari cuſtodiæ Aurelianis ciuitate. Venerabilis itaque Seguinus Archiepiſcopus non conſenſit in degradatione Arnulfi, neque in ordinatione Gerberti. Iuſſio autem vrgebat. Alij vero Epiſcopi licèt inuiti, tamen propter timorem Regis degradauerunt Arnulfum, & ordinauerunt Gerbertum. Seguinus autem plus timens Deum quàm terrenum Regem, noluit conſentire Regis nequitiæ, ſed magis inquantum potuit redarguit ipſum Regem. Propter quam cauſam ira Regis contra eum efferbuit. Cum magno itaque dedecore expelli iuſſit Arnulfum de Eccleſia beatæ Mariæ Remenſis, & ſic alligatum retrudi in carcerem. Alligatus autem in carcere Aurelianis ciuitate, vbi detinebatur nepos * eius CAROLVS, manſit ibi annis tribus. Nunciantur hæc omnia Præſuli Romano. Qui valde indignatus ſuper hoc facto, interdixit omnes Epiſcopos qui Arnulfum deiecerât, & Gerbertum ordinauerant. Miſit quoque Leonem Abbatem à Sede Apoſtolica ad domnum Seguinum Archiepiſcopum vrbis Senonicæ, qui vice ſua in vrbe Remenſi Synodum congregaret, mandans illi vt ſine dilatione reuocaret de carcere Arnulfum, & degradaret Ger- C

* leg. filius

* imò patruus.

A bertum. Collecto igitur Concilio iterum in vrbe Remenſi ex iuſſione Apoſtolica HVGO ET
reuocatus eſt Arnulfus de cuſtodia, & cum honore magno receptus eſt in patria ROBERTVS.
ſede. Gerbertus autem intelligens, quòd iniuſtè Pontificalem dignitatem ſuſce-
piſſet, pœnitentiâ ductus eſt. Altercationem verò Gerberti Pontificis & Leonis
Abbatis valdè plenius inuenies in Pontificum Remorum geſtis. Poſt hæc domnus
Gerbertus electus eſt Pontifex in vrbe Rauenna ab Ottone Imperatore, & à po-
pulo eiuſdem vrbis. Reſidénſque in eadem vrbe Pontifex quamplurimos annos,
defunctus eſt Papa vrbis Romæ. Statimque omnis populus Romanus ſibi dari ac-
clamabat domnum Gerbertum. Aſſumptus eſt autem de vrbe Rauenna, & ordi-
natus eſt Pontifex ſummus in vrbe Roma.

ANNO Incarnationis Chriſti DCCCCXCVIII. obiit HVGO Rex, ſepul- 998.
túſque in Baſilica beati Dionyſij Pariſius. Cui ſucceſſit ROBERTVS filius eius
in Regnum, piiſſimus & modeſtus. Anno Domini DCCCCXCIX. venerabilis 999.
Seguinus Archiepiſcopus ab imo cœpit reſtaurare Cœnobium ſancti Petri Milidu-
nenſis, & Monachos ibi mittens Abbatem VValterium eis præfecit. In ipſo anno
tradidit VValterius miles & vxor eius caſtellum Milidunum Odoni Comiti. Con-
gregauit verò Robertus Rex exercitum copioſum valde, & Burcardus Comes, con-
uocatóſque Normannos cum Duce ſuo Richardo obſedit caſtrum Milidunum.
Capto igitur caſtro, ſuſpenſus eſt Gualterius & vxor eius in patibulo. Burcardus
autem Comes recepit caſtrum Milidunum ſicuti antè poſſederat. Igitur Rainal-
B dus Comes vetulus Senonenſis, poſt multa perpetrata mala, defunctus eſt, & ſepul-
tus in Baſilica ſanctæ Columbæ virginis. Cui ſucceſſit Fromundus filius eius, ha-
bens in coniugio filiam Rainaldi Comitis Remorum. Anno Domini M. Ind. XIII. 1000.
Kal. Nou. tranſiit ad Chriſtum venerabilis Seguinus Metropolitanus Epiſcopus.
Poſt tranſitum verò eius ſtetit Eccleſia Senonica ſine benedictione ſacerdotali vno
anno. Acclamabat autem omnis populus ſibi ordinari domnum Leothericum no-
biliſſimis ortum natalibus, tunc Archidiaconum, omni bonitate conſpicuum. ſed
reſiſtebant quamplurimi Clerici, cupientes Epiſcopalem conſcendere gradum.
Præcipuè verò Fromundus Comes filius Rainaldi vetuli, natus ex mala radice,
hoc non permittebat fieri, eò quòd haberet filium Clericum nomine Brunonem,
volens de eo facere Epiſcopum. Dei autem nutu congregati ſuffraganei Epiſcopi
Senonicæ Eccleſiæ, cum voluntate & auctoritate Apoſtolica, ſublato omni timo-
re humano ſolemniter ordinauerunt domnum Leothericum in Sede Pontificali, vt
præeſſet Eccleſiæ Senonenſi. Anno Domini M. I. obiit Henricus Dux Burgun- 1001.
diæ ſine filiis. rebellauerúntque Burgundiones contra Regem ROBERTVM, no-
lentes eum recipere. Ingreſſus itaque Landricus Comes Autiſſiodorum tenuit ci-
uitatem. Anno Domini M. III. Robertus Rex aſſumptis Normannis cum Duce 1003.
ſuo Richardo & exercitu copioſo valde, vaſtauit Burgundiam, obſidens Autiſſio-
dorum multis diebus. Burgundiones autem nullo modo ei ſe ſubmittere volentes;
C vnanimiter ei reſiſtebant. Obſedit verò Auallonem caſtrum tribus ferè menſibus,
& famis neceſſitate illud cepit, túmque reuerſus eſt in Franciam. [Mortuo ita- Hæc ex alio
que Fromundo Comite Senonum, ſucceſſit ei Rainardus filius eius infidelium ne- Cod. ſunt
quiſſimus. Hic perſecutionem intulit Eccleſiis Dei & fidelibus eius, quanta non addita.
eſt audita à tempore paganorum vſque in hodiernum diem. Archiepiſcopus au-
tem Leothericus nimis anguſtiatus pro hac re, quo ſe verteret omninò neſciebat.
Totum verò ſe Domino committens, in orationibus & vigiliis exorabat Chriſtum,
vt ei ſuperna pietas dignaretur auxilium miniſtrare.] Igitur anno à paſſione Do- 1015.
mini M. XV. Ind. XIII. X. Kal. Maij capta eſt ciuitas Senon. ab Archiepiſcopo
Leotherico, per conſilium Rainaldi Pariſienſis Epiſcopi, & Regi tradita Rober-
to. Rainaldus Comes eiuſdem vrbis fugiens nudus euaſit. nec immeritò. Talem
enim perſecutionem Chriſtianis intulerat, qualis non fuerat audita à tempore pa-
ganorum. Quamobrem prædictus Archiepiſcopus ſapienti vſus conſilio, vi ab vr-
be compulit exire. Fromundus verò frater eius, & ceteri milites de ciuitate, ingreſſi
in turrim quæ eſt in ciuitate, obtinuerunt eam. Rex autem oppugnans eam diebus
multis cepit eam, & fratrem Rainaldi Comitis Fromundum duxit in carcerem
Aurelianis ciuitate, vbi & defunctus eſt. Anno Domini M. XXXI. obiit RO- 1031.
BERTVS Rex. Cui ſucceſſit filius eius HENRICVS. Huius tertio anno, hoc
eſt anno Domini M. XXXIV. vrbs Pariſij flagrauit incendio. * * * 1034.

ROBERTVS. A

FRAGMENTA ALIA,
DE ROBERTO REGE
HVGONIS CAPETI FILIO.

Ex Textu inuentionis corporis beati Iudoci, MS.

REGNI FRANCORVM Proceres ad id ſemper culminis euaſiſſe à ſui primordio, vt cùm corporis proceritate, cùm celebritate nominis, virtute etiam ac dignitate opum, cæterarúmque rerum copiâ reliquis præſtarent circum ſe Gentibus, non ſuæ modò, quæ aliquantum modernæ, verùm quoque exterarum gentium, quæ paulò antiquiores videntur, oſtendunt Hiſtoriæ. Vnde non immeritò placuiſſe ſummo creditur Deo, opifici rerum, his vſquequaque illos muneribus ditari, quos longè ante præſciebat ſui cultus Religionem optimè ſeruaturos, citóque ad ſui amoris pertrahi poſſe calorem. B Námque miſſos ſibi cœlitus Verbi Dei prædicatores gentili adhuc impliciti errore non ſolùm non inſectati ſunt, verùm cordis ſui aurem illorum verbis libenter accommodarunt. Iure itaque opulentia rerum comitatur eos, qui in ſuis membris Chriſtum poſt fuerant deuotè ſuſcepturi. Hæc verò Gens inter cetera etiam Regna hoc quaſi priuilegium poſſidet, quòd maioris auctoritatis Sanctos ſiue viuentes, ſeu in Chriſto quieſcentes ſuſcepit, ſanctarum necnon patrocinia reliquiarum ſuæ retinet in gremio telluris, quódque diuini Verbi excolit miniſtros, propenſiúſque conſueto ſibi more honorat. Ob id ſiquidem venerationis cultu digna habetur, exteris etiam nationibus formidini eſt. Quæ quàm ſtrenuiſſimis quibúſque huc vſque floreat Regibus, nec ſatis ad hoc nobis facultas ſuppeditat orationis, nec noſtri eſt propoſiti iſtud aggredi. Inter hos ſanè maiorum ſuorum haud inferior LOTARIVS enituit filius LVDOVICI, vir planè pollens nobilitate ſimul & probitate morum, gloriæ auidus, induſtriâ admodum ſagax, qui feliciter annis non paruis Regnum Francorum gubernauit. --- :· Procurrentibus annis eo defuncto, filióque eius LVDOVICO, HVGO tunc Dux Francorum inuitus ſuſcepit Regnum. Qui non multò poſt filium ROBERTVM participem fecit ſui Imperij, inclytum moribus, ſapientiâ tam diuina quàm mundana præditum. Cuius adhuc imperium viget, vigeátque opto multos Deo concedente per annos.

Extat apud Surium Tom. I.

Ex Vita S. Bertulfi Confeſſoris, quæ iuſſu Folcardi Abbatis Blandinienſis ab eiuſdem loci Monacho ſcripta eſt circa annum Chriſti MLXXIII. C

CAP. XXXIII. POST immaturam Arnulfi Iunioris Marchionis mortem, cuius auus magnus extitit Arnulfus, Balduinus filius eius cum matre ROZALA derelictus eſt paruulus. Hic enim eſt, qui poſtea prolixæ barbæ dictus eſt Balduinus. Cuius mater Rozala filia fuit Berengarij Regis Italiæ. Quæ poſt mortem Arnulfi Principis ROBERTO Regi Francorum nupſit, & SVSANNA dicta mutato nomine Regina regnauit. Quæ cùm adhuc vidua, & filius eius Balduinus eſſet infantulus, tanta in regione noſtrâ facta eſt perturbatio, vt non tam ad hoſtile quàm inteſtinum bellum pertraheretur ipſa diſſenſio. Multi enim ea, quæ à patre pueri huius vt beneficiarij acceperant, in hac perturbatione ceu propria vſurpabant. Quo tempore quidam nobilis proſapiæ Eilbodo Curtracenſi territorio præſidebat. Cuius vxor Immacin nobilis æquè proſapiæ dicta fuit. Ipſo autem Eilbodone defuncto, Balduinus, qui ex ſucceſſione hereditaria in Principatu monarchiæ Flandrenſis gratiâ Dei iam conualuerat, Comitatum Curtracenſem ditioni ſuæ, vt etiam poſtea fecit, ſubdere cogitabat.

Ex

A *Ex Epiſtola Petri Damiani S. R. E. Cardinalis, quæ eſt XV. Libri II. ad Deſiderium Caſſinenſis Monaſterij Abbatem.* ROBERTVS.

ROBERTVS Gallorum Rex, auus iſtius Philippi, qui in paterni iuris ſceptra ſucceſſit, propinquam ſibi copulauit vxorem, ex qua ſuſcepit filium, anſerinum per omnia collum & caput habentem. Quos etiam, virum ſcilicet & vxorem, omnes ferè Galliarum Epiſcopi communi ſimul excommunicauêre ſententiâ. Cuius ſacerdotalis edicti tantus omnem vndique populum terror inuaſit, vt ab eius vniuerſi ſocietate recederent; nec præter duos ſibi ſeruulos ad neceſſarij victus obſequium remanerent. Qui tamen & ipſi omnia vaſa, in quibus Rex edebat vel bibebat, percepto cibo, abominabilia iudicantes, pabulum ignibus exhibebant. His tandem Rex coactus anguſtiis, ad ſanum conſilium rediens, diuortit inceſtum, iniitque legale connubium.

Ex Decreto Yuonis Epiſcopi Carnotenſis, Parte IX. Cap. VIII.

Leo IX. HENRICO *Regi Francorum.*

PATER tuus ROBERTVS, laude & conſultu Epiſcoporum Regni tui, BERTAM matrem Odonis Comitis ſibi duxit vxorem. Ob quam rem, quoniam ſibi B erat carnis affinitate coniuncta, ab anteceſſore noſtro, cum Epiſcopis qui placito interfuerunt, excommunicati, pòſt ad Sedem Apoſtolicam venientes, cum ſatisfactione ſumpta pœnitentia redierunt ad propria.

Ex Vita MS. domni Garnerij Præpoſiti Eccleſiæ ſancti Stephani Diuionenſis, ipſius reſtauratoris, qui obiit anno ML.

LVDOVICO filio Lotharij, qui Brunonem Lingonis præfecerat, cùm progenie deficiente, biennio ferè tranſacto, HVGO MAGNVS Dux Franciæ Hugonis Magni filius, qui Ludouicum patrem Lotharij Regno reſtituit, omnium Procerum & Ducum aſſenſu in Regnum ſublimatus eſt anno ab Incarn. Dom. DCCCCXC *. Indict. III. Qui ſenectuti ſuæ & labori proſpiciens, filium ſuum ROBERTVM in Regem vngi, & ſecum regnare fecit. Nec multò poſt, Hugone deficiente, totius Regni Monarchiam ROBERTVS ſolus obtinuit. Hic vnum filiorum ſuorum HENRICVM nomine in Regnum Franciæ, alium nomine ROBERTVM in Ducatum Burgundiæ ſublimauit. Ex eo tempore caſtrum Diuion ab Epiſcopis Lingonenſibus antè poſſeſſum in poteſtatē & principatum Ducatus deuenit. Imminente denique hoc volubili & tempeſtuoſo tempore, dominus Humbertus de Malleio & venerabilis vxor eius Anna huius Prouinciæ nobiliores cuſtodiam Diuionenſis caſtri & regimen Terræ à Comite Bellimontis Hugone tenebant, principante ſecum ſuo conſanguineo Guidone agnomento Diuite Diuionenſi Vicecomite. Ipſe C enim Hugo Comes dominium Terræ ab Epiſcopo Lingonenſi tenebat, quod præfatis viris nobilibus tradiderat. Quod in tanta viuacitate tenuerunt, vt cùm Rex ROBERTVS & coniux eius CONSTANTIA Prouinciam hanc ſæpiùs attereret, eius impetum omninò nihili penderent. Brunone namque Epiſcopo ſuperſtite, in Diuionenſi poteſtate Rex nihil habebat. Quam ſucceſſor eius Lambertus, vt fertur, pro adeptione Epiſcopatus Regi conceſſit. Sicque ad detrimentum Cleri & Eccleſiarum, ſicut de Hieruſalem dicitur, quæ erat libera facta eſt ancilla. Idem itaque Robertus Monarchiam regni ſolus obtinens, cùm audiſſet in partibus iſtis quoſdam exiſtere, qui circumquaque res alienas violenter rapientes, vt liberiùs impunéque retinerent, firmitates & caſtella noua ſibi conſtruxerant, cum copioſo vt Regem decebat exercitu Miribellum ad expugnandum & diruendum aduenit. Erat enim illud vna ex manſionibus raptorum. Quod & Deo fauente breui effecit.

Ex Lib. II. Hiſtoriæ S. Berchariј Abbatis Deruenſis.

GLORIOSVS Rex ROBERTVS apud villam Aireyas nomine noſcitur Concilium habuiſſe, vbi cùm innumeræ plebis multitudines, diuerſi vtriuſque ſexus, & ætatis concurrerent: ad cumulandam quoque populi proficiſcentis deuotionem, plurima Sanctorum corpora à fidelibus viris aduehi cœperunt. Inter quorum ve- *Extat in Promptuario Antiquitatũ Eccl. Tricaſſ. Nicol. Camuſatij.*

ROBERTVS. neranda pignora Seniores noſtri de ſacro patroni noſtri corpore non ignotas detu- A
lére reliquias conuenienter in feretro ad earum tranſlationem præparato. Factum
eſt autem, vt ſuper quodam Comite LANDRICO nomine, noſtri Seniores fa-
cerent, ob prædia beati protectoris noſtri, quæ Comes prædictus inuaſerat, pro-
clamationem. Vndè indignatus, precioſiſſimi Patris reliquias diripere cogitabat,
autumans in feretro eſſe ſanctiſſimum corpus, ſicut noſtrates exterius teſtificaban-
tur. Non ergo Regis potentiam veritus, quoniam ipſe Rex mitiſſimus præ cunctis
exiſtebat, & magis manſuetudine quàm feritate ſuos vincere cernebat: idcirco di-
reptionem ſancti corporis perpetrare ſatagebat, quatinus non reddendi occaſio-
nem haberet iniuſtè pernala, cùm poſſideret heredem ſimul & hereditatem. Poſt
verò tanta ſpatia itineris, venerunt ad aquam quæ Vrmunrio dicitur, antequam ad
caſtrum S. Florentini acceſſiſſent. Inuenêre tranſitum difficilem. Nam crepido
laticis profundæ reperitur, & pons etiam ſoli homini ſtrictiſſimus, &c.

Ex Vita S. Theoderici Aurelianenſis Epiſcopi.

Extat in Annalib. Eccleſiæ Aurelianenſ. Lib. VIII.

EO tempore regnabat in Francia ROBERTVS Rex vir pietate egregius, & egregiè eruditus. Hic vt iuuenis (nempe Theoderici indigenæ Brieſi, Caſtri-Theoderici à Theoderico auo ſuo taliter nuncupati exorti) opinionem comperit, eum ad Curiam acceſſiuit. Quem fidelem admodum & prudentem experiens, cœpit eius vti conſiliis, & Iura Regalia ei tradere diſponenda. Defuncto interea AR- B
NVLFO Epiſcopo, Cleri ac populi pari ſententia THEODERICVS petitur, vt in Præſulem proueharur. Rex annuit quod petebant. Verùm quia virtutem inuidia ſequitur, nec vnquam deſunt bonis diſcrimina, affuit quidam Clericus ODOLRICVS nomine, quorumdam manu fultus Epiſcopatum impudenter ambiens, & ſancti viri electioni omnimodis contradicens. Qui etiam tanta temeritate ductus eſt, quòd cùm vir Deià LEOTHERICO Senonenſi Fulberto Carnotenſi, aliiſque Epiſcopis in Eccleſia Aurelianenſi ſacraretur, fores Eccleſiæ cum manu armata irrupit, & vſque ad altare progrediens, virum Dei ſub manu ſacrantis quaſi peremprurus appetit. Sed quod diuinum conſilium ordinat, nullatenus præſumptio humana conquaſſat. Diuino ſiquidem nutu, nec ſacrantem, nec eum qui ſacrabatur, tremor ab incœpto depulit, & quaſſis aſſultibus paulatim dimiſſis, aduerſa pars tremefacta paulatim diffugit.

Ex Vita S. Leonis IX. Papæ, Leucorum antea Epiſcopi, VViberto Archidiacono Tullenſi coætaneo Auctore.

Lib. I. Cap. XVI.

IDEM iamdictus Pontifex (ſcilicet BRVNO Leucorum Epiſcopus, poſtea Papa, dictus Leo IX.) eſt directus Legatus pro pacis concordia inter CONRADVM Romanum Principem, ac ROBERTVM Franciæ Regem. Quam legationem quàm honeſtè compleuerit, eſt teſtis Francia, quæ adhuc quaſi nouum refert, quanta in eo reſplenduerit ſapientia, quæ humilitas, quæ denique in cunctis cœptis efficacia: quàm decorus fuerit habitu mentis & corporis, quàm congruus in referendis verbis legationis. Quem cuncti vt patrem nimio amore ſuſcipiebant, quem omnes vt ſanctum ſumma veneratione excolebant. Itaque tanta firmitate pacem & concordiam inter vtraq; Regna ſtabiliuit, vt quoad vixerunt præmemorati Principes, cùm ſibi ſuccedentibus filiis vtriſque HENRICIS, nullus quantumcumque fraudulenta arte diſcordiam inter duo Regna ſerere valuerit. C

Ex Libro MS. de Reliquiis Eccleſiæ S. Dionyſij Epiſcopi & Martyris.

CONSVEVIT venerabilis Conuentus Eccleſiæ beati Areopagitæ Dionyſij annuatim in Idibus Auguſti ſolemnitatem precioſi Martyris Hippolyti, ſociorúmque eius facere ad eiuſdem Oratorium in medio nauis Eccleſiæ. Ad hoc feſtum vniuerſi conuenire ſolent Monachi tam Bailliui, quàm etiam longè commorantes Præpoſiti. Illuſtriſſimus verò Rex Francorum ROBERTVS ſuo tempore Chriſtianiſſimus huic ſolemnitati ſingulis annis omni occupatione ſepoſita intereſſe conſueuerat: vt ex tanti viri præſentia ipſa Sancti ſolemnitas ſolemnior haberetur. Qui inter celebrandum diuina Miſſarum myſteria ſtans in Choro cum Cantore, ceteriſ-

A que Chorum tenentibus, indutus cappa ſerica precioſa, quam ipſe ſibi ad hoc ipſum comparauerat, tenens Sceptrum Regale aureum in manibus, totum Chorum, imò totam Eccleſiam illuſtrabat, pſallens cum pſallentibus, & gaudens cum gaudentibus, cantando cum aliis ſolemniter, & alios ad cantandum hilariter exhortando. Erat enim Idem Rex optimè litteratus, ſubtiliter intelligens, Deum ac Sanctos eius ardenter diligens. Qui ſuaui modulamine vocis ſuæ cum clamore cordis ad aures æterni Iudicis continuò perſonabat. Et ita permanebat, vſque dum ſacratiſſima diuini myſterij ſolemnia finirentur. ROBERTVS.

Ex Vita S. VVillelmi Abbatis S. Benigni Diuionenſis, Auctore Glabro Rodulpho Monacho Cluniacenſi.

PARI namque Ratione ROTBERTO Francorum Regi de ipſo, VVILLELMO Abbate, indicatum fuerat, quòd BRVNONI Lingonum Epiſcopo, qui Regi minus adquieſcebat, talia ſuaderet quæ Regali iuri nimiùm reſiſterent. Ille verò, ſimul & Regina coniux illius, propter hoc illi irati, comminati ſunt aliquotiens Cœnobiis eius damnum inferre maximum. Adiens ergo intrepidus amborum præſentiam, ita illorum diuini Verbi virtute iram compeſcuit, vt etiam ſummam dignitatis gratiam apud illos obtineret. Nam cùm illorum filius, qui profuſæ iuuentutis elegantiâ ac liberalitate HVGO MAGNVS cognominabatur, iam in Regem vnctus obiiſſet, ac parens vterque pro morte illius penè vſque in ſuimet necem cordis dolore & luctu affligerentur; tunc acceſſit ad eos ſpiritualis Medicus, & ait: Non infelices enim vos putare debetis, quòd talem amiſiſtis. quin potiùs felices « valde, quia talem habere meruiſtis. Ego, inquiens, ex vllo hominum gradu non « tam pauciſſimos ſaluos futuros æſtimo, ſicut & Regum. Qui cùm attoniti reſponderent, Cur hoc dicis, Pater? reſpondit: Non audiſtis, inquit, ſacer canon quomodo « refert, vix tres de triginta Regibus bonos extitiſſe? Idcirco ceſſato, quæſo, hunc iuuenem flere mortuum: ſed potiùs congratulamini ei, ſicuti requiei datum, & à malis « liberatum. His dictis ita conſolans illos placabiles fecit, vt viderentur habere quod plangerent, & Deum dicerent viſitaſſe illos per ſanctum virum.

B

Ex Textu MS. tranſlationis Reliquiarum S. Euſpicij primi Abbatis Micianenſis Monaſterij.

LIBET præterea annotare ſcripto, quo tempore, & qua cauſa exiſtente, Reliquiæ beatiſſimi EVSPICII Miciaco fuêre delatæ honorificè. Conditoris omnium milleno vigeſimo nono benigniſſimi Chriſti Ieſu Saluatoris noſtri Incarnationis anno, Indict. XII. præſtantiſſimi Confeſſoris Aniani Baſilica diutino ædificata ſpacio iuſſa eſt dedicari. Ad cuius conſecrationis diem à glorioſo Rege eius Baſilicæ reſtauratore ROTBERTO, regni ipſius anno XXXIII. iuſſione Imperatoria inprimis euocantur Archipræſules, Leutericus Senonenſis, Gauſlinus Biturigenſis, qui & Abba Floriacenſis, atque Arnulfus Turonenſis. Horum præſentiam ſubſequuntur Præſules, Odolricus Aurelianenſis, Theodericus Carnotenſis, Bernerius Meldenſis, Rodulfus Siluanectenſis. Nec defuit etiam præſentia cum ſumma dicendi reuerentia venerabilis Odilonis Cluniacenſium Abbatis. Rector denique Miciacenſium Pater Albertus, cuius reuerendum caput niue dealbatum deſignat veræ ſpecimen innocentiæ, iuſſus à Rege cum caterua ſuorum & ipſe adfuit Monachorum. Nactus itaque nunc oportunum inueniſſe tempus expetendi beati Reliquias Euſpicij, ſupplex rogaturus Regem adiit cum Fratribus ſuis. Preces quorum nobiliſſimus Rex, qui etiam Miciacenſe Cœnobium plurimum diligens optimis amplificauit bonis, fauentibus ipſius Primatibus Regis, inſuper ſtrenuiſſimo viro prædicti loci Decano domno Tedelino, cuius maxima apparent in Miciacenſi loco beneficia, quod petebatur libentiſſimè annuit. In craſtino autem die dedicationis, quæ eſt XVI. Kalendas Iulij, fratres duo, quorum eſt nomen Letericus & Odo, iuſſi ſunt à præfato Rege mitiſſimo, & iam nominato reuerendo Decano, vrnam, in qua ſanctiſſimi Euſpicij corpus reclauſum fuerat, aperire, palliáque non minoris precij, quo ſancta ipſius tegebantur oſſa, detegere, & partem Reliquiarum eiuſdem Sancti, vti expoſtulaueramus, accipere --- ;·

1029.

C

 A

DE HENRICO I. REGE FILIO ROBERTI.

Fragmentum Hiſtoriæ MS. Auctoris incerti, quæ eſt in Bibliotheca Viri Cl. Alex. Petauij Senatoris Pariſ.

HENRICVS defuncto patre ROBERTO regnauit annis ferè xxx. Huius mater CONSTANTIA maximam regni portionem in ſuam poſt funus mariti detorſerat dominationem. Siluanectenſem ſcilicet vrbem, atque Senonenſem, caſtellum etiam Biſtiſiacum, & Domnum-martinum, Puteolúmque, & Melodunum, necnon & Piſciacum, & Codiciacum. Multos etiam Franciæ & Burgundiæ Proceres ſibi conciliauerat, quos à filij fidelitate mala fraude ſubduxerat. Inter quos præcipuè ODONEM Campaniæ Comitem ſibi deuinxerat, cui medietatem Senonicæ ciuitatis donauerat. Ipſa denique Conſtantia eum à culmine Regni deponere, & Robertum fratrem eius Burgundionum Ducem in eius loco ſubrogare toto anniſu exoptabat.

VERVM Rex HENRICVS cùm eſſet miles acerrimus, & matrem aduerſus eum calcitrantem cognouiſſet, conſultu ſuorum ad ROBERTVM Notmannorum Ducem cum duodecim elientulis confugit, ac apud Fiſcannum per fidei debitum ſibi ab eo ſubueniri petiit. Dux autem eum honorificè recepit, multis donis honorauit, & non multò pòſt decenter armis & equis inſtructum patruo ſuo MALGERIO Comiti Corbulenſi deſtinauit: mandans vt omnes ſuis in partibus tormentis & incendiis affligeret, quos ſub eius fidelitate deſipere videret. Ipſe verò per cuncta caſtella ſuæ ditionis Franciæ contermina militum validiſſimam manum poſuit, & conflictibus crebris tamdiu rebelles violenter obpugnauit, donec ceruicibus plexis, & ſuis omnibus conſumptis, coacti Regi ſuo reconciliarentur, & infeliciſſimæ matris conatus omninò exinanirentur. B

HENRICVS igitur Rex contractis vndecumque validiſſimis copiis, bellum cum matre ſua CONSTANTIA primò conſeruit, & caſtrum adorſus Piſciacum, mox illud ſuum retorſit ad dominium. Demum verò Puteolum obſedit, atque recepit. Quod cernens Conſtantia, mox ab eo dextram expetiit, & deinceps quoad vixit tempore ſibi fidelis extitit. Deinde ODONEM aggreſſus Comitem Rex Henricus, Gornacum caſtrum illi abſtulit, & Senonicæ vrbis partem ad ſuum iterum dominium reuocauit. Poſt hæc verò cum Marchione Flandrenſium BALDVINO HVGONIS RADVLFI caſtrum Merelis-villam euertit, & Petueram caſtrum biennali obſidione concluſum ſuam redegit in poteſtatem.

1037. ANNO Incarnationis Dominicæ M. XXXVII. memoratus Campaniæ Comes videlicet ODO contra Alamannos & Lotharingos nimio faſtu ducens exercitum, magnum de ſe eis præbuit triumphum. Nam commiſſo prælio cum præpotentiſſimo Alemannorum Duce Gocelone, multa ſuorum amiſſa copiâ terga vertit, & confoſſus occubuit. Quo defuncto, Tetbaldus filius eius maior natu Carnotenſem vrbem & Turonenſem ſibi vendicauit. Minor verò frater Tetbaldi nomine Stephanus Meldenſium & Tricaſſinorum ſortitus eſt ciuitates. Sed hi ambo contra Regem Henricum rebellare cœperunt. C

REX autem primùm cum Stephano congreſſus, illum facilè ſuperauit, atque fugauit, Comite Rodulfo retento. Meldandicum etiam poſt hoc deuicit Galerannum, quem exhereditauit, & terram eius ſibi ſubiugauit. Demum autem Gaufredum Andegauenſium Comitem contra Tetbaldum Comitem excitauit. Vnde eius nutu Comes Gaufredus vrbem obſidione cinxit Turonicam. Quod audiens Tetbaldus, cum ſuis viribus eò tetendit. Sed Gaufredus ei obuiam procedens, cum eo viriliter decertauit, eúmque ſuperauit, & cum ſeptingentis & ſexaginta militibus cepit. A quo etiam eodem tempore Turonicam extorſit ciuitatem. Denique Rex Henricus conſtruxit Eccleſiam prope mœnia Pariſiacæ vrbis in honore ſancti Martini. Comes autem ſuprataxatus Gaufredus extruxit ſanctæ Trinitati Cœnobium apud Vendocinum caſtrum. --- ;·

HENRICVS I.

A INTEREA Dux Normannorum GVILLELMVS fauente Deo creſcit ætate, viribus, ac ſenſu, morúmque valenriâ proficit. Animaduerrens itaque quanta ſuorum rabies Normanniam conculcauerit, in puerili pectore virile robur colligit, Procerésque patris ſui adſciros ad amorem ſui trahere ſatagit, & ne quid indiſciplinatè agant, precibus & iuſſis erudit. Rodulfum de Gauceio ex conſulru ſuorum maiorum ſibi turorem eligit, & Principem militiæ Normannorum conſtituit. Quidam Optimatum, qui Deum & iuſtitiam amant, libenter Duci vt Domino obtemperant, fidémque ſeruant, & rebelles ei ſubdere fideliter anhelant. Porrò filij diſcordiæ, qui diſſenſionibus gaudent, & innocenter viuere volentes affligere ſtudent, dum per ſe tantum nocere ſimplicibus quantum vellent & non poſſe vident, commentanrur qualiter ſubuerſionem patriæ improba fronte procurent. HENRICVM Regem Francorum adeunt, & titiones ſuos per Normannicos milites hac illácque ſpargunt. --- ∵

VESANA igitur prouocatione proditorum prouocatus Rex HENRICVS, vehementer permotus, dixit nullo modo ſe fore placabilem ei, quamdiu Tegulenſe caſtrum videret in primo ſtaru conſiſtere. Cuius motum animi ob ſalutem pueri vitare cupienres in fide ſtantes Normanni, decreuerunt fieri quod poſtmodum egiſſe pœnituit. Giſlebertus autem cognomento Criſpinus; cui illud commiſerat olim Dux Roberrus, mox vt moleſtiſſimum agnouit decretum, conatus eorum
B ſpreuit, & cum valida mann armatorum intra ipſum ilico ſe concluſit.

REX quoque munitionis aditum ſibi denegari conſiderans, exerciribus tam Francorum quàm Normannorum contractis, feſtinus eam obſidione cinxir. Quid plura? Giſlebertus tandem precibus Ducis victus, mœrens caſtrum reddidit, quod ſub oculis omnium cum maximo cordis dolore confeſtim igne concremari perſpexit. Quibus Rex ad votum peractis, à loco ſeceſſit. Sed non multò poſt Oximenſem Comitatum adiuit, & Argentonium Ducis vicum flammis voracibus combuſſir. Sicque onuſtus prædâ partes illas deſeruit. Deindè itinere, quo venerat, regreſſus, ad caſtellum Tegulenſe venit, illud cum feſtinatione reſtaurauit, militibus & alimoniis abundantiſſimè muniuit. & hine, quia votis ſuis iam ſatisfecerat; lætus receſſit:

INTEREA dum multis probitatum commodis Dux Guillelmus augmentaretur, quendam crudelem conuiuam expertus eſt, Guidonem videlicet filium Rainaldi Burgundionum Comitis, qui eum eo à puerilibus annis educatus fuerat, & cui olim contulerat caſtrum Brioci, quaſi munere firmiùs adſtringendi. Is etenim faſtu inuectus ſuperbiæ, plurimos Proceres velut Abſalon ab eius fidelitare cœpit auertere, & in ſuæ perfidiæ voragine complicare: in tantum vt Nigellum Conſtantinienſem Principem in hac conſpiratione annecteret, & à ſeruitio; quod electiſſimo Principi ſacramentorum obligatione debebat, cum multis aliis funditus exturbaret. Conſiderans itaque prudentiſſimus Dux ſe tantopere à ſuis deſtitui, & eos
C ſuorum municipiorum præſidiis iugiter robuſtiùs vallari, vetens ne à Comitatus faſtigio abiiceretur, & æmulus eius loco ſuo ſubrogaretur, neceſſitare coactus; HENRICVM Regem Francorum expetiit, pro ſubueniendi obteritu. Tunc Rex Henrieus memor beneficij, quod à patre eius ſibi quondam impenſum fuerat, vires Francorum ſimul coëgit, & Oximenſem Comitatum aggreſſus Valedunas venit. vbi innumerabilium infeſtiſſimo armatotum animo exercitum ſtrictis gladiis prælium ſibi intentantem offendit. Quorum efferos imperus Rex eum Duce nimiè perhorreſcens, facto alrernatim militum concurſu bellum commiſit, tanráque eos ilieò ſtrage deleuit, vt quos gladius non extinxit, Deo formidinem inferente fluuius Olnæ abſorberet. Felix namque pugna, in qua ſub vna die corruerunt proteruorum caſtella, & facinoroſorum domicilia.

ENIMVERO ex quo Normanni arua Neuſtriæ cœperunt incolere, mos fuit Francis ſemper eis inuidere. Concitabant ergo Reges aduerſus illos inſurgere, aſſerentes terras quas poſſidēt ſuis maioribus violenter eos ſubripuiſſe, Quibus Rex Henricus vehementer irritatus ambagibus, imò malignißimis æmulorum ſuggeſtionibus ob Dueis improperium, duobus hoſtium agminibus Normanniam aggreſſus eſt. Vnum quidem electæ nobilitatis virorum fortium ad Caltiuum ſubuertendum territorium direxit, cui fratrem ſuum nomine ODONEM præfecit. Alteri verò cum Goiffredo Marrello ad demoliendum Comitatum Ebroicenſem ipſe præfuit.

HENRICVS I. Dvx ergo vt ſe ſuóſque taliter comprimi vidit, magno & nobili tactus dolore, A milites protinus elegit, quos ad comprimendos Calceij ſubuerſores celerrimè direxit. Ipſe autem cum ſuorum nonnullis circa Regem ſe contulit, quatinus pœnas lueret, ſi quem ſatellitum à latere Regis abſtrahere aliquatenus valeret. Venientes verò Normanni ad Francos, repererũt eos apud Mortuum-mare incendiis & mulierum ludibriis occupatos. Cum quibus illo mane commiſſum bellum in continua cæde occumbentium ad vſque nonam ab vtriſque partibus eſt protractum. Nouiſſimè autem Francigenæ victi fugerunt, & Normanni Duci Guillelmo certaminis euentum mox per nuncios intimauerunt. At ille nimis lætus ſuper hac re, Henricum Regem cupiens effugare, terruit eum huiuſmodi legatione. Nuncius Ducis regalibus caſtris appropiauit, & in quodam proximo monte noctu ſtans fortiter clamare cœpit. Cúmque Regij vigiles ſciſcitarentur, quis eſſet, vel
» quare tali hora ſic vociferaretur, reſpondiſſe fertur: Rodulfus de Tœnia nomina-
» tus ſum, vobis defero lugubre nuncium. Ad Mortuum-mare currus veſtros cum
» carris ducite, & indè cadauera veſtrorum carorum reportate. Franci quippe Nor-
» mannorum militiam ſuper nos experiri venerunt, eámque multò maiorem quàm
» voluiſſent inuenerunt. Odo Signifer eorum turpiter fugatus, & Guido Pontiui
» Comes captus eſt. Reliqui autem omnes aut capti, aut perempti ſunt, aut obnixè
» fugientes vix euaſerunt. Hoc ex parte Ducis Normannorum nunciate Regi Fran-
» corum. Rex igitur vt infortunium ſuorum agnouit, à Normannica infeſtatione concito gradu quantociùs valuit, mœſtus de interitu Gallorum, retro pedem retra- B
1054. xit. Hæc pugna anno Dominicæ Incarnationis M. LIV. facta eſt.

Rex autem Henricvs iniuriam ſibi illatam à Guillelmo Duce toto anniſu vlciſci cupiens, ſumpto Goiffredo Comite Andegauenſi, copioſiſſimo cum exercitu, iterata expeditione Normanniam aggreditur. Qui Comitatum pertranſiens Oximenſem, & penetrans Baiocacenſem, tandem reflexo calle redeundi, vadum Diuæ appetiit. Quod Rege tranſeunte, media exercitus pars ſubſiſtit, mari eructuante, ob redundationem fluminis non valens tranſire. Cum quibus Dux alacriter ſuperueniens, ſub Regis oculis ilicò congreſſus tanta illos cæde proſtrauit, vt quos gladius non extinxit hos per Normannica compita diſpergeret violentia captiuitatis. Videns autem Rex ſuorum interitum, quamcitiùs valuit à Normannis receſſit, & ad eos vltra venire non appoſuit. Amicitiam quoque Ducis, conſiderata eius probitate, requiſiuit, & Tegulenſe caſtrum, quod dudum illi abſtulerat, reddidit.

Sæpedictvs Rex valdè fuit militaris, magnæque fortitudinis & pietatis.
* Annam apud alios. Mathildem * Iulius-Clodij Regis Rugorum filiam in matrimonium habuit, ex
* leg. vnámque qua filios tres, Philippum, Robertum, atque Hugonem, Emmámque * filiam genuit. Ex quibus Robertus puer mortuus eſt. Hugo autem factus iuuenis vxorem duxit filiam Herberti Vermandorum Comitis, per quam obtinuit Comitatus duos, Vermandenſem & Vadenſem: de qua genuit Radulfum, qui ei ſucceſſit in regnum. C

1059. Anno ab Incarnatione Domini M. LIX. præfatus Rex Henricus ſenio ſe grauari conſpiciens, Philippvm filium ſuum conſecrari fecit in die Pentecoſtes, ante altare beatæ Mariæ, à Geruaſio tunc Remenſi Archiepiſcopo. Aſtantibus quamplurimis Franciæ, Burgundiæ, & Aquitaniæ Archiepiſcopis, & XXXII. Epiſcopis. Adfuit etiam Hugo Biſuntinus Archiepiſcopus, Nicolai Papæ Legatus. Adfuerunt Abbates quamplurimi, & Primates Regni, Guido Dux Aquitaniæ, Hugo filius Roberti Ducis Burgundiæ, cum aliis multis.

Prætaxatvs verò Rex Henricvs poſtquàm Regnum Francorum ferè per XXX. annos rexit, cauſâ corporeæ ſalutis à Ioanne Medicorum peritiſſimo potionem accepit. Sed veneno nimiam ſitim inferente, iuſſum archiatri ſpreuit, & à Cubiculario potum accipiens dum Medicus abeſſet, ante purgationem bibit. Vnde nimis infirmatus, eodem die poſt perceptionem ſacræ Euchariſtiæ obiit. Philippvm verò filium ſuum ſub tutela Balduini Flandrenſis Comitis conſtituit, qui eum nobiliter & fideliter educauit, & Regnum eius ſtrenuè rexit ac defendit.

A

HENRICVS I.

Excerpta ex Libro IV. Miraculorum ſancti Benedicti Abbatis, Auctore anonymo Monacho Floriacenſi.

REGE Francorum HENRICO feliciter ſceptra tenente, eiúſque germano Ducatum Burgundiæ vtcumque adminiſtrante: frater ipſorum ODO priuatus degebat, nullius dignitatis faſtigio ſublimatus. Qui quoniam non habebat propria, inhiabat ſubripere aliena, rapinis & deprædationibus operam impendens. Vndè factum eſt die quadam, vt valida manu militum collecta, Soliacenſium ſibique contiguorum agros deprædatum iret. Inde reuertens onuſtus ſpoliis, & præda, contigit vt etiam quorumdam pauperum Patris Benedicti res cepiſſet. Diuertens verò in quoddam rus eiuſdem Patris, Germiniacus vocabulo, manſionem violentam ibidem accępit: contradicentibus ſibi eiuſdem ruris officialibus, & referentibus quàm ſeuerè vlciſceretur Omnipotens violatores illius loci, meritis Patris Benedicti. Qui floccipendens eorum dicta, præcepit circa Eccleſiam in honore Saluatoris mundi ibidem dicatam rapinas includi pauperum. Siquidem habebat eadem Eccleſia Cœmeterium, valli munimine circumdatum. Porrò famulis iam dicti Patris ab eo ſibi ſubrepta repetentibus, animo obfirmatus nihil reddere voluit penitùs. Inſuper comminatus eſt, eos verberibus vt tacerent afficiendos. Erat enim nimiæ ferocitatis & extollentiæ. Igitur præparari amplum ſibi ſuiſque de rebus pauperum iubet conuiuium. Cúmque deeſſet cera vndè deberent fieri luminaria, epulaturis neceſſaria; interrogat, vtrum in Eccleſia illa candelæ haberentur. Cui cùm reſponſum eſſet, nihil ceræ illic haberi, præter Paſchalem cereum, in honorem videlicet Dominicæ Reſurrectionis à Parrochialibus ſolemni oblatum more, iubet eum properè afferri, & exindè candelas copioſè ſuppeditari: non veritus iniuriam Saluatoris, cui ſanctificata erant cereus & Eccleſia. Proinde vino diuerſiſque ciborum ferculis cum ſuis accuratè refertus, ſanus & incolumis, poſt moroſè protractas in vanum ſermonum vigilias, dormitum vadit. Et dum leui ſopore quieſcens, aliquas noctis pertranſiſſet horas: ſubita incommoditatis anguſtiâ perturbatus, inclamat ſuos. Quibus circumſiſtentibus, indicat ſe mortifera inualitudine detineri. Itaque per reliquum eius noctis, eadem ingraueſcente moleſtia, in eo loco manſit. Facto autem mane, recognoſcens manifeſtè Patris Benedicti res, neminem quamuis generoſo concretum ſanguine, impunè temerari poſſe: quo valuit modo, equum aſcendens receſſit. Et eodem inualeſcente morbo, diem vltimum clauſit. Probabile ſatis factus argumentum, veridicam illam eſſe ſententiam, qua dicitur, *Non eſſe perſonarum acceptionem apud Deum.* *Rom. 2.11.*

CAP. I.

B

ABBAS HVGO quendam virum de familia Patris Benedicti, nomine Letardum, Teſcelino conceſſerat Petuerenſi: vt tam ipſe, quàm ab eo progeniti, perpetuò ipſi famularentur obſequio ſeruili. Qui factus Dominus illius, obtinuit eum non paucis diebus. Interpellatus autem idem vir nobilis poſt longum tempus à quodam ſuorum militum Ingranno nomine, vt ſupradictum ſeruum ei iure beneficij donaret, annuit. Ingrannus quoque obiens, filio ſuo Iſembardo ipſum poſſidendum reliquit. Genuit autem præfatus Letardus filium, nomine Rotbertum. Quem Iſembardus, vtpute proprium vernaculum, in ſua aluit & educauit domo. Rotbertus verò factus grandiuſculus, à ſuis comperiens genitoribus, ſe de familia Patris exortum Benedicti: ſed ab Abbate ſupradicto vt vile diſtractum mancipium, indoluit. Nec diutiùs dolorem ſui animi occulere valuit. Facta igitur fuga, ab Iſembardi præſentia ſe ſubtraxit. Quem longum latere non valens, ab eodem domum reductus, pœnas luit quas ſolet fugitiuus. Inſuper ſacramento ab eo eſt aſtrictus, ne ſeruitutis iugum de reliquo ferre detrectaret. Qui quoniam adoleſcentiæ tempora needum exceſſerat, ad præſens ſiluit: donec ætate procedente vires colligeret, quibus ſuo iniuſto Domino reſiſtere valeret. Poſtquam ergo genas illius flos veſtierat iuuentutis, elapſis adoleſcentiæ luſtris, Abbatem expetiit Guillelmum, qui tunc temporis præerat Floriacenſibus. Apud quem angorem ſui cordis cum anxiis deponens ſuſpiriis, conqueritur de iniuſtitia ſibi ſuiſque inlata. Guillelmus itaque cùm eſſet vir ſtrenuus, & ſuam Rempublicam ſemper augmentare toto anhelaret deſiderio: reſpondit ſe illius ærumnarum miſereri velle, iuſtáſque

XI.

C

HENRICVS I. querelas ipſius viris prudentibus palàm facere, & ſi quo pacto valeret, præſidium A illi ſeſe fore. Comperto igitur Iſembardus, Rotbertum, quem ſuum opinabatur ſeruum eſſe perpetuum, ad priorum dominorum confugiſſe aſylum, mandat Abbati nominato, vt ſibi proprium reſtituat mancipium: alioquin, deinceps ſe eius futurum inimicum. Qui miſſis ad eum qui ſua referrent verba, mandauit: eum quidem, quem iniuſtè repetebat, vernaculum Patris Benedicti fore, ſe verò inlicitè diutiùs ipſum poſſediſſe. Quapropter ſi de cetero illum habere vellet ſeruum, in ius venire eſſe neceſſe. Quibus Iſembardus auditis, apud ſe deliberans, quoniam Abbati iniuſtè reſiſtere nec fas nec poſſe habebat: determinatum mandauit diem, in quo hæc controuerſia inter eos finiretur. Die autem ſtatuto, plurimis nobilium & ſagacium viris ab alterutra parte aggregatis, diu multúmque ſermone altercatum eſt. ſed minimè ipſa calumnia eodem die finem accepit. Tandem verò multis priùs exactis conuenticulis, adiudicatum eſt idem negotium monomachiâ terminari debere. Dato igitur die ſingularem ineundi pugnam, in condictum conueniunt locum, videlicet qui repetebatur, & Airicus quidam nomine, quem Iſembardus ſuo obtulerat loco, fortis robore, miles officio. Erat autem idem ſtatura procerus, Rotbertus verò puſillus. Qui quamuis ſecum confligentis corpulentiam metueret, habebat tamen, vti poſtea retulit, fiduciam in Patre Benedicto ſuo iure
» Domino, & ſibi infeſto viro hunc inculcabat ſermonem: Non ego tecum decer-
» to, ſed Dominus meus, cuius me ſeruum profiteor, Benedictus. Ergo qui illum B impetebat Airicus, vt moris eſt, primos ictus intorſit in eum. Quos ille gratiâ Dei protectus conſtanter ſuſtinens, permanſit inlæſus: & alternum verber ſuo hoſti temptans incutere, virtute Patris, cuius nomen retinebat mente, manum ipſius ductante, buculam clypei, quo ſuus tegebatur aduerſarius, fortiter perculit. Quæ, clauiculis quibus affixa tenebatur auulſis, longiùs reſiliuit, móxque manus aduerſarij nuda apparuit. Quippe foramen in clypeo fuerat, quod bucula protegebat, deintùs ſemipedali affixa ligno: quo manu retento, grauem ille Rotberti aduerſarius faciliùs verteret clypeum. Rotbertus cernens manum ſecum dimicantis nudam, ictu repetito toto conamine eam percuſſit. At ille doloris impatiens clypeum remiſit: & quoniam manu debilitata, qua tegumen regebat, qua arte ſe tegeret non habebat, aſſiduo Rotberti verbere fatigatus, victum ſe proclamat. Dehinc exarmatus à victore, cum Iſembardo, pro quo ignominioſum certamen inierat, confuſus rediit ad propria. De reliquo, haud dubius Patrem Benedictum nequaquam ſuis deforе in aduerſis rebus. Hæc victoria facta eſt Floriacenſibus non modica exultatio, hoſtibus verò maxima confuſio. Porrò demonſtrauit Pater ſanctus in hoc facto, neminem ſuos poſſe aliquo pacto diſtrahere vernaculos. Videant ſibi, qui famulos, cenſus, prædia, ſanctis locis attributa, ob laudes omnipotenti Domino perſoluendas, nefariè diſtribuunt laicis, ſeu cuiuſcumque generis perſonis.

XV. ALBERICVS vnus ex Primoribus caſtri Caſtellionis, quod eſt ſitum ſuper Lupam fluuiolum, veſaniæ ſtimulis agitatus, creberrimis deprædationibus prædia C ſæpiùs dicendi Patris deuaſtabat, maximè illa quæ curti Matriniacenſi adiacent. Qua de re, mandauerunt ſibi, tam Abbas Rainerius, quàm Fratres ſub eo degentes, vt commiſſa corrigeret, & de cetero aduerſus Patrem Benedictum talia committere caueret. Qui pro nihilo ducens mandata, peſſimis adiecit peiora. Dolentes verò Fratres, Patrem ſæpiùs nominandum contemptui haberi, & famulos ſuos extenuari: inito conſilio, concorditer prædonem illum cum ſibi in hoc ſcelere participantibus anathematis mucrone, ni ceſſaret, & neglecta emendaret, mulctarunt. Idem autem in malis perſeuerans, eorum excommunicationem quaſi aliquod friuolum deſpexit: induratus animo, neglecta neglexit emendare, & à ſua peruerſitate noluit ceſſare. Proinde Omnipotens, qui clamores humilium nequaquam ſpernit, & qui gemitus viduarum & pupillorum ex alto proſpicit, dignatus eſt conſolari ſub hac anxietate ſeruos ſuos. Contigit enim, vt ſuprafatus prædo ductaret exercitum Comitis Theobaldi ſuper habitatores caſtri, quod à ſecularibus viris turpi cenſetur vocabulo. A nobis verò, quibus prohibitum eſt turpiter loqui, Malum talentum vocatur. Qui dum Dux in primo agmine iter faceret, propter curtem iam dictam Matriniacenſem, exterriti qui eam inhabitabant, videntes hominem ſibi infeſtum cum tanta affore militum multitudine, exierunt ei obuij cum armis, in locis videlicet oportunis eiuſdem vici: ne patentibus ſibi aditibus valeret

A eis aliquid inferre diſcriminis. Vnde indignatus ille nequam, comminatus eſt cum HENRICVS I.
multo iuramento: perfecto negotio quò tendebat, ſe omnes eos captos ducturum,
inſuper & vicum eumdem incenſurum. Cui viri illi reſpondentes, dixerunt: Te
quidem palam eſt multum poſſe; & velle nobis nocendi habere. Potens autem eſt "
Deus, meritis Domini noſtri, cuius ſerui ſumus Benedicti, ab interminatis à te po- "
tenter liberare nos calamitatibus. Ille cum voce minaci, equo calcaribus concita-
to, quò tendebat pertexit. Miſer, qui cùm Patrem Benedictum debuiſſet ſupplici
voce, vt ei in auxilium eſſet in tali diſcrimine, ne periclitaretur expoſcere: con-
teſtatus eſt, ſeruos illius in prædam ſe minaturum, bona eorum direpturum, & ha-
bitacula igni crematurum. Dum ergo perueniſſet ad caſtrum ſuperiùs relatum,
adorſus illud cum prima quam regebat cohorte, (reliquus enim exercitus cum Co-
mite longè pòſt ſequebatur) cœpit ſagittis & diuerſis miſſilibus eos qui intus erant
infeſtare. Armati verò egreſſi portas caſtri eiuſdem indigenæ, in eo quod accidit
probati ſunt ſtrenuè teſtitiſſe. Tendens enim quidam aduerſæ partis arcum, iecit
ſagittam in Albericum, qui ea ictus ſuper vnum ſuorum genuum, mox de equo cui
inſidebat ita procliuus corruens, vt galea telluri illideretur, expirauit. Et quas in
caſſum aduerſus Patrem noſtrum effuderat minas, perire permiſit: nihil nempe
poſt vulnus acceptum loqui valuit. Huiuſmodi retributionem ſuperbo Deus vl-
tionum Dominus reddidit.

PRÆTEREA Comite Pictauenſium in expeditionem Ieroſolymitanam multa XXIII.
B armatorum millia ducente: vxor ipſius curam agebat Prouinciarum poteſtati ſuæ
ſubditarum. Vnde factum eſt, dum Gaſconiam peragraret, vt tranſmeata Garon-
na, fines eiuſdem regionis attingeret, in quibus poſitus eſt locus ſuperiùs memo-
ratus Pontons, videlicet in pago Auſienſi, ſuper flumen Adurcium, ditioni Flo-
riacenſium Fratrum ſubditus: vbi, vt diximus, iam dicti celeberrimi Martyris re-
liquiæ habentur. Inuitante igitur itineris neceſſitate, Comitiſſa militum valla-
ta phalange hoſpitium ibidem accepit. Comperto ergo ante triduum Pictauo-
rum aduentu, incolæ eorum locorum, metu ipſorum, quoniam dominationem
eorum valdè exoſam habent, omnia ſua quæ in Eccleſiam inferri licebat aduehunt,
& in Oratorio eiuſdem poſſeſſionis congerunt. Veſtium diuerſas ſpecies, alimen-
ta, & cetera humanis vſibus accommoda. --- :·

REGINA MATHILDE metas viuendi excedente, Rex AINRICVS in XXIV.
coniugium ſibi adſciuit filiam Regis Ruſſorum, nomine ANNAM. Hæc ei pe-
perit tres filios: Philippum, Rotbertum, Hugonem. Quorum ROTBERTVS
adhûc puerulus deceſſit. HVGO Comitatum poſtmodum Virimandenſium ade-
ptus eſt. PHILIPPVS autem, patre defuncto, totius Regni Francorum guber- PHILIPPVS I.
nacula obtinuit: Septennis autem erat, quando pater defungitur. Qua de re ſor-
titus eſt tutelam illius vir inluſtriſſimus Balduinus Flandrenſium Comes. Qui
prudentiſſimè Regni adminiſtrans negotia, donec idem Philippus intelligibiles
C attingeret annos, Tyrannos per totam pullulantes Franciam tam conſiliis quàm
armis perdomuit, & pacem maximam teneri fecit. Proindè, PHILIPPO iam
iuuene facto, integrum abſque vnius viculi imminutione Regnum reſtituit: &
ipſe non multo pòſt viuendi finem fecit. Philippus verò in primis multa ſtrenuè
geſſit annis, ſed ætate procedente, mole carnis aggrauatus, ampliorem operam
cibo indulſit & ſomno, quàm rebus bellicis. Hic Ducis Friſiæ filiam nomine BER-
TAM in matrimonium accepit: quæ ei genuit LVDOVICVM. Rebellauerunt
autem contra eum quidam Francorum Proceres, opibus & viribus Guillelmi Re-
gis Anglorum fidentes. Ex quibus Hugo de Puteolo aduerſus eum arma corri-
puit, plures ſibi adſciſcens auxiliatores. Rex verò eius audaciam compeſcere cu-
piens, vndequaque militum contrahit manum. Inter reliquos etiam auxiliares
exercitum de Burgundia aduentare iubet. Qui accepto mandato, in Franciam
properant. Dux videlicet eiuſdem Burgundiæ Odo, Niuernenſium Comes Guil-
lelmus, Autiſſiodorenſium Pontifex Gaufredus, & alij quamplures, quos retexe-
re perlongum putauimus. Hi cœptum iter carpentes, via ductante, in quodam præ-
dio Patris Benedicti, Eueram vocato, metationem acceperunt. Vt verò moris
agreſtium eſt, in aduentu militum formidare, perſtrepere, quaqua verſum fuge-
re, ſua in locis tutioribus recondere: maximè in tanto ſtrepitu ruſtici ſuprà memo-
rati pagi omnia ſua ad Eccleſiam conuehunt, tam annonam quàm ſupellectilem.

HENRICVS I. variam. Porro militum phalanges, poſtquam feſſa labore vix corpora dapibus releuarunt, cibaria ſuis procuraturi equis, comperiunt ruticolas ſuam totam annonam in Eccleſia abdidiſſe. Vndè animis deiecti, referunt ad Principes exercitus rem omnem ex ordine. Ruſticos ſcilicet, ſpem ſui victus ad tutiorem portum, Eccleſiam dico, contuliſſe: nec ſibi penitùs velle dare aut vendere alimenta ſuis vehiculis neceſſaria. At illi conſilij extorres, quid agant ignorant. Neque enim Sanctorum violatores locorum fieri volunt, ſeu præſumunt. Epiſcopus itaque, qui cautior ceteris eſſe debuerat, iuuenili actus temeritate, ſcurrili interrogat ſermone, vtrùm eam annonam homines in Eccleſiam contuliſſent? Cui cùm reſponſum eſſet, etiam. Igitur, inquit, homines abſtrahant. Iubet ergo Perpetuos ire, & quantum hordei neceſſitas expetebat, ſuis præbere equis. Properatur ad Eccleſiam, violenter hordeum ab ea abſtrahitur. Pabulum exindè equis ſubminiſtratur. In craſtino, quò cœperant tendunt: nihil noxæ ſe contraxiſſe credentes apud Patrem Benedictum pro infractione illius loci, & iniuria ſuis illata. Enimuerò, Rege cum reliquis militum legionibus ad Puteolum feſtinante, & ipſi ei occurrunt. Caſtra metantur tam ipſi, quàm Rex, circa ipſum caſtrum. Obſeſſo itaque caſtro, poſt crebras aggreſſiones, aliquot diebus ibidem iam peractis, die quadam illi qui incluſi videbantur, Hugo videlicet cum ſuis, apertis portis, improuiſi adſunt obſidentibus, omnigeno bellorum tumultu perſonantes, cornicinibus etiam horrifico boatu concrepantibus. Exterriti qui in caſtris erant ſubita hoſtium audaciâ, **B** credunt totius Franciæ militum cohortes noctu caſtrum idem intraſſe: & idcirco, Hugonem ad tanti auſum facinoris prorupiſſe. Quid plura? Terga vertunt, fugæ præſidio ſeſe committentes: diuerſarum ſpecierum tentoria varia ſupellectili plena linquentes, & cetera quæ ad tantam expeditionem neceſſaria conuexerant. Hoſtes eos fugere cernentes, quod nequaquam mente anteà concipere præſumpſerant, vt à paucis tanta multitudo fugaretur, acriùs inſequuntur. Capti ſunt igitur in illa fuga quamplurimi nobiles viri, maximè exercitus Burgundiæ, qui Patrem Benedictum iniuriari auſi fuerant, direptores ipſius exiſtentes poſſeſſionis. Denique Epiſcopus, qui alios ſermone illuſoriè prolato nefariè agere impulerat, cum patre Niuernenſium Comite captus, coactus eſt ſeipſum non modicæ quantitatis pecunia redimere. A qua demùm captura exemptus, Floriacum perens, fatetur ſe ſtultè egiſſe, & quæ ſibi acciderant iuſtè contigiſſe. Veniam petit, promeretur. In ea fuga complerum videres, quod in fine Deuteronomij legitur in imprecationibus, quas vir Dei Moyſes populo Iſraëli imprecatus eſt, ſi à lege Dei ſui aliquando recederet: *Per vnam*, inquit, *viam egredieris contra hoſtes tuos, & per ſeptem fugies.* Et in Leuitico: *Fugietis, nemine perſequente.*

Deut. 28 25.
Leuit. 26 17.

XXXVI. IN territorio Niuernenſi quoddam habetur caſtrum, Huben nuncupatum, in prærupti cuiuſdam collis cacumine. Huius dominus Hugo dicebatur, prouectæ ætatis vir. Hic filium genuerat vocabulo Gauterium. Qui iuuenilis æui elatus ſupercilio, minùs de omnipotentis Dei pertractans mandatis, res Eccleſiarum & **C** pauperum, rapinis inhians, diripere, & ſuis in neceſſitatibus expendere ardebat. Vnde arbitratus opimam de iam memorata poſſeſſione (ſcilicet Caſtellione, vbi beatus Confeſſor Poſſennus requieſcit) prædam ſe poſſe abducere, propter multitudinem diuerſorum animalium, quæ in eodem erant loco: (eſt enim alendorum animalium opportunus, ob fertilitatem pabulorum,) aſſumptis cohortibus equitum ſeu peditum, deuenit illûc, neque Dei veritus offenſam, neque Patris noſtri meritum. Porrò accolæ loci ipſius, & circa poſiti ruris, comperientes eius inſanam cupidinem, & pertimeſcentes copioſum prædonum numerum; aſciuerunt in auxilium ſibi Dominum caſtri quod dicitur ſancti Briccij, Rotbertum nomine, ſtrenuum ſanè tam armis quàm conſiliis virum. Qui vallatus ſuorum cuneo, prompto accurrit animo: paratus cum eis ſi quod immineret ſubite diſpendium, pro Patris promerendo ſuffragio, & vicinorum qui ſe experierant commodis. Gauterius itaque aggreſſus Caſtellionenſes, ſatagebat opere perficere, quod mente conceperat: ruricolas videlicet, eorum pecora, & ſpolia ſecum abducere. Rotbertus autem ei obuiam progreſſus cum ſuis, coniunctis quoque ſibi locorum contiguorum colonis, conferre cum eo non valens: eius timendo copias, terga vertit. Gauterius ergo ſuos multis clamoribus adhortatus, equóque cui inſidebat calcaribus incitato: ipſum perniciter inſequitur. Quem Rotbertus iam iámque ſibi appropiantem

A cernens, vt puta moris eſt fugientium, haſta ſuper humerum reiecta, ferrum haſtæ ſequenti oppoſuit. At ille conatus hoſtis nequaquam præuidens, dum incautiùs attingere eum equo ardeſcit, in ferrum ruit: quod gutturi illius immerſum, abſque dilatione vita priuauit. Videntes verò ſatellites eius Dominum ſuum exanimatum: vlulatibus aërem, lachrimis genas opplentes, humeris corpus imponentes, abire maturant. Miſerante ipſo, cuius interierat ferro; illis quoque quos prædatum venerat, concedentibus liberam fugiendi copiam, laudéſque proclamantibus omnipotenti Deo, grates Patri Benedicto, ſanctóque Confeſſori Poſſenno, de tam celeri hoſtis ſui mulctatione. Genitor autem genitrixque defuncti, cernentes extinctum filium, in quo tota ſpes pendebat illorum: quoniam hunc ſolum poſſidebant, non eſt facilè dicere, quos ediderint gemitus, quantas fuderint lachrimas, inconſolabili lugentes mœſtitiâ quem amplectebantur dilectione vnica. Metuentes verò futuram diſcuſſionem iuſti iudicis Dei (erant enim timorati) quoniam ſpes omnis debita corporis ſublata fuerat, tractabant qualiter animæ ipſius conſulerent, quatinùs indulgentiam inueniret, qui extrema ſua tam peſſimè præcipitauerat. Aſſumpto igitur Autiſſiodorenſi Antiſtite, venerabili ſanè viro, cum grandi apparatu exequiarum, & exanimato filij ſui corpore, Floriacum properant. Aduoluti autem genibus Hugonis, qui tunc in eodem loco Abbatis fungebatur officio, & totius Congregationis, implorant vincula reatus defuncti precibus eorum ſolui: certum tenentes, in conſpectu ſummi Iudicis ipſius laxandum crimen: ſi B quibus illata iniuria fuerat, in præſenti toto animo ipſam priùs remitterent. Vnde & calicem, puriſſimi auri libram habentem, in dextera filij ſui ponunt: & illum pro vadimonio offerunt, quatinùs promptiorem veniam delicti ſui aſſequi mereretur, ſi aliquam recompenſationem pro temeritate ipſius exſoluerent. Credentes quotiens in eo ſacrificium ſummæ diuinitati offerretur, nequaquam eiuſdem ſacrificij ipſum eſſe exortem. Fratres itaque pia miſeratione permoti, generaliter pro eo ſacrificium omnipotenti Domino obtulerunt, abſolui poſcentes ipſius offenſas, & ipſi ſecundum poſſibilitatem à Chriſto fidelibus ſuis conceſſam, quod in eos deliquerat remittentes. Expletíſque funereis honore congruo officiis, genitores cum nobilibus viris, quos ſuo aſciuerant comitatu, ad propria dimiſêre, non mediocrem conſolationem de ſalute filij ſui reportantes. ---

Ex Vita Chunradi Salici Imperatoris, Auctore VVippone ipſius Capellano.

ANNO Domini MXXXIV. Filia Imperatoris Chunradi & Giſelæ Imperatricis MATHILDA nimiæ formoſitatis puella, HENRICO Regi Francorum deſponſata, obiit VVormatiæ, ibíque ſepulta eſt. 1034.

Ex Vita ſancti Popponis Abbatis Stabulenſis, quam Euerhelmus
C *Abbas Altimontenſis ſcripſit.*

ET quia ante complures annos Romani Imperij cum Francis diſcordia non minima extitit, ipſe (ſcilicet Poppo) inter vtroſque pacis gratiam labore & induſtria ſua reformauit. CONRADVMque atque HENRICVM Reges in conſenſum reuocauit: quorum vnus, id eſt Conradus, Romanorum, ſiue Orientalium, alter verò, id eſt Henricus, Occidentalium populis Francorum imperauit. Erat enim ei cum vtriſque par locus obtinendi quæ poſcebat, vt potè qui plurimùm amicitiâ inter eos valeret. Ideóque diſcordia, quæ inter eos quaſi quoddam ſenium longum duxerat, ipſo mediante in nihilum redacta eſt. Vnde & inuidendi ſibi occaſionem quibuſdam tribuit, quia ſolus id efficere valuit; quod vt fieret, multi iam olim conſequi nulla ratione potuerunt.

Eſt apud Surium Tom. I. Cap. XIV.

Ex veteri Codice Atrebatenſi, in quo habentur Liber de Tranſlatione corporis S. Sebaſtiani, & alia ad ſanctum Medardum Sueſſion. pertinentia.

AGENTE in ſceptris Regni Francorum glorioſo Rege HENRICO sereniſſimi ROBERTI Regis filio, veritatis voce completur quod dicitur: *Omne regnum in ſeipſum diuiſum deſolatur.* Enimuerò tunc temporis naturæ rerum muta-

HENRICVS I. tus ſoluitur ordo. Quorumdam perfidiâ totius Regni Franciæ perturbatur Monarchia, perturbatione confunditur non minima. Vtilitas reipublicæ neglegitur, Eccleſiarum facultas vbique minuitur, fas & nefas alternis vicibus corrumpitur, leges & iura corruptionis ordine deprauantur. Iniquitas præualet, æquitatis iudicium & iuſticia ſilet. Eueſtigio ſubſequitur diuinæ vltionis gladius, fames & gladius vbique graſſantur, peſtilentiæ & clades inceſſanter proſequitur. Ea tempeſtate GOTZELO Dux quidam duellionum Galliæ, gerens apicem poteſtatis ampliſſimæ, ſpectabilis & ipſe genere, nobilium ſpectaculis & iudicandis negociis videbatur præminere. Quid multa? tandem honeſtum & vtile reſpuitur, auri ſacra fames inuehitur. Dux & iuſticiæ miniſter ſpoliatur iuſticiâ, quia diligitur pecunia. Rebus ſuis Eccleſia præſens exuitur, aduerſitatibus premitur, vt oppreſſa glorioſiùs exaltetur eorum interuentionibus, quorum triumphis clareſcentibus hæc dies ſanctificata conſtare videtur. A

AD tam pulchræ feſtiuitatis ſpectaculum ſparguntur ſemina lacrimarum. Interea germinent fructum gaudiorum, vt ſuauiùs fulgeret delectabili odore virtutum. Rebus ſuis, vt dictum eſt, ſpoliata gemit Eccleſia, quia hereditatis ſuæ portione priuatur non minima. Eſt igitur locus ſuper Moſam fluuium ſitus nomine DONCHERIVS, Karoli Regis Francorum, Romanorum quoque Imperatoris liberalitate donatus ad partem ſanctuarij huius. Hanc ampliſſimæ poſſeſſionis ſedem Dux ille cupiditatis ſuæ deſiderio ſatisfaciens, cum omnibus appendiciis, & cunctis mobilibus & immobilibus, & ad integrum percurrens, deſcriptionem quoque rerum faciens, tandem factus ſacrilegus in ſuam ſingulariter redegit poteſtatem. In cauſam negocij eius aſſiduis precibus imploratur Deus noſter refugium & virtus, adiutor in oportunitatibus. Deponuntur corpora Sanctorum de ſuis ſacris cubilibus, ad nudum terræ proſternuntur cum ſingultu cordis & gemitibus. B

POST mortem glorioſiſſimi Francorum Regis RODBERTI, regnante HENRICO filio eius, cùm iam in Regno benè profeciſſet, & iura reipublicæ iuſto moderamine diſponeret, aliquot iam euolutis annis contigit obire Palacij ſui primum Conſulem ODONEM. Cuius filij TEVTBOLDVS & STEPHANVS, cùm paterni honoris dignitatem ad integrum poſſidere cuperent, & diſcordantibus animis, arma corripere contra Regalem potentiam multo vallati milite nullo modo formidauerunt. Rex autem eis quæ pater in pace poſſederat ſuo dominio multa vendicans, inter cetera præ nimia animi perturbatione abiecto æquitatis iure, de poſſeſſione ſancti Medardi Monaſterij & ſancti Sebaſtiani, qui illorum ditioni ſubditus erat, famoſiſſimam poſſeſſionem quandam ſuper Moſam fluuium ſitam, quæ DONCHEREDVS nominatur, Palatio ſuo ſeruituram propriis miniſtris delegauit. Quam demum à fundis rerum & frugum opulentiam regalibus Palatiis exuberantibus ſubminiſtrantibus longe poſitam conſiderans, cùm eius minimè reditibus ad vſus proprios egeret, néve videretur Sanctorum prædia, niſi vlciſcendi furoris

1037. causâ ſuo dominio vendicaſſe, Duci cuidam Lotharienſis Regni GOSCELONI in beneficio poſſidendam contradidit. Qui nullo Dei timore correptus temerè ſuſcepit quod de ſanctuario Dei iniuſtè ablatum nouerat. Comperta igitur Abbas Monaſterij præfatorum Sanctorum tanta Regalis potentiæ violentiâ, quæ ſibi commiſſæ Eccleſiæ inlata erat, cum omni Monaſterij congregatione gaudia mutans in luctum, & organum Deo ſeruientium in vocem flentium, nimio eſt animi mœrore affectus. Ignorans autem qua parte ſe verteret, quò ſuper tantam violentiam iuſticiam expeteret, vtpote quem & Regalis indignationis cenſura premebat, & Aduocatorum nulla ſpes ſubleuabat; omnipotentis Dei cum omni congregatione expetiit auxilium, qui nunquam dereliquit ſperantes in ſe, & indefeſſus adiutor in oportunitatibus in tribulatione. Inito ergo cum fratribus conſilio fieri diſpoſuit vnde & Rex terreretur de iniuſta donatione, & qui Sanctorum res poſſidendas ſuſceperat, de temeraria ſuſceptione; in luctu & gemitu ſe cum fratribus conſtituens, Eccleſiam cui deſeruiebat diuinis priuauit officiis, & Sanctorum corpora, quæ in condigno ſub loco condita erant, quaſi rerum ſuarum damna ſecum gementia humi proſtrauit. quamuis * omnipotentis Dei miſericordia & afflictæ ſubueniret Eccleſiæ, & Sanctorum ſuorum reliquias aliquando cum ſui nominis glorificatione rebus reſtauratis in proprio recondere faceret honore. Euoluto denique anni circulo, cùm Sanctorum res prænominatas Dux ſecurè, & quaſi hereditarias C

* fort. quatinus

ditarias

A ditarias poſſideret, contigit Paſchalem ſolemnitatem Dominicæ Reſurrectionis, omnibus Chriſtianis ſolemniter recolendam, ſuo occurrere tempore. Imperiale verò Edictum Ducem illum, vt Curiæ ſuæ intereſſet, apud Palatium quod Nouiomagum appellatur vocauit. Proficiſcente autem eo cum omni ſuo apparatu, & iam propinquante quò ibat, nocte quæ Cœnam Dominicam præceſſit, dum ad vigilias matutinorum in Monaſterium ſanctæ Mariæ & ſancti Seruatij Traiectenſis celebrandas Chriſtiana ammonitus religione ſurrexiſſet, peractis Matutinorum ſolemniis, & extinctis ſecundum Eccleſiaſticum morem candelis; obtenebrata omni domo ad orationem ſe rogaturus Deum proſtrauit. Qui cùm oraret, arreptus ſomno, vidit in mentis exceſſu hos Sanctos, Sebaſtianum & Gregorium ad eius dexteram, Medardum ac Gildardum ad læuam, quos præcedebat & quos ſequebatur multitudo beatorum cum crucibus & cereis. Audiuit autem eos inter ſe querentes, quid de eo facerent, qui res ſuæ Eccleſiæ tenere à Rege non æquo iure iam tunc moderamina reipublicæ diſponente accepiſſet, & iuſtè eas vt à parentibus relictas poſſideret. Conquirentibus autem eis inter ſe quid de eo ageretur, beato Gregorio Papa præcipiente, ſanctus Martyr inuictiſſimus Sebaſtianus cum haſtâ quam tenebat cum quadam ſeueritate percuſſit. Quo ictu expergefactus, ſanguinem per nares & os gliſcentem à corpore ſuo ſenſit, & conuocatis ſociis itineris ſui qui ei more ſolito adhærebant, in-
B notuit eis lamentabili clamor quid audiſſet vel vidiſſet. Quid verò paſſus eſſet, teſtabatur ſanguis ab ore & na bus defluens. Cauſam verò tam ſeueræ apparitionis poſſeſſionem illam intelle eſſe, quam à Rege & iniuſtè acceperat, & iniuſtiùs poſſidebat. Accepto deniq ibi diuino inſtinctu ſalutis ſuæ conſilio, terram Eccleſiæ Sanctorum, cui iniuſtè ſubtracta fuerat, deuotus poſſidendam in perpetuum reddidit, temeritatem ſuam duriter accuſans, & Sanctorum merita vbique prædicans. Hoc modo poſſeſſio Sanctis reddita eſt, & Eccleſia quod triſtis amiſerat Deo diſponente gaudens recepit. Sanctorum denique corpora, quæ humi proſtrata diu iacuerant, cum ſumma veneratione & nominis Dei glorificatione XII. Kal. Maias condigno ſui loco reſtituta ſunt, & diuinæ laudis præconia, quæ diu in eadem Eccleſia ſiluerant, cum laudibus & hymnis Deo gratias referentibus fratribus inſonuerunt.

Henricus I.

DE DETECTIONE CORPORVM SANCTORVM DIONYSII, RVSTICI, ET ELEVTHERII,

Quæ iuſſu HENRICI I. Regis facta eſt anno ML. ad confutandam Germanorum vanam de S. Dionyſij corpore aſſertionem.

C

Ex Cod. MS. Bibliothecæ Thuanæ.

QVONIAM diabolicæ aſtutiæ & fraudis eſt, famulorum Dei ſucceſſibus inuidere, paciſque & quietis amicam concordiam ſubigendo turbare; hoc tempore, quo HENRICVS inclyti Regis ROBERTI filius Monarchiâ ſublimatur Galliæ, aliúſque eiuſdem nominis Imperator principatur capiti Orbis Romæ, malum contigit exoriri inopinabile. Nam in Baiorienſi natione Radiſbonenſis vrbs perhibetur eſſe, in qua probabili deuotione antiquorum conſtructum habetur ſub titulo ſancti Hermenttanni Monaſterium, cui deſeruit ſub Abbatis imperio degens concio Monachorum. Qui cœcitatis & ignorantiæ tenebris miſerabiliter inuoluti, diuiníque timoris obliti, ſuum locum exaltare non erubuerunt, figmento cuiuſdam mendacij arroganter verboſando, penes ſe eſſe corpus beati Dionyſij. Quod omninò friuolum eſſe veritas indicat præfatæ rei. Et quia eorum exterminanda garrulitas eſt proſequenda latiùs, huic narrationis initæ ſeriei cenſuimus inſerere, vnde huius exordium nequitiæ ſibi dicantur arripuiſſe.

Rigordus in Vita Philippi Auguſti detectionis huius meminit.

HENRICVS I. A

De corpore cuiuſdam mortui, quod falsò aſſerebatur eſſe corpus Areopagitæ Dionyſij.

PRÆFATO loco ſuccedentibus proſperis, rebúſque eius Deo fideliter adhærentium deuota munificentiâ ampliatis; probabile viſum eſt Abbati, vt diruta ſtructura operis vetuſti, quoniam vilis erat precij, in melius ſtuderet honeſtando conſtruere Monaſterium prædicti ſancti Hermentranni. Cui operi dum ſtudioſiùs inſudaret, priſcorúmque fundamentorum loca diligentiùs inquireret, iuxta vanam aſſertionem eorum, vnius mortui hominis corpus inuentum eſt integrum, quem ſub teſtimonio fallacium & adinuentitiarum litterarum non veriti ſunt appellare Areopagitam Dionyſium. Extimplo incolas diuerſarum nationum velox fama cœpit peragrare, adeóque increbeſcere, vt multos iuuaret huiuſmodi næniis fidem accommodare. Quinetiam memoratæ vrbis Epiſcopus, vicinis accitis Pontificibus, ab eis ſtuduit efflagitare, quid indè eis conſilij placeret dare: indicans ſibi eſſe animum ponendi inter Sanctos hoc corpus eleuatum. Quorum conuentu fauente id taliter actu dignum eſſe: deſignata eleuationis die, rogatiſque eiſdem tunc illic iterum adeſſe, in ſua quique eorum rediere. Interea Epiſcopo plures diuerſorum ordinum circumquaq; directis Literis inuitare ſollicito, gratum viſum eſt ſupplicare HENRICO Imperatori: quatinus tanti copiam gaudij cumulare, atque venuſtare dignaretur ſerena præſentia ſui. Qui licèt non ſatis auditis verbis credulus, tamen multimoda prece deuictus, ſe in hoc aſſenſum præbiturum eſſe non diſtulit eius voluntati ſpondere. Quo ita iuxta voti effectum peracto, conſtituto præſignatæ diei imminente termino, conuenit non modica vtriuſque ordinis atque ſexus multitudo. Quinetiam iuxta promiſſum Imperatorem non piguit venire cum Primatum Nobiliúmque Curia, domni etiam Papæ LEONIS IX. non abſente præſentia, quorum teſtimonio certiùs roboraretur inchoatæ rei ſumma. B

De aduentu Nunciorum Regis Francorum ad Imperatorem Romanorum.

SVB eiuſdem igitur temporis articulo, tanto ad id ſupplendum conglobato populo, duo repentè Dei nutu ſuperuenêre nuncij Francorum Regis eximij nomine HENRICI, ab eo ad Imperatorem ſecundum Regum morem pro aliquibus reſponſis fortè directi, quoniam ipſi duo tunc erant amiciſſimi. Qui conſpecta tanta numeroſitate populi, nec mora cœperunt cuius rei gratiâ conueniſſent ſollicitè perſcrutari. Cognita ergo totius rei ſerie, alacritatéque vultuum ſimulata, ſpe præſenti Imperialis obtutibus præſentiæ, pro quo venerant rationabiliter ſtuduerunt indicare. Præfato verò Principe, verborum quæ detulerant legationem gratanter audiente, ſollicitâque ſecum perſcrutanti conſideratione, mox ab eo acceperunt reſponſa pro opportunitate rationis & temporis iuxta eorum opinionem congrua. Cúmque eos putaret velle diſcedere, libera abeundi conceſſa facultate, illi nihilominus dudum tecti raneoris memores, huiuſmodi inpræſentiarum dicuntur protuliſſe rationes. C

De efficacia allegationis Nunciorum Franciæ coram Papa & Imperatore.

» NON incognitum tuæ, ſereniſſime Imperator, prudentiæ cogitamus, inconſtantem per omnia eum fore, cui duplex ineſt animus. Cuiuſmodi vicium vtcumque deſpicabile ſit in minoribus, tamen virupetari & condemnari debet ab hominibus, ſi id dominationem aliquam exercere contigerit in Regibus. Quoniam velut quiſlibet dignitatis amminiſtratione ſublimatus ſi virtutibus decoratus fuerit, ampliùs pollet: ita qui à viciis in poſſeſſione honoris minimè ſe continet, eo magis in conſpectu hominum vileſcit & ſordet. Quare autem tale initium noſtræ ſumpſerimus diſputationis, optimum ducimus tuæ notificare Celſitudini Maieſtatis. Ad præſens à te nobis iniunctis verbis germanam amiciciam erga noſtrum Regem in omnibus te ſeruaturum eſſe polliceris: ſed operum effectui abrenunciando obſiſtere aliquantulum, vt putamus, videris. Nam hunc populum, qui congrega-

Henricus I.

A tur hîc ſub edicto per diuerſa loca inuitatus, huius rei gratiâ conueniſſe accepimus, vt pro beato Dionyſio Areopagita neſcimus cuius defuncti hominis defoſſa eleuentur oſſa, cum aliorum pignoribus Sanctorum ſub veneratione amodò colenda. Quod quàm abſurdum ſit credere, aut agere, facilè valet perpendi: cui probabilis ingenij, perſpicaciſque ſenſus altò acumine, ſi competenter rei ſeriem volueris indagando coniectare. Nam ſicut didicimus, plurimorum autentica ſententia, quos in literarum atque liberalium diſciplinis ſtudiorum maioris vtilitatis ac precij aiunt eſſe in noſtra patria, in Regis DAGOBERTI euidentiſſimè reperitur geſtis deſcriptum, quemadmodum memoratum Sanctum cum duobus ſociis honorificè poſuerit in ſcriniis argenteis, artificioſarum ſerarum atque obicum mirifica atque ſubtili diligentiâ, vt adhuc hodie videri poteſt, interiùs munitis. Collocauitque poſt altare in cripta tantæ profunditatis, vt vſque ad genua omninò ſe intromittat, ſi quid indè voluerit abſtrahere aliquis. Quinetiam antequam ad corpora Sanctorum perueniatur, criptula quædam aureis gemmis extrinſecus decorata habetur, in qua duabus ſeris diligenter munita Dominici Claui & Coronæ condita ſeruantur pignora, nullóque alio aditu præter hunc ſcrinia Sanctorum videri, aut ab aliquo poſſunt vllatenus tangi. Ecce quomodo corpus ſancti Dionyſij munitum, nulla adimi poſſit arte latronum. Præterea, cùm non ignotum ſit tuæ prouidentiæ, eum totius Galliæ Apoſtolatui præſidere, eiuſdémque Regni coronam, & victoriæ ſummam tanti patroni ſuffragiis hactenus feliciter perſtitiſſe: miramur cur huiuſmodi propoſito ſtudium accommodaueris tam incautè, qui verbo tenus fatearis aſſerere, in amicitia noſtri Regis germanæ te eſſe connexum vinculo charitatis. Quapropter omninò videtur nobis indignum, tibique Regno Francorum inhoneſtam moleſtiam inferendi prorſus eſſe animum, ſi ad effectum hoc perducere tentaueris; niſi priùs amico tuo, videlicet Principi noſtro, ſuaſeris, quatenus non omittat perſcrutari diligentiſſimè, vtrum præfatus Sanctus habeatur proculdubiò erga ſe. Túmque demùm ſi illic eſſe non audieris, probabilius erit effectum adhibere tuis initiis: quoniam magnum hoc pacto diſſidium futurum eſſe ſperamus, ſi aliter egeris. His igitur decentiſſimè prolatis, reſpondit Imperator, ſe indè habiturum conſilium cum domino Papa, & cætetua Ducum & Optimatum ſuorum. Quorum reſponſo ſententia Legatorum probata iuſta; alacriter ab Imperatore remiſſi ſunt ad ſua.

B

De reditu Nunciorum Regis in Franciam, & narratione rerum quas viderant, & conuocatione Pontificum & Principum ad detectionem corporum.

C INGRESSIS denique Galliarum finibus, Regiis præſentati obtutibus, omnem rem ſeriatim notificauerunt: redditis priùs, quas detulerant, legationibus. Quo in eius præſentia taliter intimato, Clericalis laïcaliſque ordinis perſonas non piguit inuitando conuocare ſub termino diei aſſignatæ. Eis ergo ex Regalis iuſſionis decreto pariter congregatis, Rex iuxta quod ei enarratum fuerat à ſuis Legatis, non modici mœroris anxietate obfuſus replicauit, & quid eis actu dignum indè videbatur, inquiſiuit. Inter quos etiam Abbas, qui tunc ipſius Sancti loco præerat, HVGO nomine, adfuit. Quorum ſolertis induſtriæ conſilio eſt repertum, nullatenus poſſe tanti erroris auelli morbum, niſi oſtenſione corporis ſacri manifeſti fides daretur indicij, atque huius curæ onus prouidentiæ iniungeretur Abbatis: vt circumquaque directis Literis, diem qua licentiam id peragendi haberet, edicere non pigeret, & intereſſe huic conuentui omnes, ad quorumcumque noticiam ſui Nuncij peruenirent, inuitaret; illiſque, qui huius erroris exordij caput extiterant, hoc indicare non obmitteret, ne nouiſſimus error priore deterior fieret. Hac igitur ſalubrioris conſilij vtilitate reperta, quique illic congregatorum rediere ad ſua: ab eodem Abbate rogati, tunc iterum ſecum adeſſe, quando eis terminus denotaretur ex eius allegationis relatione. Abbas denique rediens ad Cœnobium, quod audierat flebiliter enarrauit conuocato cœtui Fratrum. Qui compatientes iuxta Apoſtolum paterni doloris gemitui, verentes communis periculi ineuitabilitatē

HENRICVS I. ſubici, vacillabant inter ſpem & metum ambigui. Tandémque releuati eius inſpirante gratiâ, in quo eſt ſpes credentium defixa, Dominicæ ſe protectionis diſpoſitioni commiſerunt, omni ambiguitate poſtpoſita: cenſentes ieiuniis, vigiliis, orationibúſque publicis ac priuatis cum diuina & fraterna charitate tanti propoſiti ſtudium deuotiſſimè præuenire. Quorum gratanter audiendo ſententias, ieiuniorum numero, cum orationum exercitio indicto generaliter Abbas ex Regalis iuſſi decreto circumquaque ſtuduit mittere Literas, non obliuioni tradendo Radiſbonenſis vrbis incolas, in quibus notauit deſtinati experimenti terminum ſub die v. Iduum Ianuarium. A

Qualiter aperto nobili ſcrinio coram Epiſcopis & Principibus Francorum inuentum eſt interius venerabile corpus magni Areopagitæ Dionyſij.

ERGO vbi peracta ſunt à Fratribus ieiunia, ceteráque exercitiorum genera, quibus ſubuenire peccatoribus diuina ſæpè non euitat clementia, die imminente conſtituta, vndique conuenit multitudo non modica: in qua contigit fuiſſe Epiſcopos, Abbates, Monachos, Clericos, nobiles atque ignobiles, & vtriuſque ſexus quamplures. Quorum conſortio non defuit victorioſiſſimi Regis HENRICI frater nomine ODO, ab eo directus cum Curialium pluribus, ad diligenter percipiendum, & luculenter enarrandum, quo ordine ſuorum adeſſe fidelium precibus, optata proſpera reuelando, dignaretur conditor omnium Dominus: quoniam ſe agnoſcens ſarcinis peccatorum depreſſum, proclamabat indignum corporeis oculis videre tanti viri corpus glorioſum. Sed tamen diuinam clementiam fideliter eſſe credens adfuturam, miſit ſanguineam purpuram ad inuoluendam precioſi corporis glebam. In hoc beatus vaticinandus iuxta vocem Euangelicam, quòd non viſis rebus fidem adhibuerit deuotam, ſpémque penitus inconcuſſam. Pridie autem quàm huius nuncij inſudaretur propoſito, Domini facie generali præuenta à Fratribus, ieiunio ſcilicet, & ſequenti nocte continuata orationum, vigiliarum, lacrimarúmque exercitio, poſt conſummationem Officij matutinalis, præſentibus Epiſcopis, præfatorúmque ordinum probabilibus plurimis, in afflictione eorum deſideria proſperari rogantibus Dominum, reuerenter in medio delatum eſt argenteum ſcrinium, priſca adhuc ſubtilitate artificioſiſſimè munitum. Quo cum magna difficultate reſerato in adſtantium præſentia, repentè precioſiſſimi Martyris Dionyſij reperiuntur oſſa, pallio tantæ vetuſtatis nimietate conſumpto obuoluta, vt inter manus tenentium euaneſceret in ſimilitudinem telæ aranearum. Vnde perfuſi ſuauiſſimi odoris fragrantiâ, aſſeruerunt nullius ad hanc eſſe delectationis pigmentorum genera. B

De ineffabili lætitia omnium qui tantæ rei interfuerunt, & repoſitione ſcrinij cum Literis intromiſſis in locum priorem. C

TVNC pro inenarrabilis gaudij diu poſtulata viſione, Domini experta pietate, qui nunquam ſibi placita rogantibus dedignatur adeſſe, iubilando prorumpunt in laudibus gratiarúmque actione, permixtis deuotis ſingultibus inopinabiliter ortæ lætitiæ. Poſt hæc ablatis vetuſti pallij reliquiis, cum aliíſque pignoribus veſtimentorum ſancti Dionyſij ſociorúmque eius ſtudioſè conditis; oſſibúſque deuotiſſimè ab Abbate inuolutis in pallio ad hoc à Rege deſtinato, magnalia Dei votis poſcentium declarata Paſtores Eccleſiaſtici enunciauerunt omni populo voce præclara. Qui quanto exultauerint tripudio, iocunda, qua longiuſculè à Monaſterio profecuti ſunt ſacra membra, indicauit proceſſio. Præfato verò ODONE Regi per ordinem iuxta quod viderat alacriter cuncta referente, ille Domino ſolutis multiplicibus gratiarum actionibus pro collatis ab eo votis fidelium, proſperis effectibus intermiſſis Regiæ pompæ dignitatibus, eodem die gratum duxit venire nudis pedibus, tanti patroni ſuffragium humiliter aſciturus. Ibique ſe confitens deliquiſſe in quibus ſolitum eſt humanæ fragilitati diuinæ conſpectum Maieſtatis offendere; ſeque cum ſuis omnibus deuouens ſancti Martyris famulatui & patrocinio, receſſit, pro munere pallio magni precij oblato. Delato verò à pro-

A ceſſione cum præeunte & ſubſequente plebis frequentia ſacro corpore, quinde- HENRICVS I.
cim continuis diebus dimiſſum eſt ſuper principale altare: in quibus ex diuerſis re-
gionibus causâ viſitandi, ſuffragiúmque expetendi, plurimi vtriuſque ſexus conue-
nêre. Et tunc ſibi mutuò ad cuſtodiam ſuccedentibus fratribus, diei noctiſque vi-
cibus tamdiu eſt diligentiſſimè cuſtoditum, donec intromiſſis litteris indicibus pri-
mi erroris & ſubſecutæ veritatis, ſeris obicibúſque munitum ſacros artus continens
ſubtili artificio ſcrinium, quampluribus præſentibus, ſuo priori loculo honorabili-
ter fuit reſtitutum.

Nomina perſonarum, quæ præſentes Sanctorum detectioni corporum interfuerunt.

SED non prætereundum videtur aliquorum nomina hîc ad poſterorum memo-
riam inſerere, qui potiorum dignitatum inſigniti claritate, præſentis dicuntur ce-
lebritatis gaudio interfuiſſe, atque omnia quæ tunc geſta narrantur inpræſentia-
rum vidiſſe: vt eorum teſtimonio fallax ſopiatur opinio; veritatíſque ſubnixæ fidu-
cialiùs roboretur promulganda traditio.

DE Epiſcopali ordine iſti conuenêre: VVido Remenſium Archiepiſcopus;
Robertus Cantuariorum Archiepiſcopus, Imbertus Pariſiorum Epiſcopus, Ile-
B nandus Laudunenſium Epiſcopus, Balduinus Nouiomenſium Epiſcopus, VValte-
rius Meldenſium Epiſcopus, Froëlandus Siluanectenſium Epiſcopus. Vnuſquiſque
quorum Clericalis laïcaliſque ordinis adduxit probabiliores perſonas ſecum.

DE ordine Abbatum iſti adfuerunt iterum: inprimis domnus Abbas Hugo
Cœnobij S. Dionyſij, Albertus Abbas Maioris-Monaſterij, Ioannes Abbas Fiſcan-
nenſis Cœnobij, Landericus Abbas S. Petri Carnotenſis, Robertus Abbas S. Pe-
tri Foſſatenſis, Rodulfus Abbas ſancti Petri Lariniacenſis, Adalbertus Monachus
S. Remigij, qui & ipſe aſſeruit in præſentia Imperatoris, in hac patria S. Areopa-
gitam Dionyſium eſſe, quando vnius mortui hominis corpus pro eo de terra voluit
extrahere: Gaufredúſque Abbas Columbenſis Cœnobij. Quorum vnumquem-
que deuotos & Dei fideles Monachos ſecum non piguit habere.

ISTI autem aſtiterunt de ordine laïcorum: inprimis ODO memorati Regis
frater atque fidelis Nuncius, VValterius Comes Pontiſarenſis, VVillelmus Co-
mes Corboilenſis, Iuo Comes Bellomontenſis, VValerannus Comes Melleden-
ſis, & alij Nobiles, multique deuotæ fidei gregarij milites.

DE REGE PHILIPPO I.
C HENRICI I. FILIO.

ORDO QVALITER PHILIPPVS I. IN REGEM conſecratus eſt.

Ex MS. Codice Domini Petauij Senatoris Pariſienſis.

ANNO Incarnationis Dominicæ MLIX. Indictione [illegible] regnante 1059.
HENRICO Rege anno XXXII. eadem die comple[illegible] Kal. Iu-
nij, Epiſcopatus autem domnì GERVASII anno IV. in [illegible]e ſancto
Pentecoſten; PHILIPPVS Rex hoc ordine in maiore Eccleſia,
ante altare ſanctæ Mariæ à Geruaſio Archiepiſcopo conſecratus eſt.
Inchoata Miſſa, antequàm Epiſtola legeretur, domnus Archiepiſcopus vertit ſe
ad eum, & expoſuit ei fidem Catholicam: ſciſcitans ab eo vtrum hanc crederet, &
defendere vellet. Quo annuente, delata eſt eius profeſſio: quam accipiens, ipſe
legit, dum adhuc ſeptennis eſſet. eíque ſubſcripſit. Erat autem profeſſio hæc. Ego
« PHILIPPVS Deo propitiante mox futurus Rex Francorum, in die ordinationis
« meæ promitto coram Deo & Sanctis eius, quod vnicuique de vobis commiſſis Ca-

PHILIPPVS I.

nonicum Priuilegium, & debitam legem, atque iuſtitiam conſeruabo: & defen- A
ſionem quantum potuero adiuuante Domino exhibebo, ſicut Rex in ſuo Regno,
» vnicuique Epiſcopo & Eccleſiæ ſibi commiſſæ per rectum exhibere debet. Popu-
» lo quoque nobis credito, me diſpenſationem legum in ſuo iure conſiſtentem no-
» ſtra auctoritate conceſſurum. Qua completa, poſuit eam in manus Archiepiſcopi,
aſtante HVGONE Biſonticenſi Nicolai Papæ Legato, & eum eo Ermenfredo
Sedunenſi. Archiepiſcopis quoque, Mainardo Senonenſi, & Bartholomeo Tu-
ronenſi. Necnon Epiſcopis, Heidone Sueſſionenſi, Rogero Cathalaunenſi, Eli-
nanno Laudunenſi, Balduino Nouiomenſi, Frollando Siluanectenſi, Letberto
Cameracenſi, Guidone Ambianenſi, Aganone Eduenſi, Harduino Lingonenſi,
Achardo Cabillonenſi, Iſembardo Aurelianenſi, Imberto Pariſiacenſi, Galtero
Meldenſi, Hugone Neuernenſi, Gaufrido Autiſſiodorenſi, Hugone Trecaſſino,
Itero Lemouicenſi, Guillelmo Ecoleſmenſi, Arnulfo Sanctonenſi, Vuereco Nan-
netenſi. Et de Abbatibus, Herimaro S. Remigij, Rainero S. Benedicti, Hugone
ſancti Dionyſij, Adroldo S. Germani, Geruino S. Richarij, Guathone S. VVale-
rici, ſancti VVingaloei, VVarino ſancti Iudocij, Fulchone de Foreſti-
Monaſterio, Gerardo ſancti Medardi, Heinrico Humolarienſi; Gonzzone Flori-
nenſi, Fulchone ſancti Michaëlis Laudunenſi, Archenueo Laudunenſi, Guidone
Marcianenſi, Rodulfo Moſomenſi, Alberto ſancti Theoderici, Varino Altoui-
larenſi, Vuenrico ſancti Baſoli, Hugone Orbacenſi, Odilardo Cathalaunenſi,
VVandelgero Cleruenſi, VValeranno Virdunenſi, Adalberone Diuionenſi, Ar- B
noldo Pultarienſi, Guillelmo Trenorcenſi, Hugone Carrocenſi, Aueſgaudo Ce-
nomanenſi, Hugone Criſpinenſi. Accipiens baculum ſancti Remigij, diſſeruit
quietè & pacificè, quomodo ad eum pertineat maximè electio Regis, & conſecra-
tio Regis: ex quo ſanctus Remigius HLVDOVICVM Regem baptiſauit, & con-
ſecrauit. Diſſeruit etiam quomodo per illum baculum hanc conſecrandi poteſta-
tem, & totius Galliæ Primatum Ormiſda Papa ſancto dederit Remigio. & quo-
modo Papa Victor ſibi & Eccleſiæ ſuæ. Tunc annuente patre eius HEINRICO,
elegit eum in Regem. Poſt eum, Legati Romanæ Sedis, cùm id ſine Papæ nutu
fieri licitum eſſe diſertum ibi ſit, honoris tamen & amoris gratiâ tum eius ibi af-
fuerunt Legati. Poſt hos, Archiepiſcopi & Epiſcopi, Abbates & Clerici. Pòſt,
VViddo Dux Aquitaniæ. Pòſt, Hugo filius & Legatus Ducis Burgundiæ. Pòſt,
Legati Balduini Marchionis, & Legati Gaufridi Andecauenſis Comitis. Deinde
Comites, Rodulfus ſcilicet Vadenſis, Herbertus Vermandenſis, VViddo Ponti-
tenſis, VVillelmus Sueſſionicus, Rainaldus, Rogerus, Manaſſes, Hilduinus,
VVillelmus Aruernenſis, Heldebertus de illa Marchia, Folco Ecoleſmenſis, Vi-
cecomes Lemouicenſis. Pòſt, milites & populi tam maiores quàm minores vno
ore conſentientes, laudauerunt, ter proclamantes: Laudamus, Volumus, Fiat.
Tunc fecit ipſe PHILIPPVS Præceptum, ſicut anteceſſores ſui fecerunt, de re-
bus ſanctæ Mariæ & Remenſi Comitatu, & de rebus ſancti Remigij, & de ceteris C
Abbatiis. Quod firmauit, eique ſubſcripſit. Subſcripſit etiam Archiepiſcopus.
Nam ibi conſtituit eum ſummum Cancellarium, ſicut anteceſſores ſui anteceſſo-
res ſuos fecerant. & ita conſecrauit eum in Regem. Reuertente autem Archie-
piſcopo ad ſedem ſuam, & ſedente, delatum eſt Priuilegium quod Papa Victor ei
dederat. Lectúmque eſt circumſtantibus, & audientibus Epiſcopis. Facta ſunt
hæc omnia cum omni deuotione, & alacritate quàm maxima. ſine omni diſturba-
tione, & nullatenus alicuius contradictione, vel aliquo reipublicæ damno. Hos
omnes Ge[illegible]ſius Archiepiſcopus libenter excepit, & de ſumptibus ſuis eis pleniſ-
ſimè ero[illegible] nulli tamen ex debito, præter Regem; ſed honoris causâ Eccleſiæ,
& liber[illegible]tatis ſuæ.

Excerptum ex MS. Libro Monaſterij S. Theoderici prope Remos, cui titulus eſt,
De ratione Temporum.

1059. ANNO incarnati Verbi milleſimo quinquageſimo nono, Indictione XII. re-
gnante HENRICO Rege, & regni eius anno XXXII. eodem die complero, Epi-
ſcopatus verò GERVASII Archiepiſcopi anno IV. X. Kal. Iunij, die ſancto
Pentecoſtes, dum adhuc ſeptennis eſſet PHILIPPVS, in Regem à Geruaſio

A conſecratus eſt, aſſiſtentibus ſibi tribus Archiepiſcopis, XVIII. Epiſcopis, XXVI. Abbatibus, Legatis Sedis Apoſtolicæ; & Legatis Balduini Marchionis, VVedone Duce Aquitaniæ, Hugone Legato & filio Ducis Burgundiæ. PHILIPPVS I.

HIS & ceteris aſtantibus Geruaſius verbum habuit coram Rege, quia eſſe deberet, ſicut ſui anteceſſores fuerant, ſummus Regis Cancellarius. Quod eodem Rege gratiſſimè annuente, & ceteris conniuentibus, prædictus Pontifex ſibi & Eccleſiæ ſuæ obtinuit. Scilicet quia verum ſit quod ab antiquo ita fuerit, legitur in præceptione Præcepti, quod Karolus Rex de rebus ſanctæ VValburgis fecerat hoc modo: Goſlenus Cancellarius ſcripſit & ſubſcripſit ad vicem Heriuei Archiepiſcopi, ſummique Cancellarij. Geruaſius verò octauus fuit Archiepiſcopus poſt Heriueum.

Ex Libro de Tranſlationibus Reliquiarum ſancti Mamantis Martyris, qui eſt in Bibliotheca Floriacenſi.

PROCEDENTE tempore aſſumptus eſt ad regimen vrbis Lingonicæ Reinaldus Epiſcopus piæ recordationis, qui decimus ſedit ante venerabilem Guillelmum, qui nunc eſt Electus noſter. Vir ille ſpectabilis quidem genere fuit, ſed nobilitatem generis honeſtas morum, & multiplex literarum ſcientia illuſtrabat. Non ſolùm enim liberalibus ſtudiis eruditus fuit, ſed vtriuſque Teſtamenti paginis ſufficienter inſtructus. Ipſa enim eius opera teſtimonium perhibent veritati. Nam cùm ipſe teneret Comitatum Tornodorenſem, & Comitatum Barri ſuper Sequanam, pro ſuis nepotibus qui adhuc erant paruuli: propter quaſdam diſcordias, ſicut dicitur, REX FRANCORVM, (nempe PHILIPPVS I.) qui tunc erat, ipſum tenuit in Nouiomenſi ciuitate, in turre iuxta portam. Vbi non fractus aduerſitate, ſed gaudens, quia intelligebat quòd *filium quem diligit flagellat Deus*, fecit Hymnum, & modulatis vocibus cantauit cum pueris in Ramis palmarum, ſcilicet *Gloria, laus*. CAP. III. B

Ex Vita MS. Arnulphi Sueſſionenſis Epiſcopi, quam Liſiardus eius ſucceſſor Epiſcopus, petente Radulpho Remenſi Archiepiſcopo, conſcripſit.

ERAT illo in tempore in Cœnobio ſancti Medardi Sueſſionenſis quidam Monachus nomine Odo honeſtatis vſurpator, & virtutis ſimulator, qui famulo Dei ARNVLPHO Abbati nimium inuidebat, & ſe ad regimen loci digniorem ac vtiliorem autumabat. Qui etiam inceſſanter reuoluebat, quónam argumento ſeruum Chriſti potuiſſet remouere à ſuſcepto regiminis officio. Is cùm eſſet in exterioribus agens, per internuncios, quos frequenti munere cœcabat, ſtuduit intimare Regi Francorum PHILIPPO, vt cùm in procinctu contra hoſtem aliquorſum proficiſceretur, Abbatem ſancti Medardi venire ſecum iuberet. Annuit Rex conſiliis Odonis, & cùm exercitum promouiſſet, miſſis Legatis monuit domnum Arnulphum, vt cum armata militia ad expeditionem ſecum abiret. Arnulphus ad hæc ſtupuit, & Regiis Miſſis deuotè reſpondit: « Certum eſt me peccatorem militiæ quondam actibus ſorduiſſe: notum eſt ob Domini timorem relicta militiâ conſortium Monachorum expetiſſe. Legimus dicentem Dominum, quòd qui perſeuerauerit in finem ſaluus erit. Et ego infelix, qui causâ Dei militiam abieci, rurſum ſtipabor militibus, rurſum arma exercebo? Maluiſſem certè nomen iſtud Abbatis & locum non ſuſcepiſſe, quàm ſub huius dignitatis obtentu ſeculo tam peſſimè deſeruire. » Hoc comperto, Rex PHILIPPVS miſit denuò Legatos qui dicerent, « Fuiſſe morem antiquum, vt milites Abbatiæ Abbate præuio Regali expeditioni inſeruirent. Aut faceret iuxta morem antiquum, aut daret locum vt fieret Regis imperium. » Tunc Arnulphus tali occaſione accepta, prompto animo obediuit Regis imperio, & ſeceſſit libens in recluſionis angulo. LIB. I. CAP. XV. C

TVNC conuocatis omnibus Eccleſiarum Prælatis, & communicato conſilio, electus eſt in Abbatem vir magnæ ſcientiæ, & religionis præcipuæ, nomine GIRALDVS. Quo non diu ſubſtituto, derepentè aduolat ſupradictus ille Pontius totius pietatis aduerſarius, ducens ſecum Reginam Francorum nomine BERTRADAM, quæ vi regia Giraldum expelleret, & eundem Pontium in prælationem CAP. XVI.

PHILIPPVS I.

ſancti loci contra fas ſubinferret. Quo comperto, famulus Chriſti Arnulphus de A
Cella egreditur, & Reginam adiens furibundam blando affatu humiliter rogauit:
vt quamuis Regina haberetur, memor tamen femineæ conditionis, memor etiam
diuinorum iudiciorum, Eccleſiaſticis legibus obuiare formidaret, & ab iniuria tanti viri ſeipſam verecundè temperaret. Quæ monita cùm illa tumore Regij faſtus
» audire abnueret, ait ad illam prophetiſans ſeruus Dei: O Regina, ſi placet crede
» fratri Arnulpho, immò crede Spiritui ſancto: quoniam ſi domnum Giraldum Ab-
» batem à loco iſto violenter expuleris, vindice Deo, & tu ante diem mortis tuæ à
» totius Regni dominio extrudêris, & in ærumna atque deſpectu exſors Regni morieris. Hæc ſiquidem viri Dei prophetia luce clarius manifeſta facta eſt, dum omnibus patet quòd eadem Regina poſt aliquot dies * Regis offenſam irremediabiliter incurreret, ob quam à conſortio totius Regni reiecta, in Pagum Pontium cum dedecore tranſportata ſit: ibique diuturna calamitate detenta, more plebeio defuncta ſit, & ſepulta. Giraldus autem ab illa expulſus, dedit locum iræ, & ſeceſſit in partes Aquitaniæ; vbi à Duce terræ illius gratanter acceptus, in Silua maiori illuſtre Cœnobium conſtruxit. Vbi Deo dignè deſeruiit, & beato fine in Domino quieuit. Cuius vita & mors ſignis virtutum, & gloria miraculorum refulſit. --- :·

* legendum videtur annos, ut ex inf. à ſcriptis colligitur

CAP. XXIX.

REX Francorum PHILIPPVS iam diu per annos aliquot nuptiali copulæ ſociatus, cùm videret ſuam Reginam permanere ſterilem, famulum Domini ſanctum Arnulphum frequentiùs exorauit tam per ſe quàm per alios clariſſimos viros, B
vt Domini clementiam impetraret: quatinus ad Regni tutelam, & ad ſanctæ Eccleſiæ defenſionem filium ſibi ſucceſſurum condonare dignaretur. Abhoruit primùm hoc facere ſeruus Domini, cauens indè hominum fauorem, & formidans mentis laxare rigorem. Tandem vbi à TEDBALDO venerabili Epiſcopo Sueſſionico, & ab aliis multis religioſis viris hoc coram Deo bonum & acceptum fore didicit, ſecundum quod beatus Apoſtolus pro Regibus, & omnibus qui in ſublimitate ſunt conſtituti, obſecrandum docet, & hoc primum omnium fieri: tam bonorum hominum ſuggeſtione quàm Apoſtolica monitione pertractus, oraturum ſe promiſit. Hanc verò eius ſponſionem cognoſcens Regina, gauiſa eſt plurimùm, & tanquam iam ſecura dirigit Legatos idoneos ad famulum Dei, multa prece depoſcens, vt ſibi prænunciare dignaretur, quando eſſet iam futurum. At ille ſentiens in corde Reginæ fidei conſtantiam, remandauit illi, vt pauperum curam diligenter haberet: intimans quòd eorum vox diuinis auribus vim inferret, vt optatam prolem ſibi Dominus commodaret. Regina paruit, & cotidianis conuiuiis pauperes lautè refecit: fixa quòd oratio ſerui Dei non poſſet caſſari. --- :·

LIB. II. CAP. I.

INTEREA Tedbaldum ciuitatis Auguſtæ Sueſſorum Antiſtitem iuſſio diuina ſuſtulit ex hac vita. Cuius ſedem atque locum quidam generoſus nomine GERVASIVS pro recompenſatione Palatini ſeruicij impetrauit donari ſuo fratri carnali nomine VRSIONI, habitu quidem Monacho, & ab infantia literis erudito: ſed ad Epiſcopale officium nequaquam idoneo. Cuius ignauia vitæ, & non C
canonicus acceſſus, haud longè perſonuit ad aures Pontificis Romani nomine GREGORII. Qui mox datis Epiſtolis ad HVGONEM Dienſem Epiſcopum, & Galliarum Legatum, monuit vt vita & promotio Vrſionis canonicè diſcuteretur, & quicquid in his ſacris legibus obuiaſſet Synodali iudicio corrigeretur. Hinc accidit, vt Hugo præfatus in ciuitate Meldis ſuper amne Matrona, TEDBALDO Comite ſibi patrocinante, teneret Concilium. Vbi ſecundum decretum domini Papæ conceſſa Vrſioni ſe purgandi facultate, poſtquàm legitimè vocatus, & canonicè protractus ſe præſentare contempſit, iudicio Epiſcoporum noxam ſubiit: ac proindè condemnatus, Clero Sueſſonico ibidem præſtolanti electionis copiam parefecit. Tunc ergo conſultu Concilij pars ſanior Cleri, & caſati Eccleſiæ Sueſſonicæ elegerunt ſibi in Pontificem ſanctæ religionis cultorem domnum Arnulphum per id temporis reclúſum: & vt ſibi celeriter donaretur, inſtanter acclamauerunt. Sic facta & conſcripta concordi electione, Hugo Legatus ſtatim è Concilio reuerendas direxit perſonas ad Cœnobium ſancti Medardi: mandans & monens per Epiſtolas, etiam Romanæ Eccleſiæ auctoritate imperans, vt domnus Arnulphus Cellam exiret, & concitus ad Concilium Meldenſe veniret. Alioquin vt inobediens anathema ſubiret. Tantæ iuſſionis tonitruum expaueſcens Catholicæ Eccleſiæ reuera filius Arnulphus, licèt ægrè, paruit mandatis Legati, venitque ad

A Concilium. Quo reſidente, repentè relecta eſt peritio Cleri & Nobilium populi Sueſſonici, domnum Arnulphum ſibi in Epiſcopum eligentes. Exhinc fit vox Epiſcoporum, Arnulphum omni ſanctirare ornatum ſuum collegam fieri poſtulantium. Sic mox tractus & infulatus, & nec ad modicum ſe excuſare permiſſus, in conceſſu Pontificum ſtatim eſt collocatus. Cui afflicto & mœrenti Hugo Legatus in virtute ſanctæ obedientiæ ſacro iniunxit mandato, vt deinceps Chriſti Eccleſiæ miniſtrare ſtuderet in Pontificali officio. Iam ita conſtrictus ceſſit edictis, & deſignata conſecrationis die vel loco, rediit ad Monaſterium ſancti Medardi, vt futuro itineri neceſſaria præpararet. Quibus copioſè paratis, non ſuo typo, ſed fidelium voto, profectus eſt cum quatuor Monachis & electis de Clero: venítque Campaniam in caſtellum Tedbaldi Comitis, quod dicunt Virtutes.

COMES autem Tedbaldus cognito eius aduentu, cum magno militum ac nobilium comitatu gaudens eum excepit, obſequénſque intra lectum induxit. -- Tunc vir Dei, vocato ad ſe fratre Oſtemaro, ait illi: Mandatum quod tibi committo ſerua ſecretum, nec alicui dicas, niſi cui volumus fore nunciatum. Itaque à nobis digrediens ciuitatem Pariſius venies, & Reginam BERTRADAM vice noſtra viſitabis, & annunciabis illi optabile gaudium: quia reuera in vtero geſtat filium, quem in ſacro fonte vocabit LVDOVICVM: quique poſt patris deceſſum Regnum tenebit Francorum. Illa tibi vix credet, quia infans vitalem motum nondum habet. Sed dic ei vt confidenter credat, quoniam poſt modicum temporis CAP. II. & III.
B ſentiet quod portat. Sic Monachus valde lætificatus arripit iter verſus vrbem Pariſiorum, & Reginæ pandit amabile mandatum, dicens:

Rex noſter Dominus tibi nunc, Regina, maritus;
Tu Regina pari ſenſu cupiens generari,
Sæpiùs Arnulphum rogitaſtis, túncque recluſum
Exorare Deum vobis concedere natum.
Per Proceres ſummos, per Pontifices quoque magnos
Artiùs optaſtis quod per vos non potuiſtis:
Vt daret Eccleſiis tutorem conditor vrbis.
Catholicæ fidei perſonæ conſuluerunt,
Vt Dominum cæli precibus votóque fideli
Expeteret prolem regnandi ſorte ſequacem
Vobis & Regno donari iure ſuperno.
Quod ſimul optaſtis completum nuncio vobis.
Nam Dominus cæli compulſus mente fideli,
Contulit hoc vobis vt detur gratia prolis.
Ventre geris puerum, quod debes credere verum.
Ille puer magnus dum viuet mitis & agnus
Francis regnabit. ſuper hoſtes non trepidabit.
C *Peſſima delebit.* LVDOVICVS *nomen habebit.*
Nec tamen hic viuit, nec eum viuax animauit
Spiritus. At Domini dono mox influet illi.
Arnulphi precibus ſit filius iſte creatus.

Illa præ ſtupore palleſcit, Regémque PHILIPPVM venatibus intendentem miſſis perniciter nunciis euocauit. Qui curſim vehemens, & legationem tam gratam auidè ſuſcipiens, optatámque diu prolem à Domino ſibi conceſſam comperiens, cœpit gaudere & timere, multúmque metu & lætitiâ fluctuare. Gauderet planè ſi ex toto certus eſſet: metuebat ne talis promiſſio vacua remaneret. Tandem vicit in regali pectore fidei præſumptio, & prudenter decreuit non eſſe ſuperfluum, quod per talem ſeruum Dei fuiſſet prophetatum.

Poſt bis quinque dies infans vitalis haberi
Incipit, & mater ſucceſcit ventre grauato.
Lætitiam tamen infantis ſic duxit habendam,
Vt dolor atque metus Reginam non grauet vllus.
Tempore condigno Rex naſcitur hic LVDOVICVS
Pacificus, qui ſceptra gerens benè iura gubernat.

IN huius ergo Principis præſcita, immò impetrata natiuitate, laudanda atque admiranda eſt famuli Chriſti Arnulphi deuotionis induſtria: qui tanti myſterij arca-

PHILIPPVS I. num & meritorum prærogatiuam obtinere metuit, & profunda humilitate diſſimulauit ---:· Anno ergo Dominicæ Incarnationis MLXXXI. natus eſt futu- A
1081. rus Rex LVDOVICVS, orationibus & meritis S. Arnulphi impetratus: qui vtinam vt bono fine potiatur, eiuſdem Sancti ſuffragio ſit adiutus.

Ex Libro IV. Hiſtoriæ Roberti VViſcardi Calabriæ Ducis, & Rogerij eius fratris Siciliæ Comitis, quam Gaufredus Malaterra Monachus ſcripſit eiuſdem Rogerij hortatu.

CAP. VIII. EA tempeſtate PHILIPPVS Rex Francorum vxorem habens legitimam & præclari generis BERTAM nomine, ex qua ſuſceperat filium nomine LEVDOVISINVM, cui etiam ab omnibus Curialibus Regnum poſt ſe habere deſignauerat, contra ius legitimæ coniunctionis exoſam habere cœpit: & à ſe contra Canonum ſtatuta libello repudij conatur repellere, nihil criminis obiecto, excepto quòd ſanguinitatem falſo adnumerare tentabat, nec poterat. Hic Legatos apud Siciliam ad Comitem (ROGERIVM) dirigens, filiam eius nomine EMMAM, quam de prima vxore ſpecioſam puellam habebat, ſibi in matrimonio copulandam expetit. Comes verò fraudis, quam verſus legitimam vxorem habebat, ignarus, cum multis ſponſalibus ſe ſibi daturum conceſſit. Statutóque termino, nauibus
* Egidium apparatis, eam vſque ad ſanctum Elidium * cum pluribus theſaurorum euxeniis, B
quò Rex ſe obuium fieri dixerat, maritimo curſu rranſmittit. Habebárque fiduciam in Comite eiuſdem Prouinciæ Raimundo, quòd eam Regi honeſtè conſignaret. Nam & ipſe aliam filiam Comitis iamdudum duxerat. Rex verò prauorum conſilio vſus, ad hæc nitebatur, vt theſauris ſuſceptis, Comitem de filia, non ducendo, ludificaret. Porrò Comes Raimundus Regia fraude comperta, cœpit & ipſe nihilominus aliam fraudem coniecturare: videlicet vt puellam diſſimulata fraude cum honore ſuſcipiens, alteri probo viro in matrimonium conſignaret: ipſe verò omnem pecuniam vſurparet. Sed prudentes viri, quos Comes eum familia miſerat, prece puellæ pecunia exportata, fraudem quæ agebatur comperientes, anchoris extractis, vela ventis committentes, puella cum ſororis marito relicta, placida aurâ ſufflante, cum precioſioribus theſauris ad Comitem in Siciliam reuertuntur. Comes verò Raimundus fraude, quam machinabatur, ex parte fruſtratus, puellam Comiti Claramuntis legalibus nuptiis copulauit. Sicque ſola Dei diſpenſatione ſolemniter maritata, & pater opprobrio, quod Rex machinabatur, & filia inordinata & contra ius quauis legali copulatione liberatur.

Ex Vita MS. ſancti Theobaldi Confeſſoris.

HEINRICI Cæſaris, & piiſſimi Regis Francorum HEINRICI, filij quoque eius Regis PHILIPPI temporibus, Gallia Religioſos parere quaſi oblita C
fœcunda elarione, effœta humilitate, reuirente aluo, ſinu recalente, modo pulchræ dilectionis matet fructum honoris dedit & honeſtatis, THEOBALDVM Religionis incitamentum, vicij repagulum, virtutis incrementum, caſtro Priuigno ortum, quod eſt in territorio Senonico ſitum: quod populoſa refertum frequentiâ, ditionis olim fuit potentis & famoſi Comitis ODONIS Campanienſis, huius ſancti viri propinqui, patris TEOBALDI Comitis heredis ſtrenui & pacifici. Pater eius ARNVLFVS notus nomine, notus & dignitate: non ſolùm ingenuitate pollens, ſed & ditiſſimis opibus & honeſtis moribus præminens. Mater eius VVILLA viri præcipui coniunx præcipua, nobilitate & motalitate par & condigna. Condecebat enim vt in fructum ſanctum & iuſtum erumperent iuſti & ſancti rami. Huius natiuitatem piæ recordationis ſanctus TEOBALDVS Viennenſis Epiſcopus, auiæ eiuſdem ſancti viri auunculus, diuino oraculo præuidit & prænotauit, cui etiam nominis participium, & recordationem ſancti Antiſtitis propinquitas & ſanctitas indidit. Quod & veraces tanti Pontificis familiares fideliter nobis atteſtati ſunr, & eiuſdem ſancti Confeſſoris matris aſſertio validiſſimum præbet argumentum. Nam cùm aliquando præfatus Pontifex colloquium haberet cum matre VVILLÆ venerabilis ſancti Theobaldi caræ ſobolis caræ genitricis, inter
» cetera dulcis colloquij fluenta: Gaude iterum, gaude generoſa parens, aiebat.

A Prodiet enim ex te filia magni meriti virum paritura, qui omnibus noſtræ affinitatis hominibus præminebit, & ante Deum magnus vocabitur & erit, &c. PHILIPPVS I.

Ex Vita MS. venerabilis BERNARDI *primi Abbatis Monaſterij ſanctiſſimæ Trinitatis de Tironio, Ordinis ſancti Benedicti, dioceſ. Carnot. Quam ſcripſit Gaufredus Groſſus Monachus, eiuſdem diſcipulus & coætaneus.*

PER idem tempus duo Cardinales Ioannes atque Benedictus, Apoſtolicæ Sedis Legatione fungentes, ad vrbem Pictauium Concilium conuocarunt. In quo centum quadraginta Patres affuerunt, qui PHILIPPVM Regem Francorum propter FVLCONIS Conſulis Andegauenſium vxorem, quam in adulterio tenebat, anathematis vindictâ percuſſerunt. Qua excommunicatione comperta, GVILLELMVS Dux Aquitanorum, qui aderat, totius pudicitiæ ac ſanctitatis inimicus, timens ne ſimilem vindictam pro conſimilibus culpis pateretur, nimio furore ſuccenſus, iuſſit omnes illos deprædari, flagellari, occidi. Quod miniſtris ſuis facere incipientibus, Pontifices & Abbates omnes huc illúcque diffugiunt, & vt temporalem vitam retinerent, tuta latibula quærere contendunt. At verò BERNARDVS, atque Robertus Arbreſellenſis, qui Concilio intererant, fortiſſimi iuſtitiæ propugnatores, ac totius iniquitatis & iniuſtitiæ expugnatores, aliis turpiter diffugientibus, ita immobiles conſtantéſque perſtiterunt, vt nec ab incœpto excommunicationis deſiſterent: ſed pro Chriſto mortem vel contumeliam pati glorioſiſſimum ducerent. Et quamuis eis perſequutores mortem non intulerunt, iſti, quantum in ipſis eſt, martyrium pertulerunt.

B

EPITAPHIVM PHILIPPI I. FRANCORVM REGIS.

Ex veteri Libro MS. D. Alex. Petauij Senatoris Pariſienſis.

SEPTEM *milleno centum ſimul adde reſecto,*
Túncque ſcies annum, Regem ſubiiſſe PHILIPPVM
Ingreſſum mortis diræ nulli renuentis,
Auguſto quartas Orbi ſignante Calendas,
C *In feria dicta Syluestri dormate quarta.*

EPITAPHIVM ALIVD REGIS PHILIPPI.

Ex alio eiuſdem Domini Petauij Codice.

FRANCORVM *ſummus latet hac tellure* PHILIPPVS,
Rex fuit hic magni progenies PRIAMI.
Corpore procerus, vultu ſtellante ſerenus,
Imperio ſpecies congrua Romuleo.
Strenuus in bellis, Regni defenſor auiti,
Sollers conſilio, prouidus eloquio.
Inſignis pietate, trucis cohercitor iræ,
Verbis iocundus, moribus & placidus.
Auguſti ternis conſcendit in aſtra Kalendis,
Annis ſceptra nouem vigies & bis agens.

PHILIPPVS I.

ITEM DE EODEM REGE.

A

REX *fueram prædiues opum, linguáque diſertus,*
Progenies Regum, virtute potens, genus altum.
Gloria magna mihi, qua tenditur æmula virtus.
Hac tumulatus humo naturæ debita ſolui,
Ac cinis in cinerem ſenſi datus ecce quid eſſem.
Heus! quid honor, quid opes, quid gloria, quídve poteſtas?
Aſt petij BENEDICTE *tuam ſpecialiùs ædem,*
Aethercam concede rogo precibus mihi ſedem.
Iulius exactis dum lucibus iret ad aſſem,
Spiritus Auguſtas ceſſit meus ante Kalendas.
Qui legis hæc, meritam minui mihi Iudicis iram
Exige, ſed precibus faueas his CHRISTE *Redemptor.*

EPISTOLÆ

A

EPISTOLAE HISTORICÆ

SVMMORVM PONTIFICVM, EPISCOPORVM, DVCVM, COMITVM, ET ALIORVM, quæ ad res Francicas pertinent.

B

A ROBERTO *Rege vſque ad* LVDOVICVM VI. *cognomento* GROSSVM.

EPISTOLA BENEDICTI PAPÆ VIII.

Ad Epiſcopos Burgundiæ & Aquitaniæ.

BENEDICTVS per diuinam gratiam ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Præſul & Epiſcopus, omnibus Fratribus & Coëpiſcopis per Burgundiam, Aquitaniam, & Prouinciam conſtitutis, Burchardo ſcilicet Archiepiſcopo Lugdunenſi, eiuſdem nominis Archiepiſcopo Viennenſi, VValterio Archiepiſcopo Beſonſienſi, VValterio ſummæ Religionis Epiſcopo Auguſtudunenſi, Stephano Epiſcopo Aruernenſi, Fredeloni Epiſcopo Anicienſi, Ganfredo Epiſcopo Cabilonenſi, Lamberto Epiſcopo Lingonenſi, Gauſlino Epiſcopo Matiſconenſi, Vuigoni Epiſcopo Valentinenſi, Harmanno Epiſcopo Viuarienſi, Pontio Archiepiſcopo Arelatenſi, Aribaldo Epiſcopo Vzeticenſi, Odulrico Epiſco-
C po Tricaſſinenſi, Geraldo Epiſcopo Vapicenſi, Petro Epiſcopo Vaſſinenſi, Eldeberto Epiſcopo Auignionenſi, Stephano Epiſcopo Carpentoratenſi, Almerado Epiſcopo Rhegenſi, ſalutationem & benedictionem. Ex parte Dei omnipotentis & beati Petri Apoſtolorum Principis, & mea qui Præſulatum licèt indignus tenere videor Apoſtolicæ Sedis. Liquidum eſt Cluniacenſe Monaſterium olim à VVILLELMO nobiliſſimo Aquitanorum Principe in pago Matiſconenſi conſtructum, ipſo agente, cum Apoſtolicæ Sedis Pontifice, & Romanorum Imperatore, Regibus quoque Francorum & Burgundionum; quòd ita ſit ab omni ſubiectione cuiuſlibet perſonæ, ſiue Regis, ſiue Epiſcopi, ſiue Comitis liberum, vt aliquid debeat nulli niſi Deo, & ſancto Petro, & Sedis Apoſtolicæ ſummo Præſuli. Quæ libertas à cunctis anteceſſoribus noſtris, qui à conditione ipſius loci in hac ſancta Romana Eccleſia fuerunt vſque ad nos, ſcriptis Priuilegiis, & à prælibatis Principibus, datis Præceptis tam de ipſo loco, quàm de omnibus ad ſe pertinentibus, in Burgundia, Aquitania, Prouincia conſtitutis: videlicet Monaſteriis, Cellis, terris cultis & incultis, corroborata & confirmata eſt: eo voto & deſiderio, vt ſeculum deſerentes, & in eodem loco ſub regulari diſciplina Chriſti ſeruitio ex toto ſemet mancipantes, abſque vllius impedimento licentiùs Deo adhærerent, & de ibidem Deo & S. Petro à fidelibus oblatis, hoſpitalitate & egenorum curæ inſeruirent. Quod hactenus, Deo propitiante, & Apoſtolica auctoritate ſuffragante, boni-

ROBERTVS. tate inſuper circum ſe manentium adminiculante, inquantum potuerunt deuo- A
tè fecerunt. Nunc verò, ſicut in præſentiâ Deo deuoti domini ROBERTI Regis Francorum, Principúmque eius & Optimatum, qui cum eo venerunt ad limina Apoſtolorum, & reclamatoria legatione dilectiſſimi filij noſtri Odilonis eiuſdem loci Abbatis, percepimus, ita malorum contra eos exardeſcens inſurrexit & conualuit cupiditas & inſania; ſcilicet terras ipſorum inuadendo, & ſubſtantias tam ipſorum quàm pauperum ſibi commiſſorum deprædando: vt multiplicibus anguſtiis & afflictionibus tribulati, nullo modo, ſicut nunc vſque fecerunt, conuenienter Deo debitum obſequium valeant ſoluere, nec ſolitam curam ſuperuenientium hoſpitum & pauperum poſſint exercere. Igitur quia in eodem loco iuges orationes, & Miſſarum celebrationes, & eleemoſynæ fiunt pro ſtatu ſanctæ Dei Eccleſiæ, & omnium fidelium viuorum & defunctorum ſalute & requie, ipſius diſpendium commune omnium noſtrum eſt detrimentum. Et licèt omnes boni fideles de eorum anguſtia & perturbatione debeant compaſſionem habere, & ſummo cum ſtudio ſeruos Chriſti iuuare, vt abſque vllo impedimento queant in ſancto propoſito perſiſtere: ego tamen, ad quem poſt Deum & ſanctum Petrum cura & prouidentia ſæpedicti loci ſpecialiter pertinet, iuuamen & ſolatium auctoritatis Apoſtolicæ non deſiſtam ſubminiſtrare. Sunt autem crudeliores ſæpenominati loci habitatorum perſecutores; Ildinus omnis bonitatis inimicus, qui non ſolùm in hoc illos irritat, quòd ſua, ſuorúmque eis tollit; ſed etiam quòd ſuam nequitiam in illos retorquere cupidus, facit circum ſe manentibus intelligere, omnem iuſtitiam de malè à ſe cõmiſſis eis velle ſe facere: & ita eos in ipſo placito & concordatione ſemper fallit & illudit, vt pro iuſtitia deteriorem ab eo iniuriam ſuſcipiant. B
Eſt & VVichardus de Belioco, qui eis tollit Eccleſiam de Treſdo cum omnibus appendiciis ſuis. Bernardus quoque de Retorterio, Hugo de Monte-Pauonis, & vxor eius Arilina, qui eis tollunt poteſtatem de Laſiaco, cum omnibus ad ſe pertinentibus, ſicut diuæ memoriæ Comes LEOTALDVS primùm, deinde Milo religioſus miles per teſtamentum literarum olim contulerunt ſancto Petro, & præfato loco. Falco nepos Iterij Clerici, & frater eius, omnéſque conſortes illorum, qui eis tollunt poteſtatem de Oiadellis cum omnibus appendiciis ſuis. VVarulfus de Branceduno, & frater eius VValterius Mariſcenſis Præpoſitus, qui eis contrarij ſunt de precaria, quam tenebat de ſancto Petro beatæ recordationis Leobaldus Epiſcopus, eorum videlicet auunculus; & de alia terra quam idem Præſul ante mortem ſuam, ipſam precariam reſtituens, ex ſua parte donauerat ſancto Petro. Durandus de Caudiaco, Aiminus de Caudiaco, Girardus de Centurpennis, qui eis contrarius eſt de villa Fontanedo. Robertus de Iſleuée, qui tollit eis plantas, quas Bernardus Dolun interfectus dederat ſancto Petro. Sed & illi qui eis contrarij ſunt de poteſtate Sarrianis: necnon & illi, qui deprædationes & iniuſtas conſuetudines faciunt & requirunt in poteſtate Valentiola, & in poteſtate Tudelleta, & in Podio-odolenis: & in ceteris poteſtatibus, villulis, & terris ad præfatum locum pertinentibus. Sunt etiam alij quàm innumerabiles, quorum nomina longiſſimum eſſet huic ſcedulæ inſeri. Hos ſuprà nominatos, & omnes alios perſecutores, deprædatores, & inuaſores terrarum, & ſubſtantiarum ad ſæpedictum locum pertinentium, more anteceſſorum noſtrorum præfati loci ad nos ſpecialiter pertinentis curam & prouidentiam habentes, ex parte Dei, & ſancti Petri, & noſtra, vocamus ad reſipiſcendum, & monemus, vt contrarietates & iniuſtas querelas, quibus ſeruos Dei inquietant & conturbant, quamcitiùs deponant. Terras etiam iniuſtè peruaſas, & ſubſtantias deprædatas, cum omni integritate, iuxta rationem, quam cum eis inuenire potuerint, reſtituant. Sed de iniuria, quam ſine cauſa illis intulerunt, cõgruè ſatiſfaciant infra ſpatium quod eſt abhinc vſque in feſtiuitatem S. Michaëlis. Quod ſi fecerint, habeant gratiam, & benedictionem, & abſolutionem Dei, & ſancti Petri, & noſtram. Si autem infra præfixum à nobis terminum monitioni & vocationi noſtræ non adſenſerint, ſed contemptores & inobedientes extiterint, in ſua malitiâ perſeuerantes, cauterio Eccleſiaſtici examinis quaſi putrida membra à corpore Chriſti præſcindantur, ſintque à liminibus ſanctæ Dei Eccleſiæ procul repulſi, & à conſortio fidelium alienati & excommunicati. Sint maledicti ſtantes & ambulantes, vigilantes & dormientes, ingredientes & egredientes. Sint maledicti manducantes & bibentes. Sit maledictus cibus eorum & G

ROBERTVS.

A potus. Sit maledictus fructus ventris eorum, & fructus terræ eorum. Subſtineantque plagas Herodianas, quouſque diſrumpantur viſcera eorum. Et cum Dathan & Abiron de terra viuentium perditi, cum diabolo & Angelis eius perpetualiter damnati, maneant in pœnis infernalibus ſine fine cruciandi. Fiant etiam filij eorum orphani, & vxores eorum viduæ. Nutantes transferantur filij eorum, & mendicent. Eiiciantur de habitationibus ſuis, omnibúſque maledictionibus, quæ in veteri vel nouo Teſtamento contineri videntur, maledicti & anathematiſati ſubiaceanr, quouſque reſipiſcant, & noſtræ vocationi & monitioni congruè ſatisfaciant. Vobis etiam Fratribus meis & Coëpiſcopis ſuprà nominatis mando & præcipio auctoritate Apoſtolica, vt hanc meam confirmetis ſententiam, & ſimilirer illos excommunicetis; omnibúſque Preſbyteris, & ceteris ſacri Ordinis miniſtris vobis commiſſis excommunicare præcipiatis. Si quis autem veſtrûm (quod minimè credo futurum) non obedierit huic noſtræ iuſſioni, de contemptu inobedientiæ nouerit ſe habiturum rationem ante tribunal Chriſti. Ipſe nempe dixit, *Qui vos audit me audit, & qui vos ſpernit me ſpernit.* Sed & Seniori quàm reuerendo domno VVILLELMO Comiti, necnon præcipuæ bonitatis & dulcedinis domno HVGONI Comiti, domnóque RAINALDO Comiti filio ſupranominati domni VVillelmi; bonæ quoque indolis, ac totius affectu dilectionis amplectendo domno OTTONI Comiti: omni etiam reuerentia & veneratione digniſſimæ domnæ ADELEIDI Comitiſſæ cognomento BLANCHÆ, nuruique eius
B domnæ GERBERGÆ Comitiſſæ. Sed & illuſtribus viris domno VVigoni Vicecomiti, & fratri eius domno VVillelmo, domno quoque Odulrico, & domno Anſoldo, & ceteris Principibus & Optimatibus totius Burgundiæ, Aquitaniæ, & Prouinciæ, qui auxilio eſſe poſſunt habitatoribus ſæpenominati loci, Apoſtolicæ benedictionis & abſolutionis munus mittimus, ipſiſque omnium ſuorum peccaminum veniam implorantibus, in cunctis benefactis, quæ à nobis & à ceteris fidelibus in hac ſancta Romana Eccleſia quotidie fiunt, ex parte Dei, ſanctique Petri, & noſtra, partem & ſocietatem damus: eo obtentu, vt ſemper adiutores & defenſores prædicti loci, omniúmque ad ſe pertinentium, de omnibus ſibi contrariis exiſtant. Quod ſi neglexerint, non ſolùm tanto beneficio priuabuntur, ſed inſuper de poteſtate ob defenſionem fidelium à Deo ſibi data in die vltimi examinis ſine dubio rationem reddent. Data Kal. Septembris.

ROBERTVS. A

FVLBERTI EPISCOPI CARNOTENSIS EPISTOLÆ HISTORICÆ.

Cum veteri Exemplari MS. quod in Bibliotheca Viri Cl. Alex. Petauij Senatoris Pariſienſis adſeruatur, diligenter collatæ, & variis in locis emendatæ.

EPISTOLA I.

Edit. 1. Cod. MS. 16.

DOMINO *ſuo* ROBERTO *Regi ſereniſſimo*, FVLBERTVS *humilis Carnotenſium Epiſcopus in gratia Regis Regum ſemper manere.* B

GRATIAS referimus benignitati veſtræ, quòd nuper miſiſtis legatum veſtrum ad nos, qui & veſtram nobis ſoſpitatem nuntians nos lætificaret, & fortunæ noſtræ modum ſciſcitatus à nobis, veſtræ Maieſtati renunciaret. Ac tunc quidem ſcripſimus vobis de malis quæ irrogat Eccleſiæ noſtræ Gaufridus Vicecomes, qui nec Deum nec Excellentiam veſtram ſe reuereri ſatis ſupérque indicat, cùm & caſtellum de Galardone à vobis olim dirutum teſtituit: de quo dicere poſſumus, *Ecce ab Oriente panditur malum* Eccleſiæ noſtræ. Et rurſus alterum ædificare præſumpſit apud Iſſeras intra villas Sanctæ Mariæ, de quo & reuera dici poteſt, *En ab Occidente malum.* Nunc quoque de iiſdem malis neceſſariò ſcribentes conquerimur apud miſericordiam veſtram, conſilium & auxilium petentes ab ea, quoniam à filio veſtro HVGONE ſuper hæc mala nihil opis vel conſolationis accepimus. Pro quibus tacti dolore cordis intrinſecus, iam in tantum mœrorem noſtrum prodidimus, vt ſigna noſtra iocunditatem & lætitiam ſignificare ſolita, ab intonando deſinere, & triſtitiam noſtram atteſtari quodammodo iuſſerimus, officiúmque diuinum hactenus in Eccleſia noſtra per Dei gratiam cum magna cordis & oris iubilatione celebrari ſolitum, depreſſis modò miſerabiliter vocibus, & penè ſilentio proximis fieri. Vnde pietatem veſtram cum fletu cordis & mentis, genua flexi, precamur, ſuccurrite ſanctæ Dei Genitricis Eccleſiæ, cui nos fideles veſtros quantum poſſumus, licèt indignos, præeſſe voluiſtis: quorum à vobis ſolummodò poſt Deum, in his quæ ingeruntur moleſtiis, conſolatio & reſpiratio funditus pendet. Cogitate ergo qualiter ad his liberemur, & vt mœrorem noſtrum conuertatis in gaudium, obſecrando Comitem Odonem, & ei veſtra Regali auctoritate viuaciter imperando, vt prædictas diabolici inſtinctus machinas veto animo deſtrui iubeat, vel ipſe deſtruat, propter Deum, & fidelitatem veſtram, & ſanctæ Mariæ honorem, & noſtri adhuc ſui fidelis amorem. Quòd ſi nec per vos, nec per illum irrita fuerit hæc quaſi perpetua noſtri loci confuſio, quid teſtat aliud, niſi vt penitus interdicatis agi diuinum officium in toto Epiſcopatu noſtro? Ipſi inde, heu! inuiti, & maxima neceſſitate coacti, aliquò exulantes, nec oculis noſtris diutiùs ſanctæ Dei Eccleſiæ conculcationem ferentes. Quod ne facere cogamur, veſtram miſericordiam iterum iterúmque flebiliter oramus: ne & illud, quod abſit, apud extraneum Regem vel Imperatorem fateri compellamur à vobis exules, noluiſſe vos vel non valuiſſe, ſponſam Chriſti ſanctam Eccleſiam vobis tegere commiſſam tueri. C

EPISTOLA II.

DOMINO *ſuo* ROBERTO *Regi benigniſſimo, Fulbertus Dei & ſui gratiâ Carnotenſium Epiſcopus ſtatum plenæ felicitatis.* POSTQVAM tranſmiſimus vobis literas per Ragenfridum Clericum, querimoniæ noſtræ, de oppreſſione quam Eccleſia noſtra patitur, locuti ſumus cum domino Rege HVGONE filio veſtro, ſciſcitantes ab eo, cur nobis in tanta neceſſitate non ſucurrerit. Qui ſe contra nos humiliter purgans reſpondit, quia procul à nobis erat, ideò facultatem ſibi veniendi in auxilium noſtrum non fuiſſe: imò copiam virorum, qui ſe comitarentur, non habuiſſe. Cuius nos purgationis cauſam minimè diſcredentes, pro illo veſtram clementiam oramus, ne fiat aliena à veſtro genito paternitatis veſtræ gratia, ſi ſanctæ Eccleſiæ non præſtitit opem, quæ impoſſibilis erat ei præſtari. Ad vos tandem, dilectiſſime Domine, noſtri adiutorij ſumma redit, cuius gratuita bonitate Præſulis honore fungimur, & tutelâ cuius poſſe eripi à malorum iniuriis omninò confidimus. Sed ab iis quæ modò nobis incumbunt, ſine multo labore veſtro ſperamus erui, dummodo prece & obſecratione cum Odone Comite obnixè agatis: quatenus idem nos ab illis expediat. Ceterùm, sereniſſimam pietatem veſtram appellamus pro eodem Rege filio veſtro, qui ſatis ſuperque deſolatus incedit. Neque enim in B domo veſtra cum ſecuritate vel charitate licet ei manere, neque foris eſt ei vnde viuat cum honore Regi competente. Vnde vos oportet aliquid boni conſilij reperire, & illi impendere, ne dum ille quaſi peregrinus & profugus agit, paterni animi fama vobis depereat. Edit. 4. Cod. MS. 60.

EPISTOLA III.

NOTO *Notus*, *R. Fulbertus.* HOC à vobis exigo, ſecuritatem de mea vita, & membris, & terra quam habeo, vel per veſtrum conſilium acquiram. De auxilio veſtro contra omnes homines, ſalua fidelitate ROBERTI. De receptu Vindocini caſtri ad meum vſum & meorum fidelium, qui vobis aſſecurabunt illud. Commendationem veſtrorum militum, qui de noſtro caſamento beneficium tenent, ſalua fidelitate veſtra. Iuſticiam de querimonia Sanctionis & Huberti, & de querimoniis Canonicorum Eccleſiæ noſtræ, & de legibus atriorum noſtrorum. Si hæc facere vultis, paratus ſum conuentionem, quam vobiſcum inij, obſeruare: ſi non vultis, nolite me itinere fatigare. Valete. Edit. 6. Cod. MS. 19.

EPISTOLA IV.

C GLORIA *& honore digno Patri & Archiepiſcopo Ebalo Fulbertus humilis Epiſcopus cum venerabili Cenomanenſium Epiſcopo Auiſgaudo ſalutem.* SCIENTES vos habere zelum diuinæ legis, nec minùs opitulari velle quàm debere Fratribus veſtris, ſed & plurimum poſſe: fiducialiter à vobis auxilium petimus in neceſſitatibus noſtris, ac nunc quidem ſingulariter in præcurſorem Antichriſti Herbertum Comitem Cenomanis, qui Sedem Epiſcopalem eiuſdem ciuitatis euertere nititur. Epiſcopum enim prædictum videlicet Auiſgaudum in ea cum pace manere non ſinit: domos eius, & terras, & fruges, & omnia victualia, inſuper & præbendas canonicas Eccleſiæ peruaſit. Hæc itaque vos ad viuum ſentire volumus, niſuque indiſſimulato propellere. Et vt facilem modum habeat petitio noſtra, precamur vos illi commonitorium ſcribere, vt iam dicto Epiſcopo ſua reddat, & eum in pace viuere ſinat. Alioquin pro certo nouerit, ſe à vobis & ſuffraganeis veſtris excommunicaturum iri, ex illo die quo eum excommunicauerit Auiſgaudus Epiſcopus. Commonitorium autem, quod illi ſacrilego veſtra dignatio mittet, nobis tranſcribi poſtulamus, & mitti. Vale in infinitum, Angele conſilij magni te Conſule Chriſte. Edit 7. Cod. MS. 45.

Robertvs. A

EPISTOLA V.

Edit. 8 Cod. MS 96.

VENERABILI *Fratri & Coëpiſcopo Franconi Fulbertus ſalutem.* SVPERFLVVM duxi longam fabulam noſtri Senis tranſcribere, & mittere tibi: cùm totam rationem eius, ſi qua eſt, ex mea breui reſponſione facilè percipere poſſis. Fuitque huiuſmodi. FRATRI *in Domino & conſacerdoti ſuo A.. Fulbertus.* ABSIT, Frater, vt credatur verum eſſe quod ſcripſiſti, meum Archipræſulem & me tuam confeſſionem publicaſſe. non eſt enim verum. Túque dum talia ſcribis, benè meritis de te ingratus es, & iniuſtè contumeliam facis. Si qua enim honeſta tua nouimus, aut ſperauimus, fideliter ea publicauimus, ad teſtimonium tuæ probitatis, contra illos maximè qui diſceſſionem tuam ab Epiſcopatu auaritiæ, vel ignauiæ, vel turpitudini aſcribere nitebantur. Si quæ verò occulta, quæ pœnitenda forent, nóſtræ fidei credidiſti, cautè celata ſunt. At ſi talia confeſſus es, quæ & priùs & poſtmodò ore vulgi ventilata ſint, ea nos occultare nequimus. Comperi autem ex Literis tuis tibi moleſtum eſſe, quòd te monaſticæ vitæ diximus amatorem: quòd quia nocere non intelligo, moleſtum eſſe demiror. Amor namque Religionis Epiſcopali gradu, quem repetis, dignum te potiùs quàm indignum efficeret, ſi nihil aliud impediret. Vtrum autem ſit, vel quid ſit quod impediat, ſagacitatem tuam non arbitror ignorare: ſi quædam grauis cauſa, quam diſſimulas, non obſtaret. Ea eſt huiuſmodi. Si de repetendo Epiſcopio querimoniam incipere velis, non ſatis apparet cui eam iure intendere poſſis. Nullus enim te expulit, nullus Cathedram tuam te renitente peruaſit. Sed tutemet vltro causâ ægritudinis, vt aiebas, curam Epiſcopalem ſimul & Cathedram reliquiſti, vt perhibent: & ſiue Franconem tunc Decanum Pariſienſis Eccleſiæ, ſiue quemlibet alium ſubrogari tibi verbis & ſcriptis à Rege petiſti. Quod ſi ita eſt, & ſic tibi conſequenter ſubſtitutus eſt Franco eligente Clero, ſuffragante populo, dono Regis, approbatione Romani Pontificis, per manum Metropolitani Senonenſis; fulcitur vtique ſubſtitutio & conſecratio eius fauore quoque & auctoritate beati Gregorij Papæ, qui ſcriptis ſuis ſicut nulli Pontificum non petenti pro qualibet ægritudine ſuccedendum fore docuit, ita voluntariè renuncianti Sedi ſuæ ſucceſſorem nullomodo denegauit. Si quid aliud eſt, quare te Epiſcopatu carere oporteat, tute noueris. Sin autem, hoc tanti nobis eſſe videtur, vt te facere valeat recuperationis exortem. Quapropter deſine curioſos inſtigatores audire, deſine Reges & Principes inefficacis querimoniæ tædioſis ſcriptitationibus fatigare, & Eccleſiæ Pariſienſi te importunè obtrudere velle, quæ vt fatetur, nec patronum te habuiſſe gauiſa eſt, nec doluit amiſiſſe. Quippe cùm neque ex præſentia tua doctrinæ profectum, neque ex abſentia ſenſerit detrimentum. Viue memor noſtri. B

EPISTOLA VI. C

Edit. 11. Cod. MS. 76.

VENERANDO *Pariſiorum Antiſtiti Franconi Fulbertus Dei gratiâ Carnotenſium Epiſcopus totius proſperitatis munus.* LANDONENSEM illam ſacrilegam, res Eccleſiæ veſtræ diripientem, propter has cauſas excommunicare diſtulimus. Primò quia defuit qui ipſi ferre auderet noſtram excommunicationem. Deinde quia parum vobis aut nihil fortaſſis prodeſſet, ſi illa neſciens excommunicaretur in Eccleſia noſtra. Tertiò quia expectauimus vt in conuentu noſtrorum Comprouincialium Epiſcoporum vtiliùs hoc fieret. Quod etiam adhuc expectandum vobis videtur, ſi animi veſtri ſerenitas acquieſcat. De Liſiardo autem Archidiacono veſtro, quem ſcripſiſtis in vos ſuperbum ac rebellem eſſe, non opus eſt nos conſulere; cùm optimè nouerit prudentia veſtra, quid de huiuſmodi lex diuina ſentiat, neque vos oporteat quemquam abſentem & cauſa indiſcuſſa iudicare. Volumus autem vos ſcire, quòd Rodulfus noſter de Nouigento, cui anathematis ſententiam intentatis, propter querelam quam habent contra eum Monachi S. Dionyſij, dicit ſe paratum eſſe ad iuſtificandum in audientia veſtra, atque noſtra. Proindè ſi litem hanc citò iuſtóque fine determinare vultis, conſtituite diem, quo vobis & Monachis S. Dionyſij apud ſanctum Arnulfum occurrere valeamus. Qui locus nobis ad conueniendum opportunior eſſe videtur. Valete.

A

EPISTOLA VII.

DOMINO ſuo ROBERTO *Regi benigniſſimo, Fulbertus humilis Sacerdos in perpetuum vigere.* SACRAM Maieſtatis veſtræ nuperrimè ſuſcepi, monentem me VI. Cal. Aug. veſtro & Henrici intereſſe colloquio, non ſolùm veſtri obſequij, ſed & noſtræ commoditatis cauſâ. Vnde ſupplicitet vobis pro tanta erga me pietatis affectione gratulans reſcribo, me iam diu infirmatum, ægritudinem hoc tempore maximè reuereri, longum iter aggredi non audere. Succeſſu verò temporis oportunioris, annuente Deo, libenter vos eò, ſiue aliàs comitaturum eſſe. Quamquam ad præſens ſi valetudo non obſiſteret, longè tamen ante præmoneri me tanti itineris oporteret. Valete feliciter. Edit. 13. Cod. MS. 77.

EPISTOLA VIII.

VENERANDO *Normannorum Principi* RICHARDO, *Fulbertus Dei gratiâ Carnotenſium Epiſcopus, ſalutem, & orationum ſuffragia.* MVLTA bona feciſtis Eccleſiæ ſanctæ Mariæ Dominæ noſtræ. Retribuat vobis Deus per interceſſionem ipſius. Nos quoque pro illis animæ veſtræ corporique veſtro & fideles ſumens, & ſemper eſſe valeamus. Sed nuper ad nos inſperata venit Legatio, quòd
B ipſam terram, quam nobis dediſtis, Baldricus miniſter veſter reuocauerit, noſtro miniſtro, quem ibi præfeceramus, aliquid diſponendi poteſtatem interdixerit; ſuas etiam res inuaſerit, noſtris hominibus nouam angariam induxerit, banniendo ſcilicet vt item ad molendinum ſancti Audoeni, quinque leucis, vt ferunt, ab eorum auſpiciis remotum. Si hæc, optime Princeps, veſtro iuſſu, quod minimè credimus, facta ſunt, plurimùm veſtri cauſâ dolemus: & vt corrigantur, ſuppliciter poſtulamus. Quin etiam iubeat prudentia veſtra miniſtris veſtris, ne vlteriùs inquietent noſtros homines, & deinceps terram prædictam ita liberè nos poſſidere ſinant, vt eam benigniſſima veſtra manu ſuſcepimus. Vigeat diutiſſimè incolumitas & potentia veſtra. Edit. 14. Cod. MS. 79.

EPISTOLA IX.

PIISSIMO *Duci Aquitanorum* GVILLELMO, *Fulbertus humilis Epiſcopus fidelitatem ex corde.* NON eſt mirum, sereniſſime Princeps, ſi quid moueris animo contra me, de hoc quod ſapientiſſimo & ſanctiſſimo Patri noſtro Hilario tibíque debita ſeruitia non rependo. Magnam enim honorificentiam exhibuiſti mihi, largóſque dediſti munificentiæ fructus, pro quibus nihil præſentis emolumenti recepiſſe videtis. Sed eſt quod te reconfortare plurimum poteſt, hoc videlicet, quòd tuas gazas in Eccleſiæ beatæ Mariæ reſtaurationem expenſas, non ſolùm in-
C tegras, verumetiam multiplicatas ab ipſa recipies. Ex parte verò mea, quamuis perexilis portio mercedis æſtimari poſſit, tamen quidquid ſum & poſſum tuum eſt. Si autem de malitia ſeculi ortæ difficultates meum iter impediunt, vt te frequentare non poſſim, & dilationes meas expectare tædet, fac, benigniſſime atque dilectiſſime Princeps, de illa dignitate quam mihi commiſeras quidquid animæ tuæ beneplacitum fuerit. Certò ſciens, quòd ea cauſâ beneuolentiam meam erga te nunquam ſenties imminutam. Cetera quædam, quæ ſcribere nolui, Legato noſtro, domino videlicet Raimone referente, cognoſces. Vale. Edit. 16. Cod. MS. 104.

EPISTOLA X.

FVLBERTVS *Dei gratiâ Carnotenſium Epiſcopus Comiti Gualeranno, & Comiti Gualterio, ceteríſque filiis, fidelibúſque ſuis, ſalutem & benedictionem.* SCIATIS, Fratres, quia Rex ROBERTVS benefacit cùm Chriſtianos adiuuat, & hereticos damnat. Et ad hoc debent eum adiuuare & confortare mecum omnes ſui fideles: quia hoc miniſterium eius eſt, per quod ſaluus eſſe debet. Sciatis iterum quòd Archiepiſcopus Senonenſis requiſiuit à me conſilium, quid deberet facere de Raginardo heretico, qui perſequebatur Eccleſiam Dei. Et ego ei dedi tale conſilium, quale ad ſuum ordinem pertinebat. Et ecce mitto vobis vtrumque ſcriptum, & Edit. 17. Cod. MS. 105.

ROBERTVS. complanctum ſuum, & conſilium meum quod dedi ei ſecundum ordinem ſuum. A Si quis autem falſarius dicat, quòd ego alterum ei conſilium deinceps vel ſcripſerim, vel dixerim, vel mandauerim: rogo vt me ſicut Patrem veſtrum ſpiritualem defendatis, quia fiducialiter hoc facere poteſtis. Valete.

EPISTOLA XI.

Edit. 19. FVLBERTVS *Dei gratiâ Epiſcopus Guntario, Huberto Vicecomiti, Rogerio, Bucardo, Hugoni filio Hugonis, Ottredo, Hamelino, Hugoni filio Herbrandi, & vxori Guiſmandi, & omnibus illis qui tenent caſamentum ſanctæ Mariæ Carnotenſis Eccleſiæ per donum Reginaldi Epiſcopi.* VOCO vos & admoneo ex parte Dei & ſanctæ Mariæ & noſtra, vt infra proximum Paſcha veniatis ad nos, aut noſtrum ſeruitium facere, aut de veſtris caſamentis legitimam rationem reddere. Quod ſi non feceritis, excommunicabo vos propter contumeliam veſtram, & interdicam vt non audiatis diuinum officium, nec viui recipiatis communionem, neque mortui ſepulturam. Quin etiam caſtellum Vindocinium, & territorium eius anathematizabo, vt in eis diuinum officium non celebretur, neque mortuus ſepeliatur. Poſtea verò ipſa caſamenta quæ tenetis aut vni aut pluribus dabo, vltra etiam vobiſcum de illis non concordabo. Deus vos conuertat, filij mei.

B

EPISTOLA XII.

* In Cod. MS. Diaconus. Edit. 21. Cod. MS. 4. PLENO *virtutis, & gratiæ circumfuſo, chariſſimo Patri Abboni Fulbertus ſuus* *. QVANAM te reſalutatione digner, ô ſacer Abba, & ô magne Philoſophe: quod rependam muneris ſanctæ amicitiæ, quam promiſerunt ſigna gemmatæ facundiæ, vix æſtimare ſufficio. Nam cùm illa quæ dicuntur eſſe victor animo teneas, cùm illa quæ non eſſe forſitan vilipendas: quid ego conferre poſſim, quod tu aut non habeas, aut non habere contemnas? Sed quoniam philoſophicis eſſentiis magnum quiddam ſupereſt, atq; ex his quæ non eſſe dicuntur quædam perpetua fiunt, ideóque ſapientibus aliquando grata ſunt, recipe quæſo quod ab vtroque tibi lectum offero. Denique vt participando ſuper eſſentiam deitatis Dominus fias, ſic te reſaluto, ac perennem fidelitatis habitum amicitiæ tuæ rependo: hac ſcilicet differentia tuam beneuolentiam meámque diſtinguens, vt illa pro maieſtate perſonæ gratia vocetur vt Domini, iſta fidelitas vt alumni. Præceptis itaque tuis modeſtiſſimè deſeruire cupiens, Mediolano diſcipulo quod precatus es facio, quæque tibi ſcribenda petiſti, en omnia ferè iuxta fidem exarata tranſmitto. Abbate ſancti Petri grauiter ægrotante, ſed adhuc mentis & ſermonis compote, Magenardus Monachus ante mihi non mediocriter charus noctu ſeſe de clauſtro ſurripuit, & ad TETBALDVM Comitem, qui Bleſis tunc morabatur, Abbatiæ petendæ gratiâ properauit. Comes illum poſtridie remiſit ad nos cum legatis, qui denunciarent recipiendum magnificè ſicut Abbatem Monachis & Canonicis. At verò nobis ferè omnibus ea res æquè noua & horribilis fuit. Reſpondimus itaque longè nobis aliter videri. Nec enim legitimè fieri Abbatem, nec debere recipi qui Abbatiam alterius, ipſo viuente, per ambitionem petit: qui à Fratribus non eligitur, & ſuper illos nititur dominari. Poſtremò qui noſter neque Monachus ſit, neque Clericus, & plures habeat teſtes curialiter agitandi, quàm monaſticè viuendi. Hæc ille non gratanter accipiens, ad Comitem redequitat: irámque iuuenis aduerſum nos vehementer inflammat. Sed die quinto poſtquam ſuum ambitum publicauit, prædictus Abbas ægritudinem ſuam morte limitat. Conueniunt ad Capitulum Monachi noſtri, & quidam Canonici quos ratio poſtulabat admitti. Interrogamus an aliqui Fratrum incœpto Magenardi faueant: negant ſinguli, negant omnes. Decreuimus ergo quoſdam eorum eſſe mittendos ad Comitem, nobis * videlicet deſignatum Epiſcopum, vt patris obitum nunciarent, & alterius eligendi regularem precarentur licentiam. Quibus miſſis, ecce alij duo, Viuianus ſcilicet & Durandus, alter illiteratus, alter literarum maleſanus interpres, ambo Præpoſiti ſimulantes causâ communis commodi ad obedientias ſuas ſe velle exire, ac ne aliorſum pergerent ſibi interdicente Decano Monaſterij, Magenardum tamen ſecuti ſunt, cui cœptam præſumptionem occultè perſuaſerant, vt Bleſis in præſentia do-

C

* fort. nos

A mini Terbaldi ipſum Magenardum à Fratribus peti ac eligi perfidè mentiti ſunt. ROBERTVS.
Horum ſuffragio lætus Comes, ſtatim eum baculo paſtorali publicè donat. Quo audito, Fratres qui in clauſtro remanſerant contra hanc fraudulentiam zelo diuinæ legis accenſi libellum reprobationis fecerunt, atque ſubſcripſerunt huiuſmodi. Sciat omnis Eccleſia, quia Magenardum Monachum noſtrum, Abbatem fieri « non eligimus, non laudamus, non volumus, non conſenrimus: ſed reprobamus, « refutamus, & omninò contradicimus. Nos verò de Cœnobio ſancti Perri, quorum nomina ſcripta ſunt, Durandus Decanus, Gaudricus, Geneſius, Robertus, « Iſembertus, Marcuinus, Alueus, Guarnerus, Richerus, VVarinus, Herbertus, « Eurardus, Benedictus, Arnulfus, Gualterus, Beringerus, Herbertus, Bernardus. « Iſti itaque omnes ſua nomina aut ſubſcripſerunt, aut ſubſcribi fecerunt, me vidente. Die proxima Comes Tetbaldus redit, ſe in Monaſtetium recipi cum proceſſione præmandat. Monachi reſpondenr ſe libenter hoc agere, ſi præſumptorem illum non adduxerit ſecum. Ille denuò iratus, ipſo die tamen ſuſtinuir, ſed in ſequenti cum ſtrepitu comminantium in ſancti Petri Monaſterium ſuum Magenardum obtruſir. Ad cuius violenrum ingreſſum ſancti Fratres contaminati ipſius communicatione timentes, ſanctuario Domini ſalutato cum lachrymis exierunt, atque refugium aliud neſcientes, ad limina principalis Eccleſiæ confugerunt. Ibi quoque non inuenro Paſtore, vtrinque deſertæ oues mœſtis ſeſe vocibus conſolantur. Sed recipit ſancta Marer Domini ſolita pietate, recipit Rodulphus tuus dulci
B benignitate. Indè tranſierunt ad Cœnobium ſancti Patris Herberti, cuius diues charitas de paupere cenſu quæque poreſt illis neceſſaria ſubminiſtrat. Ceterùm ille, cuius Fratres importunitate depulſi ſunt, ab Heruiſo quodam, vt aiunt, Britannicæ regionis Epiſcopo, IV. Non. Febr. Abbas ſimulatus eſt in ſuburbio Carnotenſi abſente Clero, indignante populo, legato Archipræſulis palam contradicente ne id fieret, reclamantibus etiam quibuſdam Monachis, qui in loco remanſerant vero vultu, viua voce, atque regulari auctoritate. Sed quid inter furentes ratio? Sed & nunc ille primas in Abbatiæ ſuggeſtu, ſeculari potentia fretus, de peracta victoria glorioſus, factores eius Abbates, Epiſcopos, atque ipſum Papam ambiendo, ne quid grauiùs ſtatuatur in illum modis omnibus elaborant. Iacet interim victa, confuſaque Fratrum expulſorum humilitas, nec eſt Præſul in Galliis, cuius viſcera rangat affectio pietatis, aut zelus ſacræ legis inflammet, vt conſurgat ad frangendos impetus errorum, ad releuandas ſpes dolore tabeſcentium. Defuncta etenim eſt Dionyſij fortitudo, non comparet pietas Martini. Tu quoque dereliquiſti nos, ſancte Pater Hilari, qui olim vnitatem Eccleſiæ Spiritus ſancti gladio tuebaris. O derelicta, ô mœſta, ô deſolata Galliarum Eccleſia! quæ iam erit ſpes ſalutis vlterior? Vbi ampliùs afflicta Chriſtiani anima reſpirabit? Hoc nempe ſolùm vel maximè nos confortare videbatur: quòd ſi contingeret ruinas mœnium ruorum reſarciri non poſſe, liceret ſaltem ad firmum adhuc capitolium Monaſticæ
C vitæ confugere. Quod etiam ſi furibus irreptare, aut impunè quibuſlibet ambitioſis inuadere licet, proh dolor! funditus cecidiſti. Vnde iam ad te reuertens, venerande Pater, quem ego credo & video ad nitorem à Domino nobis eſſe prouiſum, cum Domino meo, tuóque fideli Rodulpho, deprecor & obteſtor per ea quæ tibi data ſunt ſapientiæ ſanctæ chariſmata, per dulcedinem fraternæ charitatis, ſi quid potes impugna hoſtes Domini, Fratres alliſos refoue, nec perire ſinas inopiâ ſolatij tui, pro quibus credis eſſe fuſum ſanguinem Chriſti. Vale.

EPISTOLA XIII.

DOMINO *ſancto & venerabili Papæ* IOANNI, *Fulbertus Carnotenſium humilis Epiſcopus orationum fidelia.* GRATIAS omnipotenti Deo, qui more *Edit 22. Cod. MS. 8.* benignitatis ſuæ tuam, Pater, humilitatem reſpexit, & ſummo vt decebat dignitatis apice ſublimauit. Proinde totus mundus ad te conuertit oculos, téque vnum omnes beatiſſimum prædicant, contemplantur altitudinem tuam ſancti viri, & gaudent quòd eis ſimilitudine omnium virtutum alludis. Reſpiciunt perſecutores Eccleſiæ, diſtrictionis tuæ baculum formidantes. Suſpiciunt ij qui flagellantur ab impiis, & reſpirant: ſperantes adhuc reſtare ſibi conſolationis remedium. De quorum numero ſum ego magnæ & præclatæ Eccleſiæ puſillus Epiſcopus, qui tibi, Pa-

Robertvs.

ter, de anguſtiis meis querimoniam ſcribens, auxilium tuæ pietaris imploro. Eſt A enim quidam Comes malefactor nomine Rodvlphvs, nimium vicinus nobis, qui res Eccleſiæ noſtræ per iniuſtam occaſionem inuaſit, vnum de Clericis noſtris ſuis manibus inrerfecir, duos alios captos ſacramēnris illigauit. Er de his omnibus appellatus in Curia Regis, & coram plena Eccleſia ſæpè vocatus, non proprer hominem nec proprer Deum àd iuſtitiam venire dignatus, à nobis tandem excommunicatus eſt. Nunc verò ad limina ſancti Petri conrendit, tanquam ibi poſſir accipere de peccaris abſolutionem, vnde venire non vult ad emendationem. Vnde rogamus te, dilectiſſime Pater, cui rotius Eccleſiæ eura commiſſa eſt, vt eum de ſanguine atque iniuria filiorum tuorum ita arguere & caſtigare memineris, ſicut meritum eſſe tua prouidentia nouir. Nec tua Sanctiras iniuſtè in communionem recipiat, quem diuina auctoritas ſicut ethnicum alienat. Vale, bone Paſtor, & vigila ſuper nos, ne per incuriam tuam grex Domini detrimentum ſuſtineat.

EPISTOLA XIV.

Edit. 21. Cod. MS. 1.

DILECTISSIMO *Patri & Archiepiſcopo ſuo Leutherico, Fulbertus Dei gratiâ Carnotenſium Epiſcopus orationis ſuffragium.* Mvltvm amoris atque fidelitaris tibi, Pater, me debere cenſeo, per cuius manum à Deo benedictionem & ſacram vnctionem accepi. Vnde animus meus ita pender ex tuo, vr quicquid re iuſta ratione aut contriſtar aut hilarar, idem me ſi reſciſcam ſimili modo afficiar. B Congratulor iraque tibi ſuper inuentis ſacris; & Deo, qui ea rempore tuo reuelare maluit, pronus grarias ago. Deinde verò quòd Arnulpbum caſatum Eccleſiæ noſtræ tibi tuíſque ſcripſiſti iniurium, ægrè contra illum & accepi & fero. Vnde mox ad villam Alogiam, vbi tunc eſſe dicebatur, miſi legatum meum. ſed in alias partes abierat. Vxor tamen eius mihi remandauir, quòd vbi redierir ſtatim ad me venier. Quòd ſi veniens tibi ſatisfacere voluerit, per meas literas ſcies. Alioquin vltra terminum, qui à te præfixus eſt, in noſtra communione non erit. Simoniacum verò Preſbyterum, de quo mihi mandaſti, in diœceſim Ordinatoris ſui repelli ſuadeo: aur ſi in tua manſerit, ab officio ſuſpendi, ne Eccleſiæ tuæ candor immundæ hereſis contagione ſordeſcar. Vale, Pater optime, filij tui memor.

EPISTOLA XV.

Edit. 24. Cod. MS. 2.

DILECTISSIMO *Patri & Archiepiſcopo ſuo Leutherico, Fulbertus Deì gratiâ Carnotenſium Epiſcopus ſuffragium orationis & obſequium fidelitatis.* Arnvlphvm fidelem meum arguendo conueni de his iniuriis, vnde mihi querimoniam ſcripſiſtis. Sed ille reſpondir, ſe non diffugere iudicium, ſponte venire ad placitum. Vnde per conſilium & ſuaſum eius totam hanc cauſam in veſtram diſpoſirionem mittimus: vt conſtituaris diem, quo vos & nos, & alij quorum intereſt, conuenire poſſimus, iuxta caſtellum Ebræ, videlicet ſuper ipſam terram ſancti Benedicti, de qua conrentio eſt. Arnulphus enim in expeditionem cum Odone Comite proficiſci conſtituit. Vnde vos talem diem præſcribere oporter, vt & ille de expeditione poſſir eſſe reuerſus, & ego meis negotiis exoccupatus poſſim vobis occurrere. Vale. C

EPISTOLA XVI.

Edit. 30. Cod. MS. 80.

SACRO *Senonenſium Archipræſuli Leutherico Fulbertus Dei gratiâ Carnotenſium Epiſcopus, virtutem ſuæ dignitatis excellentiæ competentem.* Odolricvm Aurelianenſem ego quidem ad Epiſcopum non elegi, ſicut vobis dictum eſt, ſed à Clero & populo ſuæ ciuitatis electum ſacraui Preſbyrerum. Quòd aurem eum Romam ire velle audiſtis, & ibi creari Epiſcopum, diſſuaſi veſtri honoris gratiâ. Sed & ipſe gratanrer diſſuadenti paruir, ſuggerentibus fidelibus ſuis, Rodulpho ſcilicet, & Herfrido. Multis occupatus, pauca vobis reſcribere cogor. Saluto vos quantum poſſum in Domino, paternitati veſtræ deuotus ſuffraganeus.

ROBERTVS.

A

EPISTOLA XVII.

EGREGIE *dilecto Coëpiſcopo ſuo Guidoni Fulbertus.* AMOR iuſtitiæ, qui Edit. 38.
tuam, Pater, animam imbuit ab natiuitate, fecit eam offenſam, & ab exceſſi- Cod. MS. 93.
bus cautam. Cuius rei fidem cùm ex aliorum dictis, tum ex literis tuis euidenter accepi. Sed ab ordinatione Ebali Remenſis Archiepiſcopi non valde tibi metuendum puto eſſe, ſi eſt, vt dicitur, ab infantia Chriſtianus, ſano ſenſu, ſacris literis eruditus, ſobrius, caſtus, amator pacis, & dilectionis, nullo crimine, nulla infamiæ nota turbatus, tandémque à Clero & populo ſuæ ciuitatis electus. Magni etenim viri, vt optimè noſti, Ambroſius Mediolanenſis, & Germanus Autiſſiodorenſis, aliíque nonnulli, quia tales in laïco habitu extiterunt, ſubitò nobis ſancti Præſules exierunt. Domnus verò Papa, cuius animaduerſionem te reuereri ſignificaſti, non eſt quod tibi merito debeat ſuccenſere, ſi te grauiter collapſæ ſanctæ Remenſi Eccleſiæ aliquam ſpem reſurrectionis audierit prouidiſſe. Vale in perpetuum memor mei verè fidelis tui. Illi quoque valeant, qui tuam memoriam mihi commendauerunt.

EPISTOLA XVIII.

B

VENERABILI *Bituricenſium Præſuli G. Fulbertus humilis Carnotenſium Epi-* Edit &
ſcopus, incrementa virtutum. LEGATVM veſtrum diu detinui, quia Salo- Cod. MS.
mon Abbas cum quibuſdam Monachis aberat, ſine quorum conſultu vobis reſpon- 89.
deri non oportebat. Quos, vbi redierunt, commonui, vt ſeſe ad audientiam præſentarent contra domnum Tetfridum. Ipſi verò reſponderunt, ſe meſſiuo tempore occupatos, lites ad præſens agitare non poſſe. Sed Idibus Octobris in Aurelianenſi Concilio, quod futurum eſſe deſtinauimus, conſtituent vobis proximum audientiæ & diem & locum. Tantummodo Fratrem ſuum Dodonem, qui eſt apud vos, reddatis eis infrà prædictum terminum. Interea oblatæ ſunt nobis quædam literæ ſub veſtro nomine conſcriptæ ad domnum Arnulphum Abbatem ſancti Petri, ſignificantes vos excommunicaſſe Monachos noſtros. Sed auctoritatem, qua vobis id liceat, me non memini vidiſſe. At ſi apud vos habetur, nobis eam debetis oſtendere: ne fortè ſi non oſtendatur, aut temerè, aut minimè excommunicati eſſe dicantur. In literis etiam, quas mihi nuperrimè direxiſtis, confictam inueni reprehenſionem meam de ordinatione Salomonis Abbatis hoc modo: Miramur qua "
auctoritate fieri potuit, vt ſine audientia ſubditus Prælato præpoſitus ſit. Quod, "
vt puto, mirari non debetis, quia non eſt: ſed illud potiùs attendere, quod eſt. Non enim hoc ſine audientia factum eſt. Neque ſubditus Salomon Tetfrido adhuc Prælato præpoſitus eſt. Domnus namque Tetfridus à ſuis Monachis criminatus, vt
C ſcitis, apud me de infamia ſua querimoniam fecit, eorúmque malitiam ſe ferre non poſſe dicens, ſub audientia mea, & eorum, qui mecum erant, prælationi ſuæ perpetualiter renunciauit: aſtruens Abbatem Monachorum Bonæ-vallis vlteriùs ſe non eſſe futurum. Sicque petita à nobis migrandi licentiâ, tranſiuit ad vos. Monachi verò, qui in Bona-valle remanſerant, hoc ſcientes, alium quendam ex Fratribus ſuis electum, eò quòd inreprehenſibilis eſſe videbatur, obtulerunt ODONI Comiti Abbatiâ illa donandum, vt mos erat, mihique deinde conſecrandum. Is interim locum Paſtoris tenet. Si quis ergo eſt, qui me ſuper hoc facto præſumpti ouis arguat, nouerit me reſpondere paratum, & hoc tam ratione quàm auctoritate approbaturum. Quòd ſi quis Abbatum vel animi vel corporis ægritudine moleſtatus, prælationem ſuam in perpetuum renunciando deſerat, Epiſcopus ipſius diocœſis in loco eius alterum debeat ordinare. Valete.

EPISTOLA XIX.

PATRI *& Coëpiſcopo Franconi Fulbertus Epiſcopus plus boni quàm ſit meritus.* Edit 42.
GVALERANNO miſi literas huiuſmodi: Fulbertus Epiſcopus G. plus ho- Cod. MS.
noris quàm ſit meritus. Rogo, Frater, & moneo, vt emendes culpas quas habes 86. "
contra Deum, & me, & Pariſiorum Epiſcopum, qui complanctum facit de te. Quod "

Robertus. ſi non feceris ante mediam Quadrageſimam, abinde faciemus de te ſicut de homine qui grauiter peccat, & non vult emendari. Si ergo Gualerannus ſe non iuſtificauerit vobis ante terminum præſcriptum, tunc facite de illo miniſterium veſtrum. Vale quamplurimum. A

EPISTOLA XX.

Edit. 41. Cod. MS. 94.

FVLBERTVS *Dei gratiâ Carnotenſium Epiſcopus, venerabilem Patrem & Coëpiſcopum ſuum F. cùm venerit Dominus inuenire vigilantem.* COMMONITVS à legato veſtro Gualerannus de iuſtitia proſequenda in diem & locum deſtinatum à vobis, reſpondit: Se eſſe præmonitum ab ODONE Comite ſub nomine ſacramenti, de facienda expeditione contra FVLCONEM circa eundem diem. Verùm infra octo dies, ex quo illa expeditio vel facta erit, vel omiſſa, venturum ſe eſſe ad iuſtitiam pollicetur. Sed quando ille promiſſionis ſuæ adimplendæ terminum fixum non ſtatuit, & multæ cauſæ protelationis incidere poſſunt, vel certè quæ nobis conueniendi adimant facultatem; ſuademus, ſi honeſtè fieri poſſit, per veſtros neceſſarios rem accelerare, & veſtrum vobis caſatum firmiter alligare. Neſcitis enim quid fortuna parturiat. Valete.

EPISTOLA XXI. B

Edit. 41. Cod. MS 61.

A. *claro Laudunenſium Præſuli Fulbertus Carnotenſium Sacerdos.* De grandi iniuria nobis facta conquerimur apud te, magne Pater, quem ex debito charitatis & officij talia curare oportet. Cauſa verò huiuſmodi eſt. Quodam Eccleſiæ noſtræ Subdecano defuncto, petiit à nobis R. Siluanectenſis Epiſcopus dari ſibi, aut fratri ſuo, miniſterium eius. Nos autem reſpondimus, non conuenire ſibi, eò quòd Epiſcopus eſſet, neque fratri ætati adhuc & moribus immaturo. Tunc elegimus de numero Sacerdotum noſtrorum ad illud officium Eberardum quendam ſcientem ac religioſum virum. Quod factum prædictus R. materque & frater ipſius adeò inuiderunt, vt ſancto viro coram pluribus, qui teſtes indè ſunt, terribilia minarentur. Et dictum facto non caruit. Venerunt enim de ciuitate Siluanectis ad noſtram quidam ex domeſticis eorum ſic neceſſarij, vt abſentia illorum nec per vnum diem ignorari potuerit: qui interdiu quidem latuerunt, ſed profunda nocte egreſſi, ſanctum illum Preſbyterum more ſolito venientem ad Eccleſiam, quaſi lupum rabidum lanceis, fallaſtris, & gladiis in ipſo atrio principalis Eccleſiæ trucidarunt. Clerici autem eius, qui expeditum Dominum tardè ſecuti ſunt, inueneTunt eum adhuc extrema verba Protomartyris Stephani prædicantem *. Porrò carnifices præſidio noctis incogniti iam diffugerant, & cui crimen hoc intenderetur, erat incertum: cùm quidam propter minas præteritas domum R. quæ erat apud nos, ſuſpectam habentes, repererunt in ea vernaculum quendam veſtes ſuas & calciamenta lota ſiccantem. Ex quo ſigno coniectura incœpta; cùm ad cauſam huius lauacri dicendam homo acriùs vrgeretur, ſe facto de quo agebatur affuiſſe confeſſus eſt, ſocióſque prodidit, & ordinem rei geſtæ expoſuit. Nos denique totum hoc altiùs perſcrutantes, pro certo ita eſſe comperimus. Comperimus, inquam, inuidiæ liuorem, fraudem malitiæ, ſacrilegij nefas crudele, cruentum, & ſingulare facinus in occiſione ſanctiſſimi Sacerdotis. Nunc ergo tanta cauſa, quia indicatio eius obſcura non eſt, ſolam vt vides vltionem expoſtulat. Sed cùm iuris ſit ad vtilitatem Reipublicæ cunctos punire maleficos, illos tamen vehementiùs exturbare neceſſe eſt, qui in Deum & Sanctos eius tam impiè, támque crudeliter audent. Quid enim mali vlteriùs, vel certè æquè magnum excogitari queat? Multò nimirum leuius illi complices Choræ peccaſſe videntur, quos tamen iudicio Dei terra viuos abſorbuit. Nam ſi illi Sanctos Dei contempſerant, non vtique trucidarant. Quòd ſi tales ſocordia, vel iniquitas iudicum reliquerit impunitos, cùm hoc facere conſpirare ſit in contumeliam Dei, & exponere ſeruos eius ad cædem: quid reſtat, niſi vt ipſius ſummi Iudicis ira deſæuiens & hos & illos in audira mortis atrocitate diſperdat? Proinde nobis, quibus idem Dominus Eccleſiæ ſuæ Tribunalia commiſit, apprimè neceſſarium eſt Regem noſtrum, nóſque inuicem modis omnibus excitare, ne repentè feriamur in huiuſmodi ſocordia oſcitantes. C

* al. proficientem.

Quod

A Quod ergo te facere deprecor, magne Pater, cui Deus benè ſuadendi copiam incomparabilem dedit, ſimúlque vt ipſe mecum prædictos maleficos citra legitimam ſatisfactionem excommunices, quos tamen vſque in finem à communione priuandos eſſe non neſcis. Vale. ROBARTI.

EPISTOLA XXII.

VENERABILI *Rothomagenſium Archipræſuli R. Fulbertus humilis Epiſcopus ſi quâ valet orationum ſuffragia.* PROCACITAS G. cuius mihi mentionem feciſtis, ſatis ſupérque fatigauit me de nouis connubiis expetendis. Sed ego ſemper obſtiti, dicens non licere ei ſua vxore viuente alteram vſurpare. Nunc ergo tandem rogauit me ſeu callidè, ſiue ſimpliciter, vt ſibi aut vxorem ſuam fugitiuam redderem, aut eam ſi reniteretur excommunicarem. Alioquin diceret, quòd ego & illa pariter faceremus eum mœchari. Conuenta igitur de hac cauſa mulier, reſpondit mihi, nunquam ſe reditutam ad illum. Et quia certò nouerat mores ſuos cum moribus G. conuenire non poſſe, velle ſe potius renunciare ſeculo, & Monacham deuenire. Tantùm ſi Gualeranus ſibi vel centum libras nummorum Carnotenſium ferendas ad Monaſterium daret. Ego verò inter hæc Monacham illam nec fieri prohibeo, nec compello: ſed nec vt ad virum odientem peritura redeat, B coarctare præſumo. G. autem ſæpè mittit ad me, licentiam ineundi connubij noui petens: illam ſe gurpiſſe, ſuámque pecuniam recepiſſe, licèt non verè, proteſtans. Ego verò interdico ei licentiam iſtam, donec vxor eius aut Monacha facta ſit, aut defuncta. Quorum vtrum priùs futurum ſit, neſcio. Si ergo de hac cauſa meum conſilium vultis, quod ego facio, idem vos ſuadeo facere. Hoc adiiciens, vt ſi cauſam hanc acri cenſura pertractare velitis, ex mea parte non contradictionem, ſed ſuffragium vos habere ſciatis. Capitula canonum ad hanc cauſam pertinentia nobis ſubſcribere non vacauit ad præſens, hoſtium perſecutione turbatis. Scribemus autem & hæc, & alia libenter in obſequium veſtrum, ſi Deus conceſſerit nobis ſalutem & pacem. Valete. *Edit. 55. Cod. MS. 55.*

EPISTOLA XXIII.

VENERANDO *Remorum Archipræſuli Ebalo Fulbertus Carnotenſium humilis Epiſcopus.* ANGVSTIÆ tuæ compatiens, ODONEM Comitem arguendo conueni. Reſpondit tandem, quod in te deliquerat emendare ſe velle, & ad tollendam animi tui ægritudinem adiuuare, quod maximè deſideras, vt Remenſis Eccleſia reſpiret ad priſtinam dignitatem. Si hæc tibi facere voluerit, recipere ſuadeo, vt quamprimum expeditus redeas ad officium tuum. Deinde ſuggero, etſi non indiges, vt ad pacem pauperum componendam tota mente ſatagas, quos C ſui Reges & Principes vehementer affligunt. Propterea Beroldo Epiſcopo referente, audiui ſic te mœrore afflictum, vt curam gregis Domini relinquere velis. Quod ego acriter & amicè redarguo, teſtans te, ſi hoc egeris, non fuiſſe Paſtorem. Vale, memor mei peccatoris in orationibus tuis. *Edit. 56. Cod. MS. 57.*

EPISTOLA XXIV.

VENERABILI *Patri & Coëpiſcopo ſuo G. Fulbertus.* AD benedictionem HENRICI Regiæ prolis voto quidem rapior, ſed aduerſa me corporis valetudo retardat. Tentarem tamen vtcunque moderatis equitationibus eò peruenire, ſi non abſterreret ſæuitia matris eius; cui ſatis creditur, cùm mala promittit: fidem facientibus multis & memorabilibus geſtis eius. Qua difficultate prohibitus, rogo veſtram charitatem, dilectiſſime, vt vice mea ſuadeatis domno Archiepiſcopo Remenſi, ceteriſque Primoribus, ne qua occaſione differant benedictionem iuuenis ſupradicti. Spero enim illum Deo & bonis omnibus placiturum. Valete. *Edit. 59. Cod. MS. 59.*

ROBERTVS.

A

EPISTOLA XXV.

Edit. 70. Cod. MS. 25.

FVLBERTVS *indignus Epiſcopus ineffabiliter charo Patri & Domino ſuo O. cum Cherubin & Seraphin odas loqui.* QVANTAS animo concipere poſſum tibi gratias habeo, ſancte Pater, qui meo arbitratu tædioſam & vix tolerabilem importunitatem meam quaſi pro deliciis habes: ſeruóque & ſua tibi debenti omnia verſa vice Dominus paras obſequia. Verè viuit hic, & fulgorat illa fortis & ſpecioſa charitas, quæ ſecundum Apoſtolum patiens eſt, benigna eſt, & cuius vigor nunquam excidit. Hoc denique præſentialiter fruendi deſiderio maceror, ſed graui ad præſens difficultate detineor. Malefactor enim ille Gaufridus, quem pro multis facinoribus excommunicaueram, incertò vtrum deſperatus, an verſus in amentiam, collecta multitudine militum quò ducendi eſſent ignorantium, villas noſtras improuiſo incendio concremauit, nobiſque quantas poteſt machinatur inſidias. Super his itaque ne tantæ cauſæ indiſcuſſæ, vel inultæ remaneant, neceſſariò mihi conueniendus eſt primitùs ODO Comes. Quòd ſi diſſimulauerit, reſtabit Regis & Richardi rogare patrocinia. Quòd ſi iſti quoque opitulari neglexerint, quid melius mihi reſtet non video, quàm hæc miſſa facere, & Chriſto ſecretiùs deſeruire. Valete.

EPISTOLA XXVI.

B

Edit. 72. Cod. MS. 8.

FVLBERTVS *Dei gratiâ Carnotenſium Epiſcopus* GAVSLINO *Abbati regulariter agere.* PRÆSVL Aurelianorum qui vos excommunicauit, Coëpiſcopos ſuos idem facere poſcit. At ego correptionis veſtræ non expers, in Kal. Octobris ei reſpectum dedi. Vnde nunc, frater, commoneo, vt gradus humilitatis interim vel vſque ad tertium relegendo, Epiſcopo veſtro ſubijciamini, ſicut decet. Aut ſi vobis non ita faciendum eſſe videtur, cur fieri non debeat rationem nobis intimare non pigeat. Ego enim neque legem, neque modum ratiocinationis inuenire poſſum, qui vos ab iugo ſubiectionis huius abſoluat. At ſi quis alius præter vos inueniſſe fateatur, nouum illum Rhetorem de cœlo magis cecidiſſe, quàm deſcendiſſe crediderim. Videte ne quis vos ſeducat inanibus verbis.

EPISTOLA XXVII.

Edit. 80. Cod. MS. 14.

FVLBERTVS *humilis Epiſcopus fratri H.* DIC chariſſimo nobis Principi GVILLELMO perpetuam felicitatem cum orationibus, ex parte noſtra, & totius Cleri ac populi noſtri: propter eleemoſynam quam miſit ad reſtaurationem Eccleſiæ noſtræ. Deindè verò nos prædicaſſe publicè, ſicut ipſe mandauit, virtutem Dei per meritum ſancti Ioannis oſtenſam in diſtrictione Gausberti, cum exultatione & gaudio omnium qui audierunt. Monuiſſe quoque Bituricenſem Archiepiſcopum per quendam Monachum ſuum, vt ſeſe pacare non negligat cum ipſo domino GVILLELMO, & Epiſcopis eius, priuſquam ſibi exindè ſcandalum oriatur. Tibi etiam miſiſſe ſibi exponendas ſententias Bacharij, Bedæ, & Rabani, de fine Salomonis, vnde fecerat quæſtionem. Sed & de præbenda quæ vacat, ſicut & de omni bono, voluntati eius me præbere conſenſum. Præterea ſcias, me propter te magiſtro S. veniam indulſiſſe. Ceterùm Tigrinus ſummonebat, vt mitterem vobis aliquem procuratorem ad colligendas fruges: ſed ego totum hoc curæ tuæ committo, te exercitans, illum probans. Adiutorem Scholarum nolo tibi mittere, qui nondum aſſecutus ſit maturitatem ætatis, & grauitatem morum. Vtere interim clientelæ tuæ qualicunque ſubſidio, donec cauſam communi conſilio pertractemus. Vale.

C

EPISTOLA XXVIII.

Edit. 84. Cod MS. 16.

BENIGNISSIMO *atque dilectiſſimo Domino ſuo* ROBERTO, *Fulbertus Dei gratiâ Carnotenſium Sacerdos.* COGNITA benigna voluntate veſtra, conſilióque prudentiæ veſtræ comperto, quia ſanum eſt vt ſolet, voluntati obſequor, conſilio adquieſco: & iter inſtitutum ad præſens omittens, in tempus à vobis conſtitutum differo peragendum, ſi annuerit Deus. Si ergo de iuſtitia, de pace, de ſtatu

A Regni, de honore Eccleſiæ vultis agere, ecce habetis me paruum ſatellitem pro viribus opitulari paratum. Vale. ROBERTVS.

EPISTOLA XXIX.

IN *perpetuum diligendo Domino ſuo Regíque* ROBERTO, *Fulbertus Sacerdos.* QVÆSO, Domine mi, ne indignanter accipias quòd tibi proxima Dominicâ Pariſius non occurri. Scias enim pro certo, quòd nuntij fefellerunt me, dicentes te illuc ipſo die non affore. Sed propter ordinationem cuiuſdam Epiſcopi me vocari, quem omninò non noueram, nec ſacram tuam nec Epiſtolam Archipræſulis mei de ordinatione ipſius acceperam. Vnde ſi quid delicti penes me eſt; ſeductus ſum aliena fallaciâ. Facilis tamen debet eſſe remiſſio apud Regiam pietatem, cùm etiam apud forenſes iudices ſtatus ſit huiuſmodi venialis. In toto corde meo diligo te, ne repellas me à mandatis tuis. Vale. Edit. 81. Cod. MS. 17.

EPISTOLA XXX.

REGI *Sacerdos,* ROBERTO *Fulbertus, fidelis & pronus.* ACCEPTA legatione veſtra per R. ſanctæ Crucis œconomum deſtinatum, peregrinationem B iterum intermiſi. Nunc quid me velit ſerenitas tua colloquio magis, ſi fieri poſſit, quàm legatis aut Literis cupiam edoceri. Venirem autem ipſe protinus ad vos huius rei gratiâ, ſi commodè poſſem. Sed venire in armis, ſacrum tempus abnuit, ac religio noſtri ordinis. Venire inermes, longua via interminatur, ac malitia ſecularis. Eſt enim mihi O. coluber in via, R. ceraſtes in ſemita. Ceterùm ex arbitrio veſtro pendeat, amodò quo pacto voluntatem veſtram mihi placeat indicare. Quoniam apud me definitum, voluntati veſtræ, quæ vobis non noceat, conuenire. Valete regaliter. Edit. 86.

EPISTOLA XXXI.

DILECTISSIMO *Domino ſuo Regi Francorum* ROBERTO, *Fulbertus humilis Epiſcopus ſanctæ virtutis augmentum.* SI nobis omnes peruagandæ facultates ſimul cum voluntate ſuppeterent, intereſſet veſtræ pietatis leuitatem noſtram arguere, & ad noſtræ Eccleſiæ, quæ deſtructa eſt, reſtaurationem aſſiduam reuocare. Nunc verò cùm omnes huiuſmodi facultates deſint, & nos ad aſſiduitatem neceſſitudo magna coërceat, quomodo ſapientiæ veſtræ dignum videri poſſit, vt vel nos, vel Clerum noſtrum de qualibet longua proceſſione commoneat? Suſtinete potiùs, ſancte Pater, ſuſtinete imbecillitatem noſtram, ſupplete indigentiam noſtram: vt Deus omni bono refocillet charam animam veſtram. Valete regaliter. Edit. 87. Cod. MS. 18.

C EPISTOLA XXXII.

BENIGNISSIMO *Domino ſuo Regíque* ROBERTO, *Fulbertus humilis Sacerdos ſi qua poteſt orationis ſuffragia.* EX parte Celſitudinis veſtræ dictum eſt nobis, quòd domnum Franconem Pariſiacenſi Eccleſiæ dare vultis Epiſcopum, & ad hoc peragendum noſtræ humilitatis habere fauorem. Nobis autem videtur, quia ſi Epiſcopus, de quo agitur, aptus * eſt, Clericus eſt optimè litteratus; & ad ſermonem faciendum agilis. In qua re omnes Epiſcopos decet eſſe non minùs quàm in operatione potentes, atque diſcretos. Vnde ſi hoc fieri poſſe canonicè domni Archiepiſcopi Senonenſis & Coëpiſcoporum noſtrorum probauit ſagacitas, noſtrum etiam, qui de hac diſcuſſione appellati non fuimus, habeatis aſſenſum. In nullo enim, quod bonum ſit, coram Deò veſtræ voluntati nitimur contraire. Vigeat Excellentia veſtra. Edit. 88. Cod. MS. 19. * al. opertus.

EPISTOLA XXXIII.

DILECTISSIMO *Domino Regíque* ROBERTO, *Fulbertus humilis Epiſcopus humilitatem in proſperis, fiduciam in aduerſis.* DE Liſiardo Clerico, qui Meldenſis Epiſcopij res odioſa importunitate peruaſit; tale conſilium damus. Edit. 89. Cod. MS. 20.

ROBERTVS. Præcipite Archiepiſcopo Senonenſi, vt vel Epiſcopium ipſe viſitet, veſtræque & A ſuæ ditioni reuocet, vt dignum eſt: vel ſi id facere prohibeatur, manda prædicto Liſiardo per Literas ex ſua & noſtra, ſuorum videlicet ſuffraganeorum, parte conſcriptas, vt cedat loco & rebus ſtultè peruaſis, & de præſumpſitione ſua nobis ſatisfacere ſtudeat ante proximam feſtiuitatem ſancti Petri Apoſtolorum Principis. Quod ſi facere neglexerit, extunc inantea à nobis omnibus excommunicatus ſit. Valete.

EPISTOLA XXXIV.

Edit. 93. Cod. MS. 98.

DILECTISSIMO *Domino ſuo* ROBERTO *Fulbertus Epiſcoporum humillimus, conſilium & fortitudinem à Deo.* CVM præſentiâ mea nequeo, ſaltem Literis te reuiſo, mi Domine, ſciſcitans de fortunis tuis, & exponens aliqua eorum quæ geruntur in partibus noſtris. Carnotenſes adhuc pleróſque detineo, ne in tuum nocumentum erumpant. Sed Herebertum & Gaufridum nullo interdicto refrænare potui. Faciunt tibi mala quæ poſſunt, minantur quæ non poſſunt. Virtus Altiſſimi conterat & diſperdat ſuperbiam illorum. Quidam autem vernaculi tui, qui ab eiſdem malefactoribus iniuriam paſſi ſunt, Martinus ſcilicet de Villeri-monte, & filij eius, iram ſuam retorquent in terram ſanctæ Dominæ noſtræ, diripientes fruges & cetera bona noſtra, quæ in vicinia ſua ſunt. Nos verò inulta hæc patimur propter te, expectantes & deprecantes iuſtitiam tuam. Sunt B hæc & alia multa, mi Domine, quæ me nimis anguſtiant. Satis enim oneri eſſe videbatur aduerſa corporis valetudo. Sed tamen illud ægriùs tolerabam, quòd res Eccleſiæ in ſuperfluorum domeſticorum victualia ſic expendere compellebar ex praua conſuetudine prædeceſſorum meorum; vt officium hoſpitalitatis & eleemoſynæ, ſicut mea intereſt, adminiſtrare non poſſem. Nunc autem res ipſas, quantulæ erant, paſſim inimici diripiunt. Additur his malis incendium Eccleſiæ noſtræ. Quam cùm vnde reſtaurem, ſicut decet, non habeo, mihi quoque neceſſarios ſumptus indulgeri detrecto. His itaque & pluribus aliis difficultatibus circumuentus, quas vel pudoris lex vel breuitatis enumerare vetat, multa mecum agito: non vt ærumnas in hac vita euadere coner, quod eſt impoſſibile, ſed vt aliquo labore quamuis arduo valeam reſtaurandæ Eccleſiæ opem ferre. Huius verò conſultationis meæ finem tibi Domino meo reuelatum iri diſpoſui, cùm Deus dederit tui oportunitatem alloquij. Valete perenniter.

EPISTOLA XXXV.

Edit. 91. Cod. MS. 100.

SERENISSIMO *Regi Francorum* ROBERTO *Fulbertus humilis Carnotenſium Epiſcopus, quod decet & prodeſt.* GRATVLOR tibi, Domine mi, quòd fonte bonitatis, vt ſemper irriguus, negotium Dei mandaſti mihi tractare vt ex- C pedit. Talia denique te Regem præcipere decus eſt, ſubditóſque tibi capeſcere tutum. Sed illud miror, quòd Odonem Comitem in mea deliberatione vel poſuiſſe, vel poſiturum eſſe dixiſti; quid facere debeat de receptione Meldenſis Epiſcopi: cùm abhinc anno ferè dimidio nec ipſum viderim, nec de tali negotio legationem eius acceperim. Attamen ſi aſpirante Deo ad nos venire, & conſiliis meis adquieſcere voluerit, deſinet proculdubiò prædictam Eccleſiam lacerando diuinam vltionem in ſe prouocare, tuíſque ſacris ordinationibus contraire. Vale.

EPISTOLA XXXVI.

Edit 92. Cod MS. 42.

REGI *Sacerdos, Domino fidelis,* ROBERTO *Fulbertus.* VT vobis proximo Sabbato Turonis occurrerem, quia ſerò commonitorium accepi, non patui. Si quæ aliæ cauſæ ſunt, tacentur ad præſens, quia minus vos tacitæ quàm expoſitæ lædunt. Valete nunc & ſemper.

ROBERTVS.

A

EPISTOLA XXXVII.

Edit. 93. Cod. MS. 36.

EXCELLENTISSIMO *Regi, & charo Domino ſuo* ROBERTO, *Fulbertus Carnotenſium Epiſcopus curſum honeſti continuum ad beatitudinis finem.* INTER multas ſollicitudines meas, cura tui, Domine, me non mediocriter afficit. Cùm enim te prudenter agere accipio, lætor: ſin autem, triſtor & timeo. Audito igitur inter alia, quòd proxima ſolemnitate Natalis Domini conſilium habiturus ſis cum Principibus Regni de pace componenda, gaudeo. Sed audito quòd Aureliana ciuitas ſit incendio vaſtata, ſacrilegiis profanata, & inſuper excommunicatione damnata, nec pòſt reconciliata, miror, & paueo. Quanto enim dolore putas afficiendos eſſe Sacerdotes fideles tuos, qui ad honorificentiam Dei & tuam ipſo die congregandi ſunt: ſi in eo loco fuerint, vbi nec ipſis ſacrificare liceat, nec tibi ſacroſanctam Euchariſtiam abſolutè percipere? Abſit hoc à te, chariſſime Domine, vt tu in tanta ſolemnitate aut diuinis officiis careas, aut illicitè vel indignè, te ſciente, vſurpari permittas? Quod ideo te præmonere curaui, vt vel illum locum facias reconciliari, aut vbi melius ſit ſolemnitatem celebrare memineris. Velim autem ſuadere tibi, ſi poſſim, ne dimittas propter iram, quæ iuſtitiam Dei non operatur, quin Epiſcopo tuo treugam des, polliceare iuſtitiam, inſuper conductum præbeas, ſi
B velit, ad reconciliandas Eccleſias ſuas. Quod ſi detrectauerit, ipſe in periculo, tu nauigabis in portu. Ceterùm, quia tuis obſequiis me tunc adfuturum eſſe mandaſti, apud ſanctum Maximinum hoſpitari poſtulo. Quod nec Monachis quidem ipſius loci forè ingratum puto: vt ibi natalitia nocte celebratis vigiliis, ſequenti mane in tuum ſeruitium poſſim eſſe paratus. Vale ſemper, & proſperare in Domino.

EPISTOLA XXXVIII.

Edit. 94. Cod. MS. 26.

DILECTISSIMO *Domino ſuo Regi* ROBERTO, *Fulbertus humilis Epiſcopus, omnia decentia Regem.* DIGNVM eſt ſcire te negotia Regni tui. Nouerit ergo prudentia tua, quòd Guillelmus de Belliſſimo vltus perfidiam filij ſui, coniecit eum in carcerem; vnde non egredietur, vt ait, ſine conſilio noſtro. Mandat autem, ſe eſſe paratum ad facienda quæ mandaſtis per Hildradum Monachum. Ceterùm, vt à tuæ ſanctitatis præſentia me rediiſſe cognouit Comes ODO, qui tunc Turonis agebat, mandauit vt poſt duos dies Bleſis ſibi occurrerem, ad audiendum quid dicerent Legati Romanorum. Sed quoniam id mea parum intererat, valetudine quoque prohibente, non parui. Mandat autem, & obnixè precatur Maieſtatem tuam ipſe Comes, ne te properanter ingeras in ſuum nocumentum, ſed mittas ad eum Milonem de Caproſis, qui tibi referat verba Romanorum, & Guillelmi Ducis Aquitanorum, & ſua. Vale.

C

EPISTOLA XXXIX.

Edit. 95.

ROBERTVS *nutu Dei Francorum Rex, Gauzlino Præſuli Bituricenſium ſalutem.* VOLO vos ſcire animi mei motum qualiter ſe habet, vt fortè accidere ſolet, cum mens humana mouetur, ſi quid mirabile præter ſolitum inſperatè auditur. Dum ergo die Sabbati iam exhauſto ſederem ad cœnam, allata fuit mihi quædam Epiſtola à VVillelmo Comite, de quodam portento mirabili auditu, ſcilicet tribus diebus ante ſolemnitatem Ioannis Baptiſtæ in quibuſdam partibus Regni mei, videlicet in partibus Aquitaniæ iuxta plagam maritimam, pluiſſe de cœlo talis naturæ ſanguinem, vt cùm fortuitu cadebat ſuper carnem hominis, aut ſuper veſtimentum, aut ſuper petram, non poſſet auferri lauando. Si verò cadebat ſuper lignum, tum benè lauabatur. Si quidem per eandem Epiſtolam petiit à me idem Guillelmus Comes, vt ego requirerem à mei Regni ſapientibus, quid hoc portentum ſignificaret. Ego verò volo & precor, vt perquiratis in quibuſdam Hiſtoriis, ſi vnquam accidiſſet huius ſimile, & quod factum ſequeretur huius rei portentum. Mihique hoc eodem legato reſcribite quomodo acciderit, & in qua Hiſtoria inueni... it. Attamen deprecor, ne differatis ad reſcribendum mihi, quia tamdiu legatum huius portenti tenebo, donec mihi reſpondeatis. Valete.

ROBERTVS. A

EPISTOLA XL.

Bt.96. DOMINO *Regi Francorum excellentiſſimo* ROTBERTO *humilis Gauzlinus æterni Regis conſortium.* QVOD placuit vobis interrogare de prodigio quod accidit, hoc nobis ex Hiſtoriis aperrè patet. Quòd ſanguis ſuper gladium, aut ciuile bellum, aut gentem ſuper gentem exurgere portendit. Valerius Rufus in Libro Memorabilium, Capitulo quarto de Prodigiis, hæc refert: Gaio Volumnio, » Seruilio Sulpicio Conſulibus, in vrbe Roma initia motúſque bellorum ciuilium » hoc prodigium portendit. Carnis in modum nimbi diſſipatæ partes ceciderunt. » Quarum maiorem numerum præpetes diripuerunt aues, reliquum humi per ali- » quot dies neque odore retro, neque deformi aſpectu mutatum iacuit. In Sicilia » ſcuta duo ſanguinem ſudaſſe, etiam metentibus cruentas ſpicas in corbem ceci- » diſſe. Oppido Cerites aquas ſanguine mixtas fluxiſſe. Chronica Euſebij de pro- » digiis hoc refert: Valentiniano imperante, poſt Solis occaſum ab Aquilone cœ- » lum quaſi ignis aut ſanguis effectum eſt. Gentis Hunorum parte rupta, inruptio in Gallis ſequuta eſt. Item anno Leonis Imperatoris ſeptimo, medio Toloſæ ciuitatis ſanguis erupit de terra, & tota die fluxit, ſignificano dominationem Gothorum » ſublatam. Item Hiſtoria Longobardorum Libro III. Cap. VI. Tempore Theode- » berti Regis Francorum ſignum ſanguineum in cœlo apparuit, & quaſi haſtæ ſan- » guineæ. Eo tempore ipſe Theodebertus cum Lothario auunculo ſuo bellum ge- B » rens, eius exercitum vehementer afflixit. Item in eadem Hiſtoria: Temporibus Iuſtiniani in prouincia præcipuè Liguriæ maxima peſtilentia exorta eſt. Subitò enim apparebant quædam ſignacula per domos, oſtia, vaſa, vel veſtimenta. Quæ ſi quis voluiſſet abluere, magis magiſque apparebant. Poſt annum verò expletum, cœperunt naſci in inguinibus hominum vel in aliis debilitatioribus locis glandulæ in modum nucis ſeu dactili, quas mox ſequebatur febrium intolerabilis æſtus, ita vt in triduo homo extingueretur. Sin verò aliquis triduum tranſegiſſet, habebat ſpem viuendi. Erat autem vbique pauor, vbique luctus, vbique lachrymæ. Nam vt vulgi rumor habebat fugientis cladem vitæ, relinquebantur domus deſertæ habitatoribus, ſolis catulis domus ſeruantibus. Peculia ſola remanebant, in paſcuis nullo aſtāte paſtore. Cerneres pridem villas ſeu caſtra repleta agminibus hominum, poſtera die vniuerſis fugientibus cuncta eſſe in ſummo ſilentio. Fugiebāt filij, cadauera inſepulta parentum relinquētes. Parentes obliti pietatis in viſcera, natos relinquebant æſtuantes. Si quem fortè antiqua pietas perſtringebat, vt vellet ſepelire proximū, reſtabat ipſe inſepultus: & dum obſequebatur, perimebatur. Dum funeri obſequium præbebat, ipſius funus ſine obſequio manebat. Videres ſeculum in antiquum redactum ſilētium, nulla vox in rure, nullus ſibilus, nullæ inſidiæ beſtiarum in pecudibus, nulla damna in domeſticis volucribus. Sata tranſgreſſa metendi tempus intacta expectabant meſſorem. Vinea amiſſis foliis radiantibus vuis illæſa manebat, C hyeme propinquante. Nocturnis ſeu diurnis horis perſonabat turba bellantium, au- » diebatur à pluribus quaſi murmur exercitus. Nulla erant veſtigia cōmeantium, nullus cernebatur percuſſor: & tamen viſum oculorum ſuperabant cadauera mortuorum. Paſtoralia loca verſa fuerant in ſepulturam hominum, & habitacula humana facta fuerant confugia beſtiarum. Hæc de Hiſtoriis pauca prænotauimus. Quod verò cecidit ſuper petram, & ablui non poterat, videtur ſignificare Eccleſiam ſanctam; quæ ſuper petram, id eſt Chriſtum, fundata tribulationem paſſura ſit. Quod verò ſuper carnem hominis & veſtimentum eius cecidit, ablui poterat. Non incongruè accipitur per carnem populus, per veſtimentum ſubſtantia, quæ ad adiutorium huius vitæ nobis conceditur. Ligno etiam datur intelligi vitale lignum ſanctæ Crucis, & baptiſmum quo ſumus regenerati ad vitam. Lignum ad humorem aquæ vireſcit. Et quando Iudaïcus populus in eremo ſitiuit, & præ amaritudine aquas bibere non potuit: iubente Domino miſit Moyſes lignum in aquam, & conuerſa eſt amaritudo in dulcedinem, & refocillatus eſt populus. Arca enim Noe de lignis fabricata quid ſignificet non ignoratis. In quibus omnibus per lignum non niſi miſericordiam ſuam Dominus operatus eſt. Quia igitur de ligno ſanguis lauabatur, creditur quòd per pœnitentiam & eleemoſynam, & ceteros fructus miſericordiæ, qui intra ſinum matris Eccleſiæ exercentur, ſeueritas & indignatio iuſti

A Iudicis Dei, quæ merito peccatoribus debetur, & ad miſericordiam poſſit reflecti. ROBERTVS.
Miſericors eſt enim Dominus adeò ſicut Pſalmiſta loquitur, *vt non ſolùm homines, ſed etiam iumenta ſaluet.* Omnipotens Deus dilatet Imperium veſtrum, & dextera vos ſemper protegat, & ad pacem ſanctæ Eccleſiæ vitam vobis longæuam tribuat, & ſua vos benedictione in omnibus exornet.

EPISTOLA XLI.

PIO *Regi* ROBERTO *Fulbertus humilis Epiſcopus omnia fidelia.* SACRA Cod. MS. 11.
veſtra monitus ſum inquirere feſtinanter, & ſcribere vobis, ſi qua Hiſtoria ſanguinem pluiſſe referat, & ſi factum fuit, quid futurum portenderit. Liuium, Valerium, Oroſium, & plures alios huius rei relatores inueni, de quibus ad præſens ſolum Gregorium Turonenſem Epiſcopum teſtem eſſe productum ſufficiat, propter auctoritatem religionis ſuæ. Ait ergo Gregorius idem in ſexto Lib. Hiſtoriarum, Cap. XIV. Anno igitur VII. Childeberti Regis, qui erat Chilperici & Guntrani XXI. menſe Ianuario, pluuiæ, coruſcationes, atque tonitrua grauia fuerunt. Flores in arboribus oſtenſi ſunt. Stella, quam cometem ſuperiùs nominaui, apparuit, vt in circuitu eius magna nigredo eſſet, & illa tanquam ſi intra foramen aliquod poſita, ita inter tenebras relucebat ſcintillans, ſpargénſque comas. Prodibat autem ex ea radius miræ magnitudinis, qui tanquam fumus magnus incendij apparebat à longè. Viſa eſt autem ad partem Occidentis in hora noctis prima. In die autem ſancto Paſchæ apud Sueſſionis ciuitatem cœlum ardere viſum eſt; ita vt duo apparerent incendia: & vnum erat maius, aliud verò minus. Poſt duarum verò horarum ſpatium coniuncta ſunt ſimul, factáque in farum magnum euanuerunt. In Pariſiaco verò termino verus ſanguis ex nube defluxit, & ſuper veſtimenta multorum hominum cecidit, & ita tabe maculauit, vt ipſi propria indumenta horrentes abnuerent. Tribus enim locis in termino ciuitatis illius hoc prodigium apparuit. In Siluanectenſi verò territorio hominis cuiuſdam domus, cùm ille mane ſurgeret, ſanguine reſperſa abintus apparuit. Magna autem eo anno lues in populo fuit. Valitudines verò variæ: melinæ, cum puſtulis & veſicis, multum populum affecerunt morte. Multi tamen adhibentes ſtudium euaſerunt. Audiuimus autem eo anno in Narbonenſem vrbem inguinarium morbum grauiter deſæuiſſe, ita vt nullum eſſet ſpatium vitæ, cùm homo correptus fuiſſet ab eo. Hactenus Gregorius Turonenſis. Liquet igitur ex hac & ex ſuprà memoratorum Hiſtoriis, quòd pluuia ſanguinis publicam ſtragem futuram eſſe portendat. Quòd autem nuper huiuſmodi cruorem in quadam parte Regni veſtri pluiſſe audiſtis, & quòd ille cruor vbi ſupra petram, vel ſuper carnem hominis ceciderat, ablui non poterat, vbi autem ſuper lignum ceciderat, facilè abluebatur: per hoc tria hominum genera ſignificata eſſe videntur. Per lapidem impij, per carnem fornicarij, per lignum verò, quod neque durum eſt vt lapis, neque molle vt caro, illi qui neque impij ſunt neque fornicarij. Cùm ergo venerit ſuper illam gentem, cui portenditur, gladius, ſiue peſtilentia deſignata per ſanguinem; ſi antea duri & molles non fuerint mutati in melius, morientur perpetualiter in ſanguine ſuo. Medij verò per anguſtiam mortis vel aliter poterunt liberari pro arbitrio ſecretiſſimi atque præſtantiſſimi Iudicis. Vale, piiſſime Rex.

(B and C margin letters appear beside the lines beginning "parebat à longè" and "durum eſt vt lapis".)

EPISTOLA XLII.

DOMINO *ſuo Regi* ROBERTO *Comes Odo.* PAVCA tibi, Domine, dicere volo, ſi audire digneris. Comes Richardus tuus fidelis monuit me venire ad iuſtitiam, aut concordiam, de querelis quas habebat contra me. Ego verò miſi cauſam hanc totam in manu ipſius. Tum ille ex conſenſu tuo conſtituit mihi placitum, quando, & vbi hoc perfici poſſet. Sed inſtante termino cùm ad hoc peragendum paratus eſſem, mandauit mihi ne me fatigarem ad condictum placitum veniendo: quia non erat tibi cordi aliam iuſtificationem ſiue concordiam recipere, niſi hoc tantùm vt faceres mihi defendere quòd non eſſem dignus vllum beneficium tenere de te. Nec ſibi competere dicebat, vt me ad tale iudicium exhiberet ſine conuentu Parium ſuorum. Hæc cauſa eſt cur tibi ad placitum non occurri. Sed de te, Domine mi, valde miror, qui me tam præproperè cauſâ indiſcuſſa tuo Edit 96. Cod. MS. 47.

ROBERTVS. beneficio iudicabas indignum. Nam ſi reſpiciatur ad conditionem generis, daret Dei gratia quod hereditabilis ſim. Si ad qualitatem beneficij quod mihi dediſti, conſtat quia non eſt de tuo fiſco, ſed de his quæ mihi per tuam gratiam ex maioribus meis hereditario iure contingunt. Si ad ſeruitij meritum, ipſe profectò noſti, donec tuam gratiam habui, quomodo tibi ſeruierim domi, & militiæ, & peregrè. At poſtquam tuam gratiam auertiſti à me, & honorem quem dederas mihi tollere niſus es, ſi me & honorem meum defendendo aliqua tibi ingrata commiſi, feci hoc laceſſitus iniuriis, & neceſſitate coactus. Quomodo enim dimittere poſſum, & non defendam honorem meum? Deum & animam meam teſtor, quòd magis eligerem honoratus mori, quàm viuere dishonoratus. At ſi me dishonorare velle deſiſtas, nihil in mundo eſt quod magis quàm gratiam tuam vel habere, vel promereri deſiderem. Diſcordia enim tua mihi quidem moleſtiſſima eſt, ſed & tibi, mi Domine, tollit officij tui radicem, & fructum. iuſtitiam loquor & pacem. Vnde ſuppliciter exoro clementiam illam, quæ tibi naturaliter adeſt, ſi maligno conſilio non tollatur; vt iam tandem à perſecutione mea deſiſtas, méque tibi ſiue per domeſticos tuos, ſeu per manus Principum reconciliari permittas. Vale. A

EPISTOLA XLIII.

Edit. 98. Cod. MS. 90.

NOBILI *Comiti S. Fulbertus Dei gratiâ Carnotenſium Epiſcopus, fideles orationes.* SI in eligendo veſtræ ciuitatis Epiſcopo regulariter ageretis, ſuffragium noſtræ humilitatis non deforet iuxta modum rationis. Nunc autem Palatinus aut publicus rumor eſt, quòd ille Clericus, quem eligere vultis, fauorem veſtrum ſit aucupatus promiſſionum ſibilis, & pecuniæ viſco. Dicunt etiam quòd ſine iuſſu Regis & conſenſu Epiſcoporum comprouincialium, ædes & rem Epiſcopalem inuaſerit. Quæ ſi ſunt vera, non ſunt regularia: nec me vel vobis, vel aliis contra ius & fas opitulari oportet. Valete. B

EPISTOLA XLIV.

Edit 99. Cod MS. 97.

FVLBERTVS *Carnotenſium humilis Epiſcopus* FVLCONI *Comiti ſalutem.* DOLEO ſuper te, nobilis homo, cùm audio te errare & periclitari. Errare dico, quòd cùm debeas Deum timere, Sanctos honorare, Eccleſiam defendere; contemnis Deum, Sanctos inhonoras, res Eccleſiæ inuadis & aufers. Periclitari, quoniam qui talia agunt, non habent partem in regno Dei. Propter hæc peccata monuit Archiepiſcopus Turonenſis omnes Epiſcopos noſtros, & inter alios me puſillum, vt te excommunicaremus. Sed ego cenſui pium eſſe, vt te priùs monerem: & deprecor, vt habeas miſericordiam de anima tua, placans Deum. Iam enim prope eſt tuus finis. Feſtina igitur quæſo reconciliari Chriſto Saluatori noſtro, quia non eſt ſalus homini, niſi per ipſum. Teneo in memoria verbum hoc. Qui C confitendo & pœnitendo finem facit peccatis ſuis, antequam moriatur, finem habebit in altero ſeculo pœna ipſius: & qui peccatis mortalibus pœnitendo non facit finem, pœna ipſius erit ſine fine. Euigila igitur propter temetipſum, ſicut homo in proximo moriturus: & reconciliare Chriſto, ne moriaris Apoſtolica auctoritate damnatus. Vale, & remanda mihi velociter atque veraciter voluntatem tuam.

EPISTOLA XLV.

Edit. 100.

FVLBERTVS *Dei gratiâ Carnotenſium Epiſcopus Comiti* FVLCONI *commonitorium ſalutis.* IAM horrendo facinore præſentiam Domini Regis tui dedecorauere ſatellites, vt mundani iudices aſſerant capitale te quoque reum Maieſtatis, qui eis poſtea patrocinium tuum & receptacula præbuiſti. Proinde rogabatur à multis, vt die ſacro Pentecoſtes & te & illos excommunicaremus. Sed nos tuæ prouidentes ſaluti, trium hebdomadarum ab ipſo die petiuimus inducias; vt literis te conuenire poſſemus. Talem etiam à Rege conditionem impetrauimus, ſi veneris in iudicium: vt non ſuper vitas aut ſuper membra, ſed ſuper facultates vltio reflectatur. Vnde te commonemus, vt ante præſcriptum terminum auctores tanti ſceleris aut in iudicium adducas, aut propter honorem Regis repudies. Te-

A metipſum deinde, ſicut per Abbatem ſancti Albini promiſiſti, expurges, & humili ROBERTVS.
ſatisfactione Regis animum places. Quòd ſi reos ipſos nec ad iuſtitiam ducere, nec propter Seniorem tuum repudiare volueris, Chriſtianam communionem nobiſcum vlteriùs non habebis. Vigila ergo ſicut pro temetipſo, & quid habeas animi citò mihi temanda. Optimam partem conſilij det tibi Deus eligere.

EPISTOLA XLV.

GLORIOSISSIMO *Duci Aquitanorum* GVILLELMO *Fulbertus Epiſcopus orationis ſuffragium.* DE forma fidelitatis aliquid ſcribere monitus, hæc vobis quæ ſequuntur breuiter ex Librorum auctoritate notaui. Qui Domino ſuo fidelitatem iurat, iſta ſex in memoria ſemper habere debet. Incolume, tutum, honeſtum, vtile, facile, poſſibile. Incolume, videlicet ne ſit Domino in damnum de corpore ſuo. Tutum, ne ſit ei in damnum de ſecreto ſuo, vel de munitionibus per quas tutus eſſe poteſt. Honeſtum, ne ſit ei in damnum de ſua iuſtitia, vel de aliis cauſis quæ ad honeſtatem eius pertinere videntur. Vtile, ne ſit ei in damnum de ſuis poſſeſſionibus. Facile vel poſſibile, ne id bonum quod Dominus ſuus leuiter facere poterat, faciat ei difficile: néve id quod poſſibile erat reddat ei impoſſibile. Vt autem fidelis hæc nocumenta caueat, iuſtum eſt, ſed non ideò caſamentum meretur. Non enim ſufficit abſtinere à malo, niſi fiat quod bonum eſt. Reſtat ergo vt
B in eiſdem ſex ſupradictis conſilium & auxilium Domino ſuo fideliter præſtet, ſi beneficio dignus videri vult, & ſaluus eſſe de fidelitate quam iurauit. Dominus quoque fideli ſuo in his omnibus vicem reddere debet. Quod ſi non fecerit, meritò cenſebitur malefidus: ſicut ille ſi in eorum præuaricatione vel faciendo vel conſentiendo deprehenſus fuerit, perfidus & periurus. Scripſiſſem vobis latius, ſi occupatus non eſſem cum aliis multis, tum etiam reſtauratione ciuitatis & Eccleſiæ noſtræ, quæ tota nuper horrendo incendio conflagrauit. Quo damno etſi aliquantiſper non moueri non poſſumus, ſpe tamen diuini atque veſtri ſolatij reſpiramus.

Edit. 101. Cod. MS. 88.

EPISTOLA XLVI.

CLARISSIMO *Duci Aquitanorum* GVILLELMO, *Fulbertus Epiſcopus vtile & honeſtum.* GAVDEREM, dilectiſſime Princeps, ad dedicationem veſtram deuotus occurrere, niſi me Eccleſiæ noſtræ nullomodo negligenda neceſſitas detineret. Gratia namque Dei cum adiutorio veſtro criptas noſtras peruoluimus, eáſque priuſquam hiemalis inclementia lædat, cooperire ſatagimus. Volo autem vos ſcire, quòd Literæ, quas priores Epiſcopo Azelino miſiſtis, Regi relatæ ſunt: qui etiam valde contriſtatus eſt de ſua vilitate, quam ibi ſcriptam inuenit. Feciſſétque Bituricenſis Epiſcopus iuxta conſilium noſtrum, vt ait, de Lemouicenſi
C Epiſcopo, niſi eum regulariter iræ formido detineret. Sed quia Rex proximo rugitu, vt dicitur, venire habet in ſyluam Legium, quæ vicina eſt (vt ſcitis) Monaſterio ſancti Benedicti, ego quoque Deo fauente illuc ire diſpoſui: ſciturus quales inueniam erga vos, & Regem, & Archiepiſcopum, vel quales reddere poſſim. Et quod interim effecero, aut ipſe vobis referam, aut Literis innoteſcam. Vale feliciter.

Edit. 102.

EPISTOLA XLVII.

DILECTISSIMO *ſempérque diligendo Domino & Duci Aquitanorum* GVILLELMO, *Fulbertus Carnotenſium humilis Epiſcopus, in hac vita ſe & ſua omnia, in altera gaudia ſempiterna.* DOLEO, vir optime, quòd nuper in conuentu Regio atque noſtro loquendi tecum oportunitatem non habui, non de ſeculari negotio, ſed de loco ſancti Patris Hilarij; cuius rectores nos eſſe bonitas tua voluit, ſed huius temporis malitia non permittit. Mando itaque tibi, & precor abſens id quod tunc præſens intimare volebam. Videlicet vt ſecundum beneplacitum cordis tui conſtituas tibi alium Theſaurarium & Capicìarium de bonis Clericis qui ſunt in tua vicinia, quos via longa & periculoſa non diſturbet ab officio, ſicut me & meos hactenus diſturbauit. Nec me putet obſecro ita prauum, vt propter hoc tibi videar minus eſſe fidelis. Agnoſco enim me perpetuum debitorem eſſe fidelitatis

Edit. 103. Cod. MS 90.

ROBERTVS. animæ tuæ & corpori, propter benignitatem quam mihi immerito exhibuiſti. Vnde certò ſcias, quia ſi tibi & populo tuo mei miniſterij neceſſitas immineret, & hoc mihi mandare dignum duceres, ſubuenirem tibi Deo duce, ſi non poſſem aliter, vel in habitu pauperis peregrini. Precor autem bonitatem tuam, vt domno Raimoni reuelare digneris damnum quod pertulit in ſeruitio noſtro. Vale nunc & ſemper, piiſſime, atque benigniſſime. Ego verò nunquam obliuiſcar te. A

EPISTOLA XLVIII.

Edit. 104. Cod. MS. 57.

NOBILISSIMO *ac piiſſimo Duci Aquitanorum* GVILLELMO, *Fulbertus Dei gratiâ Carnotenſium Epiſcopus ſalutem & orationum fideliâ.* VESTRAM, optime Princeps, erga me beneuolentiam expertus ſum, cunctis amicorum meorum beneuolentiis affectu mihi dulciorem, effectu quoque vtiliorem. Nam alij quidem amici mei vix parem aliquando meritis meis vicem rependunt. Vobis autem me licèt immerentem gratuitis beneficiis accumulare mirâ charitatis abundantiâ placet. Iam ferè tertio anno præterito quòd ſic agitis, erubeſcerem munera veſtra gratis ſuſcepiſſe. Incertus eſſem Dominum Ieſum Chriſtum, & ſanctam Mariam genitricem eius, in cuius officio expenſa ſunt, mercedem vobis reddituros. Præterea non defuit mihi animus vos adeundi, & in veſtra regione vobis obſequendi. Sed multæ cauſæ difficultatis obſtiterunt. Ob quod gerendum pro certo noueritis, cuncta me difficilia poſtpoſiturum, ſi quoquomodo fuerit poſſibile. B Hoc dicens, releuare cupio mirabilem affectus veſtri erga me dulcedinem, in cuius literis nuper legi, quòd gauderetis me ſuperſtitem eſſe in regionibus noſtris, quaſi ſperantes vnquam in veſtris me videre. Vnde auctori totius boni ſupplico, vt & vos in hac vita longum tempus ſupereſſe faciat, & me vobiſcum ſuperſtitem adhuc beato Hilario vobiſque deſeruire concedat. Fratrem Hildegatium, veſtrum & noſtrum fidelem, rogaſtis nos vobis remittere: ſed deplorat, quaſi iam diu noſtri pectoris mamillas non ſuxerit. Quibus aliquandiu refici ſerenitatem veſtram humiliter poſtulat, vt aſpiratione dulciori vobis ac veſtris poſtmodum complaceat. Valeatis feliciter cum omnibus veſtris.

EPISTOLA XLIX.

Edit. 105. Cod. MS. 58.

DILECTISSIMO *Domino ſuo* ROBERTO *Regi, ac Reginæ* CONSTANTIÆ, *vtinam in Domino conſtantiſſimæ, Fulbertus humilis Carnotenſium Epiſcopus fidelitatis obſequium, & orationum ſuffragia quantum ſcit ac poteſt.* COGNITA per nuncium veſtrum alacritate veſtra, gaudio magno repleti ſumus, Deo gratias agentes. Vobis enim incolumibus, nos beneualituros per Dei gratiam & veſtram ſperamus. Quoniam autem placuit bonitati veſtræ conſulere nos ſuper habitu noſtro, ſcribimus vobis multis nos ad præſens incommodis vrgeri, quæ nobis infert Gaufridus Vicecomes de Caſtrodunenſi. Refecit enim ante Natale Domini caſtellum de Galardone, quod olim deſtruxiſtis. Et ecce tertia die poſt Epiphaniam Domini cœpit facere alterum caſtellum apud Iſleras intra villas ſanctæ Mariæ. Vnde legatos noſtros miſimus ad filium veſtrum Regem HENRICVM, & Odonem Comitem: incerti vtrum illorum aſſenſu tanta mala præſumpſerit. Aliter enim hæc illum aggredi vix opinabile eſt. Sed ſi illi nos in tantis aduerſitatibus non adiuuerint, ad vos poſt Deum reſpicimus, vt per vos ab huiuſmodi oppreſſione liberemur. Dolemus autem vos ita nunc in aliis partibus occupatos, vt veſtro ſuccurſu de præſenti reſpirare nequeamus. Quod ſi citò nobis à filio veſtro ſubuentum non fuerit, communi noſtrorum conſilio diuinum officium deſiturum in toto Epiſcopatu noſtro noueritis. Si Comes Odo apud vos eſt, monete illum vt ſubueniat nobis propter Deum & fidelitatem veſtram. Valete. C

EPISTOLA L.

Edit. 106. Cod. MS. 114.

DILECTISSIMO *Domino ſuo Fulberto Epiſcopo, H. eius fidelis iuxta Domini præceptum ſerpentinam prudentiam columbina ſimplicitate præditam.* QVOD tuo, beatiſſime Pater, aliorúmque multorum relatu perceperam, id ipſum nuper

A domno Berardo Sueſſionis Epiſcopò referente cognoui. Scilicet incurriſſe te grauiſſimum Reginæ odium, fauentem potiùs marito ſuo, de conſtituendo Rege maiore filio, quem dicunt ſimulatorem eſſe, ſegnem, mollem, in negligendo iure patriſſaturum: fratri ſuo iuniori artribuentes his contraria. Te quoque plurimi Coëpiſcoporum mordent clanculum, vel ab eis ac ceteris quaſi quintum malleum à quatuor Pythagoricis pro hac cauſa diſſonantem. Vnde quantum ex verbis ſupradicti Præſulis aduerti, ſententiam Coëpiſcoporum tuorum Francigenarum ſuper hoc agendum negotium intimare tibi non me piguit: vt ſi fortè ſanior eſt, ei ne refrageris, & à periculo tibi caueas. Eſt autem hæc eorum ad componendam vtrinque litem ſententia, patre viuente nullum Regem ſibi creari. Quòd ſi acriùs inſtiterint in vita patris hoc fieri, quem meliorem ſenſerit, ad Regem debere ſublimari. Videas, Pater prudentiſſime, ne ſis plus æquo iuſtus, nec à ſanctis conſacerdotibus tuis perperam diſſideas. Robertvs.

Inſani nomen ſanus feret, æquus iniqui,
Vltrà quàm ſatis eſt, virtutem ſi petat ipſam.
Inuidiam nimio cultu vitare memento,
Quæ ſi non lædit, tamen hanc ſufferre moleſtum eſt.

Adſit tibi in omnibus magni conſilij Angelus. Mihi quoque tribuat videre faciem tuam deſideratiſſimam. Si quid fortè inſolenti ſuſurro tecum ago, facilem quæſò apud te veniæ locum obtineam: cùm magis ex prompta fidelitate, quàm improba
B temeritate peccauerim. Vale.

EPISTOLA LI.

CERTVM eſt omnibus qui fundamenta Catholicæ puritatis nouerunt, totius Eccleſiæ ſoliditatem in pace conſiſtere, & ſignum Chriſti diſcipulatus in dilectione. Nam ſicut in Euangelio Dominum dixiſſe legimus; *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis.* Et iterum, *In hoc cognoſcent omnia quia mei eſtis diſcipuli, ſi dilectionem habueritis ad inuicem.* Liquet ergo neminem fore Chriſti diſcipulum, niſi ſigno dilectionis ac pacis fuerit inſignitus. Hoc verò ſignaculum non adipiſcitur, niſi ab iis in quibus fuerit vnitas voluntatum. Vnitas autem voluntatum inueniri non poteſt, niſi in his qui ſuum velle & nolle in vnius propoſiti iudicio conſtituunt. Vnde & auctor pacis nullum ordinem in Eccleſia ſine Prælati regimine relinquens, pro certo inſinuat, nulla alia ratione fragilitatem humanæ labilitatis ad vnitatem ſpiritus poſſe redigi, ſiue in pace conſeruari. Quare nos pauci Fratres in Cœnobio, cui Cella-Boboni nomen, & Deo pro poſſe famulantes, quia vinculum pacis & ſignaculum Chriſtianæ diſciplinæ dilectionem per vnitatem cordis vel animæ poſſidere cupimus, poſt obitum domni Varini Abbatis viri religioſi elegimus Fratrem quemdam morum probitate ornatum Bernardum, quem nobis
C vice Patris præeſſe volumus: & in definitione eius ſententiarum noſtrarum vniri diuerſitatem, ne diuerſa ſentientes, à Chriſti doctrina inueniamur extranei. Facta eſt autem electio illa conſilio atque auctoritate domni Abbatis Maioris-Monaſterij poſt exceſſum glorioſi Principis ODONIS, à quo huius rei curam ſuſceperat. Qui hoc in Conuentu Monachorum ritu celebri peracto, obtulit etiam Fratrem prædictum nobiliſſimæ H. Comitiſſæ, ſub cuius ditione locus ipſe conſiſtit, & STEPHANO Comiti eius filio, à quibus donum rerum temporalium ad idem pertinentium Cœnobium ſuſcepit. Dehinc verò ſtatuit eum venerabili Mainardo Trecaſſinorum Præſuli, cuius Eccleſiaſtica poteſtate electionem huiuſmodi corroborari oportuit, atque ab ipſo animarum curam ſuſcipi, necnon Abbatis benedictionem ſecundùm inſtitutionem Patrum celebrari. Quod ipſe benigniſſimè annuit, & omnia prout mos expoſtulat Eccleſiaſticus, vtpote vir prudentiſſimus, atque eruditione clarus, compleuit.

Edit. 107. Cod. MS. inter 102. & 101. ſine numero.

EPISTOLA LII.

DOMINO *Ariberto ſancto ac venerabili Abbati*, GVILLELMVS *Dei gratiâ Dux Aquitaniæ proſpera cuncta.* CHARITATEM veſtram iam ſecundò interpellaui, vt mitteretis ad Carroficum Monaſterium quoſdam ex Monachis ve-

Edit. 117. Cod. MS. 115.

ROBERTVS. ſtris, qui eſſent feruentes in obſeruanda Regula ſancti Benedicti, quorum ſancta A
conuerſatio Fratribus ipſius loci bonum præberet exemplum, & eorum Abbatem faſce regiminis leuaret. Quoniam verò petitioni meæ nondum adquieuiſtis, nunc quoque tertiò ad oſtium veſtræ charitatis pulſo, inſtar illius Euangelici petitoris amicum obnixè rogantis: vt ſi non propter amicitiam, ſaltem propter improbitatem meam accommodetis mihi quotquot habeo neceſſarios. Obſecto igitur vos in nomine ſanctæ Trinitatis, quæ Deus vnus eſt, vt vel decem Fratres ex Collegio veſtri angelici Ordinis mihi tranſmittatis: memores tandem illius Apoſtolici dicti, *Alter alterius onera portate, & ſic adimplebitis legem Chriſti.* Valete cum omnibus veſtris.

EPISTOLA LIII.

Edit. 118. Cod. MS. 116.

SANCTO *& venerabili Andegauenſium Epiſcopo N. Iſembertus humilis Pictauorum Sacerdos ſuffragium orationis & fidelitatis obſequium.* CVM mihi conſtans dilectionis veſtræ ſit habitus, eò magis gauderem, Præſul optime, quo vobis ſæpiùs placitura facerem. Nouerit ergo ſerenitas veſtra, quòd libentiſſimè venirem ad precioſiſſimam dedicationis templi veſtri ſolemnitatem, niſi detinetet me cauſa eiuſmodi. Domnus noſter GVILLELMVS Comes habito conſilio cum Italis præcepit mihi, & domnis meis Iſloni atque Rohos Coëpiſcopis, ſua quædam ſeria procurare, quæ nullatenus ſunt nobis poſtponenda. Hac de cauſa, quia charitatem veſtram inuitatus adire nequeo, non paruus animum meum occupauit ægritudinis affectus. Sed hoc conſolor, quia ſpero me per Dei gratiam aliàs officiis veſtris alacriter affuturum. Valete coram Deo in ſanitate condigna. B

EPISTOLA LIV.

Edit. 119. Cod MS. 117.

GVILLELMVS *Dei gratiâ Dux Aquitaniæ, domno Leoni Vercellenſium Epiſcopo ſalutem.* ITALI ſuaſerunt mihi, & filio meo, nos intromittere de Regno Italiæ: facientes nobis ſacramentum & ipſius Regni & Romani Imperij acquirendi, per rectam fidem, quantum potuerunt. Vnde mando vobis, & precor veſtram gratiam, vt adiuuetis nos de hac cauſa ſicut melius ſcitis & poteſtis. Modò pateat, ſi verum eſt quod ſemper mihi dixiſtis, vos amicum meum eſſe, & rerum mearum curam habiturum, ſi opus eſſet. Hoc ſcitote, quia ſi noſtris partibus faueritis, nunquam vidiſtis tam bonos dies, quàm illos, quibus nos in illum honorem mittetis. Nam omnia noſtra proculdubiò veſtra erunt. Remandate mihi, quàm benè poſſum confidere in amore veſtro & adiutorio. Valete.

EPISTOLA LV.

Edit. 15. Cod. MS. 118.

DOMINO *ſuo Regi* ROBERTO *Fulco Andegauorum Comes ſalutem & fidele ſeruitium.* GVILLELMVS Pictauorum Comes herus meus loquutus eſt mihi nuper, dicens, quòd poſtquam Itali diſceſſerunt à vobis, diffiſi, quòd vos Regem haberent, petierunt filium ſuum ad Regem. Quibus ille inuitus coactúſque reſpondit, tandem acquieſcere ſe voluntati eorum, ſi conſentirent illis cuncti Marchiones Italiæ & Epiſcopi, ac ceteri meliores. Illi promiſerunt, quòd recta fide facerent illos conſentire, ſi poſſent. Nunc ergo mandat vobis, poſtulans ſuppliciter gratiam veſtram, vt detineatis homines de Lotharingia, & FREDERICVM Ducem, atque alios quos poteritis, ne concordent cum Rege Cono, inflectendo eos quantum quiueritis ad auxilium eius. Dabit vobis pro hoc negotio mille libras denariorum, & centum pallia: & dominæ Reginæ CONSTANTIÆ quingentas libras nummorum. Orat vos, vt ipſe eam ſalutetis, & filium veſtrum Regem ex parte ſua, & ego precor ſignificari litteris, aut nuntiis, quid animi vobis ſit ſuper hoc quod ipſe vos rogat, vt renuntiem illi. Vale. C

EPISTOLA LVI.

Edit. 120. Cod. MS. 119.

DOMINO *ſuo chariſſimo Fulberto Præſuli H. omnium expetendorum ſummam.* QVOD ante vindemias non reuiſo vos, Pater dilectiſſime, fratris B. morbus detinet,

A detinet, cùm oportunum fuerit, annuente Deo, libentiſſimè id acturum. Scripto vestro interim quæſo mihi innoteſcere, quomodo vos agatis, & qualiter condiſcipuli mei ſe gerant in ſcholis, & an melius ſolito celebrent Canonicas Horas. Mitto vobis vnum ex duobus libellis, quos amicus noſter Comes G. rogauit tranſcribi. Immiſſum cuidam hunc librum in arca mea celabat obliuio, putante me illum vobis eſſe delatum. Si vos vel veſtros in quærendo laborare feci, mea culpa. Salutate precor vice mea domnum meum Sigonem, & Hilduinum: priorem animum meum, & alterum animæ meæ dimidium. Ceteri veſtri omnes ſalui ſunt in Chriſto, ſumma omnium ſalute vos protegente. Amen. ROBERTVS.

EPISTOLA LVII.

QVEM *ingiter in præcordiis animæ ſuæ fouet Domino & Patri ſuo F. Her. perpetuo vigere.* DVX noſter GVILLELMVS vobis amiciſſimus profecturus eſt in Italiam die Iouis proximè venturo, ſciſcitari de cauſa filij ſui, ſi cum honore & incolumitate ſua fieri quear. Itali enim elegerunt eum ſibi ad Regem, facientes ei ſacramentum, & Italiæ Regnum concedendi, & Romanum Imperium acquirendi per rectam fidem, quantum poſſunt. Hac de cauſa præceſſurus eſt prudens pater filium, quem ſuprà dixi, cum ipſis deliberaturus. Nunc ergo prudentiæ veſtræ Edit. 125. Cod. MS. 122.
B eſt decernere, vtrum ad nos illo abſente veniatis iuxta condictum. Si veneritis, victualia vobis Deo largiente non deerunt. Vnde quodlibet vobis placuerit, Literis mihi rogo ſignificari. Interim & ſemper cum omnibus veſtris beneualeatis, Sanctiſſime Pater, vitæ nobis dulcedo pariter & gloria. Si tranſieritis Bituricas, cum Odone de Dolis amicè loquimini. Inueni eum in Romano itinere prudentem virum; & ſpero vobis obſequentiſſimum fore, ſi quid obſequij vultis ab eo. Eſt etiam Comiti noſtro G. ſatelles fideliſſimus & familiariſſimus. Fulco Comes appellatus à Comite Guillelmo, ne vobis tecnam inter vias moliatur, reſpondit in vera fide, ſicut nobis viſum eſt, nullam ſe moliturum; velle etiam ſibi præmandari veſtrum aduentum, vt conducat vos per ſua. Proſperum iter faciat vobis Deus ſalutarium noſtrorum.

EPISTOLA LVIII.

MAGINFREDO *Marchioni clariſſimo & vxori ſuæ B: prudentiſſimæ,* GVILLELMVS *Dei gratiâ Dux Aquitanorum in perpetuum vigere.* QVOD cœptum eſt de filio meo, non videtur mihi ratum fore, nec vtile, nec honeſtum. Gens enim veſtra infida eſt, inſidiæ graues contra nos orientur. Si eas vel cauere vel ſuperare non poſſumus, Regnum nobis minimè proderit, fama noſtra periclitabitur. In noſtris etiam partibus diuerſi diuerſa iam inceptant, nouis rebus animati, quibus nos Edit. 124. Cod. MS. 123.
C ad præſens intentos vident, & in futuro artiùs occupati putant. Quæ fieri, nec poſſe reprimi, nobis aliàs intentis, vos ipſi turpe & inutile decernitis. Quocirca per fidem & amicitiam quæ inter nos eſt obſecramus, vos operam dare qualiter abſque noſtro & veſtro dedecore ab incœpto deſiſtatur: cauentes ne filius meus, vel quilibet alius hoc reſciſcat, donec inuicem ſecretò loquamur. Quod ſi Deo diſponente non dimittitur quin fiat, curate vt conſenſu Archiepiſcopi Mediol. & Epiſcopi Vercellenſis, & aliorum quorum intereſt, effectum obtineat. Vale.

EPISTOLA LIX.

DOMINO GVILLELMO *Duci, frater Leo ſeruitium.* NE triſteris, amice chariſſime, ſi Longobardi te deceperunt. Ego certè optimum tibi dabo conſilium, ſi mihi credere volueris. Eſto vir fortis, & de præteritis ne cures, de futuris caueas. Per tuum fideliſſimum hominem mihi manda, quid velis facere: & ego optimum tibi dabo conſilium. Mitte mihi mulam mirabilem, & frenum precioſum, & tapetum mirabile, pro quo te rogaui ante ſex annos. Amen dico tibi, non perdes mercedem tuam, & quicquid volueris dabo tibi. Vale. Edit. 125. Cod. MS. 124.

ROBERTVS.

EPISTOLA LX. A

Edit. 126. Cod. MS. 181.

DOMNO *Leoni Vercellenſium Epiſcopo*, GVILLELMVS *Pictauenſis amicus eius clariſſimus ſalutem & ſeruitium.* MINIME triſtor, chariſſime, ſuper
Longobardorum deceptione. Non enim deceperunt me, qui nequaquam habuiſ-
ſem fidem promiſſis eorum. De præteritis eorum fallaciis ego non curo, de futuris
per Dei gratiam mihi cauebo. Non parum autem miror de te, qui & multam præ-
teritorum habes memoriam, & non minùs futurorum iactatis habere prouiden-
tiam, quòd illius CVNONIS partibus conſenſiſti, qui nec in ſua terra aliquid ti-
bi vnquam donauit, neque poſſe donare fertur, nec aliquid auferre in Regno Ita-
liæ. Sed quamuis in hac cauſa non benè tibimet conſuluiſſe videaris, & mihi ami-
cos meos probanti ſuffragium nullum præbueris, expectabo tamen illud optimum
conſilium, quod mihi te daturum promittis, ſi tibi credere voluero. Manda ergo
mihi per Literas, quomodo vis vt tibi credam, & quæ beneficia mihi prouenient
per tuum conſilium, ex dono illius CVNONIS, ſi Regnum Italiæ, quod mihi
promittitur, & quod adipiſci poſſem, Deo volente, ſi multum curarem, quærere
deſiero. Mulam quam rogaſti non poſſum ad præſens tibi mittere, quia non ha-
beo talem qualem ad opus tuum vellem, nec reperitur in noſtris partibus mula cor-
nuta, vel quæ tres caudas habeat, vel quinque pedes, vel alia huiuſmodi, vt con-
gruè poſſis dicere eam mirabilem. Mittam verò tibi quàm citiùs potero, vnam B
optimam ex melioribus quas reperire poſſim in noſtra patria, cum freno pretioſo.
Ceterùm tapetum tibi poſſem mittere, niſi fuiſſem oblitus quantæ longitudinis
& latitudinis tapetum iamdudum requiſiſti. Rememora ergo precor quàm longum
& latum eſſe velis, & mittetur tibi, ſi inuenire potuero. Sin autem, iubebo tibi fieri
quale volueris, ſi conſuetudo fuerit illud texi apud noſtrates. Nec pro his quæro
mercedem illam quam polliceris, vt dones mihi quæcunque voluero. quod fieri
non poteſt. Peto autem, vt etiam ſi nihil dedero tibi, memor ſis mei in orationibus
tuis, & ores pro me vt inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ, vt
videam voluntatem Domini, & protegar à templo ſancto eius. Et illud optimum
conſilium, quod mihi ſpondes, ne differas. Promiſſiones tuæ excitant me habere
in te multam fiduciam, quia meum eſt amico credere, & de promiſſis eius non diffi-
dere. Et meum eſt, aut nunquam promittere, aut promiſſa adimplere. Superiùs
ſermone noſtro luſimus tecum, domne Leo, frater chariſſime: nunc ſeria verba di-
cemus. Longobardos non arguo deceptionis, quam in me exercere vellent quan-
tum in ipſis fuit. Paratum erat mihi Regnum Italiæ, ſi vnum facere voluiſſem quod
nefas iudicaui: ſcilicet vt ex voluntate eorum Epiſcopos qui eſſent Italiæ depone-
rem, & alios rurſum illorum arbitrio eleuarem. Sed abſit à me rem huiuſmodi face-
re, vt Paſtores Eccleſiæ, quibus mei patres ſemper honorem exhibuerunt, & quos
ipſe quantum valui ſemper exaltaui, ſine crimine inhonorem. Sub hac conditio- C
ne vellent quidam primorum Italiæ me ſeu filium meum Regem facere. Non lau-
dauit mihi hanc vituperabilem conditionem prudens Marchio MEGINFRIDVS,
nec frater eius ALRICVS bonus Epiſcopus, quorum me ſaniſſimo plerumque
vti conſilio nunquam pœnituit. Quos ſupra omnes Italos præſtantioris ingenij, fi-
dei, bonitatis eſſe cenſeo. Si quid rerum mearum tibi pro certo placuerit, quod
mittere poſſim, aut debeam, non te fruſtrabitur ſpes tua. Æquam mihi quæſo re-
pende vicem, vt & ipſe votis meis imparem te non efficias. In proxima ventura
feſtiuitate ſanctæ Dei genitricis Mariæ Literas tuas opto videre, quibus animi tui
ſecreta amico tuo fidiſſimo pandantur. In Chriſto viuas, valeas, viuendo, va-
lendo.

EPISTOLA LXI.

Edit. 128. Cod. MS. 187.

DOMINO *Fulberto venerabili Carnotenſium Epiſcopo*, GVILLELMVS *Dei gratiâ Dux Aquitaniæ ſalutem & caras amicitias.* CVM primum ad nos Pictauium, Præſul optime, venire dignatus es, & noſtræ petitioni vt curam loci ſancti
Hilarij gereres acquieſcere, gaudium magnum fuit nobis. Sed huic gaudio multa
intercedit ægritudo, quòd ad nos redire diſſimulas. Vnde tuam precamur gra-
tiam, noli dimittere quin venias, ſi fieri poteſt, in octauis Pentecoſten. Sin autem,

A vel octo diebus ante natiuitatem ſancti Ioannis Baptiſtæ tutum iter paciſcimur tibi ambulanti cum Clericis & domeſticis tuis. Apud nos ſatis militum habebis. Si non manſeris nobiſcum plus quàm triduò, in ipſius temporis articulo plurimum nos recreabis. O ſi veniſſes in proximè præteritis Rogationibus, quantam nobis, & Epiſcopis noſtris, & Optimatibus conſolationem & lætitiam feciſſes: tempeſtiuè ſi velles Carnotum ad diem feſtum Pentecoſten reuerſurus, vel ſi te ſubducere velles, ne ires ad Curiam Domini Regis, ſatis honeſtam cauſam habiturus. Quem in præſenti adire dimitto, minores inimicitias me ſuſcepturum putans ob meam abſentiam, quàm ſi eſſem cum Domino Rege vel Regina, non conſenſurus in ordinando Rege abſque meo fratre ODONE Comite. Quem enim ipſe Regem fieri voluerit, ipſum & me velle pro certo noueritis. De eius cum Domino Rege concordia quicquid audieris, & vbi ſit, ſi noſti, peto reſcribere, & ſi noui Regis erit ſacratio, an non, & cuius. Vale. ROBERTVS.

EPISTOLA LXII.

DOMINO *R. venerando atque amabili Decano ſancti Hilarij, H. æternam ſalutem.* MVLTÆ vobis gratiæ referantur ex parte Dei, & domni mei Epiſcopi, & mea. Sicut dicitis, rem ſancti Hilarij benè cuſtodiſtis. Hinc profectò vos eius eſſe fidelem, & amicum noſtrum, quorum vicem exequi ſtudueritis, certiſſimè probatis. Quia verò nobis in præſenti vos adire non licet, de quibus nos interrogaſtis, ſignificate curauimus, vt XXXV. libras, & alias quas vobis dimiſi, in opus ſancti Hilarij per conſilium boni Ducis GVILLELMI expendatis, nullam mihi partem reſeruantes. Non enim poſſum me intromittere ampliùs de officio ſancti Hilarij, cùm etiam via ſit mihi dominóque meo Epiſcopo difficilis propter ſeculi malitiam quam noſtis: & ita ſanctæ Mariæ ſeruitio teneat aſtrictus, vt ab hoc ſine damno vel culpa dimoueri nequeam. Sed & ipſius Dei Genitricis eminentiam apud ſanctum Hilarium, ſi qua ex me eſt, huius rei deprecari poſſe reor offenſam. Nec enim illum honorem cuilibet inferiorum poſtpoſuerim: ſed clientelæ Matris Domini, quæ etiam Archangelorum omnium dignitati prælata eſt, iure vt puto eius alumnus quantuluſcumque me reddiderim. Dicetis ergo illi prudentiſſimo Duci ex parte domni mei Epiſcopi, vt tali Rectori committat locum ſancti Hilarij, quem nec difficultas itineris, nec imperitia Eccleſiaſtici Ordinis ab eius obſequio detineat. Et hæ ſunt rationes, de quibus Ragenaldus Vicedominus ad Seniorem meum Epiſcopum loquutus eſt, & vnde talem vobis finem mandamus. Nunc veſtram charitatem, quæ mihi ſemper fuit præſentiſſima, rogo dilectiſſime, vt omnes Clericos domni noſtri dulciſſimi ac beatiſſimi Patris Hilarij, à paruo vſque ad maiorem, ex meo nomine ſalutetis, & omnibus orationum fidelia dicatis. Ipſi etiam Comitj centenas millenas ſalutes ex mea parte confetatis, quem præ omnibus laïcis diligo, memoriam eius in orationibus meis ad Deum ſemper faciens: qualeſcumque ei pro amore & beneficiis, quæ mihi exhibuit, indeſinenter gratias agens. Similiter autem & domnum meum Iſembertum Epiſcopum ſalutare obſecro, cuius in me benignitatis ac hilaritatis quanta fuerit gratia, nullatenus dicere me ſinit probitatis eius immenſa magnitudo. Sed & filium Comitis, & Dominam Comitiſſam, necnon alios, quorum beniuolentia etſi immeritus gaudebam, eodem ſalutis munere cunctos impertiri ne pigeat. Ad ſummam vos ipſum benè valere optans, finem orationis facio. Edit. 130. Cod. MS. 149.

B (margin, beside "mè probatis")

C (margin, beside "nibus laïcis diligo")

EPISTOLA LXIII.

SACRO *Senonenſium Archipræſuli Leotherico Canonici ſanctæ Mariæ Carnotenſis in Chriſto ſalutem, & adhuc fidelitatis obſequium.* MVLTVM miramur, venerande Pater, quòd bonis initiis tam malos exitus habuiſti: videlicet quòd nobis Paſtore carentibus, in altero ſubſtituendo primùm benè fauiſti, & poſtremò ſententiam tuam deprauaſti, alium quàm nos elegeramus ordinando. Ne autem dicas ignoraſſe te electionem noſtram, mandauimus tibi per Diaconos noſtros, Odelerium & Frotmundum, elegiſſe nos A. Decanum, cum Literis noſtris idipſum Edit. 131. Cod. MS. 150.

ROBERTVS. continentibus: qui talis nobis videbatur, qualem Epiſcopum ordinari debere dicir Concilium Carthaginenſe quartum. Quòd ſi poſt hæc alium tibi obtulerunt vel Rex vel aliqui ex noſtris minus ſapientibus, oportuiſſet te cauſam diligenter attendere, & inter nos ipſos diiudicare, quorum ſanior haberetur electio, ſicut in Decretis Leonis Papæ ſignificari optimè noſti his verbis. Ille omnibus præponetur, quem Cleri plebiſque conſenſus concorditer poſtularint: ita vt ſi in aliam forrè perſonam partium ſe vota diuiſerint, Metropolitani iudicio is ſaltem alteri præponatur, qui maioribus & ſtudiis iuuatur & meritis. Volumus autem ſcire te, quòd ipſam electionem noſtram mandauimus domno Regi per ſuos Monachos, Hetnaldum Priorem, & Reſtaldum Præpoſitum ſancti Dionyſij. Quibus etiam obiicientibus nobis de Theodorico ordinando Regiam voluntatem, iniunximus vt dicerent Regi ne id temerè fieri iuberet. Vocaret autem nos antea, ſi ſibi placeret, ad Curiam ſuam, vel ſuæ voluntati conſenſuros, vel cur diſſentiremus oſtenſuros. His verò dictis noſtris ipſe domnus Rex contemptis, qualem ſibi libuit perſonam abſque noſtra petitione ordinari violentus accelerauit. Immemor fortaſsè illius dicti Conſtantini Chriſtianiſſimi Imperatoris, de violentia Principum contra ſe & contra alios Principes ita ſe habentis: Quæcunque, inquit, contra leges fuerit à Principibus obtenta, non valeant. Sed vt ad præſens de ipſo taceamus, quis ſanè viderit, vtrum omnia rectè agat, nec poſt factum pœniteat? Ad te, Pater, querimoniæ noſtræ flectimus articulum, quem Eccleſiæ noſtræ curam neglexiſſe, imo auctoritati tuæ derogare vehementer dolemus, poſthabito ſupra dicto Leonis Papæ Decreto. Quod ſi obſeruaſſes, rationabiliter vtique egiſſes, & benè nobis vt filiis Pater conſuluiſſes. At ipſo violato, quàm multa alia ſanctorum Patrum decreta violaueris, tute conſidera. Nos tamen pauca tibi de multis ſcribimus. Legitur in Decretis Celeſtini Papæ. Nullus inuitis detur Epiſcopus. Cleri, plebis, & ordinis conſenſus & deſiderium requiratur. Et poſt pauca: Sit facultas Clericis renitendi, ſi ſe viderint prægrauari. Et quos ſibi ingeri ex tranſuerſo agnouerint, non timeant refutare: Qui ſi non debitum primum, vel liberum de eo, qui eos recturus eſt, debent habere iudicium. Item ex Concilio Carthaginenſi tertio: Et illud eſt ſtatuendum, vt quando ad eligendum Epiſcopum conuenerimus, ſi qua contradictio fuerit oborta, quia talia facta ſunt apud nos, non præſumant ad purgandum eum qui ordinandus eſt, tres iam, ſed poſtulenrur ad numerum ſupradictorum duo vel tres, & in eadem plebe, cui ordinandus eſt, diſcutiantur primò perſonæ contradicentium. Poſtremò illa etiam quæ obiiciuntur pertractentur. Et cùm purgatus fuerit, ſub conſpectu publico ita demum ordinetur. Ecce quomodo Patrum ſententiæ violantur. Nobis enim inuitis obtrudere vultis Epiſcopum, nec conceditur nobis liberum erat de eo, qui nos recturus ſit, habere iudicium. Et cùm is qui ordinandus erat contradiceretur, minimè purgata ſunt quæ obiiciebantur, nec perſonæ vel rationes contradicentium diſcuſſæ. Quæ cùm ita ſint, cùmque legem canonicam in hoc negotio multimodè ſolueris, monemus te non increpando, neque iudicando, ſed affectu filiorum obſecrando, ipſi legi quam offenderis reconciliatum iri, confitendo culpam, & pœnitendo. Nec pudeat te dicere neceſſariis tuis ſecretò Deum timentibus, & in lege ipſius benè eruditis, iam tandem te animaduertiſſe ea quæ fiunt contra ſtatuta Canonum, nón debere ſtare, ſed & facientes pœnitere oportere. Quod ſi fortè Rex auctoritate tua deinceps corroborari voluerit, quod ſine ſolutione Canonum ſtare non poſſit, videris Pater, ne adiicias peccatum ſuper peccatum. Sed aut quantum poteris id corroborare diſſimula, aut manifeſtè ſalua legum auctoritate id te exequi non valere proclama. Poſtremò ſupplíciter oramus, hæc ſcripta noſtra minimè publicari, quæ apud tui cari pectoris ſecretum promere audemus. Reſcribe verò nobis, ſi quid tibi videtur contra hæc rationabiliter opponendum. Augeat tibi Deus ſpiritum conſilij, & fortitudinis, ſapientiæ & intellectus.

A

EPISTOLA LXIV.

SANCTIS *Præſulibus G. Beluacenſi, O. Aurelianenſi, A. Turonenſi, Clerici ſanctæ Mariæ Carnotenſis famuli eorum & fratres in Domino ſalutem.* CONQVERIMVR apud vos, Patres, de Archiepiſcopo noſtro, & Rege, qui nobis inuitis Epiſcopum donare volunt quendam idiotam, vt ſcitis, & eiuſmodi officio indignum. Precantes auxilium veſtrum, vt vigiletis ſicut boni Eccleſiæ Paſtores ad portas eius, ne introeat in eam ille talis, qui non quæſiuerit intrare per oſtium, ſed aliundè aſcendere, ſicut fur & latro. Vobis tribus portas cuſtodientibus, ſciatis pro certo quartum cuſtodem addi, Odonem Comitem, & nunquam recepturum illum in ciuitatem ſuam, niſi priùs veſtro iudicio examinatum, vtrum recipi debeat an non. Vigilate ergo attentiùs, & diligenter inquirite cauſam cum veſtris ſapientibus Clericis, & nobis famulis veſtris, ſi dignemini: vel propter Regis reuerentiam hoc agere pigritemini, quaſi hoc pertineat ad fidelitatem eius. Verè etenim ei fideliores eritis, ſi quæ ſunt corrigenda in Regno eius correxeritis, & animum eius ad eandem correctionem compuleritis. Volumus autem ſcire vos, A. Decanum quem elegeramus factum eſſe Monachum, nihilominus tamen nos eum optare nobis fieri Epiſcopum: cùm reprobatus fuerit ille lupus, quem probare poteſtis
B indignum. Quod vos inuicem cautè & diligenter & ſecretè deliberare petimus, vtrum fieri poſſit an non, & nobis ſeruis veſtris & fratribus deliberationis veſtræ finem innoteſcere, ſiue literis, ſiue legato fideli. Hæc autem noſtra verba videte interim ne publicentur. Valete. Edit. 110.

EPISTOLA LXV.

QVEM *ſuper omnes Abbates diligunt ſanctiſſimo Patri O. Canonici ſanctæ Mariæ omnium virtutum gratia præfulgere.* OBSECRAMVS vos in nomine ſanctæ Trinitatis, ne faueatis contra ius & fas partibus Theodorici ſimulati Epiſcopi, neque ſuadeatis Odoni Comiti facere cum eo concordiam contra ſanctorum Canonum auctoritatem. Clariſſimum ſpeculum poſuit vos Deus in mundo, videte ne qualibet nigredine obſcuremini, qua obfuſcentur alij: ſed ſemper vero lumine reſplendeatis, quo & alij poſſint illuſtrari. Valete, beatiſſime Pater, & reſcribite nobis, quid melius de hac cauſa vobis videtur. Edit. 111. Cod. MS. 112.

HENRICVS I. A

EPISTOLAE STEPHANI X. NICOLAI II. ET ALEXANDRI II. PONTIFICVM ROM.

Ad Geruaſium Remenſem Archiepiſcopum.

EPISTOLA I.

STEPHANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, GERVASIO *Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem*. PROMOTIONI noſtræ, ſicut nobis ſcripſiſti, non ambigimus te congratulari. Amicitiam quoque ſinceram & volumus & optamus inter nos fore perpetuam. Porrò obedientiam fidelitatémque, quam nobis polliceris te integerrimè ſeruaturum, ſi vt debes, & vt te decet, ſeruaueris, facis quod faciendum optimè ſcis: quia principalem & communem matrem, non modò nos, reuereris in nobis. De Concilio autem Remis habendo quid aliud dicendum, niſi quòd beatæ memoriæ domnus Victor Dei iudicio hinc eſt raptus; & quòd tu, ſicut inter vos conuenit, non remandaſti an in hoc eſſet Regis conſenſus? Sed & de Bituricenſi Archiepiſcopo, quia dilectus filius noſter Hildebrandus, cui illius cauſa maximè nota eſt, abeſt, hoc tantùm reſpondemus, quòd eo reuertente, & te cum illo ad nos veniente, tam ex hoc quàm ex aliis Eccleſiaſticis negotiis tuum conſilium habebimus. Denique non eſt noſtræ cautelæ de alterius illicitè ſubſtentatione, ſed diuinæ prouidentiæ. Ne deficias aut frangaris, ſi aduerſarios pro fidelitate ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, immò pro ſanctorum Canonum defenſione pateris: ſciens ſecundum Apoſtolum quòd in hoc poſitus ſis. Auxilium enim noſtrum & conſilium tibi pro iuſtitia agonizanti tempore noſtri Pontificatus, ad quem nullo meo merito videor aſſumptus, non deerit: & ſecundò quod oras, orabimus Dominum Ieſum, ne à bono propoſito aliquando decidas. Ceterùm Romæ quintodecimo die poſt ſanctum Paſcha Synodum celebraturi, tuam fraternitatem cum ſuffraganeis eius volumus, & auctoritate Apoſtolica iubemus intereſſe abſque ineuitabili neceſſitate. B

EPISTOLA II.

NICOLAVS *ſeruus ſeruorum Dei*, GERVASIO *venerabili Archiepiſcopo ſalutem cum benedictione Apoſtolica*. LICET de veſtra fraternitate quædam ſiniſtra, nec ſine diſcuſſione dimittenda, peruenerint ad Apoſtolicam Sedem: ſcilicet quòd eius inuaſoribus fauerit, quòd Pontificales actus poſtpoſuerit: tamen quia teſtimonio non leuis perſonæ defenderis, ſed potiùs de fidelitate ſancti Petri laudaris, præmiſſa tranſimus, & vt verùm ſit de vobis teſtimonium optamus. Vos autem omni conamine ſtudete ita viuere, vt veſtri non habeant inimici, vnde nos poſſint in vos contriſtare. Scitis enim, quàm benigna vobis fuerit communis mater ſancta Romana Eccleſia; quamque de te magna ei fiducia, vt tua ſolertia Francorum poſſet ſuccurrere penè lapſæ Eccleſiæ. Proinde agere ſtude quod de te ſperauit Apoſtolica Sedes; & veſtrum Regem glorioſum caſtiga, precare, ammone, ne peruertatur peſſimorum conſilio, qui noſtra diſcordia putant ſe Apoſtolicam cenſuram euadere: caueátque ſacris Canonibus, immò beato Petro reſiſtere, nóſque, qui eum ſicut pupillam volumus amare oculi, contra ſe mouere. Satis enim mirari poteſt, ſi pro aliquo ſtulto, ſicut eſt, quem voluit ordinari, Matiſconenſis Epiſcopus, vult Deum & ſanctum Petrum offendere; noſtram charitatem atque ſinceram dilectionem circa ſe paruipendere. An putat aliquis membrorum Antichriſti, quòd plus non poſſit ei prodeſſe gratia beati Petri, quàm omnium impiorum perfida fidelitas? Agat itaque glorioſus Rex vt libet contra nos, quia nos pro C

A illo eiuſque exercitu Deum ſemper precati parati ſumus. De Duce verò Gotifrido nemo vos terreat, cùm fuerit opus vos venire Romam, quia non tantùm vobis impedimentum non faciet, ſed etiam fideliter ſeruitium impendet. Salutant vos chariſſimi fratres noſtri Cardinales Epiſcopi, necnon humilitas filij noſtri Hildebrandi.

EPISTOLA III.

NICOLAVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, GERVASIO *venerabili Archiepiſcopo Remenſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* AVDIVIMVS relatione multorum, quòd Beluacenſis Epiſcopus contra ſtatuta Canonum, ſine vobis, & ſine veſtro aſſenſu fuerit conſecratus, & quod peius eſt, ad Epiſcopatum ſublimatus. Accingimini igitur, & fultus hac noſtra auctoritate, ex parte omnipotentis Dei, auctoritate beati Apoſtoli Petri, omne Epiſcopale officium ſibi, vſque dum ad Romanam Synodum in tertia ſeptimana poſt Paſcha ante nos diſcutiendus veniat, interdicite. Si autem in aperto res eſt quòd pecuniam dederit, omnibus Beluacenſibus Clericis ac laicis, vt ſibi ante prædictum noſtrum iudicium non obediant, ſub excommunicatione, prædicti Apoſtoli Petri auctoritate interdicite. Non enim ob hoc promotus eſt, vt ſit Epiſcopus, vt beatus Gregorius dicit, ſed vt fiat lupus, & ſanctæ Eccleſiæ inuaſor & deteſtandus hereticus. Siluanectenſi enim veſtro ſuffraganeo Epiſcopo, ſi eum pecuniam dediſſe præſciuit, & veſtrum aſſen-
B ſum in maledictionis herede benedicendo non habuit, ſimiliter omne Epiſcopale officium, vſque dum ad prædictam Synodum veniat, & nobis & tibi dignè ſatisfaciat, beati Apoſtoli Petri auctoritate interdicite.

EPISTOLA IV.

NICOLAVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, GERVASIO *Remenſis Eccleſiæ Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVONIAM nobis commiſſum eſt, & auctoritate beati Petri traditum, ſupra quem fundamentum vniuerſalis Eccleſiæ ſolidatum eſt, quatenus & errata corrigamus, & membra noſtro capiti cohærentia, ne diſſonent, ſtudeamus: tibi, vt pote velut de noſtris & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ membris, paternè intimando præcipimus, quatenus per te, quem in gremio matris tuæ, vniuerſalis videlicet Eccleſiæ, concluſum eſſe ſperamus; ne Virdunenſi Eccleſiæ, quæ nobis commiſſa eſt cum fratribus, quicquam iniuriæ tam per te quàm per tuos inferre à modo patiaris. Quod autem contra eiuſdem Eccleſiæ fratres nunc nouiter, & tu, & tui, damni & iniuriæ intuliſtis, communiter & ſanctæ Eccleſiæ Romanæ cauſa, & noſtri amore emendare te, omni occaſione remota, ammonendo iubemus, hoc eſt prædam de Poſtuiler, quæ poteſtati tuæ contigit, & de Mecla, quam Engobrandus deprædatus eſt, prædæ, cuius numerus in-
C fraſcriptus eſt, ducenta ſexaginta quatuor animalia. Clericos autem de eadem Eccleſia Canonicos, nulla interueniente mora, recludi à captura præcipias, vt pro hac & prædictis rebus ſtudioſè peractis, & gratiam Apoſtolorum Principis & noſtram habere prometearis.

EPISTOLA V.

NICOLAVS *ſeruus ſeruorum Dei*, GERVASIO *venerabili Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVIA referente filio noſtro G. te in fidelitate beati Petri perſiſtere, eiúſque auctoritati per omnia reuerenter adſurgere comperimus, paterna charitate ſicut chariſſimum filium amplectimur, & amplectendo toto mentis affectu diligimus. Denique quamdiu te fidelem filium exhibebis, noſtra paternitas tibi nuſqnam deerit; immò debita charitate ſuffragabitur, noſtráque auctoritate inceſſanter tuebitur. Quòd de Epiſcopo Siluanectenſi nobis per filium noſtrum mandaſti, quia canonicum eſt, cum eodem filio noſtro tibi concedimus. Neque enim iuſtitiæ contraire volumus, pro qua mori, ſi neceſſe ſit, lucrum putamus. Ceterùm de noſtro aduentu in Franciam, nullam ad præſens tibi ſcribimus certitudinem. Cùm autem ad te noſter filius venerit, ipſe tam de hoc quàm de omnibus aliis te certificabit. Mandamus autem & præcipimus, quatinus cum Duce chariſſimo filio noſtro pacem ineas, vt tui ad nos ſecurè valeant

PHILIPPVS I. venite, nóſque eos poſſimus audire. Nólumus etenim duos tam chariſſimos filios A in diſcordia manere.

EPISTOLA VI.

ALEXANDER *ſeruus ſeruorum Dei, dilectiſſimo fratri* GERVASIO *Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTIONIS tuæ Literas diligenter accepimus, & gratanter amplectentes, intento mẽtis intuitu charitatiuè perſpeximus. Sed querelis & doloribus plenas cernenres, charitatiuè compatimut, & condolemus; tum quia Eccleſia tua antiquitus inter ceteras Occidentales, Deo ptopitio, nitote prudentiæ atque religionis reſplenduit, ac per Apoſtolicam, cui Deo auctore licèt indigni deſeruimus, Sedem magnificara emicuit; cùm eadem, à ptioribus Patribus & prædeceſſoribus noſtris non diſcrepans, in ſinu ſuo te retinere, & charitatis dulcedine fouere deſiderat. Quæ querelæ, etſi inter damna Eccleſiæ quæ referunt, intet dolores & gemitus cordis tui, quos depingere contendunt, ſalem pectotis tui & fidelitatem, quam noſtræ Romanæ adhibes, & vnicam & ſinceram dilectionem, quam tuæ Remenſi ſeruas Eccleſiæ, ſatis vrbanè & honeſtè monſtrauerint: nos tamen vtcumque arguunt, quia vindicem gladium manu Apoſtolicæ vltionis in aduerſarios tuos iam porreximus. Si quidem antiqui hoſtis inuidia Antichriſtum pet iniquitatis conceptionem ſuorum viſcerum ege- B rens de ſentina, tantis eo ingruente Romanam Eccleſiam per quinquennium, nunc callida tergiuerſatione, nunc hoſtili inuaſione oppreſſit periculis, vt inteſtina noſtræ ſpecialis Eccleſiæ negotia vix poſſemus ventilare, nedum longinqua ad plenum extricare. Verùm poſt longam tempeſtatem, & crebras procellas ſereno, nube expulſa Deo iubente, reddito, forenſibus iam occurrere valemus: quia, Deo propitio, vnde ire debeamus, viam videmus. Non tamen iuſtè, vt veſtra diligentia nouit, poteſt fieri, vt ptiùs quis à quoquam Ptælato excommunicetut, quàm miſſa Synodica canonicè ad reſpondendum vocetur. Age modò debitum tenentes ordinem, & aduerſariis tuis vocatorias Literas dirigemus, & tibi, tuæque Eccleſiæ iuſtitiam exequi proculdubio pollicemur. Quaptopter quia, vt aiunt, nunquam conſequimur victotiam niſi priùs præcedat pugna, vt tuæ ſicut amantiſſimus ſponſus & egtegius patronus Eccleſiæ viriliter ſubuenias, & Romanæ per beatum Petrum, velut bonus filius, ſtrenuè adiuuando obedias, & vineæ Domini indefeſſus collaborator centenum fructum tempore meſſionis recipias; ad Synodum, Deo annuente, quinto decimo die poſt proximum Paſcha, cùm præſentiæ tuæ dilectione celebrandam ſanctitatem tuam venite deſideramus, ac ſancto conuentui interfore Apoſtolica auctoritate inuitamus. Ad hæc ſi dilectus filius noſter Petrus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus, & noſter Cancellarius, quem pro reſponſis Eccleſiaſticis veſtras ad partes miſimus, per vos tranſierit, ita etga eum ſe tua fraternitas habeat, vt quemadmodum nos diligat oſtendat. Quod autem citius apicibus C tuis non reſpondimus, non nobis, ſed tui legati nimiæ deputes feſtinationi.

EPISTOLA VII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei,* GERVASIO *Remenſi Archiepiſcopo fratri chariſſimo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* SI Sacerdotale, quod adminiſtramus, officium mentis integritate penſemus, ſic nos cum filiis noſtris indiuiduæ charitatis debet vnite concordia, vt ſicut Partes in nomine, ita affectu probemur in opere. Ideóque deſideramus, vt quos diuerſitas voluntatis ab alterutra dilectione facit eſſe diuiſos, eos ad concordiã redeũtes charitas faciat eſſe in gratia vnitos. Literas itaq; ſanctitatis veſtræ ſuſcipientes ſolita diligẽtia relegimus, in quibus continebatut controuerſia, quæ inter vos & Clericos veſtros Manaſſem & Amalricum vertitur, & damna quæ Manaſſes & R. Comites Eccleſiæ veſtræ atque Canonicis inferunt. Vnde ipſe ptofeſſus eſt e ante legatos noſtros aut ſatisfaciendo corrigere, aut pleniſſimè purgare. Quapropter dilectionem tuam intentè hortamur, vt ante Legatos noſtros P. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Bibliothecarium atque V. Cardinalem Preſbyterum, ſi ipſi adeſſe potuerint, congregatis ſuffraganeis tuis, admiſſo etiam Laudunenſi, cui inſtans negotium commiſeramus, Epiſcopo, ita

A æquitatis lance terminetur, vt neutra pars de iniuſtitia ampliùs cauſetur. Illi tamen, quia ad beatiſſimi Petri ſacratiſſimum corpus venerunt, in quo totius Chriſtianitatis eſt ſingulare refugium, ſibi ſentiant adeſſe præſidium, quo per nos non videamini mori ad iracundiam: quia ſi proximorum neceſſitatibus benigna mente compatimur, noſtris proculdubio petitionibus clementem Dominum reperimus. Ita ergo frater beatiſſime ſtude, quatenus dum ad Synodum, ad quam pro adiutorio ſanctæ Eccleſiæ inuitatus es, Deo auxiliante veneris, de his expeditus, ſolum modo ad Eccleſiaſtici negotij vaces conſilium, & ſanctæ tuæ vniuerſali matri Eccleſiæ, vt prudentiſſimus conſiliator, & fortiſſimus propugnator, contra hoſtes ſuos vltionis atque defenſionis impendas auxilium. Comitibus autem illis, qui Eccleſiæ tuæ aduerſantur, iterum ſcripſimus, vt aut ante legatos noſtros mala, quæ Eccleſiæ tuæ intulerunt, ſatisfacientes dignè emendando corrigant, aut ad præfatam Synodum omni poſthabita occaſione ad reſpondendum de obiectis veniant. Vbi ſi rebelles fuerint, quod iuſtum viſum fuerit decernemus, & officium noſtrum adimplere non omittemus. Præfatos autem legatos veſtræ benignitati iterum commendamus, quos tamen à fraternitate tua honeſtè tractari non dubitamus. PHILIPPVS I.

EPISTOLA VIII.

B ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, GERVASIO *venerabili confratri Remorum Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* MIRAMVR diligentiam tuam, dilectiſſime frater, auctoritatem noſtram ita parui pendere, vt ea quæ crebris orationibus noſtris dignè admoneris atque rogaris, minimè videaris perficere. Si enim aliquis in tui auxilij fauore confiſus, à patribus noſtris ad te veniendi fatigium arriperet, & in confidentia ſua deceptus nihil proficeret, credimus quòd charitas tua non parum doleret. Vt enim de patientia noſtra interim taceamus, qua fiducia beatiſſimum Petrum, cœleſtis regni clauigerum, in tuis petitionibus vales inuitare, cùm iam per biennium ij, qui eius patrocinium longis itineribus grauibúſque laboribus petierunt, ferè nihil, nobis vice ſua inſtantibus, adhuc potuerunt impetrare? Cùm enim in hac petra, in qua Chriſti Eccleſia ædificata eſt, ſingulare ſit refugium tribulantibus conſtitutum, vt qui ad eam confugiunt ſemper ſoleant inuenire ſolatium: huiuſcemodi tempore noſtro euacuari Romanæ Eccleſiæ priuilegium, diſſimulando ferre non poſſumus. Quapropter fraternitatem tuam his noſtris affatibus diligenter admonemus, atque admonentes præcipimus, vt ita te nunc in cauſa Manaſſe & Amalrici, Eccleſiæ tuæ Clericorum, pium reddas, ita benignum exhibeas, quo vlteriùs aures noſtræ inde querelam non audiant: quatenus ſicut in vno cœpiſti reſtaurationem, ita iuſta executione perficias in vtroque: quia non incipientibus, ſed perſeuerantibus promittitur præmium. Si autem in hac re verba noſtra tibi leuia fuerint, amicitia inter nos durare non poterit.

C

EPISTOLA IX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, GERVASIO *Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* LICET Carnotenſium cauſam contra præceptum ſanctæ Apoſtolicæ Sedis, & priſtinæ rectitudinis tuæ zelum, reprehenſibiliter neglexiſſe proberis: tamen quia meſſis multa, & operarij pauci ad definienda Eccleſiaſtica negotia, quæ nobis deferuntur, prudentiam tuam nobis cooperatricem eſſe expoſcimus. Præſentium itaque portitoris lacrimabiles querimonias audientes, compaſſionem vt oportuit exhibuimus. Deplorauit enim ſe honore propriæ Abbatiæ, altero ſimoniacè ſubrogato, priuatum: ſéque nullam inde iuſtitiam conſequi potuiſſe. Literas etiam Blandinienſis Cœnobij nobis attulit, quòd quidam Euerelmus Monaſterium illud ſimoniacè inuaſerit, ipſiúſque bona ciectis Monachis ad nihilum redegerit, vitámque ſuam adulteriis, variíſque criminibus vltra humanam conſuetudinem polluerit. Ammonemus itaque charitatem tuam, vt vtrumque inuaſorem conuenias, & ſi res ita eſt, hanc præſumptionem in partibus illis vlteriùs locis venerabilibus obeſſe non permittas. Quod ſi præfati inuaſores canonicæ rationi acquieſcere contempſerint, & quibus debentur ipſa Monaſteria dimittere noluerint, noſtra eos Apoſtolica auctoritate ſtudeas cum omnibus fautoribus ſuis excommunicare.

PHILIPPVS I.

EPISTOLA X. A

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo confratri* GERVASIO
Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. VISIS fraternita-
tis tuæ Literis, euidenter intelleximus, eam matri ſuæ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſin-
ceram compaſſionem exhibere, ipſamque, ſi faculras daretur, præſentia corporis
velle viſitare. Er quia ſollicitudinem tuam eiuſdem proſperitate lætari, quemad-
modum de infortunio contriſtari non dubitamus: annuntiamus tibi, diuina ſuffra-
gante clementia, Cadoli præſumptionem extollentem ſe aduerſus Apoſtolicam
Sedem, tanto ampliùs ad maiorem ſui ignominiam deueniſſe, quanto ipſe ſperaue-
rat altioris ſuperbiæ culmen aſcendiſſe. Si quidem proprij nominis etymologiam
euidenter intelligens, ad reparandam pecuniam, in periculum capitis ſui à fauto-
ribus ſuis diſtributam, cuiuſdam turris præſidio gemebundus ſeruatur. Vnde per
miſericordiam Dei ſperamus nullo modo poſſe euadere, donec quicquid contra
ſanctum Petrum nequitia ſua præſumpſit ſatisfecerit digna emendatione. Quod
igitur ſimoniacæ hereſeos peſtem, quæ in partibus illis vires adhuc obtinet eius do-
lis, velle inſequi ſignificaſti; non parum deuotionis tuæ ſtudio congaudemus. In
quo nimirum adeò ſpecialem dilectionem à nobis, & à filiis ſanctæ Romanæ Eccle-
ſiæ promeruiſti, vt à nonnullis te odio habentibus odium quoque nobis euidenti-
bus indiciis exhiberi declaretur. Super A. Aurelianenſem denique, qui ſimonia- B
cè Epiſcopatum obtinuiſſe, & inde periurium tribus aliis ſibi adhibitis incurriſſe
probatur, ſententiam dare Archiepiſcopum Senonenſem Literis noſtris ammonui-
mus. Quem nimirum, vt cum ipſo conuenias, & negotium illud pariter agas, Apo-
ſtolica auctoritate hortamur. Abbatem quoque ſancti Medardi, iampridem ex-
communicationis vinculo innodatum, omnimodis operam dare ſtudeas vt de Ab-
batia, quam iniuſtè tenet, eiiciatur, & alter dignè & canonicè ſubſtituatur. Ce-
tera verò, quæ in literis tuis continentur, ad præſens diſtulimus, præſertim cùm in
præſentia tui, quam deſideramus videre, id melius fieri exiſtimamus. Non enim
panis ſecuri, neque arbor cultro ſcindi ſolet. De cauſa autem Amaltici iterum &
iterum te admonemus, vt quod in apertis Literis noſtris continetur, omni ſtudio,
omníque ſollicitudine peragas.

EPISTOLA XI.

ALEXANDER *ſeruus ſeruorum Dei,* GERVASIO *Remenſium diligentiſſimo
Archipræſuli, atque in Chriſto dilectiſſimo fratri, ſalutem & Apoſtolicam benedi-
ctionem.* VISIS fraternitatis tuæ literis, Coëpiſcoporum quoque tuorum nec-
non & Clericorum flebilibus auditis querelis, ſenſibiliter intelleximus quàm ma-
ximis cladibus & ærumnis præter ſolitum Remenſis glorioſiſſima opprimatur Ec- C
cleſia; quantóque tua religioſa dilectio immerito verſetur incommodo. Quapro-
pter vera affecti compaſſione, tum ex loci, cui immeriti præſidemus, ſollicita con-
ſideratione, tum etiam ex tuæ prudentiæ neceſſitudine, quam pio diligimus ſinceri
cordis amore, graui gemitu detrimento tuæ condolemus Eccleſiæ: necnon fatigio
tuo, chariſſime, proculdubio compatimur præcipue. Auxilij quoque dexteram,
quam à noſtra tantopere poſtulare ſtuduiſti Apoſtolica Sede, integro affectu prom-
pti ſumus pro viribus noſtris, próque temporis qualitate, neceſſitati tuæ benignè
impendere; atque Apoſtolicæ auctoritatis clypeum omnibus Remenſis Eccleſiæ
aduerſariis libenter opponere. Sed prænuncij tui feſtinatione; qui ſe aſſerebat col-
legas nullo modo poſſe relinquere, tuæ cauſæ habile, vtpote in momento tempo-
rum, minimè tunc, abſentibus etiam noſtris fratribus Cardinalibus, reperire va-
luimus conſilium. Ipſi autem poſt paululum, tuæ legationis communicatá ſuppli-
catione, & aptum conſilium inuenire, & inuentum vna cum Legato, quem à latere
noſtrò popoſciſti, auxiliante Deo, quàm citiùs poterimus curabimus partibus ve-
ſtris dirigere. Interim verò hanc noſtram reſponſionem ſuffraganeis tuis Epiſco-
pis, qui ſimiliter noſtrum per Literas implorauerunt ſuffragium, ſuæ matri Eccle-
ſiæ Remenſi intimare ne negligas: Apoſtolicæ Sedis, niſi morte fuerimus præuenti,
certiſſimè præſtolando Legatum.

A

EPISTOLA XII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo fratri* GERVASIO *Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* PROCLAMATIO delata eſt ſanctæ Apoſtolicæ Sedi, quòd Abbatiſſa Laudunenſis, Monaſterij videlicet ſancti Ioannis, ſine canonica audientia & iudicio Epiſcopi ſui à regimine ſuo eiiciatur. Quod nimirum quia canonicis inſtitutionibus omninò videtur eſſe contrarium, ammonuimus confratrem noſtrum Elinandum Laudunenſem Epiſcopum, vt hanc cauſam diligenter diſcutiat, atque canonicè diffiniat. Ita tamen, vt eadem Abbatiſſa, priuſquam diſcuſſio fiat, regimini ſuo, ſicut ſacri canones præcipiunt, reſtituatur. Inuitamus igitur fraternitatem tuam, vt manum adiutorij tui ad hæc exequenda ſibi tribuas, & hoc negotium iuxta tenorem literarum noſtrarum, quas ſibi miſimus, determinetur, te adiutorem & cooperatorem adhibeas. Quod quidem ſollicitudinis ſtudium, etiamſi Apoſtolatus noſtri literis præmonitus non eſſes, oporteret tamen deuotionem tuam impendere: ipſúmque Laudunenſem Epiſcopum quia parrochianus tuus eſt, ad hoc peragendum incitare. Non dubitet igitur prudentia tua hunc laborem arripere, ſéque pro domo Iſraël murum opponere. Et quia officij tui eſt pacem diligere, ſicut iam te ſæpius ammonuimus, iterum ammonemus, vt pacem cum chariſſimo noſtro Duce Gotifredo ſtudeas
B componere. Periculoſum eſt enim Eccleſiam tuam tanto diſcrimine fatigari, & nobis importabile tot accuſationibus pulſari.

EPISTOLA XIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, GERVASIO *venerabili Remorum Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* PESTEM ſimoniacam, quæ hactenus veſtris in partibus, quaſi timida ſerpere ſolebat, nunc caput accepimus extuliſſe, & gregi Dominico, tam timore quàm pudore remoto, grauiſſimam iacturam inſtantiſſimè inferre. Vnde non mediocri mœrore afficimur: quippe qui nobis creditos, & Chriſti ſanguine redemptos quorumdam peruerſitate perire videamus. Quod totum ſanè Archiepiſcopis imputamus. Nemo enim ſimoniacus emptionem iniret, ſi ſe conſecrandum fore deſperaret. Sed quia Archiepiſcopi ſine diſcretione conſecrant, multi indiſcretè ad Epiſcopatus aſpirant. Verùm cùm tempus acceperimus, adiutore Deo, & de conſecratis & de conſecratoribus iuſtitias iudicabimus. At verò audito tuo erga ſanctam religionem bono ſtudio, non modicè gaudemus quem ſtrenuum cultorem ita in vinea Domini operari audiuimus, vt nulla Simonis propago in ea, quantum ad te attinet, radicare poſſit. Et quamquam ammonitione non videaris egere, te tamen ammonemus atque præcipimus, vt Ioſſelinum Sueſſionenſi Eccleſiæ non conſecres Epiſcopum, qui Ar-
C chidiaconatum ſimoniacè obtinuiſſe non contentus, Epiſcopari etiam pecuniâ contendit. Beluacenſem autem Epiſcopum, quem res Eccleſiaſticas & populum Dei atrociter diſperdentem audiuimus, ſi verum eſt, iubemus ita virga ſanctæ auctoritatis ferias, vt ceteri, ſi qui ſunt ſimiles eius, exemplo corrigantur. Porrò Ambianenſis Epiſcopus à nobis ammonitus, ab iniuria Corbeienſi Abbati illata, non veritus noſtram auctoritatem, non modò non deſiſtit, verùm etiam in dies eam multiplicat. Quare vtrumque ad te quàm maturiùs conuoces, eorum contentioni finem canonicè impoſiturus. Quod ſi per te nequiueris, rem totam ad Sedem Apoſtolicam tempeſtiuiùs per Epiſtolam referas, vt Apoſtolica auctoritate hæc contentio ſopita conquieſcat. Hæc agas, & aliis quoque Eccleſiæ vtilitatibus hortamur inſeruias: vt laboris tui Dominum Ieſum quandoque habeas largiſſimum retributorem, & noſtram erga te beneuolentiam ſentias certiorem.

EPISTOLA XIV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, fratri* GERVASIO *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* PRIVILEGIA Cœnobij Corbeienſis ab anteceſſoribus noſtris inſtituta antiquitus nouerit nos tua dilectio confirmaſſe, & vt in

PHILIPPVS I. perpetuum rata ſint auctoritate ſanctorum Petri & Pauli roboraſſe. Quod noſtræ A ſanctionis edictum te quoque obſeruare volumus, & vt per omnia obſeruari facias, pia ſollicitudine commonemus. Miramur autem tuæ prudentiæ videri prædicta priuilegia diſſentire Eccleſiaſtico Canoni: cùm conſtet apud te alias eſſe leges Eccleſiarum, quæ ſunt generales, & alias eſſe eas, quæ ſpecialiter in priuilegiis quibuſdam prærogantur Eccleſiis ad immunitatem; ne quorumlibet importunitate patiantur inquietudines. Cauſam verò, quæ ſumma & principalis erat inter Epiſcopum & Abbatem, canonicè in Concilio diſcuſſam ſcias nos penitus terminaſſe: eundémque Epiſcopum nobis & ſanctæ Romanæ & Apoſtolicæ Sedi, cui Deo auctore præſidemus, coram Fratribus & Coëpiſcopis noſtris ſatisfeciſſe in Synodo: ipſúmque pro inobedientia ſua ſuſpenſum fuiſſe ab officio. Cetera autem, de quibus Abbas conqueritur, mandamus fraternitati tuæ vt audias; & ſecundum quod tibi iuſtum videbitur, definias. Chriſma verò & ordinationes ſi Epiſcopus ſpiritu ſuperbiæ inflatus dare noluerit, noſtra licentia præfato Monaſterio concedas, & in omnibus negotiis auxilium tuæ protectionis exhibeas.

EPISTOLA XV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo fratri* GERVASIO *Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DEVOTIONI B tuæ notum fieri volumus, quòd Abbas Monaſterij ſancti Dionyſij Martyris apud noſtram audientiam ſuper Epiſcopo Pariſienſi ſemel & ſecundò fuerit queſtus. Videlicet quòd ipſe contra ius priuilegiorum à ſanctis & Apoſtolicis viris ſalubriter eidem Monaſterio multotiens conceſſum, contráque Francorum Regum & Epiſcoporum ipſius patriæ conſtitutiones, ſubripere, ſibique vendicare iam dicti Monaſterij poteſtatem attentauerit. Ad quæ nimirum dirimenda ad Sedem Apoſtolicam vtrumque venire inuitauimus: vt ibi congregatis Eccleſiarum iudicibus huius cauſam litigij canonicè determinaremus. His igitur in ſancto Concilio repræſentatis poſt longam diſcuſſionem; poſt varias vtriuſque partis oppoſitiones, claruit iuſtitiam præfato Monaſterio fauere: nec tot aut tantorum Pontificum auctoritati, abſque horrendo anathemate, aliquem poſſe obuiare. Vnde conſilio totius ſancti conuentus, quæ à ſanctis prædeceſſoribus noſtris ſanctè ſunt inſtituta firmauimus atque corroborauimus. Rogando itaque fraternitatem tuam ammonemus, quatinus ſi inuitatus fueris ab Abbate vel Fratribus eiuſdem Monaſterij, chriſma & oleum, & cetera quæ eis ex Epiſcopali officio videntur neceſſaria, tribuas, ac tuos ſuffraganeos tribuere præcipias.

EPISTOLA XVI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei,* GERVASIO *Remenſi, R. Senonenſi, B. Turonenſi, M. Bituricenſi, T. Burdegalenſi, Archiepiſcopis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* NON ignorat ſancta veſtra fraternitas, dilectiſſimi, C quòd ex auctoritate Sedis Apoſtolicæ, cui nos indignos clementia diuina præfecit, totius vniuerſalis Eccleſiæ regendus ac diſponendus nobis ſtatus incumbit. Quoniam igitur pluribus Eccleſiarum negotiis occupati ad vos ipſi venire non poſſumus, talem vobis virum deſtinare curauimus: quo nimirum poſt nos maior in Romana Eccleſia auctoritas non habetur. Petrum videlicet Damianum Oſtienſem Epiſcopum, qui nimirum & noſter eſt oculus, & Apoſtolicæ Sedis immobile firmamentum. Huic itaque vicem noſtram pleno iure commiſimus: vt quicquid in illis partibus Deo auxiliante ſtatuerit, ita ratum teneatur & firmum, ac ſi ſpeciali noſtri examinis fuerit ſententia promulgatum. Quapropter venerabilem ſanctitatem veſtram fraterna charitate monemus, & inſuper Apoſtolica vobis auctoritate præcipimus, vt talem, tantúmque virum, tanquam noſtram perſonam, digna ſtudeatis deuotione ſuſcipere, eiúſque ſententiis atque iudiciis propter beati Petri Apoſtolorum Principis reuerentiam humiliter obedire. Quiſquis enim faſtu ſuperbiæ, quod abſit, inflatus illius iudicio contradictor vel aduerſator extiterit, vſque ad dignam ſatisfactionem noſtram vel Romanæ Eccleſiæ gratiam non habebit. Quia verò cùm ad vos Girelmum miſimus, adhuc aduentum præfati domini

A Petri nos impetrare poſſe nullatenus ſperatemus, volumus vt ſi quid apud vos Girelmus cœpit, ad domni Petri magiſterium veniat, & per eius manum quicquid agendum eſt fiat. PHILIPPVS I.

EPISTOLA XVII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, GERVASIO *Remenſi Archiepiſcopo cum ſuis ſuffraganeis, ſi obedierint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* SI quod officij veſtri eſt exequeremini, non Abbatem, ſed maleficum Reginaldum, à Petro Oſtienſi Epiſcopo, & à vobis in Conciliis iuſta ratione, vt nobis relatum eſt, condemnatum ab ipſo ſancti Medardi, quod ſimoniacè inuaſit, Cœnobio penitus eliminaretis. Quod ſi cauſa cupiditatis, aut amore vel timore alicuius potentis perſonæ, explere renuiſtis; hæc omnia Dei omnipotentis timori præpoſuiſtis; & nullum diſperſis Monachis ſolatium regrediendi præbuiſtis. Quapropter eiuſdem Rainaldi malitia magis multiplicatur, & creſcit. Hæc verò idcirco mandare curauimus: quia ex iiſdem diſperſis Monachis quidam ad nos venerunt, flentes & eiulantes; alij Literas direxerunt lamentabiles, iuſtitiam ſancti Petri, noſtrámque conſolationem pro tali iniuſtitiâ requirentes. Vnde ſupradicti Petri, veſtrámque noſtra auctoritate corroboramus ſententiam; eumdémque Rainaldum B & conſentaneos eius anathematizamus, ipſúmque Cœnobium, quamdiu in eo manſerit, interdicimus, & vt idem faciatis vobis mandamus.

EPISTOLA XVIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo fratri* GERVASIO *Remenſi Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DEBITAS fraternitati tuæ grates rependimus, quòd in eiectione Hi. à nobis damnati, quòd Carnotenſem Eccleſiam ſimoniacè inuaſerat, te promptum ſollicitúmque oſtendiſti; quódque vt alter dignus & idoneus eidem Eccleſiæ canonicè ſubſtitueretur, chariſſimo filio noſtro PHILIPPO Francorum Regi conſilium dediſti. Cui nimirum, ſuiſque Optimatibus, vt dignas ſuper hoc grates rependas, prudentiam tuam inuitamus. Nouerit etiam fraternitas tua, nos confratrem noſtrum Senonenſem Archiepiſcopum ammonuiſſe, quatinus Aurelianenſis Eccleſiæ inuaſorem noſtra Apoſtolica auctoritate excommunicet. Claret enim ipſum ſimoniacè Epiſcopatum obtinere, & ad obtegendā reatus ſui improbitatem, periurium in Cabilonenſi Synodo incurriſſe; ſuique fraudulentia confratrem noſtrum Petrum Oſtienſem Epiſcopum, à quo eadem Synodus celebrata eſt, decepiſſe. Super hæc etiam ad argumentum criminum ſuorum Literas Apoſtolatus noſtri, quibus ad hæc examinanda vocabatur, omninò refutauit. Quapropter charitatem tuam Apoſtolica C auctoritate ammonemus, vt præfato Senonenſi Archiepiſcopo in damnatione Aurelianenſis inuaſoris, contempto timore & gratiâ, omnium te ſocium & adiutorem adhibeas.

EPISTOLA XIX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, chariſſimo fratri* GERVASIO *Remenſi Archiepiſcopo, omnibúſque ſuffraganeis ſuis, necnon Senonenſi Archiepiſcopo, ſuiſque ſuffraganeis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* MVLIER iſta, præſentium Literarum portatrix, Apoſtolorum limina adiens conqueſta eſt quòd ei Comes Radulfus omnia bona ſua abſtulerit, eáque dimiſſa, crimine fornicationis fallaciter obiecto, alteram ducere velit. Quod quàm ſit diuinis & humanis legibus contrarium, fraternitas veſtra perpendit. Quapropter ſtudeat religio veſtra ipſum conuenire: & ſi cauſa talis eſt, vt iſta aſſerit, redditis propriis bonis, vt ipſa ab eodem recipiatur ſatagire. Quòd ſi ipſe rationi acquieſcere recuſauerit, vos ſuper eum canonicum deliberate iudicium, quod nos ſequentes ſanctorum Patrum auctoritatem, vbi ſententiam veſtram audierimus, confirmabimus.

PHILIPPVS I.

A

EPISTOLA XX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, GERVASIO *Remenſi Epiſcopo confratri dilectiſſimo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVONIAM ad vniuerſalem Sedem, cui diuina prouidentia præſidemus, lacrymabilis & inaudita Eccleſiæ ſancti Mennij querimonia eſt adlata, ſanctiſſima ſcilicet eius corporis abſentia deſolata; domibus quoque & ceteris omnibus bonis impiè & ſine more denudata lacrymas nos & Romanam fundere cogit Eccleſiam. Vnde fraternitati tuæ rogando curauimus mandare, vt corpus ſanctiſſimi viri ab Epiſcopo Catalaunenſium à propria Sede deportatum, & quod lacrymabilius eſt, cruentis armatorum militum manibus velut in partem prædæ diſciſſum, ad propria redire, remora omni excuſationis ſimulatione, facias. Euerſionem quoque domorum, & direptionem ceterorum bonorum, ſicut iuſtum eſt, & officium magiſterij tui decet, vt emendare compellas, ex parte beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli præcipiendo mandamus. Quod ſi ſententiæ noſtræ, immò tuæ iuſtæ deliberationi parere noluerit, virga magiſtratus tui, ex auctoritate ſancti Petri, ardentiſſimè feriatur.

EPISTOLA XXI.

EXCELLENTISSIMO *Patri Patrum & Epiſcoporum Epiſcopo* NICOLAO *Geruaſius dictus Epiſcopus fidele ſeruitium cum exiguitatu meæ orationibus.* GRATIAS ago diuinæ primùm pietati, veſtræ etiam, optime Pater, mediocritati; quòd non tantùm apud vos accuſatorum meorum inualuit delatio, vt non veridica legatorum noſtrorum admitteretur excuſatio: nec Apoſtolica cenſura mihi negaret miſericordiam, in quem non ſine multorum admiratione tantùm inhorruerat. Gratias nihilominus ago veſtræ humilitati, quæ quanta Principem & Paſtorem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ decuit benignitate, noſtros legatos ſanos excepit, infirmos viſitauit, mortuos ſepeliuit. Et ſi enim vni tantùm apud vos infirmato & mortuo hæc viſitationis & ſepulturæ ſolatia impendiſtis; in vno tamen ceteros viſitaſtis, ceteros ſepeliſtis. Cui non ego, qui nihil ſum, ſed tota Remenſis Eccleſia bonæ conuerſationis teſtimonium perhibet. Cuius obitum, ceterorúmque, qui penè omnes obierunt, audiens, incredibili triſtitia ſum affectus: nec vnquam non odiſſe valeo illum, cuius ſuperbia id effecit, vt iſti mitterentur. Si enim qualem exiſtimaui legatum miſiſſem, iſti nec mitterentur, ne fortaſſe morerentur: quod veſtra prudentia optimè recognoſcit. Præterea multò grauior angit me triſtitia de obitu Domini Regis: quod etiam veſtram non latet prudentiam. Scitis enim quantum infrænes & indomiti ſunt noſtrates, quorum diuiſionem timeo Regni noſtri fore deſolationem. Ad quam euitandam veſtrum mihi conſilium & auxilium flagito, quæ nulli Regno, vt pote Pater omnium, negare poteritis: præſertim cùm noſtro ſemper debeatis, quod optimi viri patriæ deberi conſueuerunt. De veſtro aduentu in noſtram Galliam, quid animi habuerim viuente Domino Rege, licet diffamatus ſim id noluiſſe, ſatis, vt puto, ſignificaui paternitati veſtræ: & nunc in eo is mihi animus eſt, Deo teſtante, vt non tantùm eum deſiderem, ſed etſi etiam, ita vt venientem auctoritatem veſtram cum tanto gaudio & honore ſuſcipiam, quanto decet Petri Vicarium ſuſcipi, & Apoſtolicæ cenſuræ per omnia cooperator exiſtam. Dicant aduerſarij quantumlibet me infidelem & rebellem magiſtratui veſtro; ego ſubiectionem meam vobis profiteor: & quicumque vobis illam negauerint, cuiuſlibet ordinis ſint, mihi communicare non poterunt. Obloquitur etiam aduerſariis illa obedientia, quam ſine omni reſpectu ſuſpenſionis & interdicti veſtri conſeruant, non ſine magno damno Eccleſiarum noſtrarum & noſtro. Impediuit quoque meum erga vos famulatum illa ſuſpenſio. Ad quod reſtaurandum, ſicut recuperare poſſibile eſt, ſi ita ad cetera redintegranda ſaltim aliqua ſpes reſtaret, de tanto dolore quaſi de graui ſomno reſurgerem. Eſt enim mihi animus, nec deſpero in futurum, cum gaudio atque reuerentia quandoque Apoſtolatum veſtrum ſuſcipere, tantùmque honoris vobis impendere, quantum perſonæ & officio veſtro conuenire manifeſtum eſt. Nec noſtris temporibus fuiſſe, vel futurum eſſe in veſtra Sede aliquem credo, quem copioſiùs honorare deſiderem. Nam qui nos ſic honoraſtis

A prudentia & ſanctitate veſtra, vt de Regno noſtro Roma eligeret, quem ſibi & mundo caput ordinaret: Nos quoque tanto honore vos dignamur, quanto Dominus noſter Ieſus Chriſtus Petrum decorauit, vbi Eccleſiæ principatu illum ſublimauit. Dominus omnipotens ſanctitatem veſtram ad vtilitatem ſanctæ Eccleſiæ diutiſſimè conſeruet, & auertat à prudentia veſtra, ne alicuius leuis ſermo gratiam veſtram mihi, néve ſeruitium & fidelitatem meam vobis auferat. PHILIPPVS I.

EPISTOLA XXII.

DOMINO & *Patri* ALEXANDRO *ſanctæ Apoſtolicæ Sedis Pontifici*, GERVASIVS *gratia Dei Remorum Archiepiſcopus, inter mundi huius fluctus Eccleſiam Dei nauiter gubernare, atque ad portum æternæ beatitudinis feliciter peruenire.* REGNVM noſtrum non mediocriter conturbatum eſt. Regina enim noſtra Comiti RADVLPHO nupſit, quod factum Rex noſter quàm maximè dolet. At cuſtodes ipſius non æquè grauiter ferunt. Qua de cauſa me quoque mœror non modicus affecit, quippe cùm mihi hac vice complendi facultas non ſit, quod ardenti deſiderio propoſueram. Propoſueram enim Petri limina viſitare, veſtram diù exoptatam faciem videre, ſermonem veſtrum ſanctum mellitúmque ab ore præſentis accipere, vtilitatibus ſanctæ Sedis Apoſtolicæ aliquandiu pro viribus deſeruire. Quæ qui-
B dem ſi modo facere non licet (Regni enim perturbatio, vt dixi, me retinet) vbi copia dabitur tantò ſtudioſiùs agam, quantò ea agere diutiùs deſideraui. De vxore verò Comitis Radulphi, quæ veſtræ conqueſta eſt paternitati, ſe à viro iniuria eſſe dimiſſam, id vobis notum eſſe volumus * *. *Reliqua deſunt.*

GREGORII VII. PAPÆ
EPISTOLÆ HISTORICÆ.

EPISTOLA I.

GREGORIVS *in Romanum Pontificem electus, omnibus Principibus in Terram Hiſpaniæ proficiſci volentibus perpetuam ſalutem in Domino Ieſu Chriſto.* NON latere vos credimus, Regnum Hiſpaniæ ab antiquo proprij iuris ſancti Petri fuiſſe, & adhuc (licèt diu à Paganis ſit occupatum) lege tamen iuſtitiæ non euacuata, nulli mortalium, ſed
C ſoli Apoſtolicæ Sedi ex æquo pertinere. Quod enim auctore Deo ſemel in proprietates Eccleſiarum iuſtè peruenerit, manente ab eo abuſu quidem, ſed ab earum iure occaſione tranſeuntis temporis, ſine legitima conceſſione diuelli non poterit. Itaque Comes EVVLVS DE ROCEIO, cuius famam apud vos haud obſcuram eſſe putamus, Terram illam ad honorem ſancti Petri ingredi, & à Paganorum manibus eripere cupiens, hanc conceſſionem ab Apoſtolica Sede obtinuit, vt partem illam, vnde Paganos ſuo ſtudio, & adiuncto ſibi aliorum auxilio, expellere poſſet, ſub conditione inter nos factæ pactionis ex parte ſancti Petri poſſideret. Qua in re & labore quicumque veſtrûm ſibi adhærere voluerit, omni charitatis affectu commonitus, erga honorem ſancti Petri talem animum gerat, vt ab eo & munitionis auxilia in periculis, & merita fidelitatis præmia ſecurus accipiat. Si autem aliqui ex vobis ſeorſum ab illo propriis copiis eandem Terram aliqua in parte intrare parauerint; decet, vt militiæ cauſam ex animi deuotione quàm iuſtiſſimam ſibi proponant, iam nunc omni voto concipientes, & ex corde ſtatuentes, ne capta Terrâ eaſdem, quas illi, qui nunc Deum ignorantes eam occupant, iniurias ſancto Petro faciant. Hoc enim neminem veſtrûm ignorare volumus, quoniam niſi æqua pactione perſoluendi iuris ſancti Petri Regnum illud animaduertere ſtatueritis, potiùs vobis Apoſtolica auctoritate ne illuc tendatis interdicendo, contra feremur, quàm ſancta & vniuerſalis mater Eccleſia, idem à filiis ſuis quod ab hoſtibus patien-

Lib. 1. Epiſt. 7. edit.

PHILIPPVS I.

do, non iam proprietatis ſuæ, ſed filiorum detrimento ſancietur. Quamobrem hunc dilectum filium Hugonem, Cardinalem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyterum, in partes illas miſimus, in cuius ore noſtra ad vos conſilia & decreta pleniùs apertiúſque differenda, ac vice noſtra diſponenda poſuimus. Datum Romæ II. Kal. Maij, Indictione XI. A

EPISTOLA II.

Epiſt. 46. edit.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, GVILLELMO *Burgundionum Comiti ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* MEMINISSE valet prudentia veſtra, quàm larga affluentiâ dilectionis Romana Eccleſia valentiam veſtram iamdudum recepit, & quàm ſpeciali charitate veſtram familiaritatem dilexit. Neque enim ſe condecet obliuiſci promiſſionis, qua Deo ſe ante corpus Apoſtolorum principis Petri, præſente venerabili anteceſſore noſtro Alexandro Papa, & Epiſcopis, Abbatibus plurimis, atque diuerſarum gentium multitudine, quarum non eſt numerus, obligauit, vt quacumque horâ neceſſe fuiſſet, veſtra manus ad dimicandum pro defenſione rerum ſancti Petri non deeſſet, ſiquidem requiſita fuiſſet. Vnde memores nobilitatis veſtræ fidei, rogamus & admonemus ſtrenuitatis veſtræ prudentiam, quatenus præparetis veſtræ militiæ fortitudinem ad ſuccurrendum Romanæ Eccleſiæ libertati, & ſi neceſſe fuerit veniatis huc cum exercitu veſtro in ſeruicio ſancti Petri. Et hoc idem rogamus vos monere Comitem Sancti Egidij, & ſocerum Richardi Capuani Principis, & Amideum filium Adelettæ, ceteróſque quos cognoſcitis ſancti Petri eſſe fideles, & qui ſimiliter in manibus ad cœlum extenſis promiſêre. Si quid verò certæ reſponſionis prudentiæ veſtræ nobis placet remittere, per eum nuncium nobis mandate, qui modis omnibus nos reddat indubios: & idem veſter nuncius veniat per Comitiſſam Beatricem, quæ cum filia & genero in hoc negocio laborare procurat. Hanc autem militum multitudinem non ideò coaceruare curamus, vt ad effuſionem ſanguinis Chriſtianorum intendamus: ſed vt ipſi videntes expeditionem, dum confligere timuerint, faciliùs ſubdantur iuſtitiæ. Speramus etiam, quòd forſitan alia indè vtilitas oriatur, ſcilicet vt pacatis Normannis, tranſeamus Conſtantinopolim in adiutorium Chriſtianorum, qui nimium afflicti creberrimis morſibus Saracenorum inhianter flagitant, vt ſibi manum noſtri auxilij porrigamus. Nam contra eos Normannos, qui nobis rebelles ſunt, ſatis ſufficiunt milites iſti, qui nobiſcum ſunt. Certus enim eſto, quoniam te, & omnes, qui tecum in hac expeditione fuerint fatigati, duplici, immò multiplici remuneratione (vt credimus) Petrus & Paulus principes Apoſtolorum donabunt. Datum Romæ IV. Nonas Februarij, Indictione XII. B

EPISTOLA III.

Epiſt. 56. edit.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, ROGERIO *dicto Catalaunenſi Epiſcopo.* PHILIPPVS Rex Francorum non modica tibi dilectione aſtrictus, multùm nos vt te abſolueremus, tum per Literas, tum per Legatorum verba rogauit. Quod quidem ſalua iuſtitiâ nequaquam nobis faciendum eſſe peruidimus, dum iuxta vigorem canonicæ diſciplinæ multò grauiùs in te animaduertendum eſſe cognoſceremus. Sed adhuc Apoſtolica manſuetudine iudicium in te vltionis debitæ ſuſpendentes, præſenti auctoritate tibi præcipimus, vt præſentiam tuam abhinc vſque in proximam feſtiuitatem omnium Sanctorum conſpectui noſtro repræſentare nullo modo prætermittas: quatenus aduerſum te totiens iteratam proclamationem Catalaunenſis Eccleſiæ iuſto fine (Deo auxiliante) decidamus. Admonentes equidem, ne interim in contemptu, vel tranſgreſſione iam antè datæ ſententiæ, periculum tibi tu ipſe grauius ingeras. Quibus in rebus ſi nobis inobediens fueris, & aliqua tergiuerſatione te excuſans, infra prælibatum terminum præſentiæ noſtræ te non exhibueris, de tua damnatione, & incommutabili depoſitione vlteriùs non dubitabis. Datum Romæ in Synodo, XVI. Kal. Aprilis, Indictione XII. C

A PHILIPPVS I.

EPISTOLA IV.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, GVILLELMO *Dienſi Comiti, ac vniuerſis fidelibus ac ſubditis Dienſis Eccleſiæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Edit. 69. VENIENTEM ad nos Hugonem Epiſcopum veſtrum benignè ſuſcepimus, & quia vos in electionem eius vnanimiter conueniſſe audiuimus, Epiſcopali conſecratione eum vobis in Paſtorem ordinauimus; quatenus ſub eius regimine ſpiritualibus inſtructi diſciplinis, perceptæ fidei fructum, & gloriam ſempiternam conſequi, Deo dante, poſſitis. Expleto igitur in eo miniſterij noſtri debito, cum omni charitate eum ad vos remittimus: admonentes vos per fidem, in qua redempti, & per Chriſtum ſaluati eſtis, vt eum debito honore & reuerentiâ ſuſcipiatis, & omnem in omnibus, quæ ad regimen ſui Epiſcopatus pertinent, obedientiam & fauorem ſibi exhibeatis. Nos enim inter cetera eum ſollicitè admonuimus, vt contra ſimoniacam hereſim totis erigeretur viribus, & Eccleſias ſuæ parochiæ non priùs conſecraret, nec conſecratas aliter diuinum officium celebrare permitteret, niſi priùs abſolutæ à laicorum manibus, ſicut canonicum eſt, ſuo iuri, & Epiſcopali eius prouinciæ redderentur. Quamobrem ne quis ei contrarius in exequendo monita noſtra obſiſtat, Apoſtolica auctoritate ſub anathematis comminatione interdici-
B mus. Te autem, prædicte Comes, ſingulariter alloquentes, valde miramur, quòd poſtquàm præfatum confratrem noſtrum inſtinctu diuinæ clementiæ cum conſenſu aliorum omnium in Epiſcopum elegeras, & fidelitatem ſibi ex more feceras, neſcio quibus de cauſis elatus, eo præſente, commotionem aduerſus eum agere præſumpſiſti: & poſtquàm ad Apoſtolica limina venit, Clericos & ciues vrbis deprædatus es, & quod valde nefandum eſt, quendam Clericum cepiſti. Quamuis igitur in hac tanta & tam crudeli præſumptione cenſuram Apoſtolicæ animaduerſionis in te prouocaueris, rogatu tamen eiuſdem Epiſcopi tui adhuc debitæ vltionis iaculum in te vibrare diſtulimus. Ceterùm, ne hæc patientia noſtra te in audaciam erigar, & nos in culpam neglectæ iuſtitiæ trahar, Apoſtolica te auctoritate monemus, atque præcipimus, vt ſine omni dilatione quæcumque aduerſus Epiſcopum & Eccleſiam ſibi commiſſam temerè & iniquè commiſiſti digna ſatisfactione emendes, & vlteriùs nulla eum contrarietate moleſtare præſumas. Alioquin ſcias Epiſcopum noſtrum Apoſtolica iuſſione conſtrictum, te ſicut hoſtem, & impugnatorem iuſtitiæ, à liminibus Eccleſiæ anathematis innodatum vinculis ſequeſtrare. Quod & ſi ipſe, quod non credimus, timore aliquo vel gratiâ prætermitteret, nos tamen tantæ temeritatis facinus non relinquemus inultum, & Epiſcopus pro negligentia officij ſui non benè ſuſcepti miniſterij perpendet ſibi imminere periculum. Datum Romæ XVII. Kal. Aprilis, Indictione XII.

C

EPISTOLA V.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, PHILIPPO *Regi Francorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Edit. 71. SIGNIFICASTI nobis per Literas & Legatos tuos, te beato Petro Apoſtolorum Principi deuotè ac decenter velle obedire, & noſtra in his, quæ ad Eccleſiaſticam religionem pertinent, monita deſideranter audire, atque perficere. Quod ſi ita cordi tuo diuino inſtinctu affixum eſt, multum gaudere nos conuenit, quòd Eminentia tua ad diuinam prona reuerentiam, quæ Regiæ adminiſtrationis ſunt cogitat atque cognoſcit. Vnde Nobilitatem tuam ex parte beati Petri admonemus, & omni charitatis affectu rogamus, quatenus Deum tibi placare ſtudeas, & inter cetera, quæ tuum eſt corrigere, per te illata Beluacenſi Eccleſiæ detrimenta, pro magnitudine tui nominis & honoris aliquatenus emendare non prætermittas. Attendere enim te nobiſcum, & diligenter conſiderare volumus, in quanta dilectione Sedis Apoſtolicæ, quantáque gloria & laudibus ferè per Orbem terrarum anteceſſores tui Reges clariſſimi & famoſiſſimi habiti ſunt, dum illorum Regia Maieſtas in amplificandis & defendendis Eccleſiis pia ac deuota conſtitit, in tenendo iuſtitiam libera ac diſtricta permanſit. Poſtquàm verò diuina & humana iura ſubuertendo, tanta virtus in poſterioribus cœpit hebeſcere, totius Regni gloria, decus, honor, & potentia, cum peruerſis

PHILIPPVS I. moribus immutata ſunt, & nobiliſſima fama, & ſtatus Regni è culmine ſuæ claritatis inclinata ſunt. Hæc quidem & alia talia frequenter, & ſi oportet, aſpero etiam ſermone tibi inculcare, ſuſcepti nos officij cura compellit: quoniam licèt verbum prædicationis abſcondere & vſpiam tacere, non ſit nobis tutum aut liberum; tamen quantò dignitas eſt amplior, & perſona ſublimior, tantò propenſiorem curam & clamorem pro eius rectitudine nos habere conuenit: admonente nos Domino per Prophetam dicentem: *Clama, ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam.* Præcipuè cùm virtus Chriſtianorum Principum in eiuſdem Regis caſtris ad cuſtodiam Chriſtianæ militiæ nobiſcum conuenire debeat. Vt igitur eorum, quorum es ſucceſſor in Regno, nobilitatis & gloriæ apud Deum & homines ſingularis & indiuiduus heres exiſtas, virtutem illorum ſummopere te imitari, & iuſtitiam Dei totis viribus exequendo, Eccleſias quantum potes reſtaurare, & defendere exhortamur: quatenus omnipotens Deus dexterâ virtutis ſuæ & hîc Regni tui gubernacula protegat & exaltet, & coronam ſempiternæ gloriæ in futura remuneratione donet. Datum Romæ Idibus Aprilis, Indictione XII. A

EPISTOLA VI.

Lib. 2. Epiſt. 2. edit. 1074. GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, ISEMBERTO *Pictauenſi Epiſcopo.* CVM de te & factis tuis cogitare incipimus, de tam immoderata præſumptionis tuæ audacia nequaquam ſatis admirari poſſumus, quoniam ſicut boni ad incrementa bonorum operum fideli deſiderio nituntur aſcendere; ita tu &, heu! ampliori cupiditate perquiſita, malefaciendi ſtudio culpis tuis cumulum iniquitatis indeſinenter anhelas adiicere. Interdictus enim à Legatis Apoſtolicæ Sedis, officium Epiſcopale vſurpare præſumpſiſti, inobedientiæ crimen & contemptum Apoſtolicæ auctoritatis incurrere non erubuiſti. Poſtea verò & eodem Legato noſtro Amato Epiſcopo Ellorenſi, & magiſtro tuo, videlicet Gozelino Archiepiſcopo Burdegalenſi, vnà cum ceteris religioſis viris, pro faciendo diuortio GVILLELMI Pictauenſis Comitis, & propinquæ ſuæ, quam pro vxore tenebat: his, inquam, ſub Apoſtolica obedientia pro negocio tam graui, tam Chriſtianæ Religioni neceſſario congregatis, conuentum illorum per milites tuos nefariè perturbaſti. Quippe qui perruptis Monaſterij clauſtris & foribus in conſeſſum irruentes, Archiepiſcopum, & Legatum noſtrum multa turpitudine dehoneſtauerunt: reliquos verò minis, conuiciis, ac verberibus, multiſque contumeliis afflixerunt. Vnde Apoſtolica tibi auctoritate præcipimus, vt ante feſtiuitatem S. Andreæ præſentiam tuam, ſuper his reſponſurus, noſtro conſpectui exhibere nullatenus prætermittas. Quòd ſi aliqua, niſi fortè neceſſaria & ineuitabili, occaſione te ſubtraxeris, ab omni etiam ſacerdotali officio te priuatum, & ſacræ communionis participatione ſequeſtratum eſſe noueris. Eos verò, per quos tantum facinus effeciſti, tam laïcos quàm Clericos, à corpore & ſanguine Domini, & omni diuino officio, vſque dum tu ad ſatisfactionem venias, Apoſtolica auctoritate repellimus, & tibi ſub periculo ordinis tui, vt omnibus hoc ſine mora notifices, præcipiendo mandamus. Datum Tiburi IV. Idus Septembris, Indictione incipiente XIII. B C

EPISTOLA VII.

Edit. I. GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, GVILLELMO *Pictauenſi Comiti ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* OMNIPOTENTI Deo laudes & gratias referimus, qui cordis veſtri interiora penetrans ad amorem & timorem ſuum vos inclinauit, & ad obedientiam mandatorum ſuorum, ſuperato carnis deſiderio, confirmauit. Scimus equidem quoniam quod in præſenti vita vobis dulciſſimum fuit, exigente iuſtitiâ reliquiſtis, dum pro reuerentia Chriſtianæ Religionis ab vxore veſtra, quoniam propinqua conſanguinitate vobis eſt, vos ſeparare conſenſiſtis. Verùm quanto grauiori certamine libidinem animi veſtri viciſtis, & ad legem Dei diſtrictiùs vos humiliaſtis, tanto ſublimiorem gloriam infinita remuneratione vobis paratam eſſe proculdubiò ſperare debetis. Quapropter & nobis multò vberior lætitia creſcit, quoniam in hac correctione veſtra certa ſpes veſtræ ſalutis intelligitur, & ea quæ ſemper in domo veſtra fuit, miſerante Deo, generoſitas

A conſeruabitur. Ex hoc enim nobilitas generis valde corrumpitur, cùm proles non Philippvs I.
de legitima coniugij permixtione generatur. Atque eò minùs Eminentia veſtra,
quòd tam acriter vobis inſtitimus, mirari debet; quoniam Romana Eccleſia, quæ
domum veſtram, totámque proſapiam veſtram ſingulari & egregia ſemper chari-
tate dilexit, in tanto vos iacere periculo pati non potuit. Ceterùm, quòd domi il-
lam in veſtra poteſtate vſque ad futuram Synodum morari cupitis, licèt ſoror ve-
ſtra, quam vt matrem diligimus, indè nos interpellauerit, conſentire non aude-
mus. Scientes diabolicam fraudem hominibus maximè vetita repertis occaſioni-
bus præcipua calliditate ſuggerere. Proindè ita eam à veſtra vicinitate penitus re-
moueri & elongari facite, vt veſtra correctio, & oblata Deo reuerentia omnibus
ſit in exemplum, & ſalutem veſtram nulla valeat diabolus ſagacitate turbare. De
cetero ſcitote Pictauenſem Iſembertum Epiſcopum, niſi ante feſtiuitatem S. An-
dreæ ad nos de præſumptione ſua rationem redditurus veniat, ab omni Epiſcopali
& Sacerdotali officio, & ipſa ſacræ communionis participatione eſſe priuatum.
Quòd autem ad ſeruicium S. Petri promptam vos habere voluntatem mandaſtis,
gratanter accepimus, ſed determinatè vobis aliquid de expeditione ſcribere ad
præſens non ſatis diſcretum fore peruidimus: quoniam rumor eſt in Transmarinis
partibus Chriſtianos, miſerante Deo, Paganorum longè propulſaſſe ferocitatem,
& nos de reliquo quid acturi ſimus, adhuc diuinæ prouidentiæ conſilium expecta-
mus. Vobis tamen & de bona voluntate plena apud Deum remuneratio eſt repo-
B ſita: nobis autem, ſi neceſſe fuerit, in veſtris promiſſis, ſicut in dilecto fratre & filio,
certa ſemper exiſtit fiducia. Datum Tiburi, IV. Idus Septembris, Indict. XIII.

EPISTOLA VIII.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, HVGONI *Dienſi Epiſcopo ſalu-* Lib. 5.
tem & Apoſtolicam benedictionem. QVID de negocio Carnotenſis Eccleſiæ Epiſt. 11.
actum ſit, tua relatione, remota omni ambiguitate, ſicut oportuerat, cognouiſſe ann.
vellemus. Peruenit enim ad aures noſtras te excommunicaſſe, & irrecuperabili- 1077.
ter depoſuiſſe quendam iuuenem illuc indignè appoſitum pro Epiſcopo. Quod
quidem, ſi ita eſt, nobis multùm placet, & præſenti auctoritate confirmamus. Ce-
terùm, fraternitati tuæ notum eſſe volumus, PHILIPPVM Regem Francorum
iterata poſtulationem miſſione ad nos direxiſſe, pro Roberto Abbate S. Euphe-
miæ de Calabria, qui & hoc in anno, cùm in Longobardia eramus, per nos tranſi-
uit in Franciam, vt eum ad regimen Carnotenſis Eccleſiæ Epiſcopum probare-
mus, & ordinaremus. Reuerſus eſt etiam ille idem Robertus Abbas ad nos, di-
cens ſe donum Epiſcopatus offerente Rege refutaſſe, nec quicquam indè ſine no-
ſtro conſilio facere voluiſſe, vel facturum eſſe. Veneruntque cum eo duo Clerici
præfatæ Eccleſiæ referentes nobis, & multùm affirmantes, penè omnium qui de
C eadem Eccleſia ſunt maiorum & meliorum voluntates in hunc conueniſſe; non ta-
men aliquam de eo electionem factam fuiſſe. Verùm qui ſanctorum Patrum ſta-
tuta ſequi, & obſeruare cupientes, nihil de eo, aut de promotione eius, ſine ele-
ctione Eccleſiæ nobis probandum eſſe iudicauimus, nec id ipſum quod iſti nobis
de voluntate abſentium referebant, ſatis conſtabat: prudentiam tuam admone-
mus, vt Eccleſiam illam, aut per te, aut per fidelem & probatam tibi perſonam vi-
ſitare ſtudeas, & voluntatem omnium tam maiorum quàm minorum ſuper hac re
diligenti inquiſitione cognoſcas. Quòd ſi cauſam ex omni parte diuina miſeratio-
ne & diſpenſatione ita coaptare poſſe videris, vt illorum in hunc, quem ſuprà dixi-
mus, Abbatem voluntas libera, conſideratio prudens, electio canonica, & ſancto-
rum Patrum regulis conſonans dinoſcatur, quàm citiſſimè nobis certa Literarum
tuarum ſignificatione indicare procures: vt quæ ad effectum huius diſpenſatio-
nis ſunt, Deo auctore exequi & implere poſſimus. Sin autem aliter aliquid inue-
neris, quod & cauſa potior, & ratio probabilior adminiſtret, itidem nobis notifi-
care non differas: quatenus in quo oporteat nobis & Eccleſiæ prouidere, ac ſalu-
briter, Deo adiuuante, quod officij noſtri eſt impendere valeamus.

PHILIPPVS I.

A

EPISTOLA IX.

Edit. 17.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei.* QVIA conſuetudo S.R. Eccleſiæ, cui Deo auctore, licèt indignè, deſeruimus, eſt quædam tolerare, quædã etiam diſſimulare: diſcretionis temperantiam potiùs quàm rigorem canonum ſequentes, cauſas Epiſcoporum Franciæ atque Burgundiæ, qui ſuſpenſi, ſeu damnati à Legato noſtro Vgone Dienſi Epiſcopo fuerant, non ſine graui labore diſcuſſimus. Denique Manaſſem Remenſem Archiepiſcopum, qui in multis accuſatus fuerat, ſeſéque à Synodis, ad quas Vgo Dienſis Epiſcopus eum inuitauit, ſubtraxerat: quia ſententia ſuper eum data, non Romanæ Eccleſiæ grauitate, & ſolita manſuetudine videbatur, in proprium gradum officiúmque reſtituimus, ea quidem ratione,
» vt ſupra corpus ſancti Petri iuraret hoc modo: Ego Manaſſes Remenſis Archie-
» piſcopus pro ſuperbia non dimiſi quòd non venerim ad Synodum Auguſtodunen-
» ſem, ad quam me Dienſis Epiſcopus vocauit. Si vocatus nuncio vel Literis Apo-
» ſtolicæ Sedis fuero, nullo malo ingenio, & nulla fraude me ſubtraham: ſed veniens,
» diffinitioni & iudicio huius Eccleſiæ fideliter obediam. Quòd ſi domino Papæ
» GREGORIO, vel ſuceeſſori ſuo placuerit de obiectis ante Legatum ſuum, re-
» ſpondere, idem per omnia faciam. Theſauros autem, ornamenta & prædia Remen-
» ſis Eccleſiæ mihi commiſſæ ad honorem ipſius Eccleſiæ fideliter tractabo, & ad re- B
» ſiſtendum iuſtitiæ ea non abalienabo.

Vgoni quoque Biſuntino Archiepiſcopo, quia Literæ, quibus inuitabatur ad Synodum, à Clericis ſuis retentæ, & non ſibi oſtenſæ fuerant, ſuſpenſo in eadem Synodo Epiſcopale officium reddidimus: hac conditione, quòd debeat ſe de obiectis coram Legato noſtro, ſi ei viſum fuerit, cum ſuffraganeis, aut conuicinis Epiſcopis expurgare. Richerio verò Senonenſi Archiepiſcopo interdictum reddidimus officium. Promiſit enim in manu noſtra, quòd ſiue per ſe, ſiue per nuncium ſuum cauſam, pro qua ad Synodum præfati Legati noſtri non venit, coram eodem Legato debeat exponere, & in negociis Eccleſiaſticis pro poſſe ſuo conſilium & auxilium fideliter & humiliter ſibi impendere, eiúſque animum placare. Gotfredus autem Carnotenſis Epiſcopus, quia non inuitatus & abſens iudicatus fuerat, Epiſcopali officio à nobis reſtitutus eſt: hoc quidem tenore, quòd cauſa ſua ante Legatum noſtrum debeat retractari, atque diffiniri. Richardus Biturigenſis Archiepiſcopus, quia irato animo, & non Synodali iudicio dimiſit Eccleſiam ſuam, virgam & anulum recepit: promittens ſe de obiectis coram Legato noſtro ſatisfacere. Rodulphus Turonenſis Archiepiſcopus, quia legales accuſatores non habuit, Sacerdotali & Epiſcopali officio reſtitutus eſt: etiam Epiſcopis, qui eum accuſauerant, ab accuſatione deficientibus. Et quia cauſa ſua ab anteceſſore noſtro beatæ memoriæ ALEXANDRO retractata & determinata fuerat, videbatur quòd non ſine certa accuſatione deberet retractari. Nobis tamen viſum fuit, quòd Legatus noſter cum Legato Dienſis Epiſcopi Turonis debeat proficiſci, & conuocare omnes ſuffraganeos Epiſcopos, necnon Clerum & populum, & ex parte beati Petri illos commonere, vt qualiter electus fuerit vel ordinatus, veraciter profiteantur: vt ſi claruerit eum de obiectis innocentem eſſe, quæſtio accuſationis ſuæ omninò deinceps ſopiatur. Sin autem certiſſimè, & vnde dubitari non poſſit, contra eum teſtimonium datum fuerit, canonica ſententiâ feriatur. Actum Romæ, VII. Idus Martij, Indictione I. C

EPISTOLA X.

Lib. 6. Epiſt. 2. edit.
1078.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Huberto & Clericis, & omnibus Comitibus de caſtro ſancti Pauli,* VVIDONI & HVGONI, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem ſi obedierint.* CLERICI ſanctæ Mariæ & ſancti Audomari adeuntes Apoſtolicam Sedem conqueſti ſunt de vobis, quòd iam multo tempore ſibi & ſuæ Eccleſiæ aufertis quandam villam Reſeca nominatam, cum omnibus ad eam pertinentibus: atque cùm multoties de hoc in prouincialibus Synodis coram Epiſcopo veſtro, & ad vltimum coram Hugone Dienſi Coëpiſcopo & confratre noſtro Apoſtolicæ Eccleſiæ Legato in Pictauienſi Concilio querelam feciſſent, atque ille ex auctoritate noſtra præcepiſſet, vt coram Epiſcopo veſtro, aut proclamata Eccle-

A ſiæ præfatæ & Clericis redderetis; aut quòd veſtra iura eſſe debeant rationem diceretis, Epiſcopúſque veſter tres terminos vobis, & ad vltimum prouincialem Synodum ſtatuiſſet, vt vtrumlibet ageretis: vos tamen neutrum ſicut numquam, ita quoque nec tunc facere voluiſtis. Vnde ex auctoritate Dei, & ſancti Petri Apoſtolorum principis præcipimus vobis, vt ſi ita eſt, prædictas res prædictæ Eccleſiæ & Clericis eius ſine dilatione canonicè reſtituatis. Aut ſi ita non eſt, & iuſta ratione pro certo ſcitis ad veſtram Eccleſiam eas pertinere debere, infra quadraginta dies poſtquàm Literas noſtras videritis, vel ſi eas videre vitaueritis, poſtquam eas miſſas vobis cognoueriris, Hugonem præfatum Coëpiſcopum & fratrem noſtrum ad diem Ingelranno & fratribus eius à vobis antè denominatum atque prænunciatum adeatis: vtriſque partibus coram poſitis; ipſe legitimum finem faciat huius contentionis. Quòd ſi iſtud agere nolueritis infra præſcriptos dies, finitis eis; contradicimus vobis, & VVidoni, Hugonique; & Euſtachio Comitibus, Oilardo quoque Subdefenſori præfatæ poſſeſſionis, omnibúſque vobis amodò auxilium & conſenſum ad hoc ſacrilegium præbituris, velut ſacrilegis & raptoribus omnem penitus Eccleſiæ ingreſſum, & Chriſtianam communionem, atque gratiam beati Petri Apoſtolorum principis, & in vita & morte, niſi fortè pœnitentiam egeritis; & iniuſtè rapta Eccleſiæ præfatæ canonicè reſtitueritis. Si autem, quod abſit, ab omnibus Chriſtianis poſt hæc omnia, diabolica infecti malitiâ, in excommunicatione præſcripta incorrigibiliter perſeuerare malueritis; præcipimus defenſoribus B & patronis prædictæ Eccleſiæ, vt eadem & Clericis eius præfatas res reſtituere omnibus modis ſatagant. Datum Romæ VII. Kal. Decembris, Indictione II.

PHILIPPVS I.

EPISTOLA XI.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei Archidiaconibus Taruennenſis Eccleſia, Iruolpho & Huberto, & Canonicis, ſi canonicè vixerint, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CLERICOS de caſtro Sancti Pauli, de quibus Canonici ſanctæ Mariæ & ſancti Audomari per Ingelrannum & alios fratres eius nobis ſunt conqueſti, ad ciuitatem Taruennam ex auctoritate noſtra omnes conuocate, & Literas noſtras eis legite; quæ vobis dabuntur ex noſtra parte. Quòd ſi noluerint venire, vel venientes Literis noſtris non obedire; omnem Eccleſiæ ingreſſum; & quod in Literis noſtris eis contradicitur contradicite, & inſuper quicquid de Eccleſia Taruennenſi poſſident clericali exhibitione. Laïcis quoque in Literis noſtris nominatis; & quicumque alij præfatis Clericis poſt Literas noſtras viſas, vel notificatas, non obedientibus; conſenſum, auxiliúmque, vt in rapina & ſacrilegio perſeuerent, præbuerint, notificate quòd in præſcripta poſiti ſint excommunicatione: Mathildem viduam Arnulphi Aduocati, quæ terram, quam maritus ſuus moriens dedit Eccleſiæ ſanctæ Mariæ, & quam ipſe promiſit morienti ſe C liberam facere, admonete adhuc; vt quod promiſit perficiat: ſin autem, in præfata damnatione, quandiu non fecerit, maneat. Rengerium, Adam, Berenuoldum, & ceteros; qui ſubtrahunt decimas nouarum terrarum præfatæ Eccleſiæ; admonete vt reddant, & ſatisfaciant. Quod ſi noluerint, quouſque reſipiſcant, prædictæ damnationi ſubiaceant. Et hoc etiam addimus; vt nullus accipiat de manu omnium prælibatorum oblationem aliquam, ſiue in vita, ſiue in morte; quouſque canonicè quod peccauerunt emendent. Datum Romæ VII. Cal. Decembris, Indictione II.

Epiſt. 6. cant.

EPISTOLA XII.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei; Rodulpho, Odoni, Epponi, Vmbaldo, Euerardo, Bozoni, Giraldo, Adelardo, & ceteris Principibus Bituricæ regionis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem, ſi obedierint.* MIRAMVR temeritatem & inſolentiam præſumptionis veſtræ, quòd contra fas & excommunicationem Apoſtolicam vobis delatam, Abbatiam Dolenſem, quam in tutelam hactenus habuiſtis, immò etiam ad cumulum detrimenti tam animarum veſtrarum quàm corporum, abiecto eo, quem manibus propriis, Deo volente, vobis in Abbatem conſecrauimus, Gualterium inuaſorem irrecuperabiliter depoſuimus, & ei res Eccleſiæ, ſuiſque fautoribus, ſub excommunicatione interdiximus. Confratri au-

Epiſt. 12. edit.

PHILIPPVS I. tem noſtro VVermundo Vienenſi Archiepiſcopo Abbatiam Dolenſem conceſſimus, immò reddidimus. Vos ergo monemus, & Apoſtolica auctoritate præcipimus, vt abiecto inuaſoris prædicti dominio, Abbati veſtro iùre canonico VVermundo Vienenſi Archiepiſcopo ſincera mente & puro corde obediatis. Quòd ſi rebelles Deo & beato Petro in his deinceps fueritis, à Dominica prima poſt Pentecoſten, ſcilicet in octauis, eum Dolenſibus Monachis, niſi ſatisfecerint, coram Vicario noſtro Hugone Dienſi Epiſcopo Valentiæ vos excommunicationi ſubiacebitis. Si autem Patri veſtro ſpirituali confratri noſtro VVermundo Vienenſi Archiepiſcopo obedientiam & auxilium exhibueritis, gratiam Dei & beati Petri percipietis. Te autem, Rodulphe, quia in his plus ceteris tibi à Deo conceſſa eſt poteſtas, rogamus, & præcipimus, vt eum in Abbatiam ſine ſimulatione & dolo reſtituas, & totius iræ ſiue diſcordiæ oblitus, ei vt filius chariſſimus cohæreas: quatenus gratiam Dei, & peccatorum tuorum indulgentiam ab ipſo, cui data eſt poteſtas ligandi atque ſoluendi, percipias. Datum Romæ XIII. Cal. April. Indict. II. A

EPISTOLA XIII.

Lib. 7. Epiſt. 19. edit. 1079. GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, omnibus in Bituricenſi, necnon Narbonenſi, ſeu Burdegalenſi Prouinciis conſtitutis, exceptis his, qui Apoſtolica excommunicatione tenentur, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CLAMOR Abbatis Aureliacenſis Cœnobij, quod proprij iuris beati Petri, conceſſione fundatoris, ſcilicet beati Geraldi, eſſe dinoſcitur, auribus noſtris inſonuit: videlicet ſuper quibuſdam perſonis, qui iniuſtè detinent beneficia prædicti Monaſterij, à prædeceſſoribus ſuis ſub fidelitate & dominio pro defenſione Eccleſiæ ſibi & ſuis anteceſſoribus olim conceſſa. Præcipuè conqueritur ſuper BERENGARIO Carlarenſi Vicecomite, qui propria cupiditate ductus, debitum ſeruitium & fidelitatem Abbati exhibere negat, niſi beneficium, quod immeritò detinet, adhuc etiam de iure Eccleſiæ augeatur. Proinde Apoſtolica auctoritate præcipimus, quatenus omnis qui beneficium præfatæ Eccleſiæ ad hoc aliquando ſuſcepiſſe cognoſcitur, ſubiectionem & fidelitatem Abbati perſoluat, & ſeruitium pro beneficio largiri non deneget, & ab exactione illicitæ augmentationis deſiſtat. Aliter enim inuaſor & ſacrilegus eſſe comprobatur. Nos verò detrimentum ſupradicti Cœnobij agnoſcentes, Abbatem ſub promiſſione fidei ſuæ in manu noſtra obligauimus, vt nulli militum liceat illi vltra manſum de poſſeſſione Eccleſiæ dare ſub hac vel alia occaſione, neque alicui perſonæ, niſi communis vtilitas Fratrum regulariter degentium poſtulauerit, & Apoſtolicæ æquitati renunciare auſus fuerit. Monaſterium autem Mauziacenſe cum omnibus ſibi adiacentiis, & Eccleſias ſcilicet Dalmairaei & Montis Saluij, & ceteras, necnon terras & poſſeſſiones in quacumque ſupraſcriptarum Prouinciarum ablatas, ſeu conſuetudinibus oppreſſas, Monaſterio Aureliacenſi ſcriptis ſiue teſtibus olim iuſtè conceſſas, Apoſtolica auctoritate præcipimus reſtitui, & ſine inquietudine aliqua permitti. Monaſterium quidem Vicenſe in manu Abbatis refutatum à Principibus ipſius terræ, conſenſu Epiſcopi & Clericorum ſibi ſuiſque ſucceſſoribus confidimus, & cõfirmamus, & fautoribus refutationis Apoſtolicam benedictionem largimur: & eos, qui Eccleſias ſiue prædia præfati Monaſterij iniuſtè detinent, abſque vlla dilatione reddi iubemus. Qui ergo his mandatis noſtris ſpiritu ſuperbiæ acquieſcere noluerit, præcipuéque Berengarius, ſi obedire contempſerit, gratiam beati Petri amittet, & iram omnipotentis Dei incurret. Obtemperantibus autem gratiam Dei, & Apoſtolicam benedictionem de miſericordia diuina confiſi largimur. Datum Romæ II. Idus Aprilis, Indictione III. B C

EPISTOLA XIV.

Lib. 8. Epiſt. 18. edit. 1080. GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei,* HEBOLO *nobili & glorioſo Comiti ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* SICVT prudentia tua meminiſſe poteſt, nos longo tempore præter voluntatem tuam, virorúmque religioſorum, qui ipſum nouerant, Manaſſem dictum Remenſem Archiepiſcopum diſſimulauimus, eúmque putantes correctionis ſuæ curam habere, diu profectò porta-

A uimus. Verùm ille patientiâ noſtra abuſus, & (quod euidenter appatet) ex conſcientia praua in deſperationis foueam lapſus, non ſolùm ſe prætenſæ mſuetudini ingratum exhibuit; ſed etiam in reliquum miſericordiâ S. Petri indignum ſe fecit: ſcilicet, vt cuius in depoſitione ſententiam Vicarij noſtri Hugonis Dienſis Epiſcopi in Concilio Lugdunenſi prolatam approbatámque ad terminum nos diſtulerimus, deinceps in perpetuum firmam eſſe & ratam, ipſúmque ſine ſpe recuperationis depoſitum adiudicemus. Quapropter eum irreuocabili iudicio Epiſcopalis Sedis regimine priuatum eſſe tuæ Celſitudini denunciantes, monemus, atque ex parte beati Petri præcipimus, vt tam teipſum à peſtifera amicitia illius à modo retrahas, quàm & alios quos potes ab eo cuſtodire ſe doceas. Vt autem gratiam Dei & beati Petri largiùs merito, quas ſperare ſtudium ſolertiæ tuæ non deſit, tam per teipſum, quàm & per quoſcumque vales, præfato depoſito pro magnitudine tua reſiſtere, illúmque Archiepiſcopum, quem ſaniori conſilio pars Cleri melior cum conſenſu prædicti Legati noſtri Hugonis videlicet Epiſcopi Dienſis, illi Sedi elegerit, modis omnibus adiuuare. In hac igitur re ita te deuotum & obſequentem mandatis Apoſtolicis apertè demonſtres, quemadmodum tuis in neceſſitatibus fideles tuos exiſtere cupetes. Et ſicut à fidelibus tuis non impunè tergiuerſationem tibi fieri ſummi in negocijs ferres: ita procures reſpectu beati Petri, ad quem ſpectat rotius Eccleſiæ cauſa, rem hanc ex animo gerere: quatenus & hic eum protectorem, & in futuro patronum ex debito merearis habere. Datum vi. Cal. Ianuar. Philippu I.

B

EPISTOLA XV.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, PHILIPPO *glorioſo Regi Francorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem*. SÆPE per Nuncios tuæ Celſitudinis audiuimus, te gratiam beati Petri, noſtrámque amicitiam cupere. Quod & tunc nos libenter accepiſſe, & adhuc, ſi eum animum geris, noueris admodum nobis placere. In hoc enim te tuæ ſalutis amicum, ſollicitúmque eſſe demonſtras, ſi Apoſtolicam beneuolentiam, ſicut Chriſtianum Regem decet, aſſequi, & obtinere deſideras. Quam quidem hoc pacto adipiſci multò faciliùs ac digniùs poteris, ſi te in Eccleſiaſticis negocijs diligentem deuotúmque reuerenter exhibueris. Qua in re proculdubiò minus vigilanter, multúmque negligentiùs, quàm ſanum fuerit, olim habuiſſe te cetneris. Sed nos adoleſcentiæ tuæ præterita delicta ſpe correctionis tuæ portantes, vt deinceps caſtigatis motibus ad ea quæ oportet inuigiles, ex debito officij noſtri monemus. Igitur inter cetera virtutum ſtudia Regiæ Excellentiæ conuenientia, quæ tibi ineſſe optamus, cùm te iuſtitiæ amatorem, miſericordiæque cuſtodem exiſtere, Eccleſias defendere, pupillos viduáſque protegere ſit neceſſarium, non minus ad internæ ſalutis cuſtodiam tibi eſſe prauorum conſilia ſpernenda, maximéque excommunicatorum familiaritates deteſtandas arbitramur, atque aſſerimus. Vnde ſublimitati tuæ ex parte beati Petri præcipimus, ac ex noſtra rogamus, vt Manaſſæ Remenſi Archiepiſcopo dicto, ſed propter ſuas iniquitates, quæ non prætereunt ſcientiam tuam, irrecuperabiliter depoſito, nullum vlteriùs fauoris tui ſolatium præbeas: ſed eum ita ab amicitia tuâ reſcindas, atque à conſpectu præſentiæ tuæ contemptum repellas, vt te pateat, inimicos ſanctæ Eccleſiæ, videlicet excommunicatione induratos, reſpuendo, Deum diligere, Apoſtoliciſque mandatis morem gerendo, gratiam beati Petri veraciter deſiderare. Præterea volumus, & ex parte Apoſtolica iubemus, vt electionem, quam præfatæ Remenſis Eccleſiæ Clerus & populus, Deo annuente, facturus eſt, nullo ingenio aut ſtudio, quò minùs canonicè fiat, impedias: ſed & ſi quis impedire aliquo ſtudio ſeculari tentauerit, illi omninò contradicas, atque illi, quem pars fidelior & religioſior elegerit, adiutorium tuum impendas. Age igitur, & iam ætate vir factus in hac re procura, vt non fruſtrà tuæ iuuentutis culpis peperciſſe, nec in vanum te ad emendationem expectaſſe videamur. Datum xi. Cal. Ianuar. Epiſt. 20. edit.

C

EPISTOLA XVI.

GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Abbatibus, Clericis, & laicis Turonenſis Archiepiſcopatus, & Epiſcopatus Andegauenſis, qui Deo & beato Petro, at-* Lib. 9. Epiſt. 29. edit. 1081.

PHILIPPVS I. *que Sedis Apoſtolicæ Legatis obediunt, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* NOTVM A vobis eſſe non dubitamus, Andegauenſem Comitem FVLCONEM, ob nequitiam ſuam eſſe excommunicatum: quam etiam in eos, qui ſibi adhærent & fauent, extendi cunctis ſacram Scripturam ſcientibus liquet. Qui iam diu expectatus, non ſolùm de via ſua peſſima ad Deum, ſicut Chriſtianum oportet, non eſt conuerſus, ſed inſuper ad augmentum malitiæ ſuæ aliis item excommunicatis coniunctus, fratrem noſtrum Turonenſem Archiepiſcopum de Sede ſua expulit, boníſque Eccleſiæ penitus expoliauit. Proinde Apoſtolica vobis auctoritate præcipimus, vt tam à præfato Comite, quàm ab omnibus ſequacibus vel complicibus eius vobis ſummopere caueatis, omninò vos abſtinentes à familiaritate & participatione ipſorum. De prædicto verò fratre noſtro Archiepiſcopo, qui propter iuſtitiam pulſus, & perſecutionem perpeſſus eſt, vobis nihilominus præcipientes mandamus, vt ei ſicut Patri veſtro fideliter deuotéque obediatis, ac neceſſitatibus ipſius, ſicut boni filij, opitulari libenter ſtudeatis. Quemadmodum namque ſæpedicto Comiti fauentes in ſe Dei odium proculdubiò prouocant, ita & huic fratri noſtro in quibus neceſſe eſt ſuffragantes, non dubiè gratiam beati Petri ſuorúmque peccatorum abſolutionem merentur. Præterea præcipimus nominatim B. venerabili Abbati ſanctæ Mariæ, vt Literas noſtras Canonicis S. Martini, quas eis direximus ferat.

EPISTOLA XVII. B

Epiſt. 20. edit. GREGORIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, R. S. R. E. Cardinali, & Abbati Maſſilienſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* NON ignorat prudentia tua, Canonicam ſancti Saturnini ſitam iuxta Toloſanam vrbem Apoſtolicæ Sedi eſſe commiſſam, cui licèt ex generali omnium Eccleſiarum curâ conueniat nos tuitionis auxilium prouidere; tamen ſpecialiter oportet nos eò magis illi loco noſtræ protectionis munimen impendere, quò ampliùs conſtat eius vel iniurias, vel negocia ad Romanam Sedem, cuius iuris eſt, attinere. Præfata igitur Eccleſia, quanquam nouiter, decenter tamen canonicam vitam inſtituit, atque hactenus, ſicut tua ſolertia nouit, ex tunc regulariter vixiſſe dinoſcitur. Verùm, quoniam antiqui hoſtis mos eſt, eò magis dolere inuidiæque facibus vri, quò ampliùs videt Chriſtianam Religionem creſcere, & de bonorum prouectibus lucra, vel potiùs rapinas ſuas diminui, contra memoratum locum iam cœpit ſecularium exagitatio, & quod magis mirandum ac dolendum eſt, Eccleſiaſticorum odia ſuboriri. Vnde & Canonici querimoniam ad nos direxerunt ſuper Clericis S. Stephani, quorum ſuggeſtione per quendam fugitiuum Clericum ſibi priuilegium, quod eis indulſeramus, ſubreptum eſt, quíque Cimiterium, quod ante regularem ordinationem ſuam locus ille quietè per longa temporum curricula tenuit, modò auferre, atque Eccleſias ad eum pertinentes in poteſtatem ſuam illicitis conditionibus redigere conantur. Conqueruntur & ſuper Monachis Moſiacenſibus, qui quandam Eccleſiam, C vndè interpoſitis ſacroſanctis Euangeliis ſecundum iudicium Legati noſtri Amati Ellorenſis Epiſcopi, collaudantibus aliis Epiſcopis qui aderant, lis inter eos determinata fuerat, iterata deteriùs iniuria per vim Comitis VV. datis, vt fertur, muneribus occupatam detinere nituntur. Quapropter experientiæ tuæ præcipimus, vt prælibatos tam Clericos quàm & Monachos, atque ipſum Comitem Literis, & quibus modis vales, commonere procures: quatenus ea quæ contra dictam Eccleſiam iniquè vel odioſè geſſiſſe noſcuntur, Deo & iuſtitiæ ſatisfacientes, ſicut oportet emendent, ac de cetero debitam Apoſtolicis priuilegiis reuerentiam exhibentes, iram Dei prouocare, & maledictionem ſupra ſe temerariis auſibus inducere caueant. Epiſcopum quoque Diœceſis ipſius admoneas, vt eandem Canonicam tam ipſe non inquietet, quàm & alios quos prohibere valeat inquietare non ſinat. De Monachis tamen, quoniam Cluniacenſi Abbatiæ pertinent, ipſi venerabili Abbati inprimis notificandum cenſemus, vt ipſe inſolentiam ſubditorum ſuorum compeſcat, & iuſtitiæ acquieſcere, ſi fortè noluerit, compellat. Ad vltimum verò, ſi quis illorum monitis tuis, imò beati Petri obtemperare contempſerint, quamcumque in eorum audaciam ſententiam protuleris, ſcias auctoritate noſtra firmandam.

IVONIS

A

IVONIS EPISCOPI CARNOTENSIS, EPISTOLÆ HISTORICÆ.

EPISTOLA I.

IVo *Dei gratiâ Carnotenſium humilis Epiſcopus*, ADELÆ *nobili* *Epiſt. 5. inter editas.*
Comitiſſæ, recta in Chriſto ſapere. REGIVS in excellentia veſtra
ſanguis ex vtraque linea deſcendens, nobilitatem generis in ocu-
lis omnium manifeſtè commendat. Sed hanc apud religioſas
B mentes morum probitas, & larga ad erogandum manus, quan-
tum didici, vehementer exuperat. Vnde miror qua ratione con-
ſobrinam veſtram Adalaidem ſicut vos ipſam amare dicatis, cuius adulterinos cum
Gulielmo complexus vel defendere, vel protelare tanto ſtudio laboratis, nec ſa-
luti veſtræ vel illorum ſatis commodè prouidetis, neque quantum periculum vel
quanta infamia mihi ſuper hoc immineat aliquatenus præcauetis. Quomodo enim
gladius ſpiritus in ore meo poſitus ferire audebit longè poſitos ſimili contagione
pollutos, qui tangere non audebit vel diſſimulabit iuxta ſe poſitos? Nónne dicturi
ſunt mihi illud Euangelicum: *Eiice primum trabem de oculo tuo, vt poſtea videas fe-* *Matth. 7.*
ſtucam in noſtro? Hanc porrò me habere tolerantiam terribiliter Apoſtolus vetat,
de eiuſmodi ſcelerum patratoribus dicens: *Quoniam qui talia agunt, digni ſunt mor-* *Rom. 1.*
te: nec ſolùm qui faciunt, ſed etiam qui conſentiunt facientibus. Conſentientes autem
beatus Ambroſius diſſimulantes vocat, vel defendentes. Qua de re obnixè peto,
vt non indignetur aduerſum me veſtra ſublimitas, quoniam teſtis mihi eſt ille cui
nuda eſt abyſſus humanæ conſcientiæ, me hoc non arripuiſſe causâ maliuolentiæ
meæ vel alienæ, ſed ſolo rigore & amore iuſtitiæ: in tantum vt ſi aliter fieri non poſ-
ſit, malim hominum incurrere maliuolentiam, quàm legem Dei mei derelinque-
re. Quadam tamen conditione condeſcendam petitioni veſtræ, ſi vterque iuraue-
rit, quòd ante finitam cauſam à carnali coniunctione ſe immunes cuſtodiant. Alio-
quin ſatagendum eſt mihi, vt mortuum iam quatriduanum longè latéque fœten-
C tem crebra admonitione de inferno inferiori valeam euocare. Valete.

EPISTOLA II.

RAINALDO *reuerendo Remorum Archiepiſcopo*, IVO *humilis Carnotenſium Epi-* *Edit. 18.*
ſcopus, conſolationis viſceribus abundare. EXPERTVS quantum ſit periculum
Prælatorum, iuxta quod in Pſalmo legitur: *Qui deſcendunt mare in nauibus, fa-* *Pſal. 106.*
cientes operationem in aquis multis, ipſi viderunt mirabilia in profundo. Aſcendunt ad
cælos, & deſcendunt vſque ad abyſſos. anima eorum in malis tabeſcat. Turbati ſunt, &
moti ſunt ſicut ebrius: & omnis ſapientia eorum deuorata eſt. In quo per me minus ſa-
pio, veſtro ceterorúmque conſilio prudentium informari vel confirmari deſidero.
Nuper enim cùm à Domino noſtro Rege fuiſſem inuitatus * ad colloquium, quo- * *al. euocatus*
rumdam maliuolorum meorum ſuggeſtione obnixè me rogauit, vt eſſem ei adiutor
in celebrandis nuptiis, quas facere diſponebat de BERTRADA dicta coniuge
Comitis Andegauenſis. Ad quod cùm reſpondiſſem, non ita oportere fieri, quo-
niam nondum eſſet cauſa diffinita inter ipſum & vxorem eius: teſtatus eſt pleniter
diffinitam eſſe Apoſtolica auctoritate, & veſtra veſtrorúmque Coëpiſcoporum lau-
datione. Quo audito, reſpondi me hoc ignorare, nec huiuſmodi nuptiis velle in-
tereſſe, niſi vos earum eſſetis conſecrator & auctor, & Coëpiſcopi veſtri aſſertores

Philippus I. & cooperatores: quoniam id competit iuri Eccleſiæ veſtræ ex Apoſtolica auctoritate, & antiqua conſuetudine. Quoniam igitur confido de religione veſtra, nihil vos de te tam periculoſa, & famæ veſtræ & honeſtati totius Regni tam pernicioſa facturum dicturúmve, quod non auctoritate vel ratione nitatur: ſtudioſiſſimè & deuotiſſimè obſecro charitatem veſtram, vt mihi fluctuanti veritatem huius rei quam ſcitis aperiatis, & ſanum conſilium licèt arduum & aſperum ſuper hoc præbeatis. Malo enim perpetuò officio & nomine Epiſcopi carere, quàm puſillum gregem Domini mei legis præuaricatione ſcandalizare. Sunt etiam latentes cauſæ, quas interim tacere me condenit, propter quas hoc matrimonium laudare non poſſim. Valete. A

EPISTOLA III.

Edit. 14. ARCHIEPISCOPIS *& Epiſcopis ad Regales nuptias inuitatis*, IVO *humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, cum ſpiritu conſilij ſpiritum habere fortitudinis.* EXEMPLAR Literarum, quas miſi Domino noſtro Regi, charitati veſtræ tranſmitto; vt eandem cauſam me habere ſciatis, quam & vos habetis, cur nuptiis, ad quas vocati eſtis, ſubtrahere vos debetis. Vos igitur qui conueniſtis, nolite fieri canes muti, latrare non valentes: ſed ſicut boni ſpeculatores, videntes gladium venientem ſuper terram, buccinâ inſonate: vt cùm feceritis quod debetis, veſtras animas, & eorum qui ad vocem buccinæ ſe vobiſcum obſeruauerint, vobiſcum liberetis. Exemplar autem hoc eſt. B

EPISTOLA IV.

Edit. 21. DOMINO *ſuo* PHILIPPO *magnifico Francorum Regi*, IVO *humilis Carnotenſium Epiſcopus, ſic militare in Regno terreno, vt non priuetur æterno.* SICVT Serenitati veſtræ dixi præſens ante iuramentum veſtrum, ita nunc ſcribo abſens: quia huic nuptiarum ſolemnitati, ad quam me vocatis, intereſſe non volo, nec valeo, niſi priùs generalis Concilij diffinitione decretum eſſe cognoſcam, inter vos & vxorem veſtram legitimum interueniſſe diuortium, & cum iſta, quam ducere vultis, legitimum vos inire poſſe matrimonium. Si autem inuitatus fuiſſem ad huius rei diſcuſſionem in eo loco, in quo cum Coëpiſcopis canonicas ſecurè poſſem conferre ſententias, vbi temerariam non timerem multitudinem: libentiſſimè ad hoc venirem, quod lex & iuſtitia dictaret cum audientibus audirem, cum dicentibus dicerem, cum facientibus facerem. Nunc verò quia abſolutè vocor vt Pariſius cum vxore veſtra veniam, de qua neſcio vtrum poſſit eſſe vxor: propter conſcientiam meam quam coram Deo conſeruare debeo, & propter famam quam Chriſti Sacerdotem bonam habere oportet apud eos qui foris ſunt, malo cum mola aſinaria in profundum mergi, quàm per me mentibus infirmorum tanquam cœco offendiculum poni. Nec iſta contra fidelitatem veſtram, ſed pro ſumma fidelitate dicere me arbitror: cùm hoc & animæ veſtræ magnum credam fore detrimentum, & coronæ Regni veſtri ſummum periculum. Mementote quia primum parentem, quem Dominus vniuerſæ viſibili creaturæ præfecerat, mulier in paradiſo ſeduxit, & ita vterque à paradiſo exulauit. Samſon quoque fortiſſimus per mulierem ſeductus, fortitudine amiſſa qua hoſtes ſuperare ſolebat, ab hoſtibus eſt ſuperatus. Salomon ſapientiſſimus propter mulierum concupiſcentiam à Deo apoſtatauit, & ita ſapientiam qua præcellebat amiſit. Caueat ergo ſublimitas veſtra, ne in horum incidatis exemplum, & ita cum diminutione terreni, regnum amittatis æternum. Conſulite ergo Angelum magni conſilij, vt accepto ab eo ſpiritu conſilij, inhoneſta & inutilia vitare, honeſta & vtilia in omnibus negociis veſtris valeatis perficere. Valete. C

EPISTOLA V.

Edit. 22. PHILIPPO *piiſſimo Francorum Regi, Domino ſuo*, IVO *humilis Carnotenſium Epiſcopus, ſic gubernare temporale Regnum vt non amittat æternum.* QVONIAM præcedente diuina gratia de ſtercore pauper vſque ad ſolium Principum per manum veſtram eleuatus ſum, fateor me poſt Deum pro poſſe meo cuncta vobis debere, quæ veſtro congruunt honori & ſaluti. Sed quia exaſperatus propter ſalu-

A brcs monitus, quos ſerenitati veſtræ ex ſumma fidelitate & charitate direxi, me diffiduciaſtis, & bona Epiſcopalis domus diripienda aduerſariis noſtris expoſuiſtis, grauia & grandia inde perpeſſus incommoda, regali Curiæ ad præſens nec ſecurè poſſum intereſſe, nec honeſtè. Supplico itaque Maieſtati veſtræ, vt Regia interim me manſuetudine ſupportetis, donec poſſim aliquantulum reſpirare, & damna quæ mihi penè vſque ad penuriam panis inflicta ſunt aliqua ex parte reparare. Expecto etiam per miſericordiam Dei citò futurum, vt verum eſſe cognoſcatis illud Prouerbium Salomonis: *Meliora ſunt vulnera diligentis, quàm fraudulenta oſcula blandientis.* De cetero calumniatoribus meis, quibus me reſpondere iubetis, cùm inſinuatum fuerit qui ſint, & quid expoſtulant, reſpondere non ſubterfugiam, vel in Eccleſia, ſi Eccleſiaſtica ſunt negotia; vel in Curia, ſi ſunt Curiala. Benè valete. PHILIPPVS I.

EPISTOLA VI.

IVO *Dei gratia humilis Carnotenſium Epiſcopus*, VVIDONI *Domini Regis Dapifero, ſalutem.* CHARISSIME, quia ſcio te velle laborare de componenda pace inter me & Dominum meum Regem, multas gratias tibi reddo. Sed quia hæc pax non poſſet eſſe ſtabilis quamdiu voluerit in incœpro ſuo durare, conſilium B meum eſt adhuc expectare, ſi fortè Deus daret ei mentem bonam, vt vellet conſilium ſuum in melius commutare. Quòd ſi facere vellet, ſcias omnia eſſe parata quæ neceſſaria ſunt ad faciendum diuortium inter eum & nouam coniugem ſuam. Vidi enim Litteras, quas miſit domnus Vrbanus Apoſtolicus ad omnes Archiepiſcopos & Epiſcopos Regni ſui, vt eum ad rationem mittant: & niſi reſipuerit, Eccleſiaſtica eum diſciplina ad emendationem venire conſtringant. Hæ quidem Litteræ iam publicatæ eſſent, ſed pro amore eius feci eas adhuc detineri, quia nolo Regnum eius, quantum ex * me eſt, aduerſus eum aliqua ratione commoueri. Hæc omnia volo vt dicas Domino noſtro Regi, & ſecundum hoc quod apud eum inueneris, mihi facias remandari. Vale. Edit. 25. * al. in me

EPISTOLA VII.

PHILIPPO *Dei gratiâ magnifico Francorum Regi*, IVO *humilis ſublimitatis ſuæ Clericus, ſic ſe regere vt Regi regum valeat complacere.* EXCELLENTIÆ veſtræ Litteras nuper accepi, quibus ſubmonebar vt apud Ponteſium vel Caluummontem cum manu militum vobis die quam ſtatueratis occurrerem, iturum vobiſcum ad placitum quod futurum eſt inter Regem Anglorum, & Comitem Normannorum. quod facere ad præſens magnæ & multæ cauſæ me prohibent. Prima, quia domnus Papa VRBANVS interdicit vobis auctoritate Apoſtolica thorum C mulieris quam pro vxore habetis, & quia ſacramẽtum de ſecuritate Concilij, quod vobis mandauerat, fieri vetuiſtis. A cuius commixtione ſi amodò non ceſſatis, ſeparat vos eadem auctoritas à participatione corporis & ſanguinis Dominici. Interdicit etiam omnibus Epiſcopis, ne capiti illius mulieris coronam imponant, quam, vt vbique penè terrarum dicitur, lateri veſtro illicitè copulaſtis. Parcens igitur Maieſtati veſtræ diſſimulo veſtram adire præſentiam, ne Sedis Apoſtolicæ iuſſione compulſus, cui vice Chriſti parere me oportet, quod nunc dico in aure, cogar in veſtris & multorum auribus publicare. Ego autem nolo vos ſcandalizare, vel Regiam Maieſtatem veſtram minuere, quamdiu poſſum aliqua honeſta ratione diſſimulare. Præterea caſati Eccleſiæ, & reliqui milites penè omnes abſunt, vel pro pace violata excommunicati ſunt: quos ſine ſatisfactione reconciliare non valeo, & excommunicatos in hoſtem mittere non debeo. Poſtremò nouit veſtra Serenitas, quia non eſt mihi in Curia veſtra plena ſecuritas, in qua ille ſexus mihi eſt ſuſpectus & infeſtus, qui etiam amicis aliquando non ſatis eſt fidus. Expecto igitur vt aliquando cor veſtrum, illuſtrante diuina clementia, contra ſibilum ſerpentis auditum obturetis, & monitis ſalutis aures cordis aperiatis. Hoc deſidero; hinc ante Deum cotidie preces effundo. Valete. Edit. 28.

PHILIPPVS I. A

EPISTOLA VIII.

Edit. 45. IVo *Dei gratiâ Carnotenſis Epiſcopus, Clericis Mellentinis, & omnibus in Pixiacenſi Archidiaconatu, ſalutem.* PERLATVM eſt ad aures noſtras, quòd Mellentinus Comes ducere velit in vxorem filiam Hugonis Criſpeienſis Comitis. quod fieri non ſinit concors decretorum & canonum ſanctio, dicens: Coniunctiones conſanguineorum fieri prohibemus. Hotum autem conſanguinitas nec ignota eſt, nec remota: ſicut teſtantur & probare parati ſunt præclari viri de eadem ſati proſapia. Dicunt enim quia Gualterius Albus genuit matrem Gualeranni Comitis, qui genuit matrem Roberti Comitis. Item ſupradictus Gualterius genuit Radulphum patrem alterius Radulphi, qui genuit Vermandenſem Comitiſſam, ex qua nata eſt vxor Comitis Hugonis, cuius filiam nunc ducere vult Mellentinus Comes. Si autem prædicta genealogia ita ſibi cohæret, legitimum non poterit eſſe coniugium, ſed inceſtum contubernium: nec filios poterunt habere legitimos, ſed ſpurios. Vnde vobis ex Apoſtolica & canonica auctoritate præcipimus, vt tam calumnioſum coniugium in Eccleſiis noſtri Epiſcopatus nec ipſi conſecretis, nec ab aliquo quantum in vobis eſt conſecrari permittatis: niſi primùm in præſentia noſtri conſanguinitas hæc ſeptimum gradum exceſſiſſe legitimè fuerit comprobata. Valete, & has Litteras Mellentino Comiti tranſmittite. B

EPISTOLA IX.

Edit. 46. VRBANO *ſummo Pontifici*, IVO *Sanctitatis ſuæ filius, fidelium orationum munus.* VENTVRI ſunt ad vos in proximo Nuncij ex parte Regis Francorum, per quorum os locuturus eſt ſpiritus mendax, qui infatuati adeptione vel promiſſione honorum Eccleſiaſticorum infatuare molientur ſedem iuſtitiæ. Contra quorum calliditatem à paruitate mea vigilantiam veſtram volo eſſe præmonitam & præmunitam, quatinus rigorem veſtrum promiſſiones eorum non emolliant, comminationes non exterreant. Quicquid enim dicent, iam ſecuris ad radicem arboris poſita eſt, niſi aut arcum remittatis, aut gladium ſuſpendatis. Qui ergo venturi ſunt confidentes in calliditate ingenioli ſui, & venuſtate linguæ ſuæ, prædictis de cauſis impunitatem flagitij ſe impetraturos Regi à Sede Apoſtolica promiſerunt: hac ratione ex parte vſuri, Regem cum Regno ab obedientia veſtra diſceſſurum, niſi Coronam reſtituatis, niſi Regem ab anathemate abſoluatis. Si autem impœnitenti venia concedatur, quanta ſpes impunè peccandi peccantibus de cetero relinquetur, non eſt meum inſtruere veſtram prudentiam, cuius potiſſimùm intereſt delinquentium errata non fouere, ſed ferire. Si autem aliqui ſubdoli euidenter ab vnitate matris ſuæ diſcedunt, qui iampridem mente diſceſſerunt: conſoletur Sanctitatem veſtram diuinum reſponſum: *Reliqui mihi ſeptem millia virorum.* & illud Apoſtoli, *Oportet hereſes eſſe, vt hi qui probati ſunt manifeſti fiant.* De cetero, volo ſciat vigilantia veſtra, quia ex præcepto Regis, Remenſis, & Senonenſis, & Turonenſis, Archiepiſcopi inuitauerunt ſuffraganeos Epiſcopos, vt poſt reſponſa veſtra apud Trecas prima Dominica poſt feſtiuitatem omnium Sanctorum conueniant. Quò inuitatus ire diſſimulo, niſi veſtro conſilio munitus: timens ne quid contra iuſtitiam, & Sedem Apoſtolicam moliatur ille Conuentus. De his itaque, & de his quæ circa vos ſunt, quæ libuerit reſcribat mihi veſtra paternitas, vt in aduerſis compati, & in lætis valeam congratulari. Valete. C

3. Reg. 19. 1. Cor. 11.

EPISTOLA X.

Edit. 47. IVo *humilis Carnotenſis Epiſcopus,* VVIDONI *Regis Dapifero, ſalutem.* QVÆ mihi mandaſti per Landricum Preſbyterum iam audieram per Ebrardum nepotem tuum, videlicet quòd Rex multa mala dimittere, & multa bona ſe promittat velle facere, ſi cum pace Sedis Apoſtolicæ, & communione Eccleſiaſtica, mulierem quam illicitè habet valeat ad tempus retinere. Vnde ex auctoritate diuina hoc

A charitati tuæ reſcribo, quia nulla redemptione vel commutatione quis peccatum ſuum poterit abolere quamdiu vult in eo permanere, ſecundùm illud Apoſtoli: *Voluntariè peccantibus non relinquitur hoſtia pro peccato.* Quod eſt aliis verbis dicere, quia nemo in peccato ſuo perdurare volens, peccatum ſuum poterit aliqua eleemoſynâ vel oblatione redimere. Vnde & Dominus Cain ſua offerenti, & tamen homicidium cogitanti, legitur reſpondiſſe: *Si rectè offeras, & non rectè diuidas, peccaſti: quieſce.* Quaſi dicat, Peccas non rectè partiendo qui tua offers, & de homicidio tractans, teipſum, qui tuis melior es, mihi aufers. Hinc etiam dicit beatus Papa Gelaſius: Legatur ex quo eſt Religio Chriſtiana, vel certum detur exemplum in Eccleſia Dei à quibuſlibet Pontificibus, aut ab ipſis Apoſtolis, ab ipſo denique Saluatore, veniam niſi corrigentibus ſe fuiſſe conceſſam. Auditum autem ſub iſto cœlo ab aliquibus nec legitur omninò, nec dicitur: Date nobis veniam, vt tamen nos in errore duremus. Oſtendant ergo quibus occaſionibus, quibus regulis, qua lectione, vel quo documento, ſiue à maioribus noſtris, ſiue ab ipſis Apoſtolis, quos potiores fuiſſe merito non dubium eſt, ſiue ab ipſo Domino Saluatore, qui iudicaturus creditur viuos & mortuos, vel ſi factum eſt vnquam, vel faciendum eſſe mandatur. Propter hæc & alia multa his ſimilia, ſcio conſilium Domini Regis bonum exitum habere non poſſe, niſi ab hoc peccato deſiſtat, & Chriſti iugo ſe pœnitendo ſubiiciat: cùm Deus non noſtra, ſed nos ad ſalutem noſtram requirat. Dic ergo hæc omnia Domino Regi, vt ſanius conſilium perquirat: B quod ſi ei Deus miniſtraret, me adiutorem in quibuſcumque poſſem inueniret. Vale.

[Marginal notes: Philippvs I. — Heb. 10. — Gen. 4.]

EPISTOLA XI.

RICHERIO *Dei gratiâ Senonenſium Archiepiſcopo*, IVO *humilis Carnotenſium Epiſcopus, ſalutem cum debita obedientia.* PARABAM me ſicut mihi mandauerat veſtra paternitas, vt venirem ad colloquium veſtrum & confratrum noſtrorum, cum eruditioribus Eccleſiæ noſtræ filiis. Sed interim mihi pro certo intimatum eſt à quibuſdam amicis meis, quia parabantur mihi inſidiæ à quibuſdam parochianis veſtris, qui ſunt affines illius olim dictæ Reginæ, cuius inimicitiæ nondum ſunt aduerſum me aliqua ratione ſedatæ. Vnde rogo manſuetudinem veſtram, vt à Pithueris vſque ad vos ſecurum mihi conductum præparetis, ſi præſentia mea adeò neceſſaria eſt vobis. Nam in hoc itinere periculum me aliquod incurrere quantum mihi eſt damnoſum, tantum vobis ignominioſum. Quod ſi ad præſens fieri non poteſt, quæ dicerem vobis præſens, ea ſcribo vobis abſens. De veteri querela, quam habet aduerſus Senonenſem Eccleſiam Lugdunenſis Eccleſia, laudo & conſulo, vt ſi qua habetis Priuilegia Apoſtolica manu roborata, vel ſcripta autentica, quæ Primatum Lugdunenſis Eccleſiæ, quem aliquando ex catalogis ciuitatum coniicimus extitiſſe, ab Eccleſia veſtra remoueant, & libertatem quam deſi-C deramus eidem Eccleſiæ defendant, ea confratribus noſtris oſtendatis, & eadem paruitati noſtræ tranſmittatis, quibus tanquam firmis ſuſtentaculis innitamur, & libertatem Matris noſtræ pro poſſe noſtro tueamur. Quæ ſi modò ad manum non habetis, non eſt conſilium meum vt contra torrentem brachia dirigatis: immò Apoſtolicis Sanctionibus interim adquieſcatis abſque præiudicio priuilegiorum, vel autenticarum ſcripturarum, ſi quando reperiri poterunt quæ hanc ſubiectionem ab Eccleſia veſtra remoueant, & eiuſdem Eccleſiæ libertatem defendant. Qui meliùs ſentiunt, meliùs conſulant. Hoc tantùm prouideant, quia rerum exitus prudentia metitur, vt ab eminenti gladio caput veſtrum eripiant. De cæterò ſciatis Canonicos Pariſienſes, Decanum videlicet, Cantorem, Rainaldum Archidiaconum in præſentia noſtra ſecundùm præceptum domni Papæ iuraſſe, ſe nullo terrore Regis vel dictæ Reginæ compulſos, domnum GVILLELMVM Epiſcopum ſibi elegiſſe, neque aliquid ſimoniacæ prauitatis in eius electione intendiſſe. Vnde mando vobis ex parte domni Papæ, vt ſi Pariſienſis Eccleſia eum ſibi ordinari & conſecrari poſtulauerit, ante feſtum ſancti Remigij ſecundùm auctoritatem & conſuetudinem Eccleſiæ veſtræ ei manum imponatis, & honore pallij ad tempus vobis interdicto, in eius ordinatione & conſecratione vel nullatenus formidetis. Sic enim domnus Papa mihi conceſſit apud Montem-Peſſulanum, cùm ad petitionem Regis de eiuſdem Gulielmi electione tractaretur, & poſt multam venti-

[Marginal note: Edit. ib.]

PHILIPPVS I.

lationem eiuſdem electionis diſcuſſio mihi à domno Papa committeretur. Ad A
vltimum rogo paternitatem veſtram, vt ſecundùm inſtitutionem pacis quæ à domno Papa omnibus Gallicanis Eccleſiis indicta eſt, de parochianis veſtris Stampenſibus, videlicet Vrſione filio Theodonis & complicibus eius iuſticiam faciatis: qui Epiſcopatus noſtri partem Epiſcopatui veſtro contiguam omninò deuaſtant, & pacem quam habet reliqua pars Epiſcopatus ſine cauſa perturbant. Præcipite itaque Stampenſi Archipreſbytero, vt vel eos ad ſatisfactionem adducat, vel ipſis excommunicatis & locis in quibus morantur diuinum officium interdicat ſecundùm conſuetudinem pacis. Valete, & quod vobis placet per præſentium portitorem mihi remandate.

EPISTOLA XII.

Edit. 14.

HVGONI *Dei gratiâ Lugdunenſi Archiepiſcopo Sedis Apoſtolicæ Vicario, Epiſcopi Iuo Carnotenſis, VVillelmus Pariſienſis, VValterius Meldenſis, obſequium deuotum cum debita obedientia.* QVONIAM quæ geruntur in Eccleſiis, ad auditum Sedis Apoſtolicæ vel Legatorum eius referenda ſunt per Literas vel nuncios eorum per quos geſta ſunt, ne vel æmulorum obtrectatione, vel famæ mutatione ſecus acta credantur quàm facta ſunt: ad notitiam veſtram referri curauimus, quid de Aurelianenſis Eccleſiæ ordinatione nuper egerimus. Defuncto enim Ioanne Aurelia- B
nenſi Epiſcopo, Turonenſis Archiepiſcopus, qui in prædicta Eccleſia adhuc ſibi vſurpabat Præpoſituram & Archidiaconatum, & quidam eiuſdem Eccleſiæ Subdecanus cognomine Peior-lupo, cum quibuſdam iam defuncti Epiſcopi & ſuis familiaribus clandeſtinis machinationibus conari cœperunt, vt Ioannem quendam Archidiaconum cum conſenſu Regis haberent in Epiſcopum, cuius vita nec annorum plenitudine, nec litterarum ſcientia, nec morum maturitate videbatur eſſe probabilis: immò pro inhoneſta familiaritate, quam cum defuncto Epiſcopo, & quibuſdam eorum qui eum expetere voluerunt, habuiſſe dicebatur, modis omnibus reprobabilis. Hoc ergo audiens reliquus Clerus, qui erat numero longè amplior, litteris eruditior, vitare volens oppreſſiones quas perpeſſus erat à prædictis perſonis tempore defuncti Epiſcopi, ſaniore conſilio pro temporis opportunitate & loci, elegit ſibi cum conſenſu Regis in Epiſcopum Sanctionem eiuſdem Eccleſiæ Decanum, virum, vt ſcitis, ætate grauem, & moribus maturum. Quem cùm à nobis ex admonitione Senonenſis Archiepiſcopi conſecrari poſtulaſſet apud Caſtrum-Nantonenſe, quod eſt iuxta parochiam Senonenſem, omninò recuſauimus, propter Primatum Lugdunenſis Eccleſiæ, quem irrationaliter refutat illa Sedes, & interdictum Sedis Apoſtolicæ. Interim itaque æmuli prædicti electi, miſſis Litteris rogauerunt nos, vt ei manum non imponeremus, quoniam ſimoniacus eſſet & inuaſor: ſimul addentes, ſe hoc probaturos in loco competenti & tempore extra manus Regiæ poteſtatis. Cùm ergo adiunctis precibus Regis inſtan- C
ter poſtularet Eccleſia electum ſuum ſibi conſecrari, prætendens irreparabiles Eccleſiæ ruinas futuras ſi id non fieret: miſſis Litteris ſtatuimus prædictis calumniatoribus tempus diem ante conſecrationem, locum Carnotum, videlicet vbi poteſtas regia eis obeſſe non poterat. Ipſi verò neque venerunt, neque perſonam aliquam pro ſe miſerunt. Subtrahentibus itaque ſe prædictis calumniatoribus, neſcimus qua calliditate, legitimæ diſcuſſioni, victi precibus penè totius Eccleſiæ, habito inter nos conſilio accepimus tam ab eo quàm ab illis qui cum illo erant meliores diſtricta ſacramenta vſque ad ſeptem, quæ eum (quantum in conſpectu hominum purgari poterat) purgauerunt de inuaſione & ſimonia. Remotis itaque impedimentis quæ ei ſpecialiter opponebantur, eum promiſſa vobis obedientiâ conſecrauimus, & Eccleſiæ quæ eum expetierat deſtinauimus. A qua ſuſceptus eſt cum omni deuotione, ſine vlla contradictione. Hæc ita eſſe vera ſi opus erit comprobabimus, vt pote qui iſta tractauimus quàm maiori diligentiâ potuimus. Vnde rogamus paternitatem veſtram, vt non facilè aurem his accommodetis, quos excluſa veritate quæ ſua ſunt quærere cognoſcetis. Huic verò Epiſtolæ interſerere curaui ego Iuo Carnotenſis Epiſcopus ſacramentum, quod ſecundùm præceptum Papæ fecerunt Pariſienſes pro electo ſuo, Decanus, Cantor,
» Archidiaconus, reliquis conſentientibus. Non elegimus nobis in Epiſcopum

A VVillelmum propter munus acceptum vel promiſſum ab aliquo, vel gratiâ contubernij quod habebat ſoror eius cum Rege, vel propter minas nobis illatas à Rege, vel prædicta eius ſorore. Sic nos Deus adiuuet, & hæc ſacra Euangelia. Sic purgatus ſecundùm quod apud Montem-Peſſolanum Rege poſtulante Papa præceperat, ante feſtum ſancti Remigij à ſuo Metropolitano eſt conſecratus. Valete. PHILIPPVS I.

EPISTOLA XIII.

PHILIPPO *Dei gratiâ ſereniſſimo Regi Francorum*, IVO *humilis Presbyter ſuus ſalutem, & ſicut Domino & Regi ſuo fidele ſeruitium.* DE eo quod paruitati meæ mandauit veſtra ſublimitas, poſt duo Concilia hoc anno à domno Papa celebrata, nunc Legatum eius Lugdunenſem Archiepiſcopum infra eundem annum, tertium generale conuocare, & ad hoc Regni veſtri Epiſcopos inuitare: ſerenitati veſtræ reſpondeo, quia cùm nuper Litteras eius habuerim, nihil tale ibi legi, vel à miſſo eius audiui. Quod tamen ſi faceret, non eſſet hæc Apoſtolica inſtitutio, vel Eccleſiaſtica conſuetudo. Si autem aliquis pro culpis ſuis indulto ſibi congruo ſpatio à Legatis Apoſtolicis vocatus fuerit, non poteſt ſubterfugere, quin ad diem ſibi præſcriptum occurrat; niſi eum legitima cauſa detineat. B Quòd ſi eos vltra terminos à patribus conſtitutos angariare voluerit, vos habito cum eis communi conſilio iniuſtis oppreſſionibus pro perſona veſtra reſiſtite, ſic vt quæ Dei ſunt Deo reddant, & quæ Cæſaris ſunt Cæſari reddere non omittant. Valeat multo tempore ſublimitas veſtra. Edit. 16.

EPISTOLA XIV.

IVO *Dei gratiâ Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, Sanctioni confratri & Coëpiſcopo, ſalutem & ſeruitium.* PACEM quam feci cum Adeleicia Puteacenſis caſtri Domina, ſuper quam admiramini, non ita feci vt aliquid veſtri iuris vſurparem: ſed omne, quod ad veſtrum ius pertinet, patenter exciperem. Meam enim tantùm iniuriam remiſi, non veſtram: & hoc poſtulaui à fraternitate veſtra, vt pro præteritis iniuriis meis ſupra prædictam feminam nullam exerceretis vindictam. ad quam rem magna ex parte me compulit timor veſter. Significaſtis enim mihi Litteris veſtris multa incommoda imminere, vobis & Eccleſiæ veſtræ; ſi differrem pacem cum ea facere. Vnde inuenta occaſione, volui tam veſtris quàm meis commodis prouidere. Si ergo reſtant aliquæ iniuriæ ad propriam parochiam pertinentes, ne videar vobis eſſe importunus, prout vobis placuerit, & ratio permiſerit, eas expoſtulate. De Clericis autem vel C Monachis Puteacenſibus, qui contra interdictum veſtrum Miſſas celebrauerunt, mortuos ſepelierunt, chriſma aliundè acceperunt: hoc vobis reſpondeo & conſulo, vt ſi gratiam Lugdunenſis Archiepiſcopi pleniter habetis, cuius conſenſu interdictum veſtrum prædicti Puteacenſes caſſatum fuiſſe dicunt, plenam ſecundùm rigorem canonicum ſuper eiuſmodi tranſgreſſores vindictam exerceatis: vt & iſtos & alios ab huius inobedientia compeſcatis, ſecundùm illud Apoſtoli, *In promptu habentes vlciſci omnem inobedientiam.* Alioquin, leuius erit ea ſupportare, quæ non licet ad plenum vindicare. De Geruaſio quoque non debet veſtra fraternitas mirari vel indignari, quòd eum ad communionem in Paſchali Curia ſuſcepi. Pro Regia enim honorificentia hoc feci, fretus auctoritate legis, in qua legitur: Si quos culpatorum Regia poteſtas aut in gratiam benignitatis receperit, aut menſæ ſuæ participes effecerit: hos etiam Sacerdotum & populorum conuentus ſuſcipere in Eccleſiaſtica communione debebit: vt quod principalis pietas recipit, nec à Sacerdotibus Dei alienum habeatur. Vale. Edit. 61.

PHILIPPVS I.

EPISTOLA XV.

Edit. 66.

HVGONI *Lugdunenſis Eccleſiæ primæ Sedis Epiſcopo, Romanæ Eccleſiæ Legato,* IVO *humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, ſalutem & ſeruitium.* QVIA decorem domus Dei vos hactenus dilexiſſe intelleximus, poſt domnum Papam ſuper omnes Eccleſiaſticas perſonas ſpeciali amore vos dileximus, & famam veſtram ab aliquo lacerari æquo animo ferre non potuimus. Eundem itaque zelum in vobis nec frigere nec tepere æſtimantes, miſetiam Aurelianenſis Eccleſiæ ante oculos veſtros ponimus, quam filij alieni ſua quærentes ſtrangulant & deuorant. De qua cùm manu veſtra auulſa eſſet arbor infructuoſa, nunc inſeritur peſtifera. Turonenſis enim Archiepiſcopus prædictæ Eccleſiæ pædagogus & incubus, in Natale Domini Regi contra interdictum veſtrum coronam imponens, hac arte à Rege obtinuit, vt Ioannes, qui per Ioannem defunctum Epiſcopum multis ſubmurmurantibus & malè ſentientibus factus eſt Archidiaconus, eidem Eccleſiæ præficeretur Epiſcopus. De hoc enim Rex Francorum non ſecretò, ſed publicè mihi teſtatus eſt, quòd prædicti Ioannis ſuccubus fuerit. Et hoc ita fama per Aurelianenſem Epiſcopatum & vicinas vrbes publicauit, vt à concanonicis ſuis famoſæ cuiuſdam concubinæ Flora agnomen acceperit. Hoc quod dico Clerus approbaret, hoc populus acclamaret, niſi metu Regis comprimerentur, vel inſidiis Turonenſis Archiepiſcopi terrerentur, qui Clericos ſibi aduerſantes clandeſtinis delationibus Curiæ tradi facit, aut in exilium pellendos, aut bonis ſuis ſpoliandos. Hic enim cùm duos Epiſcopatus habere non poſſit, Aurelianenſem Eccleſiam, quam non poteſt retinere per propriam, per ſubmiſſam vult poſſidere perſonam: vt in ea poſſit quos voluerit humiliare, quos voluerit ſublimare. Cui non ſufficit, quòd in Eccleſia, in qua irrepſit contra canonicas & Apoſtolicas Sanctiones, toleratur, niſi ei liceat Eccleſiam Dei quibus libuerit procis proſtituere: oculos videntium etiam medicorum vaniloquiorum ſuorum fumo, promiſſionum ſuarum nebulis intenebrare, vt quæ audiunt de eo non audiant, quæ vident non videant, & quæ certa ſunt tanquam ignota ſuſtineant. Sic enim de ſeipſo dicere ſolet, ſe non indigere bonis Clericis vel Canonibus, cùm hæc omnia præſto ſint ei in marſupio ſuo. Nec mirum, cui quod libet licet, & quod licet impunè facit, vt multi inde ſcandalizati altiùs gemant, dicentes magis impetrare deſideria ſua apud iudices Eccleſiaſticos, zelantes iniquitatem, quàm ſequentes bonitatem. Veritas mihi teſtis eſt, me non iſta dicere tanquam aduerſus iſtos homines aliqua ſit mihi priuata controuerſia. Sed tabeſcere me facit zelus meus, cùm videam in meſſe Dei vepres & ſpinas bonum ſemen ſuffocare, nullámque aut pene nullam eradicantem manum. Etſi aliquando ſunt qui perficiant malæ arboris ruinam, non peruigilant vſque ad fructuoſæ arboris inſertionem. Quod in hoc negotio manifeſtum eſt. Non enim Turonenſis Archiepiſcopus ideò laborauit, vt Sanctio deponeretur, quatenus eo melior eidem Eccleſiæ præficeretur: ſed huiuſmodi, qui ei per omnia famularetur. Iſte enim iuuenis, qui Rege iubente, & Turonenſi Archiepiſcopo impingente prædictæ Eccleſiæ eſt intruſus, ita eſt ſub Turonenſi Archiepiſcopo, ſicut puer ſub pedagogo: vt nec ſtans ſedere, nec ſedens audeat ſurgere, niſi eo iubente, aut innuente, vtpote qui ſe ei ad turpes vſus dicitur ſubdidiſſe. Ad vltimum cùm multa nefaria & turpiſſima dici veriſſimè poſſent, quæ deficientibus teſtibus veritatis pro humana infirmitate probari forſitan non poſſent: hoc ad repulſionem prædicti adoleſcentis ſufficit, quòd perſona ignominioſa eſt, & per vicinas Eccleſias turpiter diffamata. Hic itaque per Litteras Regis & Capituli mihi eſt oblatus, ſuo tempore ordinandus in Preſbyterum, poſtmodum conſecrandus in Epiſcopum. Eius autem electio nec adhuc à me eſt improbata, vel adprobata, ſed nec aliquando adprobanda, niſi domni Papæ vel veſtra me ad hoc pertrahat obedientia. Scio enim Eccleſiæ Dei non tantùm hoc eſſe ignominioſum, ſed etiam perniciosum. Rogo itaque paternitatem veſtram, vt in hac cauſa vigilantiſſimè honeſtati & auctoritati veſtræ conſulatis, & Eccleſiæ Dei prouideatis: ne in manibus eius committatur ſalus aliena, qui nunquam adhuc deliberauit de ſalute ſua. Per portitorem itaque præſentium mihi reſcribite, quid me velitis ſuper hoc negocio facere: vt quod reſponſurus ſum reſpondeam Aurelianenſibus ex veſtra auctoritate. Ipſi tamen quic-

A quid reſpondeam, de veſtra beniuolentia plus iuſto præſumentes, vanizando di- PHILIPPVS
cunt, quòd iuxta petitionem Turonenſis Archiepiſcopi eum conſecrabitis, vel I.
conſecrari facieris. Quicquid autem vos faciatis, ego liberaui animam mam. Mul-
ti enim Aurelianenſes ad hæc quæ dixi mihi darent teſtimonium, niſi timerent car-
cerem vel exilium. Et ne me iſta aliqua occaſione confinxiſſe credatis, vnam can-
tilenam de multis, metricè & muſicè de eo compoſitam ex perſona concuborum
ſuorum, vobis miſi, quam per vrbes noſtras in compitis & plateis ſimiles illi adole-
ſcentes cantitant, quam & ipſe cum eiſdem concubis ſuis ſæpè cantitauit, & ab il-
lis cantitari audiuit. Præterea ſciat veſtra ſollicitudo, quia cùm Abbas Burgulien-
ſis ore patulo, manibus apertis, cum multa ſecuritate ad Curiam in Natale veniſſet
ad accipiendum Epiſcopatum, ſicut ei illa prædicta Regina promiſerat; quia ani-
maduerſi ſunt plures & pleniores ſacculi nummorum latere in apothecis amico-
rum iſtius quàm apud Abbatem, ille eſt admiſſus, iſte eſt excluſus. Et cùm Abbas
quereretur apud Regem, quare ſic eum deluſiſſet, reſpondit: Suſtine te interim do-
nec de iſto faciam proficuum meum, poſtea quære vt iſte deponatur, & tunc fa-
ciam voluntatem veſtram. Summa itaque hæc eſt verborum meorum: Rogo, mo-
neo, vt huic electioni nunquam adſenſum præbeatis, ne domum Dei publicum
proſtibulum & ſpeluncam latronum faciatis. Poſtremò rogo, quia ſemel ab Au-
relianenſibus deceptus ſum, ſi quid mihi de eo ſcribere volueritis, per talem nun-
tium cui credere poſſim, tranſmittatis. Et quia turpitudo non poteſt niſi verbis ſuis
B exponi, irreligioſis verbis pro religione tamen aſſumptis veniam poſtulo. Valete.

EPISTOLA XVI.

IVO *Dei gratiâ Carnotenſis Eccleſia miniſter, Hildeberto Cenomanenſi Epiſcopo, in* Edit. 14.
tribulatione tolerantiam, in tolerantia perſeuerantiam. QVANTVM ex tenore
Litterarum tuarum perpendi, ad ſuggeſtionem æmulorum tuorum de proditione
Cenomanicæ vrbis nuper facta inſimulare te molitur Regis Anglorum metuenda
ſeueritas, nulla aduerſum te legitima accuſatione prolata, ſed prauorum delatio-
ne conjecturarum diuinationibus palliata: & cùm paratus ſis ad perficiendam pur-
gationem legitimam, non aliter vult te huius proditionis immunem credere, niſi
igniti ferri examinatione demonſtres innocentiam tuam. Conſulis itaque humi-
litatem meam, vtrùm tibi benè conſcius pro conſeruanda integritate famæ tuæ, &
recuperanda Regis gratia, debeas voluntati eius adquieſcere: an quælibet aduerſa
pati, vt non recedas ab ordine. Breuiter itaque tibi reſpondeo, conſulens vt non
tranſgrediaris terminos antiquos, terminos quos poſuerunt patres tui. Aliter nam-
que innocentiam defendere, eſt innocentiam perdere. Monomachiam enim, &
ferri calidi examinationem, nec conſuetudo Eccleſiaſtica in diſcutiendis cauſis
Eccleſiaſticis recipit, nec canonica auctoritas inſtituit. Vnde Nicolaus in cauſa
C Regis Lotharij & Thebergæ de falſis criminibus impetitæ: Monomachiã in legem
non aſſumimus, quam præceptam eſſe non reperimus; cùm hæc & huiuſmodi ſe-
ctantes, Deum ſolummodò tentare videantur. Dicit autem Auguſtinus in Libro
Quæſtionum ſuper Geneſim: Quando habet homo quod faciat, non debet ten-
tare Deum ſuum. Indè etiam ita ſcripſit Alexander II. Papa Rainaldo Cumano
Epiſcopo: Super cauſa Giſlandi Preſbyteri tui de morte Epiſcopi ſui prædeceſſo-
ris tui infamati in medium conſuluimus. Itaque circumaſtantium omnium fra-
trum aſſenſu vnanimi tuæ dilectioni reſcribimus, præfatum Giſlandum ante te præ-
ſentandum: vbi ſi certi accuſatores defuerint, tunc dictante iuſticia, ſine omni con-
trouerſia Preſbyter quæcunque ob hoc iniuſtè amiſit, ac ſacerdotium & integra ac-
cipiat beneficia. Purgationem tamen anteà, duobus ſibi ſacerdotibus iunctis, vbi
accuſator ceſſauerit, eundem ex ſe præbere tuo committimus arbitrio. Vulgarem
denique legem, ac nulla canonica ſanctione fultam, feruentis ſcilicet ſiue frigidæ
aquæ, ignitique ferri contactum, aut cuiuſlibet popularis inuentionis (quia fabri-
cante hæc ſunt omnino ficta inuidia) nec ipſum exhibere, nec aliquo modo te vo-
lumus poſtulare: immò Apoſtolica auctoritate prohibemus firmiſſimè. Indè etiam
Stephanus V. Papa dicit Lamberto Epiſcopo Magontino: Ferri candentis vel
aquæ feruentis examinatione confeſſionem extorqueri à quolibet, ſacri non cen-
ſuerunt canones: & quod ſanctorum Patrum documento ſancitum non eſt, ſuper-

Philippvs I. ſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum. Spontanea enim confeſſione, vel A
teſtium approbatione publicata delicta, habito præ oculis Dei timore, commiſſa
» ſunt regimini iudicare: occulta verò & incognita illius ſunt iudicio relinquenda,
» qui ſolus nouit corda filiorum hominum. Plura tibi perſcripſiſſem ſuper his, ſi licuiſſet. Tu itaque his & aliis auctoritatibus Patrum vndique munitus viriliter age, & ne de te aliis præbeas exemplum futuris & præſentibus nociturum. Si enim aliquid contra iuſtitiam pateris, de tribulatione purgaberis & probaberis, deque probatione miſericordiam conſequêris. Vale.

EPISTOLA XVII.

Edit. 96. DAIMBERTO *Dei gratiâ Senonenſium Archiepiſcopo*, IVO *humilis Sacerdos, ſalutem & debitam reuerentiam.* QVONIAM ex antiqua inſtitutione Prouincialem Synodum celebrare veſtra ſollicitudo diſpoſuit, in qua ad correctionem prauorum promulganda ſunt inſtituta Apoſtolica & canonica: paruitatem meam quam inuitatis, licet minùs vtilem, ſubtrahere nec volo nec debeo, ſi tamen diuina miſeratio libertatem mihi conſeruauerit & ſoſpitatem. Per quamcunque autem viam eadem diuina miſeratio venire me conceſſerit, ante aliquot dies præmando vobis, vt in loco competenti quàm ſecuriorem conductum poteritis mihi tranſmittatis. De electione autem Niuernenſium, in qua ſe ſtudia partium diuiſerunt, & inſtitutione Pattum inſtructam credo eſſe prudentiam veſtram, vt illum modis omnibus præferatis, qui maioribus ſtudiis iuuatur & meritis. Sed quia nemini citò manus imponenda eſt, ſi id ad præſens ad plenum deprehendere non valetis, differendum mihi hoc negocium vſque ad futuram Synodum videtur, vt tunc euidentiùs diſcutiantur & eligentium ſtudia & electorum merita. De cetero Adeliciam Puteacenſem Dominam, & Hugonem filium eius, cum ceteris adiutoribus ſuis, propter tyrannidem quam in nos exercent, ex auctoritate Apoſtolica à nobis excommunicatos, precando inſiſtimus, & inſiſtendo precamur, vt vos quoque excommunicetis, aut malè inuaſa nobis reſtitui faciatis. Sic enim antiquitus eſt inſtitutum, & nuper in Auernenſi Concilio omnium Epiſcoporum qui aderant conſenſu confirmatum: vt ab vno Epiſcopo quemlibet pro iniuriis Eccleſiaſticis excommunicatum, vicini quoque Epiſcopi excommunicent. Quòd ſi cauſatur iniuſtè ſe excommunicatam, veniat ad Eccleſiam cui calumniam facit, & à qua nullam iniuriam pertulit: audiet Deo iuuante iuſtam ſe accepiſſe ſententiam. Apoſtolica autem auctoritate à nobis eam eſſe excommunicatam, exemplar Apoſtolicarum Litterarum, quod vobis tranſmiſi, declarabit. Valete.

EPISTOLA XVIII.

Edit. 84. IOANNI *Presbytero Cardinali, Romanæ Eccleſiæ Legato*, IVO *humilis Carnotenſium Eccleſiæ miniſter, legatione fungi in Chriſto.* LITTERAS tuæ beneuolentiæ indices nuper accepi, quibus aliqua conſtantiæ tuæ opera paruitati meæ notificaſti. In quibus hoc egregiè laudabile intellexi, quòd te à communione Regis abſtinuiſti, quoniam in hoc & famæ tuæ & legationi tibi commiſſæ ſanè conſuluiſti: licèt quidam Belgicæ Prouinciæ Epiſcopi in Pentecoſten contra interdictum bonæ memoriæ Papæ Vrbani coronam ipſi Regi impoſuerint, tanquam mortuo præcone iuſtitiam mortuam eſſe crediderint. Quòd autem Pictauis aut intra Prouinciam Aquitanicam Concilium celebrare diſponis, omninò laudo, quia ſi intra Prouinciam Belgicam vel Celticam Concilium celebraretur, multa premi ſilentio oporteret, quæ ventilata ſcandalum generarent, & totum penè fructum Concilij aliqua exæſtuatione præfocarent; preſſa verò ſilentio, tanquam verbo Dei alligato, legationis tuæ auctoritati plurimum derogarent. De termino verò habendi Concilij, quem IV. Kal. Auguſti deſignaſti, facilè occaſionem quærent Epiſcopi partium noſtrarum, dicturi non eſſe congruum ſpatium ad peragendam viam, & præparandum viaticum. Non enim poterunt multi Epiſcoporum ad locum peruenire Concilij, niſi per multos circuitus, & per acquiſitos vndecumque conductus. Si ergo videtur prudentiæ tuæ, conuenientior videretur mihi terminus in capite Autumni: quando & annus erit fertilior, & vnuſquiſque inuitatus indulto

A ſibi congruo ſpatio ad eundum paratior. Si autem præter ſpem euenerint hæc omnia, cùm Deus inuicem nos loqui conceſſerit, & de termino & de loco habendi Concilij, & de multis aliis cum prudentia tua tractabo. quia multa prætereo quæ non ſine ratione interim chartæ commendare diſſimulo. Mitto itaque tibi cum breuigerulo tuo curſorem iſtum, per quem mihi remandes & de tempore & de loco colloquij noſtri, & de conſtitutione habendi Concilij. Vale. PHILIPPI I.

EPISTOLA XIX.

IOANNI *& Benedicto Cardinalibus Presbyteris, & Romanæ Eccleſiæ Vicariis*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, ita ſibi commiſſa fungi legatione, vt Angelo magni conſilij valeant complacere.* QVIA Beluacenſis Eccleſiæ lapſum dudum vobis ex parte per Litteras inſinuaui, nunc in quantum profundum malorum deſcenderit, ſollicitudini veſtræ reticere non valeo: ne mea taciturnitas mihi reputetur in vitium, & veterno ipſius Eccleſiæ morbo nullum procuret adhibere remedium. Prædicta enim Eccleſia tamdiu iam bonos deſueuit habere Paſtores, vt malos habere videatur ei quaſi legitimum, bonos autem eligere quaſi nefarium. Quod in hoc ſatis patet, quòd aduerſus Litteras domni Papæ & veſtras, de electione vel aſſumptione Epiſcopi illicita prohibentes, ad contemptum Sedis Apoſtolicæ irriſoria & contemptibilia verba in vos protulerunt, & poſtpoſita omni canonica obedientiâ Clericum quendam illiteratum, aleatorem, & ceteris huiuſmodi lenociniis vacantem, procul etiam à ſacris Ordinibus inuentum, quondam quoque propter publicum adulterium à Legato Romanæ Eccleſiæ Lugdunenſi Archiepiſcopo de Eccleſia eiectum, pro voluntate Regis, & illius contubernalis ſuæ, in Epiſcopum aſſumpſerunt. Prædictus autem intruſus, Stephanus vocatur de Guarlanda. Cui ſi ad Epiſcopalem miniſtrationem aliquando Apoſtolica auctoritate patuerit aditus, manifeſtum eſt temporibus noſtris exitiale ſilentium impoſitum eſſe canonicis legibus. Quomodo enim ad fontem ſcientiæ pertingemus, ſi ab ipſis qui clauem tenent intrare non permittimur? His & huiuſmodi præmonitam & præmunitam volo eſſe ſollicitudinem veſtram, vt & vobis caueatis, & domnum Papam ſuper his cautum faciatis: vt qui ex aduerſo ſtat, occaſionem malè dicendi non habeat de vobis tanquam ſua quærentibus, & non quæ Ieſu Chriſti. Prædictus enim intruſus feſtinat vt citò Romam vadat, aut mittat, & Palatinos quibus poterit muneribus vel promiſſionibus flectat in ſuam partem, & domnum Papam quacunque poterit machinatione decipiat. Rei itaque veritatem vobis notificamus, vt & auctoritati Apoſtolicæ prouideatis, & famæ veſtræ benè conſulatis, & Eccleſiam in malis tabeſcentem ſolatio foueatis, forti manu releuetis, & corroſorum dentes ſinceritatis lapide conteratis. Si enim & in hoc caſſata fuerit expectatio noſtra, iam quid contra obloquentes pro Romana Eccleſia loquamur, non habebimus, & murum pro domo Dei ponere fiducia Romanæ Eccleſiæ vltra non audebimus. De mundanda ergo Dei domo, & de vindicando contemptu veſtro, C conſilium citò capite, & quid ſuper hoc & ſuper aliis diſpoſitionibus veſtris facere velitis, per portitorem præſentium reſcribite. Cùm vobis Deo donante loqui poterimus, hæc & alia diligentiùs & diffuſiùs exponemus. Valete. Edit. 87.

EPISTOLA XX.

DAIMBERTO *Dei gratiâ Senonenſi Archiepiſcopo*, IVO *Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, ſalutem & ſeruitium.* PORTITOR Litterarum veſtrarum feſtinabat ad reditum: ego autem aliquantulum potione & ſanguinis minutione debilitatus eram. Pro valetudine tamen & opportunitate hæc ad interrogata reſpondeo, quia treuia Dei non eſt communi lege ſancita, pro communi tamen vtilitate hominum ex placito & pacto ciuitatis ac patriæ, Epiſcoporum & Eccleſiarum, vt noſtis, eſt auctoritate firmata. Vnde iudicia violatæ pacis modificari oportet, ſecundum pacta & diffinitiones quas vnaquæque Eccleſia conſenſu parochianorum inſtituit, & per ſcripturam vel bonorum hominum teſtimonium memoriæ commendauit. Vnde palam eſt, quia vitricus & frater veſter erga illum, quem in iurando pacem ab obſeruantia pacis exceperunt, quamuis reatum homicidij incur- Edit. 90.

PHILIPPVS I. rerint, non tamen pactum pacis violarunt. Sed quia exceptio illa perſonam no- A
centis non exceſſit, & nepos illius excommunicati non erat prius de eius adiutorio
vel communione culpatus; ſi ille nepos paci erat iuratus, quantum nobis videtur,
iniuſtè eſt contra pacis inſtituta peremptus: niſi fortè alias rationes habeatis, quæ
in Litteris veſtris minimè fuerunt, quibus interfectorem eius à violatæ pacis iniu-
ria defendatis. Non enim etiam ipſos violatores pacis, non tantùm ad punien-
dum non exponendos inimicis, ſed nec excommunicandos eſſe cenſemus, niſi
poſtquàm accuſati & conuicti fuerint, & malefacta ſua emendare contempſerint.
» Vnde Auguſtinus in Libro de Pœnitentia: Nos quemquam à communione pro-
» hibere non poſſumus, quamuis hæc prohibitio non ſit mortalis, ſed medicinalis,
» niſi aut ſponte confeſſum, aut aliquo ſiue ſeculari ſiue Eccleſiaſtico iudicio accu-
» ſatum atque conuictum. In hunc modum multa dici poſſent, ſed hæc vos igno-
rare non æſtimo. Valete.

EPISTOLA XXI.

Edit. 94. PASCHALI *ſummo Pontifici*, IVO *humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, Sanctitatis ſuæ ſeruus, obedientiæ & ſeruitij munus debitum.* QVONIAM diuino
adiutorio Carnotenſis Comes prauas conſuetudines, quas habuerant anteceſſores
ſui, & ipſe in domibus & rebus Carnotenſis Epiſcopi defuncti vel depoſiti, multo B
meo labore & ſumptu Eccleſiæ dimiſit, & paruitas mea ſuper hoc Priuilegium à
Sanctitate veſtra promeruit; ad perficiendam eius libertatis confirmationem, peto
ab excellentia veſtra mitti Litteras Clero Carnotenſi, continentes hanc ſenten-
» tiam: Vt ſi fortè aliqui Carnotenſium Comitum, vel miniſtrorum eorumdem,
» aliquando cupida temeritate, & temeraria cupiditate, libertatem à Comite con-
» ceſſam infregerint, tanquam Eccleſiaſtici iuris ſacrilegi peruaſores ab ipſo Clero
» Apoſtolica auctoritate excommunicentur, & Eccleſiæ tam ciuiles quàm ſuburba-
» næ vſque ad ſatisfactionem claudantur. Non enim poteſt populus rapinis aſſue-
tus aliter à ſua malitia coërceri, niſi ſummo rigore iuſtitiæ refrenetur, & terribili
» excommunicatione plectatur. Addatur etiam: Vt ſi ſuccedens Epiſcopus illius
» ſacrilegij patratores abſque ſatisfactione abſoluerit, vel ambitione adquirendi
» Epiſcopatus, vel timore amittendi ſupportauerit, tanquam ſacrilegij particeps, &
» Epiſcopatus exutor adiudicetur. Tali enim obice poterit malitiæ torrens à ſolito
præcipitio retineri, intráque debitos limites coërceri. Nec indebitum eſt; ſi ad-
uerſus noua morborum genera inueniuntur & apponuntur inſolita medicamenta.
Valete.

EPISTOLA XXII.

Edit. 95. PASCHALI *ſummo Pontifici*, IVO *humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, ſeipſum vt filium obedientiſſimum.* LÆTATVS ſum ſuprà quàm dici poſſit, & de Ste- C
phani Beluacenſis Eccleſiæ proci repulſione, & de facta in me propter eum paterna
inuectione: quamuis ego in poſterioribus Litteris nihil contrarium prioribus ex me
ſcripſerim, nec pro eius perſona, ſed pro ruinis Eccleſiæ Sanctitatem veſtram inter-
pellauerim. Importunitate enim ſua extorſit à me Litteras, quas ei nullomodo pro-
futuras, imò multùm credidi offuturas, ſi intelligentem haberem lectorem, & com-
modum expoſitorem. In Litteris itaque veſtris, quàm conſtans ſit in vobis amor
iuſtitiæ, & zelus domus Dei, liquidò mihi apparuit, & me publicante ferè omnibus
noſtri Regni Eccleſiis ad laudem diuini nominis innotuit. Nihil itaque de hoc ne-
gocio reſtat, niſi vt bonis principiis & bonis prouectibus bonus imponatur exitus.
De cetero notum facimus prouidentiæ veſtræ, quòd venerabilis confrater & Ro-
manæ Eccleſiæ ſemper amator Catalaunenſis Epiſcopus, per nos, qui Pictauenſi
Concilio interfuimus, conuenit & interpellat clementiam veſtram, quatinus ſen-
tentiam veſtram de Theſauraria Catalaunenſis Eccleſiæ importunitate Drogonis,
& nebulis verborum eius ab innocentia veſtra extortam, mitigetis, vel in melius
mutetis: &, ſicut decet Apoſtolicam moderationem, confratri noſtro iuſta & poſ-
ſibilia iubeatis. Et cùm iudicium Apoſtolicum à nemine ſit foris retractandum, vos
ipſe perpendite, vos ipſe iudicate, vtrùm Synodalis ſententia Apoſtolicis decretis
& Canonicis ſanctionibus munita diſſolui debuerit ſine vtriuſque partis audientia.

Nec

PHILIPPVS I.

A Nec enim indecens eſt, ſicut Apoſtolicis docemur exemplis & ſcriptis, ſi aliquando ſententiam mutet ipſe Apoſtolicus in melius, cùm aliquid ſubreptum vel falſis precibus à Sede Apoſtolica fuerit impetratum. Vt autem per ſubreptionem à ſanctitate veſtra Litteras Catalaunenſi Epiſcopo miſſas extortas agnoſcatis, ſeriem cauſæ quam tractauimus prudentiæ veſtræ breuiter intimabimus. Prædictus enim Drogo cùm omnium in Pictauenſi Concilio conſidentium importunis clamoribus aures oneraret, dicebat ſe prædicta Theſauraria à Philippo Catalaunenſi Epiſcopo canonicè fuiſſe inueſtitum, & ideò iniuſtè ſpoliatum. Cuius rei veritas cùm diligenter fuiſſet euentilata, conteſtantibus Catalaunenſis Eccleſiæ Clericis, Drogoni prædicto obiectum eſt, quòd ſecundum ordinem Eccleſiaſticum prædictum honorem habere non poſſet, niſi ipſius Eccleſiæ Canonicus: quod ipſe nec fuerat, nec eſſe poterat, cùm iam eſſet in alia Eccleſia, & in alia Prouincia factus Canonicus & Archidiaconus. Additum eſt etiam, quòd prætaxatus Epiſcopus iam moriens & inunctus, importunitate Drogonis ſuperatus, non eum prædicta adminiſtratione inueſtierit, ſed tantùm eo tenore conceſſerit, vt eo viuente nunquam ſe de ea intromitteret, nec eius vſusfructus vſurparet. Inuitati itaque à venerabilibus Cardinalibus veſtris ad iudicium, cùm nullus eſſet qui prædictis rationibus obuiaret, & confirmantibus eiſdem Cardinalibus iudicium noſtrum, ex ratione & auctoritate iudicauimus non fuiſſe canonicam inueſtituram, contra quam clamant decreta Apoſtolica, canonica

B inſtituta, & vniuerſa penè Concilia. Leges enim nequaquam appellant inueſtituram conceſſionis, ſed poſſeſſionis, quam prædictus Drogo in vita defuncti Epiſcopi non habuit, ſed poſt mortem eius ipſe ſe impudenter ingeſſit. Nec habet ordo Canonicus, vt in ea Eccleſia quis præpropero ſaltu fiat Præpoſitus, in qua numquam meruit eſſe ſuppoſitus. Quòd autem prædictus Clericus in duarum ciuitatum titulari non poſſit Eccleſiis, tam ex veſtris quàm prædeceſſorum veſtrorum comprobamus ſententiis. Intelligimus etiam ex dictis Papæ Gelaſij, quia ſi quid fuerit contra Apoſtolica decreta manifeſtè præſumptum, non opus eſſe vt tanquam res dubia deuocetur in iudicium, quod tam frequenter Apoſtolica falce eſt præciſum, & generalium Conciliorum ſententiis definitum. Nec enim alia de cauſa Concilia conuocatis, niſi vt contemptores decretorum veſtrorum ad eorumdem obſeruantiam reuocetis. Vnde ſi obſeruatores Apoſtolicorum præceptorum veſtra auctoritate fatigantur, vel fatigari permittuntur, vos ipſe videte, quæ pax reſtat Eccleſiæ, qui rigor ſupereſt diſciplinæ. Sic enim ab obedientia mandatorum ſanctorum diſſimulabunt non tantùm illi qui ea ſeruant in angaria, ſed etiam hi qui cuſtodire volunt cum diligentia. Quid etiam vltra valebunt celebranda Concilia, quorum per vnius perſonę delationem irrita fient quantalibet auctoritate fulta iudicia? Vnde rogamus Sanctitatem veſtram, vt librata conſideratione commodorum & incommodorum, quæ de eiuſmodi perturbatione naſci poſſunt, ſaniori ſententiæ animum accommodetis, & vt iudicia Synodalia nonniſi ſumma ratione caſſentur, & mandata Apoſtoli-

C ca curioſiùs obſeruentur. Valete.

EPISTOLA XXIII.

Edit. 104.

PASCHALI *ſummo Pontifici*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, cum deuoto filij affectu debiti famulatus obſequium.* BELVACENSES Clerici melioris famæ, & conſilij ſanioris, præcedente conſilio veſtro, conſilio Optimarum diœceſis ſuæ, & laude populi, domnum Galonem virum vitâ honeſtum, litteralibúſq; ſtudiis & Eccleſiaſticis diſciplinis ornatum, in Epiſcopum ſibi elegerunt. Pauci tamen ex Clericis Stephani illius repudiati complices, quos ſibi pelliculis peregrinorum murium, atque aliis huiuſmodi vanitatum aucupiis ineſcauerat, huic electioni non adſenſerunt, nec tamen ei aliquid quod ſacris Canonibus obuiet, obiicere potuerunt. Cùm verò rem per ſe impedire non valerent, Regem adierũt, quædam verba auribus eius inſtillauerunt, quæ facilè in cor eius eliquauerunt: videlicet quòd prædictus electus diſcipulus meus fuerit, apud me nutritus, apud me eruditus, addentes quòd à Sanctitate veſtra fuerit electus, & quòd magnus ei futurus eſſet aduerſarius, ſi in Regno eius aliquando fieret Epiſcopus. Rex itaque virulentis his verbis ſuccenſus, & ab omni bona voluntate turbatus, non vult electioni aſſenſum præbere, nec Electo bona Epiſcopalia dimittere. Vnde electores eius ad paternitatem veſtram iam confugiſſent, niſi quia Metropolitanus eorum eos detinet, condicto die, inter

Philippvs I. contradictores & electotes, ſicur dieitur, pacem volens componere, vel forſitan pro- A
ptet volũtatem Regis tem callidè impedire. Supereſt ergo, dilectiſſime Pater, vt pro
poteſtare & auctotitate veſtra, ſicut cœpiſtis, Eccleſiæ, prout Clerici rationabilitet
poſtulauerint, ſuccurratis, & conſilium veſtrum inconfuſibile faciatis, ne inſidiato-
Luc. c. 14. tes & detractores veſtri ſubſannando de vobis dicere incipiant: *Hic homo cœpit ædifi-
care, & non potuit conſummare.* De cetero notum facio Sanctitati veſtræ, quòd Fran-
corum Rex Romam in proximo ſe venturum dicit. quod tamen non eredimus. Sed
ſeu veniat, ſeu mittat, cauete & vobis & nobis, vt ſemper clauibus & catenis Petri
fortiter teneatur. Et ſi fortè abſolutus fuerit, & ad vomitum, ſicut iam contigit, te-
uetſus fuerit, eueſtigio eiſdem clauibus reeludatur, eiſdem eatenis religetur. Et hoc
Litteris veſtris omnibus Eccleſiis manifeſterur. Ita enim corroſorum dentes con-
fringetis, & iuſtitiæ ſatisfacietis. Quòd ſi fortè Deus cot eius ad pœnitentiam illu-
ſtrauerit, mementote noſtri qui portauimus pondus diei & æſtus: vt ſicut fuimus
participes tribulationis, ita ſimus & conſolationis. Valete.

EPISTOLA XXIV.

Edit. 111. DAIMBERTO *Dei gratiâ Senonenſium Archiepiſcopo*, IVO *humilis Eccleſiæ Carno-
tenſis miniſter, ſalutem & ſeruicium.* COLLOQVIVM veſtrum iam à multo rem-
pote deſiderans, ſpetaui me poſſe patetnitati veſtræ loqui in Conuentu ad quem in-
uitati eramus in eiuitate Vellauorum, & ore ad os clamorem facere de iniuriis quas
mihi & Eccleſiæ mihi commiſſæ infert Hugo Puteacenſis, more ſuorum ſemper re- B
pendens mala pro bonis. Quem nec pudor humanus, nec fides quam mihi debet vt
Domino, detinet à rapinis, dum nulla noſtra in eum præceſſerit iniuria, vel nulla ei
à nobis ſit denegata iuſtitia. Quod ergo certa tatione tunc diſtulimus, nunc præſen-
tibus Litteris, flexis genibus cordis poſtulamus: vt eum à nobis excommunicatum
excommunicetis, & diuinum officium Metariuillæ & eius adiacenriis interdicatis;
& Aurelianenſi Epiſcopo, vt idem faciat apud Puteacum, præcipiatis. Alioquin, ſi
Principes mundi plus timemus quàm Deum, manifeſtè iam portæ inferi præuale-
bunt: & qui pto domo Iſraël murum ponere debemus, ſecundùm propheticam irri-
ſionem canes muti non valentes latrare reputabimur. Res enim Eccleſiaſticæ, ſicut
teſtãtur etiam ſeculi leges, quia diuini iuris ſunt, in nullius bonis ſunt. Et ideò prot-
ſus errat, qui pro ſuis occaſionibus, à quibus eas maximè ſeruari conuenit, vſurpar,
» & malè tractat. Vnde ait Papa Symmachus in ſexta Synodo: Qui prædia Eccleſiæ
» petierit, vel acceperit, vel poſſederit, vel retinuerit, niſi ſe citò correxerit, anathe-
» mate feriatur, ſitque danti & accipienti, vel poſſidenti anathema. Iſta dicendo pru-
dentiam veſtram non docemus, ſed ad officij veſtri ſarcinam fortiter portandam co-
hortamur: quatenus puſillanimitatem noſtram conſolatio veſtra confoueat, patien-
tiam noſtram fortitudo veſtra communiat. Valete.

EPISTOLA XXV.

Edit. 114. IOANNI *Dei gratiâ Aurelianenſi Epiſcopo*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter* C
ſalutem. QVOD noſtris tribulationibus compariatur veſtra fraternitas, quantas
ſufficimus vobis gratias refetimus. De pace autem, quam inter nos & domnum LV-
DOVICVM reformare velletis, hoc vobis teſpondemus: quia quantum teſtatur no-
bis conſcientia noſtra, nullas ei iniurias intulimus: & ſi quid à nobis expoſtularer,
iudicio veſtro & confratrum noſtrorum libenter ei ſatisfaceremus, & ſi quid aduer-
ſum paruitatem noſtrã fecit, quod eum non deceret, patienter ſuppottaremus. Hu-
gonem autem Puteacenſem, & Paganum transfugam atque deſertorem, ſine digna
ſatisfactione ſuſcipere non poſſumus: quia ita eſt inter nos non ſine ſumma obliga-
tione condictũ, & Apoſtolica auctotitate roboratum. Si autem Paganus ideò ſeipſo
vult maior fieri, quia deterior ſeipſo factus eſt, & Epiſcopali intelligẽtiæ ſumma fiet
iniuria, & Ordini Clericotum ad exorbitandum procliuior patebit via. In hoc ergo
negocio ita præcauete periculo veſtro, ſicut & noſtro: quia vt vobis vera fateamur,
malumus quæ Deus permiſetit aduerſa perpeti, quàm in parcendo filiis diſcordiæ
plutimos in diſcrimen adduci. De loco autem, in quo ſecurè colloqui poſſimus, cer-
tum non eſt mihi conſilium, quia intra Epiſcopatum veſtrum & noſtrum nullus mi-
hi ſecurus eſt exitus: niſi fraterna charitas vos cogeret, quod petere non præſumo,
vt vſque ad nos veniretis, & de quibus bonum eſſet nobiſcum conſultè quando vel-
letis tractaretis. Valete.

A

EPISTOLA XXVI.

PHILIPPVS I.

D AIMBERTO *Dei gratiâ Senonenſium Archiepiſcopo*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, per omnia deuotum obſequium.* NOVERIT paternitas veſtra, quoniam Hugo Puteacenſis timore Dei tactus, & cotde compunctus, ea quæ Eccleſiæ noſtræ abſtulerat, quantum ad portionem ſuam pettinuit, integerrimè reddidit. Mihi verò quæ mea & meorum erant, ſe cuncta redditurum datis obſidibus ſub fidei ſponſione firmauit. Et quia de diſcretione à veſtra paternitate fueram commonitus, ea interim accipere diſtuli quamdiu abſtinuerit ab exactionibus & angariis, quas in terra Fraxineti facere conſueuit. Vnde gratias refetimus quantas poſſumus veſtræ patetnitati, qui manum nobis in hac neceſſitate porrexit, & qua debuit miſeratione condoluit. Rogamus etiam vt cauſa noſtri de cetero non teneatis eum interdictum vel excommunicatum, neque ſuos, quamdiu in ſponſione ſua perſeuerauerit, & prædictas exactiones non accepetit. Domnus verò LVDOVICVS non vult nobiſcum pacem componere, quia nolo Paganum illum in infamiam lapſum, qui matrem ſuam euiſcerauit, & quibus potuit vnguibus ſciſmatis lacerauit, honoribus Eccleſiaſticis ſublimare. Ego itaque pet manum veſtram offeto ei omnem iuſtitiam, vel ſi ad ſatisfactionem venerit, quam ei poteto facere lege non contradicente miſericotdiam. Et quia vtrumque refutat, vnum conſi-
B lium mihi reſtat, expectare miſeticotdiam Dei; donec iuſtificet cauſam meam. Valete.

Edit. 124.

EPISTOLA XXVII.

I VO *Dei gratiâ humilis Eccleſiæ Carnotenſis Epiſcopus*, GAVFRIDO *Vindocinenſi Comiti ſalutem.* CVM omnibus ouibus nobis à Deo commiſſis paſtorali diligentiâ prouidere debeamus, ne paſcua vitæ deſerant, ne luporum inuiſibilium morſibus ſe intrudant: ptæcipuè hoc nobilitati tuæ debemus, qui & noſter es parochianus, & Eccleſiæ noſtræ cataneus. Quod ideò dilectioni tuæ ſcribo, quoniam audiui te velle ducere in vxorem Vicecomitiſſam Bleſenſem, cuius defuncto marito fuiſti conſanguineus, ſicut mihi ſctipſerunt, & probare parati ſunt nobiles viri, tam tui, quàm defuncti Vicecomitis Roberti conſanguinei. Vnde tibi mando, & per legem Chriſtianam interdico ferales & inceſtas nuptias, quas nec lege poteris defendere, nec legitimos de eis heredes ſuſcipete. Si ergo ſalutaria noſtra monita ſuſcipis, cùm ad nos miſeris, ſtatuemus tibi diem certum & locum, quatinus ad legitimam diſcuſſionem venias, & ſententiam quam lex Chriſtiana dictauerit ſuper tali deſponſatione recipias. Quòd ſi aliter incœptum tuum adimplete præſumpſeris, & excommunicationem incurres, & infamiæ notam non euades. Conſanguinitas autem inter te & virum prædictæ mulieris ſic ſe habet. LANDRICVS SORVS quendam filium, filiámque habuit. Qui filius Lancelinus nomine filium Lanceli-
C num genuit: ex quo Agnes fuit, quæ Robertum genuit. Qui Robertus filiam Hugonis Dunenſis in vxorem habuit. Filiam verò Landrici Sori habuit Buchardus Rata-pilata. Ex quibus natus fuit Buchardus Caluus, de quo Fulco Anſer nàtus fuit. Ex quo deſcendit Nifrana *, quæ Gauftidum Griſam-tunicam genuit, qui illam vult accipete in vxorem. Vale.

Edit. 136.

* al. Viſrana.

EPISTOLA XXVIII.

I VO *Dei gratiâ humilis Eccleſiæ Carnotenſis Epiſcopus*, MATILDI *Bleſenſi Vicecomitiſſæ ſalutem.* QVONIAM tibi, & omnibus quos in Deum vel propter Deum diligimus, ſalubria monita vel præcepta dare debemus, monemus & præcipimus per legem Chriſtianam, vt coniugium, quod cum Comite Vindocinenſi te inituram pepigiſti, vſque ad legitimam diſcuſſionem differas; & bonam æſtimationem quam hactenus habuiſti non amittas. Quòd ſi aliter præſumpſeris, & excommunicationi ſubiacebis, & perdes res tuas quas pro hoc coniugio diſtraxeris. Dicunt enim communes conſanguinei Vindocinenſis Comitis, & Roberti Vicecomitis mariti tui defuncti, quia conſanguinei fuerunt Comes Vindocinenſis & Robertus maritus tuus eo gradu, quo Litteræ Comiti miſſæ demonſtrant, & ptobare parati ſunt. De qua re ſtatuam tibi & Comiti diem & locum, cùm ad me ptopter hoc nuncios veſtros miſeritis. Ordo autem parentelæ ſupra ſctiptus eſt. Vale.

Edit. 130.

PHILIPPVS I.

EPISTOLA XXIX.

A

Edit. 134. DAIMBERTO *Dei gratiâ Senonenſium Archiepiſcopo*, IVO *humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter*, *ſalutem & obſequium* --- DE cetero notum facio paternitati veſtræ, quòd cùm nulla à me illata eſſet iniuria, vel nulla denegata iuſtitia, cùm etiam reſpectus eſſet inter me & Comitiſſam mediante Apoſtolico: GVLIELMVS Comitiſſæ filius in mortem Clericorum Carnotenſium, & perniciem meam, & omnium ad nos pertinentium, coram altare beatæ Mariæ coniurauerit, & omnes ciues qui ſub banno ſunt ad eandem coniurationem compulerit, niſi voluntati ſeruorum ſuorum cedamus, & ſibi vſurpet violentia quod ſola debet obtinere gratia. Ego itaque hoc Herodianum iuramentum audiens, nolui poſtea in præſentia huiuſmodi coniuratorum diuina ſacramenta tractare, nec ſuper eos benedictionem Epiſcopalem more ſolito dare. Promeritum tamen anathema diſtuli ſuper eos fundere, donec conſilium veſtræ paternitatis & collegarum noſtrorum ſuper hoc acciperem, & conſilio & auxilio multorum fretus, debitâ eos cenſurâ à funeſta conſpiratione reuocarem. Cùm ergo ad vos remiſero, volo vos eſſe præmunitum, vt conſilium & auxilium, quod vobis ſit honeſtum & nobis vtile, ad manum habeatis, & naufragantibus ante ſubmerſionem manum extendere feſtinetis. Valete.

EPISTOLA XXX.

B

Edit. 138. IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, dilectis ſibi in Chriſto Archidiaconibus Vulgrino & Stephano, decorem Domus Dei diligere, & quæ Ieſu Chriſti ſunt quærere.* CVM de electione Epiſcopi apud vos ageretur, & à quibuſdam veſtrûm domnus FVLCO Decanus veſter eligeretur: habita eſt, vt audiuimus, inter vos fœda contentio, quę & multorum aures offenderet, & de Eccleſia veſtra non bonum odorem longè latéque diſpergeret. De obtenebrata itaque pacis veſtræ ſerenitate, fraterna compaſſione doluimus: quia quæ grauamina de fraterno ſciſmate Eccleſiis euenire ſoleant, experimento didicimus. Petitioni veſtræ tamen hoc reſpondemus, quia electioni domni Fulconis vel alterius aſſenſum non dabimus, niſi quem aut Cleri plebiſque conſenſus elegerit, aut Metropolitani iudicium cum conniuentia ſuffraganeorum habita legitima diſcuſſione probauerit. Conſulendo itaque monemus fraternitatem veſtram, vt nemo veſtrûm in tanto diſcrimine priuata odia exerceat, nullus priuatum honorem vel priuatum commodum quærat, nullus fratrem ſuum publica infamiâ pulſet, niſi iudiciario ordine probare poſſit quod obiecerit: ne dum temerè non probanda obiicit, ipſe talionem recipiat, & ſe & ſua in periculum mittat. Miramur autem prudentiam veſtram, quare aduerſus Regem in præſentiâ Regis diſpoſuiſtis cauſam iſtam examinare, vbi plus poterit voluntas Regis quàm iuſtitia legis: vbi nec veritas poterit cum pace diſcuti, vel inuenta ſeruari. Valete.

EPISTOLA XXXI.

C

Edit. 139. DAIMBERTO *Dei gratiâ Senonenſium Archiepiſcopo*, IVO *humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, debitum filÿ famulatum.* APPELLATIO, quam fecerunt Pariſienſes, ad vos referenda erat, vt vos eis diem & locum pro arbitrio veſtro præſcriberetis, & Epiſcopos ſuffraganeos ad hanc diſcuſſionem indulto congruo ſpatio inuitaretis. Quod quia factum non eſt, præproperè mihi facta videtur domni Fulconis electio, & eiuſdem electionis futura diſcuſſio. Et quia deſideranti animæ nihil ſatis feſtinatur, poterit contingere quod per Sapientiam dicitur: *Hereditas, ad quam feſtinatur in initio, in nouiſſimo benedictione carebit.* Ad hanc autem diſcuſſionem à Domino PHILIPPO Rege inuitatus eram: ſed hoc mihi diſplicebat, quia ſecundùm morem Eccleſiaſticum, & inſtitutionem canonicam, à vobis talis admonitio non præceſſerat. Nunc verò audita veſtra admonitione, ſi conductum promiſſum Rex mihi dederit, Deo donante venire curabo. Si autem aliqua præpediente ratione venire non potero, neque tot de collegis conuenerint, qui ad tanti negocij diffinitionem ſufficiant: aut in aliud tempus rem differre, aut ad Sedem Apoſtolicam vtramque partem ire permittite, ad quam iturus eſt domnus Fulco, ſiue ratâ, ſiue irrita fiat eius electio.

Prouerb. 20.

A

EPISTOLA XXXII.

RICHARDO *Dei gratiâ Albanenſi Epiſcopo, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Vicario*, IVO *humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, ſalutem & obſequium.* SICVT de excommunicatione Regis grauiter doluimus, propter Chriſtianæ Religionis detrimentum, ita de abſolutione eius, ſi ad honorem Dei & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ fieri poſſet, granditer gauderemus, propter eiuſdem ſanctæ Religionis incrementum. Vt autem ſecus fiat quàm ſollicitudini veſtræ à domno Papa commiſſum eſt, conſulere non audemus: quia de rerum exitu ſicut vos, ita & nos incerti ſumus. Si autem diuina gratia cor eius humiliauerit ad pœnitentiam, conſilium nobis videtur, vt coram poſitis quamplurimis Epiſcopis publicè eum & ſolemniter abſoluatis: quatinus ſicut longè latéque patuit eius auerſio, ita multorum religioſorum teſtimonio publicetur circumquaque eius optanda reuerſio. In qua re ſatagendum erit diligentiæ veſtræ, quatinus qui pro amore iuſtitiæ & obedientia Sedis Apoſtolicæ perdiderunt eius amicitiam, in reconciliatione eius redintegrentur ad gratiam. Conſultum autem famæ veſtræ melius credidiſſem, ſi alibi quàm Senonis iſta fieret abſolutio, vbi cuique liceret liberè dicere quod ſentiret. De cetero ad Concilium denominatum gratanter ire deſidero. ſed contra voluntatem Regis, cuius odium iam per decennium tolero, qua viâ, quo conductu, vel circuitu, Trecas venire valeam, non inuenio. Si ergo vel per ipſum Regem, vel per Comitiſſam, aliquam mihi ſecuritatem impetrare poteſtis, obnixè rogo vt id facere ſtudeatis. Edit. 141.

B

EPISTOLA XXXIII.

PASCHALI *ſummo Pontifici*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, cum debita obedientia fidelium orationum obſequium.* NOTVM facimus paternitati veſtræ, quòd III. Kal. Aug. plures Epiſcopi tam Remenſis quàm Senonenſis Prouinciæ inuitati à domno Ricardo Albanenſi Epiſcopo Legato veſtro, cõuenimus in quoddam municipium Aurelianenſis Epiſcopatus, nomine Balgenciacum, ad faciendam abſolutionem Regis, ſecundùm tenorem Litterarum, quas ſuper hac re miſerat moderatio veſtra. Conuenit etiam Rex & lateralis ſua, & ſecundùm præceptum veſtrum tactis ſacroſanctis Euangeliis parati fuerunt abiurare abſolutè omnem carnalis copulæ conſuetudinem, inſuper & mutuam collocutionem, niſi ſub teſtimonio perſonarum minimè ſuſpectarum, vſque ad veſtram diſpenſationem. Sed quia in Litteris veſtris continebatur, vt in hac abſolutione conſilium prudentium ſibi adhiberet domnus Albanenſis Epiſcopus, totum onus conſilij voluit ex arbitrio pendere Pontificum. Epiſcopi verò neſcimus quid coniicientes, ſemper replicabant ſe debere eſſe huius conſilij comites, & non duces. Quamuis quibuſdam noſtrûm videretur, quòd prædicta abſolutio ita poſſet, ſicut prætaxata eſt, honeſtè fieri, & propter quorumdam ſimultates non ſatis rationabiliter impediri. Cùm itaque res indefinita remaneret in medio, Rex clamitans inculcabat ſe malè eſſe tractatum, qui tamen per ſe & per nos adhuc pulſat ad aures paternitatis veſtræ, vt ſecundùm moderationem Litterarum veſtrarum, & verba quę domno Galoni Coëpiſcopo noſtro iniunxiſtis, cauſam eius temperetis: ne contingat de eo illud Salomonis: *Qui multum emungit, elicit ſanguinem.* Diſpenſationis autem modus nulli vnquam ſapiẽtum diſplicuit. Vnde B. Cyrillus ad Gennadium Preſbyterum: Sicut enim qui mare nauigant, tempeſtate vrgente, nauíq; periclitante, quædam exonerant, vt cetera ſalua permaneant: ita & nos cùm non habemus ſaluandorum omnium negociorum certitudinem, deſpicimus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur diſpendia. Et quia hæc ſuggerendo dicimus, non docendo, noſtræ ſuggeſtionis ſumma eſt, vt imbecillitati hominis amodò, quantum cum ſalute eius poteſtis, cõdeſcendatis, & Terram, quæ eius anathemate periclitatur, ab hoc periculo eruatis. De cetero ſanctæ paternitati veſtræ ſupplicando ſuggerimus, vt domnum Galonem Coëpiſcopũ noſtrum, de Beluacenſi Epiſcopatu, quem propter ſacramentum domni LVDOVICI habere non poteſt, per manum Senonenſis Archiepiſcopi transferri iubeatis in Pariſienſem Epiſcopatum, quem ei gratanter & deuotè concedunt pro veſtro amore Rex & Regis filius. Qualiter autem in eum Cleri & plebis vota conueniant, dicet vobis præſentium portitor Clericus Pariſienſis Eccleſiæ Canonicus: vt cognoſcatis eum benè poſſe transferri, qui Sedem propriam nulla ratione præualet adipiſci. Valete.

Edit. 144. — C — Prouerb. 30.

PHILIPPVS I.

A

EPISTOLA XXXIV.

Edit. 118.

HVGONI *Dei gratiâ Lugdunenſis Eccleſiæ primæ Sedis Epiſcopo*, IVO *humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, ſalutem & ſeruitium.* QVIA Deo annuente ſategimus cum Rege Francorum, & filio eius Rege deſignato, vt iam diſpliceat eis inceſtum coniugium, quod eſt inter CONSTANTIAM filiam prædicti Regis, & Comitem Treeaſſinum: fulti auctoritate legum, & adiutorio bonorum, cupiunt huius coniugij maturare diuortium. Dum ergo hæc voluntas ita feruens eſt, eorum inſtinctu moneo & rogo paternitatem veſtram, vt commonitorias Litteras mittatis Archiepiſcopis & Epiſcopis ad Curiam, quæ habenda eſt in Natale Domini Sueſſionis: quatinus à Rege ipſo audiant computationem genealogiæ, quam ipſe ſicut dicit paratus eſt iureiurando approbare, & idoneis teſtibus confirmare. Et quia hæc genealogia ab Aruernenſibus multotiens eſt vobis computata, obnixè ptecantur, vt eandem computationem Litteris apertè ſignatis per prę̨ſentium portitorem Epiſcopis ad Curiam tranſmittatis, & rei veritatem Litterarum teſtimonio manifeſtiorem faciatis. Nec enim decens eſt, vt tantæ nobilitatis ſanguis tam publico inceſtu diutiùs polluatur, & ad ſimilem inceſtum perpetrandum ferali exemplo carnalium voluntas animetur. Conſulo itaque vt filius & familiaris, vt qui importunè inſtare deberetis, nunc opportunè quantum in vobis eſt malagma vulneri ſuperponete minimè differatis. Valete.

B

EPISTOLA XXXV.

Edit. 166.

IVO *Dei gratiâ Carnotenſis Eccleſiæ miniſter*, HVMBALDO *eadem gratiâ Autiſſiodorenſis Eccleſia Epiſcopo, ſalutem.* NOVERIT dilectio veſtra præterita æſtate, cùm domnus BRVNO Signinus Epiſcopus Apoſtolica Legatione fungeretur, Hugonem Album præſentiam eius adiiſſe, & qualitet Pontius nepos Trecenſis Epiſcopi filiam ſuam nomine Matildem, Galerannò Camerario Regis priùs à parentibus traditam, renitentem & flentem in coniugium vſurpauerit, ſibi indicaſſe. Sed quia vtraque perſona abſens erat, iniunctum eſt à prætaxato Legato Pariſienſi Epiſcopo, vt vtramque partem die competenti ad cauſam vocaret, & auditis vtriuſque partis rationibus, controuerſiam, quæ erat inter Pontium & prædictam Matildem, prudentium virorum conſilio & iudicio terminaret. Reuerſus itaque Pariſienſis Epiſcopus diem & locum Pontio & Matildi conſtituit, me & quoſdam Coëpiſcopos ſuos ad diſcutiendam & terminandam hanc rem charitatiuè inuitauit. Conuenerunt itaque Pariſium die conſtituto ad cauſam accuſatores & accuſatus, teſtes & iudices. Quæſitum eſt à prætaxata Matilde, quare coniugium Pontij refutaret. Quæ breuiter reſpondit, quòd non eſſet ei legitimè iuncta, quoniam priùs eſſet Galeranno à parentibus tradita, & huic contradicens pro poſſe ſuo & flens nolente matre copulata. Cùm ergo oblatum eſſet Pontio, vt ad obiecta reſponderet, quærens quædam diuerticula, nihil ad obiecta reſpondit: ſed à Conuentu, cui ſe præſentauerat, non ſatis aptè receſſit. Mandatum eſt ei itaque ſemel & ſæpiùs, vt vel ad obiecta reſponderet, vel iudicium audire non differret. Cùm ergo ita à iudicio declinaret, iudicatum eſt ei ex Apoſtolico decreto, quòd dilationem ſententiæ ex abſentia lucrari non deberet, exindè prolatis ex legum & canonum auctoritate ſententiis: quia ſi teſtes mulieris aduerſus Pontium agentis datis ſacramentis probate poſſent quod mulier obiecerat, à coniugio Pontij libera eſſet, & cui vellet in Chriſto nubere poſſet. Iterum mandatum eſt Pontio, vt ad audiendum hæc ſacramenta veniret, aut ſi quid legitimè perſonis teſtificantium, vel dictis eorum obiicere poſſet, obiiceret. Quod cùm vt cetera ſimplicitate vel duplicitate ſua ſubterfugeret, à decem viris vel eò ampliùs data & accepta ſunt ſacramenta, quibus probatum eſt, & mulierem priùs à parentibus alteri fuiſſe traditam, & Pontio ſine ſua voluntate copulatam. Negocio itaque diligenter pertractato, & iudiciario ordine terminato, iudicauimus mulieri quòd eſſet libera à Pontij vt non dicam coniugio, ſed contubernio, & quia nubere poſſet cui vellet in Domino. Hæc ſcripſimus ſanctitati veſtræ, quia prædictam mulierem quidam parochianus veſter vult habere in coniugem: ne de præteritis nuptiis aliquod apud vos generetur ſcanda-

C

A lum, vel præſentibus aliquod ponatur offendiculum. Valete, & ex mutua dilectione paruitatis meæ memor eſtote. PHILIPPVS I.

EPISTOLA XXXVI.

DAIMBERTO *Dei gratiâ Senonenſium Archiepiſcopo*, IVO *eadem Dei gratiâ Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, ſalutem & ſeruitium*. QVONIAM in quibuſdam negociis aliqua dubia vel difficilia occurrunt, debemus inuicem manus auxilij vel manus conſilij porrigere: ſeriem cuiuſdam cauſæ, quæ præterita æſtate apud nos emerſit, & adhuc ſerpit, congruum duxi paternitati veſtræ ſignificare, cui hæc cauſa principaliter Litteris Apoſtolicis terminanda committitur: vt & vobis, & nobis, cui ſecundo loco committitur, benè prouideatis, quatenus nec obedientiam Apoſtolicam contemnamus, nec aliquem iniuſtè prægrauemus. Erat enim quidam fundus in parochia noſtra, cuius partem habebat quidam miles, & in ea domum ſuam ſeparatim, & alius aliam, & in ea domum ſuam ſimiliter ſeparatim. Pro huius fundi tuitione, vtrique ſeruiebant Vicecomiti Carnotenſi. Hanc verò tuitionem cum ſeruitio dedit Vicecomes cuidam militi ſuo in beneficium, Domino videlicet Curuæuillæ. Poſt non multum temporis emit Comes ROTROCVS partem illius fundi, quæ alodium erat: comportauit ibi aggerem, & fecit munitionem. Quod audiens Vicecomes, quia Hieruſalem iturus erat, & Dominus B Curuæuillæ, clamorem fecerunt in autibus Eccleſiæ, vt iuſtitia eis fieret, quæ debebatur Hieroſolymitanis & paci. Conſtitutus eſt dies vtrique parti ad agendam cauſam. Cùm conueniſſent, obiectum eſt à Vicecomite Comiti Rotroco, quòd iniuſtè & contra pacem ædificaret munitionem in fundo tuitionis ſuæ. Quo audito, reſponſum eſt pro Rotroco, quòd fundus minimè pertineret ad tuitionem Vicecomitis, ſed potiùs ad tuitionem Rotroci Comitis. Quæ altercatio cùm aliquandiu duraſſet, præcepimus iudicium fieri: iudicatúmque eſt, quia hæc cauſa ſine monomachia terminati non poterat, & iudicium ſanguinis nobis agitate non licebat: vt vtráque pars irent in Curiam Comitiſſæ, ad quam talia iudicia pertinebant, & de cuius feudo iſta tenebant. Sicut iudicatum erat, venerunt vtrique in Curiam Comitiſſæ, & actionibus vtrinque ventilatis, neſcio quibus de cauſis Vicecomes à cauſa cecidit. Poſtea cœperunt Iuo dominus Curuæuillæ, qui hoc beneficium ſe aſſerebat habere à Vicecomite, & Comes Rotrocus, aduerſum ſe guerram facere, & alter alterius bona diripere. Et ſicut varius eſt euentus belli, quadam die cùm prædictus Iuo procederet armata manu ad neſcio quæ negocia ſua agenda, captus eſt à militibus Rotroci, & incarceratus. Præcipitur itaque vobis & nobis ex clamore Hugonis Vicecomitis ab Apoſtolica Sede, vt pro debito officij noſtri Guidoni fraternarum rerum cuſtodi, & Iuoni capto iuſtitiam faciamus: Perlectis ergo Litteris Apoſtolicis diligenter notate verba, & ſecundum ordinem C rei geſtæ, & tenorem Litterarum Apoſtolicarum, prouidete vobis, quo ordine cauſa ſit agenda: vtrum ſtatim ſit Rotrocus excommunicandus, an ad iudicium inuitandus. Quia quo ordine procedet & in actione cauſæ & in executione iuſtitiæ nobis prælata ſublimitas, eo ſequetur pro poſſe ſubiecta noſtra humilitas. Et ſi ad præſens non eluxerit nobis certa ſententia, his qui in Litteris nominati ſunt locum & diem competentem conſtituite, & accuſatores & accuſatum ad eundem locum inuitate: vt præſentialiter audita & cognita veritate pleniùs poſſitis iuſtitiæ ſatisfacere. Quod ex his vobis melius viſum fuerit, paruitati meæ reſcribite. Valete. Edit. 160.

EPISTOLA XXXVII.

PASCHALI *ſummo Pontifici*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, debitam cum omni deuotione obedientiam*. SECVNDVM tenorem Litterarum veſtrarum, quas dediſtis HVGONI Vicecomiti Carnotenſi Hieroſolymam eunti, ROTROCVM Comitem ad iuſtitiam vocauimus, qui accuſabatur munitionem in terra ad ius prædicti Hugonis pertinente, poſtquàm crucem acceperat, ædificare cœpiſſe: & Iuonem eiuſdem Hugonis militem, qui prædictam terram ab ipſo Hugone habebat in feudum, iniuſtè cepiſſe, & redimiſſe. In qua vocatione poſtulatum eſt à Comite Rotroco, vt vſque ad exitum cauſæ nihil in cœpta munitione Edit. 161.

PHILIPPVS I. ædificaret, nihil de redemptione Iuonis acciperet. Die ſtatuta ventum eſt ad cauſam, obtulit ſe ad iudicium Rotrocus: ſecundùm ordinem geſtarum rerum dixerunt petitores qui pro Hugone loquebantur, ſe nolle ad hanc cauſam ingredi, niſi priùs eis ſatisfaceret de eo quòd non erat intermiſſa ædificatio munitionis, & recredita redemptio Iuonis. Reſponſum eſt ex parte Rotroci, neutrum debere fieri, quia munitio illa ei adiudicata erat in Curia Comitiſſæ, de cuius feudo erat, cùm iudicio Eccleſiæ ad prædictam Curiam hæc cauſa tranſlata eſſet: & prædictus Iuo pro peregrinatione Hugonis minimè erat reddendus, cùm prædictus Iuo Rotrocum dominum ſuum diffiduciaſſet, & prædam eius prior cepiſſet, homines ſuos ea die qua captus eſt in vinculis haberet, & ad foriſfaciendum eidem armata manu militum ea die procederet. Dictum eſt ex altera parte, quòd poſſent omnes iſtas depulſiones veridicis aſſertionibus locis ſuis & temporibus falſificare: ſed non eſſe accedendum ad iſta, donec ſatisfactum eſſet de iis quæ priùs obiecta fuerant, niſi iudicio cogerentur. Præceptum eſt ergo confidentibus Clericis, vt hanc litem iuſtâ ſententiâ dirimerent. Qui cùm diu indè diſceptaſſent, non potuerunt in vnam conuenire ſententiam, dicentes nouam eſſe inſtitutionem de tuitione Eccleſiaſtica impendenda rebus militum Hieroſolymam proficiſcentium: neque ſcire vtrùm hæc tuitio ad ſolas pertineat proprietates eorum, an etiam pertineat ad caſamenta eorum quæ tenent potentes homines, ſe & ſua fortitudine ſua defendentes. Poſtulauerunt ergo ſibi dari inducias, donec ſuper hoc veſtra requireretur ſententia. Quas inducias ea conditione dare voluit Comes Rotrocus, vt ædificatio munitionis non intermitteretur, nec redemptio Iuonis ſuſpendéretur. Quod concedere pars altera omninò refutauit, & de hoc iterum iudicium poſtulauit. Quo iudicio cùm ſe prægrauari timeret Comes Rotrocus, audientiam Apoſtolicam appellàuit, cuius eum auctoritate premebamus. Mittimus ergo eos paternitati veſtræ cum Litteris noſtris ordinem cauſæ continentibus, vt prudentiâ & poteſtate vobis diuinitus conceſſa litem hanc dirimatis: quia inter nos homines iſti magni ſunt, nec à noſtra paruitate, prout oportet, ad pacem cogi poſſunt. Valete.

EPISTOLA XXXVIII.

Edit. 180. LEODEGARIO *Dei gratiâ Bituricenſi Archiepiſcopo*, IVO *humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, ſalutem & ſeruicium.* PLACET admodum paruitati noſtræ, quòd audiuimus vos rigorem iuſtitiæ inflexo tramite velle cuſtodire. Sed cùm in pectore Sacerdotis Rationale affixum eſſe debeat, & connexum Superhumerali: condecens eſt vt rector ſic moderationem iuſtitiæ teneat, quatinus nec immoderatus rigor corrigendos deſperatione miſericordiæ in profundum malorum deiiciat, vel indiſcreta miſericordiâ arrogantiam augeat. Quod ideò ſuggero ſanctitati veſtræ, quia audiui quoſdam parochianos noſtros ſubmurmurantes, vos ita eſſe obligatum cum quibuſdam parochianis veſtris, vt niſi eorum conſenſu iuſtitiam intendere vel remittere non valeatis. Vnde nuper contigit, vt audiuimus, dura eorum obſtinatione cauſam Arnulfi Virſionenſis in Curia veſtra ita eſſe exaſperatam, vt in eadem cauſa facto indicio Sedes Apoſtolica ſit appellata, & finitiua eiuſdem cauſæ ſententia vſque ad Apoſtolicam audientiam ſit dilata. Quod quanta ſit vexatio, quanta rerum expenſa, quàm incertus negociorum exitus, tam experimento in veſtris negociis didiciſtis, quàm ex aliorum cauſis audiſtis. Conſilium ergo, quod per quoſdam pacis amatores didici, neceſſarium vobis ſcribere exiſtimaui: videlicet vt per Radulfum Balgeiacenſem aliquantò prolixas inducias detis prætaxato Arnulfo, non de minoranda iuſtitia Eccleſiaſtica, ſed tantummodò de non ducenda ſuper eum Communia. Interim autem, ſicut dicit prætaxatus Radulfus, eo mediante inter Arnulfum & eius aduerſarios pax reformabitur, & iuſtitia in nullo periclitabitur: & appellatio, quæ in Curia veſtra facta eſt, ſine veſtra vel veſtrorum vexatione ad nihilum redigetur. Vos itaque quod dico prudenti deliberatione penſate, & ſi vera ſunt quæ dicuntur, ſi meliora vobis non occurrunt, vos ipſi probate: quia ſuadente charitate, ſalua iuſtitiâ placeret mihi pax veſtra. Valete.

A

EPISTOLA XXXIX.

RICHARDO *Dei gratiâ Albanenſium Epiſcopo*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, ſalutem & debitum Romanæ Eccleſiæ ſeruicium.* INTELLIGENS in vobis pro gratia diuinitus collata feruere zelum iuſtitiæ, veritatem quam noui de cauſa Viſeliacenſis & Beluacenſis Monaſterij ſancti Luciani ſollicitudini veſtræ intimare curaui. Buglenſis Eccleſia, de quâ nunc controuerſiâ eſt inter prædicta Monaſteria, olim fuit iuris Monaſterij ſancti Luciani. Sed cùm Normannorum perſecutio Monaſteria Beluacenſis territorij deuaſtaſſet, & in ſolitudinem redegiſſet; bona Monaſteriorum propter defenſionem terræ ex magna parte in vſus laïcorum diſtracta ſunt. Antequàm autem illa vaſtitas plenè reformari potuiſſet, in Buglenſi Eccleſia quidam Canonici ordinati fuerunt. Et ita per ſucceſſiones vſque ad tempora Guidonis Beluacenſis Epiſcopi, & Hugonis Buglenſis Comitis; Canonici Canonicis ſucceſſerunt. Hugo autem Comes habito conſiliò cum Guidone Epiſcopo, prædictam Eccleſiam ſancto Luciano reddidit, ſibi & prædeceſſoribus ſuis indulgentiam poſtulans, qui eam iniuſtè detinuerant. Sed Abbas prædicti Monaſterij ſancti Luciani, contradicentibus Clericis prædictæ Eccleſiæ, pro ſua ſimplicitate diſtulit aliquanto tempore Monachos ſuos ibi ordinare: expectans, vt cum pace Clericorum poſſet omnia tranſigere. Et quia prædictus Comes poſthabito diſcretionis moderamine, Monachos quomodocumque feſtinabat intrudere; Viſeliacenſes Monachos, qui ibi propè habebant Cellam vnam, vocari fecit, & eis, reclamantibus Clericis & Monachis ſancti Luciani, abſque conſenſu Epiſcopi Eccleſiam, quæ iam ſua non erat, conceſſit. Poſteà verò ductus pœnitentiâ cùm à multis argueretur, eandem Eccleſiam beato Luciano reddidit. Sed quia Monachi ſancti Luciani rem quamuis ſuam abſque Iudicibus ab inuaſoribus acceperunt, in Concilio Exoldunenſi adiudicata eſt Viſeliacenſibus ſola veſtitura vſque ad tempus legitimæ diſcuſſionis. Neque vlla finitiua ſententia ibi data eſt, quæ Monachis ſancti Luciani ſuam iuſtitiam auferret, & Monachis Viſeliacenſibus prædictam Eccleſiam perpetuò habendam adiudicaret. Huius negocij ordinem, vt pote Beluacenſis, ita proceſſiſſe cognoui: & qui in Exoldunenſi Concilio huic diſcuſſioni interfui, hæc ſi præſens eſſem vera eſſe probare poſſem. Et ideò ea vobis ſcripſi, vt cognita veritate meliùs ſciatis, cui parti aurem ſecuriùs inclinare valeatis. Valete.

Edit. 181.

B

EPISTOLA XL.

De conſecratione LVDOVICI *Regis.*

IVO *Carnotenſis Eccleſiæ humilis miniſter.* NOVERIT ſancta Romana Eccleſia, nouerint omnes Eccleſiæ, ad quas murmur Remenſium Clericorum peruenerit, nos in conſecratione LVDOVICI Regis Francorum nihil noſtrum quæſiiſſe, ſed pro communi vtilitate Regni & Sacerdotij conſultè vigilaſſe. Erant enim quidam Regni perturbatores, qui ad hæc omni ſtudio vigilabant, vt aut Regnum in aliam perſonam transferretur, aut non mediocriter minueretur. Quod ne fieret, cooperante Deo, & pro integritate Regni, & pro tranquillitate Eccleſiarum, quantum potuimus præcauere ſtuduimus. Vnde liuori adſcribendum videtur, aut tumori, ſi quis vrili & honeſtæ actioni deroget, quam nec ratione poteſt redarguere, nec conſuetudine infirmare, nec lege damnare. Si enim rationem conſulimus, iurè in Regem eſt conſecratus, cui iure hereditario Regnum competebat; & quem communis conſenſus Epiſcoporum & Procerum iampridem elegerat. Præterea, quæ ratio eſt Belgicorum, Regem ſuum creare & conſecrare, quamuis in aliis Prouinciis regnaturus ſit, ſi ita ipſorum Regum voluntas, & temporum atque locorum opportunitas ſe obtulerit: eadem eſt Celticorum & Aquitanorum, qui Belgicorum Prouinciæ nihil debent, Regem ſuum, quamuis & in Belgica regnaturus ſit, eligere, & omne Regi debitum obſequium exhibere. Si verò ad conſuetudinem recurrimus, quæ in exemplis maximè declaratur, reſpondemus ex verbis Auguſtini, quia ratio exemplis anteponenda eſt, cui tamen & exempla concordant. Ecce rationem dedimus, quam apud eos æquè validam ſu-

LVDOVICVS VI. GROSSVS. Edit. 189.

C

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

per hoc negocio inueniri non credimus. Addimus & exempla rationi concordan- A
tia. Sicut enim legitur in Geſtis Francorum: Diuiſo Regno inter filios Lotharij,
nepotes Clodouei Charibertus & Guntrannus prouincias Celticorum & Aquita-
» norum acceperunt in Regnum ſuum: & alter eorum, Charibertus ſcilicet, Pariſius
» ſibi ſedem Regiam poſuit, & vſque ad flumen Garunnam Regnum ſuum extendit,
» Gunttannus verò Aurelianis ſedem Regiam ſibi conſtituit, & Burgundiam, quæ
» Celticæ pars eſt, in Regnum accepit. Iſti quippe Reges nullam à Remenſi Archie-
piſcopo benedictionem vel coronam acceperunt, ſed à Sacerdotibus Prouincia-
rum quas regebant, ſublimati ſunt & ſacrati. Poſtquàm verò Regnum Gallorum
in ſuam Monarchiam reuocatum eſt, deleta progenie Clodouei, Pipinus & filij
eius Carolus & Carlomanus, nec Remis, nec à Remenſi Archiepiſcopo in Reges
ſublimati ſunt, nec inuncti. Ludouicus quoque nepos Ludouici ſenioris apud
Ferrarias, qui locus eſt in pago Senonenſi, & vxor eius, nullo præſente Metropo-
litano, à quibuſdam Epiſcopis in Reges ſunt conſecrati & coronati. Vnde in Ge-
» ſtis Francorum ita legitur. Audientes Hugo Abbas & ceteri Primates, qui cum
» filiis quondam ſenioris ſui Ludouici agebant, Ludouicum nepotem cum vxore ſua
» ad has partes venturum, quoſdam Epiſcopos miſerunt ad Ferrarias Monaſterium,
» & ibi conſecrari eos & coronari in Reges fecerunt. Item in Geſtis Francorum:
» Supererant duo filij Roberti Comitis Andegauorum, qui fuit Saxonici generis vir.
» Ex his ſenior Odo dicebatur, Robertus alter. Ex his maiorem natu Odonem B
» Franci, & Burgundiones, Aquitanienſéſque Proceres congregati in vnum, licèt
» reluctantem, tutorem Caroli pueri, Regníque elegerunt gubernatorem, quem
» vnxit VValterus Archiepiſcopus Senonum. Item, Carolus ſimplex in carcere
» poſitus, Rodulfum nobilem filium Ricardi Burgundionum Ducem, quem de fon-
» te ſacro ſuſceperat, vnà cum conſilio Hugonis Magni filij ſupradicti Roberti, &
» Procerum Francorum, in Regnum ſublimauit. Vnctus verò eſt in Regem ipſe
» Rodulfus III. Idus Iulij Sueſſionis ciuitate. Poſt mortem Rodulfi Regis, per
VVillelmum Archiepiſcopum reductus eſt ab Anglia Ludouicus filius Caroli Sim-
plicis in Franciam, & IV. Cal. Iulij vnctus eſt in Regem apud Laudunum. Poſt
tranſlationem verò Regni Francorum in progeniem Hugonis Magni Ducis, Ro-
bertus piiſſimus Rex filius Hugonis Regis Aurelianis in Regem conſecratus eſt &
coronatus. Cuius filius Hugo iuuenis Compendij eſt vnctus, & in Regem ſubli-
matus. Ex his huiuſmodi exemplis manifeſtum eſt quòd Francorum Reges non
omnes in Remenſi Eccleſia, vel à Remenſibus Archiepiſcopis ſunt conſecrati: ſed
multi in multis aliis locis, & à multis aliis perſonis conſecrati ſunt. Quæ omnia ſi
retexerentur, & prolixam facerent orationem, & ſuperfluam diſputationem: cùm
nullis ſcriptis vel exemplis probari poſſit, Remenſem Archiepiſcopum Francorum
Regem extra Belgicam vnxiſſe, aut coronaſſe. Cùm ergo hæc eadem poteſtas ſit
cuiuſque Metropolitani in metropoli ſua, mirum videtur quare vnus in proprium
ius ambiat vendicare, quòd multorum conſtat eſſe commune. Niſi forte quis di- C
cere audeat, maiorem vim ſacramentorum eſſe apud alios quàm apud alios, quod
ſciſmaticum eſſet, & vnitatem Eccleſiæ diuideret. Hæc dicentes non reprehen-
dimus inſtitutionem Eccleſiaſticam, per quam pax Eccleſiæ firmiùs colligata eſt,
cùm inferiores à ſuperioribus ſacramentorum diſpenſationem ſuſcipiunt, nec vl-
trà quàm ſibi conceſſum eſt vſurpare præſumunt. Verùm vbi perſonarum æqua-
lis eſt poteſtas, quarum altera alteri nihil præter charitatem debet, ſi altera alteri
ius ſuum vult detrahere, & ſibi ſoli arrogare, ſua quærens, deceptus eſt ſeculi am-
bitione. Nos quippe Remenſi Eccleſiæ non inuidemus, & ſi Reges Francorum
erga eam habuerint tantam deuotionem, vt malint à Metropolitano eius conſe-
crari, quàm ab alio, non repugnamus, non dolemus: immò ſuper benedictionem
eorum ſi nos adeſſe contigerit, gratanter loco idiotæ amen reſpondebimus. Su-
pradicta verò verborum ſerie oſtenſum eſt, in vnctione LVDOVICI Regis nihil nos
feciſſe contra morem. Reſtat vt oſtendamus, nihil nos feciſſe contra legem. Lex
quippe eſt præceptio vel prohibitio ſcripta, ad communem vtilitatem referens
quicquid iubet aut prohibet. Contra hanc ergo nihil fecimus, qui nulla contra-
dictione prohibiti, communi vtilitati in hoc facto charitate ſuggerente conſului-
mus. Si verò priuilegiis nititur Remenſis Eccleſia, illa priuilegia apud nos nulla
ſunt, quia nec in generalibus Conciliis nobis audientibus ſunt recitata, nec ad Ec-

A cleſias noſtras epiſtolari maturitate directa: Et vt manifeſtiùs dicamus, nulla nobis familiari vel publica relatione propalata. Illius ergo legis præuaricatores non ſumus, cuius auditores nunquam fuimus. Quæ tamen ſi audita eſſet, nihil nobis obeſſe deberet. Lex enim iuſta debet eſſe & poſſibilis, loco & tempori congruens. Iuſta ſi ſit, Deus ſcit. Nos autem interim nec vt iuſtam approbamus, nec vt iniuſtam condemnamus, quam adhuc ignoramus. Poſſibilis verò non erat, quia conſecratio Regis Remis ab Archiepiſcopo Eccleſiæ nondum intronizato ſine ſumma perturbatione & ſanguinis effuſione celebrari non poterat. Loco non conueniebat, quia ciuitas ſub anathemate poſita erat. Tempori opportuna non erat, quia ſi conſecratio Regis differretur, Regni ſtatus & Eccleſiæ pax grauiter periclitaretur. Quod ergo fecimus, ſalubri deliberatione & prouida diſpenſatione fecimus, nulli inuidentes, nullius auctoritatem nobis arrogare molientes, ſed nos intra terminos noſtros ſimplici oculo cohibentes. Sentiant aliter qui volunt: non timemus tribunal terreni iudicis, quia ſecuros nos facit conſcientia noſtra ante tribunal interni cognitoris. Nouimus enim quia neceſſariæ diſpenſationis modus nulli vnquam ſapientium diſplicuit: quam non ſolùm priuatæ leges, quibus nec fidei veritati, nec morum honeſtati conſulitur, ſed etiam leges generales contra hereticos vel ſceleratos promulgatæ admittunt: quando maioribus morbis ſanandis, vel maioribus malis amouendis meliùs ſubuenit moderatio ſinceræ charitatis, quàm rigor indiſcretæ ſeueritatis. Hæc primò ex auctoritate Euangelica, dehinc ex Actibus B Apoſtolorum, tertiò ex Epiſtolis Apoſtoli, poſtremò ex Decretis Romanorum Pontificum, ceterorúmque orthodoxorum Patrum ſententiis facilè probarentur, niſi prolixitas Epiſtolæ modum excedere videretur.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

EPISTOLA XLI.

PASCHALI *ſummo Pontifici*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, dilectionem filij & obedientiam per cuncta ſubiecti.* NOTVM eſſe volumus Excellentiæ veſtræ, quia ego & domnus Theobaldus beati Martini Monaſterij Pariſienſis Prior, audientes miſerabilem & mirabilem Remenſis Eccleſiæ deſolationem, auſu familiaritatis opportunè & importunè Regem Francorum interpellauimus, quatinus prædictæ Eccleſiæ expulſo inuaſore Geruaſio pacem reſtitueret, & domnum Radulfum eiuſdem Eccleſiæ Metropolitanum in gratiam ſuam receptum, eidem Eccleſiæ præeſſe concederet. Adquieuit tandem precibus noſtris, & conceſſit vt eum ad Curiam ſuam, quæ Aurelianis in Natali Domini congreganda erat, ſecurè adduceremus, & ibi cum eo, & cum Principibus Regni de hoc negocio, quantum fieri poſſet, ſalua Regni integritate tractaremus. Factum eſt vt condictum erat, & conuenientes in Curiam, multiplicatis interceſſoribus petitionem noſtram ſemel & ſæpiùs replicauimus. Sed reclamante Curia plenariam pacem im- C petrare nequiuimus, niſi prædictus Metropolitanus per manum & ſacramentum eam fidelitatem Regi faceret, quam prædeceſſoribus ſuis Regibus Francorum antea fecerant omnes Remenſes Archiepiſcopi, & ceteri Regni Francorum quamlibet religioſi & ſancti Epiſcopi. Quod perſuadentibus & impellentibus totiùs Curiæ Optimatibus, etſi propter mandatorum rigorem minùs licebat, factum eſt tamen, quia Eccleſiaſticæ paci & fraternæ petitioni ſic expediebat. Cùm enim plenitudo legis ſit charitas, in hoc legibus obtemperarum eſſe credimus, in quo charitatis opus impletum eſſe cognouimus. Petimus ergo flexis genibus cordis, vt hoc eodem intuitu charitatis & pacis veniale habeat paterna moderatio, quod illicitum facit non æterna lex, ſed intentione acquirendæ libertatis præſidentium ſola prohibitio. In exceſſibus ergo filiorum vtili diſpenſatione & compenſatione contractis ſufficiat parti verbum pro verbere, & deuota filiorum ſupplicatio pro ſummo reputetur ſupplicio. Si enim vult Apoſtolica auctoritas omnia, quæ medicinali condeſcenſione diſpenſantur, diſtrictè iudicare, oportebit penè omnes miniſtros adminiſtrationibus ſuis renuntiare, aut de mundo exire: nec habebunt vbi ſeminent ſpiritualia, niſi permittantur aliqua tolerare carnalia. Vnde neceſſitati temporum cedendum eſſe Apoſtolica docet ſublimitas, & orthodoxorum conſulit auctoritas, dicens: quia vbi populorum ſtrages iacent, detrahendum eſt aliquid canonum ſeueritati, vt maioribus morbis ſanandis charitas ſincera ſubueniat. Hæc

Edit. 190.

LVDOVICVS VI. GROSSVS. dicendo tamen doctam paternitatem veſtram non docemus, ſed eandem conſulendo & rogando monemus, vt ibi conſilij & pietatis ſtudeatis viſceribus abundare, vbi fas non eſt debitam fortitudinem exercere. Valete. A

EPISTOLA XLII.

Edit. 196. LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi dulciſſimo Domino ſuo*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, ſalutem & debitum pro poſſe ſeruicium.* DICTVM eſt mihi, quòd ad ſuggeſtionem inimicorum Abbatem ſancti Dionyſij grauiter accuſatis, & teſtimonio cuiuſdam pſeudomonachi de obiecta ſibi falſitate infamare contenditis. Quod nec leges habent, nec anteceſſorum veſtrorum Regum inſtituta permittunt, vt alicui de ſe confeſſo credi debeat ſuper crimen alienum. Vnde Excellentiæ veſtræ ſupplico, vt Maieſtati Regiæ primò conſulatis, & nobilis Monaſterij, quod cum omnibus ſibi appendentibus veſtræ voluntati obnoxium eſt, ne in aliquo iura minuatis, ſed potiùs beneficia quæ prædeceſſores veſtri eidem venerabili loco contulerunt, tanquam in propriam eleemoſynam defendendo vendicetis. Et quia periculoſum eſt loca Sanctorum perturbare, militantes in ſanctis locis inquietare: ſalubre conſilium mihi videretur, vt poſtpoſitis æmulorum inſimulationibus tales perſonas ad hanc diſcuſſionem inuitaretis, vel expectaretis, qui ſine omni fuco malitiæ conſilium vobis darent, & veſtræ vtilitati, & quieti Monaſterij ſalubriter prouiderent. In his autem, & in omnibus, det vobis Dominus ſpiritum conſilij, & fortitudinis, & pietatis. Valete. B

EPISTOLA XLIII.

Edit. 202. LVDOVICO *Dei gratiâ dulciſſimo Regi Francorum, Domino ſuo*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, ſalutem & debitum pro poſſe ſeruicium.* NON decet Maieſtatem Regiam vilia vel quælibet vanitatis lenocinia à Sacerdote quærere, nec Sacerdotalis officij eſt in talibus Regiæ Maieſtati obtemperare. Hoc quibuſdam Litterulis reſpondeo, quæ ex parte veſtra quærebant à me duo paria pellium carinarum. Quas vbi legi, propter honorem veſtrum valde erubui, nec ex parte veſtra eas mihi fuiſſe miſſas credere potui: & tamen tanquam à vobis miſſæ fuiſſent, ſupradicta reſcripſi, vt nunquam ampliùs à me vel ab alio Epiſcopo talia quæratis, ſi Regiæ Maieſtati debitum honorem ſeruare curatis. Valete.

EPISTOLA XLIV.

Edit. 209. IVO *Dei gratiâ Carnotenſis Eccleſiæ miniſter*, HVGONI *magnifico Trecenſium Comiti ſalutem & ſeruicium.* NOTVM volo facere Celſitudini tuæ, quia diſcuſſio illa quæ ventilanda eſt in octauis Pentecoſtes Senonis, de coniugio Regis & conſobrinæ tuæ filiæ BONIFACII Marchionis, virgini illi, de cuius coniugio tractandum eſt, nec honeſta eſt, nec vtilis. Ideo inutilis, quia fœdus illud, quod de ipſo coniugio initum eſt, conſilio Epiſcoporum & Optimatum omninò caſſabitur. Honeſta verò ideò non erit, quòd infamia virginis, quæ de legitimo coniugio nata non eſt, longè latéque diuulgabitur. Nullus quippe, qui fidelitatem fecerit Regi, præſumet illud dare conſilium, quod ſit contra fidelitatem ſuam, & Regni minuat Maieſtatem. Cum his enim quæ fidelitas continet, præcipuè obſeruandum eſt vtile & honeſtum, quæ minimè obſeruarent, qui mulierem de inceſto coniugio natam Regiæ perſonæ ſociandam eſſe decernerêt. Iam enim inſonuit murmur Ducum & Marchionum, qui iam deliberant ſe à Rege diuidere, ſi tam manifeſtam occaſionem valuerint inuenire. Vos itaque, qui huius coniugij paranymphus eſtis, poteſtis in vtrumque conſulere, vt nec Rex incurrat periurium, nec turpe conſobrina veſtra repudium: maximè cùm Rex dicat hanc ſe maculam ignoraſſe, & ſimpliciter in veſtra verba iuraſſe. Propterea ſcribo vobis abſens quod dicerem vobis præſens, conſulens in hoc meæ fidelitati, & nobilitatis veſtræ honeſtati: quatinus ita diſcretè & prouidè rem iſtam modificetis, vt omnibus quæ de hoc contractu contingere poſſunt ſalubri conſilio occurratis. Vnde mihi conſultius videtur, vt Conuentus conuocatus non fiat, ne res iſta ampliùs ventilata in peius proueniat. Vale. C

EPIST.

A

EPISTOLA XLV.

Lvdovicvs VI. Grossvs.

Edit. 211.

RADVLPHO *Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopo*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, ſalutem & ſeruicium.* CONSANGVINITATEM, quæ dicitur eſſe inter filium Flandrenſis Comitis & filiam Comitis Redonenſis, didici cùm eſſem in Curia Papæ Vrbani, non propter iſtos pueros, qui nondum fortaſſe nati erant, ſed propter auos eorum, aut proauos paternos aut maternos, de quorum conſanguinitate tunc temporis vrgente neceſſitate tractabatur. Computauit enim eam ad ſuggeſtionem domni Papæ, me audiente, quidam Monachus Atuernenſis nomine Caſtus, ætate maturus, de nobilibus terræ illius progenitus, vitâ & famâ honeſtus. Computauerunt eandem conſanguinitatem alio tempore in prædicta Curia Legati FVLCONIS Andegauenſis Comitis, & probauerunt, cùm accuſaretur Rex Francorum PHILIPPVS, quòd prædicto Comiti conſanguineo ſuo vxorem ſuam ſubtraxerat, quam etiam illicitè retinebat. Propter quam accuſationem, & patrati inceſtus comprobationem excommunicatus eſt Rex à domno Papa Vrbano in Claromõtenſi Concilio. Et cùm poſt factum diuortium prædictus Rex eſſet reuerſus ad prædictæ mulieris conſortium, excommunicatus eſt in Pictauenſi Concilio à Cardinalibus Ioanne & Benedicto. Hæc ſcri-
B bo abſens, qui nihil aliud quod ad rem pertineret dicturus eſſem præſens. Occurrerem tamen libenter amabili mihi veſtro colloquio, niſi obſiſteret mihi coluber in via, ceraſtes in ſemita, videlicet Puteacenſis Dominus, qui propter intolerabiles iniurias, quas infert Eccleſiæ noſtræ, à nobis eſt excommunicatus. Computatores verò genealogiæ, quos monebatis mecum venire, quorum mentionem ſuperiùs feci, non ſunt parochiani mei: neque etiam noui vtrum viuant, vt poſſim eos ad hanc diſcuſſionem inuitare. Generatio autem ſic eſt.

Gaufridus Griſagonellus.	Blanca Arelatenſis Comitiſſa.
Fulco Andegauenſis Comes.	Conſtantia Regina.
Comitiſſa Vaſtinenſis.	Adela Flandrenſis Comitiſſa.
Fulco Rechins.	Robertus Friſo.
Comitiſſa Redonenſis.	Robertus filius Friſonis.
Filia eius N.	Sexto gradu filius huius Roberti N.

EPISTOLA XLVI.

Edit. 218.

DOMNO *& Patri ſuo* PASCHALI *ſummo Pontifici*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, filialis obedientiæ famulatum.* NOVIT paternitas veſtra, quia Regnum Francorum præ ceteris Regnis Sedi Apoſtolicæ ſemper fuit obnoxium: & idcircò quantum ad ipſas Regias perſonas pertinuit, nulla fuit diuiſio
C inter Regnum & Sacerdotium. Quod ergo hactenus cum pace & vtilitate Eccleſiæ obſeruatum eſt, humiliter petimus vt de cetero obſeruetur, & Regni Francorum pax & ſummi Sacerdotij nulla ſubreptione diſſoluatur. Quod idcirco prælibamus, quia audiuimus Clericos Tornacenſes ad Apoſtolicam Sedem veniſſe, petituros vt Apoſtolica præceptione proprium poſſint habere Epiſcopum, & Nouiomenſis Eccleſiæ fruſtrare priuilegium. Quod ne fiat, ſicut filij & fideles rogamus & conſulimus, vt ſtatum Eccleſiarum, qui quadringentis fermè annis durauit, inconcuſſum manere concedatis: ne hac occaſione ſciſma, quod eſt in Germanico Regno aduerſus Sedem Apoſtolicam, in Galliarum Regno ſuſcitetis. Nec in hoc reſiſtimus, quin poſſit Sedes Apoſtolica parochiarum amplitudinem minorare, aut breuitatem dilatare, ſi vtilitas populi Dei ita exigat, & nullum indè ſciſma contingat. Quia ergo Rex Francorum, vt pote homo ſimplicis naturæ, erga Eccleſiam Dei eſt deuotus, & Sedi Apoſtolicæ beneuolus, petimus & conſulimus, vt à beneuolentia eius nulla vos ſubreptio ſubtrahat, nulla perſuaſio diſiungat. Nouit enim paternitas veſtra, quia cùm Regnum & Sacerdotium inter ſe conueniunt, benè regitur mundus, floret & fructificat Eccleſia. Cùm verò inter ſe diſcordant, non tantùm paruæ res non creſcunt, ſed etiam magnæ res miſerabiliter dilabuntur. Ad hoc quod petimus cum Coëpiſcopis noſtris, non eſt contra Maieſtatem Sedis Apoſtolicæ, non eſt contra vtilitatem, vt non dicam dignitatem Tornacenſis Ec-

LVDOVICVS VI GROSSVS. cleſiæ, ſeruare terminos antiquos quos patres eorum poſuerunt, & longa antiquitate ſeruauerunt. Præterea cùm dignitas Epiſcopalis paupertatem his diebus honeſtè ferre non valeat, prouidendum eſt ne iſta diuiſione vterque Epiſcopus fiat pauper. Quod teſtantur Nouiomenſes, qui vtriuſque Eccleſiæ experti ſunt facultates. De cetero, ſi cauſa Milonis & filiæ Comitis Stephani ad aures veſtras peruenerit, ſciat veſtra paternitas, quia Milo priorem vxorem canonicè non dimiſit, & filiam Comitis Stephani, ſicut iudicio Epiſcoporum probatum eſt, canonicè non accepit. Valete. A

EPISTOLA XLVII.

Edit. 239. LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, IVO *eadem gratiâ humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, in eo viuere & regnare, cui ſeruire regnare eſt.* QVOD famâ vulgante audiuimus, hoc ex Litteris veſtræ Excellentiæ certiùs didicimus: videlicet quòd neptem Flandrenſis Comitiſſæ, puellam ætate nubilem, genere nobilem, honeſtis moribus vt dicitur laudabilem, in vxorem ducere diſponatis. Quod nos & Deo placitum eſſe credimus, & hominibus veſtræ famæ honeſtatem, & Regni veſtri ſoliditatem ſincerè diligentibus gratum eſſe cognoſcimus. Cùm enim benè viuentium tres profeſſiones Domino docente didicerimus, coniugatorum videlicet, continentium, & rectorum Eccleſiaſticorum; quicumque in aliqua harum profeſſionum repertus non fuerit, ante tribunal æterni Iudicis præſcriptus æterna hereditate carebit. Cùm enim Dominus de diſtinctione electorum & B reproborum loqueretur, ait: *Si fuerint in medio eorum Noë, Daniel, & Iob, ipſi quidem ſalui erunt, filij autem eorum non liberabunt animas ſuas*: in Iob fidelium coniugatorum gradum intelligens, in Daniel vitam continentium, in Noë profeſſionem Prælatorum. His ergo documentis inſtructi, cotidianis precibus pro honeſtate veſtra & ſalute, Dei clementiam imploramus, vt in manu veſtra Francorum Regnum dirigat, & in electorum numero vos adſcribat. Præterea quod monuimus inſtanter monemus, vt propoſitum veſtrum, quatinus in vobis eſt, ad exitum perducere ſtudeatis: ne antiquus hoſtis aliqua fraudulenta ſurreptione etiam per amicos vos impediat, & à bono propoſito, & ita ab electorum numero vos excludat. Ad hæc ſi ſpiritus Dei in vobis eſt, ſicut vtilitati veſtræ, ita ſtabilitati Regni, & paci Eccleſiarum prouidere debetis. Quæ omnia, ſi ſine ſucceſſore de hac viſa migraueritis, in multas ſciſſuras diuidentur, & fiet quod Dominus dicit: *Omne Regnum in ſeipſum diuiſum deſolabitur, & domus ſuper domum cadet.* Quæ ruina quanta ſit futura, quàmque miſerabilis, nec lingua poteſt dicere, nec humanus animus ſufficit cogitare. Vt ergo hæc omnia vitentur incommoda, ad ineundum vitæ coniugalis ordinem nolite moras innectere, ne de eo, quod ſæpè propoſuiſtis, & ſæpè diſtuliſtis, cadat in vos hoſtilis illa irriſio, *Hic homo cœpit ædificare, & non potuit conſummare.* Feſtinate ergo, vt de lumbis veſtris exeat, qui vanam ſpem tot ambitioſorum hominum deſtruat, & ad vnius ſpem mobilitatem reducat. Quæ res & illicitos motus carnis compeſcet, & detractores veſtros atque irriſores in conſpectu veſtro ſilere faciet. Valeat Celſitudo veſtra, & non deſiſtat à bono propoſito. C

Ezech. 14. Matth. 12. Luc. 14.

EPISTOLA XLVIII.

Edit. 247. IOANNI *Dei gratiâ Aurelianenſi Epiſcopo*, IVO *eadem gratiâ Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, ſpiritum conſilij & fortitudinis.* CLERICI noſtri nuper ad nos reuertentes, qui cauſæ Comitis THEOBALDI Aurelianis interfuerunt, retulerunt nobis, quòd quidam miles domni RADVLPHI quendam militem Comitis ad monomachiam prouocauerit, & hanc prouocationem Eccleſia veſtra iudicio confirmauerit, & diem peragendæ monomachiæ conſtituerit. Quod audientes valde mirati ſumus, cùm monomachia vix aut nunquam ſine ſanguinis effuſione tranſigi valeat: iudicium verò ſanguinis ſeruanda Patrum auctoritas Clericos agitare prohibeat, & Romana Eccleſia in legem eam non aſſumat, dicente Papa Nicolao in cauſa Lotharij contra Theobergam Reginam: „ Monomachiam in legem non aſſumimus, „ quam anteceſſores noſtros minimè accepiſſe cognoſcimus. Quomodo enim „ Eccleſia iudicare debet fundendum ſanguinem alienum, quæ à primo ortu ſuo

A iuſſa eſt fundere ſanguinem proprium? Faciant hæc cincti Iudices, qui ad malorum vindictam gladium materialem portant, non qui contra nequitias ſpirituales gladio ſpiritus pugnant: vt cùm vnumquodque membrum Eccleſiæ officium non vſurpauerit alienum, laudes mereatur quæ ſponſæ Chriſti cantantur in Canticis Canticorum: *Pulchra vt Luna, electa vt Sol, terribilis vt caſtrorum acies ordinata.* Alioquin ſi alieni ordinis vſurpatores fuerimus, nec noſtri officij quod poſtpoſuimus, nec alieni quod vſurpauimus, meritum obtinebimus: ſed tanquam capite deorſum poſito, & pedibus erectis, thymelicorum inceſſum imitabimur. Præterea, ſi ex veſtro iudicio fortè periculum mortis incurrerit, perpetes inimicitias & periculum veſtri ordinis incurrere poteritis. Dico hæc ex dilectione fraternitati veſtræ, quatinus ſalubri conſilio iudicium hoc retractetis, & prouida diſpenſatione, ſi aliter fieri non poteſt, maiora vitando pericula, minora potius ſubeatis. Vale.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

Cantic. 1.

EPISTOLA XLIX.

IVO *Dei gratiâ Carnotenſis Eccleſiæ miniſter*, RADVLFO DE BALGENCIACO, *ſalutem & dilectionem.* MANDAVIT mihi ſerenitas tua, quòd noſtrum velles habere colloquium, vel per Litteras in præſenti neceſſitate ſalubre conſilium. De præſenti quippe negocio tuo ſcripſi Aurelianenſi Epiſcopo, quod B illi & tibi vtile mihi viſum eſt: à quo poteris audire, quid de hoc conflictu inter te & Comitem ſentiam, & pro tempore conſulam. Tamen interim petitioni tuæ reſpondeo, vt quæcumque pactio inter te fuerit & Comitem, ſemper honorem ei deferas, & notam ei infamiæ non opponas. Sic enim dicit Apoſtolus: *Cui honorem, honorem; cui timorem, timorem.* Et alibi: *Omnis anima poteſtatibus ſublimioribus ſit ſubdita.* Sic Dauid quamuis Rex futurus, Saül perfido Regi honorem detulit: & cùm aliquando nactus eſſet opportunitatem occidendi, oram tantummodò chlamidis eius incidit, & de hoc tantillo pœnitentiâ ductus cor ſuum percuſſit: & quamuis eum perſequeretur, ſemper honorauit viuum, & planxit defunctum. A talibus ergo exemplum accipe, & ea quæ ſunt pacis & fidelitatis erga Dominum imitare. Si quam verò ab eo iniuriam expoſtulas, rationibus vtere, verba probroſa & contumelioſa dimitte, ne verba ſuperba interminabile odium generent: cùm ſuperbia humiliet, humilitas exaltet. Vale.

Edit. 248.

Rom. 13.

EPISTOLA L.

LVDOVICO *Dei gratiâ sereniſſimo Francorum Regi Domino ſuo*, IVO *humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, eius præceptis obedire, cui ſeruire eſt regnare.* DOMNVS Godefridus Ambianenſis Epiſcopus, vir religioſus & honeſtus, nuper Beluaci hoſpitatus, ad colloquium noſtrum pro humilitate ſua venit, importabiles C miſerias ſuas & anguſtias, quibus à violatoribus pacis vexatur, lacrimabiliter nobis aperuit, & conſilium quomodo tanta mala mitigare poſſet, à me anxiè quæſiuit. Quod cùm excederet vires meas, quia conſilium ſine fortitudine inutile eſſe ſolet, hoc vnum mihi præ ceteris occurrit, quatinus eum monerem, vt Regiam Maieſtatem adiret, apud quam & conſilium inueniri, & auxilij fortitudo valeat ſociari. Ex iure ergo fidelitatis & dilectionis monemus & rogamus Regiam Maieſtatem veſtram, quatinus lacrimabiles eius conqueſtiones intenta aure perpendatis, & cor veſtrum aculeis doloris eius ſuggerente pietate compungatis. Decet enim Regiam Maieſtatem veſtram, vt pactum pacis, quod Deo inſpirante in Regno veſtro confirmari feciſtis, nulla lenocinante amicitia vel fallente deſidia violare permittatis: ne ſi vni in hoc maximè principio parcere volueritis, multos in diſcrimen adducatis, cùm è contrario dicat Scriptura: *Peſtilente flagellato ſapiens ſapientior erit, & intelligens gubernacula poſſidebit.* Si ergo pœna malorum vtilis eſt ſapienti, multò magis impunitas malorum nocitura eſt inſipienti. Faciat itaque gladius regalis officium ſuum ad vindictam malorum: vt ſicut pios colligit multitudine, ſic impios coërceat iuſta ſeueritate. Sic deuotio pauperum pro veſtra ſalute Dominum orabit, & quod à Saluatore poſtulauerit impetrabit. Valete.

Edit. 251.

Prouerb. 19.

Lvdovicvs VI. Grossvs.

EPISTOLA LI. A

Edit. 280. IVO *Dei gratiâ Carnotenſis Eccleſiæ miniſter*, STEPHANO *Regis Cancellario, abundare ſpiritu conſilij & fortitudinis.* NVPER Aurelianis rediens domnus Galterius Carnotenſis Archidiaconus intimauit mihi fluctuationes cordis tui, & quomodo anima tua tabeſcat in malis, quærens quid potiſſimùm de ſibi propoſitis eligat, aut fugiat: ſimúlque addidit, vt ſecundum audita dilectioni tuæ reſponderem, & conſilium, quod Deo inſpirante ſentirem ſanius eſſe, prudentiæ tuæ reſcriberem. Quibus auditis, nihil vtilius tibi cònſulere poſſum, quàm vt iactes cogitatum tuum in Domino: quia ipſe te ab omni fluctuatione liberabit, & tranquillitatem cordis in te reformabit. Hoc tamen vnum conſilium præcipuè tibi do, vt voluntatem tuam voluntati Dei nunquam præponas, ſed vocanti te ad agri-
Luc. c. 14. culturam ſuam humiliter acquieſcas, & dicenti tibi in loco humili poſito, *Aſcende ſuperiùs*, minimè contradicas. Quid enim ſcis, ſi ille omnipotens Medicus hac via honeſtâ te velit eruere de luto fæcis, & confirmare in petra ſuæ dilectionis? Non enim terrere te debet, & à bono propoſito remouere, quòd domnus Papa non abſolutè reſpondit petitionibus tuis, ſiue de retinendis honoribus tuis cum Epiſcopatu Pariſienſi, ſiue de Beluacenſi Eccleſia, vt aliter non transferatur ad eam domnus GVALO, niſi cum repetat eadem Eccleſia. Noui enim conſuetudinem Romanæ Eccleſiæ, quia non ſolet neque vult decretis ſuis patenter obuiare. B
Solet autem diſpenſatoriè multa infirma tolerare poſtquàm patrata ſunt, tam pro locorum neceſſitate, quàm pro perſonarum vtilitate & honeſtate. Neque aliter cogendus eſt ſummus Pontifex contraria ſibi ſcribere vel facere, ne cogatur
Gal. 2. dicere illud Apoſtolicum: *Si quod deſtruxi iterum ædifico, præuaricatorem me conſtituo.* Hæc attendens, fiducialiter aſcende ſuperiùs: quia cùm aſcenderis, tolerantiam, quam nunc abſolutè non impetras, tum pro tua ſtrenuitate, tum pro multorum te diligentium mediatione, quantum res temperari poterit, ſalua honeſtate Romanæ Eccleſiæ, quod quæris, vt credimus, impetrabis. Vale.

EPISTOLA LII.

Edit. 281. HENRICO *Dei gratiâ excellenti Anglorum Regi*, IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, ſic florere in Regno terreno, vt perfruatur æterno.* QVONIAM famâ vulgante gloria veſtra longè latéque diffuſa eſt, oportet vt quod de liberalitate veſtra fama prædicat, rerum veritas in ſe contineat. Sic enim verum poſſidebitis regnum, ſi & vos ipſum benè regatis, & ſubditos veſtros virga iuſtitiæ ab iniquitate reuocetis. Hæc eſt enim vera gloria Regum, ſequi formam ſummi Re-
Pſal 44. gis, cui per Pſalmiſtam dicitur: *Virga directionis, virga regni tui. Dilexiſti iuſtitiam, & odiſti iniquitatem.* Hæc idcirco prælibaui Excellentiæ veſtræ, quoniam C
audiui vos quandam filiam veſtram cuidam noſtro parochiano, HVGONI videlicet filio GERVASII, deſponſaſſe. Quos quidem parentes eorum gradu conſanguinitatis eſſe teſtantur genitos, vt inter ſe nuptias contrahere non poſſint, niſi inceſtuoſas, & ideò illicitas. Quod minimè decet Regiam Maieſtatem, culpam videlicet in ſe admittere, quam in aliis debet legum ſeueritate punire. Vnde pro reuerentia & dilectione vera magnitudinem veſtram præmonitam & præmunitam eſſe cupimus, vt honeſtè dum fieri poteſt, tales nuptias fieri non permittatis, ne tale coniugium, ſi contra leges præſumatur, per leges diſſolui mereatur. Quod enim dicimus, non ex coniecturis facimus, quia præ manibus habemus ſcriptam genealogiam, quam ſcribi fecerunt nobiles viri de eadem tribu progeniti, & parati ſunt ante Iudices Eccleſiaſticos eandem genealogiam in tuto loco computare, & ſecundum legum inſtituta probare. Miſi itaque vobis eandem genealogiam à trunco ſuo inchoatam, & vſque ad prætaxatas perſonas computando deſcriptam: quatinus ea perſpecta rei veritatem diſcutiatis, & prudenti conſilio ab illicita copulatione prædictas perſonas deſiſtere faciatis. Non enim poterimus à legum tramite deuiare, ſi viderimus parochianum noſtrum maximè in pacto coniugali aliquod nefarium perpetrare, dicente Apoſtolica ſententia: Inceſtis con-

A iunctionibus nihil veniæ reſeruamus, niſi cùm inceſtum ſeparatione ſanauerint. LVDOVICVS VI. GROSSVS.
Cùm enim reuereamur temporalium Regum potentiam, magis nos reuereri op portet æterni Regis omnipotentiam: vt ſic reddamus quæ ſunt Cæſaris Cæſari & quæ Dei ſunt Deo. Genealogia autem, vt dicitur, ſic ſe habet. Gonnors & Seufria ſorores fuerunt. Ex Gonnors exiuit Richardus. Ex Richardo Robertus. Ex Roberto Gulielmus Rex. Ex Gulielmo Henricus Rex. Ex hoc Rege iſta quæ datur filio Geruaſij. Item ex Seufria exiuit Ioſcelina. Ex Ioſcelina Rogerius de Monte-Gummeri. Ex Rogerio Mabilia vxor Roberti Bellimenſis. Ex Mabilia, Mabilia vxor Geruaſij. Et ex iſta Mabilia, Hugo filius Geruaſij, cui iſta datur.

EPISTOLA LIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ sereniſſimo & dulciſſimo Regi Francorum Domino ſuo,* Edit. 264.
IVO *humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, in eo regnare cuius regnum eſt ſine*
fine. QVONIAM Regiam ſublimitatem libram conuenit tenere pietatis & iu-
ſtitiæ, ſic oportet condiri iuſtitiam ex pietate, vt nec indiſcreta pietas in ſubditis
nutriat inſolentiam, nec nimius iuſtitiæ rigor opprimat innocentiam. Sic enim
conſtat antiquorum Regum floruiſſe & viguiſſe potentiam, vt aliquando peccata
humilium ſubditorum diſſimularent, aliquando tanquam filiorum ferula corrige-
B rent: contumaces verò erectos diſtrictâ animaduerſione punirent, quatinus pœna
redderet ſubiectos, quos impunitas & patientia faciebat erectos. Quibus prælibа-
tis, ſupplico Excellentiæ veſtræ flexis genibus cordis, vt in hoc appareat me obti-
nere gratiam in oculis Regiæ Maieſtatis, quatinus pro Dei amore & noſtro ita &
Clerum & populum Beluacenſem pro temeritate interfecti hominis tractare ſtu-
deatis, vt & innocentia non grauetur, & temeritas incauta per ſurreptionem diabo-
licam concitata non ſuperbientium vltione feriatur, ſed pœnitentium virgâ corri-
gatur. Non enim decet, ſicut dictum eſt, regiam moderationem æquo modo tracta-
re ſubiectos: ne ſub ſpecie correptionis ſubrepat furor crudelitatis, & immoderatus
terror diſpergat in omnem ventum populum hactenus dilectum, à quo poteſt Regia
Maieſtas præ ceteris vrbibus Galliarum honeſtum habere ſeruitium. Quòd ſi in hoc
non adquieſcit conſilio meo & precibus meis veſtra ſublimitas, hoc ſaltem à Maie-
ſtate veſtra impetrare ſatagit humilitas mea, vt conſilium veſtrum communicetis
Eccleſiaſticis & honeſtis perſonis, quæ abſq; maliuolentia & amore vltionis velint
& valeant ſanum dare vobis conſilium, non ad diſpergendum & conterendum po-
pulum, quod crudelitati adſcribatur, & poſt tempus factum veſtrum pœnitentia
comitetur. Si qua verò aduerſus Decanum vel Clerum vobis eſt controuerſia, mo-
neo & conſulo, vt vnamquamque perſonam iuxta ordinem ſuum examinari facia-
tis, & ſub Iudicibus Eccleſiaſticis cauſam cuiuſque terminetis. Ita enim Regia Ma-
ieſtas in nullo minuetur, & cuique perſonæ ſuum ius conſeruabitur. De diuino au-
C tem ſeruitio, à quo mater Beluacenſis Eccleſia ſuſpenſa eſt, conſilium ſanum mihi
minimè videtur: quia iſte rigor alibi minimè ſeruandus eſt, niſi vbi culpa ſacrilegij,
vel violatæ pacis aliter vindicari non poteſt. Valete.

EPISTOLA LIV.

CONONI *Dei gratiâ Præneſtino Epiſcopo, & ſanctæ Sedis Apoſtolicæ Legato,* IVO Edit. 266.
humilis Eccleſiæ Carnotenſis miniſter, obedientiam & ſalutem. SICVT viſito
præſentiam veſtram per Legatum & Litteras, ſic viſitarem propria perſona, niſi
adhuc detineret me ex longa infirmitate contracta debilitas. In primis itaque ſug-
gero ſimpliciter incedenti veſtræ ſollicitudini, vt non credatis omni ſpiritui. Suaſit
enim Hugo filius Geruaſij propter violatam pacem ſe eſſe iniuſtè excommunica-
tum, & terræ patris ſui iniuſtè diuinum officium eſſe interdictum: quia dicit ea die,
qua vocatus erat ad iuſtitiam, ſe à Domino Rege ſuo fuiſſe detentum. Quæ excu-
ſatio aduerſus pacem violatam apud nos nullius momenti eſt, quia Rex & Princeps
hanc licentiam dederunt militibus ſuis, vt abſolutam fidelitatem iurarent paci &
iuſtitiis pacis infra ſeptem dies, quibus moniti eſſent ſe venturos ad iuſtitiam, niſi
eos detineret aut proprij corporis inualetudo, aut propriæ perſonæ violenta deten-
tio, nec Rege excepto, nec Domino. Vnde ſi prætaxatum Hugonem ſine ſatis-

LVDOVICVS VI GROSSVS. factione abſoluerem, haberent me parochiani mei ſicut ethnicum & publicanum: A & ille, cuius bona diripuit, vſque ad nouiſſimum quadrantem totum quod amiſit à me repeteret, & de me & de meis quàm grauiùs poſſet talionem exigeret. De cetero ſupplico ſanctæ ſollicitudini veſtræ, vt ad terminandam cauſam, quam III. Calendas Septembris inter me & Abbatem Maioris-Monaſterij ſtatuiſtis, latus veſtrum muniatis prudentibus & religioſis perſonis, quæ nec falli quærant, nec fallere, nec precio vinci nec precibus. In hoc enim Monachi confidunt, quòd multis multa & magna promittunt. Vt autem huius rei noueritis veritatem, breuiter vobis aperiam: latiùs vobis dicturus vel ſcripturus, ſi Deus dederit opportunitatem. Hæc enim Eccleſia, in municipio quod Curuauilla dicitur ſita, à fundatore ſuo in honore ſancti Nicolai Canonico Ordini fuit deputata: & hæc prædicti fundatoris deuotio, Epiſcopali auctoritate, & anathematis ſeueritate roborata. Defuncto autem fundatore, ſucceſſor eius nomine IEROGIVS aſciuit quoſdam Monachos cœmentarios, quorum Monaſterio promiſit ſe daturum prædictam Eccleſiam, ſi muro munirent prætaxatum municipium. Quod audientes Monachi Maioris-Monaſterij, qui in vicina quadam Cella morabantur, nolentes habere alterius Monaſterij Monachos ſibi vicinos, inconſulta Carnotenſi Eccleſia, non tantùm Canonicali iure, ſed etiam parochiali, acceptis à Ierogio duabus præbendis, Eccleſiam illam contradicentibus Clericis loci illius inuaſerunt: nec tamen communionem Canonicorum niſi quorundam aſſentatorum habere potuerunt. Vnde quidam ex illis religioſus & litteratus nomine Robertus, cum quibuſdam B aliis, domnum Hugonem Dienſem Epiſcopum adiit, qui tunc erat Sedis Apoſtolicæ Legatus, & in auribus eius priuatim & publicè clamorem de hac inuaſione ventilauit. Qui acceptis Litteris à Legato domum rediens, prædictis Monachis prædictæ Eccleſiæ inuaſionem per has Litteras interdixit. Illi verò infra præſcriptum terminum Eccleſiam dimiſerunt, & de cetero per triginta & duos annos, aut eò ampliùs, abſque Synodali reclamatione quietam reliquerunt. Nunc verò cùm Ordinem Canonicum non diſſipare, ſed in melius in ipſa Eccleſia conſenſu Clericorum ſtuderem promouere, Monachi dæmoniaca inuidiâ moti voluerunt in alienam meſſem falcem mittere, & me Epiſcopali iure priuare. Quòd verò dicunt hanc Eccleſiam ab anteceſſore meo eis fuiſſe conceſſam, quicquid dicant, Carnotenſis Eccleſia, cuius ipſa membrum eſt, ignorauit, & quod ibi inuaſerunt, illo minimè reclamante vel adiuuante, amiſerunt. Hæc breuiter ſcripſi, vt ad defendendam veritatem arctiùs vos accingatis, & Clericalis Ordinis, in quo eſtis, quantum poteſtis, ruinas releuetis. Valete.

EPISTOLA LV.

Edit. art. CONONI *Dei gratiâ Præneſtino Epiſcopo, Sedis Apoſtolicæ Legato*, IVO *eadem gratiâ Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, ſalutem & obedientiam.* NVPER accepi C Litteras veſtras, continentes excommunicationem eorum qui Niuernenſem Comitem ceperunt, vel captioni eius interfuerunt, vel de ſpoliis eius aliquam partem acceperunt, vel auxilium in hoc dederunt: excepta ſola perſona THEOBALDI Comitis, cui inducias vſque ad octauas omnium Sanctorum donaſtis. Et tamen niſi interim Comitem Niuernenſem reddat, ex tunc eum eidem excommunicationi ſubieciſtis. Has itaque Litteras Theobaldo Comiti legi & exponi feci, vt audito rigore Eccleſiaſtico fortè apud ſe cogitaret, vel Deus ei inſpiraret, vt prædictum Comitem reddat, & terræ turbatæ, & grauiùs turbandæ, pacem reſtituat. Quibus auditis & intellectis, miratus eſt valde, quòd Rex apud Iudices Eccleſiaſticos clamorem de eo fecerit, qui nullam ei, cùm Dominus eius ſit, iuſtitiam denegauerit. Offert itaque ſe ad omnem iuſtitiam ante Iudices pacis, eo ordine quo rerum geſtarum ordo poſtulauerit, in omni loco ad quem ſecurus venire poſſit, & in quo ſecurus ſuas poſſit exerceere actiones, & probare: exacturus tamen priùs iniuriam ſibi factam, quòd præproperè & inordinatè milites ſui excommunicati ſint, qui vel nihil in pactum pacis deliquerunt, vel nullam indè iuſtitiam denegauerunt. Auditis itaque eius reſponſionibus conſilium mihi fuit, vt reuerendas perſonas religioni veſtræ tranſmitterem, qui verba Comitis & hæc & alia vobis referrent: vt de his cum Domino Rege tractetis, & inter eum & Comitem pacem

A componere ſtudeatis. Ita enim Comes verbis defendit ſuam innocentiam, & Regis & Comitis Niuernenſis exaggerat iniuriam, vt iuſtam cauſam habere videatur, niſi iudiciario ordine & inuincibili ratione conuincatur. Sciat autem veſtra prudentia, quia in propria perſona me his actionibus præſentaſſem, ſi imbecillitas corporis me permitteret equitare, & laborem itineris ſuſtinere. Communicato itaque conſilio cum Epiſcopis & Iudicibus pacis, ita hanc controuerſiam ſedare ſtudete, vt qui ex aduerſo ſtat, non habeat quod reprehendat; & pax Eccleſiarum, & quies pauperum in ſua ſtabilitate permaneant. Dicit enim Comes, quòd libenter reddet aut recredet Comitem Niuernenſem, ſi audiris eius rationibus Iudices pacis in hoc conſenſerint, & dictante iuſtitia iudicauerint. Valete.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

EPISTOLA LVI.

LISIARDO *Dei gratiâ Sueſſionenſium Epiſcopo*, IVO *eadem gratiâ humilis Carnotenſis Eccleſiæ miniſter, ſuper oues ſibi commiſſas paſtorali vigilare cuſtodiâ.* Edit. 280.

ARCHIDIACONVS veſter filius domni NIVELONIS PETROFVNGENSIS ad nos veniens cum quibuſdam honeſtis fratribus, diligenter conſuluit paternitatem noſtram, qualiter conſultis legibus liberare poſſet ſororem ſuam de infamia, quam ei odioſè obiicit Suſſionenſis Comes maritus ſuus. Quibus auditis, viſum eſt mihi quòd non eam iudiciario ordine pulſat, nec ad legitimam purgationem prouo-
B cat. Dicunt enim inſtituta legum Nouellarum, quas commendat & ſeruat Romana Eccleſia, non priùs ad pœnam tradendum vel eſſe conuictum, quem maritus ſuſpectum habet, quòd velit illudere pudori vxoris ſuæ, niſi per tres idoneos teſtes eum ter conteſtatus fuerit, vt nullum familiare colloquium habeat cum vxore ſua in domo ſua vel aliena. Quod poſtquàm factum fuerit, ſi eos de cetero cum tribus idoneis teſtibus colloquentes in priuato loco inuenerit, tunc primùm poteſt eos vel ad iudicium prouocare, vel pœnam debitam inferre. Alioquin de coniecturis aliquem reum fieri, nec leges mundanæ concedunt, nec diuinæ: & benè nouit prudentia veſtra, quia inoffenſus debet eſſe affectus accuſatorum & teſtium, vt nihil per ſimultatem fiat, nec ipſe accuſator indè reprehenſibilis ſit vnde alium accuſat. Quòd verò Comes eam ad examinationem ferri candentis prouocat, quia hoc eam ſponte obtuliſſe teſtatur, vel ad monomachiam, leges Eccleſiaſticæ potiùs hoc prohibent, quàm iubent. Vnde Stephanus Luitberto Epiſcopo Mogonti-
no: Ferri candentis, vel aquæ feruentis examinatione confeſſionem extorqueri à “
quolibet, ſacri non cenſent Canones: & quod ſanctorum Patrum documento ſan- “
citum non eſt, ſuperſtitioſa adinuentione non eſt præſumendum. Spontanea “
enim confeſſione, vel teſtium approbatione publicata delicta, habito præ oculis “
Dei timore, commiſſa ſunt regimini iudicare: occulta verò & incognita, illius “
ſunt iudicio reſeruanda, qui ſolus nouit corda filiorum hominum. Inde etiam di- “
C cit Nicolaus Papa: Monomachiam verò in legem non aſſumimus, quam præce- “
ptam fuiſſe non repetimus. Quam licèt quoſdam iniſſe legamus, ſicut ſanctum “
Dauid & Goliam ſacra prodit hiſtoria; nuſquam tamen vt pro lege teneatur, ali- “
cubi diuina ſanxit auctoritas, cùm hoc & huiuſmodi ſectantes Deum ſolummodò “
tentare videantur. His & huiuſmodi ſententiis liquet, quia prædictus Comes non poteſt vxorem ſuam niſi legitimo teſtium numero de adulterio conuincere, præſertim cui nec charitatem coniugij exhibuit, vel vix debitum coniugij reddidit. Poſſem multa in hunc modum reſcribere. ſed quia ſcienti legem ſcribo, puto iſta ſufficere. Vale.

PHILIPPVS I. A

HILDEBERTI EPISCOPI CENOMANENSIS, EPISTOLÆ HISTORICÆ.

EPISTOLA I.

Epiſt. 19. inter editas in Bibl. Patrum.

IOANNI *& Benedicto.* SICVT frequens tribulationum concurſus ſacris nos inuitat Conciliis, ſic idem reuocat & abducit. Aduerſa etenim, quæ turbam querimoniarum nobis offerunt, ita noſtram contriuêre facultatem, vt vnicum ſuperſit ſolatium, vſus ipſe patiendi. Ea profectò ante peractum cœpêre triennium, quod B totum continuis euolutum lamentis recens vulnus in vulnera quotidie fatigauit. Denique tam modico tempore ſex in vrbe ſuſtinuimus Conſules, quorum nullus pacificum prætendens ingreſſum, gladiis & igne curtam ſibi vendicauit poteſtatem. Plebe coacta in fauorem, tyrannum ſuſcepit ex neceſſitate, non ducem ex lege: in ſuſceptum ſtudia ſimulauit, non exhibuit. Fidem reperit in ea, quia ſuperior. Conſul verò tantò grauiùs dominatus eſt, quantò breuiùs. Miles eius ſimulatis vſus iniuriis, eos ſcelerum iudicauit expertes, quos rerum. Et quia non patcit populis regnum breue, finem rapinis inopia poſuit, non voluntas. Ea clades vſque ad Sanctuarium Domini peruagata eſt: & primò quicquid extra muros noſtræ fuerat poteſtatis, vel enanuit in fauillas, vel diſſipatum eſt in rapinam. Deinde ſimilibus cecidêre præiudiciis Epiſcopales domus, & Eccleſiæ non paucæ. In reliquis, quibus ignis pepercit, æquè periclitata eſt & facultas pauperum, & reuerentia Sacerdotum. Omnia confracta ſunt, omnia direpta, omnia contaminata. Nihil eorum manus euaſit, qui gratis ad flagitia diſcurrunt, ad honeſtum nec pretio. Eiſdem Clerus iniuriis affectus, ſummam rerum affluentiam indicat, ſolari naturam: ad neceſſaria votum reſtringit, omnibus indigens. Illius anguſtiæ ſuper dolorem noſtrorum vulnerum addiderunt: grauiúſque confundimur, quòd eorum releuare non poſſumus inopiam, quàm quòd nemo vult noſtram. Præterea longum eſt enarrare, quàm conſtanti tyrannide Rex Anglicus in nos ſæuierit, qui temperantiâ Regis abiecta decreuerit non priùs Pontifici parendum, C quàm Pontificem compelleret in ſacrilegium. Quia etenim turres Eccleſiæ noſtræ deiicere nolumus, tranſmarinis ſubiciendi iudiciis, coacti ſumus iniurias pelagi ſuſtinere: ſingularem ſcilicet moleſtiam itineris, atque vnicam totius humanæ compaginis diſſolutionem. Tantis igitur his agitati turbinibus, ad Apoſtolorum limina decreuimus proficiſci, magnum nouæ tribulationis arbitrati remedium, ſi Romanus Pontifex nobis & conſilio ſubuenerit, & auxilio. Suſcipite igitur noſtram beneuoli excuſationem, diligenter attendentes, noſtros ſumptus itineris expenſæ pariterque Concilij ſufficere non poſſe; qui de reliquiis incendiorum, tanquam tabulæ de naufragio, extracti, defectum nobis in via pollicentur. Vale.

EPISTOLA II.

Edit. 14.

SICVT ſanctitatis veſtræ pagina denunciat, filia Gauterij de Meduana Comiti de Mortonio ſanguine proxima prædicatur. Priùs autem quàm matrimonij vinculum præfatas perſonas aſtringeret, idem Gauterius conſanguinitatem mihi ſubmurmurans, quid idem ſentirem cautiùs explorauit; bonum ſibi videri ſi bellum, quo diutiùs Comes in eum deſæuierat, interuenientis coniugij chari-

A tas terminaret. Addidit præterea, vos veſtróſque comprouinciales ei confirmaſſe ſcripto, compendio pacis & quietis tolerandum conſanguinitatis piaculum. Vnde & aſſenſum Cenomanenſis Eccleſiæ futuris nuptiis poſtulauit, vt eius quoque auctoritate coniugio filiæ ſtabilitatem adquireret, ſi quando ei libellus repudij ſcriberetur. Mihi autem nec extorqueri aſſenſus, nec perſuaderi potuit prudentiam veſtram in eorum ſimplicitatem deſcendiſſe, quos redarguit Apoſtolus dicentes, *Faciamus mala vt veniant bona.* Super his ergo quod ad me pertinuit, ſollicitus fui. Petenti aſſenſum, diſſenſum nunciaui: nullius diſpenſationis intuitu permittens, conſanguineos aut affines inhibitarum fœdera contrahere nuptiarum. Huic autem connubio vſque ad diſſidium reſiſtere, illius erit ſollicitudinis, ad cuius parochiam nuptam demigraſſe cognoſcitur. Conſeruet vos Dominus Deus, Pater ſancte.

PHILIPPVS I. — *Rom. 3.*

EPISTOLA III.

OMNIBVS *Epiſcopis, Presbyteris, atque vniuerſis filiis Eccleſiæ,* ILDEBERTVS *Cenomanorum Sacerdos vinctus Chriſti Ieſu ſalutem.* FELICITER ſunt miſeri, quos conſtat non meruiſſe quæ perferunt. In aduerſis ſiquidem quædam felicitas eſt, qua reum putas eſſe, tamen innocentem. Hinc eſt quòd gloriamur in vinculis, quorum cauſa nobis eſt pro ſolatio, non conſcientia pro flagello. B Gloriamur enim cum Paulo, dicentes: *Gloria noſtra hæc eſt, teſtimonium conſcientiæ noſtræ.* Qualis autem ea ſit, vel quæ fuerit noſtrorum cauſa vinculorum: audiant fratres mei, conſacerdotes mei, domini & amici mei. Credo tantò deuotiùs oraturos eos pro me, quantò nouerint in me magis pati Chriſtum, quàm me propter Chriſtum. Viuit Deus, & Dei Filius, & vtriuſque Spiritus nouit, quia non mentiar. In turre Cenomanenſi Comes ROTROCVS in vinculis tenebatur, ad eum metu mortis trepidum vocatus acceſſi: deinde mihi confeſſus, domui ſuæ diſpoſuit, teſtamentum fecit, Eccleſiis diſtribuit. Quod vt illibatum permaneret, ſubmiſſis precibus à me impetrauit: quatenus ego ipſe matrem eius adirem, de teſtamento perhiberem teſtimonium, inhiberem ne quis illud minuere præſumeret, ne quis omninò tentaret adnullare. Factum eſt ſicut Comes poſtulauit. Iui, quò vtinam pedem non tuliſſem? Mater Comitis in oſculo me ſuſcepit, applauſit teſtamento, gratias agens quòd gratiâ Comitis acceſſiſſem. Rem taliter factam, nec filius nec mater diffitetur. Eadem die initum eſt aduerſum me conſilium, in craſtinum iniectæ manus, in me iteratam diſcere Chriſti traditionem. Quinta enim feria in oſculo ſum ſuſceptus, ſexta feria tanquam cum Chriſto iturus ad crucem contumelioſè captus ſum, & poſitus in cuſtodia publica. Diuiſerunt etiam ſibi veſtimenta mea, equis iam diſtributis inter eos qui gratis ad facinus diſcurrunt; ad honeſtum, nec precio. Porrò in illo caſtello, C in quo hæc acta ſunt, Carnotenſis erat Epiſcopus, venerandæ vir auctoritatis: ſed apud ſceletis auctores ſine auctoritate fuit auctoritas. Is in ſpiritu contrito HVBERTVM conueniens, (hoc enim Phariſæorum principi nomen eſt) primò blanditus eſt illi beſtiæ, ſed beſtia rationem non admittit: dehinc illum ſacrilegij liberè arguit, obſecrauit opportunè, importunè increpauit: poſtremò tradidit eum Sathanæ in interitum carnis, anathematis vinculo quo debuit alligatum. In omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. Religioſi quoque Abbates, & conſummati nominis Anachoretæ ad lapidem conuenerunt, & inuenerunt lapidem: non eum de quo ſuſcitat Dominus filios Abrahæ, ſed in quo nihil eſt humoris, in quo radicem non habet ſemen Verbi Dei. In omnibus enim his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus extenta. Miſſum denique ad Comitem ROTROCVM, relata ei captio mea, confuſio & ignominia mea. Is primò in corde & corde locutus, tandem dimitti me, & ſatis Eccleſiæ fieri nunciauit. Ac ne ſimulatoriè loqui putaretur, abſciſſos de capite ſuo capillos matri ſuæ tranſmiſit, addens: Hubertum in me non minorem ſibi intuliſſe iniuriam, quàm ſi reliquos abſtuliſſet. In omnibus his non eſt auerſus furor eius, ſed adhuc manus eius extenta. Ad vos ergo conuerſio mea, fratres mei, conſacerdotes mei, domini & amici mei. Oro vos orare pro me, cu-

Edit 39. — *2. Cor. 1. 12.* — *De hoc ſic in Epiſt. ſequenti ad Serlonem Sagienſem Epiſcopum,* Porrò filius ille perditionis, Hubertus Capreolus eſt. Hubertus conſilium malignauit aduerſum me, manus iniecit in me; captum tenet me, de Dapifero Comitis factus dapifer diaboli.

PHILIPPVS I. ram agere de me, compaſſione eſſe iuxta me. Nam de redemptione nihil ago: A ſemel Chriſti ſanguine redemptus, iterum redimi non requiro. Sanguis ille redemptio mea eſt, ſanguis ille precium meum. Indignum eſt vt ſub precio redigat, cuius precium ſine precio eſt. Præterea infamis eſt redemptio, qua libertas perit Eccleſiæ, qua ſeruitus comparatur. Neceſſe eſt enim vt membra ſeruiant, ſi caput humilies ſub tributo. Neceſſe eſt Clericum redimi; ſi Epiſcopum cenſeas redimendum. Neceſſe eſt trepidare ſubiectos, ſi iuxta Comicum ei opus eſt patrocinio, quem paras defenſorem. Ego certè tanti vitam non facio, vt breuem diligam, & redemptam. Malo periclitari de ea, quàm pro ea communem conculcare libertatem. Proſit Eccleſiæ mea mors, cui viuens dum præfui, non profui. Pontificis eſt ſi non viuere, mori ſaltem vniuerſis. Valete.

EPISTOLA IV.

Edit. 59. AD memoriam beati Iacobi, ſtrenuiſſime Comes, & prædicanda virtute ſublimis, iter, vt fertur, aſſumpſiſti: quod nos bonum quidem non negamus. Sed quiſquis adminiſtrationem ſuſcipit, alligatur obedientiæ, quam, niſi ad maiora vocetur & vtiliora, ſi relinquit, delinquit. Vnde te, fili chariſſime, culpa inexcuſabilis ſpectat, qui neceſſariis non neceſſaria, diſpenſationi otium, debitis debita præponis. Inter talenta, quæ ſeruis ſuis Paterfamilias diſtribuit, circuire vagum Orbem terrarum, nullus Doctor, nulla omninò Scriptura commemorat. Hieronymi B teſtimonio, ſanctus Hilarion, cùm eſſet proximus ciuitati Hieruſalem, ſemel eam vidit, ne loca Sanctorum contempſiſſe videretur. Porrò, præter ſolitum mentis tuæ oculus caligauit, ſi non vides plenam periculoſis caſibus aſſumptam tibi peregrinationem. Per munitiones Ducis Aquitanorum tranſiturus es, cuius tibi inuidiam ſuſcitaſti, quando factus es in expugnatione Thoari ſuperior. Ferè apud omnes diuturnior eſt iniuriarum memoria, quàm beneficiorum. Præterea neſcis, ſi tenata ſint in filio paternæ vota perfidiæ. Quippe plures hodie generantur iniuriarum heredes, quàm virtutis. Tuis itaque timorem relinquis & tremorem, ſi te iuueni & offenſo committis: in quo neceſſe eſt verearis ex patre perfidiam, leuitatem ex annis, ex iniuria vltionem. Audiuimus autem venerabili Anglorum Regi, tuóque auunculo, id quod te facturum ſignas, diſplicere altiùs: id ferre grauiter, id conſtanter improbare. Sanè eorum aſpernari conſilium, vicina dementiæ pertinacia eſt. Hi nimirum tuis prouidere commodis, & affectu volunt, & ſucceſſu » poſſunt. Fortaſſis autem dices: Votum voui Domino, & tranſgreſſionis arguar, ſi » irritum facio votum. Agnoſce, ô Princeps, quia tu quidem te alligaſti voto, ſed Deus officio: tu viæ, ſed Deus obedientiæ: viæ, qua Sanctorum memorias videres; obedientiæ, qua Sanctorum memoriis prouideres. Appende ergo ſi tantus fructus ſit itineris, vt ſuperare poſſit intermiſſæ diſpendium obedientiæ. Quod ſi ita eſt, ſcutum depone pro pera, baculum ſume pro gladio: feſtina egredi, & facundis C adhære comitibus, qui iuxta Salomonem tibi pro vehiculo in via ſint. Si autem bonum adminiſtrationis longè maius eſt & elegantius (quod inficiari nemo prorſus audebit) ſede in Palatio. Reſponde ſuffragiis afflictorum, & vt omnes tibi viuant, omnibus viue. Reipublicæ viue, noctes illi præſtans & dies. Iudicium Curiæ tuæ dictet æquitas, non acceptio perſonarum: teipſum legibus, amore ſubiectos rege.

A

BALDRICI ANDEGAVENSIS
ABBATIS BVRGVLIENSIS
CARMINA HISTORICA.

Ex veteri Codice MS. qui extat in Bibliotheca Viri Cl. Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis, nunc primùm edita.

IN ROTVLO NATALIS ABBATIS.

IN rotulo multi cum ſollicitudine quadam
Dicendi ſeriem ſempet metantur ab Adam.
B At dum pto primi plaſmati crimine plotant,
Sæpiùs incaſſum ſubnectere multa laborant.
Sed pro NATALI nunc eſt Abbate loquendum.
Ergo quod proſit ſcriptis fuit adiciendum.
Cultor NATALIS Monachorum religionis
Cœli iungatur Chtiſto miſerante colonis.
Hunc NICOLAE tuis precibus meritiſque tuere,
Quem ſibi patronum viuens delegit habere.
Nos pro Natali carmen faceremus anheli,
Si multum carmen poſſet prodeſſe fideli.
Sed quia non proſunt Odarum garrulitates,
Odarum quæſo ſeponamus leuitates.
Intenti precibus breuiter loca ſubtitulate,
Ne calamus vehemens pariat diſpendia cartæ.
Hic fuit Eccleſiæ dum vixit firma columna.
Ergo Hieruſalem viuat * mens eius alumna.

* ſit el cœleſtis alumna.

De Natali Abbate.

C ABBAS NATALIS has Ædes amplificarat,
Et nouiter factas VRBANVS Papa ſacrarat,
Cùm Nicolaë tum Deus accerſiuit alumnum,
Cui dedit æternum ſolemni funere ſomnum.
Hîc modo Natalis pro carne iacet cineratus,
Cui noceat nullus pro carnis ſorde reatus.

Item vnde ſupra.

ABBAS NATALIS flos Abbatum ſpecialis
    Signat quid ſit homo factus humus ſub humo.
Vir capitis cani, meriti vir ſanctus opimi,
    Huic viuens latè profuit Eccleſiæ.
Defunctus verò ſactis hanc oſſibus ornat,
    Quæ tanquam nutrix confouet iſte lapis.
Hic Nicolae tibi ſeruus deuotus adhæſit,
    Ideirco ſerui nunc memor eſto tui.
Chriſto commenda quem mundo Chriſtus ademit,
    Húncque patrocinij iure tuere tui.

PHILIPPVS I.

In Rotulo Rainaldi Remenſis.

A

Si quid defunctos poſſet mea muſa iuuare,
Debueram Muſam reuera continuare.
Sed pro defunctis potius duo ſunt facienda,
Vſus quæ nobis & ius deſignat agenda.
Nam pro defunctis ius & compaſſio plorat,
Et pro ſaluandis animabus proximus orat.
Ergo breuem Muſam ponamus pro monimento,
Reſque procul noſtro ſit inutilis à documento.
Flentes RAINALDO Remenſi compatiamur,
Orantes autem Patriarchæ ſubueniamus.
Pro te noſtra madent, Pater optime, fletibus ora.
Oramus pro te, pro nobis quæſumus ora.
Colligit vltra fas rotularis epiſtola multa,
Quæ quaſi parcentes nugis tranſimus inulta.
Et fuit exiguæ condignum parcere cartæ.

In Rotulo Cenomanenſi.

B

SINGVLTVS duplices rotularis pagina profert,
Primum namque IOHEL, denique fleuit HOEL.
Abbas alter erat, alter fuit ordine Præſul,
Hi Cenomannis ſol ſcilicet extiterant.
Hos quoque morte pari modico Deus attigit ambos,
Vt ſint tranſlati ſidera magna poli.
Amborum pariter nobis exempla refulgent,
Ambo nunc noſtras irradient tenebras.
Si verò maculas dedit illis quilibet error,
Erroris veniam Cunctipotens det eis.
Interea tantis vrbs deſolata patronis
Pro te funde preces, atque memento tui.
Elige quos mauis, tamen elige qui tibi proſint,
Quorum ſubiectis proficiat regimen.
Quorum ſermo duo tibi teſtamenta propinet,
Cœlebs cœlicolis vita coaptet eos.
Hæc reſcripta tibi tranſmittunt Burguliani,
Pro re præmiſſis quas decuit precibus.
Te quoque fraternæ pietatis viſcera cogant,
Commendes noſtros nóſque precando Deo.

C

Epitaphium ſuper Hoëlum Cenomanenſem.

INTEMPESTIVO caſu defecit HOELVS,
Sol Cenomannorum, Pontificúmque decus.
Alloquio dulcis, nulli pietate ſecundus,
Omnibus exemplar Religionis erat.
Hunc plangit ſua plebs & vicinæ regiones,
Quem venerabantur iure patrem patriæ.
Hic igitur poſitum ſolemni more reuiſunt,
Et coram ſancto vota vouent tumulo.

Aliud.

ORA madent, & corda gemunt, & corpora marcent,
Cùm tumulo titulus ſculptus in hoc legitur.
Iſte refert titulus quia morte grauatus HOELVS
Fecit pupillos morte ſua populos.
Vrbs Cenomannenſis fleuit ſpecialiter ipſum,
Illis Pontificem quem dederat Dominus.

Pauſat

A Pauſat in hoc tumulo ſanctus pro corpore Præſul,
Præſulis obtineat ſpiritus aſtra poli.

Aliud.

PRÆSVL Agenneſis vir cantus nomine SIMON
In cauſis Cicero, moribus ipſe Cato.
Ad natale ſolum rediens, ad Biturigenſes,
Occidit, inque ſua ſubtumulatur humo.
Præſulis oſſa fouet modo ſancta Maria Dolenſis,
Foueat & puerum terra Dolenſis eum.

In Rotulo pro Archiepiſcopo Biturigenſi.

CVM velut examen rotulorum venerit ad nos,
Mortem non vitam rotulus mihi nunciat omnis.
Nuncius ergo ferus qui ſemper nunciat illud,
Quo ſemper lacrymis nos impetit atque dolore,
Mortem Remenſis rotulus dixit RAGINALDI,
DVRANDI ſiquidem pallentes vidimus artus,
Cùm nos Aruernis Vrbanus Papa vocaſſet.
B Nos Cenomanenſis rotulus commouit Hoëlis.
Aurelianenſis ſupereſt iam carta IOANNIS.
Si tamen Abbates his adnumerate velimus,
Multos Abbates rotularis pagina deflet.
Pictaua Geraldum, Cenomannisque Ioëlum,
Andegauis verò Natalem deflet obiſſe.
Multos prætereo vel quos incuria tollit,
Vel quos tes alias curanti obliuio demit.
Venit ad extremum rotulus de Præſule magno,
Quem mihi præcipui res commendabat amoris.
Is quia promeruit duplici fulgebat honore,
Si pondus geminum geminum dicamus honorem,
Abbas ipſe Dolis, Biturix & Epiſcopus ipſe
Sedibus ambabus præerat non ambitioſè:
Ambarum domuum magis vtilitate coactus,
Et domini Papæ ſancto moderamine victus.
Hunc AVDEBERTVM validum iuuenilibus annis
Effera mors rapuit, quæ nulli parcere nouit.
En mihi dat lacrymas rotularis Epiſtola viuas.
C Has lacrymas reduces faciet mea quæſtio ſemper,
Audeberte meo nec pectore dimouearis,
Nec ſi quid valeant noſtris precibus reptoberis.
Vos igitur Fratres de vobis ſubſtituendo
Procurate viro, Biturix vrbs, gréxque Dolenſis,
Et pro defunctis offerte precamina noſtris,
Communémque Patrem communi tangite voto,
Vt det Paſtori ſedem ſuper æthera veſtro.

Inuectio in Rolligerum.

OBSECRO iam parcat tam ſæpè venire veredus,
Per nimios vſus nimium ſua verba veremur.
Viuant Prælati, pro quorum morte vagatur
Vultur edax, coruúſque niger, volitánſque veredus,
Necnon bubo canens dirum mortalibus omen.
Significant mortes, præſagantúrque cadauer.
Sic rotulus ſemper mortem cuiuſlibet affert.
Ergo ſit à noſtris penitus conuentibus exul,
Qui ſemper mortem, qui nunciat anxietatem.
Nam ſi ſæpè venit, nummi mercede carebit.

PHILIPPVS I.

En AVDEBERTVM dicit mihi nuper obiiſſe,
Et mundi ſolem ſub nube delituiſſe.
Quid facies Biturix tanto paſtore perempto?
Quid facies obito tu grex Abbate Dolenſis?
Arripe lamentum ſuffuſus fletibus ora,
Ambo patrono caruiſtis inæquiperando.
Me quoque collegam gemitus ſupereſſe velitis,
Cuius non ſapiet vehemens querimonia finem.
Participet lacrymis qui participauit amori.
Conſors viuentis, conſors eſſem morientis.

A

Epitaphium.

PRO merito vitæ duplici donatus honore
AVDEBERTVS erat vir ſanctus, Præſul & Abbas,
Pontificem Biturix, Abbatem Dolis habebat.
Dictis & factis ambobus ſufficiebat.
In ſanctum modico corpus concluditur antro,
Munere nunc duplici, duplici decoratus honore,
Audeberte vale, ſit pax tibi lúxque perennis.

De eodem.

ILLA dies felix felici ſole refulſit,
Qua connexi ſunt & Dolis & Biturix.
Hæc geminæ ſedes tandem paſtore ſub vno,
Vnum ſunt factæ poſt mala diſſidia.
Vrbs Audebertum Biturix in Pontificatum,
Tunc Dolis Abbatem, mutuo vix rapuit.
Pontificem factum per amicæ iurgia litis,
Ipſum detinuit grex ſuus in quot erat.
Hic Audebertus gemino perfunctus honore,
Morti ſuccubuit præditus hoc onere.
Hîc pauſat ſancti ſanctiſſima gleba patroni.
Tu Pater à ſuperis ſæpe reuiſe tuos.

B

De eodem.

AVDEBERTE pater, pater & ſanctiſſime Præſul,
Te Dolis ecce dolet, te dolet vrbs Biturix.
His Pater, his Præſul, loca ſic præfata regebas,
Vt neuter vacuus eſſet amore tuo.
Ecce iaces, corpus ſi ſit cinis, oſſáque corpus,
In Domino requiem ſpiritus inueniat.
Ipſum cuius in hac corpus tellure quieſcit,
Ditarat diues littera Pontificem.
Abbas ipſe Dolis, Biturix ſimul ipſe Sacerdos,
Vnus vtrique loco proderat & præerat.
Huic Audeberto licèt in iuuenilibus annis
Curam communem mors inopina tulit.
Hic igitur poſitum corpus fouet hoc monumentum,
Omnipotens animam Pontificis foueat.

C

De eodem.

AVDEBERTE tuo Biturix pro funere marcet,
In te quam vehemens amor excitat, & dolor arcet.
Non tamen impetitur gemitu Dolis inferiore,
Cuius grex in te nimio feruebat amore.
Karus eras Abbas his, Archiepiſcopus illis:
Nam poteras plenis ambos refouere mamillis.
Vadis, te Chriſto per idonea ſigna vocante,

PHILIPPVS I.

A Et velut emerito tibi præmia digna parante.
Omni momento noſtri patrone memento,
Et ſuccurre gregi vitali morte redempto.

Item de eodem.

AVDITOR vatum, vatum moderator & ipſe,
Præſul Bituricas, Dolis autem Præſul & Abbas.
Qui iuuenum proprios tranſcendens moribus annos,
Se iuuenem vouit Monachorum religioni.
Hic Audebertus ſolemni more ſepultus
Dormit, qui vitam condigno fine ſacrauit.
Nunc quoque cum Chriſto nos ſæpè reuiſat ab alto.

Super Reginaldum Clericum.

QVEM fouet hic tumulus RAINALDVS nomine, nulli
Nouit adulari, Clericus egregius.
Nemo fidelis plus vnquam fuit inter amicos,
Vtque tenor fidei nunc titulus ſit ei.
Hic Andis tandem lacrymas in morte relinquens
B Dormiit in Chriſto, Chriſtus & aſſit ei.

De eodem.

SECLA reformato gaudebant noſtra Catone;
Donec Rainaldum promeruere ſibi.
Acer enim verbis, & iuſtis actibus acer,
Omnibus exemplum ſobrietatis erat.
Ad decus hunc morum ditarat littera multa.
Copia quam torrens extulit ingenij.
Ecce cinis Rainalde iaces, cui ſi quid adhæſit
Criminis, id purget gratia ſumma Dei.

De eodem.

SCRIPTA ſolent veterum mores efferre Catonum,
Mirandos noſtris temporibúſque ſuis.
At tua magna fides centum Rainalde Catones
Longè præceſſit, iuſtitiæque tenor.
In factis alacer, in verbis promptus & acer,
Tu decus in Clero, tu decus in populo.
Ecce iaces modico Rainalde ſolutus in antro:
C Omnipotens veniam det tibi cuius eges.

Super VVidonem.

GVIDO Hieruſalem modicum poſt tempus iturus,
Mente gerens ſanctæ munia militiæ:
Morte bona vir plenus opum, cadis anticipatus,
Natalíſque ſoli redderis hic gremio.
Illa dies menſem quæ ſextum ſexta preibat,
Morte tua populum terruit Andegauum.
Nunc igitur VVido cœleſtis ſis duce Chriſto
Ciuis Hieruſalem pace locatus, amen.

Super Radulfum.

VIR diues multum, neque ſeruus diuitiarum,
Pauperibus largus, compatiens miſeris,
RADVLFVS iacet hic factus de diuite puluis,
Andegauis olim copia conſilij.
Morte tua Radulfe tuam dolor occupat vrbem,
Vtque Deo viuas ſuppliciter rogitat.

PHILIPPVS I.

Super Radulfum. A

TERRA futurus homo quid inaniter ecce ſupebis,
Quid ſis Radulfus te docet hîc poſitus.
Ciuibus Andegauis maioribus iſte coæquus
Eloquio, ſenſu, cum locuplete penu.
Quod tamen & multis largus diuiſit egenis,
Tunc homo, nunc fit humus, cui miſerere Deus.

Item de eodem.

ANDEGAVIS populus caſu concuſſus acerbo,
Magnum conciuem flebilis hîc poſuit.
Hîc ergo RADVLFE iaces, ditiſſimus olim
Andegauæ plebis portio non modica.
Tu tamen in Chriſto tua largiter expoſuiſti,
Quod Deus & melius nunc tibi retribuat.
Sol matutinus Maique dies duodenus,
Heu! nimium properas intulit exequias.

In titulo Domus.

QVI fabricis inhians Romana Palatia laudas,
Hoc potius lauda grande Ioannis opus. B
Hic ſculptura decet, Saxorum conuenit ordo.
Tantum laudatur Pictauis hoc opere,
Quantum marmoreis laudatur Roma columnis.
Hoc ſi quidem rerum copia fecit opus.

De eadem Domo.

NOSSE poteſt iſtas quiſquis conſiderat Ædes,
Quàm prudens, quàm plenus opum fuit ille Ioannes.
Qui diſponendo latomis ſumptuſque pluendo,
Hanc ſtatuit fabricam fabricis regalibus æquam.

Super Rainaldum Abbatem.

IN ſibi dilecto requieuit Philoſophia
RAINALDO, quem vas fecerat eſſe ſuum.
Hic igitur Sancti Cypriani floruit Abbas,
Eccleſiam ditans ordine, rebus, agris.
Penè loci quæcumque fuit poſſeſſio primum,
Hanc duplicem peperit ſollicitudo patris. C
Tandem Rainaldi pars promptior aſtra petiuit:
Hîc quæ terra fuit portio, terra fuit.

Super Benedictam recluſam.

HIC latuit multos BENEDICTA recluſa per annos,
Contemplatiua læta quiete diu.
Sponſa Dei, ſponſique ſui complexibus hærens,
Inter complexus pace quieuit ouans.
Hic modicus carcer, iocunda domus fuit illi,
Hic modo gleba iacet, ſpiritus aſtra tenet.

Super Clarembaldum.

PRVDENS in cauſis, miles robuſtus in armis,
Ingenuo natus ſanguine, plenus opum.
Nunc ex parte cinis hic CLARENBAVDE quieſcis,
Tu dolor & gemitus ciuibus Andegauis.
Spiritus aſtra colat, dum terram terra fouebit:
Tandem poſſideas iam noua terra polum.

A

Super Vrbanum Papam.

VRBANVM Papam, quem Francia dixit ODONEM,
Quæ regio tenerum protulerat puerum,
Vitales auræ morientem deſeruere,
In quo ſic Orbis lingua diſerta ruit.
Vt ſimili careat doctore ſuperſtite mundus,
Hic igitur poſuit flens ſua Roma ſuum.

Super Regem Anglorum.

INDICE qui cœlo, qui præſagante comete
Anglos innumeris ſtragibus obtinuit;
Qui Dux Normannis, qui Cæſar præfuit Anglis,
Qui quaſi mananti fonte profudit opes:
Imperio pollens VVILLELMVS, coniuge, natis,
Occidit, & ſimul hæc omnia deſeruit.

Super ſupradicti filium.

NOBILITAS, regnum, prudentia, copia rerum,
B Tollere VVILLELMO non potuere mori.
Belligerando pater Normannos vicit & Anglos,
Ambos pacificè filius obtinuit.
Heu fortuna grauis! dum ceruos inſequeretur,
Intercepit eum iacta ſagitta feris.

De eodem.

QVI Regum magnus fuit admirabilis Orbi,
Qui probitate ſua Rexque Comeſque fuit.
Conſul Normannis, Rex Anglis, filius eius
Anglos Normanno milite qui domuit:
Dum ceruos agitat, ſocij ſtridente ſagitta
VVILLELMVS cecidit, Rex fuit, ecce cinis.

Item de eodem.

QVI legis hunc titulum, ſubtus agnoſce ſepultum
Anglorum Regem nunc modicum cinerem.
Hic VVillelme iaces, VVillelmi filius, Anglos
Qui ferus enſe fero belliger edomuit.
Dum ſequeris ceruos, alter quoque deſtinat ictum,
C Ceruo directam paſſus es ipſe necem.

Item de eodem.

SVB cuius nutu tremuit Normannus & Anglus,
Qui locuplete manu ſæpè pluebat opes:
A patre VVillelmo neque re neque nomine diſtans,
Qui Conſul, qui Rex inclytus extiterat:
Morte noua ceruis intenſum pertulit arcum,
Hac quoque magnus homo ſubcineratur humo.

Super Ramnulfum.

MAGNE pater RAMNVLFE ſenex, reuerende Sacerdos,
Virtutum thalamus, cella Dei locuples.
Poſtquam viciſti tota probitate malignum,
Protinus ad ſuperos carne ſolutus abis.
Hic tua magne ſenex ſolemniter oſſa quieſcunt,
Et datus eſt tumulus oſſibus iſte tuis.
Spiritus ecce tuus gaudens ſuper aſtra perennat,
Tu pater à ſuperis ſæpè reuiſe tuos.

PHILIPPVS I.

A

De eodem.

ALTER Tobias Ramnulfus tempore longo
Amiſſis oculis mente Deum coluit.
Pauperibus ſaties, laſſis requies, via lapſis,
Preſbyter ipſe fuit victima grata Dei.
Thuris odor gratus thuris quoque more crematus,
Dans animam cœlo reddidit oſſa ſolo.
Hîc Ramnulfe iaces ſolemni more ſepultus,
At plus ſolemnis viuis in arce poli.

PERPES lamentum mors contulit Andegauinis,
Martellum iuuenem cùm tulit à ſuperis.
Tempora reddiderat Princeps bonus aurea mundo,
Bellis ſedatis ſecula pacificans.
Dum pacem læſam rurſus ſanare laborat,
Intentum paci ſæua ſagitta ferit.
Hîc Martelle iaces, Martelli nobilis hæres.
Res à Marte quibus digna dedit titulum.

PACIS amator eras, & eras ſic pacis amator,
Hector vt ipſe tamen belliger extiteris. B
Ipſe reformabas tempus, gentémque togatam,
Si modò vixiſſes Octauianus eras.
Subiectis parcens, & colla ſuperba refrenans,
Principis egregij culmen adeptus eras.
Sæua ſagitta tuos ſucceſſus anticipauit,
Quam clam direxit proditor architenens.
Martia Martellum te fecit cauſa vocari,
GOSFREDVM verò nominis impoſiti.

HIC pauſat virgo, quæ ſcilicet innuba Chriſto
Nupſit, ſponſa Dei, neſcia coniugij.
Pectore conſtanti CONSTANCIA nomine fulſit,
Præclaro patrum ſtemmate nobilium.
Ipſius pectus ditauit litera diues,
Vt potuit credi dia Sibylla tibi.
Ecce ſub hoc tumulo cineraſcit mortua virgo,
Eius ad aſtra volans ſpiritus alta colat.

C

POST Lugdunenſis Præſul priùs HVGO Dienſis,
Magnus Romanæ filius Eccleſiæ.
Quem ſibi Legatum Romanus Papa rogauit,
Ad Synodum veniens, proh dolor! occubuit.
Virtutum cellam, diuini nectaris aulam,
Hac tumulauit humo Seguſienſis homo.
Lætatus Iuſtus hoſpes bonus hoſpite tanto,
Quem Deus eximium miſit ei ſocium.
Lugdunum luge, ſolemnia Conciliorum
Occubitu Patris occubuere tibi.

INSCRIPTIONES SVBNOTATIS DEFVNCTIS COMPETENTES.

Super Ioannem Dolenſem Archiepiſcopum.

SPLENDIDVS ex atauis, atauorum ſplendor & ipſe,
Gente Britannus homo conditur hoc tumulo.

A Hic armis, patriâ, natis cum matre relictis,
Dux modo, continuò de Duce fit Monachus.
Metropolitanæ Sedi, quia vixit honeſtè,
Cui Dolus eſt nomen, Præſul hic eligitur:
Vt quibus extiterat Conſul, de Conſule Præſul,
Præſul quàm Conſul conſuleret meliùs.
Ad Papam venit, ſacrari poſcit ab ipſo:
Quod dum differtur in Domino moritur.
Ponitur hic cultor & Religionis amator,
Quémque dolent Britones ſancta Sophia fouet.
Si quæras nomen, nomen ſibi ſcito IOANNEM,
Sique diem mortis, da decimam decimi.

Super Guillelmum de Monteſorelli.

AGGREGAT abſque mora non extricabilis hora
Seruos nobilibus, & pueros ſenibus.
Quòd ſi nobilitas poſſet producere vitas,
Nobilitante domo non moreretur homo.
Heu! VVILLELME ſatis fuerat tibi nobilitatis,
Attamen à ſuperis nobilis abſtraheris.
B In modica foſſa ſunt magni ſtemmatis oſſa,
Artus ingenuos hæc habet oſſa tuos.
Si quem læſiſti, ſi quid malè prometuiſti,
Chriſtus adeſto tamen; pace fruaris, amen.

Super domnum Berengarium.

TOTA Latinorum facundia marcida floret,
Dum BERENGARIO Turoni viguêre magiſtro.
Porrò Latinorum facundia florida marcet,
Inuida ſors Turonis vbi tantum lumen ademit,
Clauditur in Iano tibi doctor ianua vitæ,
Vel magis in Iano patuit tibi ianua vitæ.
En tua magne ſenex iacet hoc ſub fornice gleba,
Ad reditum propriæ ſuſpirans conditionis,
Promittátque licèt veniam tibi ſpes meritorum,
Hanc tamen acceleret lector pia vota vouendo.

De Frodone Andegauenſi.

QVOD de quadruuio norat triuióque Latinus,
C Id totum Frodo pleniter audieras.
Sollers auditor ſuperaras penè Latinos,
Cùm te morte graui perculit hora breuis.
Raptus ab Andegauis, tumuliſque ſepultus in Anglis,
Anglos Andegauo puluere lætificas.
Frodonis cineres Angli reuerenter habete,
Ac votis animam lætificate ſuam.

Item de eodem.

FRODO quid prodeſt te noſſe profunda librorum,
Nocte diéque tuus tritus Ariſtoteles?
Fabula Naſonis tibi quid tot adhæſit in annis?
Quid tibi nunc Cicero, Statius, atque Maro?
Hæc tibi Frodo ſimul ſpondebant aurea ſecla.
Attamen iſta ſimul abſtulit atra dies.
Sacra fames auri te duxit ad Anglica regna,
Littera multa lucri ſpes tibi multa fuit.
Indigetis corpus iubet Anglis flebilis Andus,
Lectores iubeant cœlicolis animam.

PHILIPPVS I.

Item de eodem. A

FRODO labor magnis te vatibus æquiperarat,
Quem modo mors vmbræ quæ fugit æquiperat.
Exul ab Andegauis peragraras impiger Orbem,
Litterulas rapiens, atque vacans ſtudiis.
Autea te tandem ſpes inuitauit ad Anglos,
Quò te ſpémque tuam mors inopina tulit.
Frodo te plangant ſtudiis quicumque vacabunt,
Quorum dum moreris portio ſumma ruit.
Mortuus ecce iaces factus de puluere puluis.
Quæſo propitius ſit tibi Frodo Deus.

Super Petrum Dolenſem Priorem.

PETRE Prioratus decoratus honore Dolenſis,
Prouidus in factis, Ordinis ipſe rigor.
Poſtquam Pontificem ſuperaras Biturigenſem,
Hunc enitentem dilacerate locum:
Pace reformata, re Fratrum multiplicata,
Tandem præpropera morte grauatus obis. B
Mors peperit lacrymas nobis tua perpetuandas,
At ſpecialis amor ſedula vota rogat.
Iſte lapis Petrum fouet, heu! heu! iam cineratum:
Chriſte lapis viuus tu foueas animam.

Item de eodem.

IVRE priorarat te cœtus Petre Dolenſis,
Namque ſibi probitas te tua prætulerat.
Prædictum Biturix Richardus ouile fatigans,
Succubuit victus ex probitate tua.
Melioraſti ſubiectos, ordine, rebus,
Pollens conſilio, præditus eloquio.
Ecce lapis noſtrum tegit hîc pro corpore Petrum,
Tu verò foueas omnipotens animam.

Item de eodem.

PETRE Decanus eras, & eras Petre iure Decanus,
Namque vt debueras omnibus omnia eras.
Te grauiter Fratres lugent obiiſſe Dolenſes,
Quorum res nimio munieras ſtudio. C
Taliter obſtiteras Richardo Biturigenſi,
Præſul vt ipſe tuo ceſſerit eloquio.
En Petre ſuffoſſum tabeſcens incolis antrum.
Spiritus alta petens incolat aſtra tuus.

De Canonico ſine proprio.

RAINALDVS Cleri veteranis roſa Pictauienſis,
Facundus, verax, Religionis amans.
Qui promulgauit tibi primus Pictaua tellus
Canonicam, quæ nil proprietatis habet,
Tam benè diſpoſitæ conſummans tempora vitæ,
Exanimis tandem ſubditur huic tumulo.
Cuius ſpiritui ſis manſio ſumme Sacerdos,
Atque Sacerdotis Chriſte memento tui.

De Godefrido Remenſi.

IOCVNDVS magnæ theſaurus philoſophiæ,
Magnáque Muſa perit, cùm Godefredus obit.

A Iſte decus Cleri, Sol alter idoneus Orbi, PHILIPPVS I.
Orbi ſufficeret, viueret ipſe diu.
Sed mors effrenis ſuper hunc ſua frena grauauit,
Et iubar à ſuperis inuida grande tulit.
Remis habet corpus, animæ ſit manſio cœlum,
Diuitibus diues oſſibus vrna vale.

Item ſuper eundem.

ORBI deflendus tamen & ſpecialiter vrbi
Quam Remis dicunt, hîc Godefrede iaces.
Præcipuè Cleri lacrymis comitatus opimis,
Hîc tandem matris redditus es gremio.
Remenſis populi Clerique lucerna Latini,
Omnibus extorques dum moreris lacrimas.
Gallia te tanto complexabatur amore,
Vt doleat ſe non occubuiſſe ſimul.
Nunc igitur pedibus quibus ire licet gemebundæ,
Te comitatur adhuc planctibus & precibus.

Item de eodem.

B QVEM tegit iſte lapis non Tullius æquiperaret,
Si tamen eiuſdem temporis ambo forent.
Hunc etenim vatem ſapientia tanta replerat,
Vt benè Romuleis antefuiſſe putes.
Denique tantus erat quantos vulgata per Orbem
Fama volans fecit, quos libet eſſe viros.
Mortis liuor edax hunc, proh dolor! abſtulit Orbi.
Heu! ſcrobe ſub modica nunc Godefrede iaces.
Diuinos cineres genitrix ſua Remis habeto,
Tu quoque Chriſte ſuæ manſio ſis animæ.

Item de eodem.

QVÆ natura potens vix omnia contulit vlli,
Omnia contulerat hæc Godefrede tibi.
Formam, diuitias, mores, monimenta nepotum,
Diſcretum pectus, ingenium locuples.
Os par ingenio, ſtudij florentis amorem,
Nec tamen iſta tibi cuncta tulêre mori.
Egregios artus en paruula continet vrna,
C Remis te genuit, te quoque Remis habet.
Vrbs venerare tuum felici puluere felix,
Ciues conciuem cœlicolæ foueant.

Item de eodem.

HOS apices donec oblitteret ipſa vetuſtas,
Aut inimica manus celebri relegetur honore,
Ille Godefredus, quem lucida Muſa ſecundum
Naſoni peperit, quem littera multa repleuit,
Ecce perennis adhuc Godefredum fama perennat,
Atque perennabit dum fama volare valebit.
Remis eum genuit, & Remis eum ſepeliuit:
Terra colit terram, ſed ſpiritus incolat aſtra.

Super Alexandrum Turonenſem.

FLETVS innumeros cùm mors ingeſſerit Orbi,
Fletus maiores ingerit ipſa modo.
ALEXANDER enim iuuenum ſpecialis honeſtas,
Intempeſtiua morte grauatus obit.

PHILIPPVS I.

Nondum bis denos adoleſcens vixerat annos, A
Cùm roſa formoſa marcuit à quod erat.
Canonicus Turonenſis erat puer indolis altæ,
Flos olim roſeus, nunc cinis eſt luteus.
Sique ſibi maculas ſpecies attraxit & ætas,
Tu tamen indulge Rex vtriuſque dator.

Super eundem.

CVM titulos multis dederit mea cura ſepulchris,
Nullum flebilius quàm dedit hunc titulum.
Alexander enim luctus generaliter Orbi,
Præcipuéque ſuis flos iuuenum iacet hîc.
Cuius plus iuuenum cedebat forma decori,
Quàm ſaliunca roſæ, quàm citiſus violæ.
Tandem defuncti ſic marcida colla videres,
Tanquàm ſtipitibus lilia trunca ſuis.
Hunc plorat Cletus Turonenſis, plorat & omnis
Ætati quiſquis compatitur teneræ.

Item de eodem. B

QVICQVID maioris potuit natura decoris,
Illud Alexandro contulerat pariter.
Contuleritque licèr quæcumque decora putantur,
Mortuus attamen eſt. ecce cinis iacet hîc.
Supra quindenos vix quatuor attigit annos,
Illi cùm pariter omnia mors rapuit.
En fœter vilis ſpecioſæ gloria carnis,
At Deus indulge quod malè promeruit.

Item de eodem.

QVI properus properas præſentis ad atria templi,
Sta ſi noſſe cupis quem tegit iſte lapis.
Hic Alexandri cuiuſdam gleba quieſcit,
Quem mundo ſpecies vnica prætulerat.
Hic inter iuuenes quaſi conſpectiſſima ſtella
Gratus erat Clero, gratus erat populo.
Hic cùm bis denis vel circiter eſſet in annis,
Tactus ſole graui flos tener occubuit.
Qui legis hos apices, ſi compateris cinerato,
Dic orans, tenere parco Deus puero. C

Super Guillelmum Engoliſmenſem Epiſcopum.

NOBILE, nobilium ſpecimen, GVILELME, decúſque,
Proh dolor! hîc properà cineratus morte quieſcis.
Ordine Præſul eras, atauorum ſanguine Conſul,
Prouidus in factis, nulli ſermone ſecundus.
Engoliſma dole tanto viduata patrono;
Langues ecce tui moderamine Præſulis orba.
Interitum timeas, dempto moderamine langues,
Huic ſiquidem nullum non neſcis æquiparandum.
Vrbs tamen infelix artus venerare paternos.
Dic quoque, tranſcendat GVILELMI ſpiritus aſtra.

Super Erilandum.

LITTERA quem diues magnum iubar extulit Orbi,
Orbi deflendus hîc ERILANDE iaces.
Magne ſenex, lingua pariter iocundus & actu,
Sufficeres Orbi ſi diuturnus eras.

A Nec mors, nec ſenium quenquam nocuiſſet, vt ipſe
Neſciſſes mortem taliter aut ſenium.
Sed quoniam commune mori eſt, & labitur ætas,
Parcatur lacrymis, ſitque locus precibus.
Dum te terra fouet tua molliter oſſa quieſcant,
Sit quoque cum Chriſto pax Erilande tibi.

Vt ſupra ſuper Petrum Priorem.

MORS velut effrenis ruptis bacchatur habenis.
Tollit enim iuuenes, tollit & ipſa ſenes.
Sed quicquid tulerit, quæcumque nefanda patrarit,
Eſt feriendo PETRVM grandius auſa nefas.
Iſte quidem Petrus & Cœnobita Dolenſis,
Eiuſdémque domus ipſe Decanus erat.
Qui prudenter agens domui ſic præfuit illi,
Defuncto vt viuas viuus agat lacrymas.
Hic modo Petre iaces, ſi ſint Petrus oſſa ciniſque,
Manſio ſpiritui ſit domus ampla Dei.

Super Geraldum Aurelianenſem.

B EGREGIVS Doctor magnúſque Sophiſta GERALDVS,
Eccleſiæ robur, Cleri populique columna,
Spes pupillorum, vir munificus viduarum,
Aurelianorum lux & ſpecialis honeſtas.
Vir cani capitis, morum moderamine pollens,
Cui nihil à ſenſu tulit antiquata ſenectus.
Tandem communis contactus imagine mortis
Exuit hoc quod erat; datur hîc ſua portio terræ;
Spiritus in tenues viuens elabitur auras,
Cui tamen è rebus lutulentis ſi quid inhæſit,
Expiet id totum clemens miſeratio Chriſti,
His precibus lector amen adiiciendo faueto.

Super Odonem Abbatem Engeriacenſem.

QVI properus tranſis huius monimenta ſepulchri;
Vt relegas titulum comprime quæſo gradum.
Hîc iacet Abbatum decus & ſpecialis honeſtas,
Pauperibus ſaties, indigus ODO ſibi.
C Qui pietatis amans, Monachorum forma, decenter
Ingeriacenſi profuit Eccleſiæ,
Tandem pace bona ſopitus morte quieuit;
Eccleſiæ robur, Ordinis ODO vigor.
Qui legis hæc duo fac Odoni, fac pia vota
Deque metu mortis ſollicitare tibi.

Super Radulfum Pictauienſem Archidiaconum.

ARCHIDIACONII perfunctus honore decenter;
Conſilium plebis, lux Cleri Pictauienſis,
Quem ſatis egregiæ ditarat ſumma ſophiæ,
RADVLFVS iacet hîc factus de puluere puluis.
Pictauis vrbs luge tanto viduata miniſtro.
Tunde dolens pectus, laceros tibi diripe crines;
Dummodo perſona careas huic æquiparanda.
Nec tamen in lacrymis vnquam tua vota coërce.
Spiritus vt veniam Radulfi promereatur,
Id puer, ídque ſenex lector quoque poſcat idipſum.

PHILIPPVS I. ...

Super Præſulem Durandum.

A

NOMINE DVRANDVS iacet hîc Præſul venerandus,
Quem commendauit vita benigna Deo.
Exequias celebres, quæ forma fuêre triumphi,
Diſpenſauit ei gratia ſumma Dei.
Vrbanus Synodo generali Papa vocata,
Patres bis centum mouit ad obſequium.
Tertia quæ decimam lucem præit ante Decembrem,
Vitæ præſentis lumen ademit ei.
Aruernis ſanctos cineres reuerenter habeto,
Atque patrocinio tutior eſto ſuo.

Super eundem Durandum.

TEMPORIBVS luteis vir magnæ ſtrenuitatis,
Aurea Durandus ſecula reſtituit,
Aruernis Præſul digniſſima Præſule fecit,
Fecit digna Deo religioſus homo.
Ipſius exequias dicas ſimilaſſe triumphum,
Et diſpenſantis ſigna fuiſſe Dei.
Affuit Vrbanus centeno Præſule ſeptus,
Abbatum verò maior erat numerus.
Tertia cum decima tunc lugubris ante Decembrem,
In reditu luctus eſt modo feſta dies.

B

Super Comitem Pictauenſem.

GLORIA ſi mundi pareret monimenta fideli,
Nulli commodiùs quàm tibi Dux pareret.
Vir generoſus eras, decus Orbi, Dux Aquitanis,
Hoſti terribilis, ipſe Pater patriæ.
Sed tibi ſit titulus GVILELME, tuúmque ſciatur
Iſtius Eccleſiæ quâ ſepeliris opus.

Super militem iuuenem.

NVLLI GOFFREDVS genio formâve ſecundus,
Intempeſtiua ſopitus morte quieſcit.
Plus animo validus quàm poſſent membra tenella
Militis, ante dies aſſumpſit militis arma.
Dormiit in Chriſto puer altæ nobilitatis.
Non quindennis erat, ſed erat quindennis vt eſſet,
Si ter quinque dies ſibi viuere plus licuiſſet.
In Maio vernante roſa, roſa marcuit iſta,
Quinta dies à fine diem ſibi clauſit & annos.
Hunc commendatum ſibi continet hoc monumentum,
Goffredúſque ſuis lacrymabile fit monimentum.

C

Super Elpem Comitiſſam.

Non dempſit metas tibi mortis forma vel ætas,
Vel proaui Reges, quæ ſic tibi fata locarant,
Elpes vt neutrum Reginam dedecuiſſet.

Super Burchardum bonum militem.

SI centum linguas pro te BVRCHARDE mouerem,
Non poſſem laudes æquiparare tuas.
Nam tibi nullius virtus erit æquiparanda,
Quantoſcumque tamen carmina magnificent.
Tu Taurinenſes ſolus ſic edomuiſti,
Vt te crediderint mille fuiſſe viros.

Agnetis

A Agnetis viduæ tutor, domitórque reorum,
Corruis vxoris vltor adulterij.
Quod genuit Turonus hîc pauſat nobile corpus,
Spiritui vero ſit domus in Domino.

Iterum ſuper eundem.

Si quis Achilleos mirando recenſeat actus,
Actus Burchardi pluris habens recolat.
Corporis aut animi nulli virtute ſecundus,
Viueret ipſe diu, Iulius alter erat.

. . . .

. . . .

Item de eodem.

Qvicqvid multarum natura potens probitatum
Diuiſit multis, conſtituendo probos:
Id Bvrcharde tibi dederat benè prodiga totum,
Heroas in te quoſque ſimul replicans.
Quicquid ſunt alij ſortiti particulatim,
B Tu totum ſolus pleniter aſſequeris.
Prouidus in verbis, robuſtus & acer in armis,
Cauſidicus Cicero, belliger Hector eras.
At dum pro paruo Turonus ducis dominatum,
Ad Langobardos fulmineus properas.
Quam gentem verbis tibi dum ſubiungis & armis,
Gentis & vxoris proditione cadis.
Ecce nihil de te ſupereſt niſi puluis & oſſa.
Pax tibi, bella quidem cauſa fuêre necis.

Super Raherium audaciſſimum.

Inscribi tumulis Heroum facta ſolebant,
Vt quanti fuerant poſteritas legeret.
Sed tua deberent ſpeciali facta Raheri
Inſcribi calamo, nam ſpecialis eras.
Nam natura tibi nullum ſic æquiperarat,
Omnibus vt ſolus præfueris Ducibus.
Inſidioſa latus tibi lancea fodit vtrumque,
Militibus tutor dum cupis eſſe tuis.
Felix vrna foue qui vaſtum terruit Orbem,
C Nec ſit ei terror corporis aut animæ.

Super eundem.

Alite ſiſus equo properus dum fulminat hoſtes,
Se ſcutum præbens auxiliare ſuis,
Raherivs cecidit, quo non audacior vllus,
Hoſtili telo fixus vtrumque latus.
Emiſit flatum ſubito cum ſanguine mixtum,
Exemplum factus lugubre militibus.
Militiæ grauiter ſtipendia ſæua remiſit,
Propter quam corpus contulit atque animam.
Quòd ſi ſponſa Dei ſponſo pro talibus audet,
Et pro Raherio ſupplicet ipſa Deo.

Sicut ſupra.

Raherivs miles fortis velut alter Achilles,
Diſpar in nullo laudibus Hectoreis.
Quem natura potens toto decorarat in Orbe
Militiæ titulis & probitate ſua.

PHILIPPVS I.

Militis vnius, heu! mortuus occidit ictu, A
Tam graue mercatus militiæ reditus.
Militibus ſupereſt pro tanto milite planctus,
O vtinam lacrymæ proficiant animæ!
Magnanimum modicæ corpus committitur vrnæ,
Spiritus inueniat quàm meruit melius.

Item ſuper eundem.

Robvstvm pectus, flauúſque per ora capillus,
Et gena pubeſcens, rarus & annus adhuc.
Viuendi leuiter tibi cauſa fuêre Raheri,
Viuendique diu ſpem tibi contulerant.
Nulli contulerat potius natura cor audax,
Atque manum validam quam tibi contulerat.
Militis vnius totum ſimul abſtulit ictus,
Quippe coëgit te morte mori ſubita.
In modico tandem puluis modo clauderis antro,
Notus namque Deo nunc locus eſt animæ.
Quod ſi vota fides audax pro talibus offert,
Offerat & pro te vota benigna fides.

Ad ſcutum eiuſdem. B

A domino viduata tuo iam parma quieſce;
Cui pàr Raherio nullus erit dominus.
Viue, dies feſtos longum viſura per æuum,
Nam metuenda quidem lancea nulla tibi.
Nam ſi Raherius vel pat ſibi viueret vllus,
Non deberentur otia tanta tibi.
Mors eius requiem, faceret tibi vita laborem.
Sed labor ille tibi dignus honore foret.
Poſterior nunquàm, prior ires ſemper in hoſtem;
Cedere nec ſcires anxia, nec fugeres.
Qui te conſpicient pro tanto milite plorent,
Túque diu valeas in titulo poſita.

Super quem eueneris.

Qvi ſupra veſtros legitis lamenta ſepultos,
Quinque minora premi caſu lugete ſoletis,
Et mihi dilapſo fletus infundite veſtros.
Conſul eram magnus, patriæ pater, hoſtibus hoſtis; C
Nomine Gvillelmvs, vitæ ſtatus omnibus omnis.
At nunc extremâ, ceu ſingula, ſorte potitus,
Occubui non lege mea, ſed lege iubentis,
Omnia cuius lex aliud demutat in eſſe.
Hei mihi! nunc lector nil plus de Conſule reſtat,
Quàm quòd ego feci tua vota quod emeliorent.
Hoc nunc incluſus ſub fornice lege ſepultus.
Qua ſepelitur homo communi lege reſurgam.

Super Oſannam.

Lector quid fuerim, quid ſum ſi forte requiris,
Nata puella fui, ſum modo facta cinis.
Coniugio faui tantummodo prolis amore,
Occubui decimum dum parerem puerum.
Nec puer antiquo naſcendi naſcitur vſu,
Cæſa matre quidem filius extrahitur.
Cauſâque nubendi mihi cauſa fuit moriendi.
Conſulis vxot ego, nomen Osanna mihi.

A Sed quid honor, quid opes, quid prolis copia prodeſt?
Chriſte mihi proſis, tu mihi manſio ſis.

Super Guidonem.

EXVL ab vrbe mea dum me velut effugientes
Inſequor ipſe libros, dúmque vaco ſtudiis.
Proh dolor! incubuit mihi lamentabilis hora,
Quippe ſuperuenit mors inopina mihi.
Ecce ſub hoc tumulo cineratus corpore pauſo.
Spiritus obtineat quàm meruit melius.
Me tamen & fidei tenor, & confeſſio culpæ,
Quandóque ſecurum de venia faciunt.
Quod ramen expecto poterit mihi turba legentum,
Et votiua ſimul præproperare cohors.
Ciuis eram Turonenſis ego de nomine Guido,
Gentis Patriciæ, me modo Remis habet.

Super Iohannem.

INTEMPESTIVA moritur dum morte IOHANNES,
A mortis ſæuo ſoluitur imperio.
B Nam potius viuit qui ſic obiiſſe videtur.
Nulla voluptatis techna cohæſit ei.
Ætas ipſius vix annum dimidiarat,
Ipſa dies lauacri mortis & ipſa fuit.
Profuit ergo ſibi tantummodo gratia Chriſti,
Quæ tamen & iuſtè præuenit immeritos.
Ergo lætandum ſatis eſt in morte Iohannis,
Qui nullis moriens indiguit precibus.

Super Odonem puerum.

VRNA breuis modicúſque lapis ſuperadditus vrnæ,
Signant materiam quòd foueant modicam.
Quod premit iſte lapis pueri ſunt oſſa tenelli,
Si tamen vna ſatis duruit oſſa dies.
Penè fuit natus puer hic ſimul atque renatus,
Viuere vix potuit, móxque mori meruit.
Quod tamen impoſuit nomen properantia mortis
His pateat ſignis: OTTO puer iacet hîc.

Super Burchardum iterum.

C ROMVLEOS Turonus licèt exuperauerit actus,
Militiæ titulis & probitate ſua:
Tu BVRCHARDE tamen Turonenſes exuperabas,
Militiæ titulis & probitate tua.
At Longobardæ dum tandem proditioni
Occurris vindex, perſequeriſque reos.
Hoſtibus atque reis te prodit adultera coniunx,
Sicque cadis modico vulnere magnus homo.
Corpus magnanimum modo contegit hoc monumentum,
Spiritui verò parce benigne Deus.

Super Troïlum.

NVLLA fit immunis ætas à vulnere mortis,
Hîc iaceo iuuenis Troïlus exanimis.

Super Rainaldum Remenſem Archiepiſcopum.

REMENSI populo lumen firmámque columnam,
RAINALDVM Chriſti gratia contulerat.
Hic quoque Martini ſublatus ab Æde beati,
Remenſi multum profuit Eccleſiæ.

PHILIPPO I. Hunc mors in tanto florentem Pontificatu A
Attigit, & vacuam fecit item cathedram.
Pupilli ciues pro tanto Præſule flentes,
Corpus Pontificis hîc poſuêre ſui.
Hic populus glebæ dignos diſpenſat honores,
Diſpenſet veniam cunctipotens animæ.
Hunc duodena dies Februi præeunde Kalendas,
Deſtruit mundo, ſubſtituitque polo.

In rotula de Guillelmo Abbate.

GVILLELMVS quoniam verum properauit ad eſſe,
Ad non eſſe licèt ſit viſus primitus iſſe.
Si tamen & properans properauit tramite recto,
Omnibus Eccleſiæ gaudendum cenſet amicis.
Si verò læſit properantem quilibet error,
Poſcat ei veniam pia Fratrum ſollicitudo,
Quæ votiua Deum ſupplex & ſedula pulſet.
Diximus ergo ſibi, Guillelmo parce Redemptor,
Vt noſtris itidem concedat, dicite nobis,
Vt procul abſentes oratio mutua iungat.

In rotula de Adam Abbate. B

HÆC deſolatis ſolatia Burguliani,
Profluit ex Adam quod veſter pertulit Adam.
Sed quaſi pro nihilo fieret de morte querela,
Præſertim cùm ſit mors Chriſti noſtra medela.
Nec deerit medicus niſi deſit cui medeatur.
O felix morbus mors Chriſti cui medicatur.
Vos quoque luxiſtis quia Patre bono caruiſtis.
Nimirum Patri plus quàm vobis doluiſtis.
Nec mirum, lacrymas extorſit viſcus amoris.
Sed cadat iſte dolor. Deus eſt medicina doloris.
Patri conſulite pia pro Patre vota vouendo,
Necnon & vobis iam de Patre ſubſtituendo.

De Magiſtro ſuo planctus.

DOCTORVM ſpeculum Doctor amande,
Maiorum titulis æquiparande,
O HVBERTE tuis vir venerande, C
Immolo perpetuas exequiis lacrymas.
Mors tua dura mihi.
Ablato mihi te, quæ mihi gaudia?
Gaudendi ſubiit deficientia.
Lugendi datur, heu! peſſima copia,
Et perpes querimonia.
Væ mea vita mihi.
Hubertus patriæ cura paterna,
Magduni cecidit clara lucerna.
Ex quo mœſta mihi lux hodierna,
Vix aliquando ſcio quid faciens facio.
Mors tua dura mihi.
Vrit noſtra dolor corda medullitus,
Vix rarus recreat viſcera ſpiritus.
Huberti gemitus cauſa ſit exitus.
Hinc eſt creber anhelitus.
Væ mea vita mihi.
Quo nos alter ego, ſed magis idem
Hoc vniuit amor fœdere pridem,

Philippi I.

Nec ſorti modò mors ſubdit eidem.
Eſſet obiſſe mihi gloria, téque frui.
Mors tua dura mihi.
Ex quo cum lacrymis plus ego lugeo,
Hinc plus ipſe quod eſt res noua gaudeo.
Quanto diſplicuit res lacrymarum,
Tanto triſte placet pondus earum.
Diſplicet atque placet illud, vtrumque placet.
Væ mea vita mihi.
Singultus peperit carmina lubrica.
Haut arcent elegos clauſtra poëtica.
Te doctor replicat noſtra querela,
Hunc morbum leni ait nulla medela.
Mors mihi te tibi me compoſitura placet.
Mors rogo ſera veni.

De Gerardo Laudunis ſurrepto.

TANTVM GERARDVS laudes dum laudibus auxit,
Quod dignum magnis laudibus Andus habet:
B Quantum doctrinis Ciceróque, Maróque Latinis,
Nam nobis alter fulſit Ariſtoteles.
Lux & laus Cleri, Sol qui ſuffecerit Orbi,
Orbi quadruuium protulit & triuium.
At fortunatus fuit Abbas Burgulianus,
Qui ſibi Gerardum vendicat in proprium.
Lauſdunis obiit, ſed viuit Burgulianis,
Vtque diu viuat iam redimunt precibus.
Hunc igitur terræ ſpeciali mandet honore,
Quiſquis defuncto corpore diues erit.

Item de eodem.

VBERIBVS Manegaude tuis lactatus abundè
Tempore poſterior, penè legendo prior:
Atque tuis finibus abſtractus venit ad Andos,
Ardua Gerardus planáque dicta gerens.
Laude ſua laudes Lauſduni multiplicauit,
Artes exponens commoditate leui.
Hunc quoque Lauſdunis inuidit Burgulienſis,
Et quibus inuidit blandiloquus rapuit.
C Iam nunc Gerardus pauſet cum Burgulienſi,
Donec mandetur alteruter tumulo.
O vtinam neque mors neque caſus ſeparet ipſos,
Donec nigreſcat primitus albus olor.
Et donec pennis coruus niger euolet albis,
Lauſdunum refluus donec eat Ligeris.
Et donec querulæ ſileant valeántque cicadæ,
Et noceat ſenium ſiue dolor neutrum.

Ad eundem vt Monachus fiat.

. . . .

IPSE locum noui qui floridus otia gignit,
Libros & cartas & cuncta ſtudentibus apta.
BVRGVLIVS locus eſt, & Cambio dicitur annis
Flumine perpetuo qui vitreus irrigat hortos,
Hócque loco locus eſt à turbis penè remotus.
Qui curat Fratres à ſollicitudine mundi,
Et fouet in gremio diuturnos pacis alumnæ.
Prata virent iuxta, quibus eſt contermina ſilua.
Hunc emat, hunc redimat quiſquis probus eſſe laborat.

PHILIPPVS I.

A

Super Abbatem Siluæ maioris.

Cvm pro defunctis ſoleant orare fideles,
Proque ſibi caris perpetuent lacrymas.
Pro patre Geraldo nihil eſt vtriuſque neceſſe,
Qui cœli ciuis incola vixit humi.
Siluam maiorem Monachis Dominóque dicauit,
Exul ſponte ſua finibus à patriis.
Francia natalis ſibi ſorduit, hancque reliquit,
Silueſtres ſaltus Burdegalæ veniens.
Pullulat ecce polo ſilueſtris terra colonos,
Quæ per Geraldum floruit agricolam.
En felix anima cœli lætatur in aula,
Artus hîc poſiti lætificent populos.

Item de eodem.

Silvæ maioris iacet hîc ſanctiſſimus Abbas,
Abbatum ſplendor, & Monachile decus.
Hic ſiluas coluit, Chriſtóque noualia fecit,
Vt ſaliunca roſam, poma ſalix generet.
Iſte locus primùm ſilueſtris & effera tellus,
Ipſius exemplis eſt modo porta poli.
Vir cani capitis, vir perfectæ probitatis,
Cœlorum ciuis dormiit in Domino.
Plebs Aquitana Patris corpus complectere tanti,
Qui tibi viuit adhuc Religionis odor.
Gallia congaude Geraldo quem genuiſti,
Ac cineres ſanctos hîc venerare ſuos.

B

Item de eodem.

Mente columbinus, zeli feruore ſeuerus,
Alloquio dulcis, moribus egregius.
Pauperibus largus, ſibi parcus, fronte ſerenus,
Cunctis compatiens pectore largifluo.
Abbas Geraldus iacet hic pro carne ſepultus,
Liber enim cœlos ſpiritus obtinuit.
Gallica plebs genitrix plebi dedit hunc Aquitanæ,
Et ſiluas veteres Burdegalæ coluit.
Qui tantùm terræ, genti quoque profuit illi,
Vt modo gens per eum terráque fructificet.
Oſſibus hic locus eſt diues decoratus opimis,
Proſit honor populis oſſibus exhibitus.

C

De eodem Abbate.

Alba columba Dei maculis rugiſque remotis,
Quem nocuit culpæ nulla nigredo ſuæ.
Miles vt emeritus ad Regis præmia raptus,
Spiritus Abbatis vendicat aſtra ſibi.
At qui de terra cinis eſt adiunctus eidem,
Hac requieſcit humo iure vocatus homo.
Hic natale ſolum, quod erat ſibi Francia dulcis,
Vltro deſeruit ponè ſequens Abraham.
Siluæ maioris probus hoſpes & incola primus,
Hos tenuit ſaltus excoluítque Deo.
Nomine Geraldus vir ſtrenuus alta ſitiuit,
Hîc pauſat corpus, ſpiritus alta tenet.

A

Philippvs I.

De eodem Abbate.

Prvdens vt ſerpens, ſimplex Geralde columba,
Angelicus ſpecie, gratus olor capite.
Vir leo zelando, ſupplex agnus patiendo,
Mitis, manſuetus, religione probus.
Hanc vbi diuino domuiſti vomere terram,
Ad te collectis Fratribus innumeris:
Tandem communis contactus imagine mortis,
Das animam cœlo, membra ſoli gremio.
Ora pro nobis Geralde Pater reuerende.
Non opus eſt pro te nos aliud petere.

Audeberto Cenomannenſi Archidiacono.

Censeo famoſis te vatibus æquiparandum,
Quamuis præniteas re, fama, vatibus ipſis,
Nec tu diſſideas à commoditate Maronis.
De Berengario Turonenſi pauca loquutus,
Es nobis viſus niſi fallor magnus Homerus.

B

Ad Comitis Stephani fratrem.

Lampadis os Philippe vale, puer indolis altæ,
Lux olim Cleri clara futurus aue.
Me tibi quem præfert gradus & prouectior ætas,
Ad te compellit ſcribere ſolus amor.
Scribo quod puero ſurgenti proſore poſſit,
Quódque dies noſtros quódque gradum deceat.
Tu quod cudit amor, quod amici more paciſcor,
Sic vt amicus habe, ſolus habendo lege.
In triuiis ſiquidem nolo mea dicta vagentur,
Nemo niſi infelix inuidiâ caruit.
Sicut nobilitat te linea ſanguinis alti,
Sic quoque te morum linea nobilitet.
Subditus eſto libens virgæ manibúſque magiſtri,
Dum vacat, aſſiduus diſce, reuolue libros.
Tempus erit ſubitò cùm te tua prouehet ætas,
Cùm te nobilitas auocet à ſtudiis.
Nam ſi neſcieris tunc reſpondere rogatus,
Si Præſul fias, mutus aſellus eris.

C

In condiſcipulos nimium ſæuire caueto,
Immò magis recolas te fore diſcipulum.
Quod tecum geſſit nec cuilibet improperabis,
Nec tibi quod ſoli dixit amicus homo.
Si ſis iratus, nulli tamen obice crimen,
Pacatus ſiquidem forſitan alter eris.
Nobilitas & lingua procax, moréſque proterui,
Nec ſibi concordant, nec benè conueniunt.
Nobilibus ſiquidem proauis Odonibvs ortus,
Ortus es Odones vt veteres renoues.
Qui ſic vixerunt, fuerint vt Iulius armis,
Auguſtus pace, diuitiis Salomon.
Addidit Octodorum ſibi ſcilicet vnus eorum,
Auguſtámque ſuis iuribus obtinuit.
Iſque Theobaldvm generauit pacis alumnum,
Quo Philippe venis Principe progenitus.
Ergo quem decorant antiquæ nobilitatis
Tot proauique Duces, & Comites ataui:

PHILIPPVS I.

Da condigna tuæ præſagia nobilitati, A
Moribus ipſe tuis præniteas atauis.
An ſim iocundo Philippe locutus amore,
In ſerie ſenſus ipſe notare pores.
Quòd ſi dicta ſonant incomptam ruſticitatem,
Crede mihi melius dicere non potui.
Eſt ignoranris vitium, non culpa volentis:
Si benè non dixi, dicere quod volui.
Denique quod ſentis, quod geſtit noſtra voluntas,
Ac ſi protulerint carmina noſtra puta.
Dicta meis votis induſtria veſtra coapter,
Dictáque vororum vis magis apprecięt,
Apprecier cartam, quòd cartam miſit amicus,
Dilige quod præfert nomen amicitiæ.
Iam memor eſto mei, memoris memorabor & ipſe,
Nec nos à nobis mors eriam dirimat.

Adelæ Comitiſſæ.

VADIS vt inſolitos videas mea Cartula faſtos,
Vt Regum thalamos & Comitum videas. B
Vadis vt egregiam mihi granfices Comitiſſam,
Si tamen ipſa prius gratificeris ei.
Gratificeris ei, dicens Comitiſſa valete,
Reginæ potius nomine digna vale.
Hæc eſt illius ſi neſcis filia Regis,
Anglos indomitos qui domuit gladio.
Qui ſibi Normannos inhibenres iura paterna
Perculit enſe fero, ſubpoſuítque iugo.
Iſte procelloſas pro littore duxit abyſſos,
Et quaſi conduxir littora littoribus.
Iſte licèt ſumptus ſuperauerit imperiales,
Tantæ plenus erat fertilitatis opum.
Vt vix theſauros aliquis perpenderit eius,
Largus militiæ, largus & Eccleſiæ.
Denique tantus erat, vt ſolus fecerit Orbem
Numen ad Imperij ſubtrepidare ſui.
In dubio tamen eſt quæ ſtirps vtriuſque parentis,
Cùm mage par fuerit clarior extiterit.
A patribus proauis pater editus, vt pote Conſul,
Extulerat proauos ex probitare ſua. C
Addiderátque ſuis nunc tantum rebus honoris,
Quantum res olim patribus addideranr.
Sed neque diſtabat à tanto coniuge coniunx,
Quam ſublimabat regia nobilitas.
Quæ deducta potens à nobilitate potenti,
Terræ Flandrenſis nobile germen erat.
Hóſque pares geminos ſibimet ſic fata dicarant,
Vt ſpeciale forent coniugij ſpecimen.
Regem Regina, Reginam Rex decorabat,
Et decus alter erat, & decor alterius.
Non virtute minor ſucceſſit filia patri,
Excepto quòd non militis arma gerit.
Arma tamen gereret niſi mos opus hoc inhiberet,
Nec fas eſt ferro membra tenella premi.
Vna ramen res eſt qua præſit filia patri,
Verſibus applaudit, ſcítque vacare libris.
Hæc etiam nouit ſua merces eſſe Poëtis,
A probitate ſua nemo redit vacuus.

A Rurſus ineſt illi dictandi copia torrens,
Et præferre ſapit carmina carminibus.
Ergo ne timeas, nimis eſt affabilis ipſa,
Ipſa dabit tempus, & dabit ipſa locum.
Vtque reor non te Comitiſſa remittet inanem
Sis licèt ipſa rudis, more ſuo faciet.
Nec tibi præſtabit tantillum quod meruiſti,
Præſtabit quod ſit laúſque decúſque ſuum.
Pene ſua eſt Orbi iam munificentia nota,
Extremos homines iam ſua dona vocant.
Ipſa mihi nota eſt, nec ego ſum cognitus illi,
Occubuit ſibi me ruſtica ſimplicitas.
Nec nunc auderem præmittere carmen ad illam,
Sed voluit mandans carmen habere meum.
Quidlibet audiuit nuper de carmine noſtro,
Innuit applaudens quatenus adiciam.
Adicio non quod par eſſe ſuæ probitati
Poſſit, ſed vigeat ex probitate ſua.
Materies grandis mea carmina nobilitauit,
Non mea nobilitant carmina materiam.
B Hanc morum probitas, hanc caſtum pectus honeſtat,
Hanc nobilis ſoboles ornat, amórque viri.
Sunt tamen & multi, quos commendare puellis
Et decus & probitas & ſua forma queat.
Hanc qui temptaſſent? ſed quid temptaſſe iuuaret?
Seruat pacta ſui non violanda thori.
Hanc decor inſolitus, & inæquiparanda venuſtas,
Commendátque ſimul gratia colloquij.
Sed quis tam duram ſilicem mollire valeret?
Inſpiciunt ſine re, ſed iuuat inſpicere.
Præmia magna putant dum ſpe paſcuntur inani,
Irritántque ſuos hanc inhiando oculos.
Nec mirum, quoniam ſpecies ſua tanta refulget,
Debeat vt cunctis præfore virginibus.
Hanc ego vidiſſem niſi ruſticus erubuiſſem,
Ipſam quippe loquens inſpicere erubui.
Tunc niſi palantes obliquarentur ocelli,
Mox exhauſiſſet omnia verba mihi.
Gorgone conſpecta quamplures deſtituuntur
Taliter à propriis protinus officiis.
C Et coram Circe ſic multi diriguête.
Non etenim poterant numina ferre Deæ.
Vix ideo vidi, vidiſſe tamen reminiſcor,
Vt reminiſcor ego ſomnia viſa mihi.
Sic me ſæpè nouam Lunam vidiſſe recordor,
Vel dum vix video méve videre puto.
Vix ipſam vidi, ſed ſicut & ipſe recordor,
Dianæ ſpecies anteferenda ſua eſt.

Ad eandem pro cappa quam ſibi promiſerat.

QVAM peto, quam petij, ſi reddas ADELA cappam,
Quæ deceat dantem, deceat ſimul accipientem:
Nulla mihi maior, melior mihi femina nulla,
Nam Regina mihi tu fies ex Comitiſſa.
Te quoque maiorem formabunt carmina noſtra,
Carmine tu noſtro latum ſpargêris in Orbem,
Vt te noſſe queat & Cyprus & vltima Tyle,
Æthiopes, Indi, Getulus, & inſula quæque.

PHILIPPVS I.

Grandia dico quidem, ſed grandia dicere noui, A
Ex quo materiam mihi ſumpſi de Comitiſſa.
Ipſa mihi carmen, calamum mihi ſuggeris ipſa,
Ipſa dabis flatus, os ipſa replebis hiulcum.
Emeritas ſoluis mercedes ipſa Poëtis,
Tu cogis Vates taciturnos eſſe loquaces.
Ergo tuum Vatem Comitiſſa reuiſe loquentem,
Et refer, ô Domina, ſcribenti præmia cappam,
Cappam quæ Frigium rutilans circumferat aurum,
Cappam quæ gemmis ambitum pectus honeſtet:
Vt te habeat pectus hæc dum ſuper induet artus.
Cappam quæ precium Comitiſſæ præferat inſtar,
Quam meritò valeam Comitiſſæ dicere cappam.
Sicut & excellis Reginas & Comitiſſas,
Sic Reginarum Comitiſſarúmque lacernas
Hoc excellat opus, quod te ſuper aſtra perhennet.
Magna peto, ſi non maiora rependere noſſes.
Ipſa puſillanimes faſtidis parua petentes.
Non nimis alta peto, non ad nimis alta relabor.
Quolibet ornatu debes ornare miniſtros, B
Et ditare ſimul theſauros Eccleſiarum.
Id petiiſſe meum eſt, id te præſtare tuum ſit.
Sic mihi reſponde iuri vt faueas vtriuſque,
Et caue ne deſit etiam ſua fimbria cappæ.

Ceciliæ Regis Anglorum filiæ.

REGIA virgo vale, vale inquam Regia virgo,
Virgo Romuleis tunc anteferenda puellis,
Virgo virginibus nunc anteferenda coæuis,
Quam pater auguſtus æquauit Regibus Anglis.
Quam ſpecies formæ cum virginitatis amore,
Et morum probitas ingenti laude venuſtat.
Quam ſatis exornat ſua ſollicitudo legendi,
Quam patre nobilior ſponſus ſibi gratificauit.
Ergo placere tuo virgo contende marito.
Nam neque nupſiſti quaſi cuilibet è grege ſponſo:
Sed magis egregio, cuius te forma perennet.
Quod tibi quæ multa eſt Librorum lingua loquetur,
Ecce tibi virgo, ſi quid tamen ipſe valebo,
Offero me pro poſſe meo, vel ſi placet vltra. C
Audiui quandam te detinuiſſe ſororem,
Cuius fama meas aliquando perculit aures.
Nomen it elapſum, vidiſſe tamen reminiſcor.
Baiocenſis erat, ſed tunc erat Andegauenſis,
Quam, tibi ſi placeat, noſtra de parte ſaluta,
Atque mihi nomen reſcribe tuúmque ſuúmque.

De Duce Rotgerio.

CVI probitas patris peperit bellando Ducatum,
Quem pax, quem probitas patri ſua multa coæquat,
Salue ROGERI, longum Dux inclyte ſalue,
Vt ſpeciale tibi ſalue fac Burguliani.
Attamen anticipant noſtros tua facta colonos.
Námque tuum nomen totum vulgatur in Orbem,
Vel quia militiæ ſtipendia fundis opima,
Vel quia tractas rem conſultus homo popularem,
Quæ ſtat firma tuis non concutienda diebus:
Sine quòd Eccleſias immenſo munere ditas,

A Siue quod inuitas hac tempeſtate Camœnas
Dapſilitate tuâ, ne poſſit Apollo tacere.

De Hoſtienſi Epiſcopo.

ODAS, ô vtinam cui mittuntur placituras!
ODONI magno dirigo paruus ego.
ODO Pontificum decus & ſpecialis honeſtas;
Conſilium Papæ, regula iuſtitiæ.
Eccleſiæ robur, non concutienda columna,
Mittit quod placeat Burgulianus aue.
Burgulianus aue magno dicit Patriarchæ,
Quod mihi notitiam Præſulis obtineat.
Odo, VVido mea mihi te celebrauit in aure,
Pluribus indiciis te mihi ſignificans.
Guido tuum nomen noſtrum deuexit in Orbem;
Vtque viri tanti præco vir ille mihi.
Te mihi procerum ſtaturâ ſignificauit,
Quæ non excedat effigiata modum.
Mores iocundos VVido tibi dixit ineſſe,
Et quod conueniat motibus alloquium.
B Vtque mihi dixit, ditat te litera diues,
Et vatum Muſas delicioſus amas.
Si cantare velis cantas modulamine dulci,
His supereſt vultus & facies hilaris.
Affatu ſuauis, communis & omnibus omnis,
Exhilaras mœſtos, & ſtolidos reprimis.
Os Oratorum modo viuis Tullius alter,
Callidus in verbis viuis Ariſtoteles.
Tempora quæ modo ſunt, quæ ſunt ſine remige nauis;
Rectorem ſtatui te voluere ſibi.
Qui te fecerunt Odo velut Hoſtia Romæ,
In modico Romæ te facient dominum.
Hîc iam cœperunt ordiri prouida fata:
Hic intelligimus, iámque fauemus eis.
ODONI factus hæres in Pontificatum,
Mox in Papatum ſubſtituendus eris.
Hoc locus, hoc nomen, hoc ſignat copia linguæ,
Hoc alti ſenſus præcinit integritas.
Innuit hoc habitus tunicatæ Religionis,
Vos ambos idem Cluniacus genuit.
C Ambos vos fouit, vos Hoſtia fulſulit ambos,
Alter Papa fuit, nec minus alter erit.
O ſi tunc merear florere ſuperſtite vita,
Vt tunc te toto pallidus ore canam:
Tunc Orpheus noſtram nequeat ſuperare Camœnam;
Si pleno flatu buccina noſtra ſonet.
Velis furtiuis vehitur modo noſtra carina,
Námque piratarum perſtrepit omne genus.
Inſontem lacerant me dentibus obloquiorum,
Méque teum mortis clamitat inuidia.
Obiciunt quòd ego tabulas poſt tempora tango,
Quòd non demiſſo vado ſupercilio.
Ipſe ſuſurro tamen, mecum quoque rumino pſalmos,
Atque obliquatis vultibus intueor.
Vt fur inuidiæ probitati eſt ſæua nouerca,
Quocirca tepeo ſæpiùs à ſtudio.
Quòd ſi me vellet defenſio veſtra tueri,
Vt mea duntaxat carmina diligeres:

PHILIPPVS I.

Repentes hederæ mox ſerpent vberiores, A
Si quando audaci fretus ero gladio.
Audaci ſi quando lyras moderamine tangam,
Si muſas pleno pectine diſcutiam.
Si quando impauidus vates audebo vocari,
Si calamos teneam non trepidante manu.
Si verbo noſtris ſigníſve quibuſlibet Odis
Illudas, Odo, fulmina non timeo.
Fulmina quæ timeat, quem maxima Roma tuetur,
Quid timeat tua quem proteget Odo manus?
Me ſub amore tuo digneris, maxime Paſtor,
Tutior vt Romam ſi ſit opus videam.
Tutior vt duce te Romana Palatia cernam,
Quem mea ruſticitas terreat abſque duce.
Iam nunc de veſtro tanquam ſecurus amore,
Vobis commendo quod penitus cupio.
Me præſumentem de te confundere noli,
Debita poſco quidem, da mihi, namque potes.
Si quotcumque modis aures obſtruxerit aſpis,
Vt nolis noſtras inſinuare preces. B
Si quæſita neges, poſsíſque negata referre,
Si tua claudantur corda meis precibus:
Vt dare tu nolis ſine damno quod dare poſſis,
Non es quem ſpero, quem tuus ipſe cano.
O quàm ſperabam viuis procul & procul alter,
Quod Deus auertat vt mihi tu facias.
Vnicus eſt ODO mihi filius, immo coabbas,
Pro quo deuotus aſto tuis pedibus.
Namque manum ſuper hunc nimis aggrauat ille Remenſis,
Iram qui Papæ funditus emeruit.
Impoſuit ſiquidem Regi diadema PHILIPPO.
Nunc & in hoc Papæ negligit imperium.
Propterea fundo mea viſcera funditus Odo,
Vt mihi perficias hanc tibi rem facilem.
Abbatis partem ſuſtentes ordine recto,
Vt reſtauretur filius ille meus.
Quod confirmauit in eo Romana poteſtas,
Inconuulſum ſit, permaneátque ratum.
Et potes & debes, niſi me contempſeris, Odo,
Abbatem ſancto reddere Remigio. C
Non ingratus ero, ſuperaddam gratificandus
Munera carminibus, carmina muneribus.
Ecce fatigatus nimium remeare nequiuit,
Sed ſi mandabis vt veniat veniet.
Iam ſecurus erit, redeat ſi ſcripſeris illi,
Nouerimus quoniam reſtituendus erit.
Si mandare velis quod penſes vtile nobis,
Guidonem noſtro noueris eſſe loco.
Guido mihi viuit, magnus, bonus, atque fidelis,
Magni momenti, nominis haud modici.
Hunc venerare modo quo nos veneramur eodem,
Namque bona morum ſimplicitate viget.
Odam dilatat occaſio multa precandi,
Sed modo fine breui ſis memor Odo mei.

Item

A

Item de eodem.

ODONEM ſaluere meum ſine fine præopto
'ODO mi ſalue, Papa futurus aue.
Quod te dico meum, præſumptio dicere cogit,
Tantum tantillus Pontificem Monachus.
Quem nunquam vidi, quem ſolis auribus hauſi,
Dicere præ nimio cogor amore meum.
Viſceribus totum te noſtris inſinuaui,
Te ſiquidem noui carmina diligere.
Et laudas Vates, & præmia Vatibus offers,
Iocundus, prudens, felle columba carens.
Compatiens miſeris, peregrinis auxiliator,
Morum præ cunctis aſperitate cares.
Maximus Orator, Vatum ſpecialis amator,
Inuitas noſtros ad ſtudium calamos.
Talem te cupio, mihi te deſidero talem,
Qualis es, & qualem te volo promereor.
Quæſo mihi debe quod debet amicus amico,
B Quos indiſcuſſus conſolidauit amor.
Inter quos vmquam non eſt alterna voluntas,
Qui ſapiunt viuunt & moriuntur idem.
Ecce tibi talem, me ſi dignare, paciſcor,
O vtinam votis faueris ODO meis!
Si mihi te dederis, ſi te dignabere noſtrum,
Inter Cantores Orpheus alter ero.
Iam quoque de veſtro nimium confiſus amore,
Audeo pro caris inſinuare meis.
BVRCHARDVM commendo meum, quem diligo multum,
Tutelæque tuæ, conſilióque tuo.
Vrit Guidonis penuria multa penates,
ODO roriferas cui pluc diuitias.

Dominæ Emmæ.

COENOBITARVM decus & decor Emma ſororum,
Suſcipe quod mandat Burgulianus aue.
Burgulianus aue tibi mandat, & immolat illud,
Quod te contiguet perpetuétque mihi.
Vt pote quam proprio ſic fouit melle ſophia,
C Vt nunc emanent vbera lacte tua.
Quod nuper patuit mihi carmina veſtra legenti,
Quæ tu gratuito nectare condieras.
Ad te concurrunt examina diſcipularum,
Vt recreentur apes melle parentis apis.
Quod ſi diſcipulos veſter concederet ordo,
Vellem diſcipulus ipſemet eſſe tuus.

Amato Archiepiſcopo.

PONTIFICVM lex eſt veniam præſtare roganti,
Diſſoluit legem qui prohibet veniam.
Optime Pontificum, mihi ſic applaude roganti,
Vt mihi Pontificem te tua facta probent.
Aures ergo diu pulſatas pande benignus,
Quámque rogo ſupplex inueniam veniam.
Nubibus ablatis me reſpice fronte ſerena,
Quidlibet emendo ſi veniam mereor.
Sin autem, certè querimonia noſtra coæquos
Tanget vt emendent talia Pontifices.

PHILIPPVS I.

A

Verſus Odonis ad Abbatem.

HANC Baldrice tibi mittit tuus Odo ſalutem,
  A te reſcribi quam cupit ipſe ſibi.
Nuper amice tuum tenui legíque Libellum,
  Credere vix potui temporis huius Opus.
Tantum pondus erat verbis, facundia tanta,
  Poſſet vt hæc credi compoſuiſſe Maro.
Inter amicorum ſcribi mea nomina ſperans,
  Deuolui Librum térque quatérque tuum.
Vel leuis vlla mei non eſt ibi mentio facta,
  Commouit mentem res nimis iſta meam.
Scilicet indignum me vir facunde putaſti,
  Carmine quem velles perpetuare tuo.
Attamen vrna, lepus, coruus quoque, cancer, aſelli,
  In cœlo ſtellæ te quoque teſte nitent.
Et poſt tantorum tot nomina clara virorum,
  Viles beſtiolæ cœlica regna tenent.
Me quoque multorum poſt nomina clara virorum,
  Fac tua cœleſtis pagina ſuſcipiat. B
Hæreat in Libri rogo margine diſtichon vnum,
  Inſcriptus valeat quo tuus Odo legi.
Si meritis precibúſque meis quæſita negabis,
  Extorquebo tamen improbitate mea.
Hæc mea ſæpè tibi triuialia carmina mittam,
  Sic indignanti quod precor excutiam.

FINIS.

LVDOVICVS VI.
COGNOMENTO
GROSSVS
ET
LVDOVICVS VII.
DICTVS
IVNIOR.

A

Ex veteri Codice MS. Eccleſiæ S. Dionyſij in Francia.

Anno Domini MCXXIII. Svgerivs Sancti Dionyſij Monachus, Scripturarum ſcientiâ clarus, in Diaconatus Ordine conſtitutus, in Abbatem Monaſterij eſt electus. Qui temporibus illis Historiæ Francorvm Scriptor erat.

Ex alio Codice MS. eiuſdem Eccleſiæ, ad annum MCLII.

Hic eſt annus vltimus vitæ felicis recordationis Svgerii Abbatis Monaſterij Regalis S. Dionyſij in Francia, viri magnæ prudentiæ & eloquentiæ, ac inter præclaros Eccleſiæ Gallicanæ viros eruditiſſimi & facundiſſimi. Cui tempore Prælationis quantum fuit ſtudium, vt Eccleſiam ſuam omni gloria & honore attolleret, religiosè ordinaret, & eam redditibus opulentam, ædificiis ampliorem, ornamentis decoratam redderet, omnibus patet. Cooperante etiam ſuperna illius clementiâ, qui ponit humiles in ſublime, & ipſum de plebe humili ſic erexit, vt non ſolùm in Parlamento Regali ſolium ac tribunal iudicij, ſapientiâ, qua præditus erat, laudabiliter peroraret: verumetiam tanquam vir magni conſilij & induſtriæ, ac in omni Domo Regia ſpectabilis & probatæ fidei, cum excelſis Principibus conſederet, ac Regni ipſius gubernacula præcipuè moderaretur: acumen ingenij, linguæ nitor, litterarum ſcientia, dictandi ſcribendique peritia, ſemper in eo ſplenduerunt, tantæque opinionis apud Papam Evgenivm extitit, vt quotiens aliqua in Regno grauiora emergebant, & vſque ad eius audientiam perlata, iſtius probatæ diſcretioni terminanda committebat. Glorioſus etiam Rex Franciæ Lvdovicvs Hieroſolymam proficiſcens, Pontificum & Procerum conſilio ex parte illius fidei & ſolertiæ Regnum ſuum ſpecialiter commiſit regendum. Quod ille, Deo iuuante, ita adminiſtrauit & rexit, vt Principi redeunti commiſſa ſibi cum pace & integritate reſtitueret. Verùm quia à conditione moriendi nemo excipitur, cùm valitudine, qua mortuus eſt, vexari cœpiſſet, Fratrum manibus ſuſtentatus in Capitulum ſe deduci popoſcit. Vbi poſt verba ædificationis, cum lacrimis & gemitu omnium pedibus pronolutus, eorum ſe iudicio humiliter expoſuit: lacrimabiliter poſtulans, vt quod in eos deliquerat, vel negligentiùs egerat, reſpectu pietatis ei relaxarent. Quod Fratres omnes maxima cum deuotione, & copioſa lacrimarum effuſione gratantiſſimè fecerunt. Tranſiit autem idem venerabilis Pater inter verba Orationis & Symboli, die Idus menſis Ianuarij, anno verò Domini MCLII. LXX. ætatis ſuæ anno: à ſuſceptione autem Monaſtici habitus ferè LX. Prælationis verò ſuæ XXIX. Cuius ſepulturæ & exequiis interfuerunt ſex Epiſcopi, cum multis Abbatibus, Chriſtianiſſimóque Rege Franciæ Lvdovico: vbi & pietatis memor, & immemor Regiæ Celſitudinis, dum ſepeliretur amariſſimè fleuit: fleuitque omnis Regia Domus, ſed & populus, qui eum tanquam prudentiſſimum Conſiliarium, totiúſque Regni gubernatorem & adminiſtratorem planxerunt ſapientiſſimum. B

Scripsit verò Svgerivs *non tantùm Vitam ſequentem* Lvdovici VI. *Regis cognomento* Grossi, *cuius præcipuus fuit Conſiliarius: ſed prætereà Librum Epiſtolarum de grauioribus Regni negotiis, quibus,* Lvdovico VII. *dicto* Ivniore *in Terram ſanctam profecto, digniſſimè præfuit: Librum alium de rebus in adminiſtratione Monaſterij S. Dionyſii à ſe geſtis: necnon & alium de conſecratione Eccleſiæ à ſe ædificatæ, & tranſlatione corporum S. Dionyſii ac ſociorum eius. Quæ omnia velut ad Hiſtoriæ Regum horum cognitionem perneceſſaria in hoc Tomo coniunctim edi curauimus.*

VITA LVDOVICI VI. REGIS PHILIPPI FILII, QVI GROSSVS DICTVS.

AVCTORE SVGERIO ABBATE
beati Areopagitæ Dionyſij.

B *Ab infinitis mendis, quibus in editione Germanica ſcatebat, repurgata, collatione duorum Codd. MSS. quorum vnus fuit Ant. Loiſelij celebris in Curia Aduocati, alter ipſius S. Dionyſij Monaſterij.*

INCIPIT PROLOGVS IN GESTIS LVDOVICI REGIS COGNOMENTO GROSSI.

DOMINO ET DIGNE REVERENDO SVESSIONENSI EPISCOPO GOSLENO, Sugerius Dei patientiâ beati Areopagitæ Dionyſij Abbas vocatus, Ieſu Chriſti qualiſcumque ſeruus, Epiſcopo Epiſcoporum epiſcopaliter vniri.

CONFERT eorum deliberationi & iudicio & nos & no-
ſtra ſubici, quorum vniuerſali iudicio odibilis & amabi-
lis diuerſa diuerſis promulgabitur cenſura, cùm nobilis
vir ſedebit in portis cum Senatoribus terræ. Eapropter,
C virorum optime, etiam ſi cathedra non contuliſſet, cuius
totus ſum in eo, cuius totus es tu, nec ſi plus quæris, plus
habeo, ſereniſſimi Regis Francorum LVDOVICI geſta approbatæ ſcien-
tiæ veſtræ arbitrio delegamus: vt quia nobis communiter promouendis
& promotis benigniſſimus extitit Dominus, ego ſcribendo, vos corri-
gendo, quem pariter amabamus, pariter & decantemus & deploremus.
Neque enim charitati repugnat etiam beneficiis comparata amicitia, cùm
qui inimicos diligere præcipit, amicos non prohibeat. Duplici ergo, &
licèt diſpari, non tamen oppoſito beneficij & charitatis debito, excida-
mus ei monumentum ære perennius, cùm & eius circa cultum Eccleſia-
rum Dei deuotionem, & circa Regni ſtatum mirabilem ſtylo tradideri-
mus ſtrenuitatem. cuius nec aliqua temporum immutatione deleri valeat
memoria: nec à generatione in generationem ſuffragantis Eccleſiæ pro
impenſis beneficiis orationum deſiſtat inſtantia. Valeat celſitudo veſtra
inter cœli ſenatores feliciter epiſcopari.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

A

CAPITVLA.

I. *Quàm ſtrenuus in adoleſcentia fuerit, & quanta ſtrenuitate fortiſſimum Regem Anglorum VVillelmum Rufum paternum Regnum turbantem repulerit.*
II. *Quòd Burcardum Mommorenciacenſem virum nobilem ab infeſtatione beati Dionyſij cum omnibus complicibus ſuis compeſcuit.*
III. *Quòd Comitem Bellimontenſem Matheum reſtituere caſtrum Luſarchias Claromontenſi Hugoni coëgit, cùm ipſe dominus Ludouicus idem caſtrum manu forti oppugnaſſet.*
IV. *Quòd cùm aliud caſtrum eiuſdem Mathei Canliacum obſediſſet, ſubita aëris intemperies exercitum in fugam coëgit: & niſi ipſe Ludouicus fortiter reſtitiſſet, penè exercitus deperiſſet, & quod ipſe Matheus humiliter ei ſatisfecit.*
V. *De Ebalo Comite Ruciacenſi.*
VI. *De caſtro Maudunenſi *.*
* Madunenſi
VII. *De caſtro, qui dicitur Mons-acutus.*
VIII. *De Milone, quomodo intrauit caſtrum Montis-Leberÿ.*
IX. *De Buamundo Principe Antiocheno.*
X. *De captione caſtri Gornaci.*
XI. *De captione caſtri ſanctæ Seueræ.*
XII. *De morte Regis Philippi.*
XIII. *De ſublimatione eius in Regem.*
XIV. *De captione Firmitatis Balduini, & liberatione Comitis Curbeilenſis, & Anſelmi Garlandenſis.*
XV. *De colloquio inter Regem Ludouicum & Regem Anglorum Henricum habito apud Plancas Nimpheoli.*
XVI. *De proditione facta in Rupe Guidonis à Guillelmo ſororio eius, & de morte Guidonis, & cita vltione in eundem Guillelmum.*
XVII. *De eo quod fratri Philippo repugnanti caſtrum Meduntenſe & Montem-Leberÿ abſtulit.*
XVIII. *Quomodo caſtrum Puteolenſe capto Hugone ſubuertit.*
XIX. *De liberatione eiuſdem.*
XX. *De impugnatione Tauriaci, & reſtitutione Puteoli.*
XXI. *De reciproca eius proditione.*

B

Reliqua Capitula deſunt.

C

VITA GLORIOSISSIMI LVDOVICI FRANCORVM REGIS illuſtriſſimi incipit feliciter.

I. GLORIOSVS igitur & famoſus Rex Francorum LVDOVICVS Regis magnifici PHILIPPI filius, primæuæ flore ætatis fere adhuc duodennis, ſeu tredennis, elegans & formoſus, tanta morum probabilium venerabili induſtria, tanta amœniſſimi corporis procetitate proficiebat, vt & ſceptris futuris te ipſa amplificationem honorificam incunctanter promitteret, & Eccleſiarum & pauperum tuitioni ſpem votiuam generaret. Altus puerulus, antiqua Regum Caroli Magni & aliorum excellentiorum hoc ipſum teſtamentis Imperialibus teſtificantium conſuetudine, apud Sanctum Dionyſium tanta & quaſi natiua dulcedine ipſis ſanctis Martyribus ſuiſque adhæſit, vſque adeo vt innatam à puero eorum Eccleſiæ amicitiam toto tempore vitæ ſuæ multa liberalitate & honorificentia continuaret, & in fine ſummè poſt Deum ſperans ab eis ſe ipſum & corpore & anima, vt ſi fieri poſſet, ibidem Monachus efficeretur, deuotiſſimè deliberando contradetet. Sanè præfata ætate, animo iuuenili vigere maturabat virtus augtiua* impatiens venationum, & ludicrorum puerilium, quibus ætas huiuſmodi laſciuire & arma dediſcere conſueſcit.

* al. actiua

A Dumque multorum Regni Optimatum, & egregiè magnanimi Regis Anglorum Lvdovicvs
Guillelmi magnanimioris Guillelmi Regis filij Anglorum domitoris infeſtatione VI. Gros-
agitatur, robur probitatis vaporat, exercitio virtutis atrider, inertiam remouet, ſvs.
prudentiæ oculum apetit, otium diſſoluit, ſollicitudinem acceletat. Guillelmus
ſiquidem Rex Anglorum vſui militiæ aptus, laudis auarus, famæque petitor, cùm
exheredato maiore natu Roberto fratre ſuo, parti Guillelmo feliciter ſucceſſiſſet,
& poſt eiuſdem fratris ſui Hietoſolymam profectionem Ducatum Normanniæ ob-
tinuiſſet: ſicut eiuſdem Normanniæ Ducatus ſe porrigit marchiis Regni collimi-
tans, quibuſcunque poterat modis famóſum iuuenem nitebatur impugnare. Simi-
liter & diſſimiliter inter eos certabatur, ſimiliter cùm neuter cederet, diſſimiliter
cùm ille maturus, iſte iuuenculus: ille opulentus & Anglorum theſaurotum pro-
fuſor, mirabiliſque militum mercator & ſolidator; iſte peculij expers patri, qui be-
neficiis Regni vtebatur, parcendo, ſola bonæ indolis induſtria militiam cogebat;
audacter reſiſtebat. Videres iuuenem celerrimum modò Bituricenſium, modo Ar-
uernorum, modò Burgundionum militari manu tranſuolare fines: nec icirco tar-
diùs, ſi ei ignoteſcat Vilcaſſinum regredi, & cum trecentis aut quingentis militi-
bus præfato Regi Guillelmo cum x. millibus fortiſſimè refragari: & vt dubius ſe
habet belli euentus, modò cedere, fugare modò. Talibus vtrobique multi inter-
cipiebantur congreſſionibus, quorum famoſus iuuenis, & ſui, cùm plures alios,
tùm Comitem Simonem nobilem virum, Giſlebertum de Aquila nobilem, & An-
B gliæ & Normanniæ æquè illuſtrem Baronem, Paganum de Giſortio, qui caſtrum
idem primò muniuit: Rex è contrario Angliæ ſtrenuum & nobilem Comitem
Matheum Bellimontenſem, illuſtrem & magni nominis Baronem Simonem de
Monte-forti, dominum Montis-Gaj Paganum, captos tenuetunt. Verùm Angliæ
captos ad redemptionem celerem militatis ſtipendij accelerauit anxietas, Franco-
rum verò longa diuturni carceris macerauit prolixitas: nec vllo modo euinculari
potuerunt, donec ſuſcepta eiuſdem Regis Angliæ militia, hominio obligati Re-
gnum & Regem impugnare & turbare iureiurando firmauerunt. Dicebatur equi-
dem vulgò, Regem illum ſuperbum & impetuoſum aſpirare ad Regnum Fran-
corum, quia famoſus iuuenis vnicus patri erat de nobiliſſima coniuge Roberti
Flandrenſis Comitis ſorore. Qui enim duo ſupererant; Philippvs & Flo-
rvs, de ſuper ducta Andegauenſi Comitiſſa Bertrada geniti erant, nec illorum
apreciabatur ſucceſſionem, ſi vnicum primum decedere quocunque infortunio
contingeret. Verùm, quia nec fas nec naturale eſt, Ftaneos Anglis, imò Anglos
Francis ſubici, ſpem repulſiuam rei deluſit euentus. Nam cùm per triennium aut
eò amplius hæc inſania ſe & ſuos exagitaſſet, nec pet Anglos, nec per Francos ho-
minio obligatus proficiendo voluntati ſuæ ſatisfacere valeret, ſubſedit. Cúmque
in Angliam transfretaſſet, laſciuiæ & animi deſideriis deditus; cùm quadam die in
Noua ſilua venationibus inſiſteret, ſubitò inopinata ſagitta percuſſus interiit. Diui-
natum eſt virum dittina vltione percuſſum, aſſumpto veritaris argumento, eo quòd
C pauperum extiterat intolerabilis oppreſſor, Eccleſiarum crudelis exactor, & ſi
quando Epiſcopi vel Prælati decederent, irreuerentiſſimus retentor & diſſipator.
Imponebatur à quibuſdam cuidam nobiliſſimo viro Galterio Tirello, quòd eum
ſagitta perfoderat. Quem cùm nec timeret, nec ſperaret, iureiùrando ſæpiùs au-
diuimus, & quaſi ſacroſanctum aſſerere, quòd ea die nec in eam partem ſiluæ, in
qua Rex venabatur, venerit, nec eum in ſilua omninò viderit. Vnde conſtat tan-
tam tam ſubitò tanti diuina potentiâ in fauillam euanuiſſe inſaniam, vt qui alios ſu-
pertiacaneè inquietabat, grauiùs infinitè inquietetur, & qui omnia appetebat, in-
glorius omnibus exuatur. Deo enim, qui baltheum Regum diſcingit, Regna &
Regnorum iura ſubiciuntur. Succeſſit eidem Guilſelmo quàm celeriter in Regno
frater minor natu (quoniam Robertus maior in illa magna expeditione ſancti Se-
pulchri agebat) vir prudentiſſimus Henricus. cuius tam admiranda quàm prædi-
canda animi & corporis ſtrenuitas & ſcientia gratam offerrent materiam. Sed nil
noſtra referr, niſi ſi aliquid incideret noſtris conuertibile, aliquando nos opor-
teat, ſicut & de Regno Lotharingorum, ſummatim prælibare. Francorum enim,
non Anglorum geſta quodam ſcripto memoriæ mandare propoſuimus.

Lvdovicvs itaque famoſus iuuenis, iocundus, gratus, & beniuolus, quo
etiam à quibuſdam ſimplex reputabatur, iam adultus, illuſter & animoſus Regni

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

paterni defenſor, Eccleſiarum vtilitatibus prouidebat, oratorum, laboratorum, & A
pauperum, quod diu inſolitum fuerat, quieti ſtudebat.

II. Qvo ſiquidem tempore inter venerabilem beati Dionyſij Adam Abbatem &
Burchardum nobilem virum dominum Mommorenciacenſem accidit quaſdam
contentiones pro quibuſdam cõſuetudinibus emerſiſſe, quæ in tantam ebullierunt
irritationis moleſtiam, vt rupto hominio inter defœderatos, armis, bello, incen-
diis concertaretur. Quod cùm auribus domini Ludouici inſonuiſſet, indignatus
ægrè tulit. Nec mora, quin præfatum Burchardum ante patrem caſtro Pinciaco
ad cauſas ſubmonitum coëgerit. Qui cùm cadens à cauſa iuſtitiam iudicio exequi
noluerit, non tentus (neque enim Francorum mos eſt) ſed recedens, quid incom-
modi, quid calamitatis à Regia Maieſtate ſubditorum mereatur contumacia, fe-
ſtinanter animaduertit. Mouit namque formoſus iuuenis illico arma in eum, &
in complices eius confœderatos; (quippe Matheum Bellimontenſem Comitem,
& Drogonem Monciacenſem, viros ſtrenuos & bellicoſos aſciuerat) terram eiuſ-
dem Burchardi depopulans, municipia & incurtes præter caſtrum ſubuertens, peſ-
ſum dedit; incendio, fame, gladio contriuit. Cúmque de caſtro reſiſtere pariter
inniterentur, obſidione Francorum & Flandrenſium Roberti auunculi & ſuorum
caſtrum cinxit. His & aliis contritionum verberibus humiliatum voluntari &
beneplacito ſuo curuauit, & querelam commotionis cauſam cum ſatisfactione
pacauit. B

Drogonem verò Montiacenſem, pro his & aliis, & maximè Eccleſiæ Bel-
uacenſi irrogatis iniuriis aggreſſus, cùm ei extra caſtrum haud procul, vt breuiori,
ſi confert, regrederetur fuga, cùm magna militari ſagittaria manu, & baliſtaria
obuiaſſet, irruens in eum, retrocedere, caſtrúmque ingredi armorum oppreſſione,
abſque ſe non permiſit: ſed irruens inter eos, & cum eis per portam, vt erat fortiſ-
ſimus palæſtrita, & ſpectabilis gladiator, in medio caſtri & crebro percuſſus, & cre-
brò percutiens, nullam pati dignatus eſt repulſam, nec recedere, donec cum ſu-
pellectile totum caſtrum vſque ad turris procinctum in medio concremauit. Tan-
ta viri erát animoſitas, vt nec incendium declinare curaret: cùm & ei & exercitui
periculoſum eſſet, & multo tempore maximam ei raucitatem generaret. Sic hu-
miliatum in brachio virtutis Dei, qui in cauſa erat, ſubiectum tanquam clinicum
voluntatis ſuæ ditioni ſubiugauit.

III. Interea Bellimontis Comes Matheus contra Hugonem Claromontenſem
virum nobilem, ſed mobilem & ſimplicem, cuius filiam duxerat ſponſam, longo
animi rancore contendens, caſtrum nomine Luſarchium, cuius medietatem cauſa
coniugij ſuſceperat, totum occupare, turrim ſibi armis & armatis ſatagit munire.
Quid faceret Hugo, quàm quòd ad Regni defenſorem feſtinans, pedibus eius pro-
ſtratús, obortis lachrymis ſupplicat vt ſeni condeſcendat, grauiſſimè grauato opem
» ferat? Malo, inquit, chariſſime Domine, te terram totam meam habere, quia à te
» eam habeo, quàm gener meus degener hanc habeat. Emori cupio, ſi eam aufe- G
rat. Cuius lachrymabili calamitate animo compunctus, amicabiliter manum por-
rigit, ſuffragari promittit, ſpe excitatum * remittit. ſpes autem non confundit.
Velociter ſiquidem de Curia exeunt, qui Comitem conueniant, extraordinariè
expoliatum ordinariè veſtiri ore defenſoris præcipiant, de iure in Curia eius ratio-
cinando certa die decertent. Quod cùm refutaſſet vlciſci, feſtinans defenſor col-
lecto exercitu multo in eum exiliit: præfatúmque caſtrum aggrediens modò armis,
modò igne impugnans, multo congreſſu expugnauit, turrimque ipſam militari cu-
ſtodia muniuit, & munitam Hugoni, ſicut ſpoponderat, reſtituit.

* al. exhilaratum

IV. Movet itidem exercitum ad aliud eiuſdem Comitis caſtrum nomine Canlia-
cum, tentoria figit, machinas impugnatorias inſtrui præcepit. Verùm multò aliter
quàm ſperabat euenire contigit. Mutata quippe grata aëris temperie, ingrata &
turbulenta intemperies emerſit, tantóque & tam horribili impluuio tonitruorum
coruſcatione totam terram in nocte turbauit, exercitum affecit, equos cæcidit, vt
vix viuere quidam eorum ſperarent. Quo intolerabili horrore cùm quidam de
exercitu in aurora fugam matutinam pararent, dormitante adhuc defenſore in pa-
pilione, doloſè tentoriis ignis eſt applicitus: ex quo quia ſignum eſt recedendi, ſu-
bitò exercitus tam incautè quàm confuſè exire feſtinant, inopinatam receſſionem
ſperantes *, nec quid alij aliis conferant attendentes. Quorum incurſu præcipiti,

* al. formidantes

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

A multóque clamore Dominus ſtupefactus, quærens quid eſſet, equo inſiliit poſt
exercitum feſtinans: quia iam circumquaque diſperſi erant, reducere nullo modo
valuit. Quid aliud faceret famoſus iuuenis, quàm ad arma currere, quàm cum pau-
cis quos potuit retrocedere, murum ſe pro præcedentibus opponere, ſæpe percuti,
& ſæpe percutere? Verùm etſi illi, quibus pereuntibus ipſe murus erat, quietè &
ſecurè potuerunt fugere, tamen quia multi gregatim & diſpersè procul ab eo fu-
giebant, multi ab hoſtibus capti ſunt. Inter quos excellentior captus fuit ipſe Hu-
go Claromontenſis, & Guido Siluanectenſis, Herluinus Pariſienſis, & obſcuri
nominis quamplures gregarij, & pedeſtris exercitus multi. Hac igitur laceſſitus
iniuria, quanto rudis & ignarus infortunij huiuſmodi hactenus fuerat, tanto cùm
Pariſius rediſſet moti animi inſolentia intumeſcebat. & vt eius ætatis mos eſt, ſi ta-
men ſit mutatiua * probitatis, mouet & mouetur. Et vt citò iniuriam vlciſcatur, *al. imitatiua.
exæſtuans, vndecumque triplicato exercitu ſagaciter æquè vt prudenter, crebro
ingeminat ſuſpirio, decentiùs mortem quàm verecundiam ſuſtinere. Quod cùm
amicorum relatione comperiſſet Comes Matheus, vt erat elegans vir & facetus,
impatiens verecundiæ accidentalis Domini ſui, multiplicato interceſſore, viam pa-
cis affectare ſummoperè inueſtigat. Multa dulcedine, multis blandimentis ani-
mum iuuenilem demulcêre elaborat, ſatis conuenienter nulla hoc factum delibe-
ratione, ſed ex contingenti accidiſſe, iniuriam excuſat, ſéque pronum ad eius nu-
tum ſatisfactioni præſentat. In quo quidem prece multorum, conſilio familiarium,
B multo etiam patris rogatu, licèt ſerò, viri animus moleſcit, reſipiſcenti parcit, in-
iuriam condonat, recuperabilia perdita Comite reddente reſtaurat, captos libe-
rat, Hugoni Claromontenſi pacem, & quod caſtri præoccupati ſuum erat firma
pace reformat.

INFESTABATVR nobilis Eccleſia Remenſis ſuorum & Eccleſiarum ad ſe per- V.
tinentium dilapidatione bonorum tyrannide fortiſſimi & tumultuoſi Baronis Eba-
li Ruciacenſis, & filij eius Guiſchardi. Qui quanto militiæ agebatur exercitio (erat
enim tantæ magnanimitatis, vt aliquando cum exercitu magno, quod ſolos Reges
deceret, in Hiſpaniam proficiſceretur) tanto inſanior & rapacior his explendis de-
prædationibus, rapinis, & omni malitiæ inſiſtebat. Tanti ergo & tam facinoroſi
viri apud dominum Regem Philippum centies, & modo apud filium bis aut ter lu-
gubri querela depoſita, filius inuectiuè exercitum mediocrem ferè ſeptingento-
rum militum de nobilioribus Franciæ Optimatibus delectum cogit, Remis feſti-
nat, penè per duos menſes multo conflictu præteritas punit Eccleſiarum moleſtias:
eiuſdem præfati tyranni & fautorum eius depopulatur terras, incendio ſoluit, ra-
pinis exponit. Egregiè factum, vt qui rapiebant rapiantur, & qui torquebant æquè
aut duriùs torqueantur. Tanta ſiquidem erat Domini & exercitus animoſitas, vt
quandiu ibi fuerit, aut vix aut nunquam præter feria ſexta, & die Dominica, quie-
uerint; quin aut cùm manuali congreſſione lancearum ac gladiorum committe-
rent, aut terrarum deſtructione illatas iniurias vindicarent. Certabatur ibi non
C contra Ebalum tantùm, ſed contra omnes illarum partium Barones, quibus etiam
maximorum Lotharingorum affinitas multo agmine celebrem affectabat exerci-
tum. Agitur interea multis quæſtionibus de pace, & quoniam diuerſæ curæ peri-
culoſáque negotia ad alias partes noui Domini præſentiam votiuè deuocabant;
habito cùm ſuis conſilio pacem à præfato tyranno Eccleſiis & impetrauit, & acce-
ptis obſidibus eam iureiurando firmari fecit. Taliter ſalutatum & flagellatum di-
miſit. Hoc etiam quod de Caſtro-nouo reperebat, in diem diſtulit.

ET nec minùs celebrem Aurelianenſi Eccleſiæ ſuffragando tulit opem milita- VI.
rem, cùm & Leonium virum nobilem, Mauduni caſtri Epiſcopi Aurelianenſis ho-
minem, maiorem eiuſdem caſtri partem, & alterius dominium præfatæ Eccleſiæ
auferentem, manu forti compeſcuit. In eodem caſtro cum eum cum multis incluſit, ca-
ſtroque recepto cùm in proxima domui ſuæ Eccleſia erectis propugnaculis defen-
ſioni inniteretur, vt fortis fortiori ſubicitur: armorum & flammarum ingeſtione in-
tolerabiliter opprimitur. Nec ſolus diuturni anathematis mulctam ſoluit, cùm & ip-
ſe & multi alij fermè ſexaginta flamma præualente de turre corruentes, lancearum
erectarum & occurrentium ſagittarum cuſpide perfoſſi, extremum ſpiritum exha-
lantes, miſeras animas cum dolore ad inferos tranſtulerunt.

CASTRVM, quod dicitur Mons-acutus, validiſſimum in pago Laudunenſi, VII.

Ingelvyrus I. Gros-sus. occaſione cuiuſdam matrimonij contigit Thomam de Marna obtinuiſſe, hominem perditiſſimum, Deo & hominibus infeſtum, cuius intolerabilem velut immaniſſimi lupi rabiem inexpugnabilis caſtri audacia concreſcentem, cùm omnes circumquaque compatriotæ & formidarent & obhorrerent, ipſe qui dicebatur pater eius Engeirrannus de Boua, vir venerabilis & honorificus egregiè, & præter alios, illum de caſtro eicere ob eius fauriosam tyrannidem moliebatur. Communicatum eſt inter eos, ipſum videlicet Engeirrãnum & Ebalum Ruciacenſem, cum omnibus quos allicere ſibi potuerunt, caſtrum & in caſtro eum obſidere, circumquaque eum & palo & vimine circumcingere, eúmque multa mora fame periclitantem ad deditionem cogere, caſtrúmque ſi poſſet fieri ſubuertere, eúmque perenni carcere condemnare. Quod videns vir nequam, iam firmatis caſtellis, eùm nec dum vallo ab alio ad aliud clauſum eſſet, nocte furtim exilit, & feſtinans ad famoſum iuuenem collaterales eius muneribus & promiſſis corrupit. & vt ei militari ſuffragaretur ſubſidio, citiſſimè obtinuit. Flexilis quippe & ætate & moribus, collecto ſeptingentorum militum exercitu, ad partes illas feſtinat accedere. Qui cùm caſtello Acuti-montis appropinquaret, viri qui caſtrum circumcluſerant, nuntios ad eum delegant tanquam deſignato Domino, ne remouendo eos ab obſidione vituperium inferat, ſupplicant: opponentes, ne pro perditiſſimo homine ſeruitium tantorum amittat, infauſtum perniciosiùs ſibi quàm eis, ſi nequam turo remanear, veraciter profitentes. At verò cùm nec blanditiis, nec minis à propoſito eum deuocare valerent, veriti ſunt in deſignarum Dominum committere, & proponentes eùm ipſe rediret ab obſidione * recidiuo bello tedire, ceſſerunt, & quicquid facere vellet inuiti ſuſtinuerunt. Ipſe verò in manu potenti diſruptis & defoſſis circumquaque omnibus municipiis, Acutum-montem emancipauit, & tam armis quàm victualibus eorum ſophiſmata denodans copioſum reddidit. Eapropter Optimates, qui amore & timore eius ceſſerant, quia in nullo pepercerat, ſuccenſentes dolent, nec vlteriùs ſe ei deferre iureiurando minantur. Cúmque eum egredi conſpiciunt, caſtra mouent, acies bellatorum componunt, ipſúmque tanquam inituti cum eo proſequuntur. Hoc vnum mutuæ congreſſioni oberat, quòd inter acies vtriuſque partis torrens tarde tranſitum porrigens conuenire prohibeat. Sic vtraque claſſica, & pila minantia pilis, prima & altera die ſe conſpicantur, cùm ſubitò venit ad Francos quidam ioculator probus miles ab oppoſita parte, nuntians irrefragabiliter primo quo inueniretur acceſſu eos committere, & illatam pro libertate iniuriam haſtis & gladiis vindicare, ſeque ad naturalem Dominum, vt pro eo & cum eo dimicet, eos dimiſiſſe. Inſonuit rumor per tentoria caſtrorum, & militum audacia tripudiat. Loricarum & galearum ſplendida pulchritudine ſe exornant, animoſitatem exagitant, & ſi fortè tranſitus eis occurrat, torrentem tranſilire accelerant: dignum ducentes magis vt hoſtes aggrediantur, quàm quòd ſe defendant. Quod videntes nobiliſſimi viri Engeirrannus de Boua, Ebalus de Ruciaco Comes, Andreas de Rameru, Hugo Albus de Firmitate, Robertus de Capiaco *, & alij ſapientes & diſcreti, audaciam deſignati Domini admirantes, conſultè ei deferre elegerunt; & pacificè ad eum venientes, pubertatem eius amplexati ſunt, dextráſque amicitiæ contradentes, ſe & ſuos eius ſeruitio ſpoponderunt. Nec multo poſt, vt diuinæ aſcribatur voluntati impiorum ſubuerſio, & caſtrum & matrimonium inceſtu conſanguinitatis fœdatum diuortio amiſit.

* al. ad obſidionem

* al. Robertus de Perona Dominus Capiaci.

VIII. His & aliis virtutum prouectibus deſignatus Dominus conſcendens, Regni adminiſtrationi, & reipublicæ, ſicut ſe rei opportunitas offerebat, ſagaciter prouidere, recalcitrantes perdomare, caſtella infeſtantia quibuſcunque modis aut occupare, aut incuruare ſtrenuè ſatagebat. Vnde cùm Guido Trucellus filius Milonis de Monte-Leherij viri tumultuoſi & Regni turbatoris, à via ſancti Sepulchri domum repedaſſet, fractus longi itineris anxietate, & diuerſarum pœnarum moleſtia, & quia extraordinariè Antiochiam timore Corboranni per murum deſcendens, Deique exercitum intus obſeſſum relinquens, toto corpore deſtitutus defecit, timénſque exheredari vnicam quam habebat filiam, domini Regis PHILIPPI & filij LVDOVICI voluntate & perſuaſione, (valde enim apperebant caſtrum) filio Regis Philippo de ſuperducta Andegauenſi Comiriſſa nuptui tradidit, & vt in amorem ſuum frater maior Dominus Ludouicus firmiſſimè confœderaret, caſtrum Meduntenſe prece patris matrimonio confirmauit. Qua occaſione caſtro

A cuſtodiæ ſuæ recepto, tanquam ſi oculo ſuo feſtucam eruiſſent, aut circumſepti repagula dirupiſſent, exhilareſcunt. Teſtabatur quippe pater filio Ludouico nobis audientibus, eius defatigatione acerbiſſimè grauatum. Age, inquiens, fili Ludouice, ſerua excubans turrim, cuius deuexatione penè conſenui, cuius dolo & fraudulenta nequitia nunquam pacem bonam & quietem habere potui. Huius infidelitas fideles infideles, infideles infideliſſimos procreabat, perfidos comminus eminúſque concopulabat, nec in toto Regno quicquam mali abſque conſenſu eorum aut opere fiebat. Cúmque à fluuio Sequanæ Curbolio, medio viæ Monte-Leherij, à dextra Caſtello-forti pagus Pariſiacus circumcingeretur: inter Pariſienſes & Aurelianenſes tantum confuſionis chaos firmatum erat, vt neque hi ad illos, neque illi ad iſtos abſque perfidorum arbitrio, niſi in manu forti valerent tranſmeare. Verùm præfati cauſa matrimonij ſepem rupit, acceſſum iocundum vtriſque reparauit.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

HVC acceſſit quòd Guido de Rupe-forti, vir peritus & miles emeritus, præfati Guidonis Truſelli patruus, cùm ab itinere Hieroſolymitano famosè copioſéque rediſſet, Regi PHILIPPO gratanter adhæſit. Et quia antiqua familiaritate iam & alia vice eius Dapifer extiterat, tam ipſe quàm filius eius Dominus LVDOVICVS agẽdis reipublicæ Dapiferum præfecerunt, vt & caſtrum prænominatum Montis-Leherij deinceps quietè poſſiderent, & de Comitatu eorum collimitante, videlicet Rupe-forti & Caſtello-forti, & aliis proximis caſtellis, & pacem & ſeruitium, quod
B inſolitum fuerat, vendicarent. Quorum mutua eo vſque proceſſit familiaritas, vt patris perſuaſione filius Dominus Ludouicus filiam eiuſdem Guidonis needum nubilem matrimonio ſolenni reciperet. Sed quam ſponſam recepit, vxorem non habuit, cùm ante thorum titulus conſanguinitatis oppoſitus matrimonium poſt aliquot annos diſſoluerit. Sic eorum per triennium continuata eſt amicitia, vt pater & filius ſe ei ſupremè crederent: & ipſe Comes Guido, filiúſque eius Hugo Creciacenſis, Regni defenſioni & honori totis viribus inniterentur. Verùm quia, *Quo ſemel eſt imbuta recens ſeruabit odorem Teſta diu*, viri de Monte-Leherij conſuetæ perfidiæ æmuli doloſè machinati ſunt per Garlandenſes fratres, qui tunc Regis & filij incurrerant inimicitias, quo modo Vicecomes Trecenſis Milo minor frater Guidonis Truſelli, cum matre Vicecomitiſſa, & magna manu militũ venit: caſtróque ab omnibus votiuo receptus periurio, beneficia patris ſæpiùs lachrymando replicat, generoſam & naturalem eorum induſtriam repræſentat, fidem mirabilem prædicat, reuocationi ſuæ gratiarum actiones reportat, & vt benè cœpta benè perficiant, genibus eorum prouolutus ſuppliciter exorat. Tali & tam lugubri genuflexione flexi currunt ad arma, feſtinant ad turrim, committunt contra defenſores turris gladiis, lanceis, igne, ſudibus, & ſaxis acerrimè, vt & antemurale turris pluribus in locis perfoderent, & multos turrim defendentium ad mortem vulnerarent. Erat ſiquidem in eadem turri vxor præfati Guidonis, & filia Domino LVDOVICO deſponſata. Quod cùm auribus Dapiferi Guidonis inſonuiſſet, vt erat
C vir vnanimis, expeditè exiliit, & cum quanta manu militum potuit, caſtello audacter appropinquauit. ſed & vt ſe vndecumque ſequantur velociter, velociſſimos nuntios miſit. Qui autem turrim impugnabant, à monte eum videntes, quia nondum turrim vincere potuerant, aduentum ſubitum Domini Ludouici tanquam iugulum formidantes retroceſſerunt, & an ſtarent, an fugam facerent, hærere cœperunt. Guido verò vt erat ſtrenuus, & in arte prouidus, Garlandenſes conſultè à caſtro aſciuit, pacem Regis & Domini Ludouici, & gratiam iureiurando firmauit, & eos, & eorum taliter ab incœpto remouit: eorúmque defectu & ipſe Milo defecit, & celerem fugam infecta factione flens & eiulans arripuit. Quo audito, Dominus Ludouicus ad caſtrum celerrimè accelerauit, compertáque veritate, quia nihil perdiderat, gaudebat, & qui factioſos non inuenerat, vt eos patibulo affigeret, dolebat. Remanentibus verò, quia Guido iureiurando firmauerat, pacem Dominus Ludouicus ſeruauit. Sed ne quid ſimile deinceps molirentur, totam caſtri munitionem præter turrim deiecit.

ID circa temporis illuſtrem Antiochenum Principem Boamundum, cui ſpe- IX.
cialiter illa potenti obſidione ipſa eiuſdem vrbis ob ſui ſtrenuitatem reddita eſt munitio, contigit ad partes Gallorum deſcendiſſe: virum inter Orientales egregium & famoſum, cuius quoddam generoſum, & quod nunquam ſine diua manu

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

fieri poſſet, factum, etiam inter ipſos prædicabatur Sarracenos. Cùm enim cum A patre ſuo Roberto Guiſchardo forte tranſmarinum obſediſſet caſtrum Durachium, nec Theſſalonicenſes gazæ, nec theſauri Conſtantinopolitani, nec ipſa Græcia tota eos arcere valeret, ſubito poſt eos transfretantes domini Papæ Alexandri Legati, qui eos & charitate Dei & obligatione hominij adiurando ſubmoneant aſſiſtunt, vt Eccleſiæ Romanæ & domino Papæ in turre Creſcentiani incluſo ab Imperatore eripiant, deuotiſſimè ſupplicant. Naufragari vrbem & Eccleſiam, imò ipſum dominum Papam, ſi non citò ſubuenerint, iureiurando pronuntiant. Hærent Principes, & quid eligant, an expeditionem tantam & tam ſumptuoſam irrecuperabiliter omittant, an dominum Papam, vrbem & Eccleſiam ancillari, imò naufragari ſuſtineant. Cúmque hac anxiarentur deliberatione, hoc excellentiſſimum iſtud facere, & illud non omittere, deliberant. Relicto ſiquidem obſidioni Boamundo, pater in Apuliam transfretando regreſſus, vndecumque potuit de Sicilia, Apulia, & Calabria, atque Campania, viros & arma collegit: & tam promptiſſimè quàm audaciſſimè, Romam accelerauit. Vnde diuina voluntate, & quaſi portentum mirabile contigit, vt cùm iſte Romam, & Imperator Conſtantinopolitanus audita Roberti abſentia, adunato Græcorum exercitu ad expugnandum Boamundum Durachium tam terra quàm mari applicuiſſet, vna & eadem die pater Guiſchardus Romæ cum Imperatore congrediens, ille cum Græcorum Imperatore ſtrenuè confligens, vterque Princeps de vtroque Imperatore, B mirabile dictu! triumphauit. Præfati igitur Boamundi ad partes iſtas aduentus cauſa fuit, vt nobiliſſimam Domini LVDOVICI deſignati ſororem Conſtantiam, moribus facetam, perſona elegantem, facie pulcherrimam, matrimonio ſibi copulari quibuſcumque modis quæritaret. Tanta etenim & Regni Francorum, & Domini Ludouici præconabatur ſtrenuitas, vt ipſi etiam Sarraceni huius terrore copulæ terrerentur. Vacabat Domina, Comitem Trecenſem Hugonem procum aſpernata, nec decentem ſponſum iterata copula appetebat. Callebat Princeps Antiochenus, & tam donis quàm promiſſis copioſus, Dominam illam celeberrimè ſibi copulari Carnoti, præſente Rege & Domino Ludouico, multis aſtantibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Regni Proceribus, deuotè promeruit. Aſtitit etiam ibidem Romanæ Sedis Apoſtolicæ Legatus dominus Bruno Signinus Epiſcopus à domino Paſchali Papa ad inuitandam & confortandam ſancti Sepulchri viam dominum Boamundum comitatus. Vnde plenum & celebre Pictauis tenuit Concilium, cui & nos interfuimus: quia tecenter à ſtudio redieramus. Vbi de diuerſis ſynodalibus, & præcipuè de Hieroſolymitano itinere ne tepeſcat agens, tam ipſe quàm Boamundus multos ire animauit. Quorum freti comitatu multo multáque militia, tam ipſe Boamundus quàm domina Conſtantia, necnon & ipſe Legatus ad propria proſperè & glorioſè remearunt. Quæ domina Conſtantia domino Boamundo duos genuit filios, Iohannem & Boamundum: ſed Iohannes ante annos militiæ in Apulia obiit. Boamundus verò decorus iuuenis, militiæ aptus, C Princeps factus Antiochenus, cùm Sarracenos inſtanter armis vrgeret, nec eorum zelantes impetus aliquid duceret, minus cautè eos inſecutus, inſidiis eorum interceptus, cum centum militibus æquo animoſior infauſtè decapitatus, Antiochiam & cum Apulia vitam amiſit. Sequenti itaque præfati Boamundi repatriationis anno, venerandæ memoriæ vniuerſalis & ſummus Pontifex Paſchalis ad partes Occidentales cum multis & ſapientiſſimis viris Epiſcopis, & Cardinalibus, & Romanorum nobilium comitatu, vt Regem Francorum & filium Regem deſignatum Ludouicum, & Eccleſiam Gallicanam conſuleret ſuper quibuſdam moleſtiis, & nouis inueſtituræ Eccleſiaſticæ querelis, quibus eum & infeſtabat, & magis infeſtare minabatur Henricus Imperator, vir affectus paterni, & totius humanitatis expers, qui & genitorem Henricum crudeliſſimè perſecutus exheredauit: & vt ferebatur, nequiſſima captione tenens, inimicorum verberibus & iniuriis vt inſignia Regalia, videlicet coronam, ſceptrum, & lanceam ſancti Mauritij redderet, nec aliquid in toto Regno proprium retineret, impiiſſimè coëgit. Equidem deliberatum eſt Romæ propter Romanorum conductitiam perfidiam de præfatis, imò de omnibus quæſtionibus tutiùs Regis, & Regis filij, & Eccleſiæ Gallicanæ in Francia, quàm in vrbe diſceptare naufragio. Venit itaque Cluniacum, à Cluniaco ad Charitatem, vbi celeberrimo Archiepiſcoporum, & Epiſcoporum, & Monaſtici Ordinis

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

A dinis Conuentu eidem nobili Monaſterio ſacram dedicationis impoſuit. Affue-
runt & nobiliores Regni Proceres, inter quos & Dapifer Regis Franciæ nobilis
Comes de Rupe-forti domino Papæ miſſus occurrit, vt ei tanquam Patri ſpirituali
per totum Regnum eius beneplaciro deſeruiret. Cui conſecrationi & nos ipſi in-
terfuimus, & contra dominum Epiſcopum Pariſienſem Galonem multis querimo-
niis Eccleſiam beati Dionyſij agitantem in conſpectu domini Papæ viriliter ſtan-
do aperta ratione & canonico iudicio ſatisfecimus. Cúmque Turonis apud San-
ctum Martinum, vt mos eſt Romanus, Frigium ferens, *Lætare Hieruſalem* celebraſ-
ſet, ad venerabilem beati Dionyſij locum, tanquam ad propriam B. Petri Sedem,
beneuolus & deuotus deuenit. Qui glorioſè & ſatis epiſcopaliter receptus, hoc
vnum memorabile, & Romanis inſolitum, & poſteris reliquit exemplum, quòd
nec aurum, nec argentum, nec pretioſas Monaſterij margaritas, quod multum ti-
mebatur, non tantùm non affectabat, ſed nec reſpicere dignabatur. Sanctorum
pignoribus humillimè proſtratus, lachrymas compunctionis offerebat, holocau-
ſtum ſeipſum Domino & Sanctis eius toto animo inferebat, & vt de veſtimentis
Epiſcopalibus beati Dionyſij ſanguine madefactis ad patrocinandum aliqua ei da-
retur portiuncula ſuppliciter exorauit: Ne diſpliceat, inquiens, ſi de veſtimentis “
eius nobis vel parum reddideritis; qui eum vobis Apoſtolatu Galliæ inſignitum “
abſque munere deſtinauimus. Occurrit itaque ei ibidem Rex Philippus & Do- “
minus Ludouicus filius eius gratanter & votiuè, amore Dei Maieſtatem Regiam
B pedibus eius incuruantes, quemadmodum conſueuerunt ad ſepulchrum piſcato-
ris Petri Reges ſubmiſſo diademate inclinari. Quos dominus Papa manu erigens,
tanquam deuotiſſimos Apoſtolorum filios ante ſe redire fecit. Cum quibus de
ſtatu Eccleſiæ vt ſapiens ſapienter agens familiariter contulit, eóſque blandè de-
mulcens beato Petro ſibique eius Vicario ſupplicat opem ferre, Eccleſiam manu
tenere, & ſicut anteceſſorum Regum Francorum Caroli Magni & aliorum mos
inoleuit, tyrannis & Eccleſiæ hoſtibus, & potiſſimum Henrico Imperatori auda-
cter reſiſtere. Qui amicitiæ, auxilij, & conſilij dextras dederunt, Regnum expo-
ſuerunt, & qui cum eo Catalaunum Imperatoris Legatis occurrere feſtinent, Ar-
chiepiſcopos, & Epiſcopos, & Abbatem ſancti Dionyſij Adam, cum quo & nos
fuimus, coniunxerunt. Vbi cùm dominus Papa aliquantiſper demoraretur, ex
condicto ipſi Imperatoris Henrici Legati non humiles, ſed rigidi & contumaces,
cùm apud Sanctum Memmium hoſpitia ſuſcepiſſent: relicto inibi Cancellario Al-
berto, cuius oris & cordis vnanimitate ipſe Imperator agebat, ceteri ad Curiam
multo agmine, multo faſtu, ſummè phalerati deuenerunt. Hi ſiquidem erant
Archiepiſcopus Treuerenſis, Epiſcopus Aluertatenſis, Epiſcopus Monaſterien-
ſis, Comites quamplures, & cui gladius vbique præferebatur Dux VVelfo, vir
corpulentus, & tota ſuperficie longi & lati admirabilis & clamoſus: qui tumultuan-
tes magis ad terrendum quàm ad ratiocinandum miſſi viderentur. Singulariter &
ſolus Treuerenſis Archiepiſcopus, vir elegans & iocundus, eloquentiæ & ſapien-
C tiæ copioſus, Gallicano coturno exercitatus, facetè perorauit, domino Papæ &
Curiæ ſalutem & ſeruitium ex parte domini Imperatoris deferens, ſaluo iure Re-
gni. Et proſequens de mandatis, Talis eſt, inquit, domini noſtri Imperatoris; “
pro qua mittimur, cauſa. Temporibus anteceſſorum noſtrorum ſanctorum & “
Apoſtolicorum virorum magni Gregorij & aliorum, hoc ad ius Imperij pertine- “
re dinoſcitur, vt in omni electione hic ordo ſeruetur, antequam electio in pa- “
lam proferatur ad aures domini Imperatoris perferre, & ſi perſonam deceat aſ- “
ſenſum ab eo ante factam electionem aſſumere, deinde in conuentu ſecundùm “
Canones petitione populi, electione Cleri, aſſenſu honoratoris proferre, con- “
ſecratum liberè nec ſimoniacè ad dominum Imperatorem pro regalibus, vt an- “
nulo & virga inueſtiatur redire, fidelitatem & hominium facere. Nec mirum. “
etenim ciuitates & caſtella, marchias, thelonea, & quæque Imperatoriæ digni- “
tatis nullo modo aliter debere occupare. Si hæc dominus Papa ſuſtineat, pro- “
ſperè & bona pace Regnum & Eccleſiam ad honorem Dei inhærere. Super “
his igitur dominus Papa conſultè oratoris Epiſcopi Placentini voce reſpondit:
Eccleſiam pretioſo Ieſu Chriſti ſanguine redemptam & liberam conſtitutam,
nullo modo iterato ancillari oportere. Si Eccleſia eo inconſulto Prælatum eli-
gere non poſſit, caſſata Chriſti morte ei ſeruiliter ſubiacere, ſi virga & annulo

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

inueſtiatur, cùm ad altaria eiuſmodi pertineant contra Deum ipſum vſurpare, ſi A ſacratas Dominico corpori & ſanguini manus laici manibus gladio ſanguinolentis obligando ſupponant, ordini ſuo & ſacræ vnctioni derogare. Cúmque hæc » & his ſimilia ceruicoſi audiſſent Legati, Theutonico impetu frendentes tumul- » tuabant, & ſi tuto auderent, conuitia eructuarent, iniurias inferrent. Non hic, » inquiunt, ſed Romæ gladiis determinabitur querela. Verùm Papa quamplures viros approbatos & peritos ad Cancellarium miſit, qui eum ſuper his compoſitè & placidè conuenirent, & audirentur & audirent, & ad pacem Regni eum operam dare obnixè exorarent. Quibus recedentibus dominus Papa Trecas venit, diu ſubmonitum vniuerſale Concilium honorificè celebrauit, & cum amore Francorum, quia multum ſeruierant, & timore & odio Theutonicorum ad Sancti Petri Sedem proſperè remeauit. Imperator verò ſecundo ferè receſſionis eius anno, collecto mirabili triginta millia militum hoſte, nullas niſi ſanguine fuſo gaudet habere vias. Romam tendit, mire callens pacem ſimulat, querelam inueſtiturarum deponit. multa & hæc & alia bona pollicetur, & vt vrbem ingrediatur, quia aliter non poterat, blanditur, nec fallere ſummum Pontificem & totam Eccleſiam, imò ipſum Regem Regum veretur. Vnde quia audiebant tantam & tam pernicioſam Eccleſiæ Dei ſopitam quæſtionem, æquo aut plus æquo Romani Quirites tripudiant, Clerus ſupremè exultat, & quomodo eum honorificentius & elegantiſſimè recipiant exhilarati decertant. Cúmque dominus Papa Epiſco- B porum & Cardinalium togata cum apertis albis operturis equis conſtipatus turma, ſubſequente populo Romano, occurrere acceleraret; præmiſſis, qui tactis ſacroſanctis Euangeliis ab eodem Imperatore iuramentum pacis, inueſtiturarum depoſitionem ſuſciperent, in eo qui dicitur Mons-gaudij loco, vbi primum aduentantibus limina Apoſtolorum beatorum viſa occurrunt, idipſum iteratur. In porticu verò mirabili, & vniuerſali Romanorum ſpectaculo manu propria Imperatoris & Optimatum triplicatur iuramentum, exinde infinitè nobilius quàm ſi Africana victoria potito, arcus triumphalis arrideret, cum hymnis & laudum multiplici triumpho domini Papæ manu ſacratiſſima diademate coronatur more Auguſtorum, ad ſacratiſſimum Apoſtolorum altare præcinentium Clericorum odis & Alemannorum cantantium terribili clamore cœlos penetrante, celeberrima & ſolemni deuotione deducitur. Cùm igitur dominus Papa Miſſas gratiarum agens, corpus & ſanguinem Ieſu Chriſti confeciſſet, partitam Euchariſtiam in amoris impartibilis confœderatione & pacti conſeruatione ob fidem mirabilem Eccleſiæ deuouens ſuſcipiendo Imperator communicauit. Nec dum dominus Papa poſt Miſſam Epiſcopalia depoſuerat veſtimenta, cùm inopinata nequitia ficta litis occaſione furor Theutonicus frendens debacchatur: exertis gladiis velut pleni inſania diſcurrentes Romanos tali in loco iure inermes aggrediuntur, clamant iureiurando vt Clerus Romanus, omnes tam Epiſcopi quàm Cardinales capiantur aut trucidentur: & quod vlla non poteſt attingere inſania, G in dominum Papam manus impias iniicere non verentur. Luctu inexplicabili, & dolore præcordiali tam Nobilitas Romana, quàm ipſe populus luget factionem. Licèt ſerò animaduertunt, alij ad arma currunt, alij ſicut ſtupidi fugiunt: nec inopinato hoſtium bello, niſi cùm trabes de porticu deponentes eorum ruinam ſuam facere defenſionem, euadere potuerunt. Præfatus autem Imperator peſſimæ conſcientiæ & facinoris facti perterritus cruciatu; vrbem quantociùs exiuit, prædam à Chriſtiano Chriſtianis inauditam, dominum videlicet Papam, & cunctos quos potuit Cardinales, & Epiſcopos adducens, ciuitate Caſtellana loco & natura & arte munitiſſimo ſe recepit. Cardinales ipſos turpiter exuens, inhoneſtè tractauit, & quod dictu nefas eſt, ipſum etiam dominum Papam tam pluuiali, quàm mytra, cùm quæcumque defert inſignia Apoſtolatus, non veritus in Chriſtum Domini mittere manum, ſuperbè ſpoliauit: multáſque iniurias, nec eum nec ſuos multo dedecore affligens dimiſit, donec ad præfati pacti ſolutionem, & exinde facti Priuilegij redditionem coëgit. Aliud etiam de manu domini Papæ, vt deinceps inueſtiret ſurreptitium Priuilegium extorſit, quod idem dominus Papa in magno Concilio trecentorum & eo ampliùs Epiſcoporum iudicio Eccleſiæ nobis audientibus conquaſſauit, & perenni anathemate irritum reduxit. Verùm ſi quæris quis, quare Dominus ita tepidè fecerit,

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

A nouerit, quia Eccleſia, percuſſo Paſtore & collateralibus, languebat, & penè eam, tyrannus ancillans, quia non erat qui reſiſteret, tanquam propriam occupabat. Cui certum facto dedit experimentum, quod cùm Fratres Eccleſiæ columnas ad tuitionem & Eccleſiæ reparationem quomodocumque ſolui feciſſet, pacémque Eccleſiæ qualemcumque reformaſſet: ad heremum ſolitudinis confugit, morámque ibidem perpetuam feciſſet, ſi vniuerſalis Eccleſiæ & Romanorum violentia coactum non reduxiſſet. Verùm Dominus Ieſus Chriſtus redemptor & defenſor Eccleſiæ ſuæ, nec eam diutius conculcari, nec Imperatorem impunè ferre ſuſtinuit. Qui etenim nec tenti nec fide obligati fuerant, cauſam Eccleſiæ fluctuantis ſuſcipientes Domini deſignati LVDOVICI ſuffragio & conſilio in Gallicana celebri Concilio collecta Eccleſia Imperatorem tyrannum anathemate innodantes mucrone beati Petri perfoderunt. Deinde Regno Theutonico applicantes Optimates, & partem Regni maximam aduerſus eum commouerunt fautores eius, & Bucardum Rufum Monaſterienſem Epiſcopum depoſuerunt, nec ab infeſtatione aut heredatione vſque in condignam peſſimæ vitæ & tyrannici principatus defauillationem deſuper ſederunt. Cuius malo merito tranſplantatum eſt, Deo vlciſcente, Imperium. cùm eo exterminato Dux Saxoniæ Lotharius ſucceſſit, vir bellicoſus, Reipublicæ defenſor inuictus. Qui cùm recalcitrantem Italiam, Campaniam, Apuliam, vſque ad mare Adriaticum, præſente Siculo Rege Rogerio, eo
B quod ſe Regem creaſſet, depopulando, domino Innocentio Papa comitatus perdomuiſſet, cum nobiliſſimo triumpho repatrians victor ſepulturæ ſuccubuit. Hæc & alia huiuſcemodi eorum Scriptores depingant. nos quia propoſuimus, geſtis Francorum ſtilum replicemus.

XI. PRÆFATVS itaque Comes VVido de Rupe-forti, quem æmulorum machinatione matrimonium, quod contrahebatur inter Dominum deſignatum & filiam ſuam conſanguinitate imperitum, diuortio ſolutum in præſentia domini Papæ fuerat: rancore animi concepto ſcintillam tenuem commoros pauit in ignes. Nec minus Dominus deſignatus in eum zelabatur, cùm ſubitò Garlandenſes ſe intermiſcentes amicitiam ſoluunt, fœdus defœderant, inimicitias exaggerant. Nactus itaque occaſionem bellandi deſignatus Dominus, eò quòd Hugo de Pompona miles ſtrenuus, Caſtellanus de Gornaco caſtro ſuper fluuium Matronæ ſito, mercatorum in regia ſtrata equos ex inſperato rapuit, & Gornacum adduxit. Eius contumelia præſumptionis penè extra ſe poſitus LVDOVICVS exercitum colligit, caſtrum ſubita obſidione, vt victuali carerent opulentia, velociſſimè cingit. Hæret caſtello inſula grata amœnitate pabulorum, equis & pecoribus opima, quæ ſe aliquantiſper latam, ſed plus longam producens, maximam oppidanis confert vtilitatem; cùm ſe ſpatiantibus decurrentium aquarum clarificam exhilarationem, & modò florentium, modò virentium graminum obtutibus & formis exhilaratam offerat clarificationem, amnis etiam circumcluſione exiſtentibus ſecuritatem. Hanc
C igitur Dominus Ludouicus claſſem præparans, aggredi maturat, quoſdam militum & multos peditum, vt expeditius ineant, & ſi cadere contingat, citius reſiliant, denudat. Alios verò natando, alios licet periculosè aquarum profundo, vtcumque equitando ipſemet flumen ingrediens, audacter inſulam occupare imperat. Oppidani fortiter reſiſtunt, & ripa ardua altiores, fluctibus & claſſe inferiores, ſaxis, lanceis, ſed & ſudibus durè repellunt. Verùm repulſi animi motu, animoſitate reſumpta, repellentes repellere inſiſtunt, baliſtarios & ſagittarios iacere compellunt, manualiter prout attingere poſſunt confligunt, loricati & galeati de claſſe pyratarum more audaciſſimè committunt, repellentes repellunt, & vt conſueuit virtus dedecoris impatiens, occupatam armis inſulam recipiunt, eóſque ſe in caſtro coërcitos recipere compellunt. Quos cùm aliquantiſper arto obſeſſos, ad deditionem cogere non valeret, impatiẽs morarum, quadam die animoſitate rapitur, exercitum cogit, caſtrum muniriſſimum vallo arto & rigido ſuperiùs glãde, inferiùs torrentis profunditate penè inexpugnabili aggreditur, per torrentem vſque ad balteum foſſatum conſcendens, ad glandem contendit, pugnare pugnando imperat, grauiſſimè, ſed amariſſimè cum hoſte decertat. Viri econtra defenſores audaciam viræ præferentes ociùs defenſioni inſiſtunt, nec etiam Domino parcunt, arma mouent, hoſtem reiciunt ſuperiorem, imo torrentis inferiorem præcipitãdo reſtituunt. Sic ea via illi gloriam, iſti repulſam, licèt inuiti, ſuſtinuerũt. Paratur deinceps caſtri

Lvdovicvs VI. Groſsvs.

euerſioni bellica inſtrumenra, erigitur triſtegas tres pugnantibus porrigens ſu- A
pereminens machina, quæ caſtro ſuperlanu propugnarorij primi ſagittariis & ba-
liſtariis, ire aut per caſtellum apparere prohiberet. Vnde, quia inceſſanter die ac
noćte his coarćtati defenſionibus ſuis aſſiſtere non valebant, terratis caueis defen-
dentes ſeipſos prouidè defenſabant, ſuorúmque ićtibus ſagittariorum inſidiantes
primi propugnaculi ſuperiores mortis periculo anricipabant. Hærębat machinæ
eminenti pons ligneus, qui ſe excelſiùs porrigens, cùm pauliſper demitteretur ſu-
per glandem, facilem deſcendentibus pararet ingreſſum. Quod contra viri ſuper
his callentes lignea podia ex oppoſito ſeparatim præferebant, & vt pons & qui per
pontem ingtederentur, vtrique corruentes in ſubterraneas foueas acutis ſudibus
armatas, ne animaduerterentur fićtè paleis opertas, vitæ periculum & mortis mul-
tam ſuſtinerent. Interea præfatus Guido vt callens vir & ſtrenuus parentes & ami-
cos cxagitat, dominos ſupplicando ſollicitat, obſeſſis ſuffragia accelerat. Agens
igitur cum Comite Palatino Theobaldo elegantiſſimæ iuuentutis, & militaris di-
ſciplinæ induſtria exercitato viro, quatenus die certa, (deficiebant enim obſeſſis
vićtualia,) præſidia ferret, caſtrum exobſeſſum manu forti deliberaret: ipſe inte-
rim rapinis, incendio, vt obſidionem remoueret, inſudabat. Deſignata igitur die
qua prædićtus Comes Theobaldus & præſidia ferret, & obſidionem manu militari
remoueret, Dominus deſignatus non eminus, ſed cominus quem potuit collegit
exercitum, & regiæ memor excellentiæ mactæ virtutis, relićtis tentoriis & eorum
defenſoribus, lætabundus occurrit, & præmiſſo qui eos venire, aut eos velle di- B
micare renunciet, ipſe Barones aſciſcit, acies ordinat, militarem & pedeſtrem, ſa-
gittarios & lancearios ſuo loco ſequeſtrar. Vt ergo ſe conſpicantur claſſica into-
nant, equitum & equorum animoſitas incitatur, citiſſimè committitur. Verùm
Franci marte continuo exercitati Brienſes longa pace ſolutos aggreſſi cædunt, lan-
ceis & gladiis præcipitant, vićtoriæ inſiſtunt, nec eos impugnare viriliter tam mili-
tari quàm pedeſtri manu deſiſtunt, donec terga vertentes fugæ præſidium arripue-
runt. Ipſe verò Comes mallens primus quàm extremus in fuga, ne caperetur, re-
periri, relićto exercitu repatriare contendit. Qua congreſſione quidam interfećti,
multi vulnerati, plurimi capti, famoſam vbique terrarum celeberrimam fecere
vićtoriam. Potitus itaque tanta & tam oportuna Dominus Lvdovicvs vićto-
ria, tentoria repetit, oppidanos vana ſpe fruſtratos eicit, caſtellum ſibi retinens
Garlandenſibus committit.

XI. Sicvt ergo nobiles innobiles, glorioſos inglorios reddens, pigritia deſidiam
comitata imo deprimit: ſic nobiles nobiliores, glorioſos glorioſiores, virtus ani-
mi corporis exercitio agitata ſuperis attollit, & quibus oblećtata ſtrenuitas per-
fruatur, præclara facinora vndecumque terrarum viris offerendo reponit. Aſſiſtunt
equidem qui magnificis exhorrent ſuppliciis, multo etiam & ſumptuoſo ſeruitio ad
partes Bituricenſium Dominum Ludouicum tranſmeare, ea in patte qua confinia
Lemouicenſium conterminant, ad caſtrum videlicet Sanćtæ Seueræ nobiliſſimum, C
& hereditaria militiæ poſſeſſione famoſum, pedite multo populoſum, dominúmq;
illius virum nobilem Hunbaldum, aut ad exequendum iuſticiam cogere, aut iure
pro iniuria caſtrum lege Salica amittere. Rogatus verò non cum hoſte, ſed dome-
ſticorum militari manu fines illos ingreſſus, cùm ad caſtrum feſtinaret, præfatus Ca-
ſtellanus multa militia comitatus (erat enim generoſi ſanguinis, benè liberalis &
prouidus) ei occurrit, riuúmq; quendam repagulis & palis præponens (nulla enim
alia ſuccedebat via) exercitui Francorum reſiſtit. Cùmque ibidem mediante riuo
vtrique hærerent, Dominus Lvdovicvs vnum eorum audaciùs ceteris indi-
gnatus repagula exiſſe, equum calcaribus vrget, & vt erat vir præ ceteris cordatus,
inſiliens in eum lancea percuſſum, nec eum ſolùm, ſed præter eum alium vno ićtu
proſternit, & quod Regem dedeceret in eodem riuo copioſum vſque ad galeam
balneum componit; ſucceſſúſque ſuos vrgere non differens, quo ille arto exierat,
iſte intrauit, & pugili congreſſione hoſtes abigere non deſiſtit. Quod Franci viden-
tes, mirabiliter animati repagula rumpunt, riuum tranſiliunt, hoſtéſque multa cæ-
de perſequentes ad caſtrum vſq; coactos repellunt. Fama volat, oppidanos totám-
que viciniã percellit, quòd Dominus Ludouicus & ſui vt fortiſſimi milites, donec
funditus ſubuerterit caſtrum, & nobiliores caſtri aut patibulo affigat, aut oculos
eruat, recedere dedignetur. Eapropter conſultè agitur, vt & dominus caſtri ſe de-

A dere Regiæ Maieſtati non differat, caſtrúmque & terram eius ditioni ſubiiciat. Re- LVDOVICVS VI. GROSSVS.
diens itaque Dominus Ludouicus, prædam dominum caſtri fecit, & ſubito trium-
pho eo Stampis relicto Pariſius felici ſucceſſu remeauit.

DEINCEPS in diem proficiente filio, pater eius Rex PHILIPPVS in diem XII.
deficiebat. Neque enim poſt ſuperductam Andegauenſem Comitiſſam quicquam
Regia Maieſtate dignum agebat, ſed raptæ coniungis raptus concupiſcentia vo-
luptari ſuæ ſatisfacere operam dabat. Vnde nec Reipublicæ prouidebat, nec pro-
ceri & elegantis corporis ſanitati plus æquo remiſſus parcebat. Hoc vnum ſu-
pererat, quod timore & amore ſucceſſoris filij Regni ſtatus vigebat. Cúmque
ferè ſexagenarius eſſet, Regem exuens apud Milidunum caſtrum ſuper fluuium
Sequanæ præſente Domino LVDOVICO extremum clauſit diem. Cuius nobili-
bus exequiis interfuerunt viri venerabiles, VValo Pariſienſis Epiſcopus, Silua-
nectenſis, Aurelianenſis, & bonæ memoriæ Adam beati Dionyſij Abbas, & viri
religioſi quamplures. Qui nobile Regiæ Maieſtatis cadauer ad Eccleſiam bea-
tæ Mariæ perferentes, celebres ei exequias pernoctauerunt. Sequente verò ma-
ne lecticam palliis ſeu quocumque funebri ornatu decenter ornatam, ceruici-
bus maiorum ſuorum impoſuit filius, & filiali affectu, quemadmodum dece-
bat, modo pedes, modo eques, cum quos habebat Baronibus lecticam flendo
adiuuare ſtudebat. Hic etiam mirabilem oſtendens animi generoſitatem, cùm
B toto tempore vitæ ſuæ nec pro matris repudio, nec etiam pro ſuperducta An-
degauenſi ipſum in aliquo offendere, aut Regni eius dominationem defraudan-
do in aliquo, ſicut alij conſueuerunt iuuenes, curauerit perturbare. Cùm autem
ad nobile Monaſterium beati Benedicti ſuper Ligerim fluuium multo comitatu
deportaſſent, quoniam ibidem ſe deuouerat, dicebant ſiquidem, qui ab eo au-
dierant, quòd à ſepultura patrum ſuorum Regum, quæ in Eccleſia beati Diony-
ſij quaſi iure naturali habetur, ſe abſentari deſiderauerat, eò quòd minus benè
erga Eccleſiam ſe habuerat, & quia inter tot nobiles Reges non magni duceretur
eius ſepultura: in eodem Monaſterio ante altare poſitum, prout decentius potue-
runt, hymnis & prece animam Domino commendantes, corpus ſolemnibus ſa-
xis exceperunt.

PRÆFATVS autem LVDOVICVS, quoniam in adoleſcentia Eccleſiæ ami- XIII.
citiam liberali defenſione promeruerat, pauperum & orphanorum cauſam ſuſten-
tauerat, tyrannos potenti virtute perdomuerat, Deo annuente ad Regni faſti-
gia, ſicut bonorum voto aſciſcitur, ſic malorum & impiorum votiua machinatio-
ne, ſi fieri poſſet, excluderetur. Conſultè ergo agitur, & potiſſimum dictante
venerabili & ſapientiſſimo viro Iuone Carnotenſi Epiſcopo, vt ad refellendam im-
piorum machinationem citiſſimè Aurelianis conueniant, eiúſque exaltationi ope-
ram dare maturè feſtinent. Senonenſis igitur Archiepiſcopus Daimbertus inui-
tatus cum comprouincialibus, videlicet Galone Pariſienſi Epiſcopo, Manaſſe Mel-
C denſi, Iohanne Aurelianenſi, Iuone Carnotenſi, Hugone Niuernenſi, Humbaldo
Autiſſiodorenſi, acceſſit. Qui in die Inuentionis ſancti prothomartyris Stephani
ſacratiſſimæ vnctionis liquore delibutum, Miſſas gratiarum agens, abiectóque ſe-
cularis militiæ gladio, Eccleſiaſtico ad vindictam malefactorum accingens, diade-
mate Regni gratanter coronauit, necnon & ſceptrum & virgam, & per hæc Eccle-
ſiarum & pauperum defenſionem, & quæcumque Regni inſignia approbante Cle-
ro & populo deuotiſſimè contradidit. Nec dum poſt celebrationem diuinorum
feſtiuas depoſuerat exuuias, cùm ſubitò mali nuncij baiulatores à Remenſi Eccle-
ſia aſſiſtunt, Literas contradictorias deferentes, & auctoritate Apoſtolica ſi tempe-
ſtiuè veniſſent, ne Regia fieret vnctio interminantes. Dicebant ſiquidem primæ
Regis coronæ primicias ad ius Eccleſiæ Remenſis ſpectare, & à primo Francorum
Rege, quem baptizauit beatus Remigius, Clodoueo, hanc prærogatiuam illiba-
tam & inconuulſam obtinere: ſi quis eam temerario auſu violare temptauerit, ana-
themati perpetuo ſubiacere. Ea ſiquidem occaſione Archiepiſcopo ſuo venera-
bili & emerito viro Viridi Rodulfo, qui Domini Regis, eò quòd abſque eius aſſen-
ſu electus & inthronizatus fuerat Sede Remenſi, grauiſſimas & periculoſas incur-
rerat inimicitias, pacem impetrare, aut Regem non coronari ſperabant. Qui, quia
intempeſtiuè venerunt, ibi muti ad propria loquaces redierunt: aut ſi quid dixe-
runt, nihil tamen vtile retulerunt.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

XIV.

LVDOVICVS igitur Dei gratia Rex Francorum, quoniam in adoleſcentia id- A
ipſum conſueuerat, diſſueſcere non potuit, videlicet Eccleſias tueri, pauperes & egenos protegere, paci & Regni defenſioni inſiſtere. Præfatus itaque Guido Rubeus, filiúſque eius Hugo Creciacenſis iuuenis idoneus, armis ſtrenuus, tam rapinis quàm incendiis aptus, totiúſque Regni turbator celerrimus, rancore animi cumulato pro amiſſi caſtri Gornaci erubeſcentia, à Regiæ excellentiæ derogatione non ceſſabant. Eapropter nec etiam fratri Comiti Corboilenſi Odoni, quia ei nullam contra Regem tulerat opem, parcere elegit; ſed eius inſidians ſimplicitati, cùm quadam die venatum iri penes ſe ſecurè decreuiſſet, quid rei, quid ſpei, corrupta inuidiâ conſanguinitas pariat inſipiens, animaduertit. Raptus equidem ab eodem fratre Hugone in caſtro, qui dicitur Firmitas-Balduini, compedibus & cathenis impeditur: nec ſi facultas ſuppeteret, niſi cùm Regem impeteret bello, expediretur. Qua inuſitata inſania oppidani Curboilenſes multi, (oppugnabat enim caſtellum veterana militum multorum nobilitas,) ad Regiæ Maieſtatis publicum confugiunt aſylum: genibus eius prouoluti lachrymabili ſingultu captum Comitem, & captionis cauſam denunciant, & vt eum potenter eripiat, multiplici prece ſollicitant. Spe autem ereptionis eo ſpondente ſuſcepta, iram mitigant, dolorem alleuiant, & qua arte, quibus valeant viribus, Dominum recuperare decertant. Vnde actum eſt, vt quidam de Firmitate-Balduini, quæ nec hereditario iure, ſed occaſione cuiuſdam matrimonij de Comitiſſa Adelaide, quam retento caſtro ſpretam repudiauit, ad eum ſpectabat; cum quibuſdam Curboilenſium conferentes iure- B
iurando in caſtro, cautè tamen, eos recipere firmauerunt. Quorum perſuaſione, cùm Rex pauca curialium manu, ne publicaretur, acceleraſſet, ſerò cùm ad hanc circa ignes confabularentur, qui præmiſſi fuerant, videlicet Anſellus de Garlanda Dapifer, tanquam miles ſtrenuus, porta qua determinatum erat penè cum quadraginta armatis receptus, viribus eam occupare contendit. Verùm oppidani fremitum equorum, equitum murmur inopinatum admirantes, econtra proſiliunt, & quia via oſtiis oppoſitis arctabatur, & ingreſſus ad nutum aut ire aut redire prohibebat, indigenæ pro foribus audaciores expeditiùs eos cædebant. Qui & noctis tenebrati cæcitate, & loci coarctati infortunio, cùm ſuſtinere diutius non valentes portam repetiſſent: Anſellus, vt erat animoſus, retrocedens & cæſus, quia portam hoſte anticipatus non potuit, interceptus turrim caſtri eiuſdem non vt Dominus, ſed vt captiuus, cum Comite Corboilenſi occupauit. Et pari dolore, diſpari timore, cùm alius mortem, alius exheredationem tantùm timeret, verſus ille eis aptari poterat: ---- *Solatia fati*

Carthago Mariúſque tulit.

Quod cùm clamore refugorum accelerantis Regis auribus inſonuiſſet, deuiando denſæ noctis moleſtia ſe demoratum dedignans celerrimo inſiliit equo, & innitens irrumpendo portam præſidia ſuis audacter deferre, porta ſerrata telorum, & lancearum, & ſaxorum grandine ceſſit repulſus. Quo conſternati dolore fratres C
» & conſanguinei capti Dapiferi, pedibus Regis prouoluti, Miſerere, inquiunt,
» glorioſe Rex, ſtrenuè agens, quoniam ſi nefandus ille Hugo Creciacenſis, homo
» perditiſſimus, humani ſanguinis ſitibundus, vel huc veniens, vel illuc abducens
» fratrem noſtrum, tangere quoquo modo potuerit, iugulo eius citiſſimè inſiſtat, nec
» quæ eum pœna maneat, ſi ferocior ferociſſimo ſubita morte eum interficiat, curabit. Hoc ergo timore Rex citiſſimè caſtrum cingit, portarum vias obtrudit, municipiis quatuor aut quinque caſtrum concludit, & ad captorum & caſtelli receptionem & Regni & perſonæ operam impendit. Præfatus autem Hugo, quorum captione primò exhilaratus, horum ereptione vel caſtri amiſſione valde perterritus, anxiatur, laborat, & quomodo caſtrum ingredi poſſet modo eques, modo pedes, multiformi ioculatoris & meretricis mentito ſimulachro machinatur. Vnde cùm quadam die id circa tota eius inuentio verſaretur, de caſtris animaduerſus inſilientium peremptorios impetus ſuſtinere non valens, fugam apponit ſaluti: cùm ſubitò inter alios & ante alios animi & equi velocitate Guillelmus frater capti Dapiferi, miles facetus & armis ſtrenuus, eum grauiſſimè inſectans impedire conatur. Quem cùm ipſe Hugo ipſa ſui velocitate ſingularem conſpiceret, vibrato fraxino ſæpe in eum intendebat: ſed quia timore conſequentium moram facere non audebat, reciprocam fugam capiebat. Hoc mirè & egregiè callens, quòd ſi cum

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

A ſolo ſolus mora aliqua inire poſſet, animi audaciam aut duelli trophæo aut mortis
periculo mirabili fama declararet. Crebrò etiam contigit, vt villas in via ſitas, &
occurrentium hoſtium indeclinabiles impetus nullo modo euadere valeret, niſi
cum ſimulata fraude ſeipſum Garlandenſem Guillelmum fallendo, Guillelmum
autem Hugonem ſe ſequentem conclamaret, & ex parte Regis, vt eum tanquam
hoſtem impedirent, inuitaret. His & aliis huiuſmodi tam linguæ cautela, quàm
animi ſtrenuitate fuga lapſus, multos vnus deriſit. Rex autem nec hac nec alia oc-
caſione ab incœpto obſidionis deſiſtens, caſtellum coarctar, oppidanos terebrat,
nec eos impugnare deſiſtit, donec expugnatis clam militibus, quorundam tamen
oppidanorum machinatione, potenti virture ad deditionem coëgit. Quo tumultu
milires ad arcem fugienres, vitæ, non captioni conſuluerunt. Nam ibidem incluſi,
nec ſe plenè protegere, nec arcem exire quoquo modo valuerunt: donec quidam
cæſi, plures ſauciati Regiæ Maieſtatis arbitrio ſuccumbentes, tam ſe quàm arcem
non inconſulto Domino ſuo expoſuerunt. Sic vno facto pius & ſceleratus eodem,
Dapiferum ſibi, fratribus fratrem, Corboilenſibus Comitem, tam prudenter
quàm clementer reſtituit. De caſtello militum quoſdam eorum bona depopulans
exheredauit, quoſdam diuturni carceris maceratione, vt terreret conſimiles, affli-
gens, duriſſimè punire inſtituit. Talique victoria coronæ primitias contra æmulo-
rum opinionem egregiè Deo donante nobilitauit.

EA tempeſtate ad partes Normannorum contigit deueniſſe Regem Anglorum XV.
B Henricum, virum fortiſſimum, pace & bello clarum. Cuius admirabilem & penè
per vniuerſum Orbem declaratam excellentiam, ille etiam agreſtis vates, Anglo-
rum ſempiterni euentus mirabilis ſpectator & relator Merlinus, tam eleganter
quàm veraciter ſummo præconio commendat, ac in eius laude voce prophetica
erumpens ex abrupto, vt vatum mos inoleuit, Succedet, inquit, leo iuſtitiæ, ad «
cuius rugitum Gallicanæ turres & inſulani dracones tremebunt. In diebus eius «
aurum ex lilio & vrtica extorquebirur, & argentum ex vngulis mugientium ma- «
nabit. Calamiſtrati varia vellera veſtibunt, quia exterior habitus interiora ſigna- «
bit. pedes latrantium truncabuntur, pacem habebunt feræ, humanitas ſuppli- «
cium dolebit, finderur forma commercij, dimidium rotundum erir, peribit mil- «
uorum rapacitas, & dentes luporum hebetabuntur. Catuli leonis in æquoreos «
piſces transformabuntur, & aquila eius ſuper montes Arauium nidificabit. Quæ «
tota tanti & tam decrepiti vaticinij, vſque adeò & perſonæ ſtrenuitati & Regni
adminiſtrationi adaptatur, vt nec vnum iota, nec vnum verbum ab eius conue-
nientia diſſentire valeat: cùm ex hoc etiam quod in fine de catulis eius dicitur,
manifeſtè appareat filios eius & filiam naufragatos, & à maritimis piſcibus deuora-
tos, & conuertibiliter phyſicè transformatos, illius vaticinium pro certo verifi-
caſſe. Præfatus itaque Rex Henricus Guillelmo fratri feliciter ſuccedens, cùm
conſilio peritorum & proborum virorum Regnum Angliæ Regno antiquorum
Regum gratanter diſpoſuiſſet, ipſaſque Regni antiquas conſuetudines ad captan-
C dam eorum beniuolenriam iureiurando firmaret, applicuit ad portum Ducatus
Normannici, fretúſque Domini Regis Francorum auxilio terram componit, le-
ges recolit, pacem coactis imponit, nihil minus quàm eruitionem oculorum, &
celſitudinem furcarum, ſi rapiant, promittens. His igitur & huiuſmodi promiſſio-
nibus, & crebris promiſſionum redditionibus percuſſis, quia pollicitis diues qui-
libet eſſe poteſt, ſilet terra in conſpectu eius, pacem ſeruant inuiti, feroci Dano-
rum propagatione pacis expertes Normanni, & in hoc ipſo vatis agreſtis oracula
verificantes. Perit enim miluorum rapacitas, & dentes luporum hebetabuntur,
cùm nec nobiles nec innobiles deprædari aut rapere quacumque audacia præſu-
munt. Quod autem dicit, Ad rugitum leonis iuſtitiæ Gallicanæ turres & inſulani
dracones tremebunt: huc accedit, quòd fere omnes turres & quæcumque fortiſſi-
ma caſtra Normanniæ, quæ pars eſt Galliæ, aut euerſum iri fecit, aut ſuos intru-
dens, & de proprio ærario procurans, aut ſi dirutæ eſſent, propriæ voluntati ſub-
iugauit. Inſulani dracones rremuerunt, cùm quicumque Angliæ Proceres, nec
etiam mutire tota eius adminiſtratione præſumpſerunt. In diebus eius aurum
ex lilio, quod eſt ex religioſis boni odoris, & ex vrtica, quod eſt ex ſecularibus pun-
gentibus, ab eo extorquebatur: hoc intendens, vt ſicut omnibus proficiebat, ab
omnibus ei ſeruiretur. Tutius eſt enim vnum vt omnes defendat ab omnibus ha-

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

bere, quàm non habendo per vnum omnes deperire. Argentum ex vngulis mu- A
gienrium manabat, cùm turris ſecuritas horreorum plenitudinem, horreorum ple-
nitudo argenti copiam, plenis ſcriniis miniſtrabat. Qua occaſione & caſtrum Gi-
ſortium tam blanditiis quàm minis à Pagano de Giſortio eum extorquere contigit:
caſtrum munitiſſimum, ſitu loci compendioſum, quod ad vtrumque terminum
Francorum & Normannorum fluuio gratæ piſcium fœcunditatis, qui dicitur Etta,
interfluente, antiquo fune geometricali Francorum & Danorum concorditer me-
tito collimitat, ad irruendum in Franciam gratum Normannis præbens acceſſum,
Francis prohibens. Quod ſi facultas habendi ſuppeteret, nec minus Rex Franco-
rum Rege Anglorum ipſa loci & immunitatis oportunitate iure Regni appetere
debuiſſet. Huius itaque repetitio caſtri inter vtrumque Regem ſubitum odij fo-
mitem miniſtrauit. Vnde Rex Francorum cùm ad eum pro redditione aut pro
caſtri ſubuerſione miſiſſet, nec profeciſſet, notam rupti fœderis opponens diem
agendi ſtatuit, locum aſſignat. Accumulantur interim, vt in talibus fieri ſolet,
æmulorum maledictis excitata odia Regum, nec dum licèt pacantur, quomodo
ad colloquium ſuperbè & exosè ſibi occurrant, vires militares exaggerant. Colle-
ctis igitur magna ex parte Francorum Regni Proceribus, videlicet Roberto Flan-
drenſi Comite cum quatuor ferme millibus militum, Comite Theobaldo Palati-
no, Comite Niuernenſe, Duce Burgundionum, cum aliis quamplurimis; multis
etiam Archiepiſcopis & Epiſcopis, per terram Melluntenſis Comitis, quia adhæ- B
rebat Regi Angliæ, tranſeundo, depopulans, & incendiis exponens, talibus bene-
ficiis futuro adulabatur colloquio. At vbi vtrobique maximo collecto exercitu,
ventum eſt ad locum vulgo nominatum Plancas Ninfeoli, ad caſtellum loco in-
fortunatum, cui perhibet accolarum antiquitas, aut vix aut nunquam conuenien-
tes pacificari, ſuper ripam intercurrentis & communem tranſitum prohibentis am-
nis conſedit exercitus. Conſulte verò nobiliores & ſapientiores electi Franci, per
pontem tremulum & ſingulis & pluribus ſubitum minantem præcipicium ipſa ſui
vetuſtate tranſeuntes, Anglico Regi diriguntur. Quorum qui referendam ſuſce-
perat actionis cauſam, peritus Orator, inſalutato Rege, ore Comitum ſic perora-
» uit: Cùm glorioſa Domini Regis Francorum liberalitate Ducatum Normanniæ
» tanquam proprium feodum ab eiuſdem munifica dextra veſtra recepiſſet induſtria,
» inter alia & præter alia hoc ſpecialiter iureiurando firmatum conſtat de Giſortio
» & Braio, vt quocumque contractu vter veſtrum obtinere poſſet, neuter haberet,
» cùm infra quadraginta receptionis dies poſſeſſor pacti obnoxius ipſa caſtella fun-
» ditus ſubuerteret. Quod quia non feciſtis, præcepit Rex & vt adhuc faciatis, &
» non factum lege competenti emendetis. Dedecet enim Regem tranſgredi legem,
» cùm & Rex & lex eandem imperandi excipiant Maieſtatem. Quòd ſi quid horum
» veſtrates aut dedixerint, aut dicere diſſimulando noluerint, pleno duorum aut
» trium teſtimonio Baronum lege duelli parati ſumus approbare. Nec dum his ex-
pletis ad Regem Franciæ redierant, cùm Normanni eos inſequentes Regi aſſi- G
ſtunt, quicquid cauſam lædere poterat inuerecundè diffitentes, iudiciario ordine
querelam agitare poſtulantes: cùm nihil aliud præcipuè attenderent, quàm quòd
infecto paratæ actionis negotio quacumque dilatione tantorum Regni Optima-
tum diſcretioni rei veritas non pateret. Remittuntur cum eis primis potiores, qui
etiam per Comitem Flandrenſem Robertum, Hieroſolymitanum Palæſtritam
egregium, rem verificare audacter offerant, & lege duelli verborum exaggeratio-
nem refutando, cui iuſtitia cedere debeat confligendo aperiant. Quod cùm nec
approbaſſent, nec conuenienter reprobaſſent, Rex LVDOVICVS, vt erat ma-
gnanimus, & animo & corpore procerus, citiſſimè dirigit, qui Regi hoc diſiun-
gant, aut caſtrum ſubuertere, aut de fractæ fidei perfidia contra ſe perſonaliter de-
» fendere: Age, inquiens, eius debet congreſſionis eſſe pœna, cuius veri & victoriæ
» debet eſſe & gloria. Arbitratus etiam de loco quicquid decentius potuit: Succe-
» dat, inquit, eorum exercitus à ripa fluminis, dum tranſuadari poſſimus, vt tutior
» eis locus maiorem offerat ſecuritatem, vel ſi magis placet, nobiliores totius exer-
» citus habeat ſingulariter concertando obſides, dummodo ad nos, remoto agmine
» noſtro, tranſire concedat. Neque enim aliter tranſuadari poterit. Quidam verò
ridiculoſa iactantia ſuper præfatum tremulum pontem, cùm ſtatim corrueret, Re-
ges dimicare acclamabant. Quod Rex LVDOVICVS tam leuitate quàm auda-

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

A cia appetebat. Rex verò Anglorum inquit: Non eſt mihi tibia tanti, vt pro his
& huiuſmodi famoſum & perutile mihi caſtrum ſuperuacaneè amittam Et hæc
& alia inuectiua refutans, Cùm videro, inquir, Dominum Regem, vbi me defen-
dere debeam non vitabo, cùm quod offerebar loci impotentia abnegaret. Quo
ridiculoſo reſponſo moti Franci, tamquam fortuna locorum bella gerat, currunt
ad arma: ſimiliter & Normanni. Et dum vtrique ad flumen accelerant, maximæ
ſtragis & calamitatis detrimentum ſola acceſſus remouit impoſſibiliras. Quia ve-
rò ſermone diem detinuerant, nocte inſtante illi Giſortium, noſtri Caluum-mon-
tem remearunt. At vbi primo polo ſtellas aurora fugauit, Franci heſternæ memo-
res iniuriæ, militiæ inſuper feruore matutini, velociſſimis equis viam præripiendo
prope Giſortium congredi, irruentes, miro faſtu, mira concertant audacia, & quan-
tum præſtent multo marte exercitati longa pace ſolutis, cùm Normannos per por-
tam fatigatos intrudunt, edocere laborant. His & huiuſmodi primordiis initiata
guerra, per biennium penè continuata, grauius Regem Angliæ lædebat, cùm vni-
uerſam penè Normanniæ marchiam, ſicut ſe Ducatus extendit, multa militia, &
ſumptuoſis ſtipendiis ad terræ defenſionem circumcingebat. Rex verò Franco-
rum antiquis & naturalibus caſtris & municipiis, gratuita Flandrenſium, Pontiuo-
rum, Vilcaſſinorum, & aliorum collimitantium ſtrenua impugnatione, terram in-
cendiis, depopulatione agitare non deſinebar. Cùm autem Guillelmus Regis An-
glici filius Regi LVDOVICO hominium ſuum feciſſet, gratia peculiari & pecu-
B lium eius præfato caſtro augmentauit, & hac eum occaſione in priſtinam gratiam
reduxit. Quod antequam fieret, mirabilis eiuſdem contentionis occaſione, & exe-
crabilis hominum perditio mirabili punita eſt vltione.

SVPERSISTITVR promontorio ardui littoris magni fluminis Sequanæ hor- XVI.
ridum & innobile caſtrum, quod dicitur Rupes Guidonis, in ſuperficie ſui inuiſi-
bile, rupe ſublimi incaueatum, cui manus æmula artificis in deuexo montis raro &
miſero oſtio, maximæ domus amplitudinem rupe cæſa extendit. antrum, vt puta-
tur, fatidicum, in quo Apollinis oracula ſumantur, aut de quo dicit Lucanus:

> *---- Nam quamuis Theſſala vates*
> *Vim faciat fatis, dubium eſt quid traxerit illuc,*
> *Aſpiciat Stygias an quod deſcenderit vmbras.*

Hinc forſitan itur ad manes. Cuius fautioſi Diis & hominibus exoſi oppidi poſ-
ſeſſor Guido bonæ indolis adoleſcens, anteceſſorum nequitię propagine rupta alie-
nus, cùm honeſtè & abſque miſeræ rapacitatis ingluuie vitam degere inſtituiſſet,
infauſti loci interceptus calamitate, ſoceri ſui nequioris nequiſſimi proditione
detruncatus, & locum & perſonam morte inopinata amiſit. Guillelmus ſiquidem
gener eius genere Normannus, proditor incomparabilis, vt putabatur familiaris
& amiciſſimus eius, cùm concepiſſet dolorem & peperiſſet iniquitatem, crepuſcu-
lo cuiuſdam Dominici diei nactus proditionis oportunitatem cum his, qui deuo-
tiores primi ad Eccleſiam domni Guidonis partita rupe contiguam conueniebant,
C & ipſe ſed diſſimiliter loricatus, ſed cappatus cum proditorum manipulo conuenit,
& dum alij orationi, ipſe aliquando orare fingens, quo intraret ad Guidonem in-
greſſu ſpeculatus, eo quo Guido oſtio intrare Eccleſiam maturabat irrupit, exer-
tóque gladio cum nequiſſimis ſociis propria iniquitate debacchatus furit, impru-
dentem & ſi non ſentiret gladium, arridentem percutit, mactat, & perdit. Quod
nobilis ipſius coniunx videns, ſtupida genas & capillos muliebri vltione dilacerans
ad maritum currit, mortem non curans, ſeipſa ſuper eum corruens operit: Me,
inquiens, me miſeram, & ſic mori meritam potiùs viliſſimi carnifices detruncare.
Ictúſque & vulnera gladiatorum marito ſuperpoſita excipiens, Quid in iſtos cha-
riſſime deliquiſti ſponſe? Nonne & gener & ſocer amici indiſſolubiles eratis? Quæ-
nam eſt inſania? pleni eſtis mania. Quam cùm per capillos retorquentes digladia-
tam, punitam, & penè toto corpore cæſam auulſiſſent, virum morte turpiſſima
peremerunt, infantes quos inuenerunt Herodiana nequitia rupe alliſos extinxe-
runt. Cùmque hac & illac frendentes debaccharentur, ſupina mulier leuans mi-
ſerum caput, truncum maritum recognoſcit, amore rapta qua potuit impotentia
ſerpens more ſerpentis, ſe totam ſanguineam contorquens, ad cadauer exanime
deuenit, & quæcumque poterat ac ſi viro oſcula gratiſſima porrigebat, & lugubri
erumpens cantilena, qua poterat lugubres perſoluens inferias, clamat: Quid re-

Lvdovicvs VI. Grossvs.

ſiqui mihi facis chariſſime ſponſe? Nunquid hoc meruit iuxta me tua prædicabilis A
continentia? Nunquid hoc comparauit patris, aui, & ataui depoſita nequitia?
» Nunquid vicinorum & pauperum domi penuriam reponens neglecta rapacitas?
Hæc ait, & laſſo iacuit deſerta furore. Nec erat qui totum mortuum & ſemiui-
uam vno ſanguine inuolutans ſequeſtraret. Tandem vero, cùm ſceleratus Guil-
lelmus eos ſicut porcos expoſuiſſet, ſaturatus humano ſanguine more beluino ſub-
ſedit, rupis fortitudinem plus ſolito admiratus approbat, quomodo potenter cir-
cumquaque rapiat, quomodo Francis & Normannis procellæ timorem incutiat,
ſerò tamen deliberat. Deinde caput inſanum per feneſtram exponens, vocat na-
tiuos terræ accolas, expers boni bona promittit, ſi ei adhæreant, quorum nec vnus
intrauit. Mane verò tanti & tam ſcelerati facti fama non ſolùm viciniam, ſed & re-
motos ſollicitat. Quo Vilcaſſinenſes viri ſtrenui & armis fortiſſimi grauiſſimè
exciti, circumquaque & militum & peditum ſinguli pro toto poſſe vires colligen-
tes, quoniam timebant potentiſſimum Regem Anglorum Henricum præſidia pro-
ditoribus ferre, ad rupem feſtinant, decliuo rupis multos militum & peditum, ne
quis intret aut exeat, opponunt, viam ex parte Normannorum locando exerci-
tum, ne ferant præſidia, obtrudunt. Interim ad Regem mittunt Lvdovicvm,
fauctionem ſignificant, & quid ſuper his præcipiat conſulunt. Qui Regiæ Maie-
ſtatis imperio morte exquiſita turpiſſima præcipit muniri, mandat ſi oporteat ſuf-
fragari. Cúmque per aliquot dies exercitus conſediſſet, nefandus ille, augmen- B
tato de die in diem exercitu, timere cœpit. Cúmque quid ſuadente diabolo fe-
ciſſet, eo docente animaduerteret, accitis quibuſdam Vilcaſſini nobilioribus, quo-
modo pace in rupe remaneat, eis confœderetur, Regi Francorum, optimè ſeruiat,
promiſſionibus multis elaborat. Qui reicientes, & proditionis vltionem imprope-
rantes, in hoc iam ipſum remiſſum impulerunt, vt ſi terram quandam ſibi adiurari
facerent, & ſecuritatem eundi darent, occupatam dimitteret eis munitionem.
Quo iureiurando firmato, Francorum plures recepti ſunt. Procraſtinato au-
tem eorum exitu, occaſione præfata, cùm in mane præter iuratos aliqui intrarent,
& alij alios ſequerentur, inualuit clamor exteriorum, & vt proditores exponant,
horribiliter vociferantur, aut faciant, aut ſimilem proditorum pœnam, tanquam
conſentientes, ſortiantur. Qua audacia & timore renitentibus iuratoribus, qui
non iurauerant in eos præualendo, inſilientes gladiis eos aggrediuntur, impios piè
trucidant, membris emutilant, alios duriſſimè euiſcerant, & quicquid crudelius
mitius reputantes, in eos exaggerant. Nec diſeredendum diuinam manum tam
celerem maturaſſe vltionem, cùm & per feneſtras viui aut mortui proiciuntur, &
innumeris ſagittis hyritiorum more hiſpidi, cuſpidibus lancearum in aëre vacan-
tes, ac ſi eos terra reiciat, vibrantur. Hanc autem inuſitato facto inuſitatè repe-
riunt vltionem. Quod quia vecors vnius fuerat, mortuus eſt excordatus. Cor
ſiquidem extis ereptum, fraude & iniquitate turgidum, palo imponunt, ad repræ-
ſentandam iniquitatis vindictam multis diebus certo in loco infigunt. Cadauera G
verò tam illius quàm quorundam ſociorum compoſitis cleiis, raſtris & funibus ſu-
perligata per fluuium Sequanæ demittunt, vt ſi fortè vſque Rotomagum fluctuare
non impediantur, proditionis vltionem oſtentent, & qui Franciam morr entaneo
fœtore fœdauerant, mortui Normanniam deinceps, tanquam natale ſolum, fœ-
dare non deſiſtant.

XVII. Raritas fidei facit, vt ſæpiùs mala pro bonis, quàm bona reddantur pro
malis. Alterum diuinum, alterum nec diuinum, nec humanum. fit tamen. Qua
nequitiæ nota cùm Regis Lvdovici Philippus frater de ſuperdicta Andega-
uenſe, tam patris perſuaſione, cui numquam reſtitit, quàm blandis nobiliſſimæ &
benè morigeratæ nouercæ illecebris, honorem Montis-Leherij & Meduntenſis
caſtri in ipſis Regni viſceribus ab eodem obtinuiſſet, Philippus tantis ingratus be-
neficiis, recalcitrare nobiliſſimi generis fiducia præſumpſit. Erat enim Amalricus
de Monte-forti egregius miles, Baro potentiſſimus, auunculus eius: Fulco Co-
mes Andegauenſis, poſtea Rex Hieroſolymitanus, frater eius. Mater etiam his
omnibus potentior, viragóque faceta, & eruditiſſima illius admirandi muliebris
artificij, quo conſueuerunt audaces ſuis etiam laceſſitos iniuriis maritos ſuppedita-
re: Andegauenſem priorem maritum, licèt thoro omnino repudiatum, ita mol-
lificauerat, vt eam tanquam Dominam veneraretur, & ſcabello pedum eius ſæ-

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

A pius reſidens, ac ſi præſtigio fieret voluntati eius omnino obſequeretur. Hoc etiam vnum & matrem & filios & totam efferebat progeniem, vt ſi de Regis ruina quacumque occaſione contingeret, alter fratrum ſuccederet, & tota conſanguinitatis linea ad ſolium Regni, honoris & dominij participatione, ceruicem gratantiſſimè erigeret. Cùm igitur præfatus Philippus crebrò ſubmonitus, auditionem & iudicium Curiæ ſuperbè refutaſſet, deprædationibus pauperum, contritione Eccleſiarum, totius etiam pagi diſſolutione Rex laceſſitus, illuc licèt inuitus properauit, vt cùm ſæpiùs tam frater, quàm ſui, fortiſſima militum manu multa iactantia repulſam promiſiſſent, ſeipſos etiam à caſtro timidi abſentauerunt. Quò Rex expeditè irruens, loricatus per medium caſtri ad turrim feſtinans, obſidione cinxit, dúmque machinas impugnatorias mangunnella, & fundibalaria inchoat inſtrumenta, non ſtatim, ſed poſt multos dies cùm de vita deſperarent, eos ad deditionem coëgit. Interim verò mater & auunculus Amalricus de Monte-forti, alterius honoris, videlicet Montis-Leherij, formidantes amiſſionem, eundem honorem Hugoni Creciacenſi filiam Amalrici matrimonio copulantes contulerunt. Hoc ei vnum peremptorium impedimentum opponere ſperantes, à tam ipſius honoris Caſtris, quàm Guidonis de Rupe-forti fratris ſui, ipſius quoque Amalrici vſque in Normanniam poteſtate, ſine interpolatione extenſa, via impediretur; & per alias quas poſſent omni die inferre vſque Pariſium iniurias, etiam Drocas ire ei nullo modo permit-
B teretur. Cùm enim Hugo inito matrimonio illuc velociter curreret, velociùs eum Rex ſecutus eſt, cùm eadem hora, eodem momento, vt competit, Caſtras præfati honoris oppidum audaciſſimè accelerauit. Vnde meliores terræ ſpe liberalitatis ſuæ & approbatæ manſuetudinis ſibi alliciens, vota tyrannidis & crudelitatis formidine eripit. Cúmque ibi per aliquot dies alternatim Hugo vt haberet, Rex vt non haberet, concertantes demorarentur, quoniam alia fallacia aliam trudit, hac Hugo deluditur cautela; quoniam conſultè aſſiſtit Milo de Braio filius magni Milonis, qui iure hereditario honorem repetens, prouolutus genibus flens & eiulans multis precibus pulſat Regem, pulſat Conſiliarios, rogat ſupplicitet, vt Regia munificentia honorem reddat, paternam hereditatem reſtituat: tanquam ſeruum aut inquilinum deinceps habeat, pro voluntate vtatur. Cuius lugubri poſtulationi Rex condeſcendens, accitis oppidanis, iam etiam Milonem dominum offerens, ita eos ab omni illata retro moleſtia pacatos exhilarat, ac ſi lunam & ſtellas eis cœlitus demiſiſſet. Nec mora, eum ſubito Hugonem exire præcipiunt, ſi non citiſſimè exeat, citiſſimum exitium promittunt: contra naturalem Dominum nec fidem, nec ſacramentum, ſed potentiam aut impotentiam valere minantur. Quo ſtupatus Hugo fugam rapit, & euaſiſſe, non ſua amiſiſſe reputans, pro momentaneo gaudio coniugij, longum repudij dedecus, nec ſine magno incommodo equorum & ſupellectilis amiſſione abſportauit, & quid cum hoſtibus contra Dominum inire conferat, turpiter expulſus animaduertit.

C SICVT benè fructificantis arboris gratiſſimus fructus aut ſtipitis tranſplantatione aut ramorum inſertione odoriferum ſaporem reſtaurat; ſic & iniquitatis & nequitiæ extirpanda propagatio de traduce multorum nequam, in vno conglutinata tanquam anguis angui, inter anguillas ſtimulans, natiua amaritudine tanquam abſynthio potat. Cuius inſtar Hugo Puteolenſis, vir nequam, & propria & anteceſſorum tyrannide ſola opulentus, cùm ſucceſſiſſet in honore Puteoli auunculo Guidoni, (patet enim eius mitæ ſuperbiæ in primordio Hieroſolymitanæ viæ arma aſſumpſerat,) omni malitia patriſſare ſemen nequam non deſiſtebat: ſed quos pater flagellis, patre nequior ſcorpionibus cædebat. Intumeſcẽs quippe, quòd impunè pauperes Eccleſias, Monaſteria crudeliſſimè oppreſſerat, eo vſque pedem mouit, vnde ceciderunt qui operantur iniquitatem; expulſi ſunt, nec potuerunt ſtare. Cùm ergo nec Regem omnium, nec Regem Francorum magni duceret, nobiliſſimam Carnotenſem Comitiſſam, cum filio Theobaldo pulcherrimo iuuene & armis ſtrenuo aggreſſus, terram eorum vſque Carnotum depopulans, rapinis & incendiis exponebat. Nobilis verò Comitiſſa cum filio aliquando, licet tardè & inſufficienter, prout poterat, vlciſci nitebatur: numquam tamen aut vix Puteolo à milliaribus octo ſeu decem appropinquabant. Tanta erat Hugonis audacia, tanta poteſtatiuæ ſuperbiæ ſuppetebat facultas, vt eum pauci diligerent, multi ſeruirent, cùm multi ad defenſionem, quamplures ipſi etiam ad deſtructionem anelarent. XVIII.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

Magis enim timebatur, quàm amabatur. Cùm autem Comes præfatus Theobaldus, per ſe patum, per Regem multum proficere in Hugonem perpenderet, cum nobiliſſima matre, quæ ſemper nobiliter Regi ſeruire conſueuerat, ad eum accelerat, vt opituletur multis precibus pulſat, multo ſeruitio eius opem meruiſſe repræſentat. Hugonis quædam, patris, aui, & atauorum opprobria reportat. Memorare, inquiens, Domine Rex, ſicut decet Regiam Maieſtatem, opprobrij & dedecoris, quod auus Hugonis patri tuo PHILIPPO fœdus periurio intulit, cùm eum multas illatas iniurias vlciſci innitentem à Pureolo turpiter reppulit, faſtu nequiſſimæ conſanguinitatis, factioſæ conſpirationis exercitum eius vſque Aurelianum fugauit, captum Comitem Niuernenſem, Lancelinum Baugenciacenſem, milites penè centum, & quod hactenus inauditum erat, Epiſcopos quoſdam carcere ſuo dehoneſtauit. Addebat etiam improperando, qua cauſa, qua origine in medio terræ Sanctorum constructum ad tuitionem eius à venerabili Regina Conſtantia caſtrum non ab antiquo fuerat, quomodo etiam poſt totum ſibi, nihil Regi reliquum præter iniurias fecerat. Modo ſi placeret quia Carnotenſis, Bleſenſis, & Dunenſis exercitus copia, qua fretus reſiſtere conſueuerat, non ſolùm deficeret, ſed & ei officeret, caſtri ſubuerſione & Hugonis exheredatione, & paternas & ſuas vlciſci poſſet facilè iniurias. Quòd ſi nec ſuas nec benè meritorum punire vellet iniurias, Eccleſiarum oppreſſiones, pauperum deprædationes, viduarum & pupillorum impiiſſimas vexationes, quibus & terram Sanctorum, & terræ accolas dilapidabat, aut ſuas faceret, aut remoueret. Cùm igitur talibus & pluribus pulſatus Rex, his conſulendis diem dediſſet, Milidunum conuenimus. Vbi multi Archiepiſcopi, Epiſcopi, Clerici & Monachi confluentes, quia eorum terras lupo rapacior deuorabat, clamabant, pedibus eius etiam nolentis accubabant, vt rapaciſſimum prædonem Hugonem compeſceret, præbendas ſuas munificentia Regum in Belſa, quæ ferax eſt frumenti, ſeruitoribus Dei conſtitutas, de fauce draconis eripiat, terras Sacerdotum non minùs ſub ſæuitia Pharaonis ſolas emãcipatas emancipare ſatagat, partem Dei, cuius ad viuificandum portat Rex imaginem, Vicarius eius liberam reſtituat, ſupplicitet implorant. Quorum prece bono animo ſuſcepta, nihil inconuenienter ſuſcipiens, recedentibus Prælatis Eccleſiæ, Archiepiſcopo Senonenſi, Epiſcopo Aurelianenſi, Carnotenſi venerabili Iuone, qui tentus fuerat carcere, quem coactus fecerat pingi in eodem caſtello multis diebus, conſenſu bonæ memoriæ Abbatis Adæ anteceſſoris noſtri remiſit me in Tauriacum, cui præeram in Belſa, villam beati Dionyſij vtilem & fertilem, ſed nullo modo munitam: præcipiens vt dum ipſe eum adhuc ad cauſam ſuper his vocaret, villæ prouiderem, hominum ſuorum & noſtrorum manu militari pro poſſe fulcitam, ne eam incendio diſſolueret, operam darem. Eam enim muniret, & ſicut pater fecerat, caſtrum inde impugnaret. Quod cùm nos Deo auxiliante militum & peditum copia benè aliquantiſper temporis compleremus, conſumato Hugonis per abſentationem ſui iudicio, Rex ad nos Tauriacum magno cum exercitu deuenit, caſtrum abiudicatum ab illo Hugone repetiit. Nec mora cùm exire recuſaret, Rex maturat aggredi caſtrum, tam militarem quàm pedeſtrem ei applicat exercitum, baliſtam multiplicem, arcum, ſcutum, & gladium, & bellum: vt videres & valeres mirari viciſſim ſagittarum imbrem, galeatum fulgorantium ſuperius ſcintillare multis ictibus ignem, ſcutorum ſubitam & mirabilem confractionem & perforationem, & vt impulſi ſunt per portam in caſtrum, ab intus ſuper noſtras de propugnaculis & glande mirabilem & penè intolerabilem, etiam audaciſſimis deici grandinem, trabium depoſitione, & ſudium immiſſione incipere, non perficere repulſionem. Regales econtra fortiſſimo animi & corporis robore acerrimè dimicantes, ſcutis confractis, aſcellas, oſtia, & quæque lignea ſibi præponentes portæ inſiſtunt, carros etiam quos multa congerie ſiccorum lignorum adipis & ſanguinis cito fomento flammis accendendis onerari feceramus, (erant enim excommunicati, & omninò diabolici) portæ in manu forti opponunt, vt & ipſis carris incendium inextinguibile propinent, & ſeipſos oppoſito lignorum aggere tueantur. Cùmque alij accendere, alij extinguere periculosè concertant, Comes Theobaldus aliunde eam, ſcilicet parte qua reſpicit Carnotum, magno & militari & pedeſtri exercitu caſtrum aſſiliens, inuadere memor iniuriarum feſtinat: & dum ſuos arduo valli decliuo aſcendere concitat, citiùs deſcendere, imò corruere dolet,

A dolet, quos cautè quaſi per nos ſerpere ſurſum cogit, deorſum ſupinos incautè præcipitari reſpicit: & vtrum inſequentibus molis ſpiritum exhalent, cognoſcere ſatagit. Qui enim milites velociſſimis equis caſtri defenſionem circuibant, manualiter glandi innitentes, inopinatè dum ſuperuenirent, cædebant, detruncabant, & ab alto foſſati imo grauiter deiiciebant. Iamque manus diſſolutæ & debilitata genua aſſultum ſopitum penè fecerant, cùm valida, imo omnipotens omnipotentis Dei manus tantæ & tam iuſtæ vltionis cauſam ſibi omninò adſcribi volens, cùm Communitates patriæ parochiarum adeſſent, cuiuſdam caſu Presbyteri ſuſcitauit fortitudinis robuſtum ſpiritum, cui contra opinionem humanam datum eſt poſſibile, quod armato Comiti & ſuis contingebat impoſſibile. Velociter ſiquidem viliſſimam aſcellam ſibi præferens, fronte nudo aſcendens ad ſepem vſque peruenit, & latendo ſub his quæ ſæpi erant aptatæ, operturis, eas paulatim deponebat. Quod cùm liberè ſe facere gauderet, innuit hæſitantibus & vacantibus in campo vt opem ferrent. Qui videntes Presbyterum inermem fortiter clauſuram deiicere, armati inſiliunt, ſecures & quæque inſtrumenta ferrea clauſuris apponentes ſecant, diſrumpunt; & quod mirabile cœleſtis arbitrij ſignum fuit, ac ſi alterius muri Iericho cecidiſſent, eadem hora & Regis & Comitis exercitus ruptis clauſtris intrauerunt. Vnde quamplures eorum, cùm in neutram partem incurſus hoſtium hinc & inde conuolantium vitare non poſſent, interceptos citiſſimè grauiter*.
B Reliqui verò, necnon & ipſe Hugo, cùm intus caſtellum muro cinctum tuto non ſufficeret præſidio, immora ſcilicet turre lignea ſuperiori ſe recipit. Nec mora cùm ſe inſequentis exercitus pila minantia abhorreret, percuſſus deditioni ceſſit, & captiuatus in propria domo cum ſuis, quanta ſuperbia pariat ruinam miſerrimè compeditus animaduertit. Cùm verò Rex potitus victoria nobiles captos prædam Regiæ Maieſtati idoneam eduxiſſet, cunctam caſtri ſupellectilem, & omnes diuitias publicari, caſtrúmque incendio conflari imperauit. Turrim tantum incendere paucis debuit, ea de cauſa, quòd Comes Theobaldus immemor beneficij tanti facti, quod nunquam per ſe adipiſci valeret, machinabatur marchiam ſuam amplificare, caſtrum erigendo in poteſtate Puteoli, quod de feudo Regis fuerat, apud villam quæ dicitur Alona. Quod cùm Rex omninò recuſaret, Comes pactum hoc offerebat per Andream de Baldamento terræ ſuæ Procuratorem ratiocinare. Rex verò ratione & lege duelli nunquam ſe pepigiſſe, per Anſellum Dapiferum ſuum vbicumque ſecurè vellent defendere. Qui viri ſtrenui multas huic prœlio poſtulantes Curias, nullam inuenerunt. Subuerſo ergo omninò præfato caſtro, necnon & Hugone in turre Caſtri-Landulfi incluſo, Theobaldus Comes fretus auunculi ſui Regis Anglici inclyti Henrici auxilio, Regi LVDOVICO cum complicibus ſuis guerram mouet, terram turbat, Barones ſuos pollicitis & donis ſubtrahit, & quicquid deterius reipublicæ inuiſus machinatur. Rex autem, vt erat vir militiæ aptus, vlciſci in eum frequentabat: & cum
C multis aliis Baronibus, tum auunculo ſuo Comite Flandrenſe Roberto accito, viro mirabili, Chriſtianis & Sarracenis à primordio Hieroſolymitanæ viæ armis famoſiſſimo, terram eius expoliebat. Vnde cùm quadam die Meldenſi ciuitati exercitum induxiſſet contra Comitem, viſo eo, frendens in eum & ſuos inſiliit, nec fugitiuos veritus per pontem inſequi, proſternit, & Comite Roberto & ceteris Regni Optimatibus gladiis ſponte decidente fluctibus inuoluit. Virum expeditum Hectoreos videres mouere lacertos, ſuper pontem tremulum giganteos impetus actitare: ingreſſu periculo niti, permultis renitentibus villam occupare. Quod nec interpoſitus magnus Maternæ fluuius prohiberet, ſi trans flumen porta clauſa non reſtitiſſet. Nec minus præclaro facinore ſtrenuitatis famam nobilirauit, cùm Latiniaco exercitum mouens, obuianti militiæ in grata pratorum planitie iuxta Pomponiam arma conuertit, fugam celerem crebris affectare cogit colaphis. Qui cùm pontis proximi arcuum formidarent introitum, alij ſe influctuare grauiſſimo mortis periculo, timidè conſulentes vitæ non timuerunt. Alij ſeipſos pontem præripiendo calcantes arma reiciunt, & hoſtibus ſibi hoſtiliores, dum inſimul omnes volunt, vix vnus pontem ingreditur. Dúmque tumultuoſos eos confundit impetus, quantò feſtinant, tantò plures demorantur: & fit exinde vt nouiſſimi primi, & primi fiant nouiſſimi. Quia tamen pontis ingreſſus foſſato cingebatur, præſidio eis erat, quia Regij quirites niſi vnus poſt alium eos inſequi non valebant, nec ſic etiam ſine

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

LVDOVICVS VI. GROSSVS. magno ſui diſpendio, cùm multi niterentur, pauci pontem prendere poterant. A Qui autem quocumque modo intrabant, ſæpiùs aut ſe ſuorum aut noſtrorum turba turbata inuiti genu flectebant, & reſilienres alios idem facere cogebant. Inſecutus autem eos Rex cum ſuis multa ſtrage vrgebat, quos offendebat conterebat: quos conterebat, tam gladij impreſſione quàm fortiſſimi equi impulſione Maternæ fluuio iugurgitabat. Verùm ſicut inermes leuitate fluctuabant ſui, ſic & loricati pondere ſuo graues ſemel merſi ante trinam demerſionem comitum ſuffragio retrahuntur, rebaptizatorum opprobrium, ſi talis eſſet occaſio, referentes. His autem & huiuſmodi Rex Comitem angarians moleſtiis, terras eius, vbi tam in Brienſi quàm in Carnorenſi pago demolitur, nec eius præſentiam plus abſentia, nec abſentiam plus præſentia appretiatur. Cúmque Comes inſufficientiam & inertiam ſuorum formidaret, Regi Barones ſuos ſurripere callet, donis & promiſſis eos alliciens, & diuerſarum querimoniarum ſpem reſtitutionis antequam cum Rege faciat pacem repromittens. Inter quos Lancelinum Bulenſem Domnimartini dominum, Paganum de Monte-Gaio, quorum terra quaſi in biuio poſita ſecurum agitandi Pariſium porrigeret acceſſum, alligauit. Hac eadem cauſa Radulfum de Balgenciaco, cùm coniugem germanam cognatam Regis Hugonis Magni filiam haberet, illexit: & vtile præponens honeſto, vt prouerbialiter dici ſolet, ſtimulus anum accelerat, multa ſtimulatus anxietate nobilem ſororem inceſtuoſo matrimonio Miloni de Monte-Leherij, cui ſupra memorauimus Regem caſtrum reddidiſſe, irreuerenter copulauit. Quo facto & commeantium interrupit oportunitatem, B & tanquam in ipſo medio Franciæ conclaui procellarum & guerrarum locauit antiquam importunitatem. Et dum cum eo cognaros Hugonem de Caſtello-forti Cteciacenſem, & Guidonem de Rupe-forti ſurripit, pagum Pariſienſem & Stampenſem, ſi militia non prohibeatur, guerris exponit. Et dum Comiti Theobaldo & Brienſibus, & Trecenſi patruo Hugoni & Trecenſibus contra Pariſienſes & Siluanectenſes citra Sequanam, Miloni vltra, patulus aperitur acceſſus, ſubripitur patriæ ab alio aliis ſuffragari. Similiter & Aurelianenſibus, cùm Carnotenſes, Dunenſes, & Brienſes ſuffragio Radulfi Balgenciacenſis nullo oppoſito arcebantur. Rex verò ſæpiùs ſupra dorſum eorum fabricabat, cui nec Angliæ, nec Normanniæ opum profuſio parcebat, eùm inclitus Rex Henricus toto niſu, tota opera terram eius impugnabat, qui tantum his percellebatur, quantum ſi flumina cuncta minentur pelago ſubducere fontes.

XIX. INTEREA contigit decedere Curboilenſem Comitem Odonem, hominem non hominem, quia non rationalem, ſed pecoralem, filium Buchardi ſuperbiſſimi Comitis. Qui tumultuoſus, miræ magnanimitatis, caput ſceleratorum, eùm ad Regnum aſpirans quadam die arma contra Regem aſſumeret, gladium de manu porrigentis recipere refutauit, aſtanti coniugi Comitiſſæ inuectiuè ſic dicens:
» Præbe, nobilis Comitiſſa, nobili Comiti ſplendidum enſem lætabunda: quia qui
» Comes à te recipit, Rex hodie tibi reddet. Verùm è contrario, Deo diſponente, G contigit, vt nec quod erat, nec quod eſſe volebat, diem excederet; cùm eadem die lancea percuſſus Comitis Stephani ex parte Regis dimicantis, Regno pacem firmauerit, & ſe & ſuam guerram ad inferni nouiſſima infinitè debellando tranſtulerit. Mortuo itaque filio Odone Comite, Comes Theobaldus cum matre, & per Milonem, & per Hugonem, quibuſcunque poterant donis & datis, & pollicitis, omnimodam dabant operam, vt ſi hoc cum collateralibus caſtrum obtinere poſſent, Regem omninò euiſcerarent. Econtrà Rex & ſui eos refellendo, cùm multo & ſumptuoſo labore ad obtinendum inſudaſſet, abſque præfati Hugonis deliberatione, quia Comitis nepos erat, minimè potuit. Data igitur his explendis die & loco patenter malorum præſago, ſcilicet apud villam Epiſcopi Pariſienſis Moſaïcum cùm conueniſſemus, & in parte nociua, & in parte iuuatiua foret eius deliberatio, quia non potuimus quod voluimus, noluimus quod potuimus. Abiurato ſiquidem ab eo Curboilo caſtro, cuius ſe heredem iactabat, abiurauit nobis omnibus omnes angarias, omnes tallias, omnes vexationes omnium Eccleſiarum & Monaſteriorum poſſeſſionum, & datis obſidibus pro his omnibus, & quòd Puteolum nunquam abſque Domini Regis firmaret voluntate, perfidiâ, non arte deluſi rediuimus.

XX. NEC mora, cùm nec dum congelatum, ſed liquidum & recens adhuc ſacra-

A mentum floccifieret, Hugo longa exaſperatus captione inſtar canis diu cathenati, qui concepta & tenta longo tempore in vinculis inſania, ſolutus intolerabiliter deſæuit, excatenatus mordet, & diſcerpit. haud ſecus Hugo congelatam liquefaciens nequitiam, ſtimulat, mouet, ad fraudem accelerat. Confœderatus igitur Regni defœderatis, videlicet Palatino Comiti Theobaldo, & egregio Regi Anglorum Henrico, cùm Dominum Regem LVDOVICVM in Flandriam pro Regni negotiis profecturum accepiſſet, collecto quantocumque equitum & peditum potuit exercitu, Puteolum caſtrum reſtituere delibérat, adiacentem pagum aut euerſum iri, aut ſibi ſubicere maturat. Tranſiens igitur quodam Sabbato per euerſum caſtrum, vbi tamen publicum Regis permiſſione patebat forum, mirabili fraude hic ſecuritatem præcone vociferante iureiurando ſpondebat, ibidem quos ditiores addiſcere poterat inopinato carceri detrudebat, & vt bellua frendens, & quicquid occurrebat diſcerpens, Tauriacum villam beati Dionyſij munitam cum Comite Theobaldo euertere funditus feſtinat. Qui pridie nos conueniens, doli & nequitiæ gnarus, multa prece vt pro eo ad Dominum Regem intercedere eadem die tranſiremus, obtinuerat, abſentia noſtri villam abſque difficultate arbitratus ingredi, aut ſi ei reſiſtitur, omnino delere. Verùm qui in parte Dei & beati Dionyſij munitionem intrabant, & Dei auxilio & loci præſidio munitis propugnaculis tam viriliter quàm audaciſſimè reſiſtebant. Nos autem citra Curboi-
B lum venientes, cùm Domino Regi, qui iam rei veritatem à Normannia acceperat, occurreremus, citiſſimè inquiſita aduentus noſtri cauſa, ſimplicitatem noſtram deriſit, & cum multa indignatione Hugonis fraudem aperiens, ad ſuffragandum villæ velociſſimè remiſit. Et dum ipſe Stampenſi via exercitum colligens, nos rectiori & breuiori Tauriacum dirigimus: hoc vnum multo & frequenti intuitu à longe aſſumentes, nec dum occupatæ munitionis argumentum, quod triſtega turris in eadem munitione longa planitie ſupereminens apparebat, quæ capta munitione illico igne hoſte ſolueretur. Et quia hoſtes totam viciniam rapiendo, deuaſtando, occupabant, neminem occurrentium donis etiam aut promiſſis nobiſcum ducere poteramus. Vnde quanto pauciores, tanto ſecuriores, iàm ſole in veſperum declinante, cùm quia hoſtes noſtros tota die impugnantes expugnare non valentes, fatigati parum ſubſtitiſſent, nos ac ſi eſſemus de eorum conſortio, ſpeculata opportunitate, non ſine magno periculo per medium villæ irruentes: quia quibus munieramus in propugnaculis noſtrates portam parauerant, citiſſimè Domino annuente intrauimus. Qui noſtra exhilarati præſentia ſabbata hoſtium deridebant, multiſque conuitiis & opprobriis laceſſientes, ad reciprocum aſſultum me inuito & prohibente reuocabant. Verùm vt me abſente, ſic & præſente, & defenſores & defenſionem diuina manus protexit. Cúmque noſtrorum pauci de paucis, eorum multi de multis vulnerati deficerent, alij multiplici ſuorum lectica deportantur: alij raro viliſſimo terræ aggere retruſi, cras aut poſt cras morſibus luporum
C exponendi reponuntur. Nec dum Puteolum repulſi redierant, cùm Guillelmus Garlandenſis, & de familia Regis quamplures promptiores & validiores armati, villæ ſuffragari accelerant: eos circa inuenire ad oſtendendã Regiæ Miliciæ audaciam toto animo præoptant. Quos ipſe Dominus Rex ſtatim in aurora ſubſecutus, cùm eos per burgum hoſpitatos audiſſet, votiuam in hoſtes parabat vltionem, tanto hilaris, tanto lætabundus, quanto eos ſubita ſtrage, inopinata vltione inopinatam iniuriam ſtrenuè vleiſci contingeret. Verùm hoſtes cognito eius aduentu mirabantur factionem adeo cælatam ei innotuiſſe, iter Flandrenſe ſubitò poſtpoſuiſſe, ad ſuffragandum non tam celeriter veniſſe, quàm euolaſſe. Cúmque nihil aliud audientes caſtri reſtitutioni inſiſtunt, Rex propinquum pro facultate colligit exercitum. Multis enim eum in locis guerra vrgebat. Cúmque inſtante die Martis exercitum eduxiſſet, acies componit, duces præponit, ſagittarios & baliſtarios loco ſuo opponit, & pedetentim caſtro adhuc imperfecto appropinquans, quoniam audierant Comitem Theobaldum ſe iactitaſſe contra eum in campo dimicare, conſueta magnanimitate pedes armatus inter armatos deſcendit, equos remoueri iubet, quos deſcendere ſecum fecerat ad audaciam inuitat, ne flectantur ſollicitat, vt fortiſſimè dimicent clamat. Quem cùm adeo ſtrenuè venientem hoſtes & viderent & formidarent: veriti caſtri procinctum exire, timidè, ſed cautè, elegerunt infra quendam foſſatum antiquum diruti caſtri acies componere, ibique

expectare, in hoc callentes, vt cùm Regis exercitus foſſatum inniteretur conſcendere: illic acies ordinatæ exordinarentur, exordinatæ vacillarent. Quod magna de parte contingere contigit. Primo enim congreſſionis impetu cùm Regij quirites multa cæde, mira audacia, à foſſato eos ſicut victos propuliſſent: exordinatis aciebus eos indifferenter inſequentes agitabant. Interea Radulfus Baugenciacenſis, vir magnæ ſagacitatis & ſtrenuitatis, idipſum quod contigit prius formidans, exercitum celauerat in parte caſtri, altitudine cuiuſdam Eccleſiæ, & opacitate vicinarum domorum incognitum: qui cùm fugitiuos ſuos iam per portam exire videret, pauſatum exercitum laſſatis Regiis militibus apponit, grauiſſimèque impetit. Qui autem gregatim fugabant, loricarum & armorum grauitate pedes grauati, ordinatam peditum aciem vix ſuſtinere valentes, per occupatum foſſatum cum pedite Rege poſt innumeros ictus, poſt longam alternatim dimicationem retroceſſerunt: quantum ſapientia præſtet audaciæ, licet ſerò animaduertentes, cùm ſi eos ordinati in campo expectarent, voluntati ſuæ eos omninò ſubiugarent. Verùm cùm acierum confuſione ſoluti, nec equos ſuos reperirent, nec quid facerent deliberarent, Rex non ſuo, ſed alieno inſidens equo, animoſus reſiſtebat, clamoſus reuocabat, nominatim audaciores, ne fugerent, ſollicitabat. Ipſe autem inter hoſtiles cuneos exerto gladio, quibus poterat præſidio erat, fugaces refugabat, & vltra quàm deceret Maieſtatem miles emeritus militis officio, non Regis, ſingulariter decertabat. Cùm autem corruere exercitum equo laſſato ſolus prohibere non valeret, adeſt armiger, qui primum reducit dextrarium, cui citiſſimè B inſiliens vexillum præferens cum paucis in hoſtes regreditur, plures ſuorum captos mira ſtrenuitate eripit, quoſdam hoſtium validiſſimo impetu intercipit, & ne vlterius lædant exercitum, ac ſi Gades Herculis offendant, aut magno Oceano arceantur, refugos repellit, quibus priuſquam Puteolum regrediantur, quingentorum militum Normannorum, aut amplior occurrit exercitus: qui ſi maturiùs veniſſent, exercitu corruente, maius damnum inferre fortaſſis potuiſſent. Cúmque Regis exercitus circumquaque diſperſus, alij Aurelianum, alij Stampas, alij Piuerim tetēdiſſent, Rex Tauricum fatigatus deueniens, pulſus velut armentis primo certamine taurus explorat cornua truncis, & fortiſſimo pectore robur recolligens in hoſtem per ferrum magni ſecurus vulneris exit: haud ſecus Rex exercitum reuocans ſtrenuitati reformat, audaciam reparat, exercitus ruinam ſtultitiæ, non imprudentiæ reputat. Ineuitabiliter his aliquando militiam ſubiacere reportat, tanto ferociùs & audaciùs, ſi opportunitas condonet dimicare, iniuriam illatam punire, tam blanditiis quàm minis excitare laborat. Et dum tam Franci, quàm Normanni caſtri reſtitutioni inſiſtunt, (aderat enim cum Theobaldo Comite & exercitu Normannorum, & Milo de Monte-Leherij, & tam Hugo Creciacenſis, quàm frater eius Guido Comes de Rupe-forti, qui mille trecenti milites obſidionem Tauriaco minabantur:) Rex nullo timore flectebatur, quibus poterat nocte & die laceſſere iniuriis nitebatur, ne victualia longè quæritarent re- C fragabatur. Reſtituto itaque caſtro continua ſeptimana, cùm recedentibus quibuſdam Normannorum Comes Theobaldus cum exercitu multo remanſiſſet, recollecto robore Rex bellicum mouet apparatum, in manu forti Puteolum regreditur, hoſtem obuiantem conterit, per portam dimicando, & illatam iniuriam vlciſcendo, caſtro recludit, militum præſidia ne exeant reponit, antiquam anteceſſorum ſuorum deſtitutam motam, caſtro iactu lapidis propinquam occupat, caſtrum ſupererigit, miro labore, mira anxietate, ſi trabes vincti clauſuris non erigentur contra, fundibalariorum, baliſtariorum, ſagittariorum emiſſa pericula ſuſtinentes, grauiſſimè quidem, cùm qui eos angebant infra ſepta caſtri ſecuri extra iaculantes, nullam meriti mali hoſtium horrerent viciſſitudinem. Flagrat æmula victoriæ interiorum & exteriorum periculoſa concertatio, & qui læſi fuerant Regij quirites acerrimè lædere iniuriarum memores contendunt, nec ab incœpto deſiſtunt, donec ſubitam, ac ſi fatalem munitionem multo milite, multa armatura munierunt: certi mox vt receſſerit Rex, aut loci proximi importunitate ſe audaciſſimè defendere, aut hoſtium ſæuiſſimo gladio miſerrimè interire. Rediens itaque Tauriacum, viréſque recolligens alendo exercitui in præfata mota modò clam cum paucis, modò palam cum multis, per medias hoſtiū acies, victualia tam periculoſè quàm audacter deferebat: donec quia Puteolenſes, propinquitatis importunitate

A eos intolerabiliter vrgentes ob ſeditionem minabantur, Rex quominus caſtra mouit, Yonis-villam ferè vno milliario Puteolo propinquam occupat, inopinatè palo & vimine curiam interiorem cingit. Dúmque exercitus extra tentoria figit, Palatinus Comes Theobaldus collecto quantocumque potuit & ſuorum & Normannorum exercitus robore, impetu validiſſimo in eos irruit imparatos, nec dum munitos tam repellere, quàm proſternere animatur. Cui cùm Rex armatus extra obuiaſſet, viciſſim in campo grauiſſimè dimicatur, indifferenter tam lanceis, quàm gladiis: potiùs de victoria, quàm de vita agitur: de trophæo, quàm de morte conſulitur. Viri mirabilis audaciæ viderès experimentum, quoniam cùm exercitus Comitis ter tantum exercitu Regis numeroſior milites Regis in villam retruſiſſent: Rex ipſe cum paucis, videlicet nobiliſſimo Comite Viromandenſi Radulfo conſanguineo ſuo, Drogone Montiacenſi, duobus aut tribus aliis, dedignatus villam timore regredi, memor priſtinæ virtutis, elegit hoſtium impetus armatorum grauiſſimos, & penè innumerabiles ictus, quàm ſi coactus villam intrare cogatur, propriæ ſtrenuitati, & Regis excellentiæ derogare. Cúmque Comes Theobaldus, iam ſe victorem arbitratus, tentoria præfati Viromandenſis Comitis detruncare multa audacia inniteretur, aſſiſtit ei Comes mira velocitate, qui ei improperans nunquam hactenus Brienſes contra Viromandenſes talia præſumpſiſſe, irruit in eum, multóque conatu illatæ iniuriæ vicem rependens, fortiſſimè repellit. Cuius tam virtute, quàm

B clamore Regij exhilarati quirites in eos inſiliunt, toto animo eorum ſanguinem ſitientes aggrediuntur, cædunt, dehoneſtant, & vſque Puteolum, etiam ſi porta ſordeset, multis eorum retentis, pluribus interemptis, coactos retruſerunt: & vt ſe habeat belli dubius euentus, qui priùs ſe victores arbitrabantur, erubeſcunt victos, dolent captos, deplorant interemptos. Cúmque Rex deinceps in eos præualeret, Comes autem tanquam de ſummo rotæ exorbitans declinando deficeret per longam ſui & ſuorum defatigationem, poſt intolerabilem & conſumptiuam ſui ſuorúmque depreſſionem, quoniam quotidie Regis & ſuorum inualeſcebat fortitudo, & Regni Optimatum in Comitem indignantium frequentatio: præfatus Comes nactus recedendi occaſionem, heſterni vulneris ſuſceptione Regi nuntios delegat, interceſſores mittit, vt eum Dominus Rex ſecurè Carnotum redire concedat, ſuppliciter efflagitat. Cuius petitioni Rex, vt erat dulcis, & vltra humanam opinionem manſuetus, conſcendens, cùm multi diſſuaderent, ne hoſtē illaqueatum victualibus deficientibus dimitteret, ne deinceps repetitas iniurias ſuſtineret, relicto tam caſtro Puteolo, quàm Hugone arbitrio Regis, Comes Carnotum ſpe vana fruſtratus receſſit, & quod felici principio incœpit, infauſto fine terminauit. Rex verò non tātùm Hugonem Puteolēſem exheredauit, quàm etiam caſtrum Puteoli, dirutis mœniis & effoſſis puteis, tanquam locum diuinæ maledictioni patulum ſubuertens deplanauit.

SED & alia vice longo poſt tempore, cùm in gratiam Regis multis obſidibus, multis ſacramentis reductus eſſet, iterata fraude recalcitrans, & docilis Sciſſam ſceXXI.

C lerum viciſſe magiſtrum: iterato à Rege obſeſſus, iterato exheredatus, cùm Dapiferum eius Anſellum Garlandenſem Baronem ſtrenuum propria lancea perforaſſet: natiuam & aſſuetam dediſcere proditionem non valuit, donec via Hieroſolymitana, ſicut & multorum nequam aliorum, eius omni veneno inflammatam nequitiam vitæ ereptione extinxit.

CVM igitur ad pacis confœderationem inter Regem Angliæ & Regem Galliæ & Comitem Theobaldum, tam Regni Optimates, quàm religioſi viri operam commodarent, iuſto eorum arbitrio, qui contra Regnum conſpirantes ad propriam recuperationem querelarum, tam Regem Angliæ, quàm Comitem Theobaldum obligauerant, guerra cōſumpti, pace nihil lucrantes, quid fecerint, digna tandem ſententia animaduertunt. Cùm Lancelinus Comes Domnimartini querelam Beluacenſis conductus ſine ſpe recuperandi amiſerit, Paganus de Monte-Gaio, querela caſtri Linraci deceptus, cùm vno menſe idem caſtrum clauſura dirutum, ſequente verò multò fortius pecunia Regis Anglici reſtitutum præcordialiter doluerit: Milo verò de Monte-Leherij gratiſſimum de ſorore Comitis coniugium occaſione parentelæ dolens & gemebundus amiſit: nec tantum honoris & gaudij in receptione, quantum in diuortio dehoneſtationis & triſtitiæ ſuſcepit. Quod quidem egregiè factum virorum iudicio ex ea Canonum auctoritate aſſumptum eſt, vbi hæc habetur ſententia; Obligationes contra pacem in irritum omninò deducantur.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

A Qvia fortiſſima Regum dextera officij iure votiuo reprimitur tyrannorum audacia, quotiens eos guerris laceſſiri vident infinitè, gratulantur rapere, pauperes confundere, Eccleſias deſtruere, interpollata licentia, quâ ſi liceret ſemper inſanius inflammantur, malignorum inſtar ſpirituum, qui quos timent perdere magis trucidant, quos ſperant retinere omnino fouent, fomenta flammis apponunt, vt infinitè crudeliùs deuorent. Thomas ſiquidem de Marna homo perditiſſimus, Lvdovico Rege ſupradictis & multis aliis guerris attendente, pagum Laudunenſem, Remenſem, Ambianenſem, diabolo ei proſperante, quia ſtultorum proſperitas eos perdere conſueuit, vſque adeo dilapidauerat, furore lupino deuorauerat, vt nec Clero Eccleſiasticæ vltionis timore, nec populo aliqua humanitate pepercerit, omnia trucidans, omnia perdens, etiam Sancti Ioannis Laudunenſis Monaſterio Sanctimonialium duas villas peroptimas eripuerit, fortiſſima caſtella Creciacum & Nouigentum, vallo mirabili, altis etiam turribus tanquam proprias munierit, & ſicut draconum cubile, & ſpeluncam latronum adaptans, totam ferè terram tam rapinis, quàm incendiis immiſericorditer expoſuerit. Cuius intolerabili fatigata moleſtia, cùm ſederet Beluaci generali Conuentu Gallicana Eccleſia, vt in hoſtes veri ſponſi Ieſu Chriſti hic etiam iudicij primordia, & damnatiuam promulgare incipiat ſententiam, venerabilis ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Legatus Cono Præneſtinus Epiſcopus innumerarum pulſatus moleſtia querelarum, Eccleſiarum, pauperum, & orphanorum deuexationum tyrannidem mucrone beati Petri, anathemate ſcilicet generali detruncans, cingulum militarem ei licèt abſenti B decingit, ab omni honore tanquam ſceleratum, infamatum, Chriſtiani nominis inimicum omnium iudicio deponit. Tanti itaque Concilij Rex exoratus deploratione, citiſſimè in eum mouet exercitum, & Clero cui ſemper humillimè hærebat comitatus, Creciacum munitiſſimum caſtrum diuertit, armatorum potentiſſima manu, quin potius diuina, inopinatè caſtrum occupat: turrim fortiſſimam, ac ſi ruſticanum tugurium expugnat, ſceleratos confundit, impios piè trucidat, & quos quia immiſericordes offendit, immiſericorditer detruncat. Videres caſtrum ac ſi igne conflari infernali, vt fateri non differres, *Pugnabit pro eo Orbis terrarum contra inſenſatos.* Hac igitur potitus victoria, ſucceſſus vrgere ſuos promptus, cùm ad aliud caſtrum nomine Nouigentum tetendiſſet, adeſt qui ei referat: Nouerit ſerenitas tua, Domine mi Rex, in hoc ſcelerato caſtro ſceleratiſſimos illos demorari, qui ſolo inferorum loco digni erant, illi inquam, qui occaſione iuſſu veſtro amiſſæ Communię non ſolùm ciuitatem Laudunenſem, ſed & nobilem matris Domini cum multis aliis Eccleſiam igne ſuccenderunt: nobiles ciuitates ferè omnes, eo quòd vera fide ſuffragari domino ſuo innitebantur Epiſcopo, tam cauſa quàm pœna martyrizauerunt, ipſum Epiſcopum Galdricum venerabilem Eccleſiæ defenſorem, non veriti manum mittere in Chriſtum Domini, crudeliſſimè interfecerunt, beſtiis nudum & auibus in platea expoſuerunt, digitum cum annulo Pontificali truncauerunt, & cum ipſo ſuo nequiſſimo perſuaſore Thoma turrim ve- C ſtram ad veſtri heredationem occupare concertauerunt. Dupliciter ergo Rex animatus ſceleratum aggreditur caſtrum, diſrumpit inſtar inferorum pœnalia & ſacrilega loca, innocentes dimittens, & noxios grauiſſimè puniens. Vnus multorum iniurias vlciſcitur, quoſcunque homicidarum nequiſſimorum offendit, iuſtitiæ ſitibundus, miluorum, coruorum, & vulturum rapacitati paſtum generalem exhibens, & patibulo affigi præcipiens, quid mereantur, qui in Chriſtum Domini manum mittere non verentur, edocuit. Subuerſis ergo adulterinis caſtellis, eaſdem villas Sancto Ioanni reſtituens, ciuitatem Ambianenſem regreſſus turrim eiuſdem ciuitatis Adæ cuiuſdam tyranni Eccleſias & totam viciniam dilapidantem obſedit, quam ferè biennali coarctans obſidione ad deditionem defenſores cogens expugnauit, expugnatam funditus ſubuertit, eiúſque ſubuerſione pacem patriæ Regis fungens officio, qui non ſine cauſa gladium portat, gratantiſſimè reformauit, & tam ipſum præfatum Thomam nequiſſimum, quàm ſuos, dominio eiuſdem ciuitatis perpetualiter exheredauit.

Ne igitur quacunque terrarum parte locorum anguſtiis virtus Regia coarctari videatur (ſcitur enim longas Regibus eſſe manus,) accelerat ad eum de finibus Bituricenſium vir peritus linguæque venalis, Alardus Guilebaldi, qui ſatis Rhetoricè priuigni ſui querelam deponens, Domino Regi humillimè ſupplicat, rogans

A quatenus nobilem Baronem Haimonem nomine, Variam-vaccam cognomine, Burbonenſem Dominum, iuſtitiam recuſantem, imperialiter vnus traheret: nepotem maioris fratris, Erchembaldi ſcilicet filium, exheredantem tam præſumptuoſa audacia compeſceret, & Francorum iudicio, eorum quis quid habere debeat determinaret. Rex itaque tam amore iuſtitiæ, quàm Eccleſiarum & pauperum miſeratione, ne hac occaſione guerrarum malitia pullulante pauperes deuexati alienæ ſuperbiæ luerent pœnam, cùm præfatum Haimonem fruſtra in cauſam vocari feciſſet (recuſabat enim de iuſtitia diffidens) nulla remiſſus voluptate, aut pigritia, ad partes Bituricenſium cum exercitu multo tetendit. Germanicum eiuſdem Haimonis munitiſſimum caſtrum diuertens, multo conflictu impugnare contendit. Videns autem præfatus Haimo nullo modo ſe poſſe reſiſtere, iam & perſonæ & caſtri ſpe ſublata, hanc ſolam ſalutis ſuæ reperiens viam, pedibus Domini Regis proſtratus, & multorum admiratione ſæpiùs reuolutus, vt in eum miſericorditer ageret efflagitans, caſtrum reddit, ſeipſum Regiæ Maieſtatis arbitrio totum exponit, & quanto ſuperbiùs ſe ſubduxerat, tanto humiliùs his edoctus iuſtitiæ ſe reduxit. Rex vero retento caſtro, & eodem Haimone in Francia cauſæ reducto, Francorum iudicio aut concordia auunculi & nepotis litem tam iuſtiſſimè quàm piiſſimè diremit, multorúmque oppreſſiones & labores ſumptuoſo ſudore conſumpſit. Hæc & his ſimilia in partibus illis crebro clementiſſimè pro quiete Eccleſiarum & pauperum patrare conſueuit, quæ quia ſi ſtilo traderentur, tædium generarent, ſuperſedere dignum duximus.

B HABET effrenis elatio hoc ampliùs ſuperbia, vt cùm hæc ſuperioritatem, illa nihilominus dedignetur paritatem: cui illud conuenit poëticum;

Nec quenquam iam ferre poteſt Cæſarve priorem,
Pompeiusve parem. ------

Et quoniam omnis poteſtas impatiens conſortis erit, Rex Francorum Ludouicus, ea qua ſupereminebat Regi Anglorum Ducique Normannorum Henrico ſublimitate, in eum ſemper tanquam in feodatum ſuum efferebatur. Rex verò Anglorum, & Regni nobilitate, & diuitiarum opulentia mirabili, inferioritatis impatiens, ſuffragio nepotis Theobaldi Palatini Comitis, & multorum Regni æmulorum, vt eius dominio derogaret, Regnum commouere, Regem turbare nitebatur. Reciprocatur ergo inter eos antiquarum guerrarum recidiua malitia, dum Rex Angliæ cum Comite Theobaldo, quoniam eos Normanniei & Carnotenſis pagi copulabat affinitas, proximam Regis marchiam impugnare concertant: Comitem Moritoilenſem Stephanum, alterius fratrem, alterius nepotem, ad alias partes, videlicet Brienſium, cum exercitu tranſmittunt, formidantes ne abſentia Comitis terram illam ſubitò Rex occuparet. Qui nec Normannis, nec Carnotenſibus, nec etiam Brienſibus parcere ſuſtinebat, cùm in vtrorumque medio tanquam in circino poſitus, modò in iſtos, modò in illos terrarum diſſipatione, crebro etiam conflictu Regiæ Maieſtatis animoſitatem declarauerat. Verùm quia

C Normannorum marchia, tam Regum Anglorum, quàm Normannorum Ducum nobili prouidentia, & nouorum poſitione caſtrorum, & inuadabilium fluminum decurſu extra alias cingebatur, Rex quia his callebat tranſitum in Normanniam ſibi affectans, cum pauca militum manu, vt ſecretiùs agendis prouideat, ad eandem marchiam contendens, viros cautè præmittit, qui tanquam viatores loricati ſub cappis & gladiis cincti, publica via deſcendentes ad villam quæ dicitur Vadum-Nigaſij, villam antiquam, patulum & gratum Francis præbere paratam ad Normannos acceſſum, quæ Ettæ fluuio circumfluente eùm in medio ſui tutum præbeat, extra inferius & ſuperius longè prohibet tranſitum, ſubitò cappas deponunt, gladios exponunt, accolas animaduertentes & armis grauiſſimè inſiſtentes fortiſſimè reſiſtendo repellunt; cùm ſubitò Rex iam penè laſſatis per decliuum montis periculoſe accelerans opem oportunam ferre præcipitat, tam villæ atrium quàm munitam turre Eccleſiam non ſine ſuorum damno occupat. Cúmque Regem Angliæ propè cum exercitu multo, vt ſemper conſueuit, competiſſet, Barones ſuos aſciſcit, adiurando vt ſe ſequantur inuitat. Aduentare feſtinant Comes Flandriæ Balduinus apprimè militaris, elegans iuuenis & facetus, Comes Andegauenſis Fulco, multiq; Regni Optimates, qui rupta Normanniæ clauſura, alij villam muniunt, alij terram longa pace opimam tam rapinis quàm incendiis exponunt,

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

& quod inſolitum fuerat, præſente Rege Anglorum circumquaque deuaſtantes A
intolerabiliter confundunt. Interea idem Rex Angliæ caſtelli apparatum multa
inſtantia præparat, operoſos ſollicitat, & dum Rex ſuum præſidio militum nuntium
relinquit, ipſe ſuum proximo monte erigit caſtrum, vt exinde militari copia bali-
ſtariorum & ſagittariorum repulſione & cibaria terræ eis excuteret, pro his terram
ſuam iugi neceſſitate confundere coarctaret. Cui Rex Francorum iaculata retor-
quens, abſque mora vicem reddit, cùm ſubito collecto exercitu, ſicut qui teſſeris
ludit in aurora remeans, nouum illud caſtrum, quod vulgo nominabatur Male-
ſeſſum, virtuosè aggreditur, multo conatu, multa grauiſſimorum ictuum donatio-
ne & receptione (tali enim foro tale vulgo ſoluitur theloneum) viriliter ſuppedi-
tat, diripit, & peſſumdat, & ad Regni excellentiam, & oppoſiti contumeliam,
quicquid machinatum inde fuerat vera virtute diſſoluit. Et quoniam nulli fortu-
na aliquando parcit poteſtariua, cùm dicatur;

Si fortuna volet, fies de Rhetore Conſul,
Si volet hæc eadem, fies de Conſule Rhetor.

Rex Angliæ poſt longos & mirabiles placidiſſimæ proſperitatis ſucceſſus, quaſi de
ſummo rotæ deſcendens, mirabili & infauſto rerum angariatur euentu: cùm ex
hac parte Rex Franciæ, ex parte Pontiuorum Flandriæ affinitate Comes Flandren-
ſis, ex parte & Normannorum Comes Fulco Andegauenſis, omninò eum turba-
re, omninò eum aggredi, tota virtute contenderunt. Qui nec exteriorum tan- B
tùm, ſed interiorum hominum ſuorum, Hugonis videlicet Gornacenſis, Comitis
Oenſis, Comitis Albemarlenſis, & multorum aliorum laceſſiebatur guerrarum
iniuriis. Qui etiam ad cumulum mali inteſtino malitiæ deuexabatur diſpendio,
cùm & Camerariorum priuata factione perterritus, ſæpè lectum mutaret, ſæpè no-
cturno timori vigiles armatos multiplicaret, ante ſe dormientem ſcutum & gla-
dium omni nocte conſtitui imperaret: horum verò vnus H. nomine familiarium
intimus, Regis liberalitate ditatus, potens & famoſus, famoſior proditor, tam hor-
ribili factione deprehenſus, oculorum & genitalium amiſſione, cùm laqueum ſuf-
focantem meruiſſet, miſericorditer eſt damnatus. His & talibus Rex nuſquam
ſecurus, natiuæ magnanimitatis ſtrenuitate conſpicuus, in arto prouidus, etiam
in oſtio gladio cingebatur, nec quos fidiores habebat, extra domos gladiis excingi,
quacunque multa tanquam ludo impunitos ſuſtinebat. Qua tempeſtate quidam
etiam Engerrannus de Caluomonte, vir ſtrenuus & cordatus, audacter militari ma-
nu progrediens caſtellum, cui nomen Andeliacum, quorundam factione clam
munitis propugnaculis ſtrenuè occupauit, fretúſque Regis præſidio occupatum
audaciſſimè muniuit, quo terram vſque ad fluuium qui dicitur Andella, à fluuio
Ettæ vſque etiam ad pontem Sancti Petri omninò ſubiacere cogebat. Qui multo-
rum ſe etiam ſuperiorum fretus comitatu, ipſi etiam Regi in plano occurrebat, re-
deuntem reuerenter inſequebatur, eiúſque terra à termino ſupradicto pro ſua vte-
batur. Ex parte etiam Cinomannorum cùm idem Rex obſeſſis in turre Alenciaci C
caſtri præſidia ferre cum Comite Theobaldo multa mora decreuiſſet, à Comite
Fulcone repulſam referens, & multos ſuorum, & cum caſtello eo inglorius facto,
turrim amiſit. Cúmque his & talibus multo tempore anxiatus penè in vnum de-
clinaſſet: cùm iam diuina propitiatio durè flagellato, & aliquantiſper caſtigato,
(erat enim Eccleſiarum liberalis ditator, & eleemoſynarum dapſilis diſpẽſator, ſed
laſciuus parere) & à tanta eum depreſſione miſericorditer ſubleuare decreuiſſet,
ex inſperato inferioritatis eius aduerſitas in ſummam rotæ proſperitatem ſubitò re-
ducitur, cùm & altiores turbatores potiùs manu diuina, quàm ſua, aut ſupremè de-
clinant, aut omninò deficiunt, ſicut ipſa diuinitas conſueuit iam penè deſperatis &
humano auxilio deſtitutis miſericordiæ dexteram miſericorditer extẽdere. Comes
ſiquidem Flandrenſis Balduinus, cuius grauiſſima infeſtatione grauiter idem Rex
infeſtabatur, ſæpiùs in Normanniam irruens, cùm ad debellandum Oenſe caſtel-
lum, & maritimam viciniam, animo effrenis militiæ vacaret, ſubitò, ſed raro ictu
in facie lancea percuſſus, dedignatus tantilla ſibi prouidere plaga, mori non dedi-
gnatus, non tantùm Regi Angliæ, ſed omnibus deinceps finem faciens parcere
elegit. Præfatus itaque Engerrannus de Caluomonte, vir audaciſſimus, & eiuſ-
dem Regis infeſtator præſumptuoſus, cùm beatæ Mariæ matris Domini Rhoto-
magenſis Archiepiſcopatus terram deſtructum iri non obhorreret, grauiſſimo ta-

A ctus morbo poſt longam ſui exagitationem, poſt longam & intolerabilem proprij corporis meritam moleſtiam, quid Reginę cœlorum debeatur, licèt ſerò addiſcens, vita deceſſit. Comes etiam Andegauenſis Fulco, cùm & proprio hominio & multis ſacramentis, obſidum etiam multiplicitate Regi LVDOVICO confœderatus eſſet, auaritiam fidelitati præponens, inconſulto Rege, perfidia inflammatus, filiam ſuam Regis Anglici filio Guillelmo nuptui tradidit, & compactas ſacramento inimicitias tali eum eo amicitiæ coniunctus copula fraudulentus diſſoluit. Rex itaque Ludouicus cùm terram Normanniæ ea de parte in conſpectu ſuo ſilere coëgiſſet, modò multa, modò pauca manu indifferenter rapinis eam exponebat, tam Regem, quàm ſuos longa deuexationis conſuetudine omninò floccifaciens vilipendebat. cum ſubitò quadam die Rex Angliæ collectis multorum viribus, ſpeculatus Regis Francorum improuidam audaciam, ordinatas militum acies occultè in eum dirigit, incendia vt in eum exordinariè inſiliant, ponit milites armatos vt fortiùs committant, pedites deponit, quacumque belli cautela ſibi prouidere poteſt ſagaciter ſatagit. Rex autem cum ſuis nullum prœlij conſtituere dignatus apparatum, in eos indiſcretè, ſed audaciſſimè euolat, eùm priores, qui dextras applicuerunt, Vilcaſſinenſes, cum Buchardo Mommoriacenſi, & Guidone Claromontenſi, primam Normannorum aciem fortiſſima manu cædentes à campo marte mirabili fugauerunt, & priores equitum acies ſuper armatos pedites validiſſima manu repulerunt. Verùm qui eos ſequi propoſuerant, Franci incompoſiti extraordinariè
B ordinatis & compoſitis aciebus inſiſtentes, ſicut ſe res in talibus habet, eorum compoſitam inſtantiam ferre non valentes ceſſerunt. Rex autem lapſum admiratus exercitum, vt conſueuerat in aduerſis conſtantiam ſui ſuorúmque præſidio armis conſulens quàm decentiùs poteſt, non tamen ſine magno erratici exercitus detrimento, Audeliacum properauit. Quo ſubiti euentus infortunio aliquantiſper leuitate proptia læſus, ne diutiùs hoſtes inſultent, tanquam ſi vlterius Normanniam intrare non audeat: ſolito multò animoſior in aduerſis, & quod tantum virorum eſt, conſtantior, exercitum reuocat, abſentes adſciſcit, Optimates Regni inuitat, die certa & terram intrare & certamen celeberrimum inire Regi Anglorum ſignificat: & quod ei promittit tanquam iureiurando, pactum perſoluere feſtinat. Irruens ſiquidem in Normanniam mirabili exercitu eam depopulando, cùm caſtrum munitiſſimum, quod dicitur Iuriacum, multo congreſſu expugnatum, incendio conflari effeciſſet, Britoilum vſque peruenit. Qui aliquantiſper in terra demoratus, nec Regem Anglorum videre, nec in quem ſufficiat illatam vindicare reperiens iniuriam: vt etiam in Comitem Theobaldum redundaret, Carnotum regreſſus, impetu validiſſimo vrbem aggrediens, Igne conflagrare concertabat, eùm ſubitò tam Cleri, quàm ciues beatæ Dei genitricis Camiſiam præferentes, vt pro eius amore tanquam Eccleſiæ tutor principalis miſericorditer parcat, deuotiſſimè ſupplicant, in ſuos alienam ne vlciſcatur iniuriam implorant. Quorum Rex ſupplicationibus Regiæ Maieſtatis inclinans celſitudinem, ne nobilis beatæ
C Mariæ cum ciuitate igne ſolueretur Eccleſia, Comiti Flandrenſi Karolo mandat, vt exercitum reuocet, & Eccleſiæ amore & timore ciuitati parcat. Qui cùm repatriaſſent, momentaneum infortunium longa, continua, & grauiſſima vltione punire non deſiſtebant.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

EA tempeſtate venerandæ memoriæ ſummum Pontificem Romanum Paſchalem ab hac ad lucem perpetuam contigit demigrare. Cui cùm de Iohanne Gaitano Cancellario electione canonica conſtitutus Papa Gelaſius ſucceſſiſſet, & cuiuſdam Burdini depoſiti Bracarenſis Archiepiſcopi, Imperatoris Henrici violentia in Sedem Apoſtolicam intruſi, & populi Romani conductitia infeſtatione intolerabiliter fatigaretur, & à ſancta Sede eorum tyrannide arceretur, ad tutelam & protectionem ſereniſſimi Regis LVDOVICI, & Gallicanæ Eccleſiæ compaſſionem, ſicut antiquitus cōſueuerunt, confugit. Qui cùm nauali ſubſidio, (pauperie quippe multa angebatur) applicuiſſet Magalonam arctam in pelago inſulam, cui ſupereſt ſolo Epiſcopo, Clericis & rara familia contempta, ſingularis & priuata, imò tamen propter mare cōmeantium Sarracenorum impetus, munitiſſima ciuitas, à Domino Rege, quia iam aduentum eius audierat, deſtinati mandata depoſuimus, diem certam locúmque Viziliaci mutui colloquij cum eius benedictione, quia Regni primitias obtuleramus, gratanter reportauimus. Cui cùm Dominus Rex occur-

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

rere maturaret, nuntiatum eſt eundem ſummum Pontificem podagrico morbo diu A laborantem, tam Romanis, quàm Francis vitæ depoſitione pepercíſſe. Cuius Apoſtolicis exequiis cùm multi religioſorum virorum, & Eccleſiæ Prælatorum intereſſe feſtinaſſent, aſtitit virorum venerabilis Guido Viennenſis Archiepiſcopus, Imperialis & Regiæ celſitudinis diriuatiua conſanguinitate generoſus, multo generoſior moribus, qui cùm in ſomnis proxima nocte apto ſatis, licèt ignoto præſagio, vidiſſet ſibi à perſona præpotente Lunam ſub chlamyde repoſitam committi, ne cauſa Eccleſiæ Apoſtolici tranſitu periclitaretur, ab ea, quæ aderat, Romana Eccleſia in ſummum Pontificem electus, viſionis veritatem enucleatiùs animaduertit. Sublimatus itaque tantæ celſitudinis dignitate, glorioſè, humiliter, ſed ſtrenuè Eccleſię iura diſponens, amore & ſeruitio Domini Ludouici Regis, & nobilis Adelaidis Reginæ neptis, aptiùs Eccleſiaſticis prouidebat negotiis. Remis itaque celeberrimum celebrans Concilium, cùm Legatis Imperatoris Henrici pro pace Eccleſiæ ſedere differens, in marchiam verſus Moſomum occurriſſet, nec profeciſſet, quemadmodum & anteceſſores fecerant, anathematis vinculo pleno Francorum & Lotharingorum Concilio innodauit. Cùm autem Eccleſiarum votiuis ditatus beneficiis glorioſè Romam perueniſſet, glorioſa tam Cleri, quàm populi Romani ſuſceptus receptione, multis anteceſſorum ſuperiorum Eccleſiæ cùram feliciter adminiſtrabat. Nec multam adhuc in Sede ſancta fecerat moram, cùm Romani eius tam nobilitati quàm liberalitati fauentes, intruſum ab Imperatore ſchiſmaticum Burdinum, apud Sutram ſedentem, & ad limina Apoſtolorum tranſeuntes B Clericos genu flectere compellentem, expugnatum tenuerunt, tortuoſo animali camelo, tortuoſum Antipapam, immo Antichriſtum, crudis & ſanguinolentis pellibus caprinis amictum, tranſuerſum ſuperpoſuerunt, & ignominiam Eccleſiæ Dei vlciſcentes, per medium ciuitatis via regia, vt magis publicaretur, educentes, imperante domino Papa Calixto perpetuo carcere in montanis Campaniæ prope S. Benedictum captiuatum damnauerunt, & ad tantæ vltionis memoriæ conſeruationem in camera Palatij ſub pedibus Domini Papæ conculcatum depinxerunt. Domino itaque Calixto glorioſè præſidente, & raptores Italiæ & Apuliæ perdomante, Pontificalis cathedræ lucerna non ſub medio, ſed ſuperpoſita monti clarè elucebat beati Petri Eccleſia, & reliquæ vrbis & extra amiſſa recuperantes tanti domini gratiſſimo fruebantur patrocinio. Cui cùm in Apulia apud ciuitatem Botontum miſſus à Domino Rege Ludouico pro quibuſdam Regni negotiis occurriſſem, vir Apoſtolicus tam pro Domini Regis, quàm pro Monaſterij noſtri reuerẽtia honorificè nos recepit, & diutiùs retinere vellet, ſi Eccleſiæ noſtræ amore, & ſociorum Abbatis S. Germani ſocij & connurriti, & aliorum perſuaſione non deuocaremur. Peractis itaque Regni quæ ſuſceperamus negotiis, cùm proſperè redire maturaremus, vt peregrinorum mos eſt hoſpitio ſuſcepti quadam villa, cùm finitis Matutinis auroram expectando veſtitum in lecto me reddidiſſem, ſemiuigilans videor videre me alto maris ſpatio exiguo lembo ſolum omni remigio G deſtitutum vagari, frequenti fluctuum motu, modò aſcendendo, modò deſcendendo periculoſè fluctuare, percuſſum horrido naufragij timore diuinitatis aures multo clamore ſollicitare: cùm ſubitò diuina propitiatione lenis & placida aura, tanquam ſudo aëre ſuſcitata tremulam & iritam periclitantem miſeræ naviculæ proram in directum retorquens, opinione citiùs applicans portum placidum apprehendit. Excitatus autem crepuſculo, iter cœptum aggrediens, cùm viſionem & viſionis interpretationem, & memorare & aſſignare eundo multa meditatione laborarem (timebam enim fluctuum infeſtatione aliquod graue infortunium mihi ſignificari) occurrit ſubitò puer familiaris, qui meos méque recognoſcens, lætus & triſtis ſingularem educit, Domini noſtri bonæ memoriæ Abbatis Adæ anteceſſoris deceſſum denuntiat, communem de perſona noſtra pleno conuentu factam electionem. Sed quia inconſulto Rege factum fuerat, meliores & religioſiores Fratrum, milites etiam nobiliores cùm obtuliſſent Domino Regi electionem vt aſſenſum præberet, multis affectos conuitiis, Aurelianis caſtello incluſos reportat. Obortis itaque lachrymis Patri ſpiritali, & nutritori meo humanitatis & pietatis affectu compatiens, de morte temporali grauiter dolens, à perpetua eum erui deuotiſſimè diuinam implorabam propitiationem. Cùm autem & multorum conſolatione comitum, & ipſa mei diſcretione ad meipſum rediſſem, triplici angebar

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

A diſpendio, vtrum contra Domini Regis voluntatem electionem ſuſcipiens, Eccleſiæ Romanæ rigore, & domini Papæ Calixti, qui me diligebat, auctoritate matrem Eccleſiam, quæ à mamilla gratiſſimo liberalitatis ſuæ gremio dulciſſimè fouere non deſtiterat, dilapidare & emungere vtroque diſſipatore; occaſione mei, cùm nunquam tale quid affectaſſent, ſuſtinerem, vtrum fratres & amicos pro amore noſtro deturpari & dehoneſtari regio carcere permitterem; vtrum etiam pro his & huiuſmodi eam poſtponens tantæ improperium repulſæ incurrerem. Cùmque de meis aliquem domino Papæ, vt ſuper his conſuleret, remittere deliberarem; ſubitò occurrit nobis Clericus Romanus nobilis & familiaris, qui quod ſumptuoſo labore per noſtros volebamus, per ſeipſum facere votiuè ſuſcepit. Præmiſimus etiam de noſtris eum eo qui venerat ad Regem vnum, vt quem finem turbati negotij confuſio reperiſſet, nobis referrent. Neque enim incautè Regiis moleſtiis nos exponeremus. Subſequentes itaque ſicut ſi mari magno abſque remige fluctuaremus, turbati, incerti rei euentus, eum grauiſſimè anxiaremur, Dei omnipotentis largà propitiatione, placida aura naufragantem nauem applicante, inopinatè redeunt, qui Domini Regis pacem, captorum ſolutionem, electionis confirmationem reportant. Nos autem ex hoc ipſo voluntatis Dei argumentum aſſumentes (voluntas enim Dei fuit, vt citò occurreret quod volebamus) cùm ad matrem Eccleſiam, Deo opitulante, perueniſſemus, tam dulciter, tam filialiter, tam nobiliter filium prodigum ſuſcepit, vt & Dominum Regem priùs ſeuero, modò ſereno vultu oc-
B currentem, Archiepiſcopum Bituricenſem, Epiſcopum Siluanectenſem, & Eccleſiaſticas plures perſonas ibidem nos expectantes gratulanter inuenerimus. Qui cùm multa veneratione celerrimè cum lætabundo Fratrum Conuentu nos ſuſcepiſſent, ſequente die, Sabbato ſcilicet Medianæ, me indignum ordinauit Presbyterum. Sequente autem Dominica, *Iſti ſunt dies*, ibidem ante ſacratiſſimùm corpus beati Dionyſij Abbatem licet immeritum conſecrauit. Quo conſueto Dei omnipotentiæ facto, quanto ab imo ad ſummum de ſtercore erigens pauperem, vt ſedere cum Principibus faceret, ſublimauit, tanto humiliorem, & ſi fragilitas humana non impediat, in omnibus deuotionem manus tam dulciſſima quàm potentiſſima comparauit. Quæ cùm in omnibus clementer paruitati noſtræ proſperata fuerit, (nouit enim inſufficientiã noſtri tam generis quàm ſcientiæ) inter antiquorum prædiorum Eccleſiæ recuperationem, & nouorum acquiſitionem, & Eccleſiæ circumquaque augmentationem, & ædificiorum reſtitutionem, ſiue inſtitutionem, hoc potiſſimum & gratiſſimum, immo ſummam præſtitit miſeratus prærogatiuam, quòd ſanctæ Eccleſiæ ſuæ ad Sanctorum, immo ſui honorem, Ordinem ſanctum ibidem plenè reformauit; ſanctæ Religionis propoſitum quod ad Deo fruendum peruenitur, abſque ſcandalo & perturbatione Fratrum, licèt non conſueuerint; pacificè conſtituit. Cuius voluntatis diuinæ efficaciam tantæ libertatis bonæ famæ & terrenæ opulentiæ ſubſecuta eſt affluentia, vt etiam in præſentiarum, quo magis noſtra excitetur puſillanimitas, quodammodo cognoſcatur, nos
C ipſos remuneratione etiam temporali remunerare, cùm & Apoſtolici Reges & Principes; felicitatibus Eccleſiæ congratulari delectet, gemmarum pretioſarum, auri & argenti, palliorum & aliorum Eccleſiaſticorum ornamentorum affluentia exinde exuberet, vt rectè dicere valeamus; *Venerunt mihi omnia bona pariter cum illa.* Quo experimento gloriæ futuræ Dei Fratres ſucceſſores noſtros obteſtando per Dei miſericordiam, & terribile eius iudicium ſollicitamus, ne ſanctam Religionem, quæ & homines & Deum conciliat, confracta conſolidat, perdita reſtaurat, pauperratem opimat, tepeſcere permittant: quia ſicut timentibus Dominum nihil deeſt, non timentibus etiam Regibus omnia, ipſi quoque ſibi deficiunt.

SEQVENTE itaque ordinationis noſtræ anno, ne ingratitudine argueremur (ſancta quippe Romana Eccleſia ante noſtram promotionem tam Romæ, quàm alibi, multis & diuerſis Conciliis tam pro Eccleſia noſtra, quàm pro aliis agentem, benignè ſuſceperat, gratanter diſſerentem audierat, negotia noſtra me alternis erexerat) ad eam viſitandam properantes, à domino Papa Calixto & tota Curia honorificè valde recepti per ſex menſes, cùm apud eum demorando magno Concilio trecentorum aut amplius Epiſcoporum Lateranis compoſitioni pacis de querela inueſtiturarum aſtitiſſemus, orationis cauſa frequentatis diuerſis Sanctorum locis, videlicet S. Benedicti Caſſini, S. Bartholomæi Beneuenti, S. Matthæi Salerni,

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

S. Nicolai Bari, ſanctorum Angelorum Gargeni, Deo opitulante, cum gratiis & A
domini Papæ amore, & formatis Epiſtolis proſpetè remeauimus. Cùm auten &
alia vice poſt aliquor annós nos dulciſſimè vt magis honoraret, & ſicut in litris
ſuis continebatur libenter exaltaret, ad Curiam reuocaſſet apud Lucam Tuſciæ ɩ-
uitatem, deceſſus eius veritatem cognoſcentes, Romanorum nouam & veteren
auaririam deuitando, retroceſſimus. Cui ſucceſſit de Hoſtienſi Epiſcopo appro-
bata perſona aſſumptus Papa Honorius vir grauis & ſeuerus. Qui cùm iuſtitiam
noſtram de Monaſterio Argentoilenſi puellarum miſerrima conuerſatione infa-
mato, tum Legari ſui Mathæi Albanenſis Epiſcopi, tum domini Carnotenſis,
Pariſienſis, Sueſſionis, domini etiam Archiepiſcopi Remenſis Rainaldi, & multo-
rum virorum teſtimonio cognouiſſet, præcepta Regum antiquorum, Pipini, Ca-
roli Magni, Ludouici Pij, & aliorum, de iure loci præfati, à nuntiis noſtris oblata
perlegiſſer, Curiæ totius perſuaſione, tam pro noſtra iuſtitia, quàm pro earum fœ-
tida enormitate, beato Dionyſio & reſtiruit & confirmauit. Vt autem ad propoſi-
tum recolendæ Regis Hiſtoriæ reuertamur, ante Domini Papæ Calixti deceſſum,
Imperator Henricus collecto longo animi rancore contra Dominum Regem Lu-
douicum, eo quòd in Regno eius Remis in Concilio domini Calixti anathemate
innodatus fuerat, exercitum quantumcunque poteſt Lotharingorum, Aleman-
norum, Baioariorum, Sueuorum, & Saxonum, licèt eis infeſtaretur, colligit, alió-
que tendere ſimulans conſilio Regis Anglici Henrici, cuius filiam Reginam duxe- B
rat, qui etiam Regi guerram inferebat, Remis ciuitatem inopinatè aggredi machi-
natur, proponens aut eam ſubirò deſtruere, aut tanta dehoneſtatione & oppreſſio-
ne ciuitatem obſidere, quanta dominus Papa in eum agens ſedit ſeſſione. Quod
cùm Domino Regi Ludouico intimorum relatione innotuiſſet, tam ſtrenuè, quàm
audacter delectum quem non expectat cogit, nobiles aſciſcit, cauſam exponit. Et
quoniam beatum Dionyſium ſpecialem patronum, & ſingularem poſt Deum Re-
gni protectorem, & multorum relatione & crebro cognouerat experimento, ad
eum feſtinans, tam precibus quàm beneficiis præcordialiter pulſat, vt Regnum
defendat, perſonam conſeruet, hoſtibus more ſolito reſiſtat. Et quoniam hanc
ab eo habent prærogatiuam, vt ſi Regnum aliud Regnum Francorum inuadere
audeat, ipſe beatus & admirabilis defenſor cum ſociis ſuis, tanquam ad defenden-
dum altari ſuo ſuperponatur, eo præſente fit tam glorioſè, quàm deuotè. Rex au-
tem vexillum ab altari ſuſcipiens, quod de Comitatu Vilcaſſini, quo ad Eccleſiam
feodatus eſt, ſpectat, votiuè tanquam à Domino ſuo ſuſcipiens, pauca manu contra
hoſtes, vt ſibi prouideat, euolat, vt eum tota Francia ſequatur potenter inuitat.
Indignata igitur hoſtium inuſitatam audaciam vſitata Franciæ animoſitas, circum-
quaque mouens militarem delectum, vires & viros priſtinæ virtutis & antiquarum
memores victoriarum delegat. Qui cùm Remis vndecunque potenter conueniſ-
ſemus, tantæ militaris & pedeſtris exercitus copiæ apparebant, vt viderentur ſu-
perficiem terræ more locuſtarum, non tantùm ſecus decurſus aquarum, ſed etiam G
montanis & planiriе deuorare. Vbi cùm Rex continuata ſeptimana Theutonico-
rum præſtolaretur incurſum, tali inter Regni Proceres deliberatione res diſpone-
» batur; Tranſeamus, inquiunt, audacter ad eos, ne redeuntes impunè ferant, quod
» in terrarum Dominam Franciam ſuperbè præſumpſerunt. Sentiant contumaciæ
» ſuæ meritum, non in noſtra, ſed in terra ſua, quæ iure Regio Francorum Francis
» ſæpè perdomita ſubiacet, vt quod ipſi furtim in nos machinabantur attemptare,
» nos in eos coram retorqueamus. Aliorum autem perita ſeueritas perſuadebat eos
diutiùs expectare, ingreſſos marchiæ fines, cùm iam fugere intercepti nequirent,
expugnatos proſternere, tanquam Sarracenos immiſericorditer trucidare, inhu-
mata barbarorum corpora lupis & coruis ad eorum perennem ignominiam expo-
nere, tantorum homicidiorum & crudelitatis cauſam terræ ſuæ defenſione iuſtifi-
care. Ordinantes autem Regni Proceres in Palatio bellatorum acies coram Rege,
quæ quibus Regni ſuffragio iungerentur, Remenſium & Catalaunenſium vltra ſe-
xaginta millia, tam equitum quàm peditum vnam componunt; Laudunenſium
& Sueſſionenſium, nec minori numero, ſecundam; Aurelianenſium, Stampen-
ſium, & Pariſienſium & beati Dionyſij copioſo exercitu, & coronæ deuoto tertiam;
» cui etiam ſeipſum intereſſe ſpe ſuffragij protectoris ſui diſponens; Hac, inquit, acie
» tam ſecurè, quàm ſtrenuè dimicabo, cùm præter Sanctorum dominorum ſuorum
pro-

A protectionem, etiam qui me compatriotæ familiariùs educauerunt, aut viuum iuuabunt, aut mortuum conſeruantes reportabunt. Comes etiam Palatinus Theobaldus cum auunculo nobili Trecenſi Comite Hugone, cùm ex abiuratione Franciæ (guerram enim Regi cum auunculo Rege Anglico inferebat) aduentaſſet, quartam efficiens, quintam Burgundiorum Ducis & Niuernenſis Comitis præuiam fecit. Comes verò egregiùs Viromandenſis Radulfus germana Regis conſanguinitate conſpicuus, optima fretus militia, multóque S. Quintini & totius terræ armato tam loricis quàm galeis exercitu, cornu dextrum conſeruare deſtinatus, Pontiuos & Ambianenſes & Beluacenſes in ſiniſtro conſtitui approbauit. Nobiliſſimus etiam Comes Flandrenſis cùm decem millibus militum pugnatiſſimorum triplicaſſet exercitum, ſi tempeſtiuè ſciſſet extrema acie ad peragendum ordinabatur. His autem locorum affinitate propinquus Dux Aquitaniæ Guillelmus, Comes egregius Britanniæ, Comes bellicoſus Fulco Andegauenſis, ſummè æmulabantur, eo quòd vires exaggerare, & Francorum iniuriam grauiſſimè punire, & viæ prolixitas & temporis breuitas prohiberet. Prouiſum eſt etiam vt vbicumque exercitus, apto tamen loco, certamen inuenirent, & carri & carretæ aquam & vinum feſſis & ſauciatis deferentes inſtar caſtellorum in corona locarentur, vt à labore bellico & vulneribus deficientes, inibi potando ac ligaturas reſtringendo, fortiores indurati ad palmam obtinendam concertarent. Publicata igitur tanti & tam tremendi facti

B deliberatione, tantique delectus fortiſſimi apparitione, cùm hoc ipſum auribus Imperatoris innotuiſſet, ſimulans & diſſimulans, palliata occaſione ſubterfugiens, aliàs tendit, magis eligens ignominiam defectus ſuſtinere, quàm & Imperium & perſonam ruina periclitantem Francorum grauiſſimæ vltioni ſuppeditare. Quo Franci comperto, ſola Archiepiſcoporum & Epiſcoporum & Religioſorum prece virorum, ab illius Regni deuaſtatione, & pauperum depreſſione vix ſe continere valebãt. Tanta igitur & tam celebri potitus victoria (idem enim haud ſuperiùs fuit, quàm ſi campo triumphaſſent Francis repatriantibus) Rex exhilaratus, nec ingratus ad protectores ſuos ſanctiſſimos Martyres humillimè deuenit, eiſq; poſt Deum gratias magnas referens, coronam patris ſui, quam iniuſtè tenuerat, (iure enim ad eos omnes pertinent) deuotiſſimè reſtituit, indictum exterius in platea (interius enim Sanctorum erat) libentiſſimè reddidit, viaturam omnimodam, quibus ſpatiis cruces & columnæ ſtatuuntur marmoreæ, quaſi Gades Herculis omnibus obſiſtentes hoſtibus, præcepti Regij confirmatione ſancciuit. Sacras etiam venerabiles ſacratiſſimorum corporum lecticas argenteas, quæ altari principali ſuperpoſitæ toto ſpatio bellici conuentus extiterant, vbi continuo celeberrimo diei & noctis officio Fratrum colebantur, multa deuotiſſimi populi & religioſarum mulierum ad ſuffragandum exercitui frequentabantur multiplici oratione, Rex ipſe proprio collo dominos & patronos ſuos cum lachrymarum affluentia filialiter loco ſuo reportauit, multiſque tam terræ quàm aliarum commoditatum donariis, pro his &

C aliis impenſis beneficiis remunerauit. Imperator ergo Theutonicus eo vileſcens facto, & de die in diem declinans, infra anni circulum extremum agens diem, antiquorum verificauit ſententiam; neminem nobilem aut innobilem Regni aut Eccleſiæ turbatorem, cuius cauſa aut controuerſia Sanctorum corpora ſubleuentur, anno fore ſuperſtitem, ſed ita vel intra deperire. Rex autem Anglię conſcius Theutonici doli, quia Regi Lvdovico cum Comite Theobaldo guerram inferens, conſpirauerat, Marchiam collimitantem Regis abſentia omninò aut depopulari aut occupare, ſolo vno Barone, ſcilicet Amalrico de Monte-forti, viro marte iugi acerrimo, & ſtrenuitate Vilcaſſinenſis exercitus repulſus, aut parum aut nihil proficiens, vana ſpe fruſtratus retroceſſit. Quo facto noſtrorum modernitate, vel multorum temporum antiquitate nihil clarius Francia fecit, aut potentiæ ſuæ gloriam viribus membrorum ſuorum adiuuans glorioſiùs propalauit, quàm cum vno eodémque termino de Imperatore Romano & Rege Anglico licèt abſens triumphauit. Ex quo quidem ſuffocata hoſtium ſuperbia ſiluit terra in conſpectu eius, & penè ad quos pertingere poterat inimici in gratiam vltro redeuntes, amicitiæ dextras dederunt. Sic arma tenenti omnia dat qui iuſta negat.

Ea etiam tempeſtatis temperie Aluernorum Pontifex Claromontenſis, vir honeſtæ vitæ, & defenſor Eccleſiæ illuſtris, & pulſatus & pulſus Aluernorum ſuperbia noua & antiqua, quæ eis titulatur,

A

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

Aluerníque auſi Latios ſe fingere fratres,

ad Dominum Regem confugiens, querelam Eccleſiæ lachrymabilem deponit,
Comitem Aluernenſem ciuitatem occupaſſe, Eccleſiam beatæ Mariæ Epiſcopa-
lem Decani ſui fraudè multa tyrannide muniuiſſe. Renitentis etiam pedibus pro-
uolutus ancillatam Eccleſiam exancillari, tyrannum effrenatum compeſcere Re-
giæ Maieſtatis gladio ſupplicitèr efflagitat. Rex autem vt conſueuerat Eccleſiis
promptiſſimè opitulari, cauſam Dei gratanter, ſed ſumptuosè aſſumens, quia ver-
bis & Maieſtatis ſuæ ſigillo tyrannum corrigere non valet, facto maturans milita-
res colligit vires, mouet in Aluerniam recalcitrantem copioſum Francorum exer-
citum. Cui Bituricis aduentanti, Regni Optimates, Comes bellicoſus Ande-
gauenſis Fulco, Comes potentiſſimus Britanniæ Conanus, Comes egregius Ni-
uernenſis, multíque alij Regni Proceres manu magna militari, Regni debitores
occurrunt, in Aluernos iniuriam Eccleſiæ & Regni vlciſci feſtinantes. Terram
itaque hoſtium depopulantes, cùm ciuitati Claromontenſi propinquarent, Aluer-
ni præſidio ciuitatis, quia peroptimè erat munita, relictis montanis acutiſſimis
caſtellis ſe commiſerunt. Vnde Franci conſultè eorum deridentes ſimplicitatem,
& ad vrbem tendere differentes, vt aut ciuitatem dimitterent, ne caſtella amitte-
rent; aut ſi remanerent, interim victualia conſumerent, ad caſtrum peroptimum
Pontum nomine ſuper fluuium Hilerim diuerterunt. Vbi circumquaque tentoria
figentes, æquè plana & ardua diripiunt: gigantea audacia cœlum tendere viden-
tur, dum munitiſſima montium cacumina præripiunt, prædas non tantùm peco- B
rum, ſed & pecoralium hominum, ſuperfluo etiam educunt. Inſtrumenta impu-
gnatoria turri eiuſdem caſtelli applicantes, ſaxorum molarium impetu, ſagittarum
impluuio multa eos ſtrage ad deditionem compellunt. Quo audito, qui ciuitatem
tenebant timore perculſi, ſimile aut grauius quid expectantes, fugam parant, ci-
uitatem exeunt, eámque Regis arbitrio derelinquunt. Rex autem & Deo Eccle-
ſiam, & Clero turres, & Epiſcopo ciuitatem, pace inter eos & Comitem & ſacra-
mentis & obſidum multiplicitate firmata, victor in omnibus reſtituit. Verùm
temporum luſtro peracto, cùm Aluernorum Comitum perfida leuitate ſoluere-
tur recidiua Epiſcopi & Eccleſiæ calamitas, recidiuam reportat Regi querimo-
niam. Qui ſe caſſo labore adeò defatigatum dedignans, collecto primo multo
maiore exercitu terram repetit Aluernorum. Iámque grauis corpore & carneæ
ſpiſſitudinis mole ponderoſus, cùm alius quiſlibet pauper etiam tanta corporis pe-
riculoſi incommoditate equitare nec vellet nec poſſet, ipſe contra amicorum diſ-
ſuaſionem, mira animoſitate rapiebatur, & quod ipſi etiam iuuenes horrebant, æſti-
uos Iunij & Auguſti tolerans calores, impatientes calorum deridet, cùm ſæpiùs
eum anguſtis paludum locis fortiſſimis ſuorum lacertis ſuſtentari oporteret.
Erant in eius expeditione Comes præpotens Flandrenſis Carolus, Comes Ande-
gauenſis Fulco, Comes Britanniæ, tributarius Regis Anglici Henrici de Norman-
nia exercitus, Barones & Regni Optimates quamplures, qui etiam Hiſpaniam per- C
domare ſufficerent. Tranſiens itaque Aluernorum difficiles ingreſſus, & obuian-
tia caſtella, Claromontem peruenit. Cùm autem abortiuo & oppoſito ciuitati ca-
ſtro Montis-ferranni exercitum applicaret, milites qui caſtrum defendere habe-
bant Francorum mirabilem exercitum ſuis diſſimilem formidantes, loricarum &
galearum repercuſſo ſole ſplendorem admirantes, ſolo viſu hærent, & exteriorem
refutátes immunitatem in turre & turris procinctu, vix etiam inibi ſe contulerunt.
Applicitus autem immunitatis relictæ domibus flammiuomus ignis, quicquid erat
præter turrim & procinctum eius, in cineres diſſoluit. Et prima quidem die pro-
pter æſtuantem incendio ſubito villam, extra tentoria figentes, ſequente intus
ſopitis flammis reportauimus. Rex verò ſummo mane hoc vno facto & eos con-
triſtauit, & nos exhilarauit, quoniam cùm tentoria noſtra vna de parte turri
propinquiora, multo bello, multis ſagittarum & iaculorum emiſſionibus, ita
etiam vt præmiſſis inter nos & ipſos armatorum præſidiis, nos clipeis operiri
oporteret, laceſſire tota nocte non deſiſterent: ſignificauit militari viro & egre-
gio Baroni Amalrico à Monte-forti, vt eis ex obliquo inſidias ponens, ne pro-
cinctum impunè regrederentur prouideat. Qui talibus callens in tentoriis, ſu-
mit arma, eóſque equorum velocitate ex obliquo noſtris eos impedientibus,
inopinatè quoſdam intercipit, Regi celeriter remittit. Qui cùm redimi ſe mul-

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

A to rogarent, imperat eos emancari. mancos autem pugnos in pugnis referentes inimicus ſociis remitti. Quibus ceteri territi deinceps nos quietos ſinebant. Cúmque machinarum & inſtrumentorum ſtructura demorante tota Aluernia voluntati & arbitrio exercitus pateret, Dux Aquitaniæ Guillelmus exercitu Aquitanorum fretus aduenit. Qui cùm in montanis caſtra metatus in plano Francorum intueretur rutilare phalanges, admiratus exercitus tanti magnitudinem, pœnituit eum pro impotentia ad refragandum veniſſe: mitténſque pacificos Regi nuncios, vt ei tanquam Domino ſuo loquatur aſſiſtit, perorans hoc modo: Dux tuus Aquitaniæ, Domine Rex, multa te ſalute, omni te potiri honore. Non dedignetur Regiæ Maieſtatis Celſitudo Ducis Aquitaniæ ſeruitium ſuſcipere, ius ſuum ei conſeruare, quia ſicut iuſtitia exigit ſeruitium, ſic & iuſtum exigit dominium. Aluernenſis Comes, quia Aluerniam à me, quam ego à vobis habeo, habet, ſi quid commiſit, Curiæ veſtræ veſtro habeo imperio repræſentare. Hoc nunquam prohibuimus, hoc etiam modo offerimus, & vt ſuſcipiatis ſuppliciter efflagitamus. Et ne ſuper his Celſitudo veſtra dubitare dignetur, multos & ſufficientes obſides dare paratos habemus. Si ſic iudicauerint Regni Optimates, fiat; ſin aliter, ſicut. Super his igitur Rex cum Optimatibus Regni conſulens, dictante iuſtitia, fidem, iuramentum, obſidum ſufficientiam ſuſcipit, pacem patriæ & Eccleſiæ reſtituit, diem inter eos præſente Duce Aquitaniæ agendis Aurelianis, quod hue vſque renuerant,

B ſtatuit, exercitúmque glorioſè reducens in Franciam victor remeauit.

Egregie factum, quo nobilius ab adoleſcentia ſua vſque ad vitæ limitem nullum perpetrauit, vitando faſtidium, cùm multa egeat, breui narratione memorare non quomodo, ſed quid fecerit, ſignificantes propoſuimus. Famoſus Comes vir potentiſſimus Carolus, de amita Domini Regis Lvdovici Danorum Regis filius, cùm ſucceſſiſſet iure conſanguinitatis fortiſſimo Comiti Balduino Hieroſolymitani Roberti filio, Flandriæ terram valde populoſam tam ſtrenuè quàm diligenter adminiſtrabat: Eccleſiæ Dei illuſtris defenſor, eleemoſynarum liberalitate conſpicuus, iuſtitiæ tutor inſignis. Qui cùm debitor honoris adepti, potentes quoſdam genere humiles, opibus elatos, dominio eius lineam conſanguinitatis abſentare ſuperbè innitentes (erant enim de fæce conditionis ſeruilis) iudicio Curiæ conuenienter ſatis repeteret; ipſi, videlicet Brugenſis Eccleſiæ Præpoſitus, & ſui, viri ſuperbiſſimi & famoſi proditores, crudeliſſimè ei inſidiabantur. Cùm igitur quadam die Brugas veniſſet, ſummo mane Eccleſiæ Dei aſſiſtens, pauimento proſtratus, librum orationum manu tenens orabat: cùm ſubitò Buchardus quidam nepos Præpoſiti præfati, ſatelles truculentus, cum aliis de eadem ſceleratiſſima radice, & aliis traditionis peſſimæ complicibus, oranti, immo Deo loquenti tacitè retro cedit, & cautè gladio euaginato collum terræ proſtratum Comitis ſuauiſſimè tangens, vt paululum erectum ferientis gladio ſe inopinatè dirigeret, enſem ei applicans, vno ictu impius pium, ſeruus Dominum ſcelera-

C tiſſimè detruncat. Qui autem aſtabant necis impiæ cooperatores, ſanguinem eius ſitientes, tanquam canes in relicta cadauera debacchantes, innocentem laniare gaudebant: ſummoperè glorianteș, quòd opere complere potuerant quem conceperant dolorem, & quam pepererant iniquitatem. Et apponentes iniquitatem ſuper iniquitatem, vtpote malicia ſua excæcati, quoſcumque Caſtellanos, quoſcumque nobiliores Comitis Barones, ſiue in eadem Eccleſia, ſiue extra in caſtro offendere poterant, infeliciſſimo miſeræ mortis genere imparatos nec confeſſos trucidabant. Quibus tamen prodeſſe valde arbitramur, quòd pro fidelitate Domini ſui taliter mactati in Eccleſia orantes ſunt reperti, cùm ſcriptum ſit: *Vbi te inuenero, ibi te iudicabo.* Comitem verò truces in ipſa Eccleſia tumulantes, ne honorificè extra deplangeretur, & ſepeliretur, & pro glorioſa vita & glorioſiore morte deuotus populus in eius vltionem incitaretur, Eccleſiam ipſam ſpeluncam latronum ſtatuentes, tam ipſam quàm Comitis domum Eccleſiæ inhærentem muniuerunt, & quibuſcumque paratis victualium alimentis, & ſeipſos exinde protegere, & terram ſibi allicere ſumma ſuperbia deliberant. Tanti igitur & tam ſcelerati horrore facti attoniti, qui his non aſſenſerant, Flandriæ Barones lachrimabiles exequias perſoluentes, notam proditionis euitant, dum hoc Domino Regi Lvdovico, nec ei tantùm, ſed fama volante per vniuerſum Orbem denunciant. Rex autem & amore iuſticiæ, & conſanguinitatis affectu in vltionem

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

tantæ proditionis excitatus, nec Regis Anglici, nec Comitis Theobaldi guerra detentus, Flandriam animoſus intrat, vt nequiſſimos atrociſſimè perdat toto animi & operis niſu exæſtuat. Comitem Flandriæ Guillelmum Normannum filium Roberti Hieroſolymitani Normanniæ Comitis (ad eum enim iure conſanguinitatis ſpectabat) conſtituit. Vt autem Brugas deſcendit, non veritus terræ barbariem, nec fœdam proditoriæ conſanguinitatis lineam, ipſos proditores in Eccleſia & turre obſeſſos coarctat, victualia præter ſua, quæ diuino nutu eorum etiam vſui importuna repugnabant, prohibet. Vt autem fame, peſte, & gladio, aliquantiſper eos contriuit, Eccleſiam relinquentes turrim tantum, vt eos turris retineret, retinuerunt. Iam ergo de vita eis deſperantibus, cùm iam in luctum verteretur cythara eorum, & organum eorum in vocem flentium, nequiſſimus Buchardus ſociorum conſenſu fuga lapſus, terram exire volens, nec valens, ſola iniquitate propria prohibente, in firmitate euiuſdam amici & familiaris reuerſus, interceptus Regis imperio, exquiſito miſeræ mortis genere, alta rota ſuperligatus, coruorum & alitum rapacitati expoſitus, deſuper oculis defoſſus, & tota facie dilaceratus, inferiorum ſagittis & lanceis & iaculis millies perforatus, miſerrimè interfectus in cloacam proiectus eſt. Bertoldus verò caput iniquitatis cùm ſimiliter effugere decreuiſſet, eùm huc illúcque ſatis licenter deambulaſſet, ſola ſuperbia reuerſus (dicebat enim; Quis ego, aut quid ego ſum?) etiam capitur, & Regis arbitrio expoſitus, merita & miſerrima morte eſt damnatus. Furcis enim cum cane ſuſpenſus, quotiens canis percutiebatur, in eum iram retorquens totam faciem B
eius maſticando deuorabat: aliquando etiam, quod horribile dictu eſt, ſtercorabat. Sicque miſeram vitam, miſerior miſerrimo, morte perpetua terminauit. Quos autem in turre incluſerat, multis anguſtiis ad deditionem cogens, ſigillatim vnum poſt alium coram ſuis fractis ceruicibus deiecit. Quendam etiam eorum Iſaac nomine, timore mortis in Monaſterio quodam tonſoratum, demonachatum patibulo affixit. Potitus itaque Brugenſi victoria Rex cum ſuis, Ipram peroptimum caſtrum contra Guillelmum Baſtardum proditionis fautorem, vt & in eum vlciſcatur accelerat. Brugenſes tam minis quàm blanditiis, directis ad eos nunciis, allicit. Dúmque Guillelmus cum trecentis militibus ei obuiat, altera pars regalis exercitus in eum irruit, altera ex obliquo alia portâ caſtellum audacter occupat; eóque retento Guillelmum à tota Flandria exheredatum exterminat. & quia proditione ad poſſidendam Flandriam aſpirauerat, merito in tota Flandria nihil obtinuit. His ergo & diuerſis vltionum modis & ſanguinis multi effuſione lota & quaſi rebaptizata Flandria, Guillelmo Normanno Comite conſtituto, Rex in Franciam, Deo auxiliante, victor remeauit.

SED & aliam conſimilem & Deo gratam, & alia vice famoſam fecit vltionem, cùm hominem perditiſſimum Thomam de Marna Eccleſiam Dei terebrantem, nec Deum nec hominem reuerentem, in manu forti celeriter tanquam ticionem fumigantem extinxit. Querulo ſiquidem Eccleſiarum planctu compulſus, C
cùm Laudunum ad vlciſcendum aduentaſſet, Epiſcoporum & Regni Optimatum perſuaſione, & maximè egregij Comitis Viromandenſis Radulfi, qui potentior aliis poſt Regem in partibus illis erat conſilio, in eum ducere exercitum Cociacum deliberatum eſt. Feſtinante autem Rege ad caſtrum, cùm qui miſſi fuerant opportunum explorare acceſſum, importunum omninò & inacceſſibile renunciaſſent, & à multis angariaretur, iuxta audita conſilium mutare debere:
» Rex ipſa indignatus animoſitate, Lauduni, inquit, hoc remanſit conſilium. Quod
» enim ibi deliberatum eſt, nec pro morte, nec pro vita mutabimus. Vileſceret me-
» rito Regiæ Maieſtatis magnificentia, ſi ſcelerati hominis formidine refugi derideremur. Hæc ait, & mira animoſitate, licèt corpore grauis, per abrupta & nemoribus obtruſas vias, licèt periculoſè cum exercitu penetrans, cùm prope caſtrum perueniſſet, nunciatum eſt ſtrenuiſſimo Comiti Radulfo ex alia parte caſtri vaganti exercitui inſidias parari, & ruinæ eorum inſtantiſſimè demoliri. Qui illico armatus cum paucis ſociorum illuc via opaca tendens, conſpicatus præmiſſis quibuſdam militibus ſuis iam percuſſum illum cecidiſſe, equum calcaribus vrgens irruit in eum, & audacter gladio percutiens lethale vulnus infligit, nec niſi prohiberetur, repetendum foret. Captus itaque, & ad mortem ſauciatus, Regíque LVDOVICO præſentatus, eius imperio Laudunum laude omnium ferè & ſuorum &

A noſtrorum eſt deportatus. Sequente autem die publicata terra plana eius, ruptíſ- LVDOVICVS
que ſtagnis, quia Dominum terræ habebat, terræ parcens, Laudunum regreſſus VI. GROS-
Dominus Rex Ludouicus, hominem perditiſſimum, nec vulneribus, nec carcere, SVS.
nec minis, nec prece, ad redditionem mercatorum, quos mira proditione in con-
ductu ſpoliatos omnibus ſuis carcere detinebat, cogere valebat. Qui cùm coniu-
gem ex Regia permiſſióne ſibi aſciuiſſet, magis videbatur de mercatorum, qui ab
eo exigebantur, quàm de vitæ amiſſione dolere. Cúmque iam plagarum dolore
grauiſſimo penè ad mortem conſtrictus, à multis etiam confiteri & viaticum ſuſci-
pere rogaretur, vix conceſſit. Cùm autem corpus Domini manu Sacerdotis in
eam quam miſer inhabitabat cameram deportatum eſſet, ſicut ſi ipſe Dominus Ie-
ſus miſerrimum vas hominis minimè pœnitentis nullo modo ingredi ſuſtineret,
mox vt nequam ille collum erexit, ilico confractum retorſit, & ſpiritum teterri-
mum diuinæ expers Euchariſtiæ exhalauit. Rex autem vlterius mortuum aut mor-
rui terram proſequi dedignatus, mercatorum emancipationem, & theſaurorum
eius maximam partem à coniuge & filiis extorſit, & pace Eccleſiis morte tyranni
reſtituta, victor Pariſiis remeauit.

Sed & alio tempore, cùm occaſione Dapiferatus emerſiſſet inter Dominum
Regem & Amalricum de Monte-forti virum illuſtrem, ſtimulante Stephano Gar-
landenſi, grandis altercatio, & tam Regis Anglici quàm Comitis Theobaldi ful-
B ciretur ſuffragio, feſtinato exercitu Liuriacum obſedit caſtrum, & erectis impu-
gnatoriis machinis, frequenti inuaſione crebro aggrediens impetu, fortiſſimè ex-
pugnauit. Et quoniam egregius Comes & cognatus germanus Radulfus Viroman-
denſis, baliſtarij quadro, in aſſultu promptiſſimus, oculo eſt priuatus, fortiſſimum
caſtrum funditus ſubuertit. Sed & tanto guerrarum bello eos affecit, quòd ei Da-
piferatum & Dapiferatus hereditatem bona pace relinquentes abdicauerunt. Qua
guerra ipſe etiam Rex, quia militaris vir erat, ſemper promptus in hoſtes, baliſta-
rij immiſſione quadri crure perforatus, læſus valde, multa animoſitate vilipende-
bat, & tanquam ſi Regiæ Maieſtatis thronus vulneris dolorem dedignaretur, ri-
gidè anguſtiam quaſi non ſuſtinens ſuſtinebat.

Eo autem tempore Eccleſiam Romanam ſchiſmate periculoſo grauiſſimè &
penè præcordialiter contigit ſauciari. Venerandæ memoriæ ſummo Pontifice &
vniuerſali Papa Honorio viam vniuerſæ carnis ingreſſo, cùm Eccleſiæ Romanæ
maiores & ſapientiores ad remouendum Eccleſiæ tumultum conſenſiſſent, apud
Sanctum Marcum, & non alibi, & non niſi communiter Romano more celebrem
fieri electionem: qui aſſiduitate & familiaritate propinquiores Apoſtolici fue-
rant, timore tumultuantium Romanorum illuc conuenire non audentes, an-
tequam publicaretur domini Papæ deceſſus, perſonam venerabilem Cardina-
lem de Sancto Angelo Diaconum Gregorium ſummum eligunt Pontificem.
Qui autem Petri Leonis parti fauebant, apud Sanctum Marcum pro pacto alios
C inuitantes conuenerunt, dominíque Papæ morte comperta, ipſum eundem Pe-
trum Leonis Cardinalem Preſbyterum multorum & Epiſcoporum & Cardina-
lium & Clericorum, & Romanorum nobilium conſenſu votiuè elegerunt. Sic-
que ſchiſma pernicioſum ſtatuendo, Chriſti Domini tunicam inconſutilem diſ-
cindendo partiti ſunt Eccleſiam Dei: & dum magno ſe Iudice quiſque tuetur,
alij alios alliciunt, alij alios anathemate innodant, iudicium præter ſuum non at-
tendunt. Cùm autem Petri Leonis pars tum parentum ſuffragio, tum Romanæ
nobilitatis præſidio præualeret, dominus Papa Innocentius cum ſuis vrbem relin-
quere deliberat, vt Orbem terrarum obtinere præualeat. Deſcendens itaque na-
uali præſidio ad partes Galliarum, tutum & approbatum eligit perſonæ & Eccle-
ſiæ poſt Deum defenſionis aſylum Regnum nobiliſſimum Francorum. nunciíſque
ſuis ad Regem LVDOVICVM deſtinatis, & perſonæ & Eccleſiæ opitulari efflа-
gitat. Quo Rex, vt erat piiſſimus Eccleſiæ defenſor, citò compunctus, Concilium
Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum & Religioſorum virorum Stampis
conuocat, & eorum conſilio magis de perſona quàm de electione inueſtigans (fit
enim ſæpè vt Romanorum tumultuantium quibuſcumque moleſtiis Eccleſiæ ele-
ctio minus ordinariè fieri valeat) eius aſſenſum electioni conſilio virorum præbet,
& deinceps manu tenere promittit. Cùm autem & ſuſceptionis & ſeruitij primitias
Cluniaci per nos ei delegaſſet, tanto exhilarati ſuffragio cum gratia & benedictione

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

Domino Regi per nos gratias referentes, ad propria remiſerunt. Vt autem vſque Sanctum Benedictum ſuper Ligerim deſcendit, Dominus Rex cum Regina & filiis ei occurrens, nobilem & diadema te ſæpiùs coronatum verticem tanquam ad ſepulchrum Petri inclinans, pedibus eius procumbit, Catholicum affectum & deuoti ſeruitij effectum ei & Eccleſiæ promittit. Cuius exemplo & Rex Angliæ Henricus ei Carnotum occurrens, deuotiſſimè pedibus eius proſtratus, votiuam ſui ſuorúmque in terra ſua ſuſceptionem & obedientiæ filialis promittit plenitudinem. Viſitando itaque Gallicanam, ſicut res exigebat, Eccleſiam, ad partes ſe transfert Lotharingorum. Cui cùm Imperator Lotharius ciuitate Leodij cum magno Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, & Teutonici Regni Optimatum, collegio celeberrimè occurriſſet, in platea ante Epiſcopalem Eccleſiam humillimè ſeipſum ſtratorem offerens, pedes per medium ſanctæ proceſſionis ad eum feſtinat, alia manu virgam ad defendendum, alia frænum albi equi accipiens, tanquam Dominum deducebat. Deſcendente verò tota ſtatione eum ſuppodiando deportans, celſitudinem paternitatis eius notis & ignotis clarificauit. Pace itaque Imperij & Eccleſiæ confœderata, inſtantem ſancti Paſchæ diem apud nos in Eccleſia beati Dionyſij tanquam ſpeciali filia affectat celebrare. Nos autem ob timorem Dei & Eccleſiæ, matris & filiæ, gratanter pridie Cœnæ Domini ſuſcipientes, celeberrimam Deo & hominibus proferentes proceſſionem, aduentum eius odis exultationis collectantes amplexati ſumus. Cœna ergo Domini apud nos more Romano, & ſumptuoſo donatiuo, quod Presbyterium nominatur, celebrata, venerandam Domini crucifixionem venerando proſequutus, ſanctiſſimæ Reſurrectionis vigilias honore debito pernoctauit. Summo mane verò extrinſeca via ad Eccleſiam Martyrum in ſtrata cum multo collateralium collegio quaſi ſecretò commeauit, ibíque more Romano ſeipſos præparantes, multo & mirabili ornatu circumdantes, capiti eius frigium ornamentum, Imperiale inſtar galeæ circulo aureo circinnatum imponunt, albo & palliato equo inſidentem educunt, ipſi etiam palliari equos albis operturis variatos equitantes, odas perſonando feſtiuè geminati procedunt. Barones verò Eccleſiæ noſtræ feodati, & Caſtellani nobiles, ſtratores humillimi pedites eum equitantem fræno deducebant. Quidam etiam præuij copioſam monetam, vt turbam impedientem remouerent, iactitabant. Via autem Regia & ſalicibus & fixis ſtipitibus precioſis palliis rutilabat. Cùm autem & militiæ cunei & populi multi concurſus ei honoratiſſimè occurreret, nec etiam ipſa Iudæorum Pariſienſium excæcata deſuit Synagoga, quæ legis literam, rotulam ſcilicet velatam offerens, ab ore eius hanc miſericordiæ & pietatis obtinet ſupplicationem. Auferat Deus omnipotens velamen à cordibus veſtris. Perueniens verò ad Sanctorum Baſilicam coronis aureis rutilantem, argenti & plus centies auri precioſarum gemmarum & margaritarum ſplendore fulgurantem, diuina diuinè celebrans, agni veri Paſchalis victimas ſacratiſſimas nobis cooperando immolauit. Finita verò Miſſa, erectis in clauſtro palliis ſtrato menſis, materialem agnum tanquam thoris accubitati ſumunt, cetera nobilis menſæ fercula conſueto more ſuſcipiunt. Sed & ſequente die eandem ab Eccleſia Sancti Remigij ad principalem reciprocant proceſſionem. Tranſactis itaque tribus poſt Paſcha diebus, cum gratiarum actione, & auxilij & conſilij promiſſione Pariſium tranſmeauit. Exinde Galliarum Eccleſias viſitando, & de earum copia inopiæ ſuæ defectum ſupplendo, cùm per terram aliquantiſper deambulaſſet, Compendij demorari elegit.

INTEREA contigit ſingulare & vlterius inauditum Franciæ Regni infortunium. Regis enim LVDOVICI filius, floridus & amœnus puer, PHILIPPVS, bonorum ſpes, timórque malorum, cùm quadam die per ciuitatis Pariſienſis ſuburbium equitaret, obuio porco diabolico offenſus equus, grauiſſimè cecidit, ſeſſorémque ſuum nobiliſſimum puerum ſilice conſternatum, mole ponderis ſui conculcatum contriuit. Quo dolore ciuitas & quicumque audierunt conſternati (ea ſiquidem die exercitum ad expeditionem aſciuerat) vociferabantur, flebant & eiulabant, tenerrimum recolligentes puerum penè extinctum, in proximam domum reportant. Nocte verò inſtante, proh dolor! ſpiritum exhalauit. Quantus autem & quàm mirabilis dolor & luctus patrem & matrem, & Regni Optimates affecerit, nec ipſe Homerus dicere ſufficeret. Eo autem in Eccleſia beati Dionyſij in ſepultura Regum, & ſiniſtra altaris ſanctæ Trinitatis parte, multorum conuentu

A Epiſcoporum & Regni Optimatum, more Regio humato, pater ſapiens poſt lugubres querimonias, poſt miſerabiles vitæ ſuperſtitis imprecationes, religioſorum & ſapientium conſilio conſolari admiſit. Qui ergo intimi eius & familiares eramus, formidantes ob iugem debilitati corporis moleſtiam eius ſubitum defectum, conſuluimus ei quatenus filium LVDOVICVM, pulcherrimum puerum, Regio diademate coronatum, ſacri liquoris vnctione Regem ſecum ad refellendum æmulorum tumultum conſtitueret. Qui conſiliis noſtris adquieſcens, Remis cum coniuge & filio, & Regni Proceribus deuenit: vbi in pleno & celeberrimo, quod Dominus Papa Innocentius conuocauerat, Concilio, ſacri olei vnctione & coronæ Regni deportatione in Regem ſublimatum, felicem prouidit Regno ſucceſſorem. Vnde multis quaſi quodam præſagio videbatur eius debere amplificari potentia, qui tot & tantorum & tam diuerſorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Francorum, Theutonicorum, Aquitanorum, Anglorum, Hiſpanorum ſuſcepit benedictionem copioſam. Cúmque pater viui gaudio defuncti dolorem alleuians Pariſium rediret, dominus Papa ſoluto Concilio Autiſſiodoro elegit demorari. Oportunitatem verò repatriandi nanciſcens de Imperatoris Ludouici comitatu; (quia eum in manu forti Romam perducere, & Petrum Leonis deponere ſpoponderat) illuc eum eo deuenit. Sed cùm eum Auguſtum Imperatorem conſtituiſſet, Romanis reſiſtentibus pacem obtinere Petro Leonis viuente non potuit. Sed cùm Petrus Leonis de medio abiiſſet, pace Eccleſiæ poſt longam fluctuationem, poſt
B diutinos & penè conſumptiuos languores, Dei auxilio reſtituta, dominus Papa felici ſucceſſu ſanctiſſimam cathedram vitæ & officij merito nobilitauit.

IAM iámque Dominus Rex LVDOVICVS & corporeæ grauitatis mole, & laborum continuato ſudore aliquantiſper fractus, vt humanæ complexionis mos eſt, corpore non animo deficiebat: cùm tamen ſi quid Regiæ Maieſtati importunum per vniuerſum Regnum emergeret; inultum nullo modo præterire ſuſtineret. Tantæ enim ſcientiæ & induſtriæ ſexagenarius erat, vt ſi impinguati corporis moleſtia iugis non reſiſteret, omnem vniuerſaliter hoſtem ſuperando contereret. Vnde ſæpe intimis ingemiſcendo querebatur: Heu, inquit, miſeræ conditioni, « quæ ſcire & poſſe inſimul, aut vix aut numquam admittit! Si enim iuuenis ſciſ- « ſem, aut modò ſenex poſſem, efficaciſſimè Regna multa perdomaſſem. Ea tamen « corporis debilitatus grauitate, etiam lecto rigidiſſimus, vſque adeò & Regi Angliæ, Comitique Theobaldo, & omnibus reſiſtebat, vt quicumque eum viderent, & præclara opera audirent, animi nobilitatem prædicarent; corporis debilitatem deplangerent. Ea etiam moleſtatus angaria, cùm contra Theobaldum Comitem læſo crure & vix deportato, Bonam-vallem, præter clauſtra Monachorum, quæ defendebat, igne concremare feciſſet: ſed & alia vice cùm Caſtellum-Renardi de feodo Comitis Theobaldi per homines etiam abſens deſtruxiſſet, ea quam extremam fecit expeditionem, nobiliſſimo exercitu caſtrum Sancti Bricтionis ſuper fluuium Ligerim ob ſui rapacitatem; & mercatorum deprædationem; & incendio diſſoluit,
C & turrim & Dominum ad deditionem coëgit. Qua regreſſus expeditione, apud caſtellum nouum Montis-Treherij graui diarria ventris profluuio, ſicut aliquando conſueuerat, grauiter cœpit anxiari. Qui vt erat in conſiliis prouidus, ſibi ipſi conſulens, & miſeratus animæ ſuæ, Deo placens, frequentatæ confeſſionis & orationum ſibi deuotione prouidebat: hoc vnum toto animi affectu præoptans, apud ſanctos Martyres protectores ſuos Dionyſium ſociόſque eius ſe quomodocumque deferri, & ante ſacratiſſima eorum corpora Regni & coronæ depoſitione, coronam pro corona, pro regalibus inſignibus & imperialibus ornamentis humilem beati Benedicti habitum commutando, Monaſticum Ordinem profiteri. Videant, qui Monaſticæ paupertati derogant, quomodo non ſolùm Archiepiſcopi, ſed & ipſi Reges tranſitoriæ vitam æternam præferentes, ad ſingularem Monaſtici Ordinis tutelam ſecuriſſimè confugiunt.

CVM autem de die in diem graui diarria turbaretur, motus tantis & tam moleſtis Medicorum potionibus, diuerſorum & amariſſimorum puluerum ſuſceptionibus ad reſtringendum infeſtatur, vt nec ipſi etiam incolumes & virtuoſi ſuſtinere præualerent. Qui inter has & huiuſmodi moleſtias innata dulcedine beneuolus omnibus ita blandiebatur, omnes admittebat, omnes demulcebat, ac ſi nihil moleſtiæ pateretur. Aſperrimo itaque profluuij motu, & longo macerati corporis

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

defectu, dedignarus viliter aut inopinatè mori, conuocat Religioſos viros, Epi- A
ſcopos & Abbates, & multos Eccleſiæ Sacerdotes, quærit reiecto pudore omni ob
reuerentiam Diuinitatis, & Sanctorum Angelorum, coram deuotiſſimè confiteri,
& ſecuriſſimo Dominici corporis & ſanguinis viatico exitum ſuum muniri. Cùm
idipſum præparare feſtinant, Rex ipſe inopinatè ſe leuans & præparans, veſtitus
cameram cunctis admirantibus obuiam corpori Domini Ieſu Chriſti exit, deuotiſ-
ſimus aſſiſtit. Vbi videntibus cunctis tam Clericis quàm laïcis, Regem exuens Re-
gnum deponit, peccando Regnum adminiſtraſſe confitetur, filium ſuum LVDO-
VICVM annulo inueſtit, Eccleſiam Dei, pauperes & orphanos tueri, ius ſuum
vnicuique cuſtodire, neminem in Curia ſua capere, ſi non præſentialiter ibidem
delinquat, fide obligat. Vbi etiam aurum & argentum, & vaſa concupiſcibilia,
& pallia & palliatas culcitras, & omne mobile quod poſſidebat, & quo ei ſeruieba-
tur, Eccleſiis, & pauperibus & egenis pro amore Dei diſtribuens, nec chlamydibus
nec Regiis indumentis vſque ad camiſiam pepercit. Capellam autem ſuam pre-
rioſam, textum pretioſiſſimum auro & gemmis, turribulum aureum quadraginta
vnciarum, candelabra centum ſexaginta auri vnciarum, calicem auro & pretioſiſ-
ſimis gemmis chariſſimum, cappas de pallio precioſas decem, precioſiſſimum ia-
cynthum Annæ Regis Ruthenorum filiæ, quod de ſua in manu noſtra reddens, vt
coronæ ſpineæ Domini infigeretur præcepit, ſanctis Martyribus per nos deſtina-
uit, & ſi quocumque modo ſubſequi poſſet deuotiſſimè ſpopondit. His igitur ex- B
oneratus, & Dei miſericordiâ perfuſus, humillimè flexis genibus ante ſacratiſſi-
mum corpus & ſanguinem Domini noſtri Ieſu Chriſti (qui enim mox Miſſam ce-
lebrauerant, illuc ei cum proceſſione deuotè attulerant) in hanc oris & cordis ve-
ræ & Catholicæ confeſſionis vocem, non tanquam illiteratus, ſed tanquam litera-
» tiſſimus Theologus erumpit: Ego peccator LVDOVICVS confiteor vnum & ve-
» rum Deum Patrem & Filium & Spiritum ſanctum, vnam ex hac ſancta Trinitate
» perſonam, videlicet vnigenitum & conſubſtantialem & coæternum Dei Patris Fi-
» lium, de ſacratiſſima Maria Virgine incarnatum, paſſum, mortuum & ſepultum,
» tertia die reſurrexiſſe, cœlos aſcendiſſe, ad dexteram Dei Patris conſedere, viuos
» & mortuos extremo & magno iudicio iudicare. Hanc autem ſacratiſſimi corpo-
» ris eius Euchariſtiam illud idem credimus corpus quod aſſumptum eſt de Virgine,
» quod diſcipulis ſuis ad confœderandum & vniendum & in ſe commanendum con-
» tradidit. Hunc ſacratiſſimum ſanguinem illum eundem qui de latere eius in cru-
» ce pendentis defluxit, & firmiſſimè credimus, & ore & corde confitemur: hócque
» ſecuriſſimo viatico deceſſum noſtrum muniri, & cōtra omnem aëream poteſtatem
» certiſſima protectione defendi præoptamus. Cùm autem cunctis admirantibus,
facta primùm peccatorum confeſſione, deuotiſſimè corpori & ſanguini Ieſu Chriſti
communicaſſet, tanquam illico conualeſcere incipiens, ad cameram rediit, omní-
que ſecularis ſuperbiæ reiecta pompa ſola linea culcitra decubuit. Cúmque eum
de tanto tantillum, & de tam alto tam humilem humano more me deflere conſpi- C
» caretur: Noli, inquit, chariſſime amice, ſuper me deflere, quin potiùs exultando
» gaudere, quòd Dei miſericordia præſtitit me in eius occurſum ſicut vides præpa-
raſſe. Cùm autem paulatim ad incolumitatem reſpiraret, quo potuit vehiculo,
prope Milidunum ad fluuium Sequanæ, occurrentibus & concurrentibus per viam
ei obuiam, & Deo perſonam eius commendantibus, à caſtellis & vicis, & relictis
aratris, deuotiſſimis populis, quibus pacem conſeruauerat, deſcendit: ſicque ob
amorem ſanctorum Martyrum, quos viſitare & grates reddere deſiderabat, deue-
niens citiſſimè, Deo donante, eques ad eos peruenit. Qui à Fratribus & penè tota
patria tanquam piiſſimus Eccleſiæ Pater, & nobilis defenſor, ſolemniter & deuo-
tiſſimè ſuſceptus, ſanctiſſimis Martyribus humillimè proſtratus, votiuas pro im-
penſis beneficiis, & deuotas gratiarum actiones lachrymando perſoluit, & vt dein-
ceps ei prouideant humillimè interpellauit. Cúmque caſtrum Beſtiſiacum per-
ueniſſet, celeriter ſubſecuti ſunt eum nuncij Guillelmi Ducis Aquitaniæ, denun-
ciantes eundem Ducem ad Sanctum Iacobum peregrè profectum in via demi-
graſſe: ſed antequam iter aggrederetur, & etiam in itinere, moriens filiam nobiliſ-
ſimam puellam nomine ALIENOR deſponſandam, totámque terram ſuam ei-
dem retinendam & deliberaſſe & dimiſiſſe. Qui communicato cum familiaribus
conſilio, ſolita magnanimitate gratanter oblata ſuſcipiens, chariſſimo filio LVDO-

Lvdovicvs VI. Groſſvs.

A VICO eam copulari promittit, necnon & deinceps nobilem apparatum ad deſtinandum illuc componit, nobiliſſimorum virorum exercitum quingentorum & eo amplius militum de melioribus Regni colligit; cui etiam Palatinum Comitem Theobaldum, & egregium Viromandenſem Comitem & conſanguineum Radulfum præeſſe conſtituit. Nos autem familiares eius, & quoſcumque ſanioris conſilij reperire potuit, ei concopulauit: ſic in eius exitu filio valedicens, Protegat te, inquit, & tuos, fili chariſſime, omnipotentis Dei, per quem Reges regnant, validiſſima dextera. Quia ſi te & quos tecum tranſmitto quocumque infortunio amitterem, nec me præſentialiter nec Regnum curarem. Copioſas etiam gazas & theſaurorum ſufficientiam deliberans, ne quid in toto Ducatu Aquitaniæ rapiant, ne terram aut terræ pauperes lædant, ne amicos inimicos faciant, Regia Maieſtate interminat, vt gratum exercitui de proprio ærario quotidianam exhibeant deliberationem, imperare non dubitat. Qui cùm per Limouicenſium partes ad Burdegalenſium fines perueniſſemus, ante ciuitatem interpoſito magno fluuio Garona tentoria defiximus, ibidem præſtolantes, & nauali ſubſidio ad vrbem tranſeuntes, donec die Dominica collectis Gaſconiæ, Sanctoniæ, Pictauiæ Optimatibus, præfatam puellam cum eo diademate Regni coronatam ſibi coniugio copulauit. Redeuntes igitur per pagum Sanctonicum, & ſi qui erant hoſtes proſternentes, Pictauorum ciuitatem cum exultatione totius terræ peruenimus.

ÆSTVABANT eo tempore æſtiui calores ſolito nociuiores, quorum conſum-
B ptione aliquantiſper ſoluti & valde contriti defatigabamur. Quorum intolerabili ſolutione cùm Dominus Rex LVDOVICVS Pariſiis recidiua profluuij diſſenteria grauiſſimè fatigaretur, omninò deficiebat. Qui nunquam ſuper his improuidus, accito venerabili Pariſienſi Epiſcopo Stephano, & Religioſo S. Victoris Abbate Gilduino, cui familiariùs confitebatur, eo quòd Monaſterium eius à fundamine conſtruxerat, & confeſſionem repetit, & exitum ſuum viatico Dominici corporis muniri deuotiſſimè ſatagit. Cúmque ſe deferri ad Eccleſiam ſanctorum Martyrum faceret, vt quod votum ſæpiùs ſpoponderat humillimè perſolueret, ægritudinis anticipatus anguſtiis, quod opere non potuit, corde & animo & voluntate compleuit. Præcipiens ergo tapetum terræ & cineres tapeto in modum crucis deponi, ibidem manibus ſuorum depoſitus, ſigno ſanctæ crucis præſentiam ſuam muniens, XXX. Regni adminiſtrationis, ætatis verò ferè LX. anno, Kal. Auguſti ſpiritum emiſit. Cùm autem eadem hora corpus eius precioſo pallio inuolutum ad Eccleſiam ſanctorum Martyrum ſepulturæ deportaretur, & præceſſiſſent qui ſepulturæ locum adaptarent, vnum contigit quod ſilentio præterire dignum non videtur. Cùm enim præfatus Rex nobiſcum conferendo de ſepulturis Regum aliquando aut ſæpiùs ageret, felicem fore aſſerebat, qui inter ſacratiſſima ſanctæ Trinitatis & ſanctorum Martyrum altaria ſepeliri mereretur, quoniam & Sanctorum ſuffragio, & aduentantium orationibus peccatorum veniam obtineret: ex hoc ipſo tacitè voluntatem ſuam ſignificans. Cùm autem, antequam cum filio exiſſemus, cum
C venerabili Eccleſiæ Priore Herueo ſepulturam eius ante altare ſanctæ Trinitatis, ex oppoſito tumuli Caroli Imperatoris, mediante altari prouidiſſemus: occupato loco Carlomanni Francorum Regis, quia nec fas nec conſuetudo permittit Reges exhoſpitari, quod propoſueramus fieri non potuit. Vbi autem ipſe quaſi quadam pronoſtica præoptauerat, attentantes contra omnium opinionem (omnes enim impeditum locum æſtimabant) quantum nec plus nec minus longitudini & latitudini corporis eius conueniebat, locum reſeruatum inuenerunt. Vbi cum orationum & hymnorum frequentia, & celeberrimo deuotóque exequiarum officio more regio depoſitus reſurrectionis futuræ conſortium expectat, tantò ſanctorum ſpirituum collegio ſpiritu propinquior, quantò corpore ſanctis Martyribus ad ſuffragandum proximè ſepultus aſſiſtit.

Felix qui potuit mundi nutante ruina,
Quo taceat præſciſſe loco.

Cuius deuotiſſimam ſanctis Martyribus animam, ipſis intercedentibus, ipſe Redemptor reſuſcitet, & in parte Sanctorum collocare dignetur, qui poſuit animam ſuam pro ſalute mundi Ieſus Chriſtus Dominus noſter, qui viuit & regnat, Rex regum & Dominus dominantium, per omnia ſecula ſeculorum, Amen.

LVDOVICVS VI. GROSSVS. A

VETERVM SCRIPTORVM FRAGMENTA,

DE REBVS LVDOVICI GROSSI REGIS.

Ex Libro MS. de Sanctis, & eorum Pigneribus, quem Guibertus Abbas beatæ Mariæ de Nouigento ſcripſit ad Odonem S. Symphoriani Abbatem, ante annum MCXXIV.

IN promptu quoque eſt in ortu præpotentum Principum, vt puta Alexandri, Iulij Cæſaris, Octouiani, ſed & aliorum, ſigna præmiſſa. & in mortibus habuiſſe Karolum & Ludouicum filium eius prognoſtica. Vnde & noſtro tempore in noſtrorum & Lotharingorum ſeu Anglicorum Regum occaſibus, & innouatione Regnorum ſæpiùs Cometes emerſiſſe conſpeximus. Quid quòd Dominum noſtrum LVDOVICVM Regem conſuetudinario vti videmus prodigio? Hos planè, qui ſcrophas circa iugulum aut vſpiam in corpore patiuntur, ad tactum eius, ſuperaddito crucis ſigno, vidi cateruatim, me ei cohærente, & etiam prohibente, concurrere. Quos tamen ille ingenita liberalitate ſeəua ad ſe manu obuncans, humillimè conſignabat. Cuius gloriam miraculi cùm PHILIPPVS pater eius alacriter exerceret, neſcio quibus incidentibus culpis amiſit. Super aliis Regibus, qualiter ſe in hac re gerant, ſuperſedeo. Regem tamen Anglicum neutiquam in talibus audere comperio. B

Ex veteri membrana MS.

1112. ANNO Domini MCXII. Rex Francorum LVDOVICVS GROSSVS propter crebras & laudabiles victorias, quas obtinuit Deo auxiliante, plures Eccleſias conſtruxit. Inter quas vnam ab ipſis fundamentis in honore beatæ ſemper Virginis Mariæ in villa de Putheolis in Vaſtinero muro lapideo tabulatu conſtruxit. In quo conſtituit Canonicos Regulares ſub Priore Conuentuali degentes, qui Ordinem & modum viuendi à Monaſterio S. Quintini Beluacenſis, in quo Yuo Ordinem S. Auguſtini reformauerat, acceperunt: ipſóſque Canonicos terris & poſſeſſionibus dotauit, de conſilio Epiſcoporum, Procerum, & Maiorum Regni ſui. Et hoc apparet in Priuilegio eiſdem Canonicis hoc anno conceſſo in Capella Pariſienſis Epiſcopi, præſente Dumbardo* Senonenſi Archiepiſcopo, qui eiſdem Canonicis conceſſit Curam ſeu Parochiam dictæ villæ, cum Capella S. Sulpicij, qui tunc ibidem vt patronus colebatur: vt patet ex quodam Scripto Henrici poſt Archiepiſcopi Senonenſis, & Priuilegio ipſius Regis LVDOVICI. Qui ſiquidem LVDOVICVS GROSSVS obiit XXVIII. regni ſui anno, & ſepultus eſt in Eccleſia S. Dionyſij in Francia, ante corpus ipſius Martyris, Kal. Auguſti. Ipſe verò Ludouicus Groſſus Regnum Franciæ ſtrenuè gubernauit prudentiâ & probitate ſui & ſuorum. Nam cùm in principio etiam ab illis qui debebant eſſe ſubiecti impeteretur, tandem Dei auxilio omnes vel bello ſuperauit. Bellis etiam & guerris hinc & indè pulſabatur, ab Henrico Anglorum Rege, à Theobaldo Comite Blaiſenſi & Carnotenſi, & aliis nobilibus vicinis. Imò aliquod tempus fuit, in quo adeò arctabatur, vt nec poſſet exire Meledunum, vel ire ab vrbe Pariſienſi prope Corbolium, quorum Comes Odo ei in omnibus aduerſabatur: nec à Pariſien. ad Stampas propter Montemhelricum, Caſtrum-forte, & Firmitatem-Balduini, quorum Domini erant ei hoſtiliter aduerſantes: nec etiam à Stampis Aurelianis ſecurè ire valebat, propter Putheoli caſtrum interpoſitum. Sed Dei gratiâ ſuccurrente, hos omnes ſub ſe redegit. Odonem namque Corbolienſem occidit, & Corbolium cum alia terra ſua iuriſdictione cepit. Similiter Montemhelricum, Caſtrum- G

* *leg.* Daimberto

A forte, & Fitmitatem-Balduini vi belli ſibi ſubiecit. Exhereditatóque iuſto iudicio Hugone domino Putheoli, ipſum Putheolum euertit in ſua dominatione te- ceptum. Sed ne Putheolum, vel aliud caſtrum Belſiæ, quandóque contra Regem Franciæ caput erigere præſumeret, Yonis-villam vno ferè milliario à dicto Putheolo diſtantem, primò palis & viminibus, deindè foſſatu cinxit. Et tandem bellis paululum ſedatis, apud eandem Yonis-villam turrim fortiſſimam ad totius Belſiæ defenſionem conſtruxit. In bello quoque contra Henricum Regem Angliæ ſæpè vario euentu pugnauit, nunc victor, nunc victus. tamen victoriam ſæpiùs reportauit. Et tandem ad inuicem pacificati ſunt. LVDOVICVS VI. GROSSVS.

Ex Libro II. Vitæ beati Bernardi Claraualleuſis Abbatis, auctore Bernardo Bonauallis Abbate.

EA tempeſtate HONORIVS Papa, cuius adhuc inſtituta nitent & redolent, viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Nec mora in electione diſſidentibus Cardinalibus, & diuiſa Eccleſia, plures numero, & ſeniores conſilio, vitâ probabiles, viri virtutum, Preſbyteri, Diacones, Epiſcopi, INNOCENTIVM elegerunt: cuius vita & fama & ætas & ſcientia digna ſummo Sacerdotio habebatur. At verò pars altera infames auſus violentiâ, non ratione, corroborans, Petrum Leonis ad hunc apicem adſpirantem, fraudulentis machinationibus ſeorſum & præcipitanter nominauit Anacletum, & ceteris renitentibus ordinauit. Qui verò in parte Catholica erant, electum ſuum ſolemniter ordinatum collocarunt in cathedra, & per loca illa, in quibus ſeſſiones habent ex antiqua conſuetudine Romani Pontifices, circumduxêre, & pro tempore honor debitus Apoſtolicæ affuit dignitati. Extunc ſanè circa Lateranenſe Palatium morabantur, nec erat eis iam tuta in domibus propriis manſio, cùm eos acerrimè Petri ſatellites infeſtarent. Ibi etiam diu reſiſtere non valentes, per confœderatos ſibi quoſdam ex nobilibus Romanis, ad tempus in turribus eorum receptacula habuerunt. Sed nec in eis perſeuerauit fidelitas. Nam in breui aut fortitudine temerariæ multitudinis, aut precio corrupti ſunt. --- :· Habuêre igitur ſerui Dei conſilium, & quia vi humana tueri ſe non poterant, cedere elegerunt. Et prouocatis clam nauigiis, de ore Leonis & de manu beſtiæ per Tyberim in mare Tyrrhenum elapſi, proſperis ventis carbaſa impellentibus, citò in portu Piſano feliciter appulerunt --- :· CAP. II. B

PRÆMISSI, antequam de vrbe egrederetur, à domino Papa in Gallias fuerant nuncij, qui diſſenſionis & ſchiſmatis à Petro facti ordinem Gallicanæ intimarent Eccleſiæ, & hortarentur Epiſcopos, vt in vltionem præſumptionis huius accingerentur, & damnata parte ſchiſmatica ſubſcriberent vnitati. Nec dum verò ad plenum tenor operis innotuerat Epiſcopis, nec priuatim quiſquam commodare præſumpſit conſenſum, donec collecto Stampis generali Conuentu, in commune decernerent quid reciperent, quid damnarent. Neque enim Francia, ceteris regionibus procliuibus ad ſchiſmata, aliquando Guiberti vel Burdini ſuſceptione fœdata eſt, nec malignorum acquieuit erroribus, nec fabricata eſt idolum in Eccleſia, nec venerata in Petri cathedra monſtrum. Nec enim talibus in cauſis principalia aliquando terruerunt edicta, aut generalibus vtilitatibus priuata commoda prætulerunt, nec declinantes in partem perſonis detulêre, ſed cauſis: ſed ſi quid oportuit, fortiter perſecutionibus obuiarunt, nec damna nec exilia formidarunt. Conuocato igitur ad Stampas Concilio, Abbas ſanctus Claraualleuſis Bernardus, ſpecialiter ab ipſo Rege, & præcipuis quibuſque Pontificibus accerſitus, ſicut poſtea fatebatur, non mediocriter pauidus & tremebundus aduenit: periculum quippe & pondus negocij non ignorans. In itinere tamen conſolatus eſt eum Deus, oſtendens ei in viſu noctis Eccleſiam magnam concorditer in Dei laudibus concinentem, vnde ſperauit pacem ſine dubio prouenturam. Vbi verò ad locum ventum eſt, celebrato priùs ieiunio, & precibus ad Deum fuſis, cùm de eodem verbo tractaturi Rex, & Epiſcopi, Principéſque conſediſſent, omnium vnum conſilium fuit, vna ſententia, vt negocium Dei famulo imponeretur, & ex ore eius tota cauſa penderet. Quod ille, timens licèt & tremens, monitis tamen fidelium virorum acquieſcens, ſuſcepit: & diligenter proſecutus electionis ordinem, electorum merita, vitam & famam prioris electi, aperuit os ſuum, & Spiri- C

LVDOVICVS VI. GROSSVS. tus ſanctus impleuit illud. Vnus ergo omnium ore locutus ſuſcipiendum ab omnibus ſummum Pontificem INNOCENTIVM nominauit, & ratum eſſe omnes pariter acclamauerunt. Et decantatis ex more laudibus Deo, obedientiam deinceps polliciti, electioni Innocentij omnes pariter ſubſcripſerunt. Interea dominus Papa, multis in Piſis & in Tuſcia, & in aliis Prouinciis poteſtatiuè diſpoſitis, valefaciens Piſanis, & gratias agens, in Prouinciam nauigio delatus eſt: & Burgundiam tranſiens, Aurelianum peruenit. Vbi occurrentibus Epiſcopis, à Rege piiſſimo Francorum LVDOVICO alacriter & honorificè ſuſceptus eſt. Inde à Gaufredo Carnotenſi Epiſcopo, magnarum virtutum viro, Carnotum deducitur: vbi etiam Anglorum glorioſus Rex Henricus cum maximo ei Epiſcoporum & Procerum comitatu occurrit. Hunc quoque Regem venerabilis Abbas ad eum præmiſſus adduxit, quem vix perſuaſit Innocentium recipere, ab Epiſcopis Angliæ penitus diſſuaſum. Cùm enim omnimodis recalcitraret, & detrectaret, ait: Quid times? Times peccatum incurrere, ſi obedias Innocentio? Cogita, inquit, quomodo de aliis peccatis reſpondeas Deo: iſtud mihi relinque, in me ſit hoc peccatum. Ad hoc verbum perſuaſus Rex ille tam potens, etiam extra Regnum ſuum domino Papæ occurrit vſque Carnotum. Multa ibi dicta & facta ſunt, multáque ibi ſecularia & Eccleſiaſtica negocia definita. Reuerſi de Germania Legati domini Papæ, tam Epiſcoporum quàm Regis conſenſum & literas detulerunt, & deprecationem publicam, vt ad eos tranſiens, ſuam eis deſideratam exhiberent præſentiam. Facilè enim perſuaſi ſunt recipere eum, quem iam cæteri recepiſſent. Sed detinuit eum dilectio & deuotio Eccleſiæ Gallicanæ, & ſinguli & omnes viſitationem Apoſtolicam expetebant. Perluſtrata igitur Franciâ Remis conuocauit Concilium: in quo multis ad honorem Dei diſpoſitis, Regem LVDOVICVM, viuente patre, pro PHILIPPO fratre coronauit in Regem, & vnxit. In omnibus dominus Papa Abbatem à ſe ſeparari non patiebatur: ſed cum Cardinalibus rebus publicis aſſidebat. Sed & priuatim quotquot habebant negocia, virum Dei ſecretiùs conſulebant. Ipſe verò audita referebat ad Curiam, & oppreſſis patrocinia exhibebat. --- :·

CAP. VI. LABORABAT ea tempeſtate ſub ſchiſmaticorum oppreſſione tota Burdegalenſis Eccleſia, & non erat in Aquitania qui poſſet reſiſtere Principi, cuius animam indurauerat Deus: qui, annuente Gerardo Engoliſmenſi Epiſcopo, & inſtillante in cor eius diſſenſionis ſemina, factus eſt ſchiſmatis defenſor & auctor. Quicumque ſuſceptioni Petri Leonis non ſubſcribebant, perſecutionibus expoſiti, alij damnis, alij proſcriptionibus mulctabantur: alij à ſedibus propriis pulſi, exulare compellebantur. Sibilabat in auribus Comitis illius crebris perſuaſionibus, quaſi ſerpens, antiquus veterator ille, qui diu in partibus illis Sedis Apoſtolicæ fuerat Legatus, & nunc à magiſtratu tanto deiectus, non poterat ſe pati ſuæ ſolius Eccleſiæ Epiſcopum, qui ſe viderat totius Aquitaniæ principem & magiſtrum. Erubeſcebat enim ad primam domum redire, cuius potentatui & Turonica, & Burdegalenſis, & Auxienſis Prouinciæ ſubditæ fuerant: & quicquid à collibus Iberorum vſque ad Ligerim complectitur & claudit Oceanus, patuerat eius imperio. Conſuetus igitur prædari Prouincias, & ſub titulo iuſtitiæ de cauſis emergentibus facere quæſtum, infinitas aggregauit pecunias, quæ ſibi erant in idolum, & in apoſtaſiæ ſimulacrum. Videns igitur periſſe ſibi exactionum auctoritatem, & ſolam domum, quæ nuper multis ſtipata clamoribus iam carebat ærariis, impatienter ferens quòd manus eius non implerentur muneribus, homo ſerpentinæ aſtutiæ feſtinatò ad Petrum Leonis miſit, vt ei Legationem concederet, & ipſe ei fidelitate iurata obediret: inſuper & Principem Terræ, & quoſcumque poſſet, ad eius imperium inclinaret. Gauiſus homo perditionis, quia locum, in quo dilataret malitiam ſuam, ſe inueniſſe putauit; citò annuit, & libenter ei in adſtipulationem erroris Gilonem Tuſculanum Cardinalem Epiſcopum, qui ſolus de Romanis cum Petro Portuenſi Epiſcopo ei adhæſerat, celeriter delegauit. Porrò Gerardus, qui priùs ſe mutilatum dolebat, reſumpſit cornua, & deinceps cœpit ſecurior & audacior apparere. Nam & quod antè non fecerat, publicè procedebat mitratus, vt ipſa ſacri officij inſignia ampliorem ei reuerentiam in populos vendicarent. Aggreditur ergo Comitem multis pecuniis, inuadit animam eius rationibus venenatis, & hominem promptum facilè ſeducit & corrumpit.

In

Lvdovicvs VI. Groſſvs.

A In primis ab vrbe Pictauenſi VVilhelmus Epiſcopus, vir honeſtus, homo Catholicus, in ſocietate & defenſione vniuerſalis Eccleſiæ ſtabilis violenter expellitur, & à Gerardo & Catdinale adiurore ſuo, quia Petrum abdicabat, damnatur. Erant & aliæ familiares cauſæ, pro quibus ei à multo tempore Comes infenſns, data occaſione, libentiſſimè eum perſequitur & abiurat. Viſum eſt autem tam Gerardo quàm Comiti, vt ad confirmationem partis ſuæ ſine mora Pictaui crearent Epiſcopum: & inueneruut hominem ambitioſum, nobilem quidem genere, ſed degenerem fide. Quem, vt genus ſuum cum eo in cauſa ponerent, quibuſdam ex Cleticis conſentientibus elegerunt: & prophanas ei imponentes manus, execrabile caput eius non tam vnxerunr, quàm contaminauerunr. Simile huic monſtrum in Lemouicenſi Eccleſia inſtruxerunt, Ramnolfum quendam Doratenſem Abbarem, quem non multò poſt vltio diuina ſecuta eſt: & cadens reſupinus de equo in via plana, vno tantùm lapide vltore, qui ad hoc ibi erar relictus, infixo capiti eius, quaſſato cerebro, expirauit.

Avdiens hæc & huiuſmodi vir venerabilis Gaufredus Carnorenſis Epiſcopus, cui à Papa Innocentio Aquitaniæ Legatio fuit commendata, vehementer indoluit, & ſuccurrendum peticlitanti Eccleſiæ, poſtpoſitis aliis negotiis, ſine dilatione vlla decreuir. Abbatem ergo Claraualleuſem petit & obſecrat, vt ſibi ad tanta mala eliminanda ſuccurrat. Aſſenſit vir Dei, & ſe in proximo congregationem Monachotum in Britanniam, in locum, quem iuxta Nannetum Comitiſſa Ermengardis parauerat, ducturum intimat: & promittit, diſpoſita illa domo ſecundùm genus & ſpecies ſuas, ſe cum eo in Aquitaniam profecturum. Ibant igitur ſimul, & ne multis ambagibus vtar, ſimul Nannetum venerunt.

His igitur patratis, ſimul Abbas & Legatus ingrediuntur Aquitaniam. Interim Gerardus aſſenſu Comitis Burdegalenſem Archiepiſcoparum occupauerat, & ſimul Burdegalenſem & Engoliſmenſem detinebar Eccleſiam. Sed effluentibus pecuniis, quas in aſſentarorum manus iniecerat, magis ac magis cognita veritate, iam defluebant ab eo ſubſidia Principum; & perfidiæ eius timebanr exiſtere defenſores. Morabatur itaque in locis illis, in quibus ſecuriorem ſe putabat, nec iam facilè ſe conuentibns præſentabat. Vt enim priùs geſta breuiter repetamus, vbi primùm cœpit audiri, quòd aduerſus Eccleſiam Dei Gerardus ille machinaretur, ab Innocentio Papa adhuc in Galliis demorante miſſi ſunt Abbas noſter Claraualleniſis, & Ioſlenus venerabilis Epiſcopus Sueſſionenſis: & Pictauum vſque venerunt, vt tam ipſum quàm prædictum Principem conuenirent. At ille, iam eodem Principe perſuaſo, impudenter in Eccleſiam Catholicam, à qua ſe præcidebat, conuicia cœpit iaculari, & pollicitam priùs Innocentio obedientiam ſubtrahere, Anacletum ſuum electum digniorem, & quicumque ei non obedirent, erroneos & acephalos nominare. Vnde factum eſt, vt animati & armati in inſa-
C niam Clerici publicè ex ea die perſecutionem Catholicis intentarent. Priùs tamen quàm ab vnitate ſeipſos taliter præcidiſſent, obtulerat Abbas ſanctus in eorum Eccleſia ſacrificium Deo. Poſt cuius diſceſſum, Decanus eiuſdem Eccleſiæ altare, in quo diuina myſteria celebrarat, impiè quidem, ſed non impunè, confregit. Si quidem poſt breue tempus percuſſus à Deo, cùm ſpiritum exhalaret, domum, in qua moriebatur, plenam videbat dæmonibus, & ſe à dæmonio iugulari clamitans, cultellum à circumſtantibus poſtulabat, quem immergeret gutturi ſuo, vt extracto dæmone viueret. Sed diabolus, cui datus erat, eum inter hæc verba extinxit, & peſtilentem animam in infernum demerſit. Archipreſbyter quoque, qui Petri inuaſoris Pictauenſis Eccleſiæ Synodum denunciabat, coram ipſis, quos ad conuentum perfidiæ inuitabat, à diabolo correptus eſt. Sed & in alios multos, qui in ſchiſmate illo feruentiores extiterant, manus diuina manifeſtam exercuerat vltionem. Propter hæc, & alia huiuſmodi, ante homines confundi cœperat Gerardus, & timens opponi ſibi quæ negari non poterant, conuentus publicos euitabat.

Significatvm eſt interim Comiti per viros illuſtres, qui ad eum ſecurius audebant accedere, quòd Abbas Clarauallis, & Epiſcopus Carnotenſis, aliique Epiſcopi & Religioſi viri, colloquium eius expeterent, quorum etiam ſtudium eſſet, vt ſecum de pace Eccleſiæ, & de malo remouendo tractarent. Pet-

Lvdovicvs VI. Grossvs.

ſuaſúmque eſt illi, ne tantorum virorum deuitaret colloquium: quia poterat fieri, A
vt communicato eis conſilio, & facile eſſet quod modo videbatur difficile, & quod
videbatur impoſſibile repentino prouentu poſſibile redderetur. Itaque apud Per-
tinacum hinc indè conueniunt, & in primis de diuiſione Eccleſiæ, & de ſciſſura &
obſtinatione, quæ infra Alpes in ſola Aquitania quaſi nebulæ corruptela conſe-
derat, multis modis & rationibus à ſeruis Dei Comiti intimatum eſt, quòd Ec-
cleſia vna eſt, & quicquid extra eam eſt, quaſi extra archam; iudicio Dei neceſſe
eſt interire & dilui. Adducta quoque exempla Dathan & Abiron, quos reatu
ſchiſmatis terra viuos abſorbuit: nec tanto malo vindictam Dei aliquando defuiſſe
monſtratum eſt. His auditis; Comes ex parte ſano vſus eſt conſilio, & reſpondit,
in obedientiam Innocentij Papæ poſſe dare conſenſum, ſed in reſtitutionem Epi-
ſcoporum, quos de ſedibus ſuis expulerat, nulla ratione induci: quoniam impla-
cabiliter eum offenderant, & iurauerat, ſe nullo tempore eorum pacem aliquan-
do ſuſcepturum. Diù per internuncios protractus eſt ſermo; & dum viciſſim ver-
bis ſe mutuò occupant; vir Dei efficaciora ſibi arma arripiens, ad altare ſanctum
oblaturus & ſupplicaturus accedit. Intrauerant Eccleſiam, quibus licebat diui-
nis intereſſe myſteriis, Comes ſuſtinebat pro foribus. Peractis itaque conſecra-
tionibus, & pace data ac diffuſa per populum, vir Dei iam non ſe agens vt homi-
nem, corpus Domini ſuper patenam ponens, ignea facie, & flammeis oculis, non
ſupplicans, ſed minax, foras egreditur, & verbis terribilibus aggreditur Ducem:
» Rogauimus te, inquit, & ſpreuiſti nos. Supplicauit tibi in altero; quem iam te- B
» cum habuimus, conuentu, ſeruorum Dei ante te adunata multitudo, & contem-
» pſiſti. Ecce ad te proceſſit filius Virginis, qui eſt Caput & Dominus Eccleſiæ,
» quam tu perſequeris. Adeſt iudex tuus, in cuius manus illa tua anima deueniet:
» Numquid & ipſum ſpernes? numquid & ipſum ſicut ſeruos eius contemnes? La-
mentabantur vniuerſi qui aderant, & orationibus intenti præſtolabantur exitum
rei, & omnium ſuſpenſa expectatio neſcio quid diuinum cœlitus fieri expectabat.
Videns Comes Abbatem in ſpiritu vehementi procedentem, & ſacratiſſimum cor-
pus Domini in manibus ferentem, expauit & diriguit, membríſque tremebundis
metu, & diſſolutis, quaſi amens ſolo prouoluitur. Eleuatus à militibus, rurſum
in faciem ruit, nec quippiam alicui loquens, aut intendens in aliquem, ſaliuis per
barbam defluentibus; cum profundis efflans gemitibus, epilepticus videbatur.
Tum vir Dei ad eum propiùs acceſſit, & pede pulſans accliuem, ſurgere iubet, &
» ſtare ſupra pedes, & Dei audire ſententiam. Præſens eſt, inquit, Pictauenſis Epi-
» ſcopus, quem ab Eccleſia ſua expuliſti. Vade & reconciliare ei, & in oſculo pa-
» cis iungito fœdera, & ipſe ad Sedem ſuam eum reducito: & ſatisfaciens Deo,
» redde pro contumelia gloriam, & in vniuerſo Principatu tuo diuiſos & diſcor-
» des ad charitatis reuoca vnitatem. Subdere Innocentio Papæ, & ſicut ei omnis
» obedit Eccleſia, tu quoque electo à Deo tanto pare Pontifici. Audiens hæc Co-
mes, auctoritate Spiritus ſancti, & ſanctorum ſacramentorum præſentiâ victus, C
nec audebat reſpondere, nec poterat: ſed ſtatim occurrit, & in pacis oſculo rece-
pit Epiſcopum, & eadem qua eum abiurauerat manu, eum totius exultatione
ciuitatis, ad propriam Sedem eum reduxit. Sed deinceps Abbas cum Comite
iam familiariùs & ſuauiùs loquens, paternè eum monuit, ne ad impios & temera-
rios auſus vltra exurgeret, ne Dei patientiam in tantis irritaret flagitiis, ne pacem
factam in aliquo violaret. Pace itaque omni Aquitanicæ Eccleſiæ reddita, ſolus
Gerardus perſeuerat in malis. Sed non multò pòſt adueniente die iræ, in domo
ſua miſerabiliter extinctus eſt. --- :·

Ex Libro IV. eiuſdem Vitæ beati Bernardi, auctore Gaufrido Monacho Claraualleñſi, & quondam ipſius beati Bernardi Notario.

Cap. II. Cvm eſſet aliquando Pater ſanctus in vrbe Nouiomenſium, in domo Epiſcopi
Simonis, adductus eſt ad eum Herveivs de Bavgenceio, puer admo-
dum gratioſus, ortus ex Regio ſanguine, & prædicti Epiſcopi nepos. De quo ſe-
quenti nocte famulo ſuo Chriſtus oſtendit, quod erat poſt longa tempora futu-
rum. Si quidem videbatur ſibi tanquam in Miſſarum celebratione Angelo cui-
dam pacis oſculum dare, quod ad puerum deferretur. Nec dubius de reuelatio-

A ne, eundem Herueium renunciaturum ſeculo, & futurum aliquando deuotum Chriſti famulum promittebat. Quæ promiſſio adeò celebris extitit, & vulgata, vt ipſe quoq; Herueius nobis poſtea fateretur, adoleſcenti ſibi ad omnes arguentis conſcientiæ ſtimulos ſemper occurrere, impoſſibile eſſe, vt poſt viri ſancti tale promiſſum in ſeculari habitu moreretur. Nec fraudatus eſt à ſpe ſua. Siquidem venerabilis Gualerannus Vrſicampi Cœnobij primus Abbas Monachum illum fecit, & angelico functus officio, pacem quam ex ore Patris ſancti ipſe ſuſceperat, communicauit Herueio. Cuius talis poſtmodum apparuit conuerſatio, vt tali dignus oraculo videretur. Nam & prædicto Gualeranno in regimine Monaſterij Vrſicampi ille ſucceſſit, & nouiſſimè obitum ſuum imminentem ſanus adhuc & incolumis, eodem Gualeranno per reuelationem ſibi annunciante, præſciuit atque prædixit.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

INFENSVS aliquando Rex Francorum ſenior LVDOVICVS quibuſdam ſui Regni Epiſcopis, ſuis eos ſedibus & ciuitatibus exturbauit. Vndè etiam hic vir reuerendus plures ſcripſit Epiſtolas, pro eorum pace laborans, quarum hodiéque exemplaria perſeuerant. Accidit autem, vt præſente eodem Patre ſancto, Epiſcopi multi, indignationem Regis flectere cupientes, tota humilitate proſtrati ſolo tenus eius tenerent veſtigia, & nec ſic gratiam obtinerent. Qua ex re vir Dei religioſa animoſitate permotus, die altera Regem duriùs increpans, quòd Domi-
B ni Sacerdotes ſpreuiſſet, liberè quoque denunciauit quod eadem ſibi nocte fuerat reuelatum. Hæc, inquit, obſtinatio primogeniti tui PHILIPPI Regis morte « multabitur. Vidi enim te cum minore filio tuo LVDOVICO ad pedes Epiſco- « porum, quos heri contempſeras, inclinatum: & protinus intellexi, Philippo ce- « leriter facto de medio, pro Ludouici ſubſtitutione Eccleſiam, quam nunc oppri- « mis, te togaturum. Quod quidem non longè poſt miſerabilis caſus impleuit: & decedente Philippo, egit pater vt is, qui feliciter hodie regnat, LVDOVICVS IVNIOR vngeretur.

VERSVS DE LVDOVICO VI. REGE COGNOMINE GROSSO.

ILLVSTRIS *genitor* LVDOVICI *Rex* LVDOVICVS,
Vir clemens, Chriſti ſeruorum ſemper amicus,
Inſtitui fecit Paſtorem Canonicorum
In Colla veteri, trans flumen Pariſiorum.
Hanc vir magnanimus almi VICTORIS *amore,*
C *Auro, reliquiis ornauit; rebus, honore.*
Sancte Dionyſi, qui ſeruas corpus humatum,
Martyr & Antiſtes LVDOVICI *ſolue reatum.*
Chriſti centeno, cum mille, decem & tribus anno;
Templum hoc Victoris ſtruxit regalis honoris.

LVDOVICVS VI. GROSSVS. A

HVGONIS DE CLERIIS MILITIS ANDEGAVENSIS, FVLCONIS COMITIS AD LVDOVICVM VI. REGEM LEGATI, COMMENTARIVS

DE MAIORATV ET SENESCALCIA FRANCIÆ, Andegauorum olim Comitibus hereditaria.

Ex editione doctiſſ. Viri Iacobi Sirmondi Societ. Ieſu, in calce Notarum ad Epiſtolas Goffridi Abbatis Vindocinenſis.

CVM Deus voluit ſublimare ROBERTVM filium Ducis in Regem,
Goffridus Griſagõnella cum tribus millibus armatorum ſeruiebat Do- B
mino ſuo Regi Roberto. Otho ſiquidem Rex Alemannorum cum
vniuerſis copiis ſuis Saxonum & Danorum Montem-Morenciaci ob-
ſedetat, & vrbi Pariſius multos aſſultus ignominioſè faciebat. In hac
neceſſitate prœlij Rex Roberrus & pater ſuus ducatum primæ cohortis prædicto
Comiti Goffrido Griſagonnella tradidit, & ad perſequendum exercirum Aleman-
norum Ducem & Conſiliarium conſtituit. Perſecurus eſt itaque Rex Roberrus
Regem Alemannicum, præeunte Goffrido Griſagonnella, vſque ad fluuium Eſnę.
Comes verò Goffridus gnarus pugnandi & aſſuetus, tantam ſtragem hoſtium ſuper
fluuium ediderat ante Regis Roberti aduentum, quòd ſtagnum putares, non flu-
uium. Alemannis itaque fugatis, Rex Robertus congregato generali Concilio,
conſilio patris ſui & Epiſcoporum, Comitum, Baronum, dedit Goffrido Comiti
quicquid Rex Lotharius in Epiſcopatibus ſuis, Andegauiæ ſcilicet & Cenomaniæ
habuerat. Si quæ verò alia ipſa vel ſucceſſores ſui acquirere poſſent, eadem liber-
tate, qua ipſe tenebat, ſibi commendauit. Sed nequitia Comitis Tricacenſis non
potuit ſuſtinere proſperitatem Roberti Regis. Sed ad eius deprimendam perfi-
diam, quàm maiorem potuit exercitum Rex congregauit. Obſedit itaque Melu-
dunum, & cùm ibi diu ſediſſet, vidit quòd nihil proficeret. Vocato itaque Goffri-
do Griſagonnella cum Andegauenſibus ſuis, ſine mora ad conſuetum properauit
obſequium. Goffridus autem veniens, præmiſit Conſtabularios ſuos, rogans vt C
oſtenderet ei qua parte ſederet. Illi verò reuerſi nunciauerunt Domino ſuo, quòd
tantus erat exercitus, quòd nullus erat eis ad obſidendum competens locus. Præ-
dictum enim oppidum in inſula Sequanæ ſitum, erat circundatum vndique muro,
calce & arena compoſito. Videntes itaque Andegaui, quòd nullum poterant ha-
bere hoſpitium, induunt arma, perrumpunt per medium exercitum, tranſeunt flu-
ctus Sequanæ, dant aſſultum oppido, virrute conſueta capiunt caſtrum. Quod
exercitus non potuit per tres menſes, illi dimidiæ diei ſpatio adepti ſunt. Franci
verò huius gentis inauditam admirantes audaciam, vbicumque locorum ipſos om-
ni laude magnificabant. Videns autem Rex tantam Principis ſtrenuitatem, & ip-
ſum præualere in Regno tanrùm armis, quanrum conſilio, & quia hîc & alibi benè
meruerat, ſibi & ſucceſſoribus ſuis iure hereditario Maioratum Regni, & Regiæ
Domus Dapiferatum, cunctis applaudentibus & laudantibus, exinde conſtituit.
» Hæc verba dixit Fulco Comes Teſcellino Capellano ſuo: Audi Preſbyter, cuiuſ-
» modi obſequia præſtitit Comes Goffridus Griſagonnella Domino Regi Roberto.
» Dauid Comes Cenomannorum, & Comes Corbonenſis dedignabantur recipere
» feodum ſuum à prædicto Rege, aſſerentes nullo modo ſe poſſe ſubiici generi Bur-
gundionum. Audiens autem Rex eorum ſuperbiam, & videns Regni ſui non par-
uam diminutionem, habito conſilio cum Goffrido Comite, & cum Primatibus

A Regni, tempore conſtituto & die denominato decreuit obſidere caſtrum Moritoniæ. Comes verò Goffridus cognoſcens aduentum exercitus Regis, mouens caſtra de Vindocino, dans aſſultum prædicto caſtro virtute conſueta & probitate gentis ſuæ, Goffridum Comitem & oppidanos ſuos minùs timentes cepit, & Domino ſuo Regi tradidit. Dauid verò Comes dedignans ad colloquium Regis venire, mandauit quòd nullo modo ſe Regi ſubiiceret, & quòd nullo tempore Rex Robertus Cenomannicam ſuam videre præſumeret. Audiens autem Rex arrogantiam & indignationem prædicti Comitis, ipſum dedit, & Cenomannicam ſuam Goffrido Griſagonnella & ſuis ſucceſſoribus ex Regio dono tribuit iure poſſidendam. Huc vſque ſunt Scripta Fulconis Hieroſolymitani. LVDOVICVS VI. GROSSVS.

Vos autem, qui iſta Scripta audieritis, ſcitote quòd ego Hugo de Cleeriis vidi Scripta Fulconis Comitis Hieroſolymitani in Eccleſia ſancti Sepulchri de Lochis, de Maioratu & Seneſcalcia Francorum ſibi & ſuis anteceſſoribus à Rege Roberto collatis.

Inter Regem Lvdovicvm Philippi Regis filium, & Fulconem, qui poſtea factus eſt Rex Hieruſalem, magna erat diſſenſio. Fulco enim Comes nolebat ei ſeruire. Rex verò Ludouicus dederat Maioratum, & Seneſcalciam Franciæ Anſelmo de Garlanda, & poſtea Guillelmo de Garlanda, de quibus Fulco Comes ſuas redibitiones & ſua hominia habere non poterat. Contigit autem Regem Ludouicum maximam guerram habere cum Henrico Rege, filio Guillelmi acquiſi-
B toris Angliæ. Ob hoc itaque Rex Ludouicus requiſiuit Fulconem Comitem, vt de guerra iſta eum iuuaret. Comes verò reſpondit, quòd nullo modo ei ſeruire debebat. cum namque de Maioratu & Seneſcalcia Franciæ exhæreditabat. Tunc Rex Ludouicus per Amauricum de Monte-forti, auunculum Fulconis Comitis, & per Goffridum Abbatem Vindocinenſem, & Radulphum de Balgenciaco, mandauit Comiti, de omnibus iſtis & maioribus aliis iſtorum conſilio ſe verſus Comitem emendaturum. Comes igitur Fulco ſuos conſulens homines, videlicet Robertum de Blo, Salmacium de Permina, Hugonem de Cleeriis, Gaudinum de Vegia, & multos alios, reſpondit Regi Ludouico; vt ſi hoc faceret quod mandauerat, quòd hoc & alia adiutoria quæ ab eo exigebat libenter faceret. Die autem illo, quo conſilium captum eſt, Curia Andegauiæ erat repleta bonæ militiæ & ſapientiſſimæ. Tunc Amauricus de Monte-forti, aliique qui verba Regis attulerant, laudauerunt Comiti Fulconi, vt per quendam, quem Rex cognoſceret, Regi reſponderet: ac ſuper his, antequam nuntij Regis forent reuerſi, feſtinanter grates & mercedes redderet. Conſiliatores autem Comitis audientes conſilium, quod Amauricus dederat, laudauerunt illud conſilium. Quod cùm Comitiſſa Aremburgis audiret conſilium, laudauit quòd nullus iret, niſi Hugo de Cleeriis. Ego itaq; Hugo de Cleeriis perrexi Pariſius: de hinc ad Guenoricum inueni Regem & Comitem Bellimontis. Eo itaque inuento apud Guenoricum, inter Pontefium
C & Bellummontem, & Caluum-montem, locutus ſuum cum Domino Rege. Primùm illum ſalutans ex parte Comitis, reddidi ei grates & mercedes ſuper ſuo mandato quod Comiti Fulconi mandauerat. Hinc ei dixi, quòd Fulco Comes ei ſuum offerebat ſeruitium, aut in præſentiarum, aut poſt, ſi vellet, colloquium. Rex indè lætatus, dixit ſe multum priùs velle colloqui. Aſſignatus eſt ergo & dies & locus colloquij inter Marcheſneium & Bireium in Beauſſa. Inter hæc mandauit Rex Comiti, vt Gaufridum filium ſuum, qui nunc iacet in Eccleſia Sancti Iuliani Cenomannenſis, ad colloquium ſecum adduceret. Illum namque multum optabat videre. Cúmque dies inſtaret colloquij, Dominus Rex Lvdovicvs & Fulco Comes ad locum conſtitutum venerunt cum ſociis conſultoribus. ibique recognita ſunt iura Comitis, videlicet Maioratus & Seneſcalcia Franciæ. Guillelmus de Garlanda tunc Franciæ Seneſcallus recognouit in illo colloquio hominium ſe debere Comiti Fulconi de Seneſcalcia Franciæ; & inde fuit in voluntate Comitis. Poſt Guillelmum fuit Seneſcallus Stephanus de Garlanda, qui fecit hominium Comiti: poſt Stephanum, Radulphus Peronæ Comes, qui ſimiliter fecit hominia & ſeruitium. Ille enim, qui Seneſcallus erit Franciæ, Comiti faciet hominium, & talia ſeruitia. Si Comes perrexerit ad Curiam Domini Regis, Seneſcallus præcipit Mareſcallis Domini Regis, vt præparent & liberent hoſpitia Comiti. Cùm Comes venerit, Seneſcallus ibit ei obuiam, & conducet ad ſuum hoſpitium. Tunc

Lvdovicvs VI. Groſsvs.

Seneſcallus ibit dicere Regi, Comitem Andegauiæ veniſſe. Si Comes ad Regem A
ire voluerit, Seneſcallus ad Curiam eum deducet, & de Curia ad ſuum reducet
hoſpitium. Si verò ad coronamenta Regis Comes ire voluerit, Seneſcallus præpa-
rare & liberare faciet hoſpitium, quod Comes habet proprium & debitum. Cùm
autem die ſuæ coronæ ad menſas Rex diſcubuerit, ſcamnum pulcherrimum fulcro
pallij aut tapeto coopertum Seneſcallus præparabit, ibique Comes quouſque fer-
cula veniant ſedebit. Cùm verò primum venerit ferculum, Comes ſe deſibulans
è ſcamno ſurget, & de manu Seneſcalli ferculum accipiens, ante Regem & Regi-
nam apponet, & Seneſcallo præcipiet, vt exindè per menſas ſeruiat: & Comes re-
tro ſedebit, donec alia veniant fercula. Et quemadmodum ſuper primo fecit, de
aliis ſimiliter faciet. Finita demùm celebratione menſarum, Comes equum aſcen-
det, & ad ſuum redibit hoſpitium; Seneſcallo comitante. Deinceps equus ille,
quem Comes adduxerit ad Curiam, dextrarius videlicet, Coquo Regis feudaliter
dabitur: pallium, quo in Curia affibulatus erit, diſpenſatori dabitur, ſcilicet poſt
prandia. Tunc Panetarius mittet Comiti duos panes, atque vini ſextarium, &
Coquus fruſtum carnis, & vini hauſtum. Hæc eſt enim liberatio Seneſcalli illo
die. Hæc fercula accipiet Seneſcallus Comitis, atque dabit Leproſis. Inſuper cùm
Comes in exercitu Regis perrexerit, Seneſcallus Franciæ papilionem centum mi-
litum capacem ei præparabit, & ſommarium ad illum portandum, & chordas, &
paxillos, & hominem equitantem ad conducendum, & duos homines pedites. Fi-
nito exercitu, Comes ſi voluerit Seneſcallo reddet papilionem: ſi non reddidit, B
non ideò minùs in alio exercitu papilionem habebit. Comes cùm in exercitu Re-
gis fuerit vel ierit, protutelam faciet ei; in reditu, retutelam: & quicquid ei acci-
derit ſiue bonum ſiue malum, ore Domini Regis indè non vituperabitur. Ego
Hugo de Cleeriis vidi hæc ſeruitia reddere Comiti Fulconi Regi Hieruſalem in
duobus exercitibus Aluerniæ, & in vno coronamento Bituri: & Comiti Gaufrido,
qui eſt ſepultus Cenomanni, vidi reddere in vno coronamento Bituri, & in alio Au-
reliani. Item Galterius de Siluanecti prouincia recognouit ante Regem Ludoui-
cum, me præſente & audiente, ſe tenere de Comite Andegauenſi quicquid habe-
bat in villa Siluanectis extra muros, & foragia totius Arbriæ eſſe de feudo Comitis
Andegauenſis, & omnia caſamenta. Radulphus de Martreio & Thomas frater
ſuus ſolebant ſeruire in Andegauia de feudo ſuo. Et ego Hugo de Cleeriis, dum
„ loquor cum Rege Ludouico, audiui ab ipſo hæc verba: Radulphe de Martreio,
„ vide Hugonem de Cleeriis militem Comitis Andegauenſis Domini tui, vade ſer-
„ uire feodum tuum Mareſcalciæ, & hoſpitare Hugonem, quia habes iſtum feodum
„ à Comite. Tunc Radulphus hoſpitatus eſt me ſub nomine Mareſcalciæ, & adie-
„ cit Rex: Ego Dei gratia iam ſum benè cum Comite Andegauenſi. De cetero Co-
mes appellatur Maior in Francia propter retutelam, quam facit in exercitu Regis.
Item quando erit in Francia, quod & Curia ſua iudicauerit firmum erit & ſtabile.
Si verò contentio aliqua naſcetur, iudicio facto in Francia, Rex mandabit quòd C
Comes veniat illud emendare: & ſi pro eo mittere noluerit, ſcripta vtriuſque par-
tis Comiti tranſmittet, & quod indè ſua Curia iudicabit, firmum erit & ſtabile.
Ego Hugo de Cleeriis vidi multoties iudicia facta in Francia, in Andegauia emen-
dari. Sic fuit de bello apud Sanctum Audomarum facto, & pluribus aliis placitis
& iudiciis. Hoc vidi, & multi alij mecum.

A

SVGERII ABBATIS S. DIONYSII LIBER, DE REBVS IN ADMINISTRATIONE SVA GESTIS.

In quo multa ad Hiſtoriam Lvdovici Grossi & Lvdovici Ivnioris pertinentia annotantur.

Ex Codice MS. Monaſterij S. Dionyſij nunc primùm in lucem editus.

Quædam Exemplaria Libri huius auctorem inſcribunt Gvillelmvm *Monachum; qui Sugerij Abbatis ſui Geſta nomine ipſius compoſuerit. Quod vero ſimilius eſſe, ſtylus*
B *etiam à Sugerij ſtylo penitus diſcrepans facilè reuincit.*

ANno adminiſtrationis noſtræ viceſimo tertio, cùm in Capitulo Cap. I.
generali quadam die conferendo cum Fratribus noſtris tam de
hominibus quàm de priuatis negotiis conſederemus, iidem cha-
riſſimi Fratres & filij obnixè in charitate ſupplicare cœperunt, ne
fructum tanti laboris noſtri præteriri ſilentio ſuſtinerem: quia po-
tiùs ea, quæ larga Dei omnipotentis munificentia contulerat huic
Eccleſiæ Prælationis noſtræ tempore incrementa, tam in nouarum acquiſitione,
quàm in amiſſarum recuperatione, emendatarum etiam poſſeſſionum multiplica-
tione, ædificiorum conſtitutione, auri, argenti, & precioſiſſimarum gemmarum,
necnon & optimorum palliorum repoſitione, calamo & atramento poſteritati me-
moriæ reſeruare. Ex hoc vno duo nobis repromittentes, tali notitiâ fratrum ſuc-
cedentium omnium iugem orationum pro ſalute animæ noſtræ mereri inſtantiam:
& circa Eccleſiæ Dei cultum hoc exemplo eorum excitare benè zelantem ſollici-
tudinem. Nos igitur tam deuotè, quàm deuotis & rationabilibus eorum petitio-
nibus aſſenſum exhibentes, nullo inanis gloriæ appetitu, nullam laudis humanæ
aut retributionis tranſitoriæ exigendo retributionem: ne poſt deceſſum noſtrum
quacumque aut cuiuſcumque defraudatione, redditibus Eccleſia minuatur, ne co-
C piosa, quæ tempore amminiſtrationis noſtræ larga Dei munificentia contulit, ſi-
lentio malis ſucceſſoribus depereant, incrementa, ſicut à corpore Eccleſiæ beatiſſi-
morum Martyrum, Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, quæ nos quàm dulciſſimè à
mamilla vſque in ſenectam fouit, de ædificiorum inſtitutione, & theſaurorum
augmentatione, loco ſuo incipere dignum duximus: ita etiam à caſtello ſuo, vide-
licet prima eius ſede, & in vicinia circumquaq; de redditum augmentatione, tam
præſentium quàm futurorum notitiæ ſignificare, honeſtum & vtile propoſuimus.
Erat itaque miniſterium illud eiuſdem caſtri, quod vulgò dicitur theloneum, &
cambiatio, conſtans ſexaginta ſolid. vnaquaque hebdomada. Sed Vrſellus Iu-
deus de Montemaurenciaco in vadimonio de his decem habebat, cum villa illa
quæ dicitur Molignum, pro quatuor viginti marcis argenti, & alia magna ſicut di-
cebat denariorum pecunia. Nos autem & villam viginti libras aut plus valentem,
& ipſos decem ſolidos magno ſumptu, videlicet tria milia ſolidorum reddendo
Matheo de Montemavrenciaco, qui eam occupare libenter pro Iu-
deo ſuo vellet, ipſius verò Iudei vxori decem libras, & decem modios frumenti
reddentes, retraximus eos: & de decem aliis in emendatione villæ miniſterium il-
lud ſine exactione fecimus augmentari. Cùm igitur conſtet factum de decem Iu-
dei, & decem nouiter augmentatis vniuſcuiuſque anni hebdomadæ, viginti ſoli-
dorum augmentum, quinquaginta duas libras efficiunt, de villa verò viginti.

LVDOVICVS VI. GROSSVS. Cenſus autem eiuſdem villæ in octabis S. Dionyſij duodecim libras, qui modò conſtat viginti & plus, vnde huius rei incrementi libræ octo, & octo de quadam domo, quam conſtituens in macello emptione cuiuſdam alterius domus, vſibus carnificum, Fratrum infirmantium ſuſtentationi contulimus. Sunt igitur quater viginti & decem. De pedagio verò viginti libras, cùm priùs eſſent quadraginta librarum. Nos autem indè ſæpe habuimus ſexaginta & decem; cùm multò plus, niſi rapinam, & rapinæ* anathematizaremus, facilè vnoquoque anno habere poſſemus. A

De Indicto verò, quod dominus LVDOVICVS pater beato Dionyſio dedit, trecentos ſolidos quietè & pacificè, triginta quinque de cenſu ſtallorum piſtorum in pantera, quos in feſto beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli refectioni Fratrum appoſuimus: decem ſolidos de Girardo nepote meo, quinque de domo ſua, & quinque de theloneo garanriæ. De plateis domus Guillelmi Cormeilenſis, quam ego emi quater-viginti libras, cenſum quindecim ſolidorum de tribus manſionibus, reliquis duabus vacantibus. In Curticula Fratrum in vacuo, de nouis hoſpitibus ſexagiura & decem ſolidos de annuo cenſu. De Curia verò quæ extra villam eſt, cùm nec vnus hoſpes vmquam ibi manſiſſet, ſed à ſeruientibus expenſis propriis ſeruaretur; tam in ea quàm in alia noua eidem adiacente, quater-viginti & eò ampliùs nouis hoſpitibus poſitis, viginti libris conſtat ſingulis annis augmentatum. Vbi etiam, ſcilicet apud S. Lucianum, magno ſumptu, quia Eccleſia his valdè indigebat, clauſum vinearum ferè quater-viginti arpennorum, vt aiunt, plantando excoli fecimus. Cui ad maximum Eccleſiæ commodum ipſas viginti libras, vt indè benè excolarur, inſtituimus: conſultè quidem omnia pro defectu vini, quia ſæpiùs cruces, & calices, & pallia multis in locis, & etiam Latiniaci in vadimonio ponebantur. Molendinorum verò eiuſdem caſtri talis eſt augmentatio, quòd cùm olim ſingulis diebus quinque minas frumenti Fratrum refectorio reddere conſueuiſſent, modò ſingulis diebus octo teddere non deſiſtunt. Quorum incrementum de ſingulis hebdomadibus certa computatione deductum, quadraginta modios dimidio minus recipit. Denariorum verò incrementum ſepties viginti & ſex libras & decem ſolidos conſtat. Domum, quæ ſupereſt portæ Pariſienſi verſus S. Medericum, emimus mille ſolidis, quoniam cùm frequenter intereſſemus negociis regni, nos & equos noſtros, ſed & ſucceſſores noſtros ibidem honeſtiùs hoſpitari dignum duximus. De porta verò Pariſienſi, quæ ſolebat teddere XII. libras, quinquaginta nobis reddit, vbi incrementum eſt triginta & octo librarum. B

De Trembliaco.

II. CVM eadem villa multis angariis à Comite Domnimartini, videlicet exactione talliæ, frumenti ſcilicet quinque modiorum, quos ei pro pace conceſſeram, cùm ipſe talliam pro voluntate ſua facere conſueuiſſet; exactione arietum, & hoſpitandi in villa multis vicibus in anno de ruſticorum ſumptibus. Hanc pacem pro his omnibus cum Comite fecimus, vt tota villa in pace nobis remaneret abſque exactione & conſuerudine aliqua, & nos pro eius hominio decem libras ſingulis annis de marſupio noſtro in octabis S. Dionyſij ei daremus. Nos autem eandem villam ob hoc libentiùs ædificauimus, & in introitu villæ nouam curiam cum granchia noua erigi fecimus. & vt in ea campi pars vniuerſalis, & quatuor carrucarum; in altera verò, quæ in municipio eſt, decimæ terrarum reponerentur, & in vtraque vſibus noſtris ſtramina reſeruarentur. Et cùm de eadem villa aut vix aut nunquam quater-viginti & decem modios annonarum olim habere poſſemus, ad hoc ipſum rem deduximus quòd ducentos modios decem minus inde à Maiore noſtro habemus: extra hoc quod ſeminant, & quod bubulcis & bubus quicquid neceſſe fuerit amminiſtrant, & carrucis boues & neceſſaria omnia ſuppeditant. propter quod furni redditum habent. Nos verò cenſum noſtrum & tenſamentum, & mortuas manus, & foriſfacta, & talliam pro volunrare noſtra habemus. Vbi incrementum annonæ quater-viginti & decem modiorum conſiſtit. Curiam autem antiquam muro cinximus, domum Eccleſiæ inhærentem penè defenſabilem ibidem ereximus. Qua munitione ſucceſſores noſtri & ſuos & ſua, ſi placet, contra omnem hoſtem defendere poterunt. C

A

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

De recuperatione Argentoilenſis Abbatiæ.

III. CVM ætate docibili adoleſcentiæ meæ antiquas Armarij poſſeſſionum reuoluerem Cartas, & immunitatum biblos propter multorum calumniatorum improbitates frequentarem, crebrò manibus occurrebat de Cœnobio Argentoilenſi fundationis Carta ab Hermentico & coniuge eius Numma. in qua continebatur quòd à tempore PIPINI Regis beati Dionyſij Abbatia extiterat. Sed quadam occaſione contractus incommodi in tempore Karoli Magni filij eius alienata fuerat. Præfatus enim Imperator vt quandam filiam ſuam matrimonium humanum recuſantem ibidem Abbatiſſam Sanctimonialium conſtitueret, eo pacto vt poſt mortem eius in vſum Eccleſiæ reuerteretur, ab Abbate & Fratribus obtinuerat. Sed turbatione Regni filiorum filij eius, videlicet Ludouici Pij, altercatione, quoad vſque ſuperuixerat, perfici non potuit. Vnde cùm anteceſſores noſtri ſæpiùs ſuper hoc laborantes parum profeciſſent, communicato cum Fratribus noſtris conſilio, nuncios noſtros & Cartas antiquas fundationis, & donationis, & confirmationum Priuilegia, bonæ memoriæ Papæ Honorio Romam delegauimus: poſtulantes vt iuſtitiam noſtram canonico inueſtigaret & reſtitueret ſcrutinio. Qui vt erat vir conſilij, & iuſtitiæ tutor, tam pro noſtra iuſtitia, quàm pro enormitate Monacharum ibidem malè viuentium, eundem nobis locum cum appendiciis ſuis,
B vt reformaretur ibi Religionis ordo, reſtituit. Rex verò LVDOVICVS Philippi, chariſſimus dominus & amicus noſter, eandem reſtitutionem confirmauit, & quæcumque regalia ibidem habebat auctoritate Regiæ Maieſtatis Eccleſię præcepto firmauit. Cuius quidem recuperationis tenorem ſi quis pleniùs noſſe voluerit, in Cartis Regum & priuilegiis Apoſtolicorum enucleatiùs poterit reperire. Cuius ſcilicet Abbatiæ & appendiciorum eius, quæ ſunt Trappe, Herencurtis, Chaueniacus, Burdeniacus, Ceriſiacus, & terra de Montemeliano, & Bunziaco, ſiue de Moſteriolo, quod eſt prope Milidunum, & aliorum incrementum quanti conſtet, qui ſapienter illa tractabunt pro magno Prælati cognoſcere poterunt.

DE antiquo cenſu Argentoili, qui ad Abbatiam non pertinet, incrementum eſt xx. librarum, quia cùm olim non haberemus niſi viginti libras, modò XL. redduntur. De annona priùs ſex modios, modò xv. recipimus.

De Vilcaſſino.

IV. VILCASSINI ſiquidem, quod eſt inter Iſaram & Ettam, nobilem Comitatum, quem perhibent immunitates Eccleſiæ proprium beati Dionyſij feodum, quem etiam Rex Francorum LVDOVICVS Philippi, accelerans contra Imperatorem Romanum inſurgentem in Regnum Francorum, in pleno Capitulo beati Dionyſij profeſſus eſt ſe ab eo habere, & iure Signiferi, ſi Rex nòn eſſet, hominium
C ei debere. hoc inſequente incremento dominicaturam Deo auxiliante augmentati elaborauimus. Eccleſiam de Cergiaco, & curiæ libertatem ab eodem Rege Ludouico obtinuimus. A filio verò eius Ludouico viaturam eiuſdem villæ, & omnes redditus eius præter vinum & auenam, in dedicatione Eccleſiæ regia liberalitate pro remedio animæ eius, perſonæ & Regni protectione, obtinuimus. Nec minus etiam quod in Cormelus habebat, & apud Oenirum, & quicquid Trappis habebat, præter hoſpitium, ſanctis Martyribus deuotiſſimè contulit. Nos autem & de his & multis aliis incrementis, præſertim continua ſollicitudine, & iugi prouidentiâ, terræ cultus, & vinearum, maiorum & ſeruientium reprimendo rapacitatem, Aduocatorum etiam prauorum importunam refellendo infeſtationem, pro quo multa in nouitate noſtra miliciæ vſibus expendimus, illuc vſque Deo annuente perduximus, vt cùm temporibus anteceſſorum noſtrorum Fratres noſtri ad opus coquinæ cotidie quinque ſolidos habere contenti fuiſſent, de ſuperabundante incremento omni die alios quinque, & feria quinta atque Sabbato quatuordecim pro toto, irrefragabiliter refectioni Fratrum recipiant. Et quod adhuc his ſupereſt, de incremento centum modios annonæ largè conſueuit excedere. Quod nos poſt Paſcha vſibus noſtris, Eccleſiis, & pauperibus, vel quibuſcumque opportunitatibus erogandum cenſuimus. Extremis enim menſibus anni aliquando carior

LVDOVICVS VI. GROSSVS. annona congregationum improuidentiam punire ſolet. Incrementum denariorum centum & quatuotdecim librarum, & duodecim ſolidorum, ſingulis annis conſiſtit. A

De Cormeliis Pariſienſibus.

V. De Cormeliis in pago Pariſienſi, incrementum cenſus, octo librarum: cùm priùs haberemus XII. libras, modo XX. De annona decem aut duodecim modios habebamus, nunc decem & octo. Apud Centinodium quatuor libras de incremento noui cenſus, & de veteri centum ſolidos. Apud Francorum-villam quadraginta ſolidos de nouo incremento, & quadraginta de vereri præter feodum. Decimam de feodo noſtro, quam emimus à Pagano de Gisorcio, & dedimus Clericis matriculariis pro amore Dei, excepta decima clauſi noſtri, quam nobis retinuimus.

De Montiniaco.

VI. Apvd Montiniacum quinquaginta ſolidos de nouo, & ſexaginta & decem de veteri.

De Cergiaco.

VII. Apvd Cergiacum de boſco quadraginta ſolidos de cenſu, & hominium militis Theobaldi de Puteolis, & quadraginta ſaumas aſinorum. B

De Louecenis.

VIII. Apvd Louecenas, cùm quicquid ibidem habebamus, tam cenſum, quàm annonam, & vinum, pro XV. libris tam nos quàm anteceſſores noſtri per annum dare conſueuimus, poſt quædam placita de manſis antiquis, quibus ruſticos vinearum cultores de retentione redditnum intercepimus, ſaluo annuo cenſu denariorum, & annona, centum ferè modios vini adquiſiuimus.

De Vernullello.

IX. De Vernullello, quod quadraginta annis ſub vadimonio fuerat, decem libras data redemptione recipimus: cùm nonniſi LX. ſolidos antè haberemus. Cuius loci redditus ad nos pertinentes Fratribus infirmis ex integro contulimus.

De Valle-Criſonis.

X. Apvd Vallem-Criſonis villam ædificauimus, Eccleſiam & domum conſtituimus, & carrucâ terram incultam dirumpi fecimus. Quæ quanti debeat conſtare, potiùs cognoſcent qui eam ædificare innitentur: cùm iam ibidem ſint ferè LX. hoſpites, & adhuc multi venire eligant, ſi ſit qui prouideat. Erat enim locus ille quaſi ſpelunca latronum, habens vltra duo miliaria deſerti, omninò Eccleſiæ noſtræ infructuoſus, raptoribus & ſatellitibus propter vicinitatem nemorum aptus. Eapropter ibidem Fratres noſtros Deo deſeruire diſpoſuimus, vt in cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, oriatur vitor calami & iunci. C

Possessionem beati Dionyſij, in qua continetur Meſnile S. Dionyſij, & Domnapetra, & ceteræ villæ caſtri, quod dicitur Cabroſa, à multis retro temporibus tribus talliis expoſitam, videlicet domino caſtri Cabroſæ, & domino caſtri Nielphæ, & Simoni de Villa-Aten, eorum rapacitate omninò ferè deſtructam non ſine magnis expenſis ab huiuſmodi oppreſſionibus emancipauimus: ea ſola, quæ ad eorum aduocationem iure pertinent, remittentes. Nec minus etiam venationem Iuelinæ infra metas terræ, quam beato Dionyſio multis temporibus abſtulerant, recuperauimus. Et ne in poſterum obliuioni traderetur, illuc exeuntes per continuam ſeptimanam, aſcitis nobis approbatis amicis & hominibus noſtris, videlicet Comite Ebroicenſi Amalrico de Monte-forti, Simone de Nielpha, Ebrardo de Villaperoſa, & aliis quamplurimis, in tentoriis demorantes, ſingulis diebus totius hebdomadæ cetuotum copiam ad Sanctum Dionyſium non

A leuitate, ſed pro iure Eccleſiæ reparando, transferri, & Fratribus infirmis, & hoſpitibus in domo hoſpitali, necnon & militibus per villam, ne deinceps obliuioni traderetur, diſtribui fecimus. Domino verò Cabroſæ præter antiquum feodum, videlicet aduocationem terræ noſtræ, & medietatem ſiluæ, de proprio ſingulis annis centum ſolidos damus, tanquam feodato noſtro, ne reducat manum ad talliam, vel terræ oppreſſionem. Quos quidem centum ſolidos in eadem terra pro voluntate noſtra abſque contradictione recolligere valemus.

Ne igitur laboris noſtri fructus ex obliuione in irritum deducatur, illa etiam quæ in Belſa auxiliante Deo augmentari elaborauimus, ſcripto commendare curauimus.

Prima villa beati Dionyſij, quæ vocatur Guilleluallis, prope Sarclidas in catalogo Dagoberti Regis beato Dionyſio ab eodem Rege traditas, vſque adeò à multis retrò temporibus aut ſemper ita incompoſita extiterat, vt nec domus vbi etiam Abbas caput reclinaret, nec granchia aliqua, nec quicquam Dominicum in tota villa exiſteret, Viginti quinque modiolos tantùm, qui non excedunt quatuor noſtros modios, pro cenſu terrarum, quas colebant, cum modico domorum ſuarum cenſu ſingulis annis perſoluebant. Ad hanc igitur adaptandam ob amorem dominorum noſtrorum ſanctorum Martyrum accedentes, quandam terram videlicet trium carrucarum in eadem villa ſitam, pro qua à XL. annis & vltra guerra maxima agitabatur inter Ioannem Stampensem filium Pagani, virum nobilem &
B ſtrenuum, & quendam alium militem Piguerenſem, multo ſumptu apud vtrumque appoſito, Eccleſiæ comparauimus, & quod vterque quærebat vt neuter haberet, nobis eam retinendo, & guerræ eorum finem ſic imponendo, fauore parentum & amicorum, videlicet Balduini de Corboilo, & multorum aliorum, Cartâ nobis firmari fecimus. In hac itaque noua terra, videlicet in medio villæ, loci oblectantes amœnitatem, viuidorum fontium, & riuorum decurrentium amplectentes affinitatem, curiam honeſtam muro cingi fecimus, domum fortem & defenſabilem in curia, granchias & quæque neceſſaria ibidem conſtrui multis expenſis effecimus. Et ad ſuperioris Belſæ releuandam ariditatem, viuario multitudine piſcium copioſo ferè in circuitu perluſtrauimus. Duas carrucas in eadem terra, vnam in noua, alteram in antiqua ſtatuimus. Et quæ tam parui conſtabat, vt ad quinquaginta vel eo ampliùs annonarum modios ſingulis annis reddere valeat, augmentauimus. Nam & illum priorem cenſum, quem paruiſſimum reddebant, remittentes, totius terræ campipartem præter carrucam de feodo Maioris nobis retinuimus. Qui ex hoc ipſo garrulitatem ruſticorum & mutatæ conſuetudinis moleſtias omninò ſe ſedare ſpopondit.

De Monaruilla.

C Svccedit & alia prope illam beati Dionyſij villa, quæ dicitur Monaruilla, villa omnium facta miſerrima, quæ ſub iugo caſtri Mereuillæ conculcata, non minus quàm Sarracenorum depreſſione, mendicabat: cùm eiuſdem caſtri Dominus quotienſcumque vellet, in eadem hoſpicium cum quibuſcumque vellet raperet, ruſticorum bona pleno ore deuoraret, talliam & annonam tempore meſſis pro conſuetudine aſportaret: lignaria ſua bis aut ter in anno carrucarum villæ diſpendio aggregaret: porcorum, agnorum, anſerum, gallinarum importabiles quaſque moleſtias pro conſuetudine tolleret. Quæ cùm tanta oppreſſione per multa tempora in ſolitudinem ferè iam redigeretur, audacter reſiſtere, & moleſtias huiuſmodi ab hereditate ſanctâ conſtanter exterminare elegimus. Cúmque eum in cauſam traheremus, & ipſe ſibi iure hereditario patris & aui atque ataui conſuetudines illas excuſaret, ad hoc auxilio Dei, & hominum atque amicorum noſtrorum conſilio res proceſſit, quòd Hvgo caſtri dominus, fauore coniugis & filiorum, aſſenſu Domini Regis Lvdovici, à quo ſe habere dicebat, beato Dionyſio in perpetuum omnes omninò conſuetudines, iniuſtitiam ſuam recognoſcendo, relaxauit, remiſit, manu propria iureiurando abiurauit, ſicut pleniùs in Carta Domini Regis Ludouici inuenitur. Nos autem ad eius hominium Eccleſiæ noſtræ retinendum, duos Stampenſes modios annonæ, vnum frumenti, & alterum auenæ, in curia noſtra per manum Monachi aut ſeruientis noſtri conceſſimus. Quo qui- XI.

LVDOVICVS VI. GROSSVS. dem prædicta villa etuta tormento, cùm priùs vix nobis valeret decem, aut quindecim libras, centum Stampenſes modios annonæ per ſingulos annos, qui ſæpiùs centum libras valent ſecundùm precium annonæ, per manus miniſtrorum reddere nobis conſueuit. A

POSSESSIONEM nihilominus, quæ dicitur Rubridum, depreſſione angariarum caſtri Puteoli omninò deſtitutam, emendare elaborantes, cùm quadam die HVGO dominus Puteoli poſt ruinam caſtri etiam nos ſuper hoc conueniſſet, vt incultam terram depreſſione caſtri in ſolitudinem redactam, ſub medietate lucri ego & ipſe excoleremus: licèt hoc quidam compendioſum approbarent, recuſauimus, & quod cum eo noluimus, per nos efficere ad commodum Eccleſiæ elaborauimus. Nec eum admittere ſocium in reſtitutione terræ ſuſtinuimus, quem deſtructorem more anteceſſorum ſuorum grauiſſimè perſenſeramus. Eaſdem enim conſuetudines, quas de Monaruilla enumerauimus, videlicet talliam & annonam porcorum, ouium, agnorum, anſerum, gallinarum, pullorum, lignorum, ab eadem terra more anteceſſorum ſuorum abripuerat, & ex hoc ipſo tam nobis quàm ſibi infructuosè iacentem omninò inutilem reddiderat. Nos igitur miſeriæ terræ & damno Eccleſiæ noſtræ condeſcendentes, in eadem ſterili terra curtem ædificauimus, turrímque ſuper portam ad repellendos raptores ereximus: tres carrucas ibidem poſuimus, villam quæ Villana dicitur, reſtituimus: incompoſita terræ compoſuimus, vſque adeò eam meliorando, vt cùm vix conſueuerit viginti libras ſingulis annis, poſtea centum libras, ſæpiùs verò centum & viginti reddiderit. Nos verò ſanctis Martyribus pro tantis beneficiis iure deuoti, de eodem fructu laboris noſtri ædificationi Eccleſiæ eorum ſingulis annis quater-viginti libras vſque ad operis expletionem, Carta & ſigillo aſſignauimus. Remouimus etiam ab eadem terra quandam conſuetudinem malam Vicecomitis Stampenſis, quæ palagium vocatur. B

De Tauriaco.

XII. TAVRIACVS igitur famoſa beati Dionyſij villa, caput quidem aliarum, & propria ac ſpecialis ſedes beati Dionyſij, peregrinis & mercatoribus, ſeu quibuſcumque viatoribus alimenta cibariorum in media ſtrata, laſſis etiam quietem quietè miniſtrans, intolerabilibus dominorum præfati caſtri Puteoli angariis vſque adeò miſerabiliter premebatur: vt cùm illuc temporibus anteceſſoris noſtri bonæ memoriæ Adæ Abbatis vt Præpoſitus terræ prouiderem, ſatis adhuc iuuenis acceſſiſſem, iam colonis penè deſtituta langueret, rapacitati Puteolenſium data eſca populis Ethiopum omninò pateret. Nec enim ipſa domus propria beati Dionyſij ſeipſam aliquando tuebatur; quin ipſe Dominus per ſatellites ſuos eam frangeret, quæcumque reperta ſacrilego ſpiritu aſportaret, adiacentes villas frequentibus hoſpiciis confunderet: annonam & talliam ſibi primùm, deinde Dapifero ſuo, deinde Præpoſito ſuo, ruſticorum vectigalibus ad caſtrum deferri cogeret. Vix qui aderant ſub tam nefandæ oppreſſionis mole viuebant. Cùm ergo ferè per biennium ibidem demorando, bis & aliis malis, & humanæ compaſſionis doloribus, & Eccleſiæ noſtræ diſpendio defatigarer; nec nos ſolùm, verumetiam omnes Eccleſiæ, quæ in partibus illis terram habentes æquè premebantur, conuenimus, & vt iugum importabile & tyrannidem nequiſſimi caſtri euitare poſſemus, diligenti deliberatione contulimus. Hinc emerſit quòd labore noſtro venerabilis Epiſcopus Carnotenſis IVO pro parte ſua, Capitulum beatæ Mariæ pro ſua, Abbas S. Petri pro ſua, Eccleſia S. Ioannis de Valleta pro ſua, Epiſcopus Aurelianis pro ſua, Eccleſia S. Aniani pro ſua, Abbas S. Benedicti pro ſua, Archiepiſcopus Senonis pro ſua, & nos pro noſtra, glorioſum Regem adiuimus LVDOVICVM, Eccleſiarum depopulationem, pauperum & orphanorum deplorationem, Eccleſiarum eleemoſynis anteceſſorum ſuorum, & ſuis, exheredationem lacrimabiliter expoſuimus. Qui, vt erat vir nobiliſſimæ induſtriæ, plenus pietate, Eccleſiarum illuſtris defenſor, auxiliari ſpopondit; & quòd Eccleſias, & Eccleſiarum bona deinceps deſtrui à præfato nequam nullo modo pateretur, iureiurando firmauit. Quod quidem egregiè factum quo labore, quibus expenſis, quàm grauiter expletum fuerit, in geſtis præfati Regis enucleatiùs inuenitur. Deſtructo ſiquidem radicitus pro merito ſuæ iniquitatis Puteolo caſtro, terra Sanctorum, tam noſtra, quàm G

A quàm aliæ, priſtinam adeptæ libertatem, quæ bello aruerant, pace floruerunt; ſte- LVDOVICVS
rilitate repoſita, fœcunditatem cultæ reddiderunt. Cùm autem poſt deceſſum an- VI. GROS-
teceſſoris noſtri bonæ memoriæ Adæ Abbatis ad huius ſanctæ amminiſtrationis ſe- SVS.
dem tam immeritus quàm abſens aſſumptus eſſem; priſtinæ virtutis & laboris non
immemor, quia diutiùs in illa demoratus fueram Præpoſitura, deuotiùs ad hanc
amplificandam acceſſi. In curte, quam palo & vimine firmaram, caſtrum benè
muratum erexi, turris propugnaculum principali portæ ſuper erigi feci, domos
aptas & propugnabiles conſtitui, libertatem villæ, immò totius terræ intemera-
tam conſeruaui. Vnde mihi aliquando contigit, quod cùm Aurelianum cum mi-
litari manu poſt Dominum Regem feſtinarem, & Præpoſitum Puteoli priora ma-
la reciprocantem reperiſſem, turpiter captum tenui, & ad Sanctum Dionyſium
vinctum cum dedecore tranſmiſi. Verùm quia Eccleſiarum bona induſtriâ Præ-
latorum pace concreſcere, & confoueri debent; culturas noſtras, quas ibidem ha-
bebamus dominicas, retentis earumdem decimis, colonis qui ibidem inhabitarent
cenſuales fecimus. quarum cenſum, ne obliuioni tradatur, ſcripto mandari præce-
pimus. Et vt quanti conſtet noſtro labore incrementum poſſeſſionis huius æſtime-
tur, de Præpoſitura, quæ non plus quàm viginti libras valere ſolebat, quater-vi-
ginti libras ſingulis annis habemus. Ceterarum verò conſuetudinum cotidianus
vſus multò melioratus, rerum incrementum facillimè diſſerere poterit. Antiquam
B verò eiuſdem terræ aduocationem ad Firmitatem Balduini antiquitus pertingen-
tem, qua terra ipſa immaniter longæuitate temporum premebatur, cùm nulla alia
refellendi ſuccederet via, contigit aduocationem illam ad quandam puellam fi-
liam filiæ Adæ Piguerenſis hereditario iure pertingere. Quo cognito, amicorum
noſtrorum conſilio multo ſumptu eam pro voluntate noſtra nuptui tradere quæſi-
uimus. Ad ſedandas ergo terræ illius inquietudines, nolentes more ſolito indige-
narum moleſtiis eam affligi, cuidam domeſtico noſtro iuueni puellam cum aduo-
cationibus dari fecimus, centum libras denariorum beati Dionyſij tam matrimo-
nio quàm patri & matri puellæ, fauore Domini Regis LVDOVICI, de cuius feo-
do aduocatia conſtabat, tali pacto contulimus, vt pro pecunia iſta & alia, videli-
cet triginta librarum, quas Dominus Rex indè habuit, tam ipſi quàm ſucceſſo-
res eorum nobis & ſucceſſoribus noſtris hominium, & ſeruicium, & iuſtitiam,
vbi eos ſubmoneremus, exequerentur. Quod ſi ad hoc deficerent, totum ad-
uocationis feodum, ac ſi proprium noſtrum eſſet, eorum, & parentum ipſorum
conceſſione, ac Domini Regis fauore, donec nobis ſatisfacerent, in plenitudi-
ne retinere liceret.

FEODOS verò, quos ex fiſco proprio emimus, ad faciendas ſtationes ſingulis
annis per duos menſes in eodem caſtro Tauriaco, ſubter intitulare curauimus.

De Poionis villa.

G

SIMILITER & Poionis villam, quam habebat Gauffredus Ruffus à cognato XIII.
ſuo Berardo de Eſſenuilla, vt à nobis idem Berardus tanquam homo noſter in feo-
do haberet, conduximus.

De Feins & Vendrouillare.

ALIAM etiam poſſeſſionem, quæ dicitur Feins & Vendrouillare, cum aliis XIV.
pertinentibus villis, à GALERANNO DE BRETOILO & vxore eius Iuditha,
& ſtrenuo viro filio eius EBRARDO, qui in expeditione Hieroſolymitana oc-
cubuit, multo ſumptu ferè centum quinquaginta marcarum argenti comparatam,
ſiue reſtitutam (dicebatur quippe quòd beati Dionyſij antiquo tempore ex dono
Huberti de ſancto Galarico extiterat) eleemoſynæ beati Dionyſij contulimus:
ſperantes de Dei miſericordia, quòd ea pauperibus attributa eleemoſyna, diuinæ
retributionis beneficium nobis ab omnipotenti Deo miſericorditer impetrabit.
Dixit enim quòd ſicut aqua extinguit ignem, ita eleemoſyna extinguit peccatum.
& vt in ſempiternum neceſſitatibus pauperum firmiùs deſeruiat, præcepto Regis
Ludouici, quod in archiuis publicis repoſitum continetur, firmari fecimus.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

A

De Belna.

XV. SANE inter alias vna de melioribus beati Dionyſij poſſeſſionibus in pago Guaſtinenſi Belna dinoſcitur, quæ etiam ſpacioſa ferè quatuor leugarum ſpacio, frumenti & vini opulentiâ ferax, quorumcumque fructuum mirabiliter capax, ſi non vexetur à ſeruientibus Domini Regis, ſeu noſtris, omnibus bonis exuberat. Quæ per incuriam habitatorum raro inculta habitatore ad tantam declinauerat inopiam; vt cùm ad cameram calciamentorum Eccleſiæ huius pertineret, nullo modo ea perſoluere valeret. Inde erat quòd cùm in manu Abbatis pro defectu debiti remaneret, ſingulis annis ſeruienribus eiuſdem terræ pro triginta libris totaliter eam locabat. Quam cùm diſſipatam, & penè in ſolitudinem redactam in nouitate Prælationis noſtræ reperiſſemus, chariſſimo Domino noſtro Regi Francorum LVDOVICO, cuius nobilitati tam deuotè quàm fideliter deſeruire ſatagebamus, tantum Eccleſiæ detrimentum expoſuimus. Qui etiam in hac terra intolerabiles, & penè conſumptiuas conſuetudines habebat, videlicet tres in anno procurationes, vnam de collata ruſticorum, ſufficientem tam ſibi quàm ſuis amminiſtrantibus, duas de propriis redditibus Sancti Dionyſij. qua calamitate terra penitus conſumebatur. Qui, vt erat eximiæ liberalitatis, Eccleſiæ tantum detrimentum, & pauperum angarias miſeratus, amoris & ſeruicij noſtri beniuolus, procurationem illam de dominicatura Eccleſiæ & nobis in perpetuum relaxauit. Illam verò, quæ fiebat de collecta ruſticorum, octo librarum debito ſingulis annis ſub præcepto Regiæ Maieſtatis firmauit. B Cuius exhilarati beneficio, vſurpatas & alienatas tam à Maiore quàm ab aliis terras nobis retraximus, clauſos vinearum videlicet apud Sanctum Lupum à viginti annis aratris redditos replantari fecimus, alias vineas iuxta Belnam penè deſtructas reſtitui fecimus, alias à quodam homine noſtro viginti libris Aurelianenſis monetæ emimus, villas omninò rapinis exhoſpitatas rehoſpitari fecimus.

De decima de Baruilla.

XVI. INTER alia decimam quandam de Baruilla, quam milites quidam à centum annis ſicut dicebant ſub cenſu duorum ſolidorum habebant, quæ nobis quotannis viginti aut triginta annonæ modiis valet; ſiue quæque perdita prout meliùs potuimus ad opus Eccleſiæ retraximus. Cúmque dominicæ domus ſatis viliſſimæ ex toto corruiſſent, hoc potiſſimum ad has, quæ modò ſunt facetæ & propugnabiles, conſtruendas excitauit: quòd cùm conſtituiſſem determinare cauſas noſtras in eadem domo vna dierum, nutu diuino me abſente tam miſerabiliter corruit, vt etiam lectum in quo iacerem ſi adeſſem, & plancatum ſolarij, & tonnas inferioris promptuarij, & vaſa vinaria omninò confregerit, & ſub tanta ruina, quod diuina propitiatio mihi pepercerit, omnibus fidem fecerit. C Granchiam peroptimam ibidem extruximus, & ſtagna duo, quæ multa piſcium copiâ multo tempore illuc aduentantibus ſufficientiam ſi benè ſeruentur miniſtrabunt. Quæ quidem terra quantum auxilio Dei ſit meliorata, & de quanta miſeria fuerit ſuſcitata, certum conſtat augmentum, quod cùm priùs triginta libras, nunc ſæpiùs plus quàm ducentas tantùm perſoluat.

De Axone burgo, qui nunc eſt Corboilus.

XVII. AXONEM burgum quidem S. Dionyſij ſuper fluuium Iſſonam antiqua Regum liberalitate ſanctis Martyribus collatum, ſicut in antiquis eorum Cartis continetur, atrocitas cuiuſdam tyranni in caſtrum Corboilum tranſtulit: & vnde ſanctos Martyres in terra, indè ſe de cœlo exheredare elaborauit.

De Cella conſtructa in loco qui dicitur Campis.

XVIII. IGITVR poſt multa annorum curricula, ferè ducentorum aut plus, cùm mater Eccleſia Axonæ, quæ parrochialis eſt Corboili, ſola quaſi ſtatua eodem in loco remanſiſſet, eam etiam Epiſcopi Pariſienſes ex æmulatione ingenitæ Monaſterij

A libertatis beato Dionyſio abſtulerunt, & vt hoc ipſum fortiter defendetetur, Cluniaco & Cluniaci membris, videlicet S. Martino de Campis & Eccleſiæ de Gornaco contulerunt. Ipſi verò tyranni Corboilenſis caſtri in malitia ſua congelati tam miſerabiliter omnia ſibi ſubiugauerunt, vt vix quicquam reliqui præter vacuum terræ fundum dimiſerint; & in proprios vſus, tanquam proprij eſſent iuris, auſu ſacrilego redegerint. Supererat & quædam Capella in honore, vt ferebatur, beatæ Mariæ, qua nullam conſpicatus ſum minorem, ſemiruta, in loco qui dicitur Campis, in qua & antiquum altare, quod ſupra ex ſolitudine concretam herbam oues & capræ frequenter depaſcebant. Vbi teſtimonio multorum ſæpè in die Sabbati ſanctitatem loci ſignificantes candelæ videbantur ardere. Quo facto excitati indigenæ infirmi, & poſt etiam alienigenæ multi illuc in ſpe ſanitatis concurrebant, & ſanabantur. Cùm autem diuino nutu locus ille à multis tam propinquis quàm remotis frequentaretur, deſtinati ſunt illuc Fratres noſtri venerabiles viri bonæ memoriæ Herueus Prior, & Odo Torcetenſis, qui & Domino noſtro, & eius beatæ Genitrici deſeruirent, locellúmque illum diuino cultui adaptare & exaltare operam darent. Vbi ſtatim tanta miraculorum copia ſub ammiratione omnium in breui effloruit, vt & ab omnibus amaretur, ab omnibus prædicaretur, & à quibuſcumque augmentaretur. Multitudo ſiquidem languentium, & qui vexabantur à ſpiritibus immundis, necnon cæcorum, claudorum, & aridorum incommoditas B ibidem deponebatur. Quorum miraculorum, cùm innumera operante beata Dei Genitrice locum celebrem perſonarent, duo impræſentiarum, quæ viſu aut auditu cognouimus, paginæ præſenti ad honorem eiuſdem loci accommodare curauimus.

Miraculum de muta.

ERAT quædam nobilis matrona multis annis viduata, videlicet mater venerabilis viri Abbatis Corbeiæ Roberti Monachi noſtri. quæ cùm loca Sanctorum ob remedium animæ ſuæ frequentare conſueuiſſet, cum quadam puella iam duodenne, quæ nunquam fuerat locuta, illuc deuenit. Nocte verò Sabbati in eadem Eccleſiola cum ipſa muta pernoctans, dum pro ſe & pro ſuis diuinas ſollicitaret aures, vbi Fratres incœperunt *Te Deum laudamus*, viſum eſt, ſicut referebat, eidem puellæ quaſi in extaſim raptæ, quòd quædam glorioſa Regina pulchra vt Luna, electa vt Sol, cicladibus Regiis veſtita, auro gemmíſque precioſis coronata, à ſiniſtro cornu altaris ad dextrum contendens, ante eam tranſibat. Quæ cùm eam nomine proprio, (Lancendis enim vocabatur) piè ſatis aduocaſſet, audiente tam præfata matrona quàm aliis multis, elata voce, lingua inuſitata, Domina, reſpondit. Nec deinceps minus loqui aut ſciuit aut potuit, quàm ſi toto tempore vitæ ſuæ locuta fuiſſet. Quod ſtupendum miraculum qui aderant ſummo præconio attollentes, per diuerſas regiones adiacentes reportauerunt. Qui verò priùs C eam per quinquennium mutam, & poſt per quinquennium loquacem cognouimus, locum ipſum ſanctum & exaltare & diligere iure debuimus. XIX.

De hydropica.

SECVNDARE dignum duximus & aliud ſicut promiſimus miraculum. Hydropica quædam tumida more prægnantis, nec minus præ dolore clamoſa voce inſaniens (premebatur enim humore aquatico intolerabiliter) manibus amicorum ad ſanctam Mariam præfato loco portata eſt. Quæ cùm per multos dies ante ſanctum altare delituiſſet, ipſo ſuæ putredinis & corrupti elementi fœtore aduentantes multos reiiciebat. Cùmque iam nulla ſpes ſuccederet ſanitatis (tumor enim & ſanies ipſam etiam faciem iam ferè in informitatem confuderat) murmurabant multi tam ſani quàm infirmi, ſuppliciter poſtulantes vt ab eadem Eccleſiola exponeretur. Verùm Fratres noſtri venerandi viri maluerunt ſuſtinere miſericordes eius ingratam præſentiam, quàm immiſericordes abſentiam. Contigit igitur quadam nocte Dominica (in his enim potiſſimum diuina manus operabatur) illam hydropicam, quod non conſueuerat, obdormiſſe, cùm ſubitò glorioſa Imperatrix Virgo Maria inuiſibiliter ad vterum humore ſeſuo exhauſtum, tam gracile quàm nitidum citò reſtituit. Videres, & qui aderāt tam Fratres noſtri quàm alij multi viderunt tan- XX.

LVDOVICVS VI. GROSSVS. tam effuſi humoris & decurſi flegmatis in terra abundantiam, vt cum ſcutellis & ſitulis & ollis illa aſportare ſtatim oporteret. Quando autem qui aderant ob rei magnitudinem ſtupuerunt, tantò deuotiùs laudes omnipotenti Deo & eius Genitrici reddiderunt. *Te Deum laudamus* deplorando cantauerunt, & vt Deus omnipotens ſicut incœperat honorem Genitricis ſuæ ibidem continuaret, ſuppliciter efflagitauerunt. A

HIS igitur & aliis miraculorum & prodigiorum ſignis præfatum locum inſignem diuina diſpoſitione, ob amorem Dei Genitricis honorare & exaltare amplectentes, ædificatum iri inſtanter incœpimus, & vt Conuentus Fratrum ibidem Deo deſeruiret, duodecim Fratres cum Priore ſuo conſtituimus: clauſtrum, refectorium, dormitorium, cæteráſque officinas regulares extruximus. Eccleſiam ornamentis, ſacerdotalibus indumentis, palliis, & palliorum cappis, decenter adaptauimus. Textus duos, videlicet antiquum textum cotidianum, & gradalem Karoli Imperatoris, à matre Eccleſia illuc deferri fecimus. Bibliothecam honeſtam tribus voluminibus poſuimus. Nec minus circa victualia Fratrum ſollicití, duas carrucas in propria terra prope locum locauimus. Clauſum vinearum aptum magnæ Abbatiæ, & benè valentem eis plantauimus, vinearum copiam multis modis adquiſiuimus. Torcularia quatuor penes ſe in proprio ferè quater-viginti modios vini valentia, abſq; ſumptu aliquo ipſi loco ædificauimus: vſque adeò de copia eis prouidentes, vt quandóque ducentos quinquaginta, quandóque trecentos modios vini largè recipiant. Prata etiam ſufficienter in propriis ceſpitibus circumfodi fecimus. hortos ſatis habiles pulmentorum ſeminibus ſatis fecimus. Erat autem quædam altera beati Dionyſij à multis iam temporibus deſtituta, & in ſolitudinē redacta, vno etiam carens cultore, quæ forſitan à vicinis villis alieno cultore annonæ modium aut minus reddere conſueuerant, aut duos aut tres de nucibus ſextarios, in qua tres carrucas in curia noua, & granchiam nouam eis inſtituimus. Oues & vaccas & nutrituram ad opus eorum propter paſcuorum vbertatem, & terrarum emendationem ibidem locauimus. Aliam etiam beati Dionyſij poſſeſſionem prope Brunetum, ex qua ſæpè decem modios annonæ, & vini ferè decem, & fœnum pabulo iumentorum recipiunt, de proprio obligauimus. De molendino etiam à ſexaginta ferè annis perdito quicquid recuperauimus, eis dimiſimus; ea tamen conditione, vt in ſequenti die feſti beati Dionyſij xx. ſolidos refectorio beati Dionyſij perſoluant. In eadem etiam villa centum ſolidos inter cenſum & talliam habent. Corboilo verò in circuitu ſui decem & ſeptem libras de proprio cenſu præter alios redditus & venditionum, & nundinarum, & aliarum conſuetudinum: necnon molendinum & furnum, & octo modios auenæ cum gallinis, & præbendam integram S. Exuperij. B

De Marogilo.

XXI. IN pago Meldenſi villa, quæ dicitur Marogilum, occaſione cuiuſdam viaturæ, quam Anſoldus de Cornello ferè vſque ad ipſas villæ domus poſſidebat, grauiſſimè infeſtabatur: cùm nec agricolæ, nec alij quilibet villam exire tuto auderent, quin occaſionibus multis viaturæ à ſeruientibus Anſoldi raperentur, & ad curiam eius intercepti ducerentur, nec minus de pecoribus villam exeuntibus redimerentur. Nos ergo mille ſolidos pro pace eiuſdem villæ, vt eandē nobis dimitteret viaturam, ei in Hieroſolymitanam expeditionem proficiſcenti donauimus; & vt beati Dionyſij deinceps conſtaret, per manum Epiſcopi Meldenſis Manaſſæ, & Eccleſiæ eiuſdem, necnon & ſigillo Comitis THEOBALDI, annuente eius vxore & filio nobis firmari fecimus. Eam enim, ſicut confeſſus eſt, iniuſtè vſurpauerat. C

COMMVTATIONIS etiam cuiuſdam formam ſucceſſoribus noſtris innoteſcere cupientes, ſi fortè Dei auxilio hoc ipſum in melius aliquando poſſet immutari, intitulare curauimus. Dum nobile Regnum Francorum in ſtatu Monarchiæ conſiſteret, circumquaque ſicut ſe regia poteſtas extendebat, per totam Regni Tetrarchiam, videlicet in Italia, Lotharingia, Francia, Aquitania, Eccleſia beati Dionyſij magnis multiſque poſſeſſionibus liberalitate Regum abundabat. Verùm quod vnitas illibatum conſeruabat, filialis diuiſio & corrumpere & diminuere elaborauit. Hinc eſt quòd beatus Dionyſius Herelingas, Herbertingas, & Salonam, & quamplures alias poſſeſſiones amittens: villas etiam quæ in pago Metenſi exiſtunt, videlicet caſtrum Gomundas, Bliſtetot, & Cochilingas, perdidit. Pro quarum reclama-

A rione cùm ſæpiùs Apoſtolico conſpectui inſiſteremus, tum pro iniuſtitia ſua, tum
pro incommoditate perſonatum ſuarum (qui enim eas auferebant malè & peſſimè
abſque confeſſione moriebanrur) quaſi pro commutatione locum qui dicitur Cella
cum appendiciis ſuis in Cartis Ludouici Imperaroris denominatis, plena libertare
bearo Dionyſio contulit, vbi Fratres noſtros ad ſeruiendum Deo in ſpe augmenta-
tionis & ſuccedentis tecuperationis locauimus.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

De Caluomonte.

ECCLESIAM quoque S. Petri in Caluomonte ſitam, tam Abbatiam quàm ip- XXII.
ſas Canonicas Canonicis decedentibus, tam à Rothomagenſi Archiepiſcopo HV-
GONE, quàm à Domino Rege Francorum LVDOVICO obrinere elaborauimus: nec-
non & XII. Fratres cum tredecimo Priore ad exaltationem eiuſdem Eccleſiæ, & di-
uini cultus propagatione, reuerenter locauimus. & eandem Eccleſiam ab eodem
reuerendo Archiepiſcopo conſecrari, & anre eam Cimiterium benedici, Deo an-
nuente obtinuimus. Quæ ſiquidem noua quaſi nobile membrum capiti ſuo Eccle-
ſiæ beati Dionyſij copulata, quanto tranſeuntibus ſucceſſoribus noſtris à VVlcaſſi-
no ad Normanniam, vel etiam pro conſeruatione reliquatum poſſeſſionum, in eo-
dem pago demorantibus apra ſiue idonea exiſtit: tanrò de propriis vel de acquiſitis
eam locupletare tanquam nouam planram, & confouere iure decertabit. Fratri-
B bus verò ibidem Deo deſeruientibus, quia vineis egent, de decimis quas nobis de-
dit Rex Ludouicus apud Cergiacum, vno quoque anno viginti modios vini; & de
decima, quam nos acquiſiuimus apud Ablegiacum, medietatem confirmauimus:

De Berneualle:

IN ea autem, quæ dicitur Betneuallis, poſſeſſione ſuper Normannici littus maris, XXIII.
in qua etiam primam alicuius Præpoſituræ ab anteceſſore meo ſuſcepi obediētiam,
quam etiam in tempore ſtrenuiſſimi Regis HENRICI, adhuc ſaris iuuenis àb op-
preſſione exactorum regiorum, quos dicunt Graffiones, multo labore, multiſque
placitis emancipaueram: parrochiales Eccleſias, quas Rogerius Preſbyter, & Fra-
ter eius Gaufredus hereditario iure ſibi vendicabant, ad dominicaturam Eccleſiæ
in nouitate Prælaturæ noſtræ retraximus, eáſque & redditus eatum Theſaurario ad
renouandas & augmentandas Eccleſiæ huius palliaturas, in ſempitetnum contuli-
mus. Et quia ferè nullos redditus ad hoc ſupplendum habebat, aliam quandam vil-
lam in partibus iſtis, quæ dicitur Quadraria nuper ædificata, adiunximus. Et hæc
quidem quatuor marcas, Eccleſiæ verò ſeptem libras, ſi tamen meliorari non pote-
rit, perſoluit. Redditus verò alios conſuetudinarios præfatæ villæ Berneuallis, tam
in cenſibus quàm in aliis, ferè vſque ad XV. libras, ſicut credimus, augmentati feci-
mus. Conſuetudinem autem quam vulgo dicunt aquariam, quámque in tempore
C bonæ memoriæ anteceſſoris noſtri à Præpoſito noſtro, qui eam occupauerat, excu-
tere adiuuimus, feſtiuo piiſſimi Regis Dagoberti anniuerſario refectioni Fratrum
aſſignauimus. Villas etiam Motiniacum, Liliacum, & Floriacum, cùm non con-
ſueuiſſent reddere plus quàm ſeptem aut decem libras, vt triginta aut ad minus vi-
ginti quinque reddant; elaborauimus. Idem & de Monte-Fuſceoli.

De Eccleſiæ ornatu.

HIS igitur reddituum incrementis taliter aſſignatis, ad ædificiorum inſtitutio- XXIV.
nem memorandam manum reduximus, vt & ex hoc ipſo Deo omnipotenti tam à
nobis quàm à ſucceſſoribus noſtris grates referātur, & eorum affectus ad hoc ipſum
proſequendum, & ſi neceſſe ſit peragendum, bono exemplo animetur. Non enim
aut penuria aliqua, aut quodcumq; impedimentum cuiuſcumque poteſtatis timen-
dum erit, ſi ob amorem ſanctorum Martyrum de ſuo ſibi ſecurè ſeruiatur. Primùm
igitur quod Deo inſpirante huius Eccleſiæ incœpimus opus, propter antiquarum
materiarum vetuſtatem, & aliquibus in locis minacem diruptionem, aſcitis meliori-
bus quos inuenire potui de diuerſis partibus pictoribus, eos aptari & honeſtè depin-
gi tam auro quàm precioſis coloribus deuotè fecimus. Quod quia etiam in ſcholis
addiſcens, hoc facere ſi vnquam poſſem appetebam, libentiùs compleui.

A

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

De Eccleſiæ primo augmento.

XXV. VERVM cùm iam hoc ipſum multo ſumptu compleretur, inſpirante diuino nutu propter eam, quam ſæpè diebus feſtis, videlicet in feſto beati Dionyſij, & in Indicto, & in aliis quamplurimis, & videbamus, & ſentiebamus importunitatem. Exigebat enim loci anguſtia, vt mulieres ſuper capita virorum, tanquam ſuper pauimentum, ad altare dolore multo & clamoſo tumultu currerent, ad augmentandum & amplificandum nobile, manúque diuina conſecratum Monaſterium, virorum ſapientum conſilio, Religioſorum multorum precibus, ne Deo ſanctiſque Martyribus diſpliceret, adiutus, hoc ipſum incipere aggrediebar: tam in Capitulo noſtro quàm in Eccleſia diuinæ ſupplicans pietati, vt qui initium eſt & finis, id eſt α & ω, bono initio bonum finem ſaluo medio concopularet, ne virum ſanguinum ab ædificio templi refutaret, qui hoc ipſum toto animo magis quàm Conſtantinopolitanas gazas obtinere præoptaret. Acceſſimus igitur ad priorem valuarum introitum, & deponentes augmentum quoddam, quod à Karolo Magno factum perhibebatur, honeſta ſatis occaſione, quia pater ſuus PIPINVS Imperator extra in introitu valuarum pro peccatis patris ſui Karoli Martelli proſtratum ſe ſepeliri, non ſupinum fecerat; ibidem manum appoſuimus. &, quemadmodum apparet, & in amplificatione corporis Eccleſiæ, & introitus & valuarum triplicatione, turrium altarum & honeſtarum erectione, inſtanter deſudauimus. B

De dedicatione.

XXVI. ORATORIVM Sancti Romani ad famulandum Deo ſanctiſque eius Angelis, dedicari à venerabili viro Rothomagenſi Archiepiſcopo HVGONE, & aliis quamplurimis Epiſcopis obtinuimus. Qui locus quàm ſecretalis, quàm deuotus, quàm habilis diuina celebrantibus, qui ibidem Deo deſeruiunt, ac ſi iam in parte dum ſacrificant eorum in cœlis ſit habitatio, cognorunt. Eadem etiam dedicationis celebritate, in inferiori teſtudine Eccleſiæ dedicata ſunt hinc & indè duo oratoria, ex vna parte Sancti Hippolyti ſociorúmque eius, & ex altera S. Nicolai, à venerabilibus viris MANASSE Meldenſi Epiſcopo, & PETRO Siluanectenſi. Quorum trium vna & glorioſa proceſſio cùm per oſtium S. Euſtachij egrederetur, ante principales portas tranſiliens cum ingenti Cleri decantantis & populi tripudiantis turba, Epiſcopis præeuntibus, & ſanctæ inſiſtentibus conſecrationi, per ſingularem atrij portam de antiquo in nouum opus tranſpoſitam tertiò ingrediebantur. Et ad honorem omnipotentis Dei feſtiuo opere completo, cùm in ſuperiore parte elaborare accingeremur, aliquantulum fatigatos recreabant: & ne laboris aut penuriæ alicuius timore deprimeremur, gratantiſſimè ſollicitabant.

C

De portis fuſilibus & deauratis.

XXVII. VALVAS ſiquidem principales, acciris fuſoribus & electis ſculptoribus, in quibus paſſio Saluatoris & Reſurrectio, vel Aſcenſio continetur, multis expenſis, multo ſumptu in earum deauratione, vt nobili porticui conueniebat, ereximus. Necnon & alias in dextera parte nouas, in ſiniſtra verò antiquas ſub muſiuo, quod & nouum contra vſum hîc fieri, & in arcu portæ imprimi elaborauimus. Turrim etiam & ſuperiora frontis propugnacula tam ad Eccleſiæ decorem, quàm & vtilitatem, ſi oportunitas exigeret, variari condiximus, litteris etiam cupro deauratis, conſecrationis annum intitulari, ne obliuioni traderetur, præcepimus hoc modo:

Ad decus Eccleſiæ, quæ fouit & extulit illum,
SVGERIVS *ſtuduit ad decus Eccleſiæ.*
Déque tuo tibi participans Martyr Dionyſi,
Orat vt exores fore participem Paradiſi.
Annus millenus & centenus quadragenus,
Annus erat Verbi quando ſacrata fuit.

Verſus etiam portarum hi ſunt:

Portarum quiſquis attollere quæris honorem,

A *Aurum nec ſumptus, operis mirare laborem.*
Nobile claret opus, ſed opus quod nobile claret,
Clarificet mentes vt eant per lumina vera
Ad verum lumen, vbi Chriſtus ianua vera.
Quale ſit intus in his determinat aurea porta.
Mens hebes ad verum per materialia ſurgit,
Et demerſa priùs hac viſa luce reſurgit.
& in ſuperliminari,
Suſcipe vota tui Iudex diſtricte SVGERI,
Inter oues proprias fac me clementer haberi.

De augmento ſuperioris partis.

EODEM verò anno tam ſancto & tam fauſto opere exhilarati, ad inchoandam in ſuperiori parte diuinæ propitiationis cameram, in qua iugis & frequens redemptionis noſtræ hoſtia abſque turbarum moleſtiâ ſecreto immolari debeat, accelerauimus. & quemadmodum in ſcripto conſecrationis eiuſdem ſuperioris operis inuenitur, Deo cooperante, & nos & noſtra proſperante, cum Fratribus & conſeruis noſtris tam ſanctum, tam glorioſum, tam famoſum opus ad bonum perduci finem miſericordiret obtinere meruimus: tantò Deo ſanctiſque Martyribus obnoxij, quantò noſtris temporibus & laboribus tam diu differendo agenda reſeruauit. XXVIII.
B Quis enim ego ſum, aut quæ domus patris mei, qui tam nobile, tam gratum ædificium vel inchoaſſe præſumpſerim, vel perfeciſſe ſperauerim; niſi diuinæ miſericordiæ, & ſanctorum auxilio Martyrum fretus, totum me eidem operi & mente & corpore applicuiſſem? Verùm qui dedit velle, dedit & poſſe: & quia bonum opus fuit in voluntate, ex Dei adiutorio ſtetit in perfectione. Quod quidem glorioſum opus quantum diuina manus in talibus operoſa protexerit, certum eſt etiam argumentum, quòd in tribus annis & tribus menſibus totum illud magnificum opus, & in inferiore cripta, & in ſuperiore voltarum ſublimitate, tot arcuum & columnarum diſtinctione variarum, etiam operturæ integrum ſupplementum admiſerit. Vnde etiam epitaphium prioris conſecrationis, vna ſola ſublata dictione, huius etiam annalem terminum concludit, hoc modo:
Annus millenus & centenus quadragenus
Quartus erat Verbi, quando ſacrata fuit.
Quibus etiam epitaphij verſibus hos adiungi delegimus.
Pars noua poſterior dum iungitur anteriori,
Aula micat medio clarificata ſuo.
Claret enim clarum quod clarè concopulatur,
Et quod perfundit lux noua, claret opus
C *Nobile, quod conſtat auctum ſub tempore noſtro,*
Qui Sugerus eram, me duce dum fieret.
Promptus igitur vrgere ſucceſſus meos, cùm nihil mallem ſub cœlo quàm proſequi matris Eccleſiæ honorem, quæ puerum materno affectu lactauerat, iuuenem offendentem ſuſtinuerat, ætate integrum potenter roborauerat, inter Eccleſiæ & Regni Principes ſolemniter locauerat, ad executionem operis nos ipſos contulimus, & cruces collaterales Eccleſiæ ad formam prioris & poſterioris operis coniungendi, attolli & accumulari decertauimus.

De continuatione vtriuſque operis.

QVO facto, cùm quorumdam perſuaſione ad turrium anterioris partis proſecutionem ſtudium noſtrum contuliſſemus, iam in altera parte peracta diuina, ſicut credimus, voluntas ad hoc ipſum nos retraxit, vt mediam Eccleſiæ teſtudinem, quam dicunt nauim, innouare, & vtrique innouato operi conformare & coæquare aggrederemur: reſeruata tamen quantacumque portione de parietibus antiquis, quibus ſummus Pontifex Dominus Ieſus Chriſtus teſtimonio antiquorum Scriptorum manum appoſuerat, vt & antiquæ conſecrationis reuerentia, & moderno operi iuxta tenorem cœptum congrua cohærentia ſeruaretur. Cuius immu- XXIX.

LVDOVICVS VI. GROSSVS. tationis ſumma hæc fuit. quòd ſi intetpolate in naui Eccleſiæ occaſione turrium agеretur, aut temporibus noſtris aut ſucceſſotum noſtrorum, tardiùs, aur numquam quocumque infortunio ſicut diſpoſitum eſt perficeretur. Nulla enim rerum importunitas terum auctores vrgeret, quin noui & antiqui operis copula longam ſuſtineret expectationem. Sed quia iam incœptum eſt in alarum exrenſione, aut pet nos, aut pet quos Dominus elegerit ipſo auxiliante perficietur. Prætetitorum enim recordatio fururorum eſt exhibitio. Qui enim inter alia maiora etiam admirandarum vitrearum operarios, materiem ſaphirorum locupletem, promptiſſimos ſumptus ferè ſepringentarum librarum, aut eo amplius adminiſtrauerit, peragendorum ſupplementis liberaliſſimus Dominus deficere non ſuſtinebit. Eſt etenim initium & finis. A

De ornamentis Eccleſiæ.

XXX. ORNAMENTORVM eriam Eccleſiæ deſcriptionem, quibus manus diuina adminiſtrationis noſtræ rempore Eccleſiam ſuam ſponſam vocatam exornauit, ne veritaris æmula ſubrepat obliuio, & exemplum auferat agendi, intitulare dignum duximus. Dominum noſtrum ter beatum Dionyſium tam largum, tam benignum & confitemur & prædicamus, vt tot & tanta credamus apud Deum effeciſſe, tot & tanta impetraſſe, vt centupliciter quàm fecetimus, Eccleſiæ illius profeciſſe potuiſſemus, ſi fragilitas humana, ſi varietas temporum, ſi mobilitas morum non reſtitiſſet. Quæ tamen ei Deo donante teſeruauimus hæc ſunt. B

De tabula aurea ſuperiori.

XXXI. IN Tabula illa, quæ ante ſacratiſſimum corpus eius aſſiſtit, circiter XLII. marcas auri poſuiſſe nos æſtimamus. Gemmarum precioſarum multiplicem copiam, iacinctorum, rubetorum, ſaphirorum, ſmaragdinum, topaziorum, necnon & opus diſcriminanrium vnionum, quantam nos reperire numquam præſumpſimus. Videtes Reges & Principes, multóſque viros præcelſos, imitatione noſtra digitos manuum ſuarum exanulare, & anulorum aurum, & gemmas, margaritáſque precioſas ob amorem ſanctotum Martyrum eidem Tabulæ infigi præcipere. Nec minus etiam Archiepiſcopi & Epiſcopi ipſos ſuæ deſponſationis anulos ibidem ſub tuto teponentes, Deo & Sanctis eius deuotiſſimè offerebant. Venditorum etiam gemmariorum tanta de diuetſis Regnis & Narionibus ad nos turba confluebat, vt non plus emere quæreremus, quàm illi vendere ſub amminiſtratione omnium feſtinarent. Verſus etiam eiuſdem Tabulæ hi ſunt.

Magne Dionyſi portas aperi Paradiſi,
Suggeriúmque piis protege præſidiis.
Quique nouam cameram per nos tibi conſtituiſti,
In camera cœli nos facias recipi; G
Et pro præſenti cœli menſa ſatiari,
Significata magis ſignificante placent.

QVIA igitur ſacratiſſima Dominotum noſtrorum cotpota in volta ſuperiote quàm nobilius potuimus locari oportuit, quædam de collateralibus tabulis ſanctiſſimi eotum ſarcofagi neſcimus qua occaſione erepta, quindecim marcas auri teponendo, vlteriotem frontem eiuſdem, & operturam ſupetiorem vndique inferiùs & ſuperiùs deaurari quadraginta fermè vnciis elaborauimus. Tabulis etiam cupteis fuſilibus & deauratis, atque politis lapidibus impactis propter interiotes lapideas voltas, necnon & ianuis continuis ad arcendos populorum tumultus; ita tamen vt venerabiles perſonæ, ſicut decuerit ipſa ſanctorum corporum continentia vaſa cum magna deuotione & lacrymarum profuſione videre valeant, circumcingi fecimus. Eorumdem verò ſanctorum tumulorum hi ſunt verſus.

Sanctorum cineres, vbi cœlicus excubat ordo,
Plebs rogat & plorat, Clerus canit in decachordo,
Spiritibus quorum referuntur vota piorum,
Cúmque placent illis mala condonantur eorum.
Corpora Sanctorum ſunt hîc in pace ſepulta,
Qui poſt ſe rapiant nos orantes prece multa.

A *Hic locus egregium venientibus extat aſylum,*
Hic fuga tuta reu, ſubiacet vltor eis.

De Crucifixo aureo.

ADORANDAM viuificam crucem æternæ victoriæ Saluatoris noſtri vexillum ſalutiferum, de quo dicit Apoſtolus, *Mihi autem abſit gloriari niſi in cruce Domini noſtri Ieſu Chriſti*, quanto glorioſum non tantùm hominibus, quantum etiam ipſis Angelis, filij hominis ſignum apparens in extremis in cœlo, tantò glorioſiùs ornatum iri, tota mentis deuotione ſi poſſemus inniteremur, iugiter eam cum Apoſtolo Andrea ſalutantes, Salue crux quæ in corpore Chriſti dedicata es, & ex membris eius tanquam margaritis ornata. Verùm quia ſicut voluimus non potuimus, quàm meliùs potuimus voluimus, & perficere Deo donante elaborauimus. Hinc eſt quòd precioſarum margaritarum, gemmarúmque copiam circumquaque per nos & per nuncios noſtros quæritantes, quàm precioſiorem in auro & gemmis tanto ornatui materiam inuenire potuimus, præparando, artifices peritiores de diuerſis partibus conuocauimus. quo & diligenter & moroſè fabricando crucem venerabilem ipſarum ammiratione gemmarum retro attollerent, & ante videlicet in conſpectu ſacrificantis Sacerdotis, ad ornandam Domini Saluatoris imaginem in recordatione paſſionis eius tanquam & adhuc patientem in cruce oſtentarent. Eodem ſanè loco beatus Dionyſius quingentis annis & eo ampliùs, videlicet à tempore Dagoberti vſque ad noſtra tempora iacuerat. Vnum iocoſum, ſed nobile miraculum, quod ſuper his oſtendit nobis Dominus, ſub ſilentio prætetire noluimus. Cùm enim hæretem penuriâ gemmarum, nec ſuper hoc ſufficienter mihi prouidere valerem (raritas enim eas cariores facit) ecce duorum Ordinum, trium Abbatiarum, videlicet Ciſtellenſis & alterius Abbatiæ eiuſdem Ordinis, & fontis Ebraldi, camerulam noſtram Eccleſiæ inhærentem intrantes, gemmarum copiam, videlicet iacinthorum, ſaphirorum, rubetorum, ſmaragdinum, topaziorum, quanram per decennium inuenire minimè ſperabamus, emendam nobis obtulerunt. Qui autem eas habebant, à Comite THEOBALDO ſub eleemoſyna obtinuerant, qui à theſauris auunculi ſui Regis HENRICI defuncti, quas in mirabilibus cuppis toto tempore vitæ ſuæ congeſſerat, per manum STEPHANI fratris ſui Regis Anglici receperat. Nos autem onere quærendarum gemmarum exonerati, gratias Deo referentes, quater-centum libras, cùm plus ſatis valerent, pro eis dedimus. Nec eas ſolùm, verumetiam multam & ſumptuoſam aliarum gemmarum & vnionum copiam ad perfectionem tam ſancti ornamenti appoſuimus. De auro vero obrizo, circiter quater-viginti marcas nos poſuiſſe, ſi benè recordor, meminimus. Pedem vero quatuor Euangeliſtis comptum, & columnam cui ſancta inſidet imago, ſubtiliſſimo opere ſmaltitam, & Saluatoris hiſtoriam cum antiquæ legis allegoriarum teſtimoniis deſignatis, & capitello ſuperiore mortem Domini cum ſuis C imaginibus ammirante, per plures aurifabros Lotharingos quandóque quinque, quandóque ſeptem, vix duobus annis perfectam habere potuimus. Tanti igitur & tam ſancti inſtrumenti ornatum altiùs honorare & exaltare miſericordia Saluatoris noſtri accelerans, domnum Papam EVGENIVM ad celebrandum ſanctum Paſcha, ſicut mos eſt Romanis Pontificibus in Galliis demorantibus, ob honorem ſancti Apoſtolatus beati Dionyſij, quod etiam de Calixto & Innocentio illius prædeceſſoribus vidimus, ad nos adduxit: qui eundem Crucifixum ea die ſolenniter conſecrauit. De titulo veræ Crucis Domini, qui omnem & vniuerſalem excedit margaritam, de Capella ſua portionem in eo aſſignauit: publicè coram omnibus, quicumque indè aliquid raperent, quicumque auſu temerario in eum manum inferrent, mucrone beati Petri, & gladio Spiritus ſancti anathematizauit. Nos autem idem anathema inferiùs in Cruce intitulari fecimus. XXXII.

PRINCIPALE igitur beati Dionyſij altare, cui tantùm anterior Tabula à Karolo Caluo Imperatore tertio ſpecioſa & precioſa habebatur, quia eidem ad Monaſticum propoſitum oblati fuimus, ornatum iri accelerauimus, & vtrique lateri aureas apponendo Tabulas, quartam etiam precioſiorem, vt totum circumquaque altare appareret aureum, attollendo circumcingi fecimus: Collateralibus quidem candelabra viginti marcarum auri, Regis Ludouici Philippi, ne quacumque occa-

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

ſione raperentur, ibidem deponentes iacinthos, ſmaragdines, quaſcumque gemmas precioſas appoſuimus, & apponendas diligenter quæritare decreuimus. Quorum quidem verſus hi ſunt. In dextro latere. A

Has aræ Tabulas poſuit SVGERIVS Abbas,
Præter eam quam Rex KAROLVS ante dedit.
Indignos veniâ fac dignos Virgo Maria.
Regis & Abbatis mala mundet fons pietatis.

In ſiniſtro latere.

Si quis præclaram ſpoliauerit impius aram,
Æquè damnatus pereat Iudæ ſociatus.

VLTERIOREM verò Tabulam miro opere ſumptúque profuſo, quoniam barbari & profuſiores noſtratibus erant artifices, tam forma quàm materia mirabili, anaglifo opere, vt à quibuſdam dici poſſit, materiam ſuperabat opus, extulimus. multa de acquiſitis, plura de quibus Eccleſiæ ornamentis, quæ perdere timebamus, videlicet pede decurtatum calicem aureum, & quædam alia ibidem configi fecimus. Et quoniam tacita viſus cognitione materiei diuerſitas, auri, gemmarum, vnionum, abſque deſcriptione facilè non cognoſcitur, opus quod ſolis patet litteratis, quod allegoriarum iocundarum iubare reſplendet, apicibus litterarum mandari fecimus. Verſus etiam idipſum loquentes vt enucleatiùs intelligantur, appoſuimus. B

Voce ſonans magna Chriſto plebs clamat oſanna,
Quæ datur in cœna tulit omnes hoſtia vera.
Ferre crucem properat qui cunctos in cruce ſaluat.
Hoc quod Abram pro prole litat, Chriſti caro ſignat.
Melchiſedech libat quod Abram ſuper hoſte triumphat.
Botrum vecte ferunt qui Chriſtum cum cruce quærunt.

HÆC igitur tam noua quàm antiqua ornamentorum diſcrimina ex ipſa matris Eccleſiæ affectione crebrò conſiderantes, dum illam ammirabilem S. Eligij cum minoribus crucem, dum incomparabile ornamentum, quod vulgò Criſta vocatur, aureæ aræ ſuperponi contueremur, corde tenus ſuſpirando: Omnis, inquam, lapis precioſus operimentum tuum, ſardius, topazius, iaſpis, criſolitus, onix, & berillus, ſaphirus, carbunculus, & ſmaragdus. De quorum numero, præter ſolum carbunculum, nullum deeſſe, imò copioſiſſimè abundare, gemmarum proprietatem cognoſcentibus, cum ſumma amiratione claret. Vnde cùm ex dilectione decoris Domus Dei aliquando multicolor gemmarum ſpecioſitas ab exintrinſecis me curis deuocaret, ſanctarum etiam diuerſitatem virtutum de materialibus ad immaterialia transferendo, honeſta meditatio inſiſtere perſuaderet; videor videre me quaſi ſub aliqua extranea Orbis terrarum plaga, quæ nec tota ſit in terrarum fæce, nec tota in cœli puritate demorari, ab hac etiam inferiori ad illam ſuperiorem anagogico more Deo donante poſſe transferri. Conferre conſueui cum Hieroſolymitanis, & gratantiſſimè addiſcere, quibus Conſtantinopolitanæ patuerant gazæ, & ſanctæ Sophiæ ornamenta, vtrum ad comparationem illorum hæc aliquid valere deberent. Qui cùm hæc maiora faterentur, viſum eſt nobis quòd timore Francorum ammiranda quæ antea audieramus cautè repoſita eſſent; ne ſtultorum aliquorum impetuoſa rapacitate Græcorum & Latinorum aſcita familiaritas in ſeditionem & bellorum ſcandala ſubitò moueretur. Aſtucia enim præcipuè Græcorum eſt. Vnde fieri potuit vt maiora ſint quæ hîc ſub tuto repoſita apparent, quàm ea quæ non tuto propter ſcandala ibidem relicta apparuerunt. Ammiranda ſiquidem & ferè incredibilia à viris veridicis quampluribus, & ab Epiſcopo Laudunenſi HVGONE, in celebratione Miſſæ, de ſanctæ Sophiæ ornamentorum prærogatiua, necnon & aliarum Eccleſiarum audieramus. Quæ ſi ita ſunt, imò quia eorum teſtimonio ita eſſe credimus, tam inæſtimabilia quàm incomparabilia multorum iudicio exponerentur. Abundet vnuſquiſque in ſuo ſenſu. mihi fateor hoc potiſſimum placuiſſe, vt quæcumque cariora, quæcumque cariſſima, ſacroſanctæ Euchariſtiæ amminiſtrationi ſuper omnia deſeruire debeant. Si libatoria aurea, ſi fialæ aureæ, & ſi mortariola aurea ad collectam ſanguinis hircorum aut vitulorum, aut vaccæ ruffæ, ore Dei, aut Prophetæ iuſſu deſeruiebant: quantò magis ad ſuſceptionem ſanguinis IESV CHRISTI vaſa aurea, lapides pre- C

A cioſi, quæque inter omnes creaturas cariſſima continuo famulatu, plena deuotio-
ne exponi debent. Certè nec nos nec noſtra his deſeruire ſufficimus. Si de ſancto- LVDOVICVS VI. GROSSVS.
rum Cherubim & Seraphim ſubſtantia noua creatione noſtra mutaretur, inſuffi-
cientem tamen & indignum tantæ & tam ineffabili hoſtiæ exhiberet famulatum.
Tantam tamen propiciationem pro peccatis noſtris habemus. Opponunt etiam
qui derogant, deſere ſufficere huic amminiſtrationi mentem ſanctam, animum pu-
rum, intentionem fidelem. Et nos quidem hæc intereſſe præcipuè, propriè, ſpe-
cialiter approbamus. In exrerioribus etiam ſacrorum vaſorum ornamentis, nulli
omninò æquè vt ſancti ſacrificij ſeruicio, in omni puritate interiori, in omni nobi-
litate exteriori, debere famulari, profitemur. In omnibus enim vniuerſaliter de-
centiſſimè nos oportet deſeruire Redemptori noſtro, qui in omnibus vniuerſaliter
abſque exceptione aliqua nobis prouidere non recuſauit, qui naturæ ſuæ noſtram
ſub vno & ammirabili indiuiduo vniuit, qui nos in parte dexteræ ſuæ locans, Re-
gnum ſuum veraciter poſſidere promiſit, Dominus noſter qui viuit & regnat per
omnia ſecula ſeculorum.

ALTARE etiam, quod teſtimonio antiquorum ſanctum nominatur Alrare (ſic
enim conſueuit dicere glorioſus Rex LVDOVICVS Philippi, ab infantia ſua dum hîc
nutriretur, ſe à ſenioribus loci didiciſſe, quia cùm vetuſtate, tum defectu fidelis
cuſtodiæ, tum etiam propter frequentem motionem, quæ fit nobiliſſimi appararus
occaſione, qui diuerſi diuerſis, excellentes excellentioribus feſtis apponuntur, mi-
B nus honeſtè comptum apparebat) ob reuerentiam ſanctarum reliquiarum renoua-
re excepimus. Sacratus ſiquidem lapis porphireticus, qui ſupereſt aræ, non mi-
nus qualitatiuo colore, quàm quanritatiua magnitudine, ſatis aptus, concauo li-
gno auro operto, ipſa vetuſtate interpolata admodum diſrupto cingebatur. Cuius
concaui faceta compoſitione in anteriori parte locatum brachium S. Iacobi Apo-
ſtoli, idipſum litteris interiùs arteſtantibus, peruia candidiſſimi criſtalli apertione
eredebatur. Nec minus in dextera parte vniformirer litteratum apparitione, bra-
chium prothomartyris Stephani recondi; in ſiniſtra verò æquè Sancti Vincentij
Leuitæ & Martyris brachium titulus interiùs perorabat. Nos igitur tantarum &
tam ſanctarum reliquiarum protectione muniri appetentes, eas videre, eas deoſcu-
lari, ſi Deo diſplicere non timerem, gratantiſſimè multo temporum proceſſu ra-
piebar. Aſſumens igitur ex deuotione audaciam, & antiquitati honorem verita-
tis conſeruans, modum & diem detegendi ipſas ſanctas reliquias elegimus, ſacra-
tiſſima videlicet die martyrij beatorum Martyrum dominorum noſtrorum, VIII.
ſcilicet Idus Octobris. Aderant ſiquidem diuerſarum Prouinciarum Archiepi-
ſcopi & Epiſcopi, qui gratantiſſimè quaſi ex debito Apoſtolatus Galliarum, ad tan-
tæ ſolemnitatis celebrationem pia vota deferre acceſſerant. Archiepiſcopi, ſcili-
cet Lugdunenſis, Remenſis, Turonenſis, & Rothomagenſis: Epiſcopi verò, Sueſ-
ſionenſis, Beluacenſis, Siluanectenſis, Meldenſis, Redonenſis, Aletenſis, & Vene-
tenſis. Abbatum etiam & Monachorum, ſiue Clericorum, atque Optimatum
C conuentus. Sed & populi promiſcui ſexus turba innumerabilis. Decantata igi-
tur eadem ſolemnitatis die Tertia, cùm iam in conſpectu omnium aſſiſtentium ce-
leberrima tantæ diei ordinaretur proceſſio, tanta certè rei veritatis fiducia, ſolo
Patrum teſtimonio & titulo referti, ac ſi iam omnia vidiſſemus, Archiepiſcopos &
Epiſcopos, Abbates & autenticas aſſiſtentes perſonas, ad efferendam aram aſciui-
mus, quòd eam aperire, quòd ſanctiſſimarum reliquiarum theſaurum videre vel-
lemus, expoſuimus. Dicebant ergo quidam ex familiaribus noſtris, conſultè qui-
dem, quòd & perſonæ & Eccleſiæ famæ tutius fuiſſet, ſi ſecreto, vtrum ita eſſet vt
litteræ loquebantur, videretur. Quibus ilicò fidei feruore excitus reſponſum red-
didi, magis mihi placere ſi ita eſt vt legitur, ab omnibus contuentibus ſcire, quàm
ſi ſecretò inſpexiſſem omnes non contuentes dubitare. Deferentes igitur in me-
dium præfatam aram, aſcitis aurifabris qui locellos illos, quibus ſanctiſſima bra-
chia continebantur, vbi ſuperſedebant criſtallini lapides, titulos eorum afferen-
tes, diligenter aperirent, ſicut ſperabamus, omnia plenariè Deo annuente viden-
tibus cunctis iuuenimus. Cauſam etiam repoſitionis reliquiarum in eiſdem locel-
lis inuenimus, videlicet quòd Karolus Imperator tertius, qui eidem alrari ſubia-
cet glorioſè ſepultus, ad tuitionem animæ & corporis, de theca Imperiali eas ſibi
aſſumi, & penes ſe reponi, Imperiali edicto aſſignauerit. Argumentum etiam anuli

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

ſui depreſſione ſignatū, quod valdc omnibus placuit, ibidem reperimus. Nec enim ſine cauſa ante ſanctum illud altare ſeptem lampades in vaſis argenteis, quæ nos quidem diſſoluta refecimus, inceſſanter tam die quàm nocte in ſempiternum ardere conſtituiſſet, niſi maximam ſpem & corporis & animæ in ſanctarum reliquiarum repoſitione credidiſſet. Sumptibus enim illatum & anniuerſarij ſui, & ſuorum refectioni, poſſeſſionem ſuam quæ dicitur RVOILVM cum appendiciis ſigillis aureis confirmauit. Hinc eſt etiam, quòd in ſolennitatibus diuerſis ferè ſexaginta, magni & honeſti cerei ſex, quales alibi in Eccleſia aut rarò aut numquam apponuntur, circa idem altare accenduntur. Hinc eſt etiam quòd quotiens altare beati Dionyſij, totiens & idem altare nobili apparatu adornatur. A

CRVCEM etiam mirabilem quantitatis ſuæ, quæ ſuperpoſita eſt inter altare & tumulum eiuſdem Karoli, in cuius medio fama retinuit, confixum nobiliſſimum monile NANTILDIS Reginæ vxoris Dagoberti Regis Eccleſiæ fundatoris, aliud verò in frontem ſancti Dionyſij (tamen huic minori nullum æquipollere peritiſſimi artifices teſtantur) erigi fecimus, maximè ob reuerentiam ſanctiſſimæ boiæ ferreæ, quæ in carcere Glaucini ſacratiſſimo collo beati Dionyſij innexa, cultum & venerationem tam à nobis quàm ab omnibus promeruit.

EA etiam parte Abbas venerabilis Corbeiæ bonæ memoriæ ROBERTVS, huius ſanctæ Eccleſiæ profeſſus, & ab infantia nutritus, quem eidem Corbeienſi Monaſterio Abbatem præeſſe Deo donante exhibuimus, Tabulam argenteam B optimè deauratam pro recognitione profeſſionis ſuæ, & multorum Eccleſiæ beneficiorum gratiarum actione, fieri fecit.

CHORVM etiam Fratrum, quo valdè grauabantur qui aſſiduè Eccleſiæ inſiſtebant ſeruitio, frigiditate marmoris & cupri aliquantiſper infirmum, in hanc quæ nunc apparet formam, laboribus eorum compatientes, mutauimus; & propter Conuentus augmentationem Deo auxiliante augmentare elaborauimus.

PVLPITVM etiam antiquum, quod ammirabile Tabularum eburnearum ſubtiliſſima, noſtríſque temporibus inreparabili ſculptura, & antiquarum Hiſtoriarum deſcriptione humanam æſtimationem excedebat: recollectis Tabulis quæ in arcarum & ſub arcarum repoſitione diutiùs fœdabantur, refici, dextráque parte reſtitutis animalibus cupreis, ne tanta támque mirabilis deperiret materia, ad proferendam ſuperiùs ſancti Euangelij lectionem, erigi fecimus. In nouitate ſiquidem ſeſſionis noſtræ impedimentum quoddam, quo medium Eccleſiæ muro tenebroſo ſecabatur, ne ſpecioſitas Eccleſiæ magnitudinis talibus fuſcaretur repagulis, de medio ſuſtolli feceramus.

NEC minus nobilem glorioſi Regis Dagoberti cathedram, in qua, vt perhibere ſolet antiquitas, Reges Francorum ſuſcepto Regni imperio ad ſuſcipienda Optimatum ſuorum hominia primùm ſedere conſueuerant, tum pro tanti excellentia officij, tum etiam pro operis ipſius precio, antiquatam & diſruptam refici fecimus. G

AQVILAM verò in medio chori ammirantium tactu frequenti dedeauratam reaurari fecimus.

VITREARVM etiam nouarum præclaram varietatem ab ea prima, quæ incipit à *Stirps Ieſſe* in capite Eccleſiæ, vſque ad eam quæ ſupereſt principali portæ in introitu Eccleſiæ tam ſuperiùs quàm inferiùs, Magiſtrorum multorum de diuerſis nationibus manu exquiſita, depingi fecimus. Vna quarum de materialibus ad immaterialia excitans, Paulum Apoſtolum molam vertere, Prophetas ſaccos ad molam apportare repræſentat. Sunt itaque eius materiæ verſus iſti.

Tollis agendo molam de furfure Paule farinam,
Moſaicæ legis intima nota facis.
Fit de tot granis verus ſine furfure panis,
Perpetuuſque cibus noſter & angelicus.

Item in eadem Vitrea, vbi aufertur velamen de facie Moyſi.

Quod Moyſes velat Chriſti doctrina reuelat,
Denudant legem qui ſpoliant Moyſen.

In eadem Vitrea ſuper archam fœderis,

Fœderis ex archa Chriſti cruce ſiſtitur ara,
Fœdere maiori vult ibi vita mori.

Item

A Item in eadem, vbi ſoluunt librum Leo & Agnus.

Qui Deus eſt magnus, librum Leo ſoluit & Agnus.
Agnus ſiue Leo fit caro iuncta Deo.

In alia Vitrea, vbi filia Pharaonis inuenit Moyſen in fiſcella.

Eſt in fiſcella Moyſes puer ille, puella
Regia, mente pia quem fouet Eccleſia.

In eadem Vitrea, vbi Moyſi Dominus apparuit in igne rubi.

Sicut conſpicitur rubus hic ardêre, nec ardet:
Sic diuo plenus hoc audet ab igne, nec ardet.

Item in eadem Vitrea, vbi Pharao cum equitatu ſuo in mare demergitur.

Quod baptiſma bonis, hoc militiæ Pharaonis
Forma facit ſimilis, cauſáque diſsimilis.

Item in eadem, vbi Moyſes exaltat ſerpentem æneum.

Sicut ſerpentes ſerpens necat æneus omnes,
Sic exaltatus hoſtes necat in cruce Chriſtus.

In eadem Vitrea, vbi Moyſes accipit legem in monte.

Lege data Moyſi, iuuat illam gratia Chriſti:
Gratia viuificat, litera mortificat.

Vnde quia magni conſtant mirifico opere, ſumptúque profuſo, vitri veſtiti, &
B ſaphirorum materia, tuitioni & refectioni earum miniſterialem magiſtrum, ſicut etiam ornamentis aureis & argenteis, peritum aurifabrum conſtituimus: qui & præbendas ſuas, & quod eis ſuper hoc viſum eſt, videlicet ab altari nummos, & à communi Fratrum horreo annonam ſuſcipiant, & ab eorum prouidentia numquam ſe abſentent.

Septem quoque candelabra, quoniam ea quæ Karolus Imperator beato Dionyſio contulerat, ſua vetuſtate diſſipata apparebant, opere ſmaltito & optimè deaurato componi fecimus.

Vasa etiam tam de auro, quàm precioſis lapidibus, ad Dominicæ menſæ ſeruicium, præter illa quæ Reges Francorum, & deuoti Eccleſiæ eiuſdem officio deputauerunt, beato Dionyſio debita deuotione adquiſiuimus. Magnum videlicet calicem aureum ſepties viginti vnciarum auri, gemmis precioſis, ſcilicet iacinthis & topaziis ornatum, pro alio qui tempore anteceſſoris noſtri vadimonio perierat, reſtitui elaborauimus.

Alivd etiam vas precioſiſſimum de lapide praſio ad formam nauis exſculptum, quod Rex Lvdovicvs Philippi per decennium ferè vadimonio amiſerat, cùm nobis ad videndum oblatum fuiſſet, eiuſdem Regis conceſſione ſexaginta marcis argenti comparatum, cum quibuſdam floribus coronæ Imperatricis beato Dionyſio obtulimus. Quod videlicet vas, tam pro precioſi lapidis qualitate, quàm integra ſui quantitate mirificum, incluſo ſancti Eligij opere conſtat ornatum, quod
C omnium iudicio precioſiſſimum æſtimatur.

Vas quoque aliud, quod inſtar iuſtæ berilli aut criſtalli videtur, cùm in primo itinere Aquitaniæ Regina nouiter deſponſata Domino Regi Lvdovico dediſſet, pro magno amoris munere nobis eam, nos verò ſanctis Martyribus Dominis noſtris ad libandum diuinæ menſæ affectuoſiſſimè contulimus. Cuius donationis ſeriem in eodem vaſe gemmis auróque ornato, verſiculis quibuſdam intitulauimus.

Hoc vas ſponſa dedit Aanor Regi Ludouico,
*Mitadolus * auo, mihi Rex, ſanctiſque Sugerus.*

Comparavimvs etiam præfati altaris officiis calicem precioſum, de vno & continuo ſardonice, quod eſt de ſardio & onice, quo vno vſque adeo ſardij rubor à nigredine onichini proprietatem variando diſcriminat, vt altera in alteram proprietatem vſurpare, inniti æſtimetur.

Vas quoque aliud huic ipſi materiâ, non forma perſimile, ad inſtar amphoræ adiunximus, cuius verſiculi ſunt iſti,

Dum libare Deo gemmis debemus & auro,
Hoc ego Sugerius offero vas Domino.

Lagenam quoque præclaram, quam nobis Comes Bleſenſis Theobaldvs in eodem vaſe deſtinauit, in quo ei Rex Siciliæ illud tranſmiſerat, & aliis, in eodem officio gratanter appoſuimus.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

VASCVLA etiam criſtallina, quæ in Capella noſtra cotidiano ſeruicio altaris A aſſignaueramus, ibidem repoſuimus.

NEC minus porphyriticum vas ſculptoris & politoris manu ammirabile factum, cùm per multos annos in ſcrinio vacaſſet, de amphora in aquilæ formam transferendo, auri argentique materia, altaris ſeruicio adaptauimus, & verſus huiuſmodi eidem vaſi inſcribi fecimus.

Includi gemmis lapis iſte meretur, & auro,
Marmor erat, ſed in his marmore carior eſt.

PRO quibus omnibus Deo omnipotenti & ſanctis Martyribus grates referimus, quòd ſanctiſſimo altari, cui ſub præceptione ſanctæ Regulæ nos à puero offerri voluit, vnde ei honorificè ſeruiremus, copioſè largiri non renuit.

QVIA ergo diuina beneficia non occultare, ſed prædicare, vtile & honeſtum cognouimus, palliorum quod diuina manus tempore amminiſtrationis noſtræ huic ſanctæ Eccleſiæ contulit augmentum deſignauimus: implorantes vt in anniuerſario ad propiciandam diuinæ maieſtatis excellentiam, & Frattum deuorionem ampliandam, & ſucceſſorum Abbatum exemplum, exponantur. Nec enim pro tot & tantis commiſſis, vel enormitate ſcelerum meorum, tam ſera quàm rara ſatisfacere pœnitentia ſufficit, niſi vniuerſalis Eccleſiæ ſuffragiis innitamur.

B

SVGERII ABBATIS
S. DIONYSII
LIBELLVS ALTER,

De Conſecratione Eccleſiæ à ſe ædificatæ, & tranſlatione corporum S. Dionyſij ac ſociorum eius, facta anno MCXL.

Ex vetuſto Codice MS. qui eſt in Bibliotheca Viri Cl. Alex. Petauij Senatoris Pariſienſis.

LVDOVICVS VII IVNIOR.

DIVINORVM humanorúmque diſparitatem, vnius & ſingularis, ſummæque rationis vis admirabilis contemperando coæquat: & quæ originis inferioritate, & naturæ contrarietate inuicem repugnare videntur, ipſa ſola vnius ſuperioris moderatæ armoniæ conuenientia grata concopulat. Cuius profectò ſummæ & æternæ rationis partici- C patione qui glorioſi effici innituntur, crebrò in ſolio mentis argutæ quaſi pro tribunali reſidentes, de concertatione continua ſimilium & diſſimilium, & contrariorum inuentioni & iudicio inſiſtunt, in æternæ ſapientiæ rationis fonte, charitate miniſtrante, vnde bello inteſtino & ſedirioni interiori obſiſtant, ſalubriter exhauriunt, ſpiritualia corporalibus, æterna deficientibus præponentes: corporeæ ſenſualitatis exteriorum ſenſuum moleſtias, & grauiſſimas angarias poſtponunt: ab earum oppreſſione ſe ipſos ſubleuantes, ſolidiſſimam mentis aciem in ſpem æternæ infigentes remunerationis, æternitati tantùm ſtudioſè obſequuntur: carnalia deſideria in admirationem & ſpectaculum aliorum obliuiſcuntur, ſummæ rationis hoc modo, & æternæ beatitudinis conſortio, promittente vnigenito Dei filio, *In patientia poſſidebitis animas veſtras*, ſe glorioſæ conſcientiæ merito vniri gratulantur. Quod tamen condirionis primæ corruptione depreſſa, & grauiter ſauciata humanitas, præſentia potiùs amplectens, quàm futura expectans, nullo modo ſuſtineret; ſi non etiam rationis & intelligentiæ humanæ rationabilis ſummæ & diuinæ caritatis copioſa adminiſtratio hoc ipſum effectui mancipare miſericorditer ſuppeditaret. Vnde legitur, *Miſericordia eius ſuper omnia opera eius.* Ex quo quidem cum aliis audacter & veraciter profitemur, quòd quantò ſola miſericordia ſaluos nos facit per lauacrum regenerationis, & renouationis Spiritus ſancti, tantò

A nos gratiſſimo purificatæ mentis holocauſto pro toto velle & poſſe iuſtitiam noſtram quantumcumque & ipſe dederit, ſupplici ei deuotione offerre elaboremus: vt ipſe qui poteſt vt Deus, qui debet vt creator ſi non reſiſtimus, diſparitatem iſtam periculoſam in nobis parificet, contrarietatis inteſtinæ inimicitias, quas in amicitiæ eius amiſſione prima præuaricatione incurrimus, ea ineffabili caritate qua diuinitatem ſuam captiuatæ humanitati noſtræ ineffabiliter & inſeparabiliter vniuit, diſſoluat, ſopita carnalitatis grauiſſima moleſtia, tumultúque vitiorum ſedato, pacato habitaculo interiora repugnantia pacificet: vt mente & corpore expediti gratam ei offerentes ſeruitutem, beneficiorum etiam immenſorum eius circa nos, & nobilem, cui nos præferri ſuſtinuit, Eccleſiam replicare & prædicare valeamus largitatem. ne ſi muti in laudem eius extiterimus, beneficiorum eius ob hoc defectum incurramus, & vocem illam terribiliter audiamus. *Non eſt inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo.*

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

IVSTIFICATI igitur ex fide, pace noſtra interiori ſecundum Apoſtolum pacem apud Deum habentes, vnum & inter multos ſingulare diuinæ largitatis beneficium, more eorum qui ad gratificandum impertita dona donatoribus ſuis vltrò referunt, in medium proferentes, glorioſam & Deo dignam ſanctæ huius Eccleſiæ conſecrationem pretioſiſſimorum noſtrorum dominorum & Apoſtolorum noſtrorum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, & aliorum Sanctorum, quorum prom-
B pto innitimur patrocinio, ſacratiſſimam tranſlationem ad ſucceſſorum notitiam ſtylo aſſignare elaborauimus, qua de cauſa, quo ordine, quàm ſolemniter, quibus etiam perſonis idipſum actum ſit reponentes: vt & diuinæ propitiationi pro tanto munere condignas pro poſſe noſtro gratiarum actiones teferamus, & Sanctorum protectorum noſtrorum tam pro impenſa tanti operis cura, quàm pro tantæ ſolemnitatis adnotatione, opportunam apud Deum obtineamus interceſſionem.

GLORIOSVS & famoſus Rex Francorum DAGOBERTVS, vir etſi in Regni adminiſtratione magnanimitate regia conſpicuus, nihilominus tamen Eccleſiæ Dei deuotus, cùm ad declinandam patris ſui Clotharij magni intolerabilem iram Catulliacum vicum aufugiſſet, & ſanctorum Martyrum ibidem quieſcentium effigies venerandas tanquam pulcherrimos viros niueis veſtibus comptos ſeruitium ſuum requirere, & auxilium promittere incunctanter voce & opere comperiſſet: Baſilicam Sanctorum regia munificentia fabricatum iri affectu mirabili imperauit. Quam cùm mirifica marmorearum columnarum varietate componens, copioſis puriſſimi auri & argenti theſauris inæſtimabiliter locupletaſſet, ipſiúſque parietibus & columnis & arcubus auro tectas veſtes margaritarum varietatibus multipliciter exornatas ſuſpendi feciſſet, quatinus aliarum Eccleſiarum ornamentis præcellere videretur, & omnimodis incomparabili nitore vernans, & omni terrena pulchritudine compta inæſtimabili decore ſplendeſceret, hoc ſolum ei defuit quòd quam oportetet magnitudinem non admiſit. Non quòd aliquid eius
C deuotioni aut voluntati deeſſet, ſed quòd forſitan tunc temporis in primitiua Eccleſia nulla adhuc aut maior, aut æqualis exiſteret, aut quòd breuior fulgorantis auri, & ſplendorem gemmarum propinquitati arridentium oculorum acutiùs delectabiliúſque refundendo, vltrà ſatis quàm ſi maior fabricaretur irradiaret. Huius breuitatis egregiæ grata occaſione, numeroſitate fidelium creſcente, & ad ſuffragia Sanctorum crebrò confluente, tantas præfata Baſilica ſuſtinere conſueuit moleſtias, vt ſæpiùs in ſolemnibus videlicet diebus admodum plena per omnes valuas turbarum ſibi occurrentium ſuperfluitatem refunderet, & non ſolùm intrantes non intrare, verùm etiam qui iam intrauerant præcedentium expulſus exire compelleret. Videres aliquando, mirabile viſu! quod innitentibus ingredi ad venerationem & deoſculationem ſanctarum reliquiarum Claui & Coronæ Domini, tanta congeſtæ multitudinis opponebatur repugnantia, vt inter innumera populorum millia ex ipſa ſui compreſſione nullus pedem mouere valeret, nullus aliud ex ipſa ſui conſtrictione, quàm ſicut ſtatua marmorea ſtare, ſtupere, quod vnum ſupererat vociferare. Mulierum autem tanta & tam intolerabilis erat anguſtia, vt in commixtione virorum fortium ſicut prelo depreſſæ, quaſi imaginata morte exanguem faciem exprimere, more parturientium terribiliter conclamare, plures earum miſerabiliter decalcatas, pio virorum ſuffragio ſuper capita hominum exaltatas, tanquam pauimento adhærentes incedere, multas etiam extremo

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ſingultantes ſpiritu in prato Fratrum cunctis deſperantibus anhelare. Fratres A etiam inſignia Dominicæ Paſſionis aduentantibus exponentes, eorum angariis & contentionibus ſuccumbentes, nullò diuertere habentes, per feneſtras cum reliquiis multoties effugerunt. Quod cùm ſcholaris puer inter Fratres erudirer audiebam, extra iuuenis dolebam, maturus corrigi affectuosè appetebam. Cùm autem placuit illi, qui me ſegregauit ex vtero matris meæ, & vocauit per gratiam ſuam, meritis etiam repugnantibus, paruitatem meam huius ſanctæ Eccleſiæ tantæ præficere adminiſtrationi: ſola Dei omnipotentis ineffabili miſericordia præfatæ moleſtiæ correctioni, ſanctorum Martyrum dominorum noſtrorum ſuffragio raptus, ad augmentationem præfati loci toto animo, tota mentis affectione accelerare propoſuimus. qui nunquam, ſi tanta, tam neceſſaria, tam vtilis & honeſta non exigeret opportunitas, manum ſupponere, vel cogitare præſumeremus.

QVIA igitur in anteriori parte ab Aquilone principali ingreſſu principalium valuarum porticus artus hinc & inde gemellis, nec altis, nec aptis multùm, ſed minantibus ruinam, turribus angebatur, ea in parte inito directæ teſtudinis, & geminarum turrium robuſto valde fundamento materiali, robuſtiſſimo autem ſpirituali, de quo dicitur, *Fundamentum aliud nemo poteſt ponere præter id quod poſitum eſt, quod eſt Chriſtus Ieſus*, laborare ſtrenuè Deo cooperante incœpimus. Cuius inæſtimabili freti conſilio & irrefragabili auxilio, vſque adeò in tanto támque ſumptuoſo opere profecimus, vt cùm primùm pauca expendendo mul- B tis, exinde multa explendo, nullis omninò indigeremus, verùm etiam habundando fateremur: *Sufficientia noſtra ex Deo eſt.* Materiæ autem validiſſimæ noua quadraria qualis & quanta nunquam in partibus iſtis inuenta fuerat, Deo donante occurrit. Cementariorum, lathomorum, ſculptorum, & aliorum operariorum ſolers ſuccedebat frequentia, vt ex hoc & aliis diuinitas ab hoc quod timebamus abſolueret, & voluntatem ſuam nobis confortando, & inopinata ſuppeditando miniſtraret. Conferebam de minimis ad maxima, non plus Salomonianas opes Templo, quàm noſtras huic operi ſufficere poſſe, niſi idem eiuſdem operis auctor miniſtratoribus copioſè præpararet. Identitas auctoris & operis, ſufficientiam facit operantis. In agendis ſiquidem huiuſmodi apprimè de conuenientia & cohærentia antiqui & noui operis ſollicitus, vnde marmoreas aut marmoreis æquipollentes haberemus columnas, cogitando, ſpeculando, inueſtigando per diuerſas remotarum partium regiones, cùm nullam offenderemus, hoc ſolùm mente laborantibus & animo ſupererat, vt ab vrbe (Romæ enim in Palatio Diocletiani, & aliis termis ſæpe mirabiles conſpexeramus) vt per mare mediterraneum tuta claſſe, exinde per Anglicum, & per tortuoſam fluuij Sequanæ reflexionem, eas magno ſumptu amicorum, inimicorum etiam Sarracenorum proximorum conductu haberemus; multis annis, multis temporibus cogitando, quæritando angebamur: cùm ſubitò larga omnipotentis munifi- C centia laboribus noſtris condeſcendens, quod nec cogitare, nec opinari liceret, decentes & peroptimas in admirationem omnium ſanctorum Martyrum meritò reuelauit. Vnde quantò contra ſpem & humanam opinionem apto, & nullibi nobis gratiori loco miſeratio diuina dignata eſt conferre, tantò maiores gratiarum actiones pro tanti remedio laboris operæpretium duximus rependendo referre. Locus quippe quadrariæ admirabilis prope Pontiſaram caſtrum terrarum noſtrarum confinio collimitans vallem profundam non naturâ, ſed induſtria concauam, molarum cæſoribus ſui quæſtum ab antiquo offerebat, nihil egregium hactenus proferens, exordium tantæ vtilitatis tanto & tam diuino ædificio, quaſi primitias Deo, ſanctiſque Martyribus, vt arbitrabamur, reſeruabat. Quotiens autem columnæ ab imo decliuo funibus innodatis extrahebantur, tam noſtrates, quàm loci affines benè deuoti, nobiles & innobiles, brachiis, pectoribus, & lacertis, funibus adſtricti vice trahentium animalium educebant: & per medium caſtri decliuium diuerſi officiales relictis officiorum ſuorum inſtrumentis, vires proprias itineris difficultati offerentes, obuiabant, quanta poterant ope Deo ſanctiſque Martyribus obſequentes. Vnde nobile quoddam & dignum relatione contigit miraculum, quod nos ipſi ab aſſiſtentibus addiſcentes ad laudem Omnipotentis Sanctorúmque ſuorum calamo & atramento adſignare decreuimus.

Lvdovicvs VII. Ivnior.

A QVADAM itaque die cùm imbrium refuſione turbatum aëra tenebroſa obtexiſſet opacitas, aduentantibus ad quadrariam plauſtris, qui adiutores eſſe conſueuerant operandi, pro impluuij infeſtatione ſe ipſos abſentauerunt. Bubulcis verò querentibus & reclamantibus ſe otio vacare, operarios præſtolantes ſuſpendere, vſque adeo clamando inſtiterunt, quòd quidam imbecilles & debiles cum pueris aliquibus numero decem & ſeptem, præſente, niſi fallor, Sacerdote, ad quadrariam accelerauerunt, vnámque cordarum aſſumentes, columpnæ innectentes, aliam ſudem in terra iacentem dimiſerunt. Neque enim erat qui ea trahere inniteretur. Animatus itaque grex puſillus pio zelo, Sancte inquiunt Dionyſi, pro te ipſo vacantem accipiens ſudem, ſi placet nos adiuua. Non enim nobis, ſi non poterimus, imputare poteris. Móxque fortiter impingentes quòd centum quadraginta aut minus centum grauiter ab ima valle extrahere conſueuerant, ipſi non per ſe, quod impoſſibile eſſet, quod voluntate Dei & Sanctorum quos inuocabant ſuffragio extraxerunt, eámque Eccleſiæ fabricam in plauſtro deſtinauerunt. Vnde per totam propalatum eſt viciniam, Deo omnipotenti hoc opus admodum placere, cùm ad laudem & gloriam nominis ſui his & huiuſmodi interſigniis eius operatoribus elegerit opem deferre.

SECVNDATVR & aliud nobile factum memoriâ dignũ, relatione conſpicuum, auctoritate prædicandũ. Peracto ſiquidem magna ex parte opere, & compactis noui & B antiqui ædificij tabulatis, magnóq; depoſito, quẽ diu habueramus, timore, propter illas patulas antiquarum maceriarum rimas, magnorum capitellorum & baſium columnas deportãtium diſruptionem exhilarati, deaptare ſollicitabamur. Cúmq; pro trabium inuentione tam noſtros quàm Pariſienſes lignorum artifices conſuluiſſemus, reſponſum nobis eſt pro eorum exiſtimatione verum, in finibus iſtis propter ſiluarum inopiam minimè inueniri poſſe, vel ab Autiſſiodorenſi pago neceſſario deuehi oportere. Cúmque omnes in hoc ipſo conſonarent, nóſque ſuper hoc tam pro laboris magnitudine, quàm pro operis longa dilatione grauaremur, nocte quadam à Matutinarum obſequio regreſſus lecto cogitare cœpi me ipſum per omnes partium iſtarum ſiluas debere procedere, circumquaque perluſtrare, moras iſtas & labores ſi hîc inueniri poſſent, alleuiare. Móxque reiectis curis aliis, ſummo manè arripiens, cum carpentariis, & trabium menſuris, ad ſiluam quæ dicitur Iuilina, accelerauimus. Cúmque per terram noſtram Capreolenſis vallis tranſiremus, accitis ſeruientibus noſtris noſtrarum cuſtodibus, & aliarum ſiluarum peritis, adiurando fide & ſacramento eos conſuluimus, ſi eius menſuræ ibidem trabes inuenire quocumque labore valeremus. Qui ſubridentes, ſi auderent potiùs deriderent admirantes, ſi nos planè neſciremus in tota terra nihil tale inueniri poſſe, maximè cùm Milo Capreolenſis Caſtellanus homo noſter, qui medietatem ſiluæ à nobis cum alio feodo habet, cùm ſuſtinuiſſet tam à Domino Rege, quàm ab Amalrico de Monte-forti longo tempore guerras, ad triſtegas & propugnacula facienda, C nihil tale illibatum vel intactum prætcriiſſet. Nos autem quicquid dicebant reſpuentes, quadam fidei noſtræ audaciâ ſiluam perluſtrare cœpimus, & verſus quidem primam horam trabem vnam menſuræ ſufficientem inuenimus. Quid vltra? vſque ad nonam aut citiùs per frutecta, per opacitatem ſiluarum, per denſitatem ſpinarum, duodecim trabes, (tot enim neceſſariæ erant) in admirationem omnium præſertim circumſtantium aſſignauimus, & ad Baſilicam ſanctam deportatas cum exultatione noui operis operturæ ſuperponi fecimus, ad laudem & gloriam Domini Ieſu, qui ſibi, ſanctíſque Martyribus à manibus raptorum protegens, ſicut facere voluit, reſeruauerat. Nec igitur ſuperflua, neque minus continens id circa diuina extitit largitio, quæ in pondere & menſura omnia moderari, omnia dare conſtituit, cùm vltra quàm oportuit nulla vlteriùs inuenire potuerit.

TANTIS itaque & tam manifeſtis tantorum operum interſigniis conſtanter animati, ad præfati perfectionem ædificij inſtanter properantes, quomodo, & quibus perſonis, & quod valde ſolemniter Deo omnipotenti conſecraretur deliberantes, accito egregio viro Hugone Rothomagenſi Archiepiſcopo, & aliis venerabilibus Epiſcopis, Odone Beluacenſi, Petro Siluanectenſi, ad id peragendum multimodam laudem, magnóque diuerſarum perſonarum Eccleſiaſticarum Cleri & populi maximo conuentu decantabamus. Qui in medio noui incrementi priorem in conſiſtentis dolio benedicentes aquam, per Oratorium ſancti Euſtachij cum proceſſio-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ne exeuntes per plateam quæ Panteria, eò quod inibi omnia emptioni & vendi- A
tioni teruntur, antiquitus vocitatur, per aliam, quæ in ſacro cimiterio aperitur,
æream portam reuertentes, in æternæ benedictionis & ſanctiſſimi chriſmatis deli-
butione, veri corporis & ſanguinis ſummi Pontificis Ieſu Chriſti exhibitione,
quicquid tanto & tam ſancto conuenit ædificio deuotiſſimè compleuerunt. Pul-
chetrimum, & Angelica manſione dignum ſuperius Oratorium, in honore ſanctæ
Dei Genitricis ſemper Virginis Mariæ, & ſancti Michaëlis Archangeli; omniúm-
que Angelorum, ſancti Romani ibidem quieſcentis, aliorúmque multorum San-
ctorum, quorum ibi nomina ſubtitulata habentur, dedicantes. Inferius verò in
dextro latere Oratorium in honore ſancti Bartholomæi, multorúmque aliorum
Sanctorum: in ſiniſtro autem vbi Sanctus requieſcere perhibetur Hippolytus, Ora-
torium in honore eiuſdem, & ſanctorum Laurentij, Sixti, Feliciſſimi, Agapiti,
aliorúmque multorum, ad laudem & gloriam Dei omnipotentis. Nos autem tan-
tæ benedictionis pto fructu impenſi laboris Dei dono participes effici toto affectu
deſiderantes, quaſi pro dote, ſicut ſolet fieri, ad expenſas emendorum luminario-
rum, plateam quandam cimiterio collimitantem iuxta Eccleſiam ſancti Michaë-
lis, quam quater-viginti libris à VVillelmo Corneilenſi emeramus, eiuſdem con-
tulimus Oratoriis, vt in ſempiternum cenſum inde habeant. De termino verò hæc
eſt veritatis conſiſtentia, ſicut legitur; ſi tamen non obſcuretur, in aureo ſuper por-
tas, quas ad honorem Dei & Sanctorum deauratas fieri fecimus, Epitaphio.

Annus milleſimus centenus & quadragenus B
Annus erat Verbi, quando ſacrata fuit.

IGITVR poſt illam, quæ Maieſtatis ſummæ opitulatione in anteriote parte de
Oratorio ſancti Romani & aliorum celebtata eſt, conſecrationem, noſtra qua tam
ex ipſa ſui proſperitate animabatur deuotio, quam ipſa circa Sanctorum tanto tem-
pore tam intolerabiliter opprimebat coarctatio, votum noſtrum illò conuertit, vt
præfato vacantes operi, turriúmque differendo proſecutionem in ſuperiori parte,
augmentationi matris Eccleſiæ operam & impenſam pro toto poſſe, pro gratiarum
actione, eo quòd tantillo tantorum Regum & Abbatum nobilitati ſuccedenti, tan-
tum opus diuina dignatio reſeruaſſet, quàm decentius, quàm glorioſius rationabi-
liter effici poſſet, fieri inniteremur. Communicato ſiquidem cum Fratribus noſtris
benè deuotis conſilio, quorum cor ardens erat de Ieſu, dum loqueretur eis in via,
hoc Deo inſpirante deliberando elegimus, vt propter eam, quam diuina operatio,
ſicut veneranda ſcripta teſtantur, propria & manuali extenſione, Eccleſiæ conſe-
crationi antiquæ impoſuit benedictionem, ipſis ſacratis lapidibus tanquam reli-
quiis deferremus, illam quæ, tanta exigente neceſſitate nouitas inchoaretur, lon-
gitudinis & latitudinis pulchritudine inniteremur nobilitare. Conſultè ſiquidem
decretum eſt illam altiori inæqualem, quæ ſuper abſidem Sanctorum Dominorum
noſtrorum corpora retinentem operiebat, remoueri voltam vſque ad ſuperficiem
criptæ cui adhærebat, vt eadem cripta ſuperioritatem ſui accedentibus per vtroſ- C
que gradus pro pauimento offerret, & in eminentiori loco ſanctorum lecticas auro
& pretioſis gemmis adornatas aduentantium obtutibus deſignaret. Prouiſum eſt
etiam ſagaciter, vt ſuperioribus columnis & arcubus mediis, qui inferioribus in
cripta fundatis ſuperponerentur, Geometricis, & Aritmeticis inſtrumentis me-
dium antiquæ teſtitudinis Eccleſiæ augmenti noui medio æquaretur, nec minùs
antiquarum quantitas alarum nouarum quantitati adaptaretur: excepto illo vrba-
no & approbato in circuitu Oratoriorum incremento, quo tota ſacratiſſimarum
vitrearum luce mirabili & continua interiorem perluſtrante pulchritudinem eni-
teret.

VT autem ſapienti conſilio, dictanre Spiritu ſancto, cuius vnctio de omnibus
docet, luculento ordine deſignatum eſt, quid proſequi proponeremus, collecto
virorum illuſtrium tam Epiſcoporum quàm Abbatum conuentu, accita etiam Do-
mini ac sereniſſimi Regis Francorum LVDOVICI præſentia, pridie Idus Iulij
die Dominica ordinauimus ornamentis decoram, perſonis celebrem proceſſio-
nem. Quin etiam manibus Epiſcoporum & Abbatum inſignia Dominicæ Paſſio-
nis, videlicet Clauum & Coronam Domini, & brachium ſancti ſenis Simeonis,
& alia ſanctarum reliquiarum patrocinia præferentes: ad defoſſa faciendis funda-
mentis præparata loca humiliter & deuotè deſcendimus. Dein paraclyti Spiritus

A ſancti conſolatione inuocata, vt bonum Domus Dei principium bono fine conclu-
deret, cùm primum ipſi Epiſcopi ex aqua benedicta dedicationis factæ proximo
v. Idus Iunij propriis confeciſſent manibus cementum, primos lapides impoſue-
runt, hymnum Deo dicentes, &, *Fundamenta eius*, vſque ad finem Pſalmi ſolemni-
ter decantantes. Ipſe enim sereniſſimus Rex intus deſcendens propriis manibus
ſuum impoſuit, nos quoque & multi alij tam Abbates quàm Religioſi viri lapides
ſuos impoſuerunt. Quidam etiam gemmas ob amorem & reuerentiam Ieſu Chri-
ſti, decantaotes: *Lapides pretioſi omnes muri tui.* Nos igitur tanta & tam feſtiua
tam ſancti fundamenti poſitione exhilarati, de peragendo ſolliciti, varietatem
temporum, diminutionem perſonatum, & mei ipſius defectum pertimeſcentes,
cominuni Fratrum conſilio aſſiſtentium perſuaſione, Domini Regis aſſenſu anna-
lem reditum his explendis conſtituimus, videlicet centum quinquagita libras de
gazofilacio, id eſt de oblationibus altaris & reliquiarum, centum in indicto, &
quinquaginta in feſto ſancti Dionyſij: quinquaginra etiam de poſſeſſione ſita in
Belſa, quæ dicitur Villana, priùs inculta, ſed auxilio Dei & noſtro labore compo-
ſita, & adualens quater-viginti aut centum librarum ſingulis annis adaptata. Quæ
ſi quocumque infortunio his explendis deficeret, alia Belſa noſtra, quam duplici-
ter aut tripliciter in redditibus augmentauimus, ſuppleret. Has autem ducentas
libras, præter ea quæ ad arcam gazofilacij deuotione fidelium deportabuntur, vel
quæcumque ipſi vtrique operi offerentur, tantùm continuari ipſis operibus firma-
B uimus, donec totaliter abſque illa quæſtione & ipſa ædificia & anteriora & ſuperio-
ra cum ſuis turribus omninò honorificè compleantur.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

INSISTENTES igitur per triennium multo ſumptu, populoſo operariotum
conuentu, æſtate & hyeme, operis perfectioni; ne nobis conqueri Deo, *imperfe-
ctum meum viderunt oculi tui*, iure oporteret, admodum ipſo cooperante proficie-
bamus, inſtárque diuinorum fundabatur exultationi vniuerſæ terræ mons Syon;
latera aquilonis, ciuitas Regis magni, cuius in medio Deus non commouebitur;
ſed peccatorum incitamentis commotus, odorifero pœnitentium holocauſto pla-
cari & propitiari non dedignabitur. Medium quippe duodecim Apoſtolorum ex-
ponentes numerum, ſecundario verò totidem alarum columnæ Prophetarum nu-
merum ſignificantes, altum repentè ſubrigebant ædificium iuxta Apoſtolum ſpiri-
tualiter ædificantem. *Iam non eſtis*, inquit, *hoſpites & aduenæ, ſed eſtis ciues Sancto-
rum & domeſtici Dei, ſuperædificati ſuper fundamentum Apoſtolorum & Prophetarum,
ipſo ſummo angulari lapide Chriſto Ieſu, qui vtrumque coniungit parietem. in quo omnis
ædificatio ſiue ſpiritualis, ſiue materialis creſcit in Templum ſanctum in Domino* In quó
& nos quantò altiùs, quantò aptiùs materialiter ædificare inſtamus, tantò per nos
ipſos ſpiritualiter coædificari in habitaculum Dei in Spiritu ſancto edocemur.

INTEREA ſiquidem potiſſimum de Dominorum noſtrorum ſanctiſſimorum
Martytum, & aliorum Sanctorum, qui per Eccleſiam ſparſi diuerſis colebantur
Oratoriis, tranſlatione ſolliciti, ſacratiſſimas eorum lecticas, præcipuè Domino-
C rum, ornatum iri votiuè animabamur, & vbi glorioſiùs aduentantium obtutibus
& conſpicabiliùs transferrentur, eligentes, aurifabrorum eleganti ſiue artis indu-
ſtriâ, ſiue auri gemmarúmq; pretioſarum copiâ illuſtrem valde fieri Deo cooperan-
te elaborauimus. Et deforis quidem his & huiuſmodi pro ornatu nobilem, pro tuto
verò intus fortiſſimotum lapidum muro non ignobilem circumquaque muniri: ex-
tra verò è contra ne lapidum materia apparentium locus vileſceret, cupreis Tabu-
lis fuſilibus & deauratis decorari, non tamen ſicut deceret, præparauimus. Exi-
git enim tantorum Patrum experta nobis & omnibus magnificentia, vt quorum
venerandi ſpiritus Deo omnipotenti ſicut ſol fulgentes aſſiſtunt, nos miſerrimi,
qui eorum patrocinia & ſentimus, & indigemus, ſacratiſſimos cineres eorum pre-
tioſiori qua poſſumus materia, videlicet auro obrizo, iacinthorum, & ſmaragdi-
num, & aliarum gemmarum copiâ operæ pretium liquet operiri. Hoc autem vnum
egregiè fieri elegimus, vt ante corpora Sanctorum celeberrimam ad libandum
Deo, quæ nunquam ibidem fuerat, erigeremus aram, vbi ſommi Pontifices, &
perſonæ autenticæ ſuffragio eorum, qui ſe ipſos holocauſtum odoriferum Deo
obtulerunt, placabiles & Deo acceptabiles hoſtias offerre mereantur. Cui etiam
cùm Tabulam auream, mediocrem tamen, defectus puſillanimitate præponere
propoſuiſſem, tantam auri, tantam gemmarum pretioſiſſimarum inopinatam, &

LVDOVICVS VII. IVNIOR. vix ipſis Regibus exiſtentem copiam ipſi ſancti Martyres nobis propinauerunt, ac ſi nobis ore ad os loquerentur: Velis nolis, optimam eam volumus. vt eam aliter quàm mirabilem & valde pretioſam tam opere quàm materia efficere aut non au- » deremus, aut non valeremus. Neque enim ipſi Pontifices, qui his egregiè pro officij ſui dignitate potiuntur, annulos etiam Pontificales mirabili pretioſorum lapidum varietate gemmatos eidem imponere Tabulæ præſentes abnegabant, verùm abſentes à tranſmarinis etiam partibus ſanctorum Martyrum amore inuitati, vltrò delegabant. Ipſe etiam Rex inclytus perlucidas & maculis diſtinctas ſmaragdines, Comes Theobaldus iacinctos rubetos, Optimates & Principes diuerſorum colorum & valitudinum pretioſas margaritas vltrò offerentes, nos ipſos ad peragendum glorioſè inuitabant. Præterea tot venales ab omnibus penè terrarum partibus nobis afferebantur, & vnde eas emeremus Deo donante offerebantur, vt eas ſine pudore magno, & Sanctorum offenſa dimittere nequiremus. Hîc & alibi experiri potuimus: Sit bonum opus in voluntate, ex Dei adiutorio erit in perfectione. Hoc itaque ornamentum tantorum deuotione, tantis protectoribus commodatum, ſi quis temerario auſu auferre, aut ſcienter minuere præſumpſerit, domni Dionyſij offenſam, & Spiritus ſancti mucrone perfodi mereatur. A

NEC illuc etiam ſilere dignum duximus, quòd dum præfatum noui augmenti opus capitellis & arcubus ſuperioribus, & ad altitudinis cacumen produceretur, cùm necdum principales arcus ſingulariter veluti voltarum cumulo cohærerent, terribilis & penè tolerabilis obnubilatione nubium, inundatione imbrium, impetu validiſſimo ventorum ſubitò tempeſtatis exorta eſt procella: quæ vſque adeo inualuit, vt non ſolùm validas domos, ſed etiam lapideas turres, & ligneas triſtegas concuſſerit. Ea tempeſtate quadam die anniuerſario glorioſi Dagoberti Regis, cùm venerabilis Carnotenſis Epiſcopus Gaufredus Miſſas gratiarum pro anima eiuſdem in Conuentu ad altare principale feſtiuè celebraret, tantus oppoſitorum ventorum impetus præfatos arcus nullo ſuffultos podio, nullis renitentes ſuffragiis impingebant, vt miſerabiliter tremuli, & quaſi hinc & inde fluctuantes ſubitò peſtiferam minarentur ruinam. Quorum quidem, operturarúmque impulſionem cùm Epiſcopus expaueſceret, ſæpè manum benedictionis in ea parte extendebat, & brachium ſancti ſenis Simeonis ſignando inſtanter opponebat, vt manifeſtè nulla ſui conſtantia, ſed ſola Dei pietate, & Sanctorum merito ruinam euadere appareret. Sicque cùm multis in locis firmiſſimis vt putabatur ædificiis multa ruinarum incommoda intuliſſet, virtute repulſa diuina, titubantibus in alto ſolis & recentibus arcubus, nihil proferre præualuit incommodi. B

SECVTVM eſt aliud dignum memoriâ factum, quod non ex accidenti, ſicut de talibus iudicant qui illi conſentiunt ſectæ, videlicet quòd foris incerta vagatur, fértque refértque vices, & habent mortalia caſus: ſed diuina largitione, quæ in ſe ſperantibus magnis & paruis in omnibus prouidet affluenter, & quæ nouit profutura adminiſtrat. Cùm enim quadam die de apparatu proximæ conſecrationis Curiæ, quia maximam fore præſtolabamur, & cum amicis, & miniſterialibus, & villicis noſtris ageremus, & pro temporum grauitate (menſe enim Iunio pene omnia victualia cara erant) de aliis fauſtè ſatis prouidiſſemus, hoc nos ſolùm grauiter offendebat, quòd carnes arietinas propter ouium quæ eodem anno extiterant morticina, Aurelianenſium pago, & verſus Burgundiam quæritare oporteret. Cúmque mille ſolidos, aut quantum oporteret ob hoc illuc pergentibus dari grauiter ne tardè redirent, quia ſerò incœperant, præcepiſſent, ſequente mane, cùm de camerula noſtra ad ſancti ſacrificij ex conſuetudine accelerarem celebrationem, ſubitò quidam de Fratribus albis Monachus renitentem ad cameram me retrahit. In quem aliquantiſper, quia nos à tanto impediebat opere, commotus, cùm minus » benè reſpondiſſem: Audiuimus, inquit, Domine Pater, vos ad inſtantem conſecrationis veſtræ ſolemnitatē arietinis carnibus indigere, & inde à Fratribus noſtris miſſus arietum gregem maximum paternitati veſtræ adduco, vt quod vobis placuerit retineatis, & quod non placuerit nobis dimittatis. Quo audito, vt poſt Miſſas nos expectaret præcepimus, & quod offerebant eo præſente finita Miſſa noſtris retulimus, qui hoc ipſum diuinæ aſcribebant largitioni, eò quòd hoc ſolum quod deerat, quod quærendo fatigaremur, inopinatè religioſorum Fratrum deportatione delegaſſet. Vrgebat deinceps nouæ fieri conſecrationem Eccleſiæ, tam C

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A operis laborioſa conſummatio, quàm noſtra, quæ ad hoc diu anhelauerat, ſuſpenſa deuorio. Et quoniam tam ipſam quàm Sanctorum dominotum noſtrotum velur pro gratiarum actione, & laboris noſtri gratiſſimo fructu, tranſlationem fieti celebertimam optando affectaremus, Regiæ Maieſtatis ſereniſſimi Regis Ftancorum LVDOVICI placido fauore: (deſiderabat enim ſanctos Martyres ſuos protectores ardentiſſimè videre) diem agendi ſecunda Iunij Dominica, videlicet III. Idus, quod eſt Barnabæ Apoſtoli, conſultè aſſignauimus.

INVITATORIAS itaque nuntiis mulris etiam curſoribus & ptæambulis penè per vniuerſas Galliarum tegiones Lireras delegauimus, Archiepiſcopos, Epiſcopos, ex parte Sanctorum, & debito Apoſtolatus eotum tantæ intereſſe ſolemnirari votiuè ſollicitauimus. Quorum cùm multos & diuerſos ad hoc peragendum graranter, gratanriùs omnes ſi fieri poſſet excepiſſemus: Ipſe domnus Rex LVDOVICVS & Regina coniux eius AANOR, & mater eius, & Regni Oprimates perendie aduentarunt. De diuerſis nationum & Regnorum Proceribus, nobilibus, & gregarиis militum & peditum tutmis, nulla ſuppetit computatio. Archiepiſcoporum verò & Epiſcopotum aſſiſtentium hæc intitulata ſunt nomina. Samſon Remenſis Archiepiſcopus, Hugo Roromagenſis Archiepiſcopus, Guido Senonum Archiepiſcopus, Theobaldus Cantuarienſis Archiepiſcopus, Gauftedus Carnoti Epiſcopus, Ioſlenus Sueſſorum Epiſcopus, Simon Nouiomi Epiſcopus; Elias Aurelianis Epiſcopus, Odo Beluaci Epiſcopus, Hugo Autiſſiodori Epiſco- B pus, Aluiſus Atrebati Epiſcopus, Guido Catalaunis Epiſcopus, Algatus Conſtantiatum Epiſcopus, Rotrocus Ebroicenſis Epiſcopus, Milo Teruanenſis Epiſcopus, Manaſſes Meldis Epiſcopus, Pettus Siluanectis Epiſcopus. Qui omnes cùm glorioſè ex altioribus Eccleſiæ ſuæ perſonis pro tanta & tam nobili actione tanto ſpectaculo acceſſiſſent, interiorem mentis & cotdis intentionem cultus & habitus exterior deſignauit. Nos autem non tantùm exteriotibus, (ea enim affluenter ſine querela exhiberi præceperamus) die Sabbati proxima Sanctorum corpora de ſuis aſſumentes Oratoriis, ex conſuetudine in palliatis tentoriis in exitu chori decenrisſimè reponendo locauimus. Sacramentalia conſecrationis inſtrumenta deuotè tantum gaudium præſtolantes præparabamus, quo intenta tantarum perſonarum, tam ſancta expedirè Eccleſiam intus & extra perluſtrare poſſet proceſſio, componebamus. Vnde cùm glorioſum & humillimum Francotum Regem Ludouicum, vr pet Oprimates & nobiles ſuos ab ipſa proceſſione obuiantem árceret turbam humiliter rogaſſemus, humiliùs ſatis pet ſe ipſum & per ſuos hoc ſe libenter facturum reſpondit.

PERNOCTANTES itaque tora nocte veſpettina matutinorum ſynaxi in laudem diuinitatis, Ieſum Chriſtum Dominum noſtrum ptopitiationem pro peccatis noſtris factum, quarinus pto ſuo honore, & Sanctorum ſuotum amore, ſanctum locum miſericorditer viſitare, & ſacris actionibus non tantùm potentialiter, ſed etiam perſonaliter adeſſe dignaretur, deuotiſſimè flagitabamus. Igitut ſummo C manè Archiepiſcopi, Epiſcopi, de propriis hoſpitiis cum Archidiaconis, & Abbatibus, & aliis honeſtis perſonis, ad Eccleſiam accedentes epiſcopaliter ſe componebant, & ad dolium pto conſecratione aquarum ſupetiùs intet ſanctorum Martyrum ſepulturas, & ſancti Saluatotis altate, ſatis decenter, ſaris venerabiliter aſſiſtebant. Videres, & qui aderant non ſine deuotione magna videbant, tot tantorum choream Pontificum veſtibus albis decoram, mitris Pontificalibus & circinatis aurifriſiis pretioſis admodum comatam, Paſtorales vitgas manibus tenere, circumcirca dolium ambire, nomen Domini exorcizando inuocare, tam glotioſos & admirabiles viros ætetni ſponſi nuptias tam piè celebrare, vt potiùs chorus cœleſtis quàm rerrenus, opus diuinum quàm humanum, tam Regi quàm aſſiſtenti nobilitati videretur apparere. Populus enim pro intolerabili magnitudinis ſuæ impetu foris agebatur, & dum chorus præfatus aquam benedictam extra, hyſopo Eccleſiæ parietes virtuoſè aſpergendo, ptoiciebat, Rex ipſe eiùſque Decutiones tumultuoſum impetum arcebant, & vitgis & baculis tegredientes ad portas ptotegebant.

VT autem pactis otdinariè ſanctæ conſecrationis myſteriis ventum eſt ad ſanctatum reliquiarum repoſitionem, ad Sanctorum dominorum noſtrorum antiquos & venerandos tumulos acceſſimus, (neque enim adhuc de loco ſuo mota erant.)

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

Proſternentes autem ſe tam ipſi Ponrifices, quàm Dominus Rex, & nos omnes, A
quantum pro loci anguſtia permittebamur, inſpectis iſto operto venerandis ſcriniis Rege Dagoberro fabricatis, in quibus ſanctiſſima, & Deo chara eorum continebantur corpora, gaudio inæſtimabili pſallebanr & flebant, Regémque tam de-
» uotum quàm humilem accerſienres: Vade, inquiunr, & ru ipſe manibus tuis Do-
» minum & Apoſtolum, & prorectorem noſtrum huc afferre adiuua, vt ſacratiſſimos
» cineres veneremur, ſacratiſſimas vrnas amplectamur, toro tempore viræ noſtræ
» eas ſuſcepiſſe, eas renuiſſe gratulemur. Hi ſunt enim ſancti viri, qui pro teſta-
» mento Dei ſua corpora rradiderunr, qui pro ſalure noſtra charitaris igne accenſi
» terram ſuam & cognarionem exierunr, qui fidem Ieſu Chriſti Apoſtolica auctori-
» tate omnem Galliam edocuerunt, pro eo virilirer cerrauerunr, nudi virgas, ligati
» feroces & famelicas beſtias compeſcuerunr, equulei exrenſionem, clibani ſuccen-
» ſionem illæſi, demúmque heberatis ſecuribus decapitarionem felicem ſuſtinue-
» runr. Age igirur Rex Chriſtianiſſime, beatum ſuſcipiamus ſuſceptorem noſtrum
» Dionyſium ſupplicirer flagitantes, vr pro nobis perar ab eo qui fidelirer promiſit,
Dilectio & benignitas, quam habes ſemper pro quibuſcumque petieris impetrabis Protinus lacerri mouentur, brachia exrenduntur, rot & tanræ manus mittuntur, quòd nec eriam ſeptima manus ipſa ſancta ſcrinia attingere valerer. Eapropter ipſe Dominus Rex ſe medium eis ingerens, lecticam argenream ſpecialis patroni de manu Epiſcoporum, ſicur videtur, de manu Remenſis Archiepiſcopis, Senonenſis, Carnorenſis, & aliorum aſſumens, ràm deuorè quàm honeſtè præuius egrediebarur. B
Mirabile viſu, nunquam ralem, præter illam quæ in antiqua conſecrarione cœleſtis exercitus viſa eſt proceſſionem, aliquis videre potuir, cùm ſanctorum corpora Martyrum & Confeſſorum de renroriis palliatis humeris & collis Epiſcoporum & Comitum & Baronum, ſanctiſſimo Dionyſio, ſociiſque eius ad eburneum oſtium occurrerunr: per clauſtrum cum candelabris & crucibus & aliis feſtiuis ornamentis, cum odis & laudibus multis proceſſerunt: dominos ſuos tam familiariter, quàm præ gaudio lacrymabiliter deportauerunt. Nullo vnquam maiori in omnibus potuerunt gaudio ſublimari.

REVERTENTES igitur ad Eccleſiam, & per gradus ad altare ſuperius quieti Sanctorum deſtinatum aſcendenres, ſuper antiquum altare pignoribus Sanctorum repoſiris, de noua anre nouam eorum ſepulruram conſecranda agebatur principali ara; quam domino Remenſi Archiepiſcopo Samſoni impoſuimus conſecrandam. Agebarur eriam de aliis tam glorioſè quàm ſolemniter aris viginti conſecrandis, quarum illam quæ in medio Saluatori noſtro, & ſanctorum choro Angelorum, & ſanctæ Cruci aſſig...... ** *Reliqua deſunt.*

A

CHRONICON MORIGNIACENSIS MONASTERII.

Ab anno Chriſti MCVIII. vſque ad annum MCXLVII. quo Rex LVDOVICVS VII. in Terram ſanctam profectus eſt.

AVCTORIBVS TEVLFO ET ALIIS EIVSDEM LOCI MONACHIS.

B *Ex Bibliotheca Viri Cl. Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis.*

LIBER PRIMVS, CVIVS MAIOR PARS DEEST.

NOVERITIS, ô poſteri noſtri, diabolum & angelos eius primordiis huius Eccleſiæ multum inuidiſſe, crebris eam impugnationibus vexauiſſe, tribulationes ſæpè graues concitauiſſe, & penitus eam extinguere tentauiſſe. Sed Dominus proreta bonus nauim ſuam per hoc mare magnum & ſpacioſum currentem, à vertiginibus vndarum, à vorticibus fluctuum, à turbinibus ventorum ſemper eripuit. Qui etſi quando dormire viſus eſt, tamen lacrymis & precibus ſeruulorum ſuorum pulſatus euigilauit, ventis & mari vt conquieſcerent imperauit, & vt tempeſtatem magnam magna tranquillitas ſequeretur, gratiâ ſua effecit. Cauete ergo, ô poſteri noſtri, cauete ab hoſtibus tam immanibus, qui non tranſeunt nobis tranſeuntibus, qui non dormiunt nobis dormientibus, qui non moriuntur nobis morientibus. Numeroſitas autem tribulationum noſtrarum frequentiùs occaſiones accepit ex ſimultate Abbatum & Monachorum inuicem inuidentium, inuicem mordentium. Atqui hoſtis malignus, quo nihil eſt malignius, eo loco vulnus infligit libentiùs, quò mortem infert faciliùs. Hoſtis enim hoſtem
C citiùs volens extinguere, non manum aut pedem amputat, non aures aut nares truncat, non orbes eruit, non alias corporis partes impetit: ſed cruento gladio caput à ceruice reſcindit, & ita facilè vno vulnere omnia membra occidit. Sic & diabolus Congregationem totam quærens occidere, Abbatem à Congregatione quaſi caput à corpore, gladio diſcordiæ ſatagit ſeparare. Quomodo enim poterit corpus animantis viuere ſublato capite? Hic facio finem, ne quem ſcribendo fatigem.

MEDIETATEM Stripiniacenſis Eccleſiæ dedit nobis, ſicut in principio dictum eſt, Anſellus filius Arenberti, alteram medietatem Haimo filius Senehildis de Firmitate Bauduini, necnon & Verruinas. Echenuillerum autem dederunt nobis duo nobiles viri Goffredus & Iſenbardus frater eius Pitueris oriundi. Eccleſias de Firmitate Bauduini GVIDO TROSSELLVS huius loci fideliſſimus, concedentibus vxore ſua ADELAIDE, & patre ſuo MILONE Vicecomite, & matre ſua Vicecomitiſſa. quæ præcedente nocte per ſomnium viderat ramum oleaginum ſe manu tenere. Nos autem ab ipſa audientes ſomnium, omnes diximus, competenter ad id quod clementer & diuinitus ab eis nobis tribuebatur pertinere. Eccleſiam de Bouinis & terram & lucum dederunt nobis duo fratres, Goffridus & Bernardus, Helia Monacho noſtro eorum conſanguineo eos ad hoc ani-

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

mante. Eccleſiam S. Iuliani, vbi antea fuerat Abbatia Sanctimonialium, dedit A nobis Emmauricus Stampenſis oppidanus, vir egregius, filiis ſuis & vxore concedentibus: quam multi Monachi etiam data multa pecunia voluerunt nobis ſubripere. Eccleſiam de Guineuilla dedit nobis Bernodalius nobiliſſimus de Firmitate, & vxor eius Mathildis, quæ nobis fecit thuribulum argenteum magnum, & calicem ſimiliter argenteum deauratum, quæ & prima Eccleſiæ fundamina iecit, & in aliquantam altitudinem eduxit, & Liſiardus Flandrenſis filius eorum, qui nobis vitream maiorem in capitio fecit. Eccleſiam S. Germani primam partem dedit nobis noſter Anſellus, ſecundam Helias prædictus, tertiam & quartam filij Alberex Vrſo & Arnaldus. quintam vel ſextam necdum habebamus tunc quando iſta ſcribebamus, ſed quandoque noſtram futuram eſſe non dubitabamus. Eccleſiam de Bona dedit nobis Milo Rainardi filius. Eccleſiam de Serni dedit nobis Bernodalius Potinus. Eccleſiam de Verres dedit nobis Engenulfus. Eccleſiam de Ceſiaco Elizabeth de Maci. Eccleſiam S. Ebrulfi Segoredus. Belouillam dedit nobit Herbertus Bornius erga nos largiſſimus, cuius animam beatificet Chriſtus. Eccleſias de Stampis veteribus, id eſt S. Martini, S. Albani, S. Medardi, dedit nobis Rex PHILIPPVS, & Literis Regalibus dationem hanc confirmauit, & LVDOVICO Regi deſignato filio ſuo, vt idipſum concederet præcepit. Qui Ludouicus, aſſumptis ſecum EMMAVRICO MONTIS-FORTIS Domino, & Simone Nealphæ, in Capitulum noſtrum venit, participium beneficiorum noſtrorum humiliter petiit & accepit. donum quod Rex pater ſuus nobis fecerat conceſſit, & ſumptas in manibus Literas ſuper altare poſuit, & ita donum patris confirmauit. B Eccleſiam de Bolreto dedit nobis Arraudus de Corboilo. Villam, quæ dicitur Meſuns, tali modo conquiſiuimus, immò non villam, ſed deſertum. Terra illa erat Sanctimonialium S. Eligij, ſed eam redegerat in deſertum multitudo inuaſorum, & incurſio crebra prædonum. Nos autem Abbatiſſæ & ceteris Sanctimonialibus data pecunia condigna, & annuo cenſu denominato, concedentibus omnibus quorum combentia de his expetenda erat, terram prædictam diu incultam accepimus excolendam. Cùmque in omni congregatione noſtra aliquem tanto labori aptum quæreremus, & non inueniremus, Bauduinus ille, de quo longè ſupra mentionem feci, quem & in Monaſterij, & in Dormitorij opere tantùm laboraſſe narraui, nunc quoque adhuc laboris immenſitate impertetritus, vltroneus ſeſe obtulit, & pro Fratrum ſuorum vtilitate pondus penè importabile inſumpſit. Quibus verbis viri huius labores referam, quibus iterum in ædificatione villæ laborauit? Credo quòd nec ipſe qui paſſus eſt facilè referre poſſet. Locum diu incultum excoluit. Vepres & tribulos, filices & dumos, & cetera rudera terræ viſceribus inhærentia, nunc aratro, nunc ligonibus, nunc ceteris ruricolarum armis eradicauit. Hoſpites oblatiarios penè octoginta inibi congregauit. Quidam viri impij videntes ita locum proficere, cœperunt laceſſere, & calumnias quaſdam inferre facere. Quorum alij ſibi minaciter expetebant furfuragium, alij gallinagium, alij tutamentum, quod vulgo dicitur tenſamentum. Mea eſt, aiebat iſte, C viaria. Ille petebat illa, iſte iſta. & ita Baudeuinum noſtrum, & vetè noſtrum, tribulabant vexatione continua. Ille pro poſſe vnus multis obſiſtebat, & nunc placitando, nunc pecuniam dando, impetus irruentium reſtringebat. Hac neceſſitate compulſus, tempore meſſis totam propè Belſiam circuibat, obdurata fronte ab omnibus annonam petebat: de qua aliquanta conquiſita pecunia, tyrannidem impetentium leniebat, & terram à conſuetudinariis grauaminibus releuabat. Quodam meſſis tempore, cùm nimio tibiarum, ſurarum, vel pedum dolore laboraret, & neque pede neque equo ire valeret, eo vehiculo, quod vulgo birotum dicitur, circumferri per Belſiam ad petendam annonam piè frontoſus non erubuit, imò erubeſcere quàm cœpta non perficere maluit. Homo tantæ deuotionis Bauduinus erga locum hunc extitit. Retribuat ei Deus quæ benè, probè, fideliter geſſit. Nec ſolùm illi, ſed & omnibus huius loci extructoribus, prouectoribus, tutoribus, vel quocumque modo ſuſtantiatoribus miſereatur Deus. Mihi quoque TEVLFO, qui hæc dictaui, qui neſcio vtrum aliquid vmquam huic loco profecerim, excepto quòd totam Bibliothecam hanc à Geneſi vſque ad vltimam Pauli Epiſtolam, Auguſtinum de Trinitate Dei, de Verbis Domini ſuper Iohannem, Moralia Gregorij, & quoſdam alios prout meliùs potui emendaui, & accentus diſtinxi. Qui diu

A diu Præcentor fui, poſtea verò Prioratum regere temptaui. ſed ita regere vt di- LVDOVICVS VI GROSSVS.
gnum foret, partim ignorantia, partim incuriâ, partim infirmitate non corporis,
ſed morum, præpediente, non potui. Qui hæc legeris, obteſtor te per dulciſſimum
nomen Domini mei IESV CHRISTI, vt affectu quo poteris dicas. O Deus na- «
tura miſericors, miſericordiam impendendo miſerator, qui omnium miſereris, pre- «
cor miſerere Teulfo miſericordiæ tuæ indigo. Quòd ſi viſcera tua à me clauſeris, & «
precem meam ſurda aure tranſieris, in Deum, qui caritas eſt, & in me peccabis.

LIBER SECVNDVS.

PROLOGVS.

LEGITVR *in Libro, qui Actus Apoſtolorum inſcribitur, in primitiua*
Eccleſia tantam plebis deuotionem fuiſſe, & ita populi Chriſtiani flo-
ruiſſe primitias, vt poſt acceptam fidem nemo domum, vel aliquid ſuum
proprium poſſideret: ſed iure fraternitatis eſſent illis omnia communia.
B *ſcilicet vt qui eodem conſortio religionis tenebantur, eodem conſortio fruerentur &*
vitæ. Nefas enim putabant religioſi viri eum ſibi participem non aſciſcere in ſub-
ſtantia, qui particeps eſſet in gratia. Sic enim ibi ſcriptum eſt. Quotquot poſſeſſo-
res agrorum aut domorum erant, vendentes afferebant precia eorum quæ vende-
bant, & ponebant ante pedes Apoſtolorum, & diſtribuebantur vnicuique prout
opus erat. Et hæc ſiquidem conſuetudo per quorumdam, qui in Eccleſia religioſiores
erant, felicem ſucceſſionem vſque ad tempora beati VRBANI *Papæ & Mar-*
tyris emanauit. Sed vir Deo plenus, & ſanguinis teſtimonio ſequens agnum, vti-
li diſpenſatione prouidit, vel prouiſione diſpenſauit, vt poſſeſſiones non venderen-
tur, ſed Eccleſiis à fidelibus traderentur: quatinus hi, qui diuino ſeruicio mancipati
ieiuniis & orationibus vacabant, facultates haberent vnde ſuſtentari potuiſſent.
Ab illo igitur tempore vſque ad noſtram ætatem terrenis opibus mirabiliter excreuit
Eccleſia. Cùm enim, iuxta vaticinium Iſaiæ, labor Egypti & negociatio Ethio-
piæ, viríque ſullimes ſeculi videlicet iſtius Principes ad Eccleſiam venirent, tot
tantíſque poſſeſſionum beneficiis eam per diuerſa loca totius huius Orbis ditauerunt,
vt nulla hominum memoria, nullóque ſermone valeat comprehendi. Id verò intra
C *Gallias permaximè factum eſt. Nam* CLODOVEVS, *qui primus Francorum*
Rex à beato Remigio Remenſium Archiepiſcopo baptizatus, titulo Chriſtianita-
tis meruit inſigniri: plurimíque poſt eum Reges liberaliſſima munificentiâ vel Ec-
cleſias fundauêre, vel fundatas ab aliis ipſi ſuis muneribus amplificare ſtuduerunt.
Proceres verò Regni eiuſdem gratiæ cupientes fieri participes, alíique omnium ge-
nerum viri ad tam celeberrimum opus pro poſſibilitate ſua tota mentis alacritate cu-
currerunt. Vnde pòſt aliquanto tempore factum eſt, vt paleæ, quæ intra Eccleſiam
erant, diuitiis intumeſcerent, & noſtri etiam Ordinis profeſſores, quod non ſine ge-
mitu dicendum eſt, Religione calcata, poſt concupiſcentias ſuas effluerent. Cete-
rùm ille, qui tempore Heliæ ſeptem milia virorum ſibi reliquit, qui non curuaue-
runt genua ſua ante Baal, quædam vaſa miſericordiæ noſtris temporibus reſerua-
uit, viros ſcilicet bonos & religionis amatores, qui Chriſti paupertatis & humili-
tatis ſectatores, multos ad admirationem ſui imitationémque prouocauerunt. Alij
verò quidam, qui tantum gratiæ munus non merebantur aſſequi, vt ſumerent pſal-
mum, tympanum dabant, ſeminantes carnalia vt meterent ſpiritalia, de ſuis fa-

LVDOVICVS VI. GROSSVS. *cultatibus & poſſeſſionibus nouiciis Eccleſiis, & quaſi Chriſti pauperibus libentius erogabant. Inter quos Anſellus quidam annis & conſilio ſtrenuus, religione & familiaritate Flauiacenſium Monachorum prouocatus, primum quidem Eccleſiam Stripiniaci, & quæ in villa illa poſſidebat, Monachis Flauiacenſibus obtulit, ac deinde* MAVRINIACENSE *prædium, in quo Eccleſia iſta in honore ſanctæ Trinitatis fundata eſt, Chriſti gratiâ præeunte contulit. & quoniam penè omnia, quæ à fundamento huius Eccleſiæ vſque ad noſtra tempora decucurrerunt, à* TEVLFO *quodam, qui iuuenis in Eccleſia iſta nutritus, in Abbatem Monaſterij ſanctorum Criſpini & Criſpiniani apud Sueſſonicam vrbem promotus eſt, ſuperiore Libro veraciter edita ſunt, eorum quæ vidimus & audiuimus pauca prælibantes, quæ neceſſaria iudicauimus poſteritati tranſmittere curauimus.*

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

1108. ANNO incarnati Verbi MCVIII. PHILIPPVS Rex Francorum apud Miledunum caſtrum rebus humanis exemptus, iuxta votum & deliberationem ſuam Monaſterio Floriaco, quod in honore ſancti Benedicti ſuper fluuium Ligerim ſitum eſt, honorificè tumulatur. Fuit hic vir miræ prudentiæ, & erga iſtum locum, qui ſuo tempore cœpit, & beniuolentiſſimus & munificentiſſimus. Cúmque videret Abbatiam iſtam Procerum ſuorum virorum Stampenſium donis ſupra ſpem excreſcere, vir altioris ingenij vt eam in eleemoſynam poſſideret, emit eam ab Ebrardo, de cuius feodo pendebat, qui dominus Puteoli habebatur, & Hieruſalem proficiſcebatur. Succeſſit autem ei in Regnum LVDOVICVS filius eius, homo ſimplicis naturæ, magnanimus, atque in militia prælatus. Qui in dilectione & amplificatione huius Eccleſiæ, vt boni patris bonus filius, per omnia deceſſorem ſuum imitatus eſt: niſi quòd in negocio, quod inter nos & Canonicos Stampenſes habitum eſt, quorumdam conſilio deturbatus aliquantiſper aberrauit. Regni eius anno II. RAINALDVS huius loci primus Abbas poſt innumerabiles proſperitatum & aduerſitatum deinimicationes viam vniuerſæ carnis ingreditur, & in Capitulo noſtro ſepultus vltimum Saluatoris aduentum expectat. Conuenientes in vnum Fratres, & de electione, ſicut Eccleſiaſtica conſuetudo requirit, tractantes, TEVLFVM illum, de quo in Prologo fecimus mentionem, hominem bonæ famæ & ſatis litteratum, ex Prioratu promouent in Abbatem. Sed ſolita facilitate vſi eorum quidam contumeliis eum afficiunt, & antequam conſecraretur, à promotione deiciunt. Conſilio tamen quorumdam ſapientium adquieſcens, voluntatibus eorum & ipſe conſenſit. Igitur aliis alia ſentientibus, cùm de eligenda perſona, ſicut moris eſt, diu ſententia titubaſſet, tandem HVGONI cuidam iuueni ſatis eleganti, & poſt primores regionis huius claris natalibus oriundo, communi decreto ſe ſupponunt. Regem præterea, qui id omninò fieri prohibuerat, dictis ambiguis refellentes, electum ſuum ad conſecrandum Senones ducunt, & per illius amicorum interuentum Rege reconciliato, Abbate potiuntur optato. At ille nondum anni circulo completo, contradicentibus ſibi & amicis & familiaribus, ſponte ſuam Abbatiam dimittit, & Eccleſiam ſancti Iuliani prope Turrim Brunichildis ſitam ſortitus eſt, ibique priuatam degens vitam morabatur dum ſcriberentur hæc. Ea tempeſtate, nimietate famis tota Gallia laborabat, ſicque per ſeptem continuos annos eorum omnium quæ victui neceſſaria ſunt inopia graſſata eſt, vt multos enecaret, innumerabiles etiam locupletes deduceret ad pauperiem. Qua de cauſa omnibus propriis neceſſitatibus intentis, beneficia Stampenſium, quibus Eccleſia hæc à fundamento ſuſtentata eſt, penitus defecerunt: conturbatis & nimium anxiis omnibus huius loci habitatoribus, & Abbatis abſentiâ, & omnium rerum penuria. Denique cùm ex aliis Monaſteriis perſonas expeterent, quas non potuiſſent adipiſci, ad Eccleſiam

A Columbenſem, cum qua maximam ſocietatis familiaritatem habebant, recurrunt, & THOMAM illum, de quo ſuperiore Libro mentio facta eſt, ætate quidem iuuenem, ſed litteris præditum, veluti quodam iure repoſcunt. Nam ſub Abbate Alberto ſcholis ſecularibus abnegatis, in Eccleſia hac Monachum profeſſus fuerat, & Columbis per decennium vitæ clauſtrenſi & litterarum ſtudio deditus demoratus eſt. Benedictione paulò poſt Epiphaniorum dies regulariter percepta, magnis & Fratrum ſuorum & totius populi fauoribus excipitur. Satis namque & amabilis & affabilis erat, & omnes qui eum nouerant mouebat ad pietatem, quòd in tantam veniebat paupertatem. Sic enim & temporis importunitates, & Abbatis abſceſſione, omnia temporalia bona deperierant, vt nihil eorum ſeu panis ſeu vini, ſeu pecudum, ſeu aliarum neceſſariarum rerum penitus haberetur. Magno res erat in periculo. Mirare qui legis hæc, & antiquorum noſtrorum lauda conſtantiam, qui per tot penurias, per tot tribulationes hoc in loco perſeuerauerunt, & ædificia omnia hæc quæ cernis ex pauperum eleemoſynis conſtruxerunt. Non Rex, non Comes, non aliquis Magnatum horum aliquid inſtituit. THOMAS autem intolerabili paupertate comperta, primum quidem vehementer expauit, ac deinde ſolius fugæ remedium cogitans, abſcedere temptauit. Sed ſe loci huius Monachum recognoſcens, bonorum virorum conſilio refocillatus eſt. Primo igitur conſecrationis ſuæ anno in Eccleſia beatæ Mariæ Stampis diuinum ſermonem, cuius rei maximam gratiam habebat, fecit ad populum. Cui vir magnificus ANSELLVS Dapifer & Conſiliarius Regis cum multis nobilibus &
B caſtri Proceribus interfuit. Qua occaſione familiaritate illius percepta, in neceſſitatibus huius Eccleſiæ & prouidum Conſiliarium & optimum auxiliatorem multotiens habuit. Nam Robertum quoque de Ocunuilla malignum & raptorem hominem, qui maximam partem terræ de Meſuns calumniabatur, huius auxilio depulſauit. In quo ſedulitas & inſtantia Abbatis laudanda eſt vehementer, qui nec nouitate ſua, nec paupertate detentus eſt. Sed cùm nec etiam proprium equum haberet, ſuper quem aſcenderet, non prius à propoſito deſtitit, quàm Proceribus huius caſtri ſæpiùs adunatis, & ad placita conductis, cálumniatorem à falſis ſpebus penitus exueret.

VIAM tritam atque Regalem, quæ inter Eccleſiam & vineas erat, & honeſtati prouidens & vtilitati, multis ſibi contradicentibus, & inde ad odium prouocatis, obſtruxit. Diuina prædicatione populo ſibi conſiliato, confraternitatem inſtituit, per quam & pars Eccleſiæ cooperta, & vitrea illa magna, quæ in fronte Nauis Eccleſiæ habetur, inter cetera facta fuit. Monachi de Sancto Yonio cenſum VII. ſolidorum diu nobis abſtulerant. De quo RAINALDVS Abbas ante Yuonem Epiſcopum Carnotenſem placitum acceperat. & quia nec interfuerat, nec legitimè contramandauerat, deciderat à cauſa. Sed Thoma annitente, rurſus ad rectitudinem Monachi reuocantur, & quod aliquibus nouum fuit, quatinus ad caput cauſæ rediretur iudicatum eſt. Neque enim perſonæ
C negligentia proprium ius Eccleſia debet amittere. ſed mortua, vel mutata perſona, poteſt qui ſuccedit infra canonicum terminum iuſtitiam requirere. Ibi Monachis deficientibus, per Paganum Sancti Yonij dominum, & Henricum venerabilem de Longoponte Priorem, pluribus coram poſitis teſtibus, res ad hunc finem deducta eſt, vt quod amiſſum erat condonaretur, & cenſus vno quoque anno redderetur, ſicut in Literis quæ de hoc factæ ſunt pleniùs continetur. Sed de his hactenus. eorum verò quæ magna cura magníſque ſumptibus indiguerunt, quædam dicenda ſunt. Ante illius aduentum ampliſſimam terram, quæ Belotiuilla dicitur, miles quidam Herbertus nomine veniens ad extrema huic Eccleſiæ dederat. Sed renitente Goffredo quodam, qui ſororem Herberti in coniugio habebat, adhuc inculta erat. Datis igitur viro denariorum libris decem, vxori eius, & vxoris ſorori, quæ domi habebatur, ſolidis quadraginta, VVlgrinum illum, cuius tot tantáque beneficia Libro ſuperiore commemorantur, excellentiſſimum loci iſtius benefactorem, qui aliquantulum à dilectione noſtra tepuerat, blandis ſermonibus excitauit, & ad excolendum terram vltra, ſi dici poteſt, quàm loci huius facultas pateretur, ſibi plurima ſubminiſtrauit. VVlgrinus verò totis niſibus rem aggreditur, & magno ſumptu ædificia fabricauit, carrucas inſtituit, peculium aggregauit. Res erat in augmento dum ſcribe-

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

remus iſta, & magnis exiſtimationibus, vt à panis penuria, quam ab initio omni- A
bus penè annis patiebamur, erueret nos, paſcebat animos noſtros. Hiſdem ferè
temporibus Abbas commonitus à Fratribus, quatinus in ſolemnitate beati Mar-
tini, quæ hyemalis dicitur, ad Eccleſiam veterum Stamparum in honore eiuſdem
Confeſſoris dedicatam, quam PHILIPPVS Rex dederat, præceptóque firma-
uerat, pergeret, Miſſamque cantare deberet, adquieuit. Sed Canonicis recla-
mantibus atque rebellantibus, ægrè repulſus eſt. Sapienti vſus conſilio tumul-
tum deuitauit; & quàm feſtinanter ad Regem ſe contulit. Pandit iniuriam, mo-
deſtè conqueritur, libenter exauditur. Impetrat denique ANSELLI Dapiferi
fretus auxilio, vt Clerici Stampis in Palatió in vnum congregarentur, donóque
conſentirent. Ipſe quoque Rex, quód antea non fecerat, Scripto proprióque ſi-
gillo donum confirmauit. Cuius exemplum infrà ſcriptum eſt. Sic de dono Ec-
cleſiarum veterum Stamparum, quantum ad Regiam poteſtatem pertinebat, dif-
finitum eſt. Ceterùm Abbas ex bonis ſucceſſibus audendi maiora ſpem conci-
piens, Anſello mediante Regi ſupplicat, vt ipſe Senonenſem Archiepiſcopum, in
cuius dioceſi Eccleſiæ illæ ſunt, rogaret, quatinus eleemoſynam ſuam laudaret at-
que confirmaret. Petitione laudata, auxilium promiſit, & vt ſe Miledunum ſe-
queretur, vbi ei Archiepiſcopus occurrebat, admonuit. Regebat tum Senonen-
ſem Eccleſiam DAIMBERTVS, vir æquè nobilis atque ſapiens, ſed qui in di-
lectione huius Eccleſiæ minimè per omnia prædeceſſorem ſuum RICHERIVM B
hominem placidæ mentis imitaretur. Regis precibus auditis, primò quidem ve-
hementiſſimè cœpit obniti. Monachos impetuoſos atque rebelles Epiſcopis exi-
ſtere, conquerebatur. Tandem verò Regis multorúmque Procerum interuenti-
bus atque ratione deuictus, Clericorum ſuorum conſilium neceſſarium ſibi fore
reſpondit, & vt Abbas ad eum Senones veniret indixit. Ipſe verò Archipreſby-
terum ſuum nomine Radulfum loci huius amatorem Stampas miſit, qui Clericos
congregaret, & ſi conſentirent vel reclamarent audiret, ſibique renunciaret. Com-
pleuit ille iuſſa, atque in Eccleſia beatæ Mariæ Clericis congregatis, ſimúlque co-
ram multis teſtibus aſſenſum præbentibus, ipſe quod audierat per ſeipſum ad Ar-
chiepiſcopum reportauit. Cum maximis igitur difficultatibus, quas breuitatis
gratiâ ſcribere ſuperſedimus, Abbas impetrauit, vt Archiepiſcopus dono conſen-
tiret, & proprio Priuilegio ſicut Eccleſiaſtica requirit conſuetudo, muniret. Voto
demum potitus, & donum de manu Archiepiſcopi ſuſcepit, & Priuilegium quod
apud nos habetur detulit in hæc verba.

IN *nomine Domini.* DAIMBERTVS *Archiepiſcopus. Sciant præſentes pariter
& futuri, quoniam venerabilis Frater Abbas Mauriniacenſis Cœnobij nomine* THOMAS,
*accedens humiliter ad Metropolitanam Sedem noſtram, cum omni deuotione & humilitate
nobis ſupplicauit, vt Eccleſiam de veteribus Stampis in honore Domini & commemoratione
beati Martini dedicatam ſibi & ſucceſſoribus ſuis perpetuò poſſidendam concederemus, ſi-
cut* PHILIPPVS *Rex &* LVDOVICVS *filius eius itidem Rex ſibi donum fece- C
rant. Eandem enim Eccleſiam ipſi Reges* MAVRINIACENSI *Cœnobio Regia lar-
gitate iam priùs attribuerant, & vt ipſam largitionem confirmaremus Regia nos pre-
ces incitabant. Nos autem illud potiùs Dominicum attendentes, vbi dicitur, Petite &
& dabitur vobis, pulſate & aperietur vobis: Religioſi Fratris petitionem irritam eſſe
nequaquam ſuſtinuimus, ſed iuxta illud Euangelicum, Petenti cum fide, pulſanti cum
ſpe aperuimus: diuinis obtutibus placere, & Regiis precibus ſatisfacere, & fraterna vti-
litati prouidere ſub vno opere nos poſſe credentes. Igitur ad laudem & honorem Domi-
ni, ex conſenſu & voluntate Fratrum, Canonicorum ſcilicet eiuſdem Eccleſiæ, conceſ-
ſimus Mauriniacenſi Cœnobio prædictam Eccleſiam perpetuò poſſidendam. ea videlicet ra-
tione, vt Canonici præſentes ſuas quamdiu vixerint in pace teneant præbendas. niſi for-
tè remota omni violentia Mauriniacenſi Abbati eas guerpire conſentiunt. Poſt obitum
verò ſingulorum, ſingulæ præbendæ tranſeant in ius & dominium Mauriniacenſis Ab-
batis. Saluo tamen iure Senonenſis Eccleſiæ per omnia, à primis per medium vſque
ad vltima. Data Senonis menſe Ianuario, Indictione v. regnante* LVDOVICO
Rege anno IV. *Daimbertus Archiepiſcopus ſubſcripſit. Anſellus Archidiaconus ſubſcri-
pſit. Hato Archidiaconus ſubſcripſit. Tetbaudus Archidiaconus ſubſcripſit. Girardus
Archidiaconus ſubſcripſit. Burchardus Archidiaconus ſubſcripſit. Girardus Cancellarius
ſcripſit.*

A Et donum quidem Regis & aſſenſus Pontificis taliter habent. Quibus ita proſperè geſtis, Abbas vt rem ad vnguem deduceret, Romam pergere diſpoſuit, Canonico quodam Carnotenſi Pagano cognomine, homine ditiſſimo, & huius loci benefactore, id ſibi potius admonente. Sumptis igitur quæ huic operi neceſſaria ſunt, cum Alberico Monacho noſtro ſimplice & bono viro, comite etiam Pagano, Romam profectus eſt. Ibi in Curia Romana per vnum menſem & eò ampliùs demoràs, à bonæ memoriæ Papa Paschali ſecundo meruit adipiſci & Sedis Apoſtolicæ tuitionem, & doni iſtius confirmationem. Sed quæ ad Eccleſias veterum Stamparum pertinere videbantur, ſufficienter vt arbitror explanata ſunt. Creſcebat autem & multiplicabatur vinea Domini, quæ in paupere loco plantata fuerat, & circumquaque palmites ſuos extendebat. Apud Dordinchvm, quod Regium municipium eſt, Eccleſiam beati Petri adepta eſt. Apud Stripiniacum Guarſadonius Anſelli noſtri fundatoris filius, qui Hieruſalem proficiſcens Cluſæ iacet, & Adelina ſoror illius, quæ in clauſtro noſtro ſita eſt, cenſum plus minus l. ſolidorum & dimidietatem vinariæ huic Eccleſiæ dederunt. Bartholomeo tunc loci illius Priore, vt talia fierent, maximè procurante. Apud Firmitatem Bauduini Eccleſias Bonæ, quas Milo dederat & abſtulerat, veniens ad nos & eas reddidit, & donum ampliauit. Rex quoque Lvdoicvs dimidietatem decimæ pedagij, quod apud Berouillam colligitur, nobis donauit, & x. ſolidos annui cenſus, quos Regi debebaB mus, pro anima Anſelli Dapiferi ſui condonauit. Nundinas etiam denominatas in feſtiuitate noſtra æſtiuali incipientes, & tota hebdomada perdurantes, cum mercato, omnibúſq; conſuetudinibus Regia munificentiâ contulit. Gvido etiam Vicecomes Stampenſium familiariſſimus Abbati, & amiciſſimus huius loci, aliam dimidietatem decimæ ſupradicti pedagij, & decimam molendini, quem apud veteres Stampas habebat, & in Stamparum medio fluuio Calo hoſpitem vnum valde vtilem nobis dedit. Hic ſiquidem Gvido illius magni Hugonis domini Puteoli, in cuius feodo Eccleſia iſta fundata eſt, filius fuit. Qui ſortitus vxorē Marchi Stampenſium Vicecomitis filiam, vnde ſibi Vicecomitatus accidit, cùm Proceres Frācorum, & maximè cognati illius contra Regem Lvdovicvm rebellarēt, Abbate noſtro ſuper omnes inſtigante ſanum cepit conſilium, & per multa diſcrimina Regi fideliſſimus extitit. De qua diſſenſione, quia ſe præbuit occaſio, licèt ad præſens negocium minimè pertinere videatur, tamen ſi ad poſterorum cautelam aliquid prælibauerimus, non erit abſque re. Quod vt planius fiat, ab origine mali oriendum eſt.

Regnante Philippo Rege, Hainricvs Rex Anglorum, filius illius magni Gvillelmi, qui Normannorum Comes Angliæ Regnum vi militari adquiſierat, Robertvm fratrem ſuum de Hieroſolymis regreſſum bello cepit, & eo in vinculis tradito, Comitatum illius Regno ſuo ſociauit. Lvdovicvs Rex deſignatus, & adhuc adoleſcens, quorumdam ſuorum collateralium conſilio deceptus, vt talia gererentur aſſenſit. Patre ſapiente viro ſibi contradicente, & malum C quod poſtea accidit ſpiritu præſago ſibi prædicente. Fuit autem Henricus ille in diuitiis, & in regiminis ſapientia, omnibus penè ſui temporis Principibus incomparabilis. Habebat etiam ex ſorore nepotem Theobaldvm nomine Comitem Carnotenſium, Bleſenſium, Meldenſium, aliarúmque multarum Prouinciarum. Qui Comes Palatinus, & intra Franciam ſecundus à Rege, diuitiis & nobilitate tumefactus, ab adôleſcentia ſua velut hereditario bellorum iure Regem Lvdovicvm cœpit infeſtare. Cuius occaſione ſcandali tota Francia bellis accēſa eſt, Proceribus vtriuſque partis id volentibus, & animos amborum ad odium inflammantibus. Inter quos Hvgo de Creciago velut horum omnium malorum fomes, impiis conſiliis & facinoribus alios anteibat. Vir audax & manu promptus, ſimulator & diſſimulator cuiuſuis rei, oppreſſor pauperum, & agricolarum cupidus interemptor, qui omnia vellet vno momento & facinora & flagiria tranſuolare. Hic irreconciliabilis inimicis Regiis velut miniſter diaboli furebat, & omnia quæ poterat circumquaq; vaſtabat. Fiunt hominum cædes, inter quos & Anſellus Regis Dapifer apud Puteolum caſtrum interfectus eſt. Omnibus conturbatis, Regnum aliquantulum titubauit, donec reſpexit ex alto qui cuncta diſponit ab æterno, & impium Hugonem peccatis exigentibus taliter permiſit illaqueari, vt & pax rebus humanis redderetur, & exemplum cauendæ traditionis poſteritati relinqueretur. Ipſe namque Milonem de Montelherico optimæ indolis & ſtrenuiſſimum in ar-

Lvdovicvs VI Groſſvs.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

mis iuuenem, Dominum ſuum, cognatum ſuum, traditione cepit, & captum compedibúſque ligatum carcerali cuſtodiæ mancipauit. Sed iuxta diuinum oraculum, cecidit in foueam quam ipſe parauit. & vnde ſibi partam victoriam atque gloriam, Regique damnum intolerabile credebat, inde Regi gaudium exortum eſt incredibile, ſibi verò detrimentum atque perpetuum dedecus. Domino pro meritis ei digna reddente. Nam cùm eum in vinculis diutiùs retinere non poſſet, redimere verò atque dimittere non auderet, quoniam illum ſibi acriorem hoſtem futurum timeret, ductum per diuerſa loca atque reductum, cùm diu dubitaret quid ageret, ſcelerum ſuorum enormitate ductus, & violentiſſimi dæmonis inſtinctu tractus, nefandiſſimo & abominabili ſuper omnia genere mortis, quod vulgo *murt* vocatur, hominem innocentem nocte ſuffocauit, & per feneſtram ligneæ turris, in qua vinculatus erat, quaſi ſi ipſe MILO diffugere voluiſſet, clanculo proiecit. Inuentus mane, admirabilem ſtuporem, & inenarrabilem dolorem cunctis videntibus & audientibus incuſſit. Traditor autem pallidus effectus, & trementibus labiis cum facie tormentum animi & infernalem conſcientiam ſignis exterioribus manifeſtiſſimè demonſtrans, diuino iudicio ſuæ deſtructionis ad feſtinationem, corpus permiſit aſportari, & apud Longum-pontem, quod regulare Cœnobium, & anteceſſorum MILONIS eleemoſyna erat, ſepeliri. Fama dicto citiùs peruolante, ex vicinis oppidis, villis, atque municipiis, confluit omnis ſexus. Mirantur omnes, & ſceleris inauditi nouitate perculſi lacrymas fundunt vberrimas, & ad æthera clamorem ſuſtollunt. Aduolat & Rex LVDOVICVS à Lutecia ciuitate, quæ Pariſius appellatur, Procerum ac militum maxima multitudine proſequente. Quo viſo, atque lacrimante, fletus, dolores, gemitus multiplicantur, & immenſis clamoribus ab omnibus vindicta requiritur. Viro, ſicut decebat, in clauſtro decentiſſimè ſepulto, feruentibus animis & impetu concitato concurritur communiter ad arma, & caſtrum GVMET, quod vicinum erat, diuina eos ducente prouidentia inuadunt & capiunt. Terror vehemens HVGONEM occupat, anathematizatur ab omnibus, relinquitur à ſuis, ſtupet in ſe, & teſtimonio conſcientiæ ligatus vires amittit. Fit mira atque lætiſſima mutatio rerum. Nam cùm traditor de morte Milonis ſe duellio purgare cogeretur in Curia AMAVRICI DE MONTE-FORTI, poſt Palatinos Comites in prouincia iſta viri excellentiſſimi, cuius & ipſe HVGO filiam paruulam deſponſauerat, derelictus ab eo, in quo ſpem ſingularem habebat, belli diſcrimen ingredi non auſus eſt. Sed conuictus, & coram omnibus culpam profitens, ad pedes Regis ſe proſtrauit, veniam poſtulauit, terram ſuam in manu illius dimiſit, & Monachilem habitum illicò induit. Rex Angliæ & Comes Theobaldus, velut amiſſo ſtimulo quo Ludouicum Regem exagitabant, obſtupeſcunt, & pacem expetunt. Quid plura? poſt horridam bellorum tempeſtatem pacis ſerenitas arriſit, Regibus pacificatis, Comitéque. Tunc miſericordia Dei ſuper Franciam reſpiciens, perfectiſſimam concordiam inter eos miſit, & capite ſeditionis extincto, quietis ſecuritas agricolarum pectora lætificauit. His ad poſterorum & notitiam & cautelam veraciter & breuiter excurſis, ad ea, quorum gratiâ incœpimus, ſtylus dirigendus eſt.

1119. ANNO Incarnationis Dominicæ MCXIX. Papa Romanus Gelaſius II. qui & Iohannes Gaitanus, primo ordinationis ſuæ anno ab vrbe cauſis emergentibus egreſſus eſt, & per maritima loca cimbâ portatus, Maſſiliæ, quæ vna ciuitas Galliarum eſt, allabitur. Hic ab adoleſcentiâ ſuâ nutritus in Palatio, induſtria & litterarum ſcientiâ excellentiſſimè roboratus, apud Remim Metropolim Regni Concilium diſponebat, in quo ſe magna diſpoſiturũ credebat. Sed diuino iudicio quod occultum, numquam tamen iniuſtum eſt, aliter diſponente, præuentus ægritudine grauiſſima, Cluniaco, quod ſuper omnia Monaſteria tunc temporis & religione & diuitiis effulgebat, ſe fecit portari. Ibique deficiens, & carnis vinculis abſolutus, ſicut decebat ſummum Sacerdotem, honorificè ſepultus eſt. Erat autem inter ſummum Sacerdotem & Regem Teutonicorum, qui per KAROLI MAGNI Regis Francorum ſucceſſionem Patricius Romanorum erat, grauiſſima & inueterata de inueſtituris Pontificum & Abbatum diſſenſio, quæ per quadraginta & eo ampliùs annos Romanam Sedem turbauerat, & omnes fermè totius Latinitatis Eccleſias fatigauerat. Rex etiam Burdinum quendam Bracharenſem Archiepiſcopum, literatum & curialem & eloquẽtem virum, Romæ pſeudopapam ſubrogaue-

A rat, & militaribus armis intruſum ad propria reuertens in Sede reliquerat. Qui poſtea à Domino Papa Calixto II. apud Sutriam vi captus, & per Romam ductus, apud Caueam, quod diſtrictiſſimum Monaſterium ſuper Salernam ſitum eſt, Monachus effectus & incaueatus eſt. Ij igitur, qui cum Gelaſio venerant, quaſi præſago ſpiritu ducti, antequam ab vrbe diſceſſiſſent, cum his qui Romæ remanebant conſilium, & ab his aſſenſum acceperant; vt ſi, quod euenit, Papa rebus humanis exceſſiſſet, ipſi in partibus noſtris eligendi Pontificem poteſtatem habuiſſent. Eo verò mortuo, ſepultóque, Cardinales ceteríque Romani cum maxima Pontificum atque Procerum multitudine, quæ inibi confluxerat, ſtatim in eodem loco VVIDONEM Viennenſem Archiepiſcopum ſtrenuum & incomparabiliter genere nobilem virum eligunt, & Pontificalibus induunt inſignibus: quibuſdam tamen ob rei nouitatem, aliis, vt ferebatur, ob inuidiam murmurantibus, & aliter ſentientibus. Hic Viennæ reuerſus, rebúſque diſpoſitis per Gallias tranſitum faciens, Toloſæ primò, Remis ſecundò celebrato Concilio, Romam cum maximo tripudio ſicut decebat intrauit, Burdinóque capto, contra tyranni voluntatem Cathedram ſummi Pontificatus obtinuit. Inter ceteros quoque nobilitatis illius maximos titulos, proneptim eius LVDOVICVS Rex coniugem habebat. Qui dignitati illius congaudens, cùm nuper electus eſſet, & per Aluerniam tranſiret pro quibuſdam ſibi neceſſariis, cum PETRO Beluacenſi Epiſcopo, & domno CONONE Prænestino & Apoſtolicæ Sedis Legato, THOMAM huius loci Abbatem primum reſponſalem ad eum tranſmiſit. Ceterùm ea tempeſtate inter nos & Canonicos Stampenſes fœdiſſima & turbulentiſſima de ſepeliendis corporibus quæſtio verſabatur. Fouebat eorum partes ALGRINVS quidam Palatinus & Regalis Clericus, & STEPHANVS Cancellarius Anſelli Dapiferi frater, & priuatiſſimus Regis Conſiliarius, cuius tunc temporis arbitrio Regnum Francorum diſponebatur. Qui ambo Canonici Stampenſes erant, & ideo Canonicos quantum poterant in hac cauſa ſuſtentabant. His iuſtitiæ cauſam opprimentibus, & cor Regis euertentibus, cùm ad dominum Papam noſter Abbas contra votum mitteretur, quia Regis non poterat, Reginæ confugit ad auxilium, & poſtulatis & impetratis deprecatoriis Literis, ſecurus iter arripuit. Cùm ergo dominum Papam in partibus Aluerniæ repperiſſent, & ea quorum gratiâ legatio facta fuerat conuenienter definiſſent, Abbas notitiam Curiæ adeptus, & Cononis precibus adiutus, ad munimentum ſuæ partis, Priuilegium, cuius exemplar infrà ſcriptum eſt, impetrauit & aſportauit.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

B

VERVMTAMEN Abbas in adquiſitione huius Priuilegij vehementiſſimè quidem laudabilis, ſed inopinato magnóque repletus gaudio, pueriliter aliquantiſper exultauit, & ſicut oportebat vſquequo neceſſitas expoſceret ſuæ defenſionis baculum non celauit. ſed illico manifeſtando ac propalando quibuſlibet quod acciderat, grauiſſimum & penè importabile ſibi ſcandalum generauit. Canonici namque Stampenſes cùm auribus attonitis talia percepiſſent, Eccleſiam ſuam à fundamentis erutum iri putauerunt, & diſcurrentes, & vim ſe perpeſſos vociferantes, ad auxilium ALGRINI Clerici Regalis, Canonici militaris, hominis animalis, domníque STEPHANI Cancellarij Regis & à Secretis confugerunt, Aulámque Regiam querimoniis innumerabilibos repleuerunt. Iſtis porrò tamen fortiſſimis interuentoribus, prouidentiâ quorum conſilium Regis Regnique diſpoſitio eo tempore potiùs ferebatur quàm regebatur, precibus & aſſuetis verborum illaqueationibus adductum, muneribus quoque conductum, ſuæ partis patronum ac defenſorem Regem efficiunt. Cuius ope releuati, apud Miledunum caſtrum in priuato quodam colloquio, quod Rex idem cum quibuſdam ſuis Epiſcopis habebat, ipſo Rege proloquutore Archiepiſcopo Senonenſi de Abbate clamorem faciunt. Abbate abſente, clamor faciliùs atque libentiùs excipitur, & nemine contradicente, quantò importunitas Monachorum eleuatur, tantò cauſa deprimitur. Diriguntur exindè nobis ab Archiepiſcopo Literæ graues atque tonantes, quæ velut inuaſionibus obuient, donec Romanus Pontifex ſicut expectabatur adueniat, qui Regis precibus victus, Priuilegium ipſe per ſe reſcindat. His imparatis tumultibus Abbas exterritus, primum quidem ad Dei confugit auxilium. dehinc Literis Archiepiſcopalibus per Literas ipſe reſpondit. Seriem quarum, vt huius negocij noticia plenior habeatur, huic operi ſubterintexere decreuimus.

C

*D*OMINO *venerando, & in Chriſto dilectiſſimo Patri D. Dei gratiâ Senonenſium* A *Archiepiſcopo,* THOMAS *Maurimacenſium Miniſter indignus ſalutem & debitam obedientiam. Legimus in Literis veſtris, quod apud Miledunum Canonici Stampenſes de nobis grauiſſimè conqueſti ſunt, quoniam Eccleſiam beatæ Mariæ & redditus Canonicorum quantum in nobis eſt, vt aiunt, omninò annullare ſatagimus, & ſepulturam loci ipſius iam ad nos ex parte contraximus, & etiam parrochiæ ipſius Eccleſiæ terminos occupauimus. Senſimus etiam paternæ correctionis verba, quæ licet grauiora ſint, quàm vel cauſa vel perſona mea promeruiſſet: reuerſus tamen ad me, cogitare ſtuduì, quòd pœnitentiæ locum in Eccleſia teneam, cœpíque ruminare quòd iuxta Salomonem verba ſapientium ſunt quaſi claui in altum defixi. Scribitur & infra, puto ad conſilium dandum, non ad incutiendum terrorem, Regem L. huic clamori interfuiſſe, qui fauet omnimodo partibus Clericorum, & deteſtatur & improbat graues & intolerabiles impetus Monachorum. Monemúrque vt in hac cauſa ita nos deinceps habeamus, ne fortè ſuper his quæ paulò ante tetigiſtis, Regis odium importabile incurramus. Ad hæc noſtra eſt hæc reſponſio breuis. Primùm quidem, quòd Canonici ſpreta Senonenſis Eccleſiæ auctoritate, ad ſecularem Curiam fugiunt, Regem pecuniâ contra Priuilegium Romanæ Eccleſiæ conducunt, contra Canones faciunt. Deindè mendaciter & impiè dicunt, ſepulturam loci illius nos ex parte contraxiſſe, parochiæ terminos occupaſſe. Nihil enim horum facimus. Scimus namque quàm deteſtabile malum ſit accipere ſepulturam, & diuinarum ſcripturarum eruditione, & pauperum oppreſſione, quos in vicinia noſtra, & ſolùm in diœceſi veſtra videmus ad ſepulchra mortuorum plorare* B *magis amiſſiones bonorum, quàm corpora defunctorum. Iuxta verò antiquam Eccleſiarum conſuetudinem, iuxta veſtram inſtitutionem (neque enim adhuc Romanæ dignitatis Priuilegium nominamus) ſciatis nos & ambulare, & ambulaſſe. Quòd ſi in aliquo foret exceſſum, debuiſſem ab illis canonicè pulſari, non ſic inaniter & de nullis adhuc coram Epiſcopis exclamari. Ceterùm, pace veſtra dixerim, veſtrum eſſet, ſi veſtræ paternitati placuiſſet, contra latratus eorum, qui ſe putant admittere quicquid nobis datur à fidelibus, boculum defenſionis opponere: tum propter paruulam ac nouitiam Maurimacenſem Eccleſiam, quæ veſtra eſt, & à veſtro deceſſore piæ memoriæ R. fundata, talibus initiis excreuit. tum quia per priuatum ac fideliſſimum vobis legatum eorum laqueos præueniens mandaueram, quòd veſtro tota res penderet arbitrio. De Rege poſtremò quid dicam? Didici præcepto primi Paſtoris & Deum timere, & Regem honorificare. Satis & illius & habuimus & habemus præter hoc negocium familiaritatem, & in multis, ſi dici fas eſt, ei neceſſarij fuimus. Sed quibus multotiens abducatur conſiliis, vos qui totius veſtræ regionis caput eſtis, experimento aliquando didiciſtis. Sed ne multis immorer, timeant eum qui diuitiis & deliciis ſuffocantur, vel ad vtilitatem proximorum Eccleſiaſticis honoribus occupantur. Nam nos Chriſti pauperes ſumus. Vulgare, mi Domine, prouerbium eſt, Nudus homo non poteſt exſpoliari. Nemo timet admittere quod appetit ſponte ſua deſerere. Vt veritatem vobis pandam, ante mori paratus ſum, quàm contra Priuilegium aliquid facere. Valete.*

HÆC ad Archiepiſcopum. Ad Regem verò per ſeipſum, quia familiariſſimus erat ei, velociter tetendit, & cum rationis oſtenſione, tum cuiuſdam moderationis G diſpenſatione Regis iram mitigauit. Interea rerum diſpoſitor, qui comprehendit ſapientes in aſtucia ſua, more ſolito ſuæ pauperis Eccleſiæ tribulationem reſpexit, & Regem aliquantiſper humiliatum. quod qualiter ſit factum, aliis dicendum reliquimus, hoc aliter tractare coëgit. Porrò Toloſæ celebrato Concilio, Pictauorum, Andegauenſium, Turonorum finibus peragratis, in noſtris partibus domini Papæ iam nuntiabatur aduentus. Cono etiam Præneſtinus Epiſcopus Apoſtolicæ Sedis Legatus, de quo & ſuperiùs fecimus mentionem, quem Remim neceſſaria diſpoſiturum Papa præmiſerat, obuiam ei rediens ob ſolitam Abbatis familiaritatem apud nos hoſpitium ſumpſit. Cuius conſiliis Abbas animatus, vt à domino Papa Eccleſiam noſtram dedicari feciſſet, iter cum eo diſpoſuit. Quod ne alicui videatur abſurdum, quia Libro ſuperiore narratum eſt Oratorium fuiſſe dedicatum, ſciat altare de loco, in quo tunc erat, poſtea motum fuiſſe. & canonica ſen-
» tentia eſt, Si altare motum fuerit, denuò conſecretur. Exterius etiam Tabernaculum, quod Eccleſiæ Nauis à populo vocatur, conſummationis perfectionem acceperat. Sed cùm Aurelianis aduenißent, & dominum Papam per Carnotum iter dirigere percepiſſent, inperacto negocio digrediens à ſociis Abbas reuertitur. At cùm Regem LVDOVICVM de Normannia cum exercitu reuertentem Carnotum aduentaſſe, vrbiſque partem Papa cognouiſſet concremaſſe, mutato conſilio

A per Stampas tranſiturus, Aurelianis improuiſus aduenit. Abbas autem rei tam ſubito ſtupefactus euentu, cùm quid ageret diu dubitaſſet, diuino teor prouocatus inſtinctu (à Domino enim greſſus hominis diriguntur) Regem de Carnoto Stampas die alio reuerſum præceps adiit, preces fundit, vt Literarum præuentione Papam rogaret, quatinus Mauriniacenſem Eccleſiam ipſe dedicaret. Nec mora, precibus exauditis, cum HVGONE Monacho noſtro tunc Secretario Legatus Regius cum Literis Aurelianis ſumma cum feſtinatione dirigitur. Literæ aperiuntur, conſilium cum Cardinalibus accipitur, debere fieri poſtulatio Regis adiudicatur. Quo renunciato, dici non poreſt quantæ feſtinationis inquietudo communiter & Abbatem & nos omnes breuiſſimi temporis articulo deprehenſos, duobus ſcilicet tantummodo diebus mediantibus, exagitauit. Ceterùm ſummo Pontifice ſumma cum reuerentia Stampis in Palatio ſuſcepto, Clericis Stampenſibus murmurantibus & detrahentibus nobis, inimicus homo qui ſuperſeminat zizania, per quendam Stephanum de Veſoncio crudeliſſimum & auariſſimum hominem, domnique Papæ Camerarium, conſilio cuius priuata Curia regebatur, totum boni huius operis incœptum penè diſſipauit. Porrò Abbas mortuum ſe iudicans, ſi tam cœleſte munus velut à manibus eriperetur, in præſentia domini Papæ Cardinales congregauit, cum Rege, cum Regina preces multiplicauit, & tandem quod poſtulabat firmiter impetrauit. Quid plura? gaudium inæſtimabile noſtris, & omnium amicorum noſtrorum pectoribus infunditur. Exſurrexit enim Deus, & diſſipati ſunt inimici eius. Stupebat Algrinus, & omnes inuidi & inimici noſtri ſicut fumus deficiunt à facie Dei. LVDOVICVS VI. GROSSVS.

B

ANNO igitur incarnati Verbi MCXX. dedicata eſt Eccleſia Mauriniacenſis Cœnobij à domino Papa Calixto ſecundo, v. Non. Octobris, cum maximo honore & reuerentia, in honore ſanctæ Trinitatis & ſanctæ Crucis, ac beatæ ſempérque Virginis Mariæ, & beatorum Apoſtolorum Petri & Pauli, & omnium Sanctorum Dei. Inter eas venerabiles perſonas, quæ huic ſanctæ dedicationi affuerunt, venerabiliores fuerunt Cono Præneſtinus Epiſcopus, totius Franciæ, ac Teutoniæ, Alamanniæ, ac Saxoniæ Legatus: Boſo de titulo S. Anaſtaſiæ totius Hiſpaniæ Legatus, cuius ope & induſtria Maiorica inſula & Cæſarauguſta nobiliſſima Hiſpanorum ciuitas ſubacta eſt: Toſtanus Eboracenſis Archiepiſcopus, Gaufridus Carnotenſis Epiſcopus, Galo S. Pauli Epiſcopus de Britannia, Bernerius Abbas S. Florentini de Bonaualle, Stephanus Abbas S. Iohannis de Valeia, multique alij ſapientes viri, & optimæ perſonæ. Rex etiam Francorum LVDOVICVS, & Adelais vxor eius, & VVILLERMVS Dapifer, qui Seneſcallus appellatur. Stephanus quoque Cancellarius frater eius, cuius conſilio tota Francia regebatur. EMMAVRICVS DE MONTE-FORTI, Guido de Gualardone, multique alij Francorum Proceres & nobiles viri. 1120.

ANNVA quoque peccatorum remiſſione in dedicationis anniuerſario conſti-
C tuta regio Stampenſis, & ſublimata & lætificata eſt. Spiritus verò vehemens, qui venit ab Aquilone, frequentiſſimis exhalationibus in hanc domum inſufflauit, ſed Deo propitio illam non exſufflauit. Celebrato namque Remis maximo generaliſſimóque Concilio, domnus Papa cum omni comitatu ſuo Burgundiam ingreſſurus, Romámque profecturus, de Pariſius Corbolium aduenerat. Ibi Canonici Stampenſes, quoniam in procurationc illius partem mittebant, inuenta occaſione loquendi, & nobis obloquendi, ipſi Papæ de Abbate, de Monachis clamorem faciunt, ſuorum parochianorum corpora ſibi violenter aufferti, & alia multa quæ non oportet dici, de nouo maximè Priuilegio conquerentes. Ipſe etiam Papa Abbati ſibi ob eius reuerentiam apud Milidunum obuianti querimonias eorum narrauit, & vt ſe præpararet, quatinus de talibus ante ipſum placitando ratio ventilaretur, inuitauit. Rurſus pœnæ, rurſus curæ, rurſus timoris laboriſque tumultus oriuntur. Clerici latrabant, Rex eorum partes fouebat, domnus Stephanus à Rege ſecundus inſtabat, Algrinus furebat. In itinere quoque, quo die ſequente Ferrarias, quæ Regalis Abbatia eſt, tendebant, domnus Stephanus aperriſſimè in contentionem atque certamen contra Abbatem exiuit. terrores, minas, verbera potiùs quàm verba multiplicauit. Ad hæc illius, complicúmque ſuorum tota nitebatur intentio, vt ſi Regis, ſi collateralium ſuorum amicitiam Abbas retinere voluiſſet, ipſe Priuilegium quod habebat diſcinderet. Aſt paupertate ſua fortior

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

ſecuriórque factus Abbas, paucis pro tempore peroratis, tandem ſe magis mori fore paratiorem, quàm facere poſtulata reſpondit. Papam, Archiepiſcopum ſuum, Curiámque Romanam inpræſentiarum eſſe, iudicium ſe nequaquam ſubterfugere. Veritate quippe ſubnixus Cardinales notitiâ ſeruiciíſque parauerat, & contra hanc importunitatem iuſtitiæ ſuæque partis defenſores armauerat. Ad illum verò locum Rex & Regina à domino Papa diſceſſuri, valéque facturi, Proceres atque Pontifices, multæq; perſonæ confluxerant. Pertractatis ſiquidem ibidem plurimis negociis, & Abbate præſente, ac ſi quiſquam ei obuius eſſet, parato reſpondere, de iuſtitia diffiſi Canonici tacuerunt, & iudicium penitus ingredi ſubterfugerunt. Accepta igitur à domino Papa & ab omnibus Cardinalibus cum beneuolentia licentia, domnus Abbas per Regem, qui Caſtello-Nautonis erat, indéque domi ſecurus ingreditur. Verumtamen Algrinus iuratus atque publicatus hoſtis Monachorum, feruidus atque infringibilis in executionibus ſuis, aſſumptis ſecum Canonicis duobus, SIMONE Cantore, atque PHILIPPO, ſuæ fraudis nequitiæque comitibus, cum quibuſdam Regiis mandatis domnum Papam Senones inſequitur. Exhinc quod inæſtimabilis inanitatis atque falſitatis fuit, contra noſtrum Priuilegium contrariam ſententiam Priuilegium continens aſportaſſe ſe garrierunt. Crediderunt tamen & obſtupuerunt quamplurimi. ſed diuinæ diſpoſitionis ordinatione odium totius populi Procerúmque Stampenſium omnium importabile, ſi Regis defenſio non obuiaſſet, ſibi generauerunt. Impij & ſceleratiſſimi iudicantur ab omnibus, anathematizantur ab omnibus. Igitur à quibuſdam Stamparum primoribus ad dominum Papam pro talibus inueſtigandis Legatus emittitur. Ab Abbate verò ad domnum GRISOGONVM domini Papæ Cancellarium pro hac eadem cauſa in hæc eadem verba Epiſtola tranſmittitur. B

GRISOGONO *ſanctæ Dei Romanæ Eccleſiæ Diacono Cardinali ac Bibliothecario*, THOMAS *Mauriniacenſium Abbas ſalutem. Cùm audiſſem Legatum Stampenſium Procerum pergere ad dominum Papam, commiſi ſibi Literas, in quibus & vos ſalutarem, & eorum hactenus inauditorum malorum, quæ circa nos aguntur, pauca vobis intimarem. confiſus de promiſſa mihi amicitia veſtra, immò de ea caritate, quæ nos ſub capite vno in corpore vno facit vnum, quòd & iuſta & canonica diligatis, & ad ea corrigenda, quæ dignitatem ſanctæ Romanæ Eccleſiæ fauciant, conſilium præbeatis. Feciſſem id libentiùs per me, ſed multis ex cauſis retentus ſum, ſperans & confidens in eo qui non deſerit ſperantes in ſe, vos in veſtra proſperitate deuotiùs & officioſiùs aliquando me viſurum. Canonici quidam in vicinia noſtra, ſi tamen Canonici dicendi ſunt, qui irregulariter & turpiter viuunt, qui in Templo Dei columbas & vendunt & emunt, qui de præbendis ſuis filios ſuos heredes faciunt, qui de baptiſmate precium, de mortuis ſepulturam violenter exigunt, dum eſſetis in partibus noſtris iudicium ſubterfugerunt, & in diſceſſione veſtra ad auxilia quorumdam, qui in Eccleſia illa & redditaum & facinorum participes ſunt, confugerunt. His interuentoribus, quorum conſiliis Regnum Francorum turbatur & turpatur, ſimplices aures Regis ſicut & in aliis multis deceperunt, & à Domino noſtro, ſi tamen id credi poteſt, Priuilegium, quod nuſquam & numquam auditum fuit, latenter (non audeo enim dicere qualiter ipſi dicunt) extorſerunt. Has inſidias & Dei & veſtro auxilio me putauerant præueniſſe. Sed, vt video, non eſt via hominis in manu eius, nec viri eſt vt dirigat greſſus ſuos. A Domino enim greſſus hominis diriguntur. Ipſi verò quod ad ignominiam domini noſtri Papæ, ſanctæque Romanæ Eccleſiæ pertinet, Priuilegium contra Priuilegium ſe habere garrientes, ſolitò nequiores effecti ſunt. Et contra patrium morem, contra conſuetudinem omnium Eccleſiarum, contra ius, contra Canones, contra Deum ſepulturas grauiores exigunt, & omnibus, vt alibi pro ſalute animæ ſuæ ſepeliri non poßint, contradicunt. Dici non poteſt quantus hinc populi tumultus oriatur, quantæ nobilium querimoniæ, quanta conuicia, quantæ maledictiones. Scandalum hoc iam multa homicidia ſeminauit. Stupent & admirantur omnes, à vobis, qui ſepulturam tam ſeuerè damnaſtis, tanti mali fomenta progredi potuiſſe. Non enim diuerſas ſicut ſe res habet, ſed penitus contrarias Canonici ſententias aſſeuerant, & quod ſolo auditu nefas eſt, Priuilegio Priuilegium contriuiſſe ſe iactitant. Precor igitur Excellentiam tuam, vt ſubuenias animabus, pro quibus Chriſtus mortuus eſt, ne princeps tenebrarum & prædo nocturnus eas rapiendi per vos inueniat occaſionem. Vt enim iuuarentur orationibus ſanctè ac regulariter viuentium, & ſua & amicorum ſuorum corpora non ſolùm in loco noſtro, verumetiam & alia loca & temporibus noſtris, & antequam locus noſter fundaretur, conſuetudinariè faciebant portari, liberè ſepeliri.* C

A *Quod quàm iuſtum ſit & ratio monſtrat, & auctoritas firmat, & conſuetudo clamat. Ex-* LVDOVICVS VI. GROSSVS.
ceptis autem his, quæ de hac ſententia in promptu vos habere conſpexi, accipe quid hinc bea-
tus Auguſtinus ſentiat. Scribit enim ſic in Libro de cura agenda pro mortuis ad Paulinum
Nolanum Epiſcopum. Si paterna, veſtis, & annulus, ac ſi quid huiuſmodi tantò carius eſt
poſteris, quanto erga parentes maior affectus eſt, nullomodo ipſa ſpernenda ſunt corpora, quæ
vtique multò familiariùs atque coniunctiùs quàm quælibet indumenta geſtamus. Quod ſi
verum eſt, profectò etiam prouiſus ſepeliendis corporibus apud memoriam Sanctorum locus,
bonæ affectionis humanæ eſt erga funera ſuorum. Quoniam ſi nonnulla religio eſt vt ſepe-
liantur, non poteſt nulla eſſe quando vbi ſepeliantur attenditur. Hæc Auguſtinus. Sollici-
tus igitur de ſalute animæ tuæ, fac vt Legatus iſte loquendi locum habeat, & ſuggere Do-
mino noſtro vt tam horrendo, tam peſſimo malo medicinam prouideat. Miſereatur animarum
earum, quæ ſe petierint adiuuari, & non poterint adipiſci. Miſereatur pauperis Eccleſiæ,
quam ipſe propria manu dedicauit: ad cuius oppreſſionem, imò deſtructionem, tales machi-
nas diabolus fabricauit. Vale.

LEGATVS à Tarrona Italiæ ciuitate regreſſus, à domino Papa Litteras detulit, in
quibus Priuilegium cōtra Priuilegium numquam ſe feciſſe dixit, & ſi quid quæſtio-
nis inter Monachos & Canonicos haberetur, ad domnum CONONEM, qui noſtris
adhuc in partibus Vicarius eius morabatur, vt pergerent indixit. Sic illis deficienti-
bus fraudulentæ ſubreptionis ars deperiit, & fabrica, quæ falſitatis fundamentum
B habuit, euanuit. Sed quoniam innumerabiles in hac cauſa minutiæ narrationum
nobis occurrunt, & breuitati ſeruire decreuimus, diffuſiorem atque diligentiorem
rei huius narrationem poſteritati differendam reliquimus. Vos verò qui Mauri-
niacenſis Eccleſiæ filij eſtis, qui domum veſtram diligitis, nullum eos habere Pri-
uilegium contra vos pro certo credatis. Si quid habent, profectò contra vos ni-
hil habent. Ad cumulum etiam perſecutionis promiſſis ingentibus Rex LVDO-
VICVS attemptatus eſt, quatinus donum Eccleſiarum veterum Stamparum, quod
pater eius & ipſe fecerat diſſiparet. Sed numquam Deo propicio precibus vel præ-
miis ad tantum facinus potuit inclinari. Inter hos autem harum maximarum ne-
buloſiſſimos turbines inquietudinum, Eccleſia Dei caput erigebat, & velut gra-
num ſinapis frequentiſſimis contuſionibus fortiùs redolebat. Nequaquam enim
Abbas conſuetæ Regiæ familiaritatis Priuilegio fruſtratus eſt. Sed ſi in aliquo de-
ciderat, frequentibus & colloquiis & ſeruiciis reſarciuit. Inſpirante igitur primùm
diuina gratia, ſine cuius auxilio nullus benè poteſt operari, ac deinde Abbatis in-
duſtria ſubſequente multo tempore, multis precibus, multis itineribus peractis,
commune Regis Præceptum ad munimentum huius loci, noſtrarúmque poſſeſſio-
num omnium tam futurarum quàm præſentium adipiſci promeruit. Fecerat idem
ſicut ferebatur Rex Philippus in initio Conſtitutionis huius Eccleſiæ. ſed funda-
tores Monachi Flauiacenſes vel illud amiſerant, vel ſicut opinio veriſimilior habe-
batur, hinc diſcedentes & diſſidentes illud abſtulerant. Sed ſemper noſtris ſuc-
C ceſſibus ſathanas conabatur obuiare, & turrem Dauid, quæ ædificabatur contra
Damaſcum, moliebatur oppugnare. In tantam enim iram tantúmque furorem
Regij ſeruientes, & ij maximè qui de Stampis veteribus erant, pro ſententia, quæ
de partitione filiorum facta fuit, ſi coniunctio noſtrorum fieret, clientúmque re-
giorū exarſerunt *, vt querimoniis & maledictionibus omnia teplerent, nos omnes
& omnia noſtra in maximum odium verterent, Abbatem, ſi facultatem haberent
interficerent. Sed propicia nobis diuinitas mentes eorum ſedauit, & non multum
poſt tempus inſaniam illam in fauillam mutauit. Miles etiam quidam TEVDO
nomine veniens ad extrema, torcularis cuiuſdam medietatem, & pratum quod-
dam iuxta hortum noſtrum, & terrulam ante granchiam de Bellouidere ſitam, quæ
valdè nobis neceſſaria erant, huic dedit Eccleſiæ. Quæ ideo digna relatu iudica-
mus, quia hoc velut in veſtituram dedit terræ ac vinearum, quæ circa proximam
Eccleſiam S. Germani iacent, totiúſque territorij, quod infra parochiam illam te-
nebat, ſi vnica paruula filia ſine hærede moreretur, quam habebat. Inſtaurata
quoque ſecundò virorum ac mulierum Stampenſium confraternitate, vitreæ om-
nes huius Eccleſiæ, ſimúlque pons lapideus ſuper fluuium, perfecta ſunt. Ad hoc
exemplar & Robertus quidam Monachus noſter per vicinam regionem de anno-
na valdè vtilem confraternitatem inſtituit. Necnon & Garſadonius Anſelli fun-
datoris noſtri filius, primò quidem Stampis coram multis Primatibus illius loci,

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

deindè verò cùm Hieroſolymis ire diſponeret, in Capitulo noſtro de Gummaruilla donum fecit, vt ſi in via Dei, quod accidit, moreretur, nos eam (erat enim in vadimonio) redimeremus, & in perpetuum poſſidendam haberemus. Quo mortuo, cùm validiſſimi calumniatores contra nos inſurgerent, potiùs à Dei quàm ab hominis nos eam accepiſſe dono, patientiſſimis indicus declaratum eſt. Adelais namque Garſadonij mater & in alus & in hoc primum quidem dono nobis beniuolentiſſima, ſed poſtea muliebri leuitate mutata, cùm de domo cuiuſdam diuitis pedes reuerteretur, vbi de impedimento iſtius doni fuerat colloquuta, in media plana via nullo obſtaculo poſito corruit, & ſic pedem extorſit, quòd in omni vita ſua recta ambulare non potuit. Stephanus quidam, qui neptim iſtius mulieris in coniugio habebat, Herardi filius, vir potentiſſimus, & malitia ingenioſiſſimus, id numquam permittere, ſtationem ſuam in villam facere, ſe Monachos interficere furens adiurabat. At cùm nullorum precibus vinci, nec Regis minis potuiſſet mitigari, diuino iudicio percuſſus, & ad extrema deductus, coram multis teſtibus & clamorem dimiſit, & vitam amiſit. Hoſtibus autem omnibus nequior miles quidam nomine Bonardus, homo profanæ mentis, Garſadonij ſororem coniugem habens, contra nos inſurrexit, & primò quidem villam illam, deinde granchiam de Meſuns, poſtea in loco qui ſuper Stripiniacum poſitus Toſchetum vocatur, domos quaſdam, & in eis boues ſex, oues viginti ſex decies igne nocturno concremauit. Habitabat verò in terra GVIDONIS domini de Rupe-forti, qui tunc Hieroſolymis erat, & ideò aut vix aut numquam ad iuſtitiam poterat adduci. B Cùmque nimiis dæmonum exagitationibus inſaniret, & non ſolum noſtra, ſed etiam ipſam iſtam Eccleſiam, niſi villam relinqueremus, ſe concremare iactaſſet, propitiante Deo GVIDO de Hieroſolymis rediens improuiſus aduenit. Cuius aduentus percepto nuntio, feſtinus Abbas ei obuius occurrit. Viro ſalutato, atque ſicut mos exigit oſculato, vt ad nos hoſpitandi gratia diuerteret, & ſe ſuſcipi cum proceſſione, quippe de Hieroſolyma rediens, permitteret, Abbas ab eo poſtulauit & impetrauit. Honorificentiſſimè ſuſcipitur, & cum his omnibus qui ſecum venerant, & qui de caſtellis ſuis occurrerant, deuotiſſimè procuratur. Et Abbas quidem tunc ſiluit. Sed die poſtera quæ Dominica fuit, cùm eum vſque ad Sanctum Arnulfum de Aquilina deduxiſſet, ibi rurſus eum cum proceſſione ſuſcepiſſet, audientibus multis Proceribus, qui partibus è diuerſis illuc aduenerant, Abbas de Bonardo clamorem fecit, & vt ſibi iuſtitiam faceret, rationis atque ſeruicij compedibus religatum VVidonem coëgit. Nec mora, die ſubſequente apud Rupem-fortem Bonardus ad iuſtitiam deducitur, & præſente atque annitente Guidone Stampenſium Vicecomite, Guidonis illius cognato, & loci iſtius amiciſſimo, Abbas ſibi quæ nobis forisfecerat condonauit, & ipſe cum vxore & filiis ſuis calumniam quam faciebat dimiſit, & eorum omnium quæ nobis Garſadonius & pater eius donauerant conceſſionem fecit. Poſt nimios igitur labores; poſt LXX. librarum & eo ampliùs expenſionem, depulſis & aliis quorumdam calumniis, Gummaruilla à nobis pacificè poſſeſſa eſt. C In eodem confinio Buxetum habemus, cuius dimidietatem Anſellus fundator noſter antiquitus cùm in Hiſpaniam pergeret dedit. Liſiardus verò aliam dimidietatem, Bonardus Petri filius, milites Stampenſes totius illius territorij decimam dederunt. Sic ibi maximam poſſeſſionem Mauriniaeenſis Eccleſia diuinæ propitiationis largitionibus adepta eſt. Sunt & alia dona, quæ quia mediocria ſunt, & alibi ſcripta ſunt, ſilentio præterire decreuimus. Mordebat autem Abbatis & aliorum quorumdam Fratrum conſcientiam, quòd anteceſſores noſtri Eccleſias ac decimas quaſdam non ſolùm donis, verumetiam pecuniis adquiſierant. Neque enim tunc, in initio ſcilicet conſtitutionis huius Eccleſiæ, quæſtio de ſimonia ſic ventilata erat, ſicut poſterorum diligentiâ factum eſt. Sed ſi quid Eccleſiaſticum à ſecularibus hominibus emeretur, non emptio, ſed redemptio vocabatur. Sed cùm diutiùs ſuper hac re titubaſſent, diuina prouidentiâ factum eſt, vt rurſus domnus Cono Prænestinus Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, apud nos hoſpitandi gratiâ diuertiſſet: habens ſecum velut auxiliatorem magnum VVILLELMVM Catalaunenſem Epiſcopum, qui ſullimes ſcholas rexerat, & tunc zelum Dei habens ſuper omnes Epiſcopos totius Galliæ diuinarum Scripturarum ſcientiâ fulgebat. Abbas igitur in manu Cardinalis omnia illa, de quibus ſcrupulum habebat, reddidit, vt in eius diſpoſitione eſſet

quidquid

A quidquid inde facere voluiſſet. Die ſubſequente, viri ſapientes & Eccleſiaſtici diſpenſatores ante præſentiam ſuam Abbatem vocauerunt, & vt ea de manu beati Petri acciperet, ſecurè in Abbatia Deo ſeruiret, per obedientiam iniunxerunt. Hæc iccirco dicta ſunt, vt poſteri noſtri & de talibus prouideant, & de tranſactis timorem non habeant. LVDOVICVS VI. GROSSVS.

INTEREA defuncto VVillelmo Anſelli Dapiferi germano, STEPHANVS Cancellarius, de quo ſuperiùs fecimus mentionem, frater amborum, Maior Regiæ Domus effectus eſt. Hoc retroactis generationibus fuerat inauditum, vt homo, qui Diaconatus fungebatur officio, Militiæ ſimul poſt Regem duceret Principatum. Hic vir induſtrius, & ſeculari præditus ſapientia, cùm multis Eccleſiaſticorum honorum redditibus, tum familiaritate Regis, quam ſic habebat; vt ei potiùs à quibuſdam diceretur imperare, quàm ſeruire, temporali felicitate ſupra ceteros mortales noſtris temporibus efflorebat. Tradita verò nepti ſua in coniugio AMALRICO DE MONTE-FORTI, cum honore de Rupe-forti, qui puellæ de matrimonio obuenerat, tumefactus oblitúſque ſui, ADELAM Reginam frequentiſſimis moleſtiis ſibi reddidit infeſtam, odiiſque creſcentibus, Rege denique turbato depoſitus ab honore, pulſatur à Curia. Ipſe verò veluti quadam arreptus inſania, Regnum turbare totis viribus enititur. & viri in armis ſtrenui, AMALRICI dico, fretus auxiliis, patriam hanc bellis accendit. Sed cùm ſuos affectus deducere non poſſet ad effectus, reuerſus ad ſemetipſum, Seneſcalciam, quam iure
B poſſidere ſe dicebat hereditario, dimiſit, & cum Rege Lodouico, ſimúlque cum Philippo filio illius, qui iam Rex vnctus erat, Adelaide Regina interueniente, pacificatus eſt. His per exceſſum de viro breuiter prælibatis, ea, quorum gratiâ talia præmiſimus, exequamur. Dum Regia floreret in Aula, & illius poſt Regem cuncta penderent arbitrio, BOSONIS Abbatis S. Benedicti promiſſionibus inlectus, Regem, cuius ſuper omnes à Secretis erat, de Eccleſiis veterum Stamparum inuadit; & ſuggerit patrem ſuum, qui apud S. Benedictum ſepultus eſt, de Eccleſiis his illi nobili loco priùs donum feciſſe. Et licèt cor Regis ad voluntatem ſuam inclinare tum non poſſet, VVlgrinus tamen ille familiariſſimus amicorum noſtrorum, qui inibi præſens erat, vehementer indoluit, & concitus ad nos aduolauit, rémque ſicut audierat enarrauit. Stupefactus Abbas, & huius tam grauiſſimæ quæſtionis impulſus moleſtiâ, cùm apud Stephanum, qui Stampas aduenerat, preces inanes effudiſſet, ad Regem ſe velociter contulit. Aſſumptíſque ſecum Guidone Vicecomite, VVlgrinóque noſtro, in clauſtro Caſtelli-fortis tali eum aggreditur oratione. Scio ſiquidem, Domine Rex, quòd pietatis veſtræ ſerenitatem grauiter offenderim, qui munificentiæ veſtræ velut ingratus iamdiu Monachos in Eccleſiis veterum Stamparum miſerim. Sed noſtra non negligentia, ſed inopia peperit hunc reatum. Nec verò diu boni huius dilatio veſtram crudeſcat in iram, vim mihi facio, noſtræque paupertatis pro reuerentia veſtra oblitus, de redditibus noſtris inibi victuros Monachos ponere diſpono. Hoc argumento Rex illaqueatus, quod
C olim admonuerat vt fieret, dicere ne fieret erubuit, & Stephanum, qui tunc præſens aderat, quatinus hoc opus concederet & laudaret, admonuit, impetrauitque. Igitur die Dominica, quæ pòſt inſtabat, VVidone Vicecomite, multíſque aliis Proceribus pagi huius comitantibus, in Eccleſia beati Martini apud veteres Stampas, licèt quibuſdam Clericis murmurantibus, & penè vim facientibus, Monachí Mauriniacenſes intromiſſi ſunt. Id verò quaſi quoddam miraculum noſtri temporis permaximum fuit. Vt enim in pace hoc opus impleretur, videbatur impoſſibile. Síque quod diu multúmque optauerat Eccleſia Mauriniacenſis, Dei beneuolentia, Regis munificentia, Abbatis induſtria, Eccleſias veterum Stamparum quietè poſſedit. At humani generis inimicus, & omnium malorum inſtigator diabolus turpiſſima diſcordiarum zizania nocte ſuperſeminauit, & diuino iudicio permittente, quicquid à Domino in die Monaſtici tritici fuerat illic iactatum, penè ſuffocauit. Clerici quippe, quia per vim Monachos expellere non poterant, callidis id facere machinationibus aggrediuntur. Cùm enim apud Remim nobiliſſimam Galliæ Metropolim Rex LODOVICVS primogenitum filium ſuum PHILIPPVM vngi faceret in Regem, ſecúmque coronari, & THOMAS loci huius Abbas, cum BARTHOLOMEO S. Martini Priore, huic tam celebri intereſſet conuentui, quidam qui præ cæteris ſignifer odiorum erat, HVGO nomine, Sacerdotis & Cantoris in

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

Eccleſia illa fungens officio, cum quibuſdam ſuis complicibus ſeducendi nactus A occaſionem, quod dictu nefas eſt, tendiculas oppoſuit. Hunc pecuniâ corruptum, & vnius præbendæ promiſſione, ſi Monachi taliter potuiſſent expelli, in Eccleſiam latenter introducunt. ipſis in Carnario, qui locus infra ſepta Eccleſiæ illius oſſa continet mortuorum, fraudulenter abſconditis. Monachum, ſicut multotiens conſueuerat, (erat enim ſenex, fatuus, atque diſſolutus) ſolum cum pùero fabulantem, quaſi ſcelus illud operantem, de latibulis egreſſi corripiunt. Igitur homines ſic mente corrupti, vt etiam inſanire viderentur, fugato humanitatis reſpectu Monachum ilico veſtibus expoliant, arreptiſque Eccleſiæ tintinabulis populum conuocant, infamiam tam intolerabilem diſſeminant. ceteros omnes Monachos tales eſſe mendaciter exclamant, omnia conturbant. Populus inauditi flagitij nouitate percuſſus vertitur in amentiam, domúmque Monachorum cum maximis clamoribus inuadentes, fuſtibus alij, alij lapidibus nituntur effringere, Monachos in ea commanentes obruere. Sed Monachis intra plorantibus, & ad Deum vociferantibus, Chriſtus à ſomno ſurrexit, & nauiculam periclitantem de procellis eripuit, militibus quibuſdam loci illius commotis, & effrenem impetum populi repellentibus. Contigit quoque HENRICVM Senonenſem Archiepiſcopum per veteres Stampas hebdomada ſequenti tranſitum feciſſe. Hoſtes noſtri Pontificis aduentum curioſiùs explorant, & per diuerſa loca vulgi ſuarúmque meretricum turmas prærordinant. Eo villam illam ingrediente, confuſus clamor & B auribus etiam nos minus diligentium faſtidioſus attollitur, Monachos turpes & inceſtos expelleret, Clericis Eccleſiam ſuam reſtitueret. Iam ſuperiores eſſe videbantur, & auxiliis quibuſdam confuſi, quos per omnia nobis fideles eſſe ſperabamus, Regem & illius Curiam per pecuniam deuincere contendunt, vt eorum vota perduceret ad effectus. Denique apud Piſſiacum inter Monachos & Canonicos in pręſentia Regis dies placiti ſtatuitur. Res hæc túm propter loci huius inopiam, tum propter infamiam inportabilis Abbati ceteríſque Fratribus videbatur. Sed Medicus ille, qui ſic eſt potens vt ſit omnipotens, qui de veneno facere nouit antidotum, etiam malis benè vtens, comprehenſis his ſapientibus in aſtucia ſua (ceciderunt quippe in foueam quam ipſi parauerunt) & eos vanis ſpebus penitus expoliauit, & nos talibus tribulationibus expurgauit. Abbas namq; noſter iampridem multis beneficiis Archiepiſcopum nobis alligauerat, itaut etiam dum per veteres Stampas tranſitum faceret, furentis vulgi deteſtaretur errores atque clamores, & penè inpræſentiarum ab eorum abſtineret excommunicatione. Regem verò Clericis reddidit infeſtum & eorum peruerſitas, & Abbatis familiaritas. Conuocatis ergo ab Abbate apud Piſſiacum tunc temporis honeſtiſſimis atq; famoſiſſimis perſonis, SVGERIO Abbate S. Dionyſij, qui tunc etiam in Aula Regia præclarus & optimus Cauſidicus habebatur, ODONE S. Remigij Remenſis Abbate, qui noſter profeſſus erat, & de Eccleſia beatorum Martyrum Criſpini & Criſpiniani, quam optimè rexerat, ad illam celſiorem Eccleſiam per Cononem Legatum Romanæ Eccleſiæ C tranſlatus fuerat: HVGONE quoque S. Germani Pariſienſis Abbate, multa circa Regem Procerum atque militum reſidente caterua, poſtquam ad lucem iudicij venit, cœpit expallere proditionis impietas: & corporalem etiam incurriſſet pœnam, vbi ſanctorum Canonum reſtitiſſet auctoritas. Illi tamen Clerici dico carceribus mancipati ſuppliciter Abbatis implorant auxilium, cui nuper tam ſecurè minitabantur exitium. Burgenſes omnes totúmq; populum veterum Stamparum Rex iratus Pariſius ſubmonet ad iuſtitiam, ſperans hinc ſe maximas pecunias adepturum. Quapropter ingens & intolerabile murmur exoritur, Monachos maledicere atque deteſtari, per Abbatem qui verſutus erat, & propter eos hunc laborem pati, eos omnes, cùm reuerterentur, combuſtum iri. In his horrendis & fœdiſſimis tempeſtatibus, VVlgrinus noſter extremum diem obiit, & iuxta matrem ſuam in Clauſtro noſtro, quod ipſe iampridem ædificauerat, tumulatus eſt. Rex autem illius omnia, & ea etiam quæ nobis in eleemoſynam dederat, quoniam de familia eius ortus, & ſine herede mortuus fuerat, in manibus ſuis aſſumpſit. Has inter tantas impenetrabilium veluti Termopilarum anguſtias Abbas tota mente deficiens, diſpoſuit Abbatiam dimittere, & ad quietiorem vitam tranſire. Sed optimi & religioſiſſimi ſocij & conſiliarij ſui Garini Prioris refocillatus eſt & conſilio & auxilio. hic Sparnonis honeſtis & nobilibus parentibus fuit oriundus. Creuêre ſimul Abbas

A & ille à pueritiâ comites indiuidui, & effecti iuuenes ſtudendi gratiâ Stampas de- LVDOVICVS VI GROSSVS.
uenere. VVarinus ALBERTO tum temporis Abbati huius loci notus & fa-
miliaris effectus, quem etiam conſanguinitate tangebat, inſtigante quodam ſuo
Priore Rogerio nomine, qui poſtea in Abbatia Columbenſi clariſſima lampas
Monaſticæ Religionis enituit, plus minus xx. annos natus, valefaciens rebus
humanis, noſtræ militiæ ſumpſit armaturam. Thomas, veluti meliore ſui parte
truncatus viuere ſeculo non potuiſſet, cùm diu vagabundus animo vario anxiæ
mentis æſtus ferre non poſſet, VVarini ſequitur veſtigia, gaudens in ordine no-
ſtro habere præuium, quem ſocium ſemper habuerat. Cùm igitur ALBERTVS
hac Abbatia dimiſſa Columbis remeaſſet, eos ſecum abducens ex licentia Capi-
tuli huius inibi profeſſionem religauit. Thomas promotus in Abbatem noſtrum, &
remeans ad nos, illum ſuum vnanimem ad nos reduxit. Erat ſanè VVARINVS
optimis moribus, atque mitiſſimus, & de mundo totius penè libidinis expers eua-
ſerat. Monachi ſemitas ingreſſus, ſobrietatis feruidus amator fuit, ita cibo po-
túque parcus, vt cunctis noſtri temporis Monachis incomparabilis haberetur. Su-
per hoc fundamentum ceterarum virtutum perfectionem ædificauerat. Præcla-
ra pudicitiæ vexilla ſic erexit, vt conſcientia Deo, fama proximo conſeruata, ne-
mini vel inimico poſſet eſſe ſuſpectus. Staturâ procerus, vultu faciéque deco-
rus, verbo moderatus & inceſſu, quod interiùs erat exteriùs ſine typo quodámque
naturali modo demonſtrans, ſeipſum dabat omnibus exemplar viuendi. Multa
B veriſſima de eo dicerentur, niſi quia dum ſcriberemus hæc, ſua nos adhuc illuſtra-
bat præſentiâ. Huius tanti viri fidelitati atque familiari amicitiæ ſe totum com-
miſerat Abbas. Nec mirum. Iam enim triceſimus voluebatur annus, ex quo Mo-
nachum profeſſi fuerant, & nulla vmquam inter eos vel ad momentum interceſſe-
rat animi diſſenſio. Illo, ſicut in ceteris omnibus tribulationibus, à puſillanimitate
Abbatem reuocante, rurſus Regi Pariſius ſe præſentauit, & pericula quibus labo-
rabat, vulgique præcipitis inſanias cum lacrymis enarrauit. At propicia ſapientia
illa, quæ attingit à fine vſque ad finem fortiter, & diſponit omnia ſuauiter, in cuius
manu corda Regum ſunt, & quæ dicit, Per me Reges regnant: LODOVICVS
Rex precibus illius ad pietatem motus, & omnia quæ VVlgrinus reliquerat beni-
gnè dimiſit, & populum, quem iratus euocauerat, pacificatus lætos ad propria re-
miſit. Sicque, quod omnibus impoſſibile videbatur, dante Deo, cui omnia poſſi-
bilia ſunt, poſt horrida nubila tempeſtatis huius, felix nobis ſerenitas proſperitatis
arriſit. Vnde gratulantibus animis in die ſolemni, qui poſt talia propriæ contigit
feſtiuitatis huius Eccleſiæ, hoc eſt in octauis Pentecoſtes, à domno Thoma tunc
temporis loci iſtius Abbate, aſſenſu omnium Fratrum, in communi Capitulo hæ
inſtitutiones factæ & confirmatæ ſunt. Inſtitutum eſt vt anniuerſarium Regis Phi-
lippi ſolemniter annuatim celebretur; & Prior Stampenſis ad refectionem Fra-
trum, ad piſces ſcilicet emendos, xx. ſolidos illo die ſine dilatione largiatur. Hic
etenim Rex Eccleſiæ huic, quæ ſuo tempore fundata fuit, munificus extitit. Eam
C namque ab EBRARDO Puteoli domino, de cuius feodo res erat, c. libris emit:
Eccleſias veterum Stamparum nobis dedit, & alia multa Regia munificentiâ lar-
gitus eſt. Similiter & de anniuerſario Anſelli Areoberti filij, fundatoris loci noſtri,
inſtitutum eſt. Et eo die Prior Stripiniaci x. ſolidos perſoluet. Eodem modo & de
Garſadonio Anſelli filio inſtitutum eſt. Et Monachus Buſxeti die illo ſolidos x.
perſoluet. Similiter etiam de Rainaldo loci iſtius primo Abbate. Et Monachus
de Meſuns ſolidos x. perſoluet. Pro VVlgrino etiam, qui multa nobis beneficia
contulit, eadem ſeruabitur inſtitutio. Et Monachus de Belotiuilla ſolidos x. per-
ſoluet. Rogauit etiam in eodem Capitulo Fratres & Thomas huius conſuetudinis
inſtitutor, vt ſibi illud idem concederetur, ſiue Abbas, ſiue ex-Abbas moreretur.
Conceſſum & confirmatum eſt. Et Monachus de Guillar-villa illo die ſolidos x.
perſoluet. Eandem enim poſſeſſionem cum multis aliis poſſeſſionibus nobis adqui-
ſiuit & ædificauit. Poſuit autem in manu Prioris, totiúſque Capituli, vt ſi aliquis
negligens vel contumax inſtitutum cenſum ad refectionem Fratrum diebus ſupra-
dictis reddere diſſimulauerit, non expectato Abbate, grauiter corripiatur, & do-
nec denarios perſoluat clauſtro retineatur. Quiſquis has inſtitutiones auſu teme-
rario infringere temptauerit, anathema ſit. His ad eorum doctrinam, qui poſt nos
futuri ſunt, elicitis, cetera texenda ſunt.

Ludovicus VI. Grossus 1129. Anno Incarnationis Domini noſtri Iesv Christi mcxxix. Honorivs II. qui poſt Calixtum Papam ſuper cathedram Petri ſederat, Romæ in Eccleſia beati Andreæ, quam apud Cliuum Emilij Scauri beatus ac præcipuus Doctor magnus Gregorius ſuis ſumptibus ædificauit, defunctus eſt. Cardinales, qui cum Cancellario inibi aderant, & Honorio infirmanti aſſederant, Gregorivm quendam ſcientia ac religione præclarum ſibi præficiunt, & nimis feſtinanter, vt à quibuſdam dicitur, Pontificalibus induunt inſignibus. Id illius gratiâ diſpenſationis factum dicunt, vt Petrvm quendam, qui ſeculariter ad Papatum videbatur aſpirare, ſpe ſua fruſtrarentur. Fuit hic Petrus Petri filius filij Leonis. Leo verò à Iudaiſmo paſcha faciens ad Chriſtum, à Leone baptizari, & eius nomine meruit inſignari. Hic vir, quia ſcientiſſimus erat, in Curia Romana magnificus effectus, genuit filium nomine Petrum, magnæ famæ magnæque potentiæ pòſt futurum. Ea tempeſtate inter Regem Theutonicorum, qui ex ſucceſſione Karoli Magni Romanorum Patricius erat, & Eccleſiam Romanam illa turbulentiſſima de inueſtituris orta eſt ſeditio. In qua vir ille in tantum armis ſtrenuus, conſilio prouidus, & Eccleſiæ Romanæ fidelis extitit, vt ei cum ceteris munitionibus, quæ Romæ ſunt, illam quoque, quæ illius vrbis videtur obtinere ſimilitudinem, turrim dico Creſcentij, quæ à parte Galliarum in capite Tiberini pontis ſita eſt, Papa committeret, & eum præ ceteris familiarem haberet. Hac occaſione mirabiliter excreſcens cotidie ſui melior efficiebatur, & diuitiis, poſſeſſionibus, honoribus augmentabatur. Inter ceteram ſobolem, cuius plurima multitudine ſexus vtriuſque à quibuſdam Antichriſtus gloriabatur, genuit hunc Petrum, de quo ſermo nunc eſt, qui litteris traditus, à quibuſdam Antichriſti præambulus appellabatur. Iſte ſtudij gratiâ Gallias atque Pariſius adiit, & cùm repatriaret, apud Cluniacum ditiſſimum atque ſanctiſſimum Cœnobium Monachilem habitum induit. Aliquantiſper inibi regularibus inſtitutionibus imbutus, à Papa Paſchali II. patris admonitione retrahitur ad Curiam, & Cardinalis effectus tempore Calixti Papæ, cum eodem Gregorio Legatus miſſus ad Gallias, Carnoti Beluacique Concilia celebrauit. Mortuo Honorio, potentiſſima fratrum ſuorum familiæque quàm maximæ numeroſitate fretus, & Portuenſis Epiſcopi cuiuſdam litteratiſſimi, & ſicut putabatur religioſiſſimi ſenis impetu animatus, Pontificatus culmen arripit, Cleri populique non parua conſuetudine ſibi conſentiente. Id in Eccleſia Dei ſeminarium maximi ſchiſmatis erat, & vt ſecularis ille Hiſtoriographus de aliis dicit, Res mala, ſpes multò aſperior. Gregorius autem, qui iuxta conſuetudinem Præſulatus aſſumpti Innocentivs appellatur, conſiliis ſuorum adquieſcens, nauimque conſcendens, à Roma diſcedens, Piſæ littoribus allabitur, & mox ab illa viciniſque ciuitatibus libentiſſimè ſuſcipitur. Dum hæc in Italia aguntur, Rex Lodovicvs Archiepiſcopos Remenſem, Senonenſem, Bituricenſem, Turonenſem, ſimúlque Epiſcopos Regni ſui, & Abbates Stampis conuocat. communicatóque conſilio Innocentium, quia & vitâ ſanctior, & famâ melior, & electione ſuperior apparebat, eum omni Regno ſuo Romanum Papam ſibique Patrem denunciat. Ad Gallias deſcendenti cum Philippo filio ſuo, apud Floriacum, ſancti videlicet Benedicti ſuper Ligerim ſitum Monaſterium, ſupplex obuiam venit, adclinis iuxta morem pedem oſculatur, vt Chriſti Petrique Vicarium lætus veneratur. Rex Angliæ Henricvs, qui tunc in Normannia morabatur, hoc exemplo prouocatus, vt eum videret Carnotum properat, & illum Papam ſuſcipiens maximis muneribus honorat. Statutum eſt in Curia hinc ad Patricium Romanorum Teutonicorum Regem iter dirigere, & de Carnoto ſtatione prima Mauriniacum hoſpitari. Cúmque ab aſtantibus dominis & amicis noſtris, Henrico Archiepiſcopo Senonenſi, & Gaufrido Epiſcopo Carnotenſi, loci huius paupertas oſtenderetur, & obiceretur, Papa noluit precantibus adquieſcere, & locum & Abbatem affirmat ſe benè cognoſcere. Ipſe enim cum ſuo illo aduerſario Petro, quando Legatione fungebantur in Gallia, hoſpicium ſumpſerat apud nos, & diebus duobus ſatis accuratè fuerat procuratus. Contigit Abbatem noſtrum & Garinum Priorem in Aquilina vltra S. Leodegarium ad loculum quorumdam Heremitarum tum eſſe. Fratres turbati ex inſperato nunciato tanti Pontificis aduentu, quippe qui importabilis eſſe videbatur, tum quia id vno ſolo præcedente die mandauerat, tum quia cum graui atque maxima multitudine ſuperueniebat: mittunt velociter ad Abbatem

A qui talia nunciet, & venire feſtinet. Abbas autem Priórque nocte illa aliò ire diſ- LVDOVICVS
poſuerant, & cùm ante lucem ſurrexiſſent, & per vnam leugam militaſſent, mira- VI. GROSSVS.
culum fuit, cùm Dei prouidentiâ ipſi nuncio noctis adhuc tenebris durantibus obuiaſſent. Accurrunt velociter, & iam penè ingredientem Mauriniacum dominum Papam ſuſcipiunt gaudenter, procurant ſolemniter. Altera verò die, (nam biduo apud nos manſit) Papam Curiámq; Abbas ſupplex adiit, quatinus altare quod erat ante Crucifixum conſecraret, humiliter poſtulauit & impetrauit. Anno igitur incarnati Verbi MCXXX. XIII. verò Kal. Februarij, à domino Papa Innocen- 1130.
tio II. in Eccleſia Mauriniacenſis Cœnobij conſecratum eſt altare ante Crucifixum, in honore S. Laurentij & omnium Martyrum Chriſti. Inter eas venerabiles perſonas, quæ huic ſanctæ conſecrationi affuerũt, venerabiliores fuerunt, Epiſcopi Cardinales, Guillelmus Prænestinus, Matheus Albanenſis, Ioãnes Hoſtienſis, Guido Tiburtinus. Cardinales Presbyteri, Ioannes Cremenſis de titulo S. Griſogoni, Petrus Rubeus de tit. S. Martini, Humbertus Rubeus de tit. S. Clementis, Gotielmus de tit. ſanctæ Ceciliæ. Diaconi Cardinales, Romanus de tit. ſanctæ Mariæ in Porticu, Haimericus Cãcellarius, Diaconus Cardinalis de tit. ſanctæ Mariæ nouæ, Guido de tit. ſanctæ Mariæ in Valara, Adinulfus Abbas Farfẽſis, Bernardus Abbas Clararum vallium, qui tum temporis in Gallia diuini verbi famoſiſſimus prædicator erat. PETRVS ABAILARDVS Monachus & Abbas, & ipſe vir religioſus, excellentiſſimarum rector Scholarum, ad quas penè de tota Latinitate viri litterati confluebant.
B Girardus Abbas vitæ æquè & litteratus & religioſus. Sanxon Abbas S. Luciani de Beluaco. Henricus verò Senonẽſis Archiepiſcopus iuxta domnum Papam in loco Capellani fuit. Gaufridus autem Carnotenſis Epiſcopus ad populum ſermonem fecit. His ita cum maximo tripudio peractis, luce tertia domnus Papa cum ſuo comitatu lætus diſceſſit, ac maximas gratias pro hoſpitalitate reddens, ad ſuum colloquium, quod apud Leodiam fuit, profectus eſt.

VBI Lotharius Rex Alamannorum, Patricius ac Imperator Romanorum, qui poſt Henricum illum, qui Romæ Paſchalem II. dolo captum incarcerauit, per electionem more gentis illius in Germania regnabat, cum omnibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Proceribus Regni ſui, Innocentium Papam Patrémque recognoſcit, & ſe cum eo Romam iturum, & in Sedem propriam reſtituturum ſacramento ſpopondit. Exindè rediens Innocentius ad Galliam, diúque Autiſſiodoro commoratus, cùm tempus conuocati Concilij, quod in feſtiuitate beati Lucæ Euangeliſtæ Remis celebraturus erat, appropinquaret, conciliato priùs apud Turonum GAVFRIDO MARTELLO nobiliſſimo & ſtrenuiſſimæ indolis adoleſcente, Comite Andegauenſium, Turonorum, atque Cenomannenſium, rurſus per Aurelianenſem, Stampenſémque rediens prouinciam, ſuâ præſentiâ Pariſius illuſtrauit. Ingredienti tota ciuitas obuiam iuit. Sic homo ille & comitate vultus, & affabilitate ſermonis, intuentium mercabatur beniuolentiam. A Rege LVDOVICO filióque eius PHILIPPO fauorabiliter excipitur, & egrediens ab vrbe
C honorabiliter educitur. Aſt, vt ille ait,

Omnia ſunt hominum tenui pendentia filo.

Inter enim huius lucidiſſimam proſperitatis ſerenitatem, ſubiti fulguris inopinatus caſus oboritur, qui corda omnium ſuæ nimietatis horrore concuteret, & non minus ſtuporis quàm doloris mentis obtutibus denſiſſimas tenebras offunderet. PHILIPPVS namque Rex & Regis filius amœniſſimus puerorum flos, annos plus minus quatuordecim à natiuitate, à conſecratione verò duos & ſex menſes habens, dum veluti puer Regius & totius Orbis dignus Imperio, quippe qui formâ corporis & egregia faciei ſimplicitate, præ cunctis mortalibus ſui temporis & ætatis eminebat, ſuper velociſſimum equum cum quibuſdam ſequipedis luderet, in ipſa vrbe, in angiportu quodam porcus occurrens ex aduerſo in pedes equi incurſantis irruit, & equum eum aſſenſore ſuper ſe deiecit. Comitibus præ timore huc illúcque diffugientibus, manibus pauperum perſonatum ad proximam domum delatus, membris omnibus penè confractis, die ſequenti vitæ ſpiritum vltimum exhalauit. Sic puer ille tener, & in quo Regni Francorum ſpes tota ſita erat, horrenda morte tormentatus rebus humanis exemptus eſt. Credi non poteſt quantum omnium Regem etiam minus diligentium mœror animos inuaſit. Pater eius iratus quibuſdam Vilcaſſini pagi Proceribus, qui ſuis imperiis non obtemperabant, de

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

ſibi ſubiectis ciuitatibus, caſtellis, lociſque ad rebellionem opprimendam compro- A
uinciales milites euocauerat. Denique dominum Papam Remim proficiſcentem,
Epiſcoporum, Abbatum, litterarorum, nobiliúmque Clericorum grandis nume-
rus, qui ſequebatur, ipſo die Pariſius aduenerat. Sic Ordinis vtriuſque, totiúſque
ſexus & ætatis multitudine congregata, luctus intolerabilis & eiulatus ſuſtollitur
ad ſidera, affectu naturali, vt in re huiuſcemodi fieri ſolet, aliis alios excitantibus,
corpus pueri ad Eccleſiam beati Dionyſij deportatum, ibíque ſepultum eſt. Multi
de Proceribus illius præ nimio dolore penè exanimes facti, ad ſua hoſpicia manibus
aliorum deportati ſunt. Incomparabilis formæ ſpecioſitas, & tam ſubitæ mòrtis
atrocitas, animis omnium neſcio ſi dicam miſeriam, vel miſericordiam ingerebant,
& doloribus augmentabant fomenta. Fuerunt, qui aſſeuerarent beſtiam illam, per
quam puer offocatus eſt, numquam comparuiſſe, & ideò aliquam de poteſtatibus
aduerſariis fuiſſe, à pluribus æſtimatum eſt. Talis huius Philippi ſimplicis & inno-
centis pueri, peccatis aliorum exigentibus, à præſenti vita ſicut reor inauditus exi-
tus fuit. Ceterùm mortis huius audito nuncio Papa præcordialiter permotus, mit-
tit à latere ſuo ad conſolandum Regem venerabiles Epiſcopos, Gaufridum Cata-
launenſem, & Matheum Albanenſem, qui ex Prioratu beati Martini de Campis
per Honorium Papam Romam vocatus, & ad Epiſcopatum fuerat ſubrogatus.
Initur conſilium, vt Rex quantociùs ad Concilium properaret, & LVDOVI-
CVM filium, qui poſt Philippum natus erat, ſubrogaret in Regem. Igitur Rex B
Ludouicus die Sabbati cum RADVLFO Vermendenſium Comite, qui ſibi co-
gnatus, & Maior Regiæ Domus erat, multiſque Francorum Proceribus, Conci-
lium ingreditur, Tribunal aſcendit, domini Papæ pedes oſculatur, iuxta quem
cathedra poſita ſedit, pauca pro filio defuncto perorauit, omnes ad lacrymas exci-
» tauit. Papa verò in Regem conuertens intuitum, ſic orſus eſt fari: Oportet,
» inquit, te, Rex optime, qui ſuper nobiliſſimam Francorum gentem tenes im-
» perium, ad illius ſummi Regis, per quem Reges regnant, Maieſtatem, men-
» tis oculos attollere, & eius voluntatem per omnia venerari. Ipſe enim guber-
» nat omnia qui creauit omnia, & omnium habens ſcientiam, in vniuerſitate re-
» rum nihil omninò vel facit, vel fieri permittit iniuſtè, quamuis multa fiant in-
» iuſta. Morem habet ille piiſſimus Dominus, ô bone Rex, fideles ſuos & pro-
» ſperitatibus conſolari, & aduerſitatibus erudire. Sicut enim in ſancta Scriptura
» legimus, quæ eius Epiſtola de cœlo per Spiritum ſanctum ad nos in terra poſitos di-
» recta eſt, ipſe percutit & medetur, & flagellat omnem filium quem diligit. Ego,
» inquit, occidam, & ego viuere faciam. percutiam, & ego ſanabo. Ne videlicet
» homo, qui ad imaginem Dei conditus reatu tranſgreſſionis ad huius mortalitatis
» tenebras deuolutus eſt, pro patria diligat exilium: ſed quantocius redire feſtinet
» ad illam, de qua peregrinatur in terris, cœleſtem ciuitatem ſanctam Hieruſalem,
» cuius fundamenta ſunt in montibus ſanctis, hoc eſt in Apoſtolis noſtris, quæ ſur-
» ſum eſt, quæ eſt mater noſtra. Aduenæ etenim ſumus, & peregrini, ſicut omnes G
» patres noſtri, nec habemus hîc manentem ciuitatem, ſed futuram inquirimus. In
» ea cum Deo perenniter exultant, qui carnales hîc concupiſcentias viriliter con-
» culcant. Ad eam filius tuus ſimplicitatis & innocentiæ puer emigrauit. Talium
» enim eſt regnum cœlorum. Dauid, ô Rex, qui bonis Regibus exemplar virtutum
» fuit, dum filius illius langueſceret, grauiſſimè plorauit: poſtquam verò mortuus
» nunciatus eſt, de cinere & cilicio in quo iacebat exſurrexit, veſtes mutauit, ma-
» nus lauit, ad conuiuium familiam conuocauit. Impoſſibile enim eſt non fieri quod
» factum eſt. & ſciebat vir Deo plenus quantum peccaret, qui diuinæ iuſtitiæ vel vo-
» to contrairet. Depone nunc igitur hanc, quam tibi carnalis generauit affectus,
» quam pectore vultúque geris, animi mœſtitiam. quia qui ſibi vnum ſecum regnatu-
» rum ſuſcepit, plures qui poſtea regnare poſſent tibi dereliquit. Debes etiam & nos
» conſolari, ſcilicet homines extraneos, & à propriis ſedibus expulſos, quos tu pri-
» mus omnium pro amore Dei & beati Petri in regno tuo honorificè ſuſcepiſti, ob-
» ſequiis honoraſti, beneficiis oneraſti. Reddat tibi Dominus vicem & perpetuam
» mercedem, Domine Rex, in illa, de qua glorioſa dicta ſunt, ciuitate, in qua eſt vita
» ſine morte, æternitas ſine labe, gaudium ſine fine. Huius orationis mirabili velut
antidoro ſaucium cor Regis, ſanctus Apoſtolicus deliniuit. Ac protinus ſurgens
in pedes, oratione Dominica, ſicut mos Chriſtianus exigit, dicta ſub ſilentio, pueri

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

A defunctianimam abſoluit. Dein Archiepiſcopos, Epiſcopos, Abbates, per obedientiam monuit, quatinus ſacris atque feſtiuis, ſicut erant in Conuentu, veſtibùs induti, die craſtina, quæ Dominica futura erat, ſeſe repræſentarent, & conſecrationi noui Regis intereſſent.

IGITVR eo die ſolito clarior ſol illuxit, & rebus agendis ſuum obſequium ouanter præſentare viſus eſt. Papa mane ſummo de Palatio Pontificis egrediens cum ſuis Curialibus & Archiepiſcopis, Epiſcopis & Abbatibus, ad Eccleſiam beati Remigij, vbi Rex cum filio hoſpitatus erat, perrexit, & cum magna deuotione atque proceſſione Monachorum decentiſſimè ſuſcipitur. Ibíque Romani Pontificis omnibus inſignibus indutus, ac vt ſibi conſuetudinis eſt in ſacris magníſque feſtiuitatibus, Frigio coronatus, innumera Eccleſiaſtici atque militaris Ordinis, plebíſque multitudine conſtipatus, ad Eccleſiam matricem, quæ in honore beatæ Mariæ conſecrata eſt, cum puero conſecrando peruenit. Ante fores Eccleſiæ eos expectabant Rex, Proceres eius, Archiepiſcopi, quidam Epiſcopi, Abbates, Monachi, Canonici, Clerici, conſcholaſtici, qui de diuerſis Galliæ ac Germaniæ partibus ad Concilium confluxerant. Intrant Eccleſiam, puerum ad altare præſentant, & oleo quo ſanctus Remigius per Angelicam manum ſibi præſentato CLODOVEVM Regem Francorum in Chriſtianum vnxerat, puerulum decem annos plus minus habentem cum ingenti tripudio dominus Papa
B conſecrauit. Fuerunt qui dicerent numquam in Francia ſimul eueniſſe Concilij celebrationem, & ab ipſo Romano Pontifice factam Regis conſecrationem. Itaq; Rex Ludouicus ſumpta poſt lamentationem conſolatione, cum coniuge & filio & Curia ad tractanda Regni negocia reuerſus eſt. Ceterùm die craſtina domino Papæ in Concilio reſidenti per quendam Madeburgenſem Archiepiſcopum præſentatæ ſunt Litteræ à Lothario Rege Alamannorum; in quibus rurſus & obedientia promittitur, & quòd ſe ad expeditionẽ cum iuribus omnibus Regni ſui præpararet intimatur. Similiter etiam Rex Anglorum Henricus per Hugonem Archiepiſcopum Rothomagenſem, & ornatiſſimas Litteras miſit, & fidelem obedientiam promiſit. Reges quoque citerioris Hiſpaniæ, ſenior HILDEFVNSVS, & interioris iunior HILDEFVNSVS, miſſis per Epiſcopos ſuarum prouinciarum Epiſtolis Papam ſalutant, ſeſe filios & obedientes denunciant, auxilium contra Chriſtiani nominis inimicos, & regionum illarum inuaſores Morabites ſuppliciter efflagitant. Fuerunt ſiquidem & lætitiæ & admirationi ad id negocium pertinentes excellentiſſimorum Heremitarum Cartuſienſium Litteræ, quæ per quendam venerabilem Abbatem de Ordine Ciſtellenſi delatæ, & in Concilio per Gaufridum Carnotenſem Epiſcopum recitatæ ſunt. Erant autem Cartuſienſes in iugis Alpium Angelicam degentes vitam, ſupereminentiſſimæ religionis & incomparabilis auctoritatis viri. Et quoniam nos vtilitati poſterorum damus operam, Epiſtolam eorum Opuſculo huic inſerere decreuimus. Eſt autem huiuſmodi.

C DOMINO *& Patri cariſſimo & reuerentiſſimo Apoſtolicæ Sedis ſummo Pontifici* INNOCENTIO, *ſerui & filij Cartuſiæ pauperes illam quam mundus dare non poteſt pacem, ſuaque paruitatis deuotam ſeruitutem, & licèt non neceſſarium obſequium. Multas ad veſtri Apoſtolatus ſacras aures preces, multas pro Eccleſia Gratianopolitana diſponebamus offerre ſupplicationes, cogentibus eiuſdem Eccleſiæ Clericis, & præcipuè cariſſimo omni & veneratione digniſſimò Patre & Epiſcopo noſtro, qui quod ſine lacrymis non ſcribimus, diſſolutus morbis & ſenio inter defunctos quantum ad Epiſcopale ſpectat officium, poteſt adnumerari. Sed diuina vt credimus miſeratione prouenit, à viro venerabili, & circa veſtra ſerenitatis obedientiam valde deuoto Abbate Pontiniacenſi, noſtram exiguitatem interim viſitari. Cuius auribus cuncta quæ conceperamus infudimus, efficaciùs & pleniùs viua voce veſtris conſpectibus inferenda, & quia ſemel & nihil ſimus, fortè non ſine præſumptionis periculo, cœpimus loqui ad Dominum noſtrum, rogamus ſupplices & obſecramus admonere vel exhortari minus idonei, quatinus in omnibus quæ Romana veſtris diebus vel patitur vel facit Eccleſia, nequaquam terreamini. Sed magis confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius, inſuperabilibus armis munitus, quæ ſuis commilitonibus ex copiis vniuerſalis Imperatoris beatus offert Apoſtolus, ſcuto ſcilicet fidei, & galea ſalutis: & qui non membra, ſed errores & vitia trucidat, gladio ſpiritus. Nunc enim reuera non aduerſus carnem tantùm & ſanguinem, quæ regnum Dei non poſſidebunt, ſed aduerſus rectores tenebrarum & ſpiritales nequitias pugnandum eſt & pugnatum. Nam quid aliud*

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

Petrinam duritiam & Leoniam rabiem, quæ aduerſatur & extollitur aduerſus Principis A
Apoſtolorum Vicarium, niſi diabolica nequitia, inſpiratio viperea ta[m] atrociter concita-
uit? Quid aliud inueteratum dierum malorum, Engoliſmenſem videlicet GERARDVM,
niſi veterноſa cupiditas, & ambitio diabolicis immiſſa ſuggeſtionibus, contra Catholicam
pacem & veritatem tam impudenter, támque pertinaciter ire coëgit? Quid niſi ſerpenti-
na calliditas per humanam mutabilitatem aditum nocendi reperiens, tam deteſtandi ſchiſ-
matis, flendis auctoribus, ex his quoque, de quorum ſcientia præſumebatur, & fide pluri-
mos copulauit? Sed hæc religioſos animos, & in Catholica veritate fundatos, tantò minus
mouere, tantóque minus terrere debent, quanto ſunt & ab ipſo Domino longiùs ante præ-
dicta, & à miniſtris iniquitatis crebriùs temptata, & à veritatis ſectatoribus numeroſiùs &
feliciùs ſuperata. Quis enim anumerare ſufficiat, quotiens Apoſtolica fides atque conſtan-
tia, ipſo qui eam dedit prædicente, & prædicendo roborante, non ſolùm non defectura, ſed
alios confirmatura: Quis, inquam, numerare ſufficiat, quotiens & poteſtatum ſeculi cru-
delitatibus ſit impugnata, & ſchiſmaticorum atque hæreticorum inſidiis & fraudibus impe-
tita? Quare autem ab eo, quo permittente vel iubente cuncta fiunt, aliquid aliquando poſſe
permiſſi ſunt, ita vt infirmi quaterentur, fortes exercerentur, imperiti erudirentur, ſapien-
tes oſtenderentur, & vniuerſaliter boni coronarentur, mali condemnarentur. Nunc quo-
niam ſacri pectoris intentionem à melioribus auocatam & diuinioribus, diutius quàm de-
cuit noſtris tenuimus ineptiis occupatam, veſtræ Maieſtatis pedibus aduoluti, pro cunctis,
ſed maximè pro nouellis Religionibus, Ciſtercienſi ſcilicet ac Fonteuraldenſi, necnon pro
vniuerſo mundo preces offerimus. Non enim pars vna, ſed totus potiùs Orbis eſt veſtra B
diœceſis. Nam ſicut Deus eſt vnus, mediator vnus, mundus vnus, ſol vnus, & vt mi-
nora inſeramus, in animalibus cunctis caput vnum: ita beati Petri Vicarius, id eſt Papa,
non poteſt eſſe niſi vnus. Vniuerſo itaque mundo rigorem diſciplinæ, rectitudinem iuſtitiæ,
lumen doctrinæ, & ipſius, quam nomine quoque præfertis, incomprehenſibilis debetis exem-
plar eſſe innocentiæ. Nam ſicut in hoc viſibili mundo lux eſt tenebris, & calor contrarius
frigori, ita veſtra totius ſeculi peccatis innocentia, erroribus ſapientia, luxuriis temperan-
tia, aduerſitatibus tolerantia, & vitiis eſt obiecta iuſtitia. Vt dum ab vno vincitur vnus,
id eſt à beati Petri Vicario mundus, quo ſine multitudinis viribus fuerit parta victoria, eo
maior Deo, cuius eſt totum, honor reddatur & gloria. Per Dominum noſtrum IESVM
CHRISTVM, qui cum Deo & Spiritu ſancto viuit & regnat Deus, per infinita ſecula
ſeculorum, amen.

PROLOGVS IN III. LIBRO HISTORIÆ.

SICVT verbo Verbi humana edocetur infirmitas, non ideo ab aliquo
lucerna accenditur, vt in abſcondito, vel ſub modio celanda ponatur.
Et ſine dubio diuinæ pietatis munificentia idcirco iuſtitiæ rigorem mor- C
talibus quibuſdam impertit, vt de intimis animæ penetralibus per bo-
norum operum inſtantiam in patulum prodiens, eorum qui in circuitu ambulant vi-
cioſam tortitudinem audaci inuectione reprehendere poſſit. Hinc eſt, quòd diuina
ſapientia beatum illum virum ſecundum nouercalem vultuoſi Pharaonis promul-
gationem, in enigmatico tenebroſæ Egypti flumine violenter expoſitum, piæ proui-
ſionis intuitu reſeruari voluit. Cui ſacramentis altioribus imbuendo, rubum abſque
conſumptionis paſſione ardentem oſtenderet, per quem multorum ſignorum noua
oſtenſione inimicantis Pharaonis cor durum & impœnitens emolliret. Cui populi diu
exulantis oneroſum ducatum committeret. Ad cuius nutum marinus fluctus cederet,
petra percuſſa contra conſuetudinem latices miniſtraret. Quem repulſa cetera multi-
tudine in montem euocans, familiaris collocutionis Priuilegio inſigniret. Cui Tabu-
las teſtamenti cœleſti arcano conſecratas traderet, per quem populo veteri toga recen-
ter exuto nouas ſacrificiorum ſpecies ederet, moréſque gentis ſibi conſecratæ bonita-
tis ſuæ modulo innormaret. Multa ſunt, inquam, huiuſmodi ſpecula, quæ nobis

A *ipſa propoſuit. Quæ ſi humana fragilitas iugiter ante oculos habeat, ex eorum* LVDOVICVS VI. GROSSVS.
conſideratione accipiet, quomodo temptationum laqueos fugiat, & ex imitationis
veſtigio qualiter in bonorum operum perſeuerationem adſurgat. Igitur cuiuſlibet
ſancti hominis in hac vita poſiti debet conuerſatio inſpici, ex qua vtilis poſſit imita-
tio adſumi. Ex quo autem terreſtris domus huius habitationis diſſoluitur, opus eſt vt
eiuſdem memoria obſoleſcere non ſinatur. ſed quamuis eum à ſeculo diſpenſatoria
mors abſentet, pro religioſis tamen operibus honeſtæ opinionis ipſam fragrantiam
repræſentet. Ego itaque iuxta debilem mei ingenij tenuitatem ordinem Hiſtoriæ
proſecuturus, imprimis Abbatis THOMÆ *facio mentionem, qui etiamſi humani*
oris laudè non recolitur, pro ipſo tamen opera eius loquuntur. Hic igitur Thomas ex
humili deſcenderat femore, ſed ipſam naturalem pauperiem redimebat morum non
mediocri honeſtate. Qui cùm feruentiſſimè ad Dominicum aratrum manum mi-
ſiſſet, & eum poſt HVGONEM *ad obtinendum loci huius regimen cæleſtis diſpen-*
ſatoris prouiſio ſubrogaſſet, non tantùm voluit præeſſe quàm prodeſſe. Menibrque
illius dicti Prophetici, Virga tua & baculus tuus ipſa me conſolata ſunt;
B *& virgam in diſciplina tenuit, & baculum in conſolatione non dimiſit. Tan-*
to diſcretionis temperamento vtraque menti eius inſederant, & iuſtè conſulens
miſericordia, & piè ſæuiens diſciplina, vt neque multa aſperitate ſubditos exulce-
raret, neque nimia lenitate diſſolueret. Huic autem viro multimoda diuinorum do-
norum gratia inerat, quem inter cetera ſermo ſcientiæ eminentiori prærogatiua or-
nabat. Ipſius verò ſcientiæ dono in modum ocioſi ferramenti vti nolebat, nec fru-
ctum emolumenti, quod ex ipſo eſt, in ſola eius poſſeſſione conſtituebat. Tota erat
eius ſedulitas circa cultum diuinum, tota circa procurationem Fratrum. Quid
plura? tempore ſuo Ordinis rigorem viriliter obtinens, ædificia de paucis in pluri-
ma, de minimis in maxima transfigurans, non habita ſapienter adquirens, adqui-
ſita fideliter diſpenſans, diſpenſata ſtrictiſſimè conſeruans, vſque in hanc diem cele-
bre nomen adeptus eſt. Et vt verè dicam, iſta laus ei aſcripta parua videbitur, ſi in
cordis trutina cum multitudine operum appendatur. Porrò ne vini acumen aqua im-
mixta conſumat, & modicum fermentum totam maſſam corrumpat, hæc pauca
quæ de ipſius laude præloquimur, inter noſtri ſermonis ruſticitatem & locutionis
ſuæ celſitudinem loco idus habeantur.

C

EXPLICIT PROLOGVS.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

EO igitur tempore, quo INNOCENTIVS Honorio decedente ad agendas vices Apoſtolieas recenter promotus, poſt ſolemnem Concilij celebrationem à Francia repedauit, GVILLELMVM Pictauorum Comitem ad S. Iacobum peregrè profectionem aggreſſum aſpera infirmitate detineri, & vſq; ad mortis difficultatem contigit perduci. Hic itaque cùm à Deo prouiſa fatalis filiocacio propinquaſſet, & ineuitabilem ſpiritus exalationem ſibi imminere conſpiceret, terræ ſuæ Proceres & Optimates accerſiens, eos coactitio iuriſiurandi vinculo conſtrinxit, vt filiam ſuam LVDOVICO Regis Ludouici filio copularent, & Terram ſuam ambobus ſecundum conſuetudinem connubij manciparent. Ipſe verò Guillelmus rebus humanis exemptus, in eadem Eccleſia beati Iacobi eſt tumulatus. Enimuerò prædicti Regis filius nomine LVDOVICVS iuuenis erat corporis elegantiâ clarus, morum honeſtate & religione magnificè præditus, ſenſus & ſapientiæ viuacitate acutus. Hunc, vt ita dicam, ſapiens ille artifex inter alios coætaneos ſuos

LVDOVICVS VI. GROSSVS. quaſi floſculum redolentiorem protulerat, qui futuri in ſe valoris in ipſa primæ A ætatis teneritudine iam manifeſtè indolem præferebat. Igitur imminente deſtinatæ ſibi Virginis ductione, pater Ludouicus itineri neceſſaria præparat, & vt tanta res citò effectui mancipetur elaborat. Imperialis itaque edicti taxatione vbique publicata, militum agmina non parua properanter conueniunt, & ad ampliationem Regij comitatus vrbes & oppida ſuorum multitudinem habitatorum emittunt. Inter quos erant præcipui & famoſiſſimi Optimates, Theobaudus Comes Bleſenſis, Radulfus Vermendenſis, Guillelmus Niuernenſis, Rorrodus Perticenſis. Iſti ex propria & Regis voluntate copiam militum ſuorum adduxerant, Regique vt Domino ſuo honorem & reuerentiam exhibebant. Erat etiam inter eos Gaufridus Carnotenſis Prouinciæ Epiſcopus, ſcientiæ quidem litteralis non indigus, ſecularium quoque negociorum diſpoſitor ac tractator famoſus. Hunc præcedentes Apoſtolici amicum ſemper & familiarem habuerant, & pro valoris vel elegantiæ, qua præditus erat, magnitudine, totius ei Aquitaniæ Legationem indixerant. Igitur iter à Galliis promouentes, Burdegalis veniunt, ibique ad celebrandas Regales nuptias celebriores apparatus fiunt. Nec Ludouico præcedens militum adunatio ſufficit, inſuper & Pictauorum multitudinem immenſam accerſit. Indicitur omnibus communis lætitia ex communis Domini glorificatione abſtracta. Sine menſura & numero omnes ſe præſentant & exhibent, quaſi in Regalium loculorum vacuationem vnanimiter coniuraſſent. Quàm multimoda ibi expenſarum facta fuerit munificentia, vix Tullij ore proferri, vel Regalium ferculorum & deliciarum precioſa varietas illa memorabili Senecæ poſſet memoria B comprehendi. Igitur vniuerſis Aquitaniæ Pontificibus cum Archiepiſcopo ſuo GAVFRIDO aſtantibus, LVDOVICVS eſt puellæ nomine AENORDE legali vinculo ſociatus. Ibique vterque eſt impoſitione aureorum diadematum inſignitus. Ibi etiam Ludouicus fidelitatum & homagiorum pacta accepit, & in proprio habere cœpit. Sed quia diem nox premit, & crebrò mutantur vices felicitatis humanæ, fortuna, quæ ſibi in magnifica illius honoris gloria hilaris ac læta adriſerat, demum vultus ſui deceptorium colorem mutauit, & importuno luctu extrema gaudij occupauit. Omnibus enim adhuc illius delicioſæ epulationis plenitudine & lætitia diſſolutis, ecce Legatus pernici curſu delatus aduolat, & Ludouicum Regem, qui diu graui diarria laborauerat, vitam Pariſius finiſſe denunciat. Huius Regis vita vel probitas ideò à nobis non exponitur, quia adhuc in mentibus hominum per memoriam ſcripta eſſe videtur. Si quis verò infirmitatis illius, qua decubuit, anguſtiam, vel Chriſtianæ confeſſionis eminentiam, quam viuens tenuit, motiturus edidit, aut ipſius mortis modum, precioſum etiam ſepulturæ locum pleniùs ſcire deſiderat, quaſdam Lectiones, quæ à SVGGERIO viro ſapienti editæ in eius anniuerſario leguntur, ſtudioſè reuoluat. Porrò nobis ad ſuperiora redeundum eſt.

LVDOVICVS VII. IVNIOR. AVDITO itaque, vt ſuprà diximus, fine patris, tener ille animus noui ſponſi C ſine menſura confunditur, & exuto indumento lætitiæ tunicâ mœroris veſtitur. Eique vnius amiſſio magnum dolorem incuſſit, quem alterius ſuſceptio valde lætificauit. Et quem coniugalis copulæ inexperta lex in aliena fecerat proficiſci, hunc genitalis dulcedinis memoria cogebat in natiua reuerti. Communicato itaque cum Proceribus & ſapientibus viris de neceſſitate reuerſionis cōſilio, omnium ſententia & deliberatio eſt, vt in partes Galliarum feſtinatò ſe conferat, ne minoribus inhærendo maiora amittat. Sed quia mentem eius coniugalis remordet affectus, aliquem præſtantiorem virum prouidere placet, cui vxoris ſuæ cuſtodiam Regiæ poteſtatis præceptione interminet. GAVFRIDVS Carnotenſis Epiſcopus eligitur, eique ipſius Dominæ cura & neceſſitatum prouiſio ex toto indicitur, quoadusque pro amborum requiſitione ab ipſo Rege nuncius remittatur. Ab Aquitania itaque Ludouicus diſgrediens, quæ inter alias eminentior eſt vrbes, Pariſius petiit, ibique hereditali ſibi lege debitum Regni imperium ſuſcipiens, ſine alicuius contradicentis refragatione poſſidens gubernauit.

PRÆLIBATVS verò Innocentius, de cuius electione & aliquantis operibus ſuperiori Libro pleniùs digeſtum eſt, à partibus Galliarum ſecedens, Romam vnde venerat intrauit. Sed quia PETRVS iniuſtus conuicarius maximam partem ſibi ſociauerat ciuitatis, in illo temporis puncto plenitudinem debiti ſibi honoris

Lvdovicvs VII Ivnior.

A adipiſci non potuit. Imò quodam modo bipertito Apoſtolicæ dignitatis culmine, Innocentivs Eccleſiam beati Petri, in qua diuini Sacerdotij dignitas pendebat, ſolus per ſe obtinuit, Petrvs verò Lateranenſis Palatij ſedem, ad quam Imperialis Celſitudo pertinet, occupauit. Exindè cœptæ venenatæ illius diſſenſionis iam manifeſtior vbique amaritudo diffundi, & tota ciuitas euidentioribus odioſi ſchiſmatis riuulis diſſipari. Iam nunc verum videbatur illud ruſticanum prouerbium: Difficile eſt, vt vnius habitaculi circulus lupum ſimul & agnum contineat. Porrò quia illa diſciſſio niſi citò finem ſuſciperet, populo, vrbi, dignitati, maximi damni occaſio fieret, Innocentius violentiæ locum præbens, ſaniori conſilio accepto, Piſam ſe contulit. Erat ſanè in illo perſecutorum tumultu Engoliſmenſis quidam Girardus nomine liuoris incitamentum, radix peccati, malitiæ nutrimentum. Huius hominis fretus ſuffragatione Petrus honorem illum arroganter rapuerat, & iniquitatem, quam per illum ſine ratione inchoauerat, ipſo inſtimulante ducere ad perfectionem volebat. Girardus iſte multos quidem iam annos exceſſerat, ſed adhuc iniquitas potiſſimum in illo florebat. Illi ſemper iurgia & diſſenſiones placuerant, & expulſis omnibus bonis affectibus eius animum quaſi iure hereditario poſſidebant. Tali itaque vicio in conſuetudinem adducto iam carere non poterat, quia mala opera ſua, quod vltimum eſt malorum, amabat. Et idcirco ex hoc vicio, in quo diu iacuerat, ablui difficile erat, quia non inquinatus,
B ſed infectus erat. Hic ergo quia Petro, eiúſque complicibus, iniquitatem ſuam prauis ammonitionibus malicioſè affricuerat, eos contra Innocentium ſemper acriores reddebat. Innocentius autem tam diu Piſæ demoratus eſt, quoadúſque Petrus Apoſtolicæ Sedis dignitatem morte terminante reliquit. Et tunc Romam regrediens, & ſuæ & alterius partis fauore & acclamatione honorificè ſuſceptus, & in ſummi Pontificatus honorem glorioſè eſt ſublimatus. & quod priùs ex parte tenuit, ex toto poſſidere perfectè & integrè cœpit. Qui poſt illi vſque inter ipſum & Petrum fuerat altercationis placationem vniuerſalis Eccleſiæ principale Concilium Romæ aggregat, vt in ipſo imminentes Eccleſiæ neceſſitates decenter ordinet & diſponat. Facto igitur incomparabili omnium Prælatorum conuentu, ipſe vt erat habitus precioſitate excellentior, ipſius etiam faciei aſpectu aliis reuerentior: vt etiam doctrinali litteratum ſcientiâ eminentior, de rebus quæ opportuniores videbantur tractaturus, inter alios adſurgens ita exorſus eſt. Ad vos, inquit, ſermonis mei ſumma ex toto dirigitur, qui non ſemen Chanaam, ſed heredes ſpeciales eſtis, & filij Excelſi omnes. Qui pro diuinæ genituræ ſignis armillam continentiæ, baculum rigoris & iuſtitiæ, anulum perfectionis à vero Iuda ſuſcipientes, ea per diſcretionis modum in brachio, in manu, in digito geſtatis, & qui vnus cum Deo ſpiritus effecti, nihil aliud ſapitis. Vos, inquam, quorum aſtuta prouiſio ſuper curam animarum inuigilat, quibus ipſius autenticæ nuncupationis dignitas proprietatem operationis inoculat. Noſtis, quia Roma capút eſt mundi, & quia à
C Romani Pontificis licentia Eccleſiaſtici honoris Celſitudo quaſi feodalis iuris conſuetudine ſuſcipitur, & ſine eius permiſſione legaliter non tenetur. Scitis etiam, quia eiùs proprium eſt, vt diſſentientes pacificet, & confuſa ſapienter diſponat & ordinet. Porrò, impoſſibile eſt, vt vnguentum in barbam deſcendat, ſi in capite non redundat. Debile namque caput totum dat debile corpus. Neque in vſu eſt, vt quemlibet ægrotum ille medicus curet, quem eiuſdem infirmitatis cruciatus tenet. Et ſi à Deo per malitiam Pontifex ſummus diſiungitur; vix effici poteſt vt per eum Deo alij reconcilientur. Igitur quotienſcumque veternoſus hoſtis contra pacem à Deo in terra hominibus bonæ voluntatis datur, & aduerſus canonica inſtituta venenoſum caput conatur attollere, totiens ab illa forti muliere, quæ à Salomone commendatur, zelo iuſtitiæ conteri debet, ne ſi prim'o aut ſecundo conflictu impunè ſuperauerit, pernicioſiùs poſtmodum inſoleſcat. Longè etenim ante nos dictum eſt, venena inuidiæ poſſe quidem ratione ſuperari, ſed difficile conquieſcere. Quæ dum ſæpè auditu percepta cognouimus, nunc ea tamen ipſo effectu manifeſtante experti ſumus Et quod ſine lacrymis dicendum non eſt, eo vſque ſeruati ſumus, vt viderimus fas omne calcari, poteſtate pro iure vti, patriæ leges ſolui, negari ius viuentibus, pacem ciuibus, diuini cultus obſeruantiam præuaricari. Oportuerat denique vberiori quadam deploratione & miſerrimo eiulatu præire nos funus quoddam maternæ ſolemnitatis, & velut quaſdam exequias pro-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ſequi diuini myſterij intermiſſa obſequia, prouocante nos præſumptuoſo quorum- A
dam inſtinctu, qui non intelligentes menſuram ſuam: ſed ſicut Nemroth quondam confuſionis turrem contra Dominum erigere conatus eſt, ſic iſti contra
» Deum, quia Spiritus ſanctus Deus eſt, & aduerſum Chriſtos eius ceruicoſitatis
» ſuæ profanum tumorem moliti ſunt attollere, & ſegregati inter ſe diuerſitatibus
» errorum, quaſi per diſſonantiam linguarum ab vnitate Eccleſiæ diuiſi, in Spiritum
» ſanctum offenderunt: quia vnitatem cum fratribus non tenentes, caritatis gratiâ
» priuati ſunt. Qui enim Eccleſiæ non diligit vnitatem, non habet Dei caritatem.
» Verba ſiquidem Auguſtini teſtantur, quoniam quiſquis à Catholica Eccleſia fue-
» rit ſeparatus, quantumlibet laudabiliter ſe viuere æſtimet, hoc ſolo ſcelere quòd
» à Chriſti vnitate diſiunctus eſt, non habet vitam in ſe, ſed ira Dei manet ſuper eum.
» Eorum igitur qui tales ſunt, improbanda temeritas noſtri liuoris, imò iuſtæ indi-
» gnationis incentiua cauſa extitit, qui ruptis diuinæ ordinationis vinculis, Sacerdo-
» talis reuerentiæ curam non habentes, tanti nominis auctoritatem, & ſpiritualis
» gratiæ poteſtatem proſternere, & adnihilare temptauerunt. Eò per ſe aſcen-
» dentes, quò nec canonicarum auctoritas inſtitutionum prouexit, nec rationabi-
» lium virorum voluntas permiſit. Igitur quia præcepta diuinæ legis, & ſanctorum
» Canonum inrefragabiles ſanctiones ferramenta fuerunt in pace Eccleſiæ, arma
» eſſe debent in tempore belli. Et quæ diu intacta remanſerunt, in tam exitiali ne-
» ceſſitate feſtinanter arripienda ſunt.

His & huiuſmodi adſertionibus domnus Apoſtolicus ceteris Prælatis diuini B ſermonis fauos impertiens, omnibus propatula ratione oſtendit, quòd Petrus Leonis non aliorum aſſentatione, imò rapinâ ſe Apoſtoli Petri Vicario feciſſet æqualem. Cunctiſque religioſis viris, quibus illud deteſtabile ſchiſma diſplicuerat, ver-
» bis eius cum magna laude vnanimiter adclamantibus, reſpondit: Vnde quia in-
» ordinatæ perſonæ inordinata ſunt decreta, quodcumque ille ſtatuerat deſtruimus,
» quoſcumque exaltauerat degradamus, & quotquot conſecrauerat exordinamus
» & deponimus. Et quicumque per Girardum Engoliſmenſem ad altaris officium
» acceſſerunt, Apoſtolica auctoritate interdicimus, ne ipſum impleant, & in illo
» ordinis gradu perenniter demorantes, ad ſuperiorem non aſcendant. His dictis, ſingulos quos reos cognouerat propriis nominibus exprimens, eiſque cum indignatione & iurgio exprobrans, paſtorales baculos de manibus violenter arripuit, & Pontificalia pallia, in quibus ſumma dignitas conſiſtit, de humeris verecundoſè abſtraxit. Ipſos quoque anulos, in quibus ad ipſos pertinens Eccleſiæ deſponſatio exprimitur, ſine reſpectu miſericordiæ abſtulit. Gaufridus etiam Carnotenſis Epiſcopus, vt ſuprà dictum eſt, totius Aquitaniæ Legatus, accepta Domini Papæ præceptione, omnem Galliæ regionem, ipſius quoque Aquitaniæ, ſtudioſè circuiens, omnia ſanctarum Eccleſiarum altaria, quæ vel Girardus ille ſeditionis auctor & obtentor, vel Gilo Tuſculanenſis Epiſcopus, aut eorum complices, chriſmalis vnctionis benedictione in illius odioſi ſchiſmatis tempore conſecrauerant, propriis C manibus diſſipauit, nec relinquens lapidem ſuper lapidem, quem non deſtrueret, ſolo funditus adæquauit, & ratione dictante alia eorum loco reſtaurare curauit. Ab illius prædicti Concilij ſpeciali conuentu Abbatem THOMAM pro cuiuſdam neceſſitatis euentu contigit abſentari. Vnde & aſſumpta occaſione ab Archiepiſcopo HENRICO ſuſpenſus eſt, quamuis Rex LVDOVICVS eidem Archiepiſcopo pro illo excuſatoriæ Epiſtolæ ſuffragium delegaſſet. Sed poſt aliquot dierum euolutionem, quidam Eccleſiæ Monachus Bartholomeus nomine, ſapiens, & nobilium proſapiâ oriundus, Archiepiſcopum adiens, & tam precum inquietatione, quàm rationis demonſtratione eum placabilem Abbati reddens, vt iterum paſtorale officium exequeretur, ab eo meruit impetrare. Reuertens denique quod egerat nunciauit, omnéſque Mauriniaci Monachos valdè lætificans, Abbatem locum ſuum recuperare coëgit. Erat verò idem Bartholomeus veterum Stamparum tunc temporis Prior, & cum impetratione veniæ erga Abbatem in illo itinere ab Archiepiſcopo petiit, vt redditus Eccleſiæ S. Martini, qui determinatus tunc ad VI. libras erat, vſque ad XV. libras augmentaretur. quod & ab ipſo libenter obtinuit. Abbas autem frequentium moleſtiarum, quæ illatæ fuerant, iniuriâ fractus, túncque inſurgentium negociorum & perſecutionum violentiâ deſolatus, non diu in reddito honore permanſit. Quoniam cuiuſdam ODONIS

A NIS profeſſi noſtri tunc ſancti Remigij Abbatis conſilio prauo infatuatus, ſine acceptione Pontificalis licentiæ, ſine Conuentus ſibi commiſſi adſenſu & permiſſione, Abbatiæ ſuæ curam deſerens, apud ſanctum Martinum de Campis, quæ Eccleſia rigore Ordinis tunc famoſiſſima erat, gratiâ ſecretioris vitæ, & ſpiritalis quietudinis appetendæ ſeceſſit. Thomâ igitur à Monaſterij huius regimine taliter circa mediam Quadrageſimam abſentato, diu fuimus pupilli abſque Patre, & mater noſtra quaſi vidua. Audiens verò Rex Thomæ eliminationem, Abbatiæ deſolationem, & futurum niſi citò ſubueniretur Ordinis detrimentum, ne Eccleſiam prouiſoris ſolertiâ nudatam onus indigentiæ, vel importuna pauperies defatiget, vt efficaciæ noſtræ negocium electionis adproximet, magno ſtudio promaturare ſatagit & indulget. Qui licèt iuxta ſeculares, qui lippi ſunt, oculos, operam daret operi pio, non tamen iuſtè, & ad noſtræ Eccleſiæ honorem ab ipſo fiebat ipſius operis executio. Abbatiam enim liberam, & à tempore aui ſui per liberalitatem VVlgrini ab omni obnoxietate emancipatam, in illo iam proximæ electionis articulo poteſtatiuæ coactionis diſtrictione ad hoc temptauit pertrahere, vt Monachi noſtri in electione ſua liberam vocem non haberent, ſed vt ſubiugales Abbatem, qui per manum aliorum & conſiderationem eis eſſet impoſitus, ſuſciperent. LVDOVICVS VII IVNIOR.

HVIVS igitur violentiæ causâ explendæ, mittuntur ad nos ODO S. Remigij,
B & Ioſcelinus S. Petri Milidunenſis Abbates, & hi ſecum Litteras Regiæ voluntatis indices aſportabant. Voluntas verò Regis hæc erat, vt quemcumque Monachum de Conuentu beati Martini nobis nominaſſent, excluſo omni dilationis auſu loco Thomæ ſubrogaremus. Iamiam venerat tempus ad implendum Regis Imperium acceptabile, ſed non ad honorem noſtrum dies ſalutis. Iamiam de eligendo tractabant, cùm Rex ſummus, cui ſeruire regnare eſt, terreni Regis ordinationi ſuam prætulit, & quod fieri præceperat euentu ſubito deturbauit. Adlatæ ſunt enim in præſentia Abbatum Senonenſis Archiepiſcopi nobis vtiles Litteræ, quæ electionem ſi facienda eſſet interdicerent, ſi facta, ad nihilum deducerent. Continebatur quippe in illis Litteris iuſta & rationabilis eiuſdem Archiepiſcopi querimonia, ſuper hoc quod Thomas Abbatiæ regimen, quod per ipſum acceperat, ſine eius licentia, & ſine Fratrum ſibi ſubpoſitorum adclamatoria conſenſione ſubitò ſtultè & inconſultè reliquerat. Huius Archiepiſcopi tunc temporis erga nos maxima beniuolentia erat, & ideò etiam Rege nobis aduerſante, partium noſtrarum vtilitatem fouebat. Secundò dirigit Rex ad nos amplæ famæ perſonas, NATALEM Cancellarium ſuum Raſbacenſem Abbatem, ALVINVM Atrabatenſem Epiſcopum, Magiſtrum HVGONEM DE S. VICTORE in litteratura Magiſtros etiam plurimos excedentem; graui præceptione interminans, vt ad illorum diſcretionem noſtra electio penitus pendeat, & vt illorum conſiderationi noſter Conuentus obtemperare non negligat. Nos verò linceis oculis quid
C nobis neceſſarium eſſet intuentes, propalauimus nos non eſſe filios ancillæ, ſed liberæ; & contra contrariam opinionis ſuæ valentiam procedentes, ora eorum, vt ita dicam, præloquendo obſtruſimus, quaſi pari conclamantes adſenſu, nos MACHARIVM Priorem de Longoponte in Abbatem & Patrem nobis eligere. Prior autem ille nepos erat ALBERICI Hoſtienſis Epiſcopi, in quo adeo probitatis & ſapientiæ pullulauerat, & vſque ad perfectionem excreuerat ramus, vt Regi & Optimatibus Franciæ familiaris haberetur.

TALI igitur ac tanto viro à nobis electo, quia magnæ erat auctoritatis, qui pro coactione venerant non auſi ſunt aliquatenus refragari. Sed quem pro adipiſcenda libertate adſumpſeramus, ipſa conſeruata accepimus. Transfretato igitur tanti periculi pelago, æmulos noſtros, vt ita dicam, in mari confuſionis pudore oppreſſos ſubmerſimus. & præſentantes Regi electionem factam, aſſenſum benignitatis ſuæ accepimus, ipſo magnis præconiis attollente noſtri valoris viuacitatem, & libertatis ſolitæ inuincibilem defenſionem. Notificata eſt iterum Archiepiſcopo Senonenſi noſtra electio, ſed non potuit ab ipſo extrahi factæ electionis conceſſio. Iterum namque obiecit, quòd Thomas à curæ paſtoralis officio per ipſum abſolutus non fuerat, & ideò nullus in eius loco ordinari & ſubſtitui regulariter poterat. Igitur cùm iterum ad Regis notitiam hæc proceſſiſſent, nolens

LVDOVICVS VII. IVNIOR. laborem Eccleſiæ, quem finitum eſſe putauerat, ſecundò iterari, mandauit Thomæ vt patrino ſuo, ne diu vexari Mauriniacenſes taliter pateretur, ſed pergens Senonas curam paſtoralem in manu Archipræſulis abſolutus relinqueret. Thomas itaque à Priore S. Martini Senonas ductus, cœpit ſuper dimiſſione ſua cum Archiepiſcopo agere. Cúmque curæ paſtoralis miniſterium, quod per baculum acceperat, per librum reddere voluiſſet, renuit Henricus, dicens quia ſicut facta fuerat regiminis per cambutæ traditionem ſuſceptio, ita fieret per eiuſdem redditionem dimiſſio. Quod & factum eſt. Illo itaque à Monaſterij noſtri gubernatione hora eadem excluſo, duo ex Monachis noſtris, qui in præſentia erant, Landricus ſcilicet & Robertus, electionem de domno Machario factam Archiepiſcopo præſentauerunt. Quo audito, Archiepiſcopus in riſum applaudens diſſoluitur. » Cùm Thomas, inquit, vſque in hunc diem Pater veſter extiterit, qua ratione » alium eligere præſumpſiſtis? Et nunc ipſam electionem, quam irritam apud nos » eſſe per Litteras innotuimus, nobis quaſi auctorizabilem præſentatis? Scitote quia » huc vſque laboris veſtri ſeries in vanum impenſa eſt. Amodo libera poteſtate vti» mini, ite, & ſecundum inſtitutoris veſtri regulam electionem facite. Hæc prætaxati Monachi audientes, ad nos citò repedare feſtinant, & quæ ipſis Archiepiſcopus intimaſſet Capitulo communi renunciant. Accerſitis iterum ad conſilium Eccleſiæ ſapientioribus, quo facto ſit opus diſcutitur. Et vt ita dicam, Conuentus noſter telam quam inceperat filo non alternato orditur. Electioni de MACHARIO factæ omnes conſentiunt, & ipſam elongata omni mutabilitate ſtabiliunt. Prælibatos itaque Monachos Cluniacum mittimus, & vt ab Abbate loci illius Macharium à iugo obedientiæ abſolui & emancipari poſtulent intimamus. Qui ſuſceptam Legationem implentes, Cluniacum veniunt, & de re pro qua ierant Litteras ſuſcipientes reuertuntur, Archiepiſcopum pro benedictione Abbatis expetunt, Litteras emancipatorias poſtulanti oſtendunt. Quibus lectis, non inueniens Archiepiſcopus perfectam in ipſis emancipationis demonſtrationem, benedictionem diſtulit, ne fortè ſi ſubiugatum benediceret, inde maiorem nobis quàm ſuſceperamus tribulationis vexationem inferret. Remandauit igitur nobis, vt peſectiorem emancipationem ab Abbate Cluniaci expeteremus, aſſerens ſe numquam ei benedictionis conſuetudinem impenſurum, niſi pleniùs à iugo obedientiæ cognoſceret abſolutum. Indicitur iterum Roberto Brugerienſi itineris huius obedientia. Qui acceptis Regalibus Litteris, comitantibus ſecum PETRO Regis Capellano, & Magiſtro SIMONE DE PISSIACO, quos pro quibuſdam negociis Romam Rex dirigebat, Cluniacum venit. Litteras igitur ad ſuæ voluntatis deliberationem factas accipiens, ad Archiepiſcopum detulit, quarum integritatem Archiepiſcopus amplexus eſt. Ductus igitur domnus Macharius Senonas, benedictus ab illo ſolemniter, & paſtoralis officij commiſſa cura, ad nos relegatus, & ſolemni à nobis proceſſione receptus eſt. A B

HIS diebus acciderunt quædam repræſentationis elucidatione digna. Clerici enim veterum Stamparum ſolitam venenati cordis, quam ſemper poſt Monachorum introductionem habuerant, veſaniam euomentes, in vigilia ſancti Martini in Monachos noſtros audaci refragatione inſurrexerunt: ex quibus alios inhoneſtis & turpibus verbis, alios etiam verberibus afflixerunt. Domnus Macharius tunc Romam profectus erat. ad quem Prior legatum dirigens, omnia prout acta à Clericis fuerant ei intimauit. Qui vt Clericis maleficiorum ſuorum occaſionem penitus à radice auferret, Apoſtolicum ſuper illorum ab illa Eccleſia eliminatione Priuilegium in illo itinere adquiſiuit. & ita eos vellent nollent ſagaciter expulit. Priuilegium etiam de inſtitutione Confraternitatis ſecum attulit. In illis quoque diebus HENRICVS Senonenſis Archiepiſcopus finem vitæ ſortitus eſt, ſuccedente ſibi HVGONE venerabili tunc illius Eccleſiæ Præcentore. Tunc temporis etiam Eccleſia Bituricenſis ſui Paſtoris defunctione non mediocriter deſolata, grauis & importuni ſchiſmatis morbo inſolente concuſſa eſt. In tantum verò diſcordiæ huius malum proceſſit, vt vſque ad Apoſtolicum & Franciæ Regem perueniret. Quidam enim prædictæ Eccleſiæ Clerici aſſentiente Rege CADVRCVM quendam ſibi volebant præficere. Altera pars illorum PETRO, HAIMERICI Romani Cancellarij conſobrino, prærogatiuam C

A illius honoris affectabant. Papa verò Cancellarium diligens, contribulem quoque ſuum pro ipſo diligebat. Vnde & ipſi conſecrato in Archiepiſcopum ſuum integrè auxilium impendebat. Et licèt contra Regis voluntatem ipſe præficiendus eſſet, ipſum miſit Bituriges, Cadurcum verò omni Eccleſiaſtico honore priuauit. Videns Rex voluntatem ſuam ad efficaciam non potuiſſe pertingere, non modico fremitu iræ coneuſſus eſt, & quaſi in auctoritatem Apoſtolici volens indignationem conceptam retorquere, Petro totius terræ ſuæ introitum interdixit. Innocentiùs verò gladium Eccleſiaſticum in vltionem exerens, per omne Regis dominium diuini celebrationem officij interdixit. Huius autem diſcordiæ malum omnibus diebus vitæ ſuæ integrè dulcorari non potuit. Vnde & contigit domnum Macharium causâ pacificandi Romam profectum, per Cardinalium interceſſionem plurima impetraſſe, ſed ad reconciliationis gratitudinem nec precibus nec muneribus adtingens, reuerſus eſt. In qua regreſſione detulit ſecum quoddam Priuilegium, omnem aliorum Abbatum adquiſitionem continens, ita vt in illo penè ſingillatim cuncta numerarentur, quæ maioris auctoritatis erant.

Per hunc Macharium multa Eccleſiæ noſtræ bona eueniſſe certum eſt, è quibus aliqua hic interpolare dignum duximus. In prima igitur, de qua iam diximus, regreſſione à Roma, attulit ſecum partem Crucis Dominicæ precioſi metalli fabrefactoria ſuperductione veneranter opertam. Attulit & tria pallia precioſa, ex quibus quædam indumenta compoſita ſunt. Augmentata quoque eſt ab ipſo hæc Eccleſia Religionis & Cluniacenſis Ordinis inſtitutione, rerum quoque exteriorum ſagaci & prouida diſpenſatione. Prædictus autem Papa Innocentius debitum humanæ conditionis exoluens, Romæ defunctus eſt. Cuius honori ſubrogatus eſt Celestinvs, qui alio nomine Magiſter Gvido de Castellis nominatus eſt. Hic verò prælatione illa digniſſimus erat, quoniam ei tria, quæ inter homines penè habentur præcipua, ſimul confluxerant, celebrémque Magiſtrum reddiderant. Nobilitas ſcilicet generis, mentis induſtria in omni ſtatu æqualis, litterarum quoque, quarum doctrinæ intentiſſimus fuit, ſcientia multiformis. Ad hunc Rex noſter Legatos pro pace ineunda miſit, quam ita dulciſſima impetratione obtinuerunt, vt in conſpectu illorum, multorúmque nobilium, quorum frequentiâ Roma fremere ſolet, benignè adſurgeret, manúque eleuata ſignum benedictionis contra regionem hanc faciens, ipſam à ſententia interdictioniss abſolueret. Mors verò nemini parcens tantum Pontificem vii. infulationis ſuæ menſe ſeculo præmatura abſtractione eripuit. Quo ergaſtulo carnis exuto, ſubſtitutus eſt in Papam Lvcivs, Girardus de ſancta Cruce, qui & ipſe ſtrenuiſſimus erat. ſed & morte citiùs præoccupatus eſt. Hic diuerſarum Eccleſiarum ſtatui conſulere volens, duos Legatos à latere ſuo mittere curauit, Albericum Hoſtienſem in Franciam, Haimerum Tuſculanenſem in Angliam. Qui ea quæ pernicioſa erant euellentes, & quæ vtilia ædificantes, inuenerunt Abbatiam beati Benedicti in pernicioſo ſtatu poſitam, tam Monachorum leuitate, quàm Paſtorum aſſenſu. Cupientes igitur humilitare pia ſubuentione in oportuno tempore ſuffragari, Abbate qui illi præerat ab ipſis depoſito, tranſtulerunt domnum Macharivm ad illius ſtatum iuxta Cluniaci conſuetudinem viriliter innormandum. Abſoluentes ergo nos ab illius obedientia, licentiam nobis & facultatem Patris eligendi dederunt. Nos verò ſpiritus conſilij, quam ſuper hoc nobis attulerat, intimationem ſequentes, elegimus Thevinvm Argenteoli Priorem, multimoda ſapientiæ laude famoſum. De quo ſine mendacij ambiguitate poſſum affirmare, quia in omni tempore ſuo non eſt in Francia elegantior & ſpecioſior viſa perſona. Hanc electionem cùm Rex & prædicti Epiſcopi confirmaſſent, domnus Thoinus Senonas profectus, & à Gaufredo Carnotenſi Epiſcopo, qui Archiepiſcopo abſente eius in officij executione Vicarius eſſe ſolet, benedictione ſolemni ſublimatus eſt.

Prænominatvs autem Papa Lucius paruo tempore, v. videlicet menſium in prælatione expleto, res ſublunares ineuitabilis paſſione eclypſis reliquit. Cuius ſucceſſionem obtinuit Evgenivs, qui & Bernardus Piſanus, tunc

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

temporis Clareuallenſis Monachus, vir continentiſſimæ conuerſationis & vitæ. A Abbas verò noſter primo exaltationis ſuæ anno, quid ſibi eſſet neceſſarium præuidit, & aliquantam pecuniam congregauit, quæ & eum ab onere paupertatis defenderet, & expenſarum vſibus ſufficienter ſeruiret. Secundo autem anno Eccleſiam noua opertura nouique laquearis tabulatu inſigniuit. Similiter & de Dormitorio egit. Huic namque viro in diſpenſandis Eccleſiæ rebus tantam gratiam virtus diuina contulerat, vt quod alteri difficillimum eſſet, ipſe ad efficiendum leui penderet. & quicquid molimine ſubtilis intellectus conceperat, mancipare effectui ſine dilationis obſtaculo ſatagebat. Vnctio ergo Spiritus ſancti, in cuius præceptis ab ineunte ætate delectatus fuerat, eum docebat de omnibus, vt & ordinem ſtatutum firmiter ſeruari faceret, & exteriorum operum ſtrepitu ſuperari more inſipientis non poſſet. Cuius prouidentia cùm Domui noſtræ nonnulla bona adſciuerit, quædam præcipua placuit hîc referre. Infra muros igitur Abbatiæ Aulam nobilem cum quibuſdam appendiciis magno ſumptu ædificauit. apud veteres Stampas aliam optimam. apud Firmitatem alteram mediocrem. quartam apud Stripiniacum nominatis omnibus præcellentem. Præterea emit decimam Gomaruillæ, terrámque dimidiæ carrucæ arabilem, cum multis aliis, quæ ideò narrare ſuperuacuum eſſe duximus, quia Cartularum repræſentantibus litteris apud nos determinata habemus. Si autem ad neceſſaria Monaſterij recurritur, ipſum calicibus, libris, caſulis, cappis, palliis, multíſque aliis ornamentis decoraſſe cognoſcitur. Primo verò quo nobis præfuit anno, Thomas, B qui quondam nobis Pater extiterat, apud Columbenſe Monaſterium commorans, ad diem eſt pertractus extremum. Quo etiam anno domnus THEOINVS Abbas Regem apud Aurelianum commorantem adiens, vt Priuilegium quod Pater ſuus Eccleſiæ noſtræ dederat, Præcepti ſui aſtipulatione ſtabile ex ſua parte faceret, petiit, & quod petierat impetrans, Præceptum illud, quicquid pater ſuus dederat vel conceſſerat amplectens, ſecum detulit.

EODEM quoque anno Edeſſa ciuitas ab inimicis Crucis Chriſti, noſtrorum dormitante prouidentia, capta, Sarracenorum dominationi repentè acceſſit. Vnde & eos, qui in regione Hieruſalem adiacente manebant, doloris immoderata anguſtia vſque ad intima perculit. Venerunt ergo ab Antiochia & Hieruſalem in noſtram regionem Legati à Primoribus partium illarum miſſi ſuppliciter exorantibus, vt Francorum inuincibilis probitas periculum quod euenerat emendaret, & futura repelleret. Audiens Rex noſter, vt erat piiſſimus, miſeriæ transmarinorum condoluit, & vt concepta indè pietas fructum aliquem afferret, Celſiores Regni ſui in Paſcha apud Viziliacum, vt exigebat neceſſitas, conuocauit. Omnéſque pio modulo alloquens, ſolitámque Francorum probitatem commemorans:
» Magnum, inquit, dedecus nobis emerget, ſi exprobrari cœperit Phili-
» ſteus familiæ Dauid: ſi poſſidere cœperit gens dæmoniaca, quæ gens cultui diui-
» no dedita tempore longo obtinuit: ſi canes mortui viuidam probitatem deluſe- C
» rint, maximéque Francorum, quorum virtus etiam inter vincula libera fuit: quæ
» in quantalibet neceſſitate artata, contumeliam etiam illatam pati non potuit. quæ
» amicis in tempore oportuno adiutorium promptè tulit, inimicos etiam poſt mor-
» tem perſequi non ceſſauit. Non inſoleſcat igitur ipſa virtus, ſed amicos Dei &
» noſtros, transmarinos ſcilicet Chriſtianos, ſubuentu virtuoſo releuet: inimicos au-
» tem viles, nec etiam hominum nomine dignos, graui perſecutione deturbet. Ea-
» mus, viri virtutis, reſiſtamus idolorum cultoribus, proficiſcamur ad loca, quæ
» Dei hominis pedibus calcata olim fuiſſe cognoſcimus, in quibus etiam paſſus eſt
» quæ eius præſentia & corporali viſitatione digna fuerunt. Exurget autem Deus
» nobiſcum, & diſſipabuntur inimici eius, & fugient qui oderunt eum à facie no-
» ſtra. Confundentur, inquam, & conuertentur retrorſum omnes qui oderunt
» Syon: ſi viriliter egerit probitas noſtra, & à Deo non receſſerit confidentia no-
» ſtra. Magnam ſuper hoc ſcitote iam mihi deuotionem incumbere. Vnde & vos
» obnixè deprecor, vt meam ſtudeatis voluntatem veſtro comitatu & auxilio robo-
» rare. Multis igitur eorum qui conuenerant corde tenus infixus eſt ſermo Regis.
Quapropter aſſumptis cum ipſo Rege crucibus, Hieruſalem poſt tempus modicum tetenderunt. Famoſiores autem inter omnes, qui cum Rege huius itineris

A anguſtiam ſubierunt, fuerunt hij. Alamannorum Imperator Henricus, Robertus frater Regis, Meldenſis Comes Henricus, Comes Flandriæ Gaufridus *. Aluinus Epiſcopus Atrabatenſis, Giraudus Epiſcopus Lingonenſis, Gaucherius de Monte-Gaij, Comes de VVarena, Rainaldus Tornodorenſis, Manaſſes de Bullis, Eurardus de Bretolio. Rex autem volens tutelam Regi ſapienti conſilio diſponere, congregare fecit apud Stampas Franciæ Primores, ibique ipſius Regni prouiſionem SVGGERIO Abbati S. Dionyſij commiſit, viro in ſecularium cauſarum diſpenſatione nulli ſecundo, titulo etiam ſcientiæ litteralis præclaro: RADVLFO etiam Viromandenſium Comiti conſanguineo ſuo. Priuſquàm verò Rex proficiſceretur, EVGENIVS Papa quod Dei inſpirauerat ſpiritus perſuaſione ſolidaturus in Franciam venit. Cuius benedictione lætificati, iter illius piæ peregrinationis ſtatim adgreſſi ſunt. Domnus verò Papa Remis celebrato Concilio Pariſius venit, ibique aliquandiu demoratus eſt. Poſt .... niens in ipſa vrbe diebus aliquot .... vt tantum decebat virum, ampliſſimè ab ...... fierent, Gallicanæ multum ex hoc grauatæ ſunt Eccleſiæ. Noſter quoque Abbas in ipſius procuratione XX. libras ſubmonente Archiepiſcopo Senonenſi attribuit. Poſtea domnus Apoſtolicus repatriare in patriam volens, omnes qui Regnum ante Regis reditum inquietare auderent, anathematis ſententiæ ſubdidit. Rex deinde noſter cœptum iter laborioſè, ſed non ſapienter proſequens, conſilia non re-
B cipienda recepit, & non tritam viam ambulans, pedibus ſpinas infigendas non cauit. Vnde & vaſtato exercitu, debilitatiſque viribus, tandem Hieruſalem vix peruenit. Vbi per vnius anni ſpacium & eo ampliùs commorans, nihil vtile, nihil memorandum, nihil pl...... Franciæ dignum agere potuit. Vnde & obſcuro a...... tranſmarinis partibus iter mo............ ipſámque receſſu ſuo valde .... Quarto autem poſt .... Abbas noſter THEVINVS tunicam carnis coruptibilis expolians, ante altare Abbatiæ ſepultus eſt, tantò maiori à Deo donandus & glorificandus munere, quantò in ornanda eius ſponſa ſtudioſiùs cognoſcitur laboraſſe.

Pater ſancte vale, tibi donum ſpirituale.

LVDOVICVS VII IVNIOR.

* *Reg. Theodoricus.*

Lvdovicvs VII. Ivnior. A

GESTA
LVDOVICI VII. REGIS, FILII LVDOVICI GROSSI.

Ex editione Francofordienſi, quæ cum MS. Codice Monaſterij Sancti Dionyſij comparata, & variis in locis correcta eſt.

I. Consvmmato curſu vitæ glorioſi Regis Lvdovici cognomento Grossi, viri nobilis, potentiæ & audaciæ mirabilis, qui per malitiam ſuorum Principum tot aduerſitates ſuſtinuit, tot triumphos obtinuit, tot prælia victorioſiſſimè peregit: Nunc ad filij ſui Lvdovici Regis Geſta populi futuri notitiæ tradenda, ſtylum quo poſſumus ingenio conuertamus. Qui B diuina inſpiratione cœlitus inflammatus, Abbatiam de Sacroportu, quæ nunc *Barbehel* Gallieè dicitur, in pago Meledunenſi, iuxta littus Sequanæ fundauit, vbi mauſoleo mirifici operis corpotaliter requieſcit. Aggrediamur igitur Hiſtoriam, quæ ad continuandum præcedentibus ſequentia ſic loquitur: Quòd iuuenis Rex Lvdovicvs, qui iam tempore patris ſui Remis in præſentia Prælatorum & Principum fuerat coronatus, quando pater ſuus, qui iam per multum temporis ægrotauerat, expirauit, ad partes Aquitaniæ viſitandas tranſierat; vbi eum certificauit de morte genitoris ſui frequentia nuntiorum. Audita igitur morte genitoris, ciuitates & caſtella Ducatus Aquitaniæ ſufficienter muniuit, & ad obuiandum prædonum latrociniis & malignorum machinationibus, quæ poſt Regum obitus de facili ſolent accidere, verſus partes Franciæ quantocius properauit. Aurelianis igitur veniens, ſeditionem quorumdam ciuium compeſcuit, & eorum ſuperbiam viriliter degradauit; qui ſub obtentu Communitatis ſuæ in tantam præſumptionem elati, quaſi contra Regem inſurgere videbantur. Verumtamen illos, qui tantæ præſumptionis principes fuerant, indignata Maieſtas Regia vltioni condignæ tradidit puniendos. Inde venit vrbem Pariſius, quæ eſt Regni caput & ſedes Regia, vbi ſolent Reges antiqui conuentum Prælatorum & Principum euocare, ad tractandum ſuper ſtatu Eccleſiæ, & de Regni negotiis ordinandum. Ita fecit iſte Rex iuuenis ſecundum quod ætas capere poterat, & ſtatus temporis exigebat. C Magna erat in toto Regno lætitia, & ſpes bona multorum animos demulcebat, quòd tam boni Domini tam nobilem receperunt ſucceſſorem, qui malorum exterminaret nequitiam, & bonorum innocentiam illibatam auctoritate Regia cuſtodiret. Tantóque maiori gaudio replebantur, eo quòd rectum & legitimum receperant hæredem, de quo pax & honor eis & toti Regno feliciſſimè veniebat. Maximè quando conſiderabant Romanum Imperium & Regnum Angliæ pro defectu hæredis legitimi magnum recepiſſe detrimentum, & de ſtatu ſuo tam nobili corruiſſe.

Incidentia. Qvoniam verum fuit, ſicut in rebus mundi mobilibus frequenter ſolet accidere, quòd poſt mortem Henrici Imperatoris, qui deceſſit ſine hærede legitimo, mota fuit magna contentio in illa ſolenni Curia quæ celebrata fuit in ciuitate Maguntiæ, vbi feruntur fuiſſe ſexaginta millia militum, exceptis perſonis aliis & multitudine populari. Talis fuit cauſa diſcordiæ, quòd Fredericus Dux Alemanniæ nepos prædicti Henrici Imperatoris volebat ſibi Imperium quaſi iure hæreditario vendicare. Sed Magontienſis & Colonienſis Archiepiſcopi, & maior pars Principum Imperij à dignitate & honore Imperij vnanimes repulerunt, & ad Lotharium Ducem Saxoniæ totaliter adhæſerunt, & cum Aquiſgrani conſenſu Cleri

LVDOVICVS VII IVNIOR.

A & populi ſolenniter coronarunt. Sed iſta diſcordia cauſa fuit magnæ cladis &
peſtilentiæ, quæ exindè poſtea toti Regno, proh dolor! euenerunt. Quoniam
ille Fredericus & quidam frater ſuus Conradus nomine, multas prædationes, &
multas Eccleſiarum combuſtiones, & occiſiones hominum, multáque prælia in ter-
ra Lotharij, inuidiæ ſtimulis agitati, eo quòd deiectus fuerat ab Imperio, & ille Lo-
tharius fuerat introductus, nec impunè tamen, tanta mala Lothario intulerunt,
quoniam in gente ferè damna paria pertulerunt. Vnde multum laudis & honoris
meruit Lotharius, eo quòd ex conſenſu Baronum, Cleri, & populi ad regendum
Imperium electus fuerat, quod ſibi nec iure hæreditario, nec aliqua ſucceſſione ge-
neris attingebat. Verumtamen quandiu rebus humanis interfuit, Imperium viri-
liter tenuit, & potenter defendit; nec ſolùm Regnum illud, ſed & Regnum Ita-
liæ, & Prouinciam Capuæ & Boniuenti, & etiam vſque ad Regnum Siciliæ pe-
netrauit, Siculóque Rege illius terræ fugato ciuitatem Barri cepit, totámque ter-
ram illam & maritimas regiones ſuo dominio ſubiugauit. Sicque factum eſt, cùm
de terra illa rediret ad propria, onuſtus ſpoliis & famoſus victoriis, morte præuen-
tus interiit. cuius corpus à ſuis in ſuam Saxoniam eſt tranſlatum, & cùm per labo-
res iſtos quos pertulit, magnanimi cordis conſtantiam, honorem, & laudem acqui-
reret, vitam fine laudabili terminauit. Nec minus infeliciùs accidit Regno An-
glorum fortuna conſimili: quia poſt deceſſum Henrici Regis Angliæ, viri tam fa-
moſi & tantæ feritatis, quoniam ſui corporis nullum reliquerat hæredem, Comes
B Boloniæ Stephanus nepos ſuus, & frater Comitis Theobaldi, ſubitò Regnum An-
gliæ introiuit, & ibi in Regem coronari ſe fecit, non conſiderans quòd Comes
Andegauis deſponſauerat filiam Regis Angliæ Henrici, & ex ea genuerat hære-
des, vt videbatur, propinquiore gradu generis ſucceſſores. Iſtæ diſſenſiones &
diſcordiæ, quæ exortæ fuerunt in Regno per inuidiam Principum, & per malitiam
inhabitantium, terram illam, quæ tam fuerat fertilis & abundans, penè redege-
runt ad nihilum, & Regnum illud tam nobile fuit in magna ſui parte per occiſio-
nes & rapinas miſerabiliter deuaſtatum. Iſtæ clades & peſtilentiæ aliorum Regno-
rum, erant Francis quaſi gaudium & ſolamen, dum cernerent regna vicina pro de-
fectu hæredis legitimi in tantam miſeriam corruiſſe, & ipſi viuerent in pace & gau-
dio ſub tam pio Domino & legitimo ſucceſſore.

De morte Guillelmi Ducis Aquitaniæ.

IGITVR quia geſta LVDOVICI Regis deſcribere propoſuimus, nunc ad ordi- II.
nem Hiſtoriæ reuertamur. Iſte Rex iuuenis cùm eſſet in ætate quatuordecim
vel quindecim annorum, bonis moribus exornatus; in omnibus geſtis ſuis Deum
habens præ oculis, diuina largiente gratia quotidie probitatis & ſapientiæ ſuſci-
piebat incrementa. His diebus GVILLELMVS Dux Aquitaniæ apud ſanctum 1137.
Iacobum iter arripuit, qui, volente Deo, antequam ad terminum ad quem ſuæ
C peregrinationis accederet, peracta parte itineris, expirauit, nullum virilis ſexus in
Ducatu Aquitaniæ relinquens hæredem. Verumtamen duas filias habuit, qua-
rum vna maior natu ALIENORDIS, & alia ALAYDIS vocabantur. Et quo-
niam terra ſine virili hærede remanſerat, Rex Ducatum in manu ſua tenuit, & pri-
mogenitam ſororum Alienordam ſibi matrimoniali lege deſponſauit, ſicut ſupe-
riùs eſt expreſſum in Hiſtoria patris ſui, de qua filiam genuit Mariam nomine, quæ
fuit Comitiſſa Campaniæ: & ſecundam Alaydam nomine Radulpho Viroman-
denſi Comiti cognato ſuo matrimonio copulauit. Paruo temporis elapſo ſpatio
Gaucherus Montis-Gaij ſuo infelici omine in tantam ſuperbiam aſſumptus eſt,
quòd contra Regem voluit inſurgere, & circa partes ſuas terram Regis & homines
hoſtiliter infeſtare. Sed Rex Franciæ ira motus contra eum, vt Maieſtatem Re-
giam decuit, aliquantulum mouit exercitum, & caſtrum Montis-Gaij circumcin-
xit; & impetu facto viriliter, ſatis faciliter in poteſtatem ſuam redegit, portas &
muros diminuit, & totam forteritiam quam inuenit, excepta magna turri, vet-
ſam funditus ſolo tenus explanauit.

Quomodo ciuitas Roaſa capta fuit à Turcis.

III. EODEM anno accidit Chriſtianis lugubre infortunium, fortè meritis ſuis exigentibus, in partibus tranſmarinis. Nam Turcorum infinitus exercitus intrauerunt Regnum Hieruſalem, & obſederunt quandam nobilem ciuitatem quæ vocatur Rohes, & continuis inſultibus diu oppugnatam, eandem tandem ceperunt; non tamen ſine magna ſtrage & occiſione ſuorum, qui à Chriſtianis interfecti in anima & corpore perierunt. Qui propter captionem illius ciuitatis cœperunt mirabiliter ſuperbire, minitantes occidere omnes Chriſtianos illius regionis. Rumor huius doloris nuncius per Franciam citò diffunditur, & propter deſolationem ſanctæ Terræ obortis lacrymis corda fidelium perturbauit. Rex etiam vt audiuit inimicos crucis in tantam præſumptionem prorupiſſe, vt plenus fide & verè Catholicus, corde pio compatiens, tantam iniuriam propoſuit vindicare; & vt oſtenderet per effectum quod mente conceperat, eodem anno caſtro Vezelaici magnum Parlamentum congregauit. Ibi Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Abbates, & magna pars Baronum Franciæ conuenerunt. Nec defuit ibi ſanctus Bernardus Clareuallis Abbas, qui cum quibuſdam de Prælatis de aſſumptione crucis prædicans monuit Barones & populum, vt ad vindicandas Chriſti iniurias viribus totis inſurgerent; exponens eis quanta mala Chriſtianis feciſſent Turci in partibus tranſmarinis. B Cuius os in prædicando, opitulante ſanctitate, non laborauit in vacuum. Nam Rex primus proſiliens cum magno deuotionis ardore ſignum ſanctæ Crucis aſſumpſit, & poſt ipſum Regina Alienordis vxor ſua, monentes per exemplum, vt ſic Prælati facerent & Barones. Tunc videntes Regem & Reginam ſignum Crucis aſſumpſiſſe cum magno deuotionis affectu, iſti quos litera nominabit crucem vnanimiter aſſumpſerunt. Videlicet Alphonſus Comes Sancti Egidij, Theodericus Comes Flandriæ, Henricus filius Comitis Theobaldi Bleſenſis, Guido Comes Niuernenſis, Reginaldus frater eius Comes Thenodori, Comes Drocarum Robertur frater Regis, Yuo Comes Sueſſionenſis, Guillelmus Comes Pontiuienſis, Guillelmus Comes Guarentiæ, Archambaudus de Borbonio, Enguerrannus de Couciaco, Gaufridus de Ranconio, Hugo de Liſigniaco, Guillelmus de Cortegniaco, Renoudus de Monte-Argiz, Ytherus de Thociaco, Guicherus de Monte-Gaij, Eurardus de Bretholio, Droco de Monciaco, Manaſſerus de Bugues, Ancellus de Trienello, Guerinus frater eius, Guillelmus Buticularius, Guillelmus Agilons de Tria, & plures alij nobiles & magni nominis milites. De Prælaris, Simon Epiſcopus Nouiomenſis, Godefridus Epiſcopus Lingonenſis, Arnulphus Epiſcopus Liſienenſis. De Abbatibus, Herbertus Abbas S. Petri viui Senonenſis, Theobaldus Abbas ſanctæ Columbæ Senonenſis, & multæ aliæ perſonæ nobiles, quorum nomina propter confuſionem cenſuimus ſilentio reprimenda. Eodem anno Conradus Alemannus Imperator, & Ferricus Dux Saxoniæ nepos ſuus, C qui poſtea fuit Imperator, audito infelici infortunio Terræ ſanctæ, cruces ſimiliter aſſumpſerunt; multique Alemanni & Saxones nobiles & potentes. Metis ſimiliter crucem aſſumpſit Comes Moriennæ auunculus Ludouici Regis Franciæ, multique cum eo Principes & Barones. Rebus quas prælibauimus ſic peractis, venerabilis Pontius Abbas de Vezeliaco, vt locus ille, in quo ſancta congregatio crucem aſſumpſerat, tam nobilis facti memoriam in perpetuum retineret, in honorem ſanctæ Crucis Eccleſiam conſtruxit, quam poſtea diuina potentia voluit multis miraculis illuſtrare. Per totum annum integrum portauit Rex crucem conſtitutam in humeris à feſto Reſurrectionis vſq; ad aliam, & vlterius vſque ad feſtum quod dicitur Pentecoſtes. Interea accidit caſus deteſtabilis & horrendus, quòd ciues Communiæ Senonenſis contra Herbertum Abbatem S. Petri viui iracundiam conceperunt, eo quòd Communiam ſuam diſruperat, & fecerat eneruari, & propter hoc ipſum morte crudeliſſima peremerunt. Rex ad tanti ſceleris vltionem accinctus, partem homicidarum ab altitudine turris ad terram præcipitari præcepit, & alios fecit Pariſius decollari.

Quando Rex Franciæ Ludouicus & Imperator Conradus iter tranſmarinum aſſumpſerunt. LVDOVICVS VII IVNIOR.

ANNO igitur ab Incarnatione Domini MCXLVII. in hebdomada ſecunda IV.
poſt feſtum Pentecoſtes, priùs ordinatis rebus, ad iter peregrinationis tantæ 1147.
neceſſitatis, venit Rex, vt moris eſt, ad Eccleſiam beati Dionyſij, à Martyribus licentiam accepturus: & ibi poſt celebrationem Miſſarum baculum peregrinationis & vexillum beati Dionyſij, quod *Oriflambe* Gallicè dicitur, valde reuerenter accepit: ſicut moris eſt antiquorum Regum, quandò debent ad bella procedere, vel votum peregrinationis adimplere. Et tunc mouit directè cum magno comitatu Prælatorum & Baronum. Eodem tempore mouit Conradus Imperator cum valido apparatu terræ ſuæ, ſicut prius ab vtroque Principe fuerat ordinatum. Sed Deus, cui nullum latet ſecretum, & qui limpidè videt in obſcuris ſolum iudicium hominis, acceptam non habuit illam peregrinationem, ſed faciem ſuam auertit ab operibus eorum, ſicut rerum exitus declarauit. Verumtamen concedimus * & * *ſ. credimus*
ſperamus, quòd illi qui bona intentione labores itineris pertulerunt, & ſe peccato, prout homini poſſibile eſt, continuerunt, quantum ad animas nihil de præmio quod meruerunt perdiderunt. Verumtamen ſtatus Terræ ſanctæ, pro cuius liberatione mouerant, propter aduentum eorum parum aut nihil fuit in melius permutatus, ſicut inferiùs in ordine rerum hiſtoria declarabit. Iſti duo magni Principes priùs ordinauerant, quòd ſimul ire non poterant, propter multitudinem populi vtriuſque exercitus. Timebant enim ne diſcordia & tumultus orirentur in caſtris, quod de facili accidit, maximè vbi tot ſunt diuerſæ nationes, lingua & moribus differentes. Propter hoc voluerunt vt vni præcederent alios, & interuallo facto inter vtrumque exercitum, etiam quilibet ſuum duceret ſeparatum. Tunc omnes direxerunt iter per terram Baioariæ, poſtea tranſierunt flumen Danubij, quod eſt magnum & profundum, & curſu veloci dilabitur; quod à ſiniſtra parte dimiſerunt, & à parte dextra in Auſtriam deſcenderunt. Tunc intrauerunt Regnum Hungariæ, quos Rex terræ illius liberaliter ſuſcepit, & vt magnificentiam regiam decuit, eos multis donis & præſentibus honorauit. Regnum Hungariæ tranſeuntes, intrauerunt terram Pannoniæ, vbi ſanctus Martinus gentilibus parentibus ortus fuit. Inde terram Bulgariæ ſubierunt, & à ſiniſtra parte deſcendentes, Rippæ regionem dimiſerunt. Inde duas regiones tranſierunt, quæ eodem nomine Thraciæ nuncupantur. Duas vrbes nominatiſſimas in illis regionibus tranſierunt, quarum vna Sytiopolis, & altera Andrenopolis appellatur. Tandem poſt multas dietas, & multos labores, quos paſſi fuerant per exteras regiones, peruenerunt ad illam nobiliſſimam vrbem Conſtantinopolis, vbi per aliquos dies quieuerunt, & de rebus neceſſariis, quæ ſibi defuerant, ſarcinas repleuerunt, & cum Imperatore Manuele ſatis priuatim duo magni Principes ſunt locuti. Inde equis & hominibus aliquantulum recreatis, & rebus exercituum ordinatis, receſſerunt, & quoddam mare, quod Brachium ſancti Georgij dicitur, nauigio transfretarunt. Illud mare duas partes Orbis diuidit, Aſiam ſcilicet, & Europam: & eſt mera & terminus vtriuſque. Tunc intrauerunt terram Biriniæ, quæ eſt prima pars Aſiæ, & ante vrbem Calcedoniæ caſtra metatæ ſunt vtriuſque exercitus legiones. Hæc eſt vna & nobilis & antiqua ciuitas, in qua quondam tempore Martiani Imperatoris, & Leonis Papæ, congregatum fuit vnum de quatuor magnis Conciliis DC. & XXXVI. Prælatorum: & in illo tam celebri Concilio damnata fuit hæreſis Abbatis Eutichij, qui vnam naturam tantummodò in Chriſto aſſerebat, quem fides Catholica verum Deum & verum hominem prædicat & affirmat.

Quomodo Soldanus Yconij, audito Chriſtianorum aduentu, ſe præparauit.

SOLDANVS Yconij, vir potens & magnus in Regno Turquiæ, longè antè audierat de aduentu iſtorum Principum, & in magno timore poſitus cognouit, V.
quòd niſi conſilium apponeret, & virtutem tam fortium exercituum impediret, ſibi & terræ ſuæ, & cunctis populis Orientis magnum periculum imminebat. Propterea quantociùs potuit per omnes terras Orientis deſtinauit nuntios, mandans

LVDOVICVS VII. IVNIOR. quòd omnes, qui arma ferre poſſent, & eſſent ſufficientes ad prælium, ad ſe quan- A
tociùs properarent. Ipſe etiam ciuitates & caſtella terræ ſuæ cum magna diligen-
tia circuibat, fracturas murorum & turrium reparabat, foſſata euacuabat, ſciſſuras
nouas & profundas ante portas vrbium fieri imperabat, & omnes homines totius
patriæ in ſuis operibus quotidie operari faciebat. Metuebat enim nimium, nec
mirum, quoniam fama tanta diuulgabatur per patriam, quòd iſti duo Principes
tam fortes & tam magnos exercitus adducebant, quòd cùm caſtra iuxta quoddam
fluuium poſuiſſent, aqua currens ſucceſſiuè & continuè per alueum fluminis ſuffi-
cere non poterat equis & hominibus ad potandum, & quòd vbicumque veniſſent,
flumina deſiccabant. Dicebant etiam quòd vix quoddam magnum Regnum poſ-
ſet ſufficere de omnibus bonis ſuis ad tantam multitudinem populi ſuſtentandam.
Verum eſt quòd talibus vulgi fabulationibus non eſt omninò fides adhibenda, quo-
niam tales ſubitò rumores videntur ſæpiùs excedere veritatem. Tamen verum
fuit, quòd ſolùm in exercitu Imperatoris erant LXX. millia bellatorum in equis
& loricis: exceptis etiam equitibus aliis leuis armaturæ, & exceptis peditibus, quo-
rum erat numerus infinitus. In exercitu verò Regis Franciæ erant penè totidem
millia loricata, & gens optima, & in rebus bellicis approbata: peditum verò non
erat numerus, quorum multitudo terræ ſuperficiem tegere videbatur. Si videres
bellatorum acies tam decenter ordinatim procedere, galeas & ſcuta contra ſolis
aciem coruſcare, & cohortes cum vexillis in aëre crepantibus terræ latitudinem B
operiri, crederes quòd poſſent de omnibus crucis inimicis triumphare, & omnes
regiones Orientis armorum potentiâ vendicare. Et ſine dubio potuiſſent, ſi Do-
minus voluiſſet eorum peregrinationem acceptare. Sed fortaſſe eorum meritis
exigentibus, vt ad finem honorabilem attingerent eorum opera, noluit conſen-
tire. Cauſam neſcimus quare hoc fecerit, ſed certi ſumus quòd in vero iudicio
non errauit.

Quomodo Imperator tranſito Brachio ſancti Georgij à conductoribus proditus fuit.

VI. POSTQVAM Imperator illud mare, quod dicitur Brachium ſancti Georgij,
pertranſiuit, per ſe voluit ire, & exercitum ſuum ab exercitu Regis Franciæ
ſeparauit. Tunc acies ſuas ſecundum morem patriæ ſuæ diſpoſuit, & de nobilio-
ribus Baronibus, quos ſecum habuit, cuilibet aciei Capitaneum aſſignauit. A ſi-
niſtra parte dimiſit terram Galatiæ & Paphlagoniæ, & duas allſas regiones, quæ eo-
dem nomine vocantur Ponti. A ſiniſtra parte remanſit Phrygia, Lydia, & minor
Aſia. Iuxta ciuitatem, quæ vocatur Nicomedia, venientes, illam nobilem vrbem,
quæ dicitur Nicæa, tranſierunt. Inde Lycaoniam ſubierunt, cuius Yconium ma-
ior dicitur & ciuitas principalis. Inconſultè ibant, & per quaſdam compendioſas
vias inter fauces montium dirigentes: & ex parte altera dimiſerunt magnam viam,
quæ directè ad vrbem Yconij dirigebat. Soldanus Yconij, qui ex omnibus finibus C
Orientis maximam Turcorum multitudinem collegerat, expectabat locum &
tempus opportunum, quo poſſet commodiùs tantis exercitibus Chriſtianorum ob-
uiare, qui per terram ſuam iam cœperant pertranſire. Omnes Soldani & maiores
Principes Sarracenorum pauebant nimium, eo quòd audierant tantos exercitus
Chriſtianitatis contra eos aduenisſe. Ex multis partibus eis fuerat nunciatum, quòd
ſi poſſent per terras illas libere pertranſire, poteſtatem haberent homines deſtruen-
di, & omnes fines terrarum ſubiicere; ita quod tota terra Orientis diuulgaretur ab
eis, & in breui eſſet ſubdita legibus Chriſtianis. Et propter illum timorem quem
habebant, ne hoc quod verebantur accideret, venerunt in auxilium Soldani Yco-
* Armeniarum. nij Turci duarum Hermeniarum *, Cappadociæ, Yſauræ, Ciliciæ, & Mediæ;
tantáque Turcorum ex omni parte multitudo venerat cum nobili equorum & ar-
morum apparatu, quòd Soldanus in tantam prorupit audaciam contra omnes
Chriſtianos ad bellum procedere, & fronte ad frontem in campi planitie dimicare.
Verum eſt quòd Conradus Imperator petiẽrat à Manuele Imperatore Conſtanti-
nopolis, quòd ſibi traderet aliquos de gente ſua, qui ſuum conducerent exerci-
tum per vias compendioſas, & ad equitandum planiores. Tradidit ei Manuel Im-
perator non tales quales petierat, qui traditores erant, & pleni iniquitate, qui quàm
citò ingreſſi fuerunt in terram Turcorum, venernnt ad Capitaneos, qui acies exer-

A citus conducebant, & dixerunt quòd facerent cibos onerari vſque ad certum numerum dierum: certiſſimè promittentes, quòd interim in terram tam copioſam & fertilem exercitum conducere intendebant, vbi neceſſitates equorum & hominum abundantiſſimè reperirent. Crediderunt eis, & vſque ad numerum dierum, quem illi prædixerant, neceſſaria equorum & hominum onerari fecerunt ſuper ſummarios & quadrigas. Sed Græci perfidi Iuda proditore nequiores, qui ſemper Latinos, & maximè Francos, odio inextinguibili perſequuntur, ſcienter exercitum Imperatoris per vias diſtrictiores & aſperiores inter fauces montium impulerunt, vbi iam quaſi captiui tenebantur, & vbi Turci de eis de facili poterant triumphare. Ambiguum fuit, vtrum illi proditores hoc feciſſent imperio Manuelis Imperatoris, an à Turcis præuenti, vt exercitum Imperatoris proderent, iniquitatis præmia recepiſſent.

Quomodo Græci proditores receſſerunt ab exercitu Imperatoris.

BENE percepit Imperator quòd Græci, qui exercitum conducere debuerant, minus fideliter ſe habebant; quia iam numerus dierum tranſierat, infra quem exercitum conducere debebant in terram bonis omnibus abundantem. Propter hoc ſtatim ad ſe in præſentia Baronum adduci imperauit, coram omnibus eos interrogans, cur ſe de termino dierum, quem dixerant, tam fallaci mendacio deceB piſſent. Et ipſi proditionis inſtructi malitia reſponderunt, quòd putabant exercitum maiores dietas facere, & poſſe velociùs equitare. Et iterum fide ficta iurauerunt, quòd infra tres dies vſque ad ciuitatem Yconij conducerent, quæ erat ciuitas omnibus bonis fertilis & abundans, in qua quæcumque vellent & deſiderarent multipliciter inuenirent. Imperator adhuc ſua ſimplicitate deceptus, non percepit perfidiam proditorum; ſed ait quòd adhuc per triduum expectaret, vt per hoc probaret illos eſſe perfidos aut fideles. Nocte ſequenti dum dormiret exercitus difficultate itineris fatigatus, proditores Græci de exercitu latenter exierunt, & per fugam à manibus eorum, quos prodiderant, euaſerunt. Mane facto, & exercitu per acies ordinato, dum mouere inciperent, conductores, qui ſolebant exercitum præcedere, nuſquam comparuerunt. Quod videntes Capitanei, & propter eorum abſentiam admirantes illos per exercitum quæſierunt: ſed ipſi quia non aderant, non potuerunt inueniri. Tunc primò eorum proditione cognita, rem, prout acciderat, Imperatori Capitanei retulerunt. Nec ſuffecit proditoribus mala quæ fecerant, ſed in cumulum damnationis ſuæ peiora prioribus addiderunt: quoniam directè ad exercitum Regis Franciæ venerunt, qui non longè aberat, & exercitum Imperatoris ſequebatur leuiter equitando; & dixerunt Regi, quàm benè & ſecurè Imperatorem & ſuum exercitum vſque ad ciuitatem Yconij conduxerant, quam per arma ceperant, & omnes Turcos, qui ſe oppoſuerant, trucidauerant, & opes lucrati fuerant infinitas. Hoc proditores cogitauerunt mendacium duplici cauſâ C malitiæ, aut vt vellent Regem per eandem viam, qua Imperator ierat, procedere, & in eiſdem periculis implicare: aut propter hoc, quòd ſi Franci ſcirent infelicem ſtatum exercitus Imperatoris, & periculum quod eis imminebat, ad ſuccurſum eorum toto conamine properarent, quod nullo modo proditores voluiſſent: aut fortè Regem tali mendacio deceperunt, quia ſi aliquo modo proditionem, quam fecerant, poſſet aduertere, eos ſtatim per guttura pependiſſet. VII.

De proditione Græcorum percepta, & damno genti Imperatoris illato.

TVNC primùm cùm Imperator vidit ſe omninò deceptum, nec de via per aliquem de toto exercitu poterat edoceri, Proceres vocatos conſuluit, quid in tanto neceſſitatis articulo ſit agendum. Sed ſicut dicit auctoritas Alexandri; Eget in aduerſis animus ſapientis, & ægrè conſulit ipſe ſibi. Prudentiores Procerum (nam peſſimæ fortunæ caſibus proſternati, per diuerſas ſententias vacillabant) non omnes eandem viam conſilij tenuerunt, quia pars Baronum conſuluit eos per eandem viam quam venerunt regreſſuros, donec alimenta, quæ omninò defecerant, reperire potuiſſent. Alij contrarium ſentiebant, dicentes; quòd ſicut ceperant, vlteriùs equitarent, ſperantes ante ſe faciliùs cibaria reperire; quia ſi retrò redire VIII.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

contingeret, partes illas vacuas, & exhauſtas cibariis inuenirent. Dum verò de A regreſſu vel progreſſu in illa diſputatione decertarent, & in dubio adhuc eſſent, quam de duabus eligerent, aliqui de exercitu, qui haud longe receſſerant & redierant, nuntiauerunt eis magnam Turcorum armatorum multitudinem haud procul ab eis congregari. Benè verum eſt quòd illi Græci proditores, qui aufugerant, in illis locis deſertis ſcienter introduxerant eos, vbi numquam agricultura comparuit, ſed ea natura perpetua ſterilitate damnauit, cùm illos debuiſſent conduxiſſe per Lycaoniam, quam dextra parte dimiſerant, vbi inueniſſent vias breuiores, & terras arabiles, paſcuis & cibis & bonis aliis abundantes: ſed eos in deſertis Cappadociæ impulerant, vt eos magis ab vrbe Yconij elongarent. Dicebatur communiter, & poterat eſſe verum, quòd illi Græci, qui exercitum prodiderant, per voluntatem & imperium Manuelis Imperatoris Græcorum hoc fecerant; qui per inuidiam nollet, quòd gens Imperij Alemanniæ in ſuæ peregrinationis negotiis ad finem proſperum perueniſſent. Inuident enim Alemannis, nec vellent quòd poteſtas eorum & dominium creſceret. Dedignantur valde, eò quòd Imperator Alemanniæ Imperatorem ſe nominat Romanorum. Volunt enim dicere, quòd ſuus Imperator ſolus de iure debet totius mundi Monarchiam obtinere.

CVM verò Imperator & eius exercitus in tali anguſtia laboraret, primò quia neſciebant quò tendere debuiſſent: ipſi & equi eorum fatigati, & confracti propter aſcenſum & deſcenſum collium, & ſtrictarum viarum grauamine, longa fame & ſiti laborabant. Equi propter defectum pabuli, & itineris difficultate deficiebant: quos iam, nec mirum, armorum pondera reddiderant fatigatos. Illis in tali neceſſitate poſitis, Turci, qui benè ſciebant miſerabilem ſtatum exercitus, ſuas acies diuiſerunt, & cuilibet Capitaneum tradiderunt. Tunc ſubito cum impetu in exercitum proruperunt, improuiſos eos repererunt. Erant enim adhuc in ſuis tentoriis, nec erant in aciebus ad prælium ordinati. Turci verò habebant equos fortes & agiles, & longa recreatione refectos. Et quia leuiter erant armati, eos reperiebant in negotio promptiores. Plures enim eorum habebant arcus tantummodo & ſagittas. In hora, qua in exercitum proruperant, magnis clamoribus aëra repleuerunt. Clamabant, & vlulabant, & latrabant ſicut canes. Tympanis & macariis, & aliis ſimilibus inſtrumentis horribiliter reſonabant, ſicut moris eſt apud eos, vt ſuos in ſtuporem concutiant inimicos. Gens Imperatoris armatorum pondere grauata erat. Erant enim armati loricis & ocreis, ſcutis & galeis, equi eorum feſſi & macie tenuati. Turci impetu facto accedebant ad eos, ſagittis cominus infeſtantes: & ſtatim lora curſu retrogrado reflectebant, & ipſi non poterant eos inſequi propter armorum pondera, & maximè propter debilitatem equorum. Et propter hoc Turci eos audacter circuibant, & quaſi ad ſignum in eos ſagittabant. Et quando noſtri in eos volebant currere, retro velociſſimè fugiebant: & cùm pro reditu lora reflecterent, Turci ſtatim cum impetu reuertentes à tergo mucronibus & clauis feriebant. Confligendo tota die taliter pugnauerunt, noſtri in equis & hominibus vltra modum damnificati ſunt. Turci nihil damni vel incommodi pertulerunt. Vſque ad illum diem magnum quid fuerat, & fama magna de exercitu Imperatoris, quoniam in eo multi fuerant nobiles Principes & inclyti milites, qui per voluntatem Dei, aut eius tolerantiam, ibi corpore perierunt, & abſque profectu & vtilitate ſanctæ Terræ, pro cuius liberatione mouerant, ibi fuerunt quaſi penitus deuaſtati: quia, ſicut retulerunt qui præſentes affuerant, de LXX. millibus loricatorum, & de tanta multitudine peditum pars decima non remanſit. Quidam fame perierunt, alij gladiis hoſtium interfecti ſunt, & alij vinculis mancipati in ſeruitutem hoſtium fuerunt reſeruati. Vix Imperator & aliqui de ſuis Baronibus ab illo periculo & ab hoſtium gladiis euaſerunt, & retrò verſus vrbem Nicæam cum paucis millibus redierunt. Turci, qui plus per inſidias & proditionem quàm per arma triumphum habuerant (nec mirum ſi magna lætitia gauiſi ſunt) multas diuitias in caſtris Theutonicorum repererunt, aurum, argentum, pretioſa veſtimenta, equos & arma, & onuſti ſpoliis in ſuas munitiones redierunt. Per totam terram illam ſuas inſidias miſerunt contra expectantes exercitum Regis Franciæ de quo audierant, qui multum ab illis partibus non diſtabat. De triumpho, quem modo quo diximus habuerunt, mirabiliter gloriantes, iactitantes ſe quòd ex quo de exercitu Imperatoris, qui maior & potentior eſt Rege Franciæ, triumphauerant,

de

A de exercitu Francorum poterant ſatis de facili triumphare. Et ſicut Deus permiſit, LVDOVICVS VII. IVNIOR.
cuius iudicia ſunt occulta, ferè accidit vt optabant. In illo prælio non fuerat Sol-
danus Yconij: ſed fuit ibi tanquam Capitaneus quidam Turcus potentiſſimus no-
mine Paramundus. Hoc accidit anno Domini MCXLVI. menſe Nouembri. 1146.

Quomodo Rex Franciæ ad conſolandum Imperatorem acceſſit.

REx Franciæ & eius exercitus adhue ignorans infelicem caſum, qui Theu- IX.
tonicis acciderat, in partem alteram ſe diuertit, in terram Bithiniæ; & cùm
quaſi quendam gurgitem maris, qui eſt prope ciuitatem Nicomediæ, circuiſſet, ibi
conſuluit Proceres, per quas vias poſſent expeditiùs de cetero equitare. Tunc cœ-
perunt oriri rumores per exercitum, quòd Imperator à Turcis deuictus fuerat, &
perdiderat gentem ſuam, & quòd cum paucis ſuorum per montes & nemora fuge-
rat latitando. Rumor in ambiguo diu ſuſpendit exercitum, quoniam per certum
nuntium non fuerat diuulgatus, donec Dux Souauiæ Ferricus nepos Imperatoris,
fratris ſui primogeniti filius, qui poſt mortem auunculi tenuit Imperium, vir ma-
gnæ nobilitatis & ſapientiæ, venit ad exercitum, qui rem, prout acciderat, Regi &
Baronibus enarrauit. Mittebat enim eum Imperator ad Regem, vt die aſſignata ad
parlamentum conuenirent, & quid agendum ſit poſtea pertractarent. Verum eſt
quòd prius conſilium præſtitiſſet; ſed adhuc ſupererat Imperator, vt regeret corpus
B ſuum, & reſiduum gentis ſuæ. Et propter hoc conſilium volebat habere à Rege
Franciæ, qui amicus ſuus erat, quid ageret, & qualiter mala tam peſſimæ fortunæ
leuiùs toleraret. Sed cùm Rex & Barones Franciæ caſum Imperatoris audierunt,
dolore vehementi contriti ſunt. Rex pietate motus, prout erat vir naturaliter com-
patiens & benignus, vt Imperatorem in fortuna tam peſſima verbis conſolationis
ſubleuaret, aliquos de prudentioribus Baronibus ſumens cum caterua militum &
clientum, ſicut Ferricus Dux Souauiæ perducebat, venit ad Imperatorem, qui
non longè aberat, vbi Imperator cum reſiduo gentis ſuæ caſtra poſuerat, & ibi Fer-
ricum Ducem nepotem ſuum, quem ad Regem tranſmiſerat, expectabat. Vbi au-
tem iſti duo magni Principes ſe viderunt alterutrum, cum ſalutatione fideli ſeſe ad
inuicem præuenerunt, & vterque cum pacis oſculo labitur in amplexus. Tunc Rex
verba conſolationis adhibuit, opes & gentem ad voluntatem ſuam obtulit, bona
ſeruitia & fidele conſortium repromiſit. Diu ſimul ſoli locuti ſunt, & poſtea Baro-
nibus euocatis fuit taliter ordinatum, quòd iterum ſimul viam peregrinationis re-
peterent, & votum quod Deo vouerant pro poſſe ſuo fideliter adimplerent. Ve-
rumtamen multi fuerunt de gente Imperatoris, qui dixerunt, quòd illud quod at-
tulerunt pro expenſis in via faciendis perdiderunt, & propter hoc vlteriùs ire non
poterant. Multum enim eos terruerant pericula viarum, & infelices caſus qui ac-
ciderant, vbi præſentes adfuerant, & labor itineris, qui nondum finitus erat, ſed
magis incipi videbatur; nec conſiderabant votum peregrinationis quod teneban-
C tur adimplere; nec fidelitatem ad Dominum ſuum, quem in exteris regionibus de-
ſerebant: ſed ſpretis his omnibus ad vrbem Conſtantinopolim redierunt.

Quomodo Imperator recedens à Rege Franciæ venit Conſtantinopolim.

TVNC mouerunt cum exercitibus ſuis, viam illam, quam Imperator tenuerat, X.
à ſiniſtris dimittendo; & viam ſuam verſus minorem Aſiam direxerunt, à ſini-
ſtra parte terram Philadelphiæ poſtergantes, ad ciuitatem Smyrnæ venerunt. Inde
vrbem Epheſeorum ibi pauſaturi intrauerunt. Ciuitas magni nominis & multum
honorata, eò quòd beatus Ioannes Euangeliſta eam ſuis prædicationibus illuſtra-
uit, & inde ad conuiuium Fratrum ſuorum à Domino vocatus, ibi feliciter expira-
uit: ſicut monſtrat adhuc eius eminens ſepultura. Conſiderans Imperator quòd ip-
ſe tenebatur pro maiore Principe de toto mundo, & quòd cum tanta nobilitate de
partibus ſuis mouerat, & nunc erat cum pauca manu militum in partibus alienis, &
quaſi in ſubiectione Francorum, quia ibi nihil aut parum poterat ſine illis, & propter
hoc tale ſibi dedecus imputans, viſus eſt ſibi per hoc Imperialem lædere Maieſta-
tem, ſi cum tam pauco numero militum transfretaret. Propter hoc imperauit quòd
ſui pedites per terram redirent, & ipſe cum modica gente Conſtantinopolim naui-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. gio eſt tranſuectus. Imperator Græcorum Manuel eum maiori honorificentia, quàm antea, recepit. Vbi Imperator cum Baronibus & gente ſua vſque ad veris initium hiemauit. Erant enim ambo Imperatores quadam affinitate coniuncti, ratione vxorum ſuarum, quæ ſorores erant, & fuerant filiæ veteris Berengarij Comitis de Luceboure. Et propter hoc Imperator Græcorum eum blandiori vultu receperat, & ad preces Imperatricis vxoris ſuæ ſibi & Baronibus ſuis multa dona & pretioſa iocalia præſentauit. A

De victoria, quam Franci habuerunt ad vada Menandri.

XI. POST receſſum Imperatoris, Rex Franciæ Proceres ſuos conſuluit, per quas vias iter dirigerent, & quid de cetero commodius ſit agendum. In illa perendinatione in ciuitate Epheſis ad votum diſcubuit, & obiit quidam nobilis & optimus miles de Regno Franciæ, Guido miles de Pontiuo, pro cuius morte Rex & Principes non modicum doluerunt. In vno latere maioris Eccleſiæ decenter, vt decuit, traditus ſepulturæ. Rex cum exercitu ſuo ab Epheſeorum ciuitate recedens, iter direxerunt verſus partes Orientis, & ſic per dies aliquos equitantes, tandem ad vada Meandri peruenerunt, vbi copia cygnorum omni tempore reperitur. Propter quod dicitur,

Ad vada Meandri concinit albus olor.

Ibi propter loci amœnitatem & pratorum virentium vbertatem tentoria locanerunt. Franci multum optauerant, vt Turcos poſſent alicubi reperire, & cum eis cominus dimicare. Sed illa die accidit vt optabant: quia in parte altera fluminis tentoria fixerat Turcorum maxima multitudo. Quando noſtri volebant equos ſuos in vadis fluminis adaquare, Turci ex aduerſo ſuper alteram ripam fluminis ſpiſſim ſagittis cominus infeſtabant. Sed noſtri milites, qui ardenti deſiderio vlteriùs ad eos tranſire cupiebant, flumen tamdiu ſurſum & inferius tentauerunt, quòd vadum in tranſuerſo fluminis, quod etiam nondum indigenæ nouerant, inuenerunt. Tunc cum magnis agminibus in alueum fluminis vnanimiter impetum facientes, ripam alteram tenuerunt: circumquaque repulſis hoſtibus, qui quantum poterant lânceis & mucronibus repugnabant. Tunc in hoſtes viriliter irruerunt, diu & fortiter vtrinque congreſſi ſunt. Sed tandem Deo concedente ceſſit victoria Chriſtianis. Partem enim maiorem in ore gladij peremerunt, plures viuos in vinculis traxerunt, & alij, prout melius poterant, aufugerunt. Tunc victores victorum tentoria diſrumpentes, multimodas opum ſpecies repererunt, pannos ſericos, aurum, argentum, veſtes, & diuerſa vaſorum genera, cum multis aliis diuitiis, prout moris eſt in victorum tentoriis reperire. Et ſic onuſti ſpoliis hoſtium, flumen iterum tranſnatantes, ad ſua tentoria redierunt. Illa nocte nimirum multum gauiſi ſunt, & Deo gratias referentes, & maximè propter primam victoriam, in qua Deus eis conceſſerat de hoſtibus triumphare. Diei ſequentis aurora relucente, inde recedentes ad quandam ciuitatem, quæ Gallicè vocatur *la Liche*, venerunt, & ibi prout moris erat apud eos cibis & aliis neceſſariis quadrigas & ſummarios onerantes, viam quam cœperat tenuerunt. B C

Quomodo Turci Francos dolo circumuenerunt.

XII. IN parte illa, qua iter direxerant, erat eminens & altus, per quem erant, quaſi de neceſſitate tranſituri mons quidam. Mos erat in exercitu, quòd vnus de magnis Baronibus faciebat quotidie antegardam, & alius retrogardam, cum ſufficienti numero militum; & de communi conſilio Procerum prouidebant, vbi deberent figi tentoria, & vbi meliùs exercitus reſideret. Illa die faciebat antegardam Gaufridus de Ranconio, vnus de nobilioribus Baronibus prouinciæ Pictauenſis, qui gerebat Regis baneriam, quam præcedebat, prout moris eſt, vexillum beati Dionyſij, quod Gallicè dicitur *Oriflambe*. Sic prius ordinatum fuerat inter eos, quòd illi de antegarda in montis cacumine locarent tentoria, vbi totius noctis ſpatio pauſaturi quieſcerent. Et cùm ille Gaufredus montis verticem aſcendiſſet cum acie, quam ducebat, viſum fuit ei, quòd parum equitauerant illa die, & quòd ſol multum diſtabat à partibus Occidentis. Præterea illi, qui exercitum conducebant, ſibi dederunt conſilium quòd montis altitudinem pertranſiret, & quòd parum vlteriùs erat locus amœnus & grata planities, vbi poſſent decentiùs tentoria collocari. Proh dolor!

A eorum conſiliis acquieuit, & vt ad loca, quæ ſibi dixerant, de luce poſſet attingere, velociùs equitauit. Illi de retrogarda putabant, quòd ſicut ordinauerant, aſcenſo monte ibi deberent ſiſtere, & ſua tentoria collocare; & propter hoc, quia neſciebant antegardam vlteriùs prætergreſſam, ideo lento greſſu & tardius ſequebantur. Turci, qui non longè ab exercitu ſemper quaſi à latere ſequebantur eos, ſi poſſent modis omnibus nocituri, vt viderunt iſtas duas groſſas acies in tanta diſtantia ſegregatas, & quòd ſupra montem non erant niſi pedites & inermes, ſtatim rem in ſuum commodum prouenire cognouerunt. Præterea plurimum confidentes in hoc quòd in montis aſcenſu erat via ſtricta & ardua, & quòd noſtris erat difficile eos ſimul in montem aſcendere, & ad prælium aggregari: & propter hoc ſtatim equos calcaribus perurgentes, & montis verticem occupantes, ita vias penitus concluſerant, quòd illi de retrogarda ad illos de antegarda non poterant niſi per eorum gladios & ſagittas pertranſire. Tunc cœperunt noſtros acriter inuadere, & primò ſagittis eminus infeſtare, & poſtea cominus accedentes clauis & mucronibus expugnare. In magna anguſtia erant noſtri, & in ſtatu miſerabili, eo quòd non ſimul, ſed paulatim, & per viam ſtrictam & arduam oportebat aſcendere, & maximè quia erant eorum acies in tanta diſtantia ſegregatæ, ita quòd vna non poterat alteri ſubuenire. Tot erant ſummarij in viis ſtrictis & arduis, & alia inſtrumenta, quòd probi milites & audaces, qui cum tanto deſiderio prælium affectabant, & ad hoſtes accedere cupiebant, vſque ad eos non poterant pertranſire. In illo primo impetu
B multi de noſtris ceciderunt, ſed tamen paulatim, prout meliùs penetrare poterant, probiores & audaciores milites cœperunt in vnum congregari audacter, ſeſe ad prælium excitantes, & dicentes quòd Turci erant gens nullius virtutis & inanis in prælio, ſicut nuper probauerant, quoniam eos leuiter in Menandri planitie deuicerunt. Tunc ſe viriliter defenderunt, & acriter pugnauerunt, & aliquando ſe eis coniunxerunt, ſicut paulatim veniebant, & per viarum diſcrimina penetrabant. Turci ſimiliter ſua lingua ſeſe ad prælium excitantes, ad memoriam reducebant, quòd nuper in prælio Imperatorem & eius exercitum deuicerant, qui vir erat Rege Franciæ longè nobilior, potentiæque maioris.

LVDOVICVS VII IVNIOR.

Quomodo retrogarda Regis Franciæ deuicta fuit à Turcis.

XIII.

TALITER confligendo diu durauit fera pugna & aſpera: boni milites præliando perſeuerantes non ignari ſe defendere, quandiu durauerunt ſtragem magnam dederunt, & multum ſanguinem hoſtium effuderunt. Sed tanta erat hoſtium multitudo, quòd quando illi qui diu pugnauerant ſe feſſi vel ſaucij à prælio retrahebant, ſtatim loco eorum alij recentes ad prælium veniebant. Sed quia noſtri tantam militum copiam non habebant, qua poſſent ita ſuas acies mutuare *, & manu recenti alternatim cum hoſtibus præliari, pondus belli non potuerunt amplius ſuſtinere: ſed feſſi & fracti longo certamine fuerunt deuicti. Plures ibi
C fuerunt mortui, ſed plures viui capti, & vinculis mancipati. Ibi fuerunt aut capti aut mortui (quia hoc fuit in ambiguo) quatuor optimi milites & benè genere nobiles, de quorum morte multum Chriſti fuit militia deſolata, & Regnum Franciæ in membris optimis mutilatum; videlicet Comes Guarenciæ, Gaucherus de Monte-Gaij, Eurardus de Bretolio, & Ytherus de Maignac. Multi fuerunt illa die qui pro Chriſto martyrium receperunt. Nulli debent Dei opera diſplicere, quia omnia ſua recta & iuſta ſunt opera. Sed nunc ſecundum iudicium hominum nimis eſt admirandum, quomodo Francos illa die ab hoſtibus fidei deuinci pertulit, qui ſunt gentes de toto mundo ad eius ſeruitium promptiores, & fide Catholica firmiores. In illo conflictu Chriſti militiæ tam damnoſo non fuit aliquis de antegarda, ſed pampiliones tetenderant, ignari caſus tam peſſimi in tentoriis quieſcebant. Verum eſt quòd quando viderunt poſt ipſos retrogardam tamdiu retardare, in ſuſpicionem ceciderunt, eos caſu aliquo vel infortunio impediri. In illo prælio præſens fuerat Rex, ſed quando circa ſe gens ſua cœperunt diminui, & iam Turci quò volebant ad libitum agitabant: aliqui de Francia milites eum per frænum traxerunt de prælio, & ſuper illius montis verticem, qui non procul aberat, aſcendere coëgerunt. Vbi ſteterunt cum paruo agmine, donec diei claritas ſe penitus abſentaret, & noctis tenebræ ſingula denigrarent. Sed vbi nox obſcura terræ ſu-

*for. mutare

LVDOVICVS VII IVNIOR. perficiem obumbrauit, dixerunt quòd vſque ad ortum diei ibi nullatenus remanerent, & quòd melius erat de monte deſcendere, & viam aliquam tenere, & quacunque ducere vellet ire, quàm ibi tota nocte inter hoſtium pericula remanere. Quis ſapiens, qui ſciret conſulere in ſtatu tam miſerabili, quia Rex multis vallatus periculis? hoſtes eum vndique circuibant, gentem ſuam perdiderat, nec de toto exercitu erat aliquis qui viam ſciret, qua tendere debuiſſent. Sed Deus, qui ſperantes in ſe omninò non deſerit, ne deſperationis periculum incideret, conſolationis ſcintillam adhibuit: quia non multum de monte deſcenderant, quando viderunt ignes, quos ſui homines de antegarda in caſtris & circa tentoria faciebant. Quos vbi pro certo cognouerunt, ad eos acceſſerunt. Turci quia timebant ne ſuccurſus de antegarda ad auxilium ſuorum accurreret, & maximè propter noctis caliginem, abſceſſerunt. Quidam autem dicunt Regem cum paucis ſuper montis verticem remanſiſſe, multos habens de ſuis aduerſariis, licèt Regem eſſe neſcirent, ipſum terribiliter inſultantes. Rex verò in perſona propria ſe viriliter defendebat. Quia verò nox de prope aderat, quæ ſui obſcuritate prælium diuidebat, Rex ſubtus quandam arborem ſe retraxit, demum ſuper eam aſcendens cum gladio diu multúmque hoſtes immaniter expugnabat. Turci denique timentes ſibi tum ratione noctis obſcuræ, tum ne ſuccurſum haberet aut veniret, ilicò receſſerunt. A

Quomodo exercitus Francorum venit apud Satelliam.

XIV. QVANDO milites de antegarda viderunt Regem ſic venire, & de caſu infœliciſſimo, qui ſibi acciderat, certificati fuere, vltra quàm credi poteſt doloribus proſternati, planctibus & vlulatibus horribiliter aëra repleuerunt. Pauci erant in toto agmine, qui non aliquem de ſuis amicis carnalibus perdidiſſent. Nemo poterat eos retinere, quin ſuum proximum qualem perdiderat, acclamaret. Vnus patrem, alius filium, alter fratrem, & alius auunculum vlulabat. Inde lachrymis & planctibus vltra modum intenti, poterant aduertere, ſi rationem vis doloris admitteret, quantum eis periculum eminebat: quia ſi Turci ſtatum exercitus aduertiſſent, dum tantis doloribus vexabantur, de facili poſſent omnes occidere, aut captiuos vinculis mancipare. Tamen aliquos de ſuis receperunt, qui gladios Turcorum euaſerant, & latirando per dumos & latebras ad eos aufugerant. Sed eorum numerus paucus fuit reſpectu eorum qui in prælio ciciderunt. Ab illa die cœperunt in exercitu hominum & equorum cibi rareſcere, & penitus deficere. Non reperiebatur, vnde poſſent equi & homines ſuſtentari, quia nulla ſpecies mercimoniæ ad exercitum veniebat: & neminem inueniebant, ac ſi à facie eorum omnes penitus aufugiſſent. Maius etiam periculum erat, quòd non erat in toto exercitu, qui in terra illa fuiſſet aliàs, nec qui ſciret vias quò tendere debuiſſent: ſed quaſi oues errantes nunc ad læuam, nunc ad dextram, nunc per valles, nunc per ardua montium oberrabant. Tandem, ſicut Domino placuit, poſt aſcenſiones montium, & deſcenſus vallium profundarum, ad ciuitatem Satelleæ peruenerunt. Et mirum, quia Turcos nuſquam obuios habuerunt, nec amplius inſultus vel aliqua impedimenta ab eis pertulerunt. Vnde multi admirari & gauiſi ſunt. Satellia eſt quædam ciuitas in littore maris ſita, & eſt Imperatoris Græcorum. In confinio illius ciuitatis ſunt multum bonæ terræ arabiles & fructibus abundantes, ſi coli ab incolis potuiſſent: ſed nullum conferunt commodum nec agricolis, nec ciuibus illius ciuitatis, quia Turci, qui prope ciuitatem in caſtellis & munitionibus habitant, in tantum cogunt & opprimunt agricolas, quòd agriculturæ, nec operibus aliis vacare permittunt. Tamen intra ciuitatis mœnia ſatis poſſunt recuperari cibaria, & quæcunque ſunt homini neceſſaria: & in confinio, & infra metas ciuitatis ſunt pulchri fontes & optimi, & prædia delectabilia, vbi denſim complantatæ ſunt arbores omnimodi generis fructibus abundantes. Non eſt ibi carum forum rerum venalium, quia ſatis de bladis & vinis, & rebus aliis neceſſariis per mare nauigio aduehunt mercatores. Et tamen contra oppreſſionem Turcorum eircummanentium non duraret, niſi eis annuatim vectigalia redderet & tributa. Turci illam vrbem appellant Achaliam, vnde mons magnus, qui propè eminet, & durat à monte Lixodonæ, vſque ad inſulam Cypri, quæ Græcè nuncupatur Athaliqua: ſed noſtri Gallici *Gouffre de Satellie* eam appellauerunt, & adhuc modò eodem nomine nuncupatur. B C

A

Quomodo Rex Franciæ venit apud Antiochiam, & inde receſſit.

POSTQVAM Rex ibi moram fecit per dies aliquos, vt exercitum recreationis XV.
beneficio ſubleuaret, pedites ſuos in ciuitate dimiſit, & ipſe cum Baronibus &
militibus transfretaturus mare conſcendit, regionem Iſauræ & Ciliciæ à parte ſi-
niſtra, & ad dextram inſulam Cypti dimiſit. Mare pacificum & auram blandam
habuerunt, & iuxta quandam ciuitatem, quæ vocatur Seleucia, ad portum ſancti
Simeonis appulerunt, qui decem millibus abeſt ab Antiochia, & vbi Farei fluuius
per Antiochiam defluens, in mare decidens terminat curſum ſuum. Raimundus
Princeps Antiochiæ poſtquam rumores audiuit de Rege Franciæ, qui cum manu
militum in terra ſua applicuerat, & non longè, valde gauiſus eſt. Diu eius aduen-
tum expectauerat. Cum maioribus Baronibus terræ ſuæ, & alterius gentis decenti
comitatu, cum gaudio obuiam occurrit, & eum cum Baronibus ſuis, & omni gonte
ſua cum honore in ciuitatem introduxit. Populus & Clerus eum ſolenniter cum
proceſſione ſuſcepit. Princeps modis omnibus ſtudebat, quomodo per omnia vo-
luntati Regis ſatisfaceret, & eum alliceret in amorem; etiam prius in Franciam
magna præſentia & pretioſa iocalia tranſmiſerat, quando pro certo audiuit quòd
crucem aſſumpſerat. Sperabat enim quòd per auxilium Francorum ſuper Turcos
ciuitates & oppida deberet acquirere, & infra fines Sarracenorum Principatus ſui
B poteſtatem dilatare. Confidebat etiam quòd Alienordis Regina, quæ cum Rege
veniebat, Regem in talem deberet inducere voluntatem: maximè quia neptis
eius erat, filia fratris ſui primogeniti Guillelmi Comitis Pictauenſis. Non fuit ali-
quis de Baronibus Franciæ, qui cum Rege venerant, cui Princeps iocalia & dona
non mitteret. Differenter tamen ſecundum quod erant nobilitate & genere di-
gniores, eos in hoſpitiis viſitabat, & eis ſe pulchris ſermonibus iucundum & affa-
bilem exhibebat. Tantam ſpem & fiduciam in auxilium Regis poſuerat, quòd ſibi
videbatur ciuitates Halapiæ, Cæſaream, & alias vrbes & oppida eorum quæ erant
in confinio Antiochiæ, in poteſtatem ſuam de facili poſſe redigi. Et ſine dubio ſatis
faciliter potuiſſet accidere ſecundum Principis opinionem, ſi voluntatem & pro-
poſitum Regis ad hoc inducere potuiſſet: quia Turci propter Regis aduentum
mira formidine terrebantur, nec habebant propoſitum reſiſtendi, nec tuendi mu-
nitiones ſuas; ſed potiùs fugiendi, ſi Regem ad eos accedere contigiſſet. Princeps,
qui voluntatem Regis pluries priuatim tentauerat, non ſentiebat ab illo quod ſen-
tire cupiebat, ſed ſuum propoſitum à ſuis petitionibus penitus alienum. Quadam
die venit ad eum coram Baronibus ſuis, & petitiones ſuas meliori modo quo po-
tuit propoſuit; multis rationibus oſtendens, quòd ſi vellet ad hoc intendere quod
petebat; quòd animæ ſuæ multum proficeret, laudem plebis acquireret, & Chri-
ſtianitatis terminos in fines Turcorum plurimùm dilataret. Tunc Rex cum ſuis
Baronibus communicato conſilio, ſic reſpondit: Quòd ad ſepulchrum Domini ſe
C vouerat, & propter hoc ſpecialiter crucem aſſumpſerat, & quòd ex quo à Regno
Franciæ receſſerat, multa mala ſibi occurrerunt, & fuerat multis incommodis im-
peditus, & propter hoc modò non habebat voluntatem mutandi propoſitum, nec
noua negotia ſuperinducere, ſed ante omnia ſi poſſet votum ſuæ peregrinationis
pro quo mouerat adimplere: ſed poſtea libenter audiret Principem, & alios Syriæ
Principes, & per eorum conſilium libenter pro commodo Chriſtianitatis omni
modo laboraret. Princeps ſatis intelligens per reſponſionem Regis, petitiones
ſuas vacuas fieri; magna contra Regem ferbuit iracundia, & ab illa hora non ceſſa-
uit in quantum potuit, in malum Regis & dedecus machinare, in tantum quòd
Alienordis Regina vxor ſua ſuis malis exhortationibus Regem voluit deſerere, &
ab illo ad minus ad tempus, quaſi quodam diuortio ſeparari. Regi dictum fuit à
pluribus, quòd Princeps in malum ſuum modis omnibus ſatagebat, & procurabat
quomodo poſſet eum vel inſidiis vel aliis incommodis impedire. Et propter hoc
Rex habito cum ſuis Baronibus ſecreto conſilio, de nocte cum gente ſua ab vrbis
ianuis eſt egreſſus. Talem pompam nec talem proceſſionem non habuit in diſceſ-
ſu, qualem prius habuerat in ingreſſu. Multi fuerunt, qui Regi nec immeritò de-
trahentes, dixerunt, quòd ab Antiochia & eius finibus tali modo diſcedere, ad de-
decus & non ad honorem Regium pertineret.

LVDOVICVS VII. IVNIOR. A

Quomodo Imperator Alemanniæ receſſit à Conſtantinopoli, & venit Hieruſalem, & de morte Comitis Tholoſæ.

XVI. INTERIM verò Conradus Imperator Alemanniæ, qui poſt diſceſſum Regis Franciæ in vrbe Conſtantinopoli cum reſiduo gentis ſuæ hiemauerat, vbi eum Emmanuel Græcorum Imperator multis humanitatis obſequiis & multis honoribus extulerat, (vt pote virum tantæ nobilitatis decebat) veris initio transfretare propoſuit. Intendebat enim Hieruſalem & terram viſitare promiſſionis, & votum ſuæ peregrinationis, ſi poſſet, adimplere. Cui Imperator Græcorum nauigium competens ſibi & genti ſuæ præparari præcepit, eúmque multis muneribus pretioſis cùm ab eo diſcederet honorauit. Intrans igitur nauigium cum omni gente ſua, & exponens carbaſa ventis, aura flante pacifica, in breui portui applicuit Acconenſi, & in vrbe per aliquos dies perendinans, poſtea equeſtri vehiculo ad ſanctam ciuitatem Hieruſalem cum magno cordis deſiderio quantociùs potuit peraceſſit. Cui Balduinus Rex cum ſuis Baronibus, Fulcherus Patriarcha cum magna Cleri populique frequentia, obuiam exierunt; & ſic Clerus cum proceſſione cappis ſericis indutus cum magna lætitia in ſanctam ciuitatem introduxit. Eodem tempore applicuit ad portum Acconenſem quidam nobilis homo de Regno Franciæ, vir magnanimus & fidelis, Comes Tholoſæ Alphonſus nomine, quondam filius Raimundi Tholoſæ Comitis, qui tam magnis actibus claruit in illo magno exercitu, qui Antiochiam & Hieruſalem & totam terram Syriæ Chriſtianis legibus ſubdiderunt. Iſte Princeps nobilis diu deſideratus & expectatus fuerat in Regno Hieruſalem. Sperabant enim per eius auxilium inimicis crucis viriliùs reſiſtere, quia innata & naturali pollebat ſcientia, & eius geſtis magnificis eius opera reſtimonium perhibebant. Magis etiam ei impendebatur honoris, propter patris ſui merita, quàm propter ſe. Multa bona feciſſet in terra, ſicut ſperabatur, niſi morte præuentus tam citò interiſſet. Nam cùm mouiſſet ab vrbe Acconenſi, & pergeret Hieruſalem, vt loca ſancta & ſepulchrum Domini viſitaret, in vrbe Cæſarea in margine maris ſita iacuit prima nocte: vbi filius perditionis, ſed neſcitur quis aut quare fecerit, per venenum, quod cibis miſcuit, virum tam nobilem ſubitò extinxit. Pro cuius morte per totam terram Syriæ tam pauperes quàm diuites doluerunt. B

De aduentu Regis Franciæ in Hieruſalem.

XVII. INTEREA venit rumor in vrbe Hieruſalem, quòd Rex Franciæ ab vrbe Antiochiæ diſceſſerat, & directè ad vrbem Tripolim cum ſuo exercitu veniebat. Huiuſmodi rumoribus excitatus Rex Hieruſalem Balduinus, conuocato cum ſuis Baronibus conſilio, obuiam ei miſit Fulcherium Patriarcham, ex parte ſua rogatum, vt ſine dilatione ad vrbem ſanctam iter ſuum dirigeret, vbi eum Imperator Aleman. & Rex cum Baronibus ſuis diu expectauerat, & adhuc expectabat. Verebantur enim ne Princeps Antiochiæ tale fœdus vel pactionem cum ipſo faceret, per quam ipſum in ſuis partibus retineret, vel etiam Comes Tripolis, maximè propter hoc quia eos conſanguinitatis affinitas annectebat, eum poſſet de facili in tantum fauorem allicere, quòd poſſet in finibus Tripolis remanere. Verum eſt quòd tota terra, quam temporibus illis tenebat Chriſtianitas in partibus illis transmarinis, principaliter diuidebatur in quatuor Principatus. Primus erat Regnum Hieruſalem à parte meridiei, quod incipiebat à quodam riuulo, qui eſt inter Gibelet & Baruth duas ciuitates Fenicis regionis in maris margine, cui deſerta quæ ſunt iuxta Ledaron terminum imponebant, ſicut directè tenditur ad Ægyptum. Regnum autem Hieruſalem propter ſui breuitatem Principatum ſeu Baroniam appellamus. Secunda Baronia à parte Boreæ erat Tripolis Comitatus, & incipiebat à riuulo ſupradicto vſque ad alium riuulum, qui eſt inter Marneliam & Valoniam, quæ ſunt ſimiliter duæ maritimæ ciuitates. Tertia verò Baronia eſt Antiochiæ Principatus à parte Occidentali, incipiens ſimiliter à dicto riuulo vſque ad vrbem Tarſiæ, vnde beatus Paulus Apoſtolus extitit oriundus, & eſt in Ciliciæ regione. Quarta Baronia erat Comitatus de Rohes, qui à parte Orientis incipiebat à quodam magno nemore, quod vocatur Marriz, vltra fluuium Euphrates penetrans vſque in C

A fines Paganorum. Iſti quatuor Principes erant in partibus transmarinis magni Principes & potentes: qui quando audierunt aduentum Imperatoris Alemanniæ & Regis Franciæ, quilibet iſtorum, cum ſpe & fiducia iſtorum aduentum expectabat, ſperans per eorum auxilium ad minus vlterius Turcos à ſuis finibus elongare, & ciuitates ſibi finitimas vendicare, quæ erant circa fines eorum locupletes, & rerum omnium abundantes: quas ſi poſſent acquirere, multum eſſent theſauri ſui refecti ſpoliis hoſtium, & termini ſuæ potentiæ dilatati. Et propter hoc quilibet iſtorum ſummopere procurabat, quomodo poſſet iſtos duos potentes Principes ad partes ſuas attrahere. Miſerunt enim ſibi per nuntios literas cum donis & iocalibus: nec ſolùm ſibi, ſed etiam Baronibus ſibi domeſticis, quorum conſilio putabant eorum negotia pertractari. Et maximè Rex Hieruſalem Balduinus duabus de cauſis affinitatis patriæ ſperabat eſſe propinquior, ad hoc quòd Rex Franciæ ad partes ſuas citiùs deberet accedere: quia Comitatus Flandriæ, vnde Dominus & oriundus extiterat, membrum eſt non minimum Regni ſui. Præterea Imperator Alemanniæ, qui illuc diu expectauerat, eius adhuc quotidie præſtolabatur aduentum. Tunc quia ibi erat voti ſui principalis intentio terminus & finis ſuæ peregrinationis, & quia timebat ne alij tres præfati Principes aliquibus blanditiis eum in partibus ſuis detinerent, miſit ei obuiam Fulcarium Patriarcham, qui eum multis ſermonibus informauit, oſtendendo quòd præ ceteris regionibus citiùs deberet ad

B ſanctam ciuitatem accedere, tanquam ad ſuæ peregrinationis complementum. Cuius verbis & exhortationibus Rex acquieuit, & ſtatim directo itinere cum ſuo exercitu verſus partes Regni Hieruſalem dietauit. Nec prætereundum eſt quanto gaudio, & quanta cordis lætitia, tanquam Angelus Domini, receptus fuit à populo: qui omnes, maximè Clerus, cum proceſſione exierunt obuiam ei. Et ſicut antiquitus pueri Hebræorum Domino acclamabant, *Oſanna filio Dauid*: ita iſti acclamabant, *Benedictus qui venit in nomine Domini*. Rex Balduinus & omnes Barones cum Prælatis Regni Hieruſalem per loca ſancta, quæ multum videre deſiderauerat, ſolenniter conduxerunt. Inde factis orationibus & oblationibus, prout decuit Regiam Maieſtatem, ad ſuum hoſpitium, quod ſibi parari fecerant, rebus omnibus neceſſariis præmunitum, cum comitatu nobili perduxerunt. Ibi fuit Curia patens omnibus ſolenniter celebrata, rebus omnibus fertilis & abundans.

De Regibus, Baronibus, & Prælatis in Hieruſalem congregatis.

IN craſtino conuenerunt Principes, videlicet Imperator Alemanniæ, Rex Franciæ, Rex Hieruſalem, Patriarcha, & alij Barones, qui præſentes aderant, vt de ſtatu terræ ad vtilitatem Chriſtianitatis vnanimiter pertractarent. Ibi fuit concorditer ab omnibus ordinatum, quòd in vrbe Acconenſi vna die conuenirent. Ad hanc diem venerunt omnes Principes alieni, Barones, & magni homines terræ XVIII.

C Siriæ, qui commodè adeſſe potuerunt. Ad illud Parlamentum fuit Conradus Imperator Alemanniæ, & dominus Otho frater ſuus Clericus bonus, ciuitatis Friſingiæ Epiſcopus: Stephanus Metenſis Epiſcopus, Henricus Tullenſis Epiſcopus frater Theodorici Flandriæ Comitis; Theodinus Pontinenſis Epiſcopus, qui ex præcepto Apoſtolico erat Legatus in exercitu Imperatoris. De Principibus fuit ibi Henricus Dux Auſtriæ frater Imperatoris, & alius Dux nomine Guelphus, homo potens & nobilis, & Ferricus Dux Souauiæ nepos Imperatoris, primogeniti fratris ſui filius, qui poſt deceſſum auunculi ſui ſceptrum Imperiale tenuit, & ſagaciter & nobiliter rexit. Ibi ſimiliter fuit Hermandus Veronniæ Marchiſius, Bernardus de Handis, qui poſtea fuit Dux Baioatiæ, Guillelmus Marchiſius de Monte-Ferrati ſororius Imperatoris; Comes de Blandras, qui ſororem Guillelmi Marchiſij deſponſauerat. Iſti duo magni homines erant & nobiles de terra Lombardiæ, qui cum Imperatore illo die in conuentu Procerum conuenerunt; & multi alij nobiles, quorum nomina cenſuimus reticere. Ex parte alia fuit LVDOVICVS Rex Franciæ; Godefridus Epiſcopus Lingonenſis, Arnulphus Epiſcopus Liſienenſis, Guillelmus de Florentia Preſbyter Cardinalis ex mandato ſummi Pontificis Legatus in exercitu Regis Franciæ, Robertus Comes de Pertico frater Regis, Henricus filius Theobaldi veteris Comitis Campaniæ, homo iuuenis, largus, & ſapiens, & corde magnanimus. Hic deſponſauerat filiam Regis Franciæ nomine

LVDOVICVS VII. IVNIOR. Mariam. Ibi erat ſimiliter Thierricus Comes Flandriæ, Princeps diues & nobilis, ſororius Balduini Regis Hieruſalem. Ibi ſimiliter erat Yuo de Nigella in Epiſcopatu Nouiomenſi, homo formæ elegantis, & pollens ſapientia naturaliter. Multi etiam nobiles & potentes de Regno Franciæ ibi præſentes adfuerunt, quorum nomina reticemus. De terra Syriæ fuit ibi præſens nobilitas, videlicet Balduinus Rex Hieruſalem, Foucherius Patriarcha, mater Regis Balduini, mulier bona & ſapiens, forma & exemplum aliis continentiæ vidualis. Ibi ſimiliter fuerunt multi Eccleſiarum Prælati: Balduinus Archiepiſcopus Cæſarienſis, Robertus Archiepiſcopus Nazarenus, Rogerus Epiſcopus Acconenſis, Bernardus Epiſcopus Sydonienſis, Guillelmus Epiſcopus Baruthenſis, Adam Epiſcopus Belinenſis, Girardus Epiſcopus Behetlemitenſis, Robertus Magiſter Templi, Raimundus Magiſter Hoſpitalis. De Baronibus Syriæ, Manaſſes Comes Stabularius Regis Balduini, Elinandus Comes Tabarienſis, Girardus Comes Sydoniæ, Galterus Comes Cæſarienſis, Paganus Dominus terræ, quam vltra fluuium Iordanis habitant Chriſtiani, Honfredus Comes de Torunno, Guillelmus Comes Banethenſis, & multi alij diuerſarum regionum, qui in vrbe Acconenſi propter negotium Terræ ſanctæ illa die fuerunt congregati. A

Quomodo noſtri conſilium habuerunt de obſidenda Damaſco, & quomodo inde profecti ſunt. B

XIX. IN illo conuentu Procerum & Prælatorum ſecundum diuerſas opiniones multa fuerunt prolata conſilia, & diuerſæ rationes oſtenſæ ad ducendum Chriſtianitatis exercitum ad diuerſas partes, ſecundum quod maior neceſſitas perurgebat. Tandem ab omnibus fuit ſic concorditer & firmiter ordinatum conſilium, quòd Damaſci ciuitatem obſiderent. Tunc fuit indictum, & ex parte Regum & Baronum communiter acclamatum, quòd omnes vna die conuenirent ad vrbem Thabariæ armis & inſtrumentis bellicis præmuniti, & ad prælium præparati. Hoc
1147. actum anno Domini MCXLVII. vigeſima die menſis Maij. Iſti duo magni Principes, qui de longinquis nationibus ad peregrinandum venerant in Hieruſalem, & alij Barones de Regno, præfixa die pedeſtris populi & equeſtris militiæ venerunt Thabariam, quæ in Euangelio vocatur Cæſarea Philippi. Illuc delata fuit crux ſancta cum magna deuotione à Foucherio Patriarcha: quia moris erat tunc temporis apud Chriſtianam militiam ſemper illam præferri in negotiis præliorum. Illuc conſuſuerunt Principes alieni Barones patriæ, vtpote gnaros, vitare locorum pericula, & qua parte ciuitas erat obſidenda. Qui dederunt conſilium, in quo omnes alij vnanimiter conſenſerunt: quia videlicet conſonum & vtile veritati, quòd omnes primò intenderent, & vnanimiter laborarent occupare iardinos & prædia, quæ ex vna parte circumeunt ciuitatem: quia erant in eis munitiones & turres altæ, vbi Turci maximè confidebant, & muri lutei interclusum cingentes, C prædiáque ſecundum quòd quilibet Turcorum ſuam intercluſerat portionem. Et benè videbatur eſſe verum, quòd prædiis occupatis de facili ciuitas caperetur. Rebus igitur taliter ordinatis, in craſtino mouerunt caſtra, & tranſierunt montem Libani, de quo Scripturæ ſacræ multis locis faciunt mentionem, & eſt inter Belinas & Damaſcum. Poſt deſcenſum montis Libani venerunt ad quandam villam quæ vocatur Daire, vbi omnes tentoria locauerunt. O quàm pulchra & delectabilis erat viſu facies exercitus, vbi tot erant noua tentoria & pampiliones, diuerſis armorum ſpeciebus & coloribus differentes, & diuerſæ Principum banneriæ auræ leuis impulſionibus crepitantes! A quatuor vel quinque millibus diſtabant à ciuitate Damaſci: ita quòd totam vrbem cum muris & turribus quaſi ſub oculis poſitam planè poterant intueri. Turci autem ſuper altitudines munitionum aſcendentes intuebantur exercitum, cuius aduentum mirabiliter formidabant. Nec mirum, quia ferè totam nobilitatem Chriſtianæ militiæ tam decenter contra ſe pugnaturam accedere ſentiebant.

A

Quomodo noſtri venientes apud Damaſcum, ambierunt hortos.

VRBS Damaſci maior eſt & Metropolis illius terræ, quæ minor Syria vocatur, vel alio nomine Fenicia Libani, de qua Propheta dicit: Caput Syriæ Damaſcus. Quidam ſeruus Abrahæ nomine Damas fundauit olim, cuius nomen ciuitas ſortita eſt, & talis nominis diu nuncupata. Situs vrbis in quadam planicie, terra ſicca & ſterilis: tamen eam fœcundant agricolæ per fluuium qui deſcendit de monte, quem diuidunt in riuulos per meatus denſos in humo, vel per inſtrumenta lignorum concaua, & faciunt eos defluere vbi volunt, & vbi neceſſitas eſt humoris. A parte verò Orientis ſecus vtraſque ripas illius fluminis eſt immenſa denſitas arborum portantium omnimodas ſpecies fructuum, & latè terram occupant vſque prope mœnia ciuitatis. Mane autem facto arma capeſcit Chriſti militia, & totam gentem ſuam tantummodo in tres acies ordinarunt. Primæ cohortis ductor fuit Rex Hieruſalem cum ſuis indigenis, quia plus nouerant de rebus patriæ & de ſitu ciuitatis quàm alienigenæ peregrini. Secundam aciem duxit Rex Franciæ cum ſuis Francigenis, vt primæ ſuccurreret, ſi fortè videret eam periculo ſubiacere. Retrogardam fecit Imperator cum ſuis Theutonicis. Et ſic tribus aciebus ordinari verſus vrbem pugnaturi cum hoſtibus acceſſerunt. A parte Orientali, vnde XX.
B gens noſtra veniebat, erat ſitus ciuitatis, & prædia à parte Boreæ per quatuor vel quinque millia ciuitatem cingentia, magnis arboribus conſita, quæ magnæ ſiluæ ſeu magni nemoris effigiem prætendebant. Præterea quod noſtris maioris erat diſcriminis, erant prædia intercluſa muris compactis bitumine: quia in partibus illis non eſt lapidum copia, & terraceis quaſi turribus, vbi Turci noſtris nocituri in inſidiis latitabant. Præterea erant ibi anguſtæ viæ ducentes de horto ad hortum, terminantes ad vnam viam communem aliquantulum largiorem, quæ directè ducebat ad ciuitatem; tamen ita ſtrictam, quòd vix poterat vnus homo cum equo vel aſino fructibus onerato vſque ad ciuitatem pertranſire. A parte illa videbatur ciuitas inexpugnabilis, tum propter muros terraceos, vt diximus, tum propter riuulos per hortos ex naturalibus fontibus defluentes, & propter ſtrictas vias, quæ muris terraceis ex vtroque latere cingebantur. Tamen conſenſu Principum ſic fuit ordinatum, quòd totus exercitus per illos hortos vſque ad ciuitatem, licèt graui labore & periculo, penetraret. Quoniam ſi aliquo modo horti & prædia ſic penetrando potuiſſent occupari, ciuitas à parte illa nullo murorum ambitu clauſa, ſemicapta videbatur. Præterea quod exercitui non modicum proficui conferebat, iam maturis arboribus poterant legi fructus cuiuſlibet ſpeciei, & à parte illa aquæ fluuiorum Damaſci, ſine quibus equi & homines dimicare non poterant, inter vrbem & exercitum latè ſine medio defluebant.

C

Quomodo Turci Damaſci capti fuerunt.

TVNC præcepit Rex Balduinus, qui primam ducebat aciem, quòd gens ſua in hortos irrumperent. Sed hoc fuit primò difficile, quia à parte altera terraceorum murorum, & in limitibus ſtrictis murorum ambitu intercluſis, erant Turci; qui per feneſtriculas longas & ſtrictas, quas archerias vocant, noſtros lanceis cominus, & ſagittis eminus, prout poterant, infeſtabant, quos noſtri nec videre, nec ad eos accedere poterant. Et erant Turcorum plurimi, qui de illis latibulis egredientes, ſe audacter media via noſtris militibus opponebant, & eis tranſitum toto conamine prohibebant. Omnes Turci ad pugnandum vtiles ab vrbe communiter egreſſi fuerant, totis viribus repugnantes, ne noſtri hortos & prædia occuparent. Inter cetera tam periculoſa diſcrimina, vnum fuit quod noſtris plurimùm nocuit: quia per hortos ſparſim erant turriculæ fortes & arduæ, quas diuites Damaſci in hortis propriis conſtrui fecerant, vbi, ſi neceſſe ſibi foret, ſeſe reciperent, quando fructus ſuos maturitatis tempore colligebant. Illæ turres erant ſagittariis muniriſſimæ, à quibus noſtri multa grauia ſunt perpeſſi, quia eos ſagittis eminus infeſtabant: & quando improuiſi tranſeundo cominus accedebant, Turci ab alto groſſis lapidibus obruebant. Tunc noſtri in illo tam periculoſo certamine multis grauaminibus arcebantur, quia ſæpè feriebantur lanceis per feneſtras, ſaxis XXI.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

quatiebantur à Turcis, qui ſuper altitudines turrium eminebant: & ſic Turci de nostris multos equos & homines occiderunt. Propter hoc Principes poſtea plurimùm doluerunt, pœnitentes quòd vrbem à parte illa propoſuerant obſidere. Quod vt vidit Rex Balduinus, & omnes ſui Barones, ira magna & indignatione ferbuerunt, & ex parte didicerunt, quòd ſine magno periculo & damno vſque ad vrbem tali modo non poterant penetrare. Tunc reuertentes oppoſuerunt ſe viarum lateribus, & cœperunt fortiter ſternere muros terraceos: Turcos, quos ibi repererunt interclusos, quibus non erat fugiendi facultas, nec quærendi latibula, in os gladij peremerunt, multóſque quibus pepercit gladius ſecum vinculis attraxerunt. Et ſic noſtri multis locis illos muros terraceos proſtrauerunt, & Turcorum multum ſanguinem effuderunt. Quando Turci, qui per hortos circumquaque diſperſi fuerunt, murorum ruinam & ſuorum ſtragem perceperunt, verſus vrbem territi quantociùs aufugerunt. Et tunc primò noſtri viri per vias hortorum, nemine prohibente, liberè penetrarunt. Sed Turci, qui benè ſciebant, quòd noſtri poſt tantum laborem propter ſe & equos ſuos adaquandos ad fluuium venire contenderent; & maximè cognouerunt, quòd à parte illa erat ciuitas obſidenda, robur totius ſuæ gentis contra noſtros oppoſuerunt, & ripas fluminis ſagittariis & baliſtariis & robuſto milite munierunt, ne noſtri ad fluuium attingerent, propter equos exercitus adaquandos. Poſtquam autem acies Regis Balduini ab hortorum latibulis eſt egreſſa, ſicut ceruus deſiderat ad fontes aquarum, ita anhelabat ad aquas fluminis, quod prope mœnia ciuitatis diffluebat. Cùm igitur gentem ſuam aliquantulum diſperſam interim in aciem collegiſſet, vt per Turcorum cuneos ad latices fluuij tentaret irrumpere, Turci magna virtute aditum prohibentes retrorſum Regis aciem repulerunt. Tunc noſtri ira & verecundia caleſcentes, ſurſum ſeſe in agmine collegerunt, fluuium lucrari in iſto conamine ſeſe ad inuicem iactitantes. Tunc impetu facto in aceruos hoſtium violenter conflixerunt: & fuit ibi diu & fortiter dimicatum. ſed noſtri tandem ceſſerunt iterùm, quia Turci pro vita & patria libertate acriter dimicabant. Lento gradu ſequebatur Regis Francorum acies, quæ primæ cohorti, ſi neceſſe eſſet, ferret auxilium, vel ſaltem alternatim ſubueniret feſſis ſtudio præliandi. Imperator vltimò ſuam ducebat aciem, cauens ne fortè Turcorum latentes inſidiæ ab aliqua parte ſubitò proſilirent. Cùm videret ergo duas præcedentes acies vlteriùs non progredi, interrogauit quidnam eſſet, & quare fixo greſſu taliter reſtitiſſet? Dictum fuit ei, quòd prima cum Turcis conflictum inierat, qui egreſſi ab vrbe ante ripam fluminis totis viribus reſiſtebant. Sed quando Theutonici hoc audierunt, vtpote homines impatientiſſimi, & qui non ſunt in armorum negotiis circumſpecti, ſed propria capitis dementia furibundi, relicto ordine in quo erant in acie conſtituti, paſſim cum impetu cucurrerunt. Cucurrit etiam cum ceteris Imperator, & per medium phalangis Regis Franciæ ſine ordine penetrantes, vſque ad locum certaminis furore Theutonico proruperunt. Tunc pedites terræ ſe mandauerunt, eleuatis ſuis longis mucronibus, clypeiſque prætenſis ſuper Turcos acriter irruerunt. Quorum impetùm Turci diu ſuſtinere non valentes terga verterunt, & ſeſe vltra ciuitatis mœnia receperunt. Sícque noſtri ad vſus ſuos aquis fluminis liberè ſunt potiti.

A B C

De Turco quem Imperator per medium ſecuit.

XXII. IN conflictu illo ad laudem Imperatoris accidit quid dignum memoria. Quidam Turcus armatus lorica & ocreis eum inuaſerat, & inſtantiſſimè perurgebat. Imperator mucronem tenuit, quem de bonis ſolum elegerat, erectúmque potenti brachio, non impunè fecit deſcendere. Nam percuſſit eum inter collum & ſiniſtrum humerum ictu mirabili: ita quòd enſis ſecuit totum pectus cum humeris, & deſcendit obliquando vſque ad latus dextrum, taliter quòd pars dexterior abſciſſo penitus cum capite cecidit ſuper terram. Et tunc omnes Turci, qui ictum tam formidabilem viderant, ſtupefacti, ſtatim fugæ remedio noſtrorum gladios euaſerunt. Quod cùm aliis retuliſſent, auditores eorum in deſperationem ceciderunt, non ſperantes, quòd ſe poſſent tueri contra eos, nec gentem tantæ fortitudinis ſuſtinere. Poſteaquam autem noſtri lucrati ſunt hortos, & prædia, & vada fluminis, fixerunt tentoria, de hortis & iardinis multa commoda perceperunt: vi-

A delicet propter equos & herbam & pabula, & propter homines in arboribus fructus LVDOVICVS VII IVNIOR.
diuerſi generis iam maturos. Turci autem aſcendẽtes ſuper muros ciuitatis, vt vide-
runt exercitum tot & tantis pampilionibus more ſuo diſpoſitis in ambitu ciuitatis
tantam ſuperficiem terræ latiùs occupantem: ſatis animaduerterunt, quòd tam
forti exercitui diu reſiſtere non poterant, & quòd in ianuis erat captio ciuitatis.
Timuerunt igitur ne noſtri inſultum facerent, & in vrbem citò irrumperent, & ſic
omnes cum vxoribus & liberis in ore gladij trucidarent. Idcirco inter ſe conſilium
inierunt; & fuit ab omnibus ordinatum, quòd per omnes vicos ciuitatis à parte ob-
ſidionis pluribus locis ex groſſis lignis ex tranſuerſo vicorum repagula ponerentur.
Quia ſi fortè, quod verebantur, accideret, dum noſtri ligna & repagula ſcindere
intenderent cum fragore nimio & tumultu, ipſi poſſent interim per alias portas
cum vxoribus & liberis exire, & fugere velociter, donec poſſent tutum refugium
in ſuorum vicinis ciuitatibus reperire. Quod ſicut ordinauerunt, ſic & fecerunt.
Signum erat quòd non habebant propoſitum reſiſtendi nec continuandi, ſi vide-
rent ſibi aliquod infortunium imminere: quia plures iam ſarcinas alligaſſent, quas
ſecum, ſi fugere contingeret, aſportarent.

Quomodo noſtri conſilio quorundam proditorum reliquerunt hortos Damaſci.

B TVNC non erat difficile tantis Principibus ciuitatem Damaſci capere, ſi Do- XXIII.
minus eorum actibus deſuper aſpirare voluiſſet, & vota peregrinationis eo-
rum acceptaſſet. Sed fortè meritis ſuis exigentibus, & peccaris ſuis impedienti-
bus, eorum operibus noluit conſentire. Vel fortè per gentes alias futuris tempo-
ribus factum tam nobile præuiderat conſummari. Et ſic forſitan per fraudem &
malitiam inimici ſuſtinuit illud tam nobile negotium impediri. Nam prudentio-
res Turcorum, quia hoſtibus armis nocere non poterant, aliam nocendi viam in
animo conceperunt. Nouerant enim corda aliquorum de Baronibus Syriæ, qui
tantæ cupiditatis erant & auaritiæ, quòd de facili poſſunt corrumpi muneribus; &
per proditionis viam ad hoc poſſunt attrahi, quòd fallerent Reges & alios Princi-
pes Chriſtianos. Cognòuerant enim quòd fortitudinem tantæ gentis bello ſupe-
rare non poterant: idcirco eos per ſuos Principes armis auaritiæ vincere tentaue-
runt. Propterea ad illos Barones, quos aptos proditioni nouerant, clandeſtinos mi-
ſerunt nuncios, per quos magnam cenſus & diuitiarum copiam promiſerunt. Et
hoc promittebant optimis captionibus * ante omnia confirmare, ſi tantum face- * f. capitulationibus
rent, quòd ab illo loco, quo reſidebat exercitus, obſidio ſolueretur. Verum eſt
quòd illi Barones tantæ proditionis actores de terra Syriæ fuerunt, ſed eorum no-
mina & generis ſui principia & rerras ſuæ dominationis tacet hiſtoria: quia erant
adhuc aliqui ſui generis ſucceſſores, qui ſi audiſſent ſuos parentes vel amicos pro-
ditionis vocatos crimine, æquo animo non tuliſſent. Illi ergo qui officium Iudæ
C contra Dominum & eius exercitum ſibi aſſumpſerant; cum Imperatore & Rege
Franciæ & Rege Hieruſalem in fraude locuti ſunt: dicentes, quòd per prauum
conſilium decepti fuerant, quando à parte hortorum & fluminis ciuitatem obſe-
derant: quoniam à parte illa ad capiendum fortior videbatur, & ad vrbem propter
hortos & flumen grauior eſt acceſſus. Propter hoc bona fide conſulebant, quòd
antequam omninò labores à latere mitterent, & in otium tempus expenderent,
exercitum à loco ſuo amoueri præciperent, & in parte altera in oppoſito latere ci-
uitatis obſidionem locari: quia ſicut dicebant; in parte altera ciuitatis, quæ eſt con-
tra Orientem & contra Meridiem, non ſunt horti, nec arbores, quibus poſſet ac-
ceſſus impediri. Prætetea à parte illa muri erant imi & fragiles, nec erar neceſſe
petrarias erigere, ſed fortè primo congreſſu poterat capi ciuitas, & totus ambitus
murorum occupari. Tunc Reges & alieni Principes dictis eorum, proh dolor! fi-
dem adhibentes, & eos bona intentione dediſſe tale conſilium æſtimantes, præco-
nari fecerunt, vt omnes ſua tentoria euellerent, & Barones ſibi nominandos vbi
eos ducerent vnanimiter ſequerentur. Tunc omnes communiter ſua tentoria col-
legerunt, & ſociati ſunt præuiis proditoribus, qui duxerunt exercitum in partem
oppoſitam ciuitatis, in loco tali vnde ſciebant certiſſimè quòd nullo modo poterat
ciuitas expugnari, & in loco ſterili & arido, vbi propter defectum rerum omnium
diu non poterat exercitus reſidere. Ibi fixerunt vexilla Principum, & imperarunt

Lvdovici VII Ivnior. tentoria collocari. Non multum temporis ibi reſedetat exercitus, quando Principes cognouerunt quòd proditione decepti fuerant, & quòd illi proditores per magnam malitiam ibi fecerant tentoria tranſportari, quoniam omninò vada fluminis perdiderunt, ſine quo tantus exercitus diu durare non poterat, & fructus hortorum delectabiles ad veſcendum, qui toti exercitui multa commoda conferebant. A

Quomodo noſtri percepta proditione Sarracenorum bonum propoſitum amiſerunt.

XXIV. TVNC cœperunt cibaria in exercitu rareſcere, & penitus deficere: ita quòd propter defectum victualium omnes in magna anguſtia laborarent, & maximè alienigenæ peregrini, quia à finibus Syriæ ad exercitum cibaria deferri non poterant. Propter hoc maximè peregrini victualibus indigebant, quia dictum fuerat eis, quòd ciuitas contra tantam gentem diu reſiſtere non poterat; in qua multam copiam victualium reperirent, & quòd fruſtra ſe tantis victualibus onerarent. Principes reuerſi ad ſemetipſos, quando viderunt ſe ſic deceptos, ſtatum exercitus tam miſerabilem, & omnia totaliter deficere, quibus poſſent equi & homines ſuſtentari, irati fuerunt valde, & mirabiliter ſtupefacti, aggrediendi ciuitatem & petrarias erigendi, ab illa hora voluntatem & propoſitum amiſerunt totaliter. Sciebant enim certiſſimè quòd vacuus eſſet labor, & ſumptus pro nihilo funderentur. Ad loca autem vnde venerant, & vbi primò caſtra poſuerant, reuerti non poterant, B quia quamcitò ab illo loco tranſlatus fuit exercitus, ſtatim Turci ab vrbe egreſſi ſunt, & tot ibi fecerunt repagula, concauitates in humo profundiſſimas, & annexiones arborum deciſarum fortes & impenetrabiles, quas ſagittariis & arbaliſtariis in tanta multitudine munierunt, quòd facilius videbatur quandam fortiſſimam ciuitatem poſſe capere, quàm per difficultates illas per violentiam penetrare. Præterea benè videbatur quòd ibi morari non poterant, quia hominibus omninò deficiebant victualia, & equis & pecoribus cum potibus alimenta. Tunc Imperator Alemanniæ & Rex Franciæ inter ſe locuti ſunt, & dixerunt quòd Barones indigenæ eos prodiderant, quorum fidelitati corpora ſua & hominum ſuorum, & negotium Ieſu Chriſti commiſerunt, vt per eorum conſilium ad honorem Dei Chriſtianitatis negotia tractarentur: & eos per malitiam in talem locum adduxerant, vnde nec honor ſibi nec Chriſtianitatis vtilitas poterat prouenire, nec tempus in otium conſumerent, & in vacuum laborarent. Conſenſerunt omnes in hoc vt ab illa obſidione recederent, & à proditione Syrianorum de cetero cautiùs præcauerent. Nouerant enim quòd Pullani in illa obſidione nihil commodi contuliſſent, ſed magis propoſitum perpetraſſent. Pullani dicuntur qui de patre Francigeno & matre Syriana, vel de patre Syriano & matre Francigena generantur. Taliter receſſerunt iſti duo Principes magni Barones, omnes Principes Chriſtianitatis nobilitate & potentia præcellentes: & nihil fecerunt illa vice quod pertineret ad honorem Imperialem, & ad decus Regiæ Maieſtatis. Tunc cœperunt vileſcere & tædere apud iſtos duos Principes negotia Terræ ſanctæ, nec de cetero aliquid magni incipere vel occupare voluerunt. Populus pedeſtris de Francia cum Syrianis litigando improperabant, & apertè dicebant, quòd non erat bonum Francigenis pro eis ciuitates acquirere, nec labores & ſumptus pro Syrianis effundere, quia Turci meliores erant & fideliores illis, qui fidem nec Deo nec proximis obſeruabant. Priuſquam iſtud accideret, peregrini de Francia ſatis libenter morabantur in terra Syriæ, & aliquando multa bona fecerant in Regno Hieruſalem. Sed propter illud factum, ſicut priùs, non potuerant eſſe cum Syrianis beneuoli nec concordes: & ſi quandoque contigerit, quòd ad peregrinandum venirent, completo voto quamcitiùs poſſunt, ad ſolum proprium reuertuntur. C

De cauſis impedientibus captionem Damaſci.

XXV. PLVRES pluries indagati ſunt à pluribus, qui fuerunt tantæ proditionis actores, & qua intentione Chriſtianitatis exercitum prodidiſſent. Ipſe etiam qui iſtam ſcripſit Hiſtoriam, à pluribus indigenis inquiſiuit. Cuius rei diuerſi diuerſas rationes aſſignabant. Quidam enim volebant aſſerere, quòd Comes Flandriæ huiuſmodi fuerat cauſa malitiæ, non quia præcognouiſſet malignum conſilium, neque

A neque proditioni conſenſiſſet, ſed quando vidit quòd noſtri hortos & fluuium Damaſci Turcis abſtulerāt, viſum fuit ei, quòd Turci diu non poſſent reſiſtere, & quòd inde facili ciuitas caperetur. Tunc adiit Imperatorem, Regem Franciæ, & Regem Hieruſalem, & humili ſupplicatione poſtulauit, vt poſt captionem dono ciuitatem concederent: & hoc idem petiit à Baronibus Franciæ & Alemanniæ, qui ſibi videbantur vnanimiter conſentire, quoniam promittebat, quòd eadem ab inimicis fidei viriliter defenderet, & ad honorem Dei & Chriſtianitatis fideliter cuſtodiret. Quo audito, Barones Syriæ indignati, & inuidiæ zelo mirabiliter inflammati, eo quòd Princeps tam nobilis, qui pura intentione ad peregrinandum venerat, & in partibus ſuis tantam terram & Comitatum tam nobilem regebat, vnum de nobilioribus membris Regni Hieruſalem tali modo ſibi vendicare volebat: & niſi Rex Balduinus eam ſibi reſeruare vellet, melius erat, ſicut dicebant, quòd alteri eorum dono vel permiſſione aliqua traderetur. Et hanc rationem aſſignabant ad ſuam intentionem confirmandam, quia cùm nihil habeant alibi, quando peregrini de Francia & de aliis regionibus reuertuntur ad propria: ibidem in propriis locis commorantur omni tempore, & ſemper parati ſunt continuo certamine conflictus hoſtium ſuſtinere. Et ſic videbatur Comes Flandriæ eos à fructibus laborum velle excludere, qui æquali lance meruerunt fructus eſſe participes, & honoris. Maluerunt igitur ciuitatem ab hoſtibus fidei poſſideri, quàm dari Comiti Flandriæ, qui nec dum ſuis meritis obtinere debuerat, cùm de nouò veniſſet in Syriam à partibus alienis. Et
B hæc fuit cauſa, ſicut quidam dicebant, quare proditioni conſenſerunt. Alij aliter ſentientes dicebant, quòd per Raimundum Principem Antiochiæ, vtpote hominem verſutum & plenum malitia, hoc damnum acciderat: quia ex quo Rex Franciæ per malum receſſerat ab eo, in malum & dedecus Regis per ſe & per procuratores ſuos non ceſſarat machinari. Ideo mandauerat illis Baronibus, quos amor ſpecialis ſibi coniunxerat, & affectu cordis rogauerat, vt honorem & commodum Regis Franciæ quibus poſſent modis omnibus impedirent. Et propter hoc in fauorem Principis illi proditores, plus habentes hominem quàm Deum præ oculis, Chriſti militiam prodiderunt. Alij tertiam rationem proponebant, quorum talis erat opinio, quòd modo quo diximus corrupti muneribus, per proditionem exercitum de loco aptiſſimo ad locum inutilem fecerant tranſportari.

De Parlamento quod noſtri fecerunt vt obſiderent Aſcalonem.

QVIS poſſet cogitare lætitiam quæ fuit in Damaſco, quando Turci viderunt ita hoſtes ſuos recedere, ita effectu vacuos, & honoris immeritos: econtra confuſionem exercitus, & Principum dedecus & ruborem, qui tam felici principio floruerant, & fine tam miſero rubeſcebant? Vnde valde doluit per totum Regnum vniuerſitas popularis, & totum Regnum fuit indè miſerabiliter deſolatum. Poſt XXVI.
C reditum illius exercitus Imperator, Rex Franciæ, & alij Principes collegerunt iterum Parlamentum, vbi magni Barones cum minoribus ſicut antea fecerant conuenerunt. Fuit igitur primò inter eos ſic locutum, quòd bonum eſſet aliquod nobile factum incipere, in quo præcipuè eſſet Dominus honorandus, & per quod de eis in bono poſteriùs loqueretur. Ibi mentionem fecerunt aliqui de ciuitate Aſcaloniæ, quæ quaſi in medio Regni poſita adhuc Turcorū dominationi ſubiacebat, & ſi obſidione cingeretur, ab omni parte Regni poſſent ad exercitum ſine periculo victualia deuehi: & defenſores omni ſpe ſuccurſus & auxilio deſtituti, poſſent continuis inſultibus coartari, & ad deditionem cogi, quia non poſſent diu tantæ gentis fortitudinem ſuſtinere. Satis & diu fuit inter eos de iſto negotio ventilatum, ſed nihil finaliter fuit ordinatum; quia ibi erant aliqui nobiles de regionibus alienis, qui magis officiebant quàm iuuarent ad negotium promouendum. Malebant enim redire ad partes proprias, quàm ad vſus alienos in Syria ciuitates obſidere. Nec mirum, ſi de Francia & alienis regionibus peregrini propoſitum & feruorem deuotionis amiſiſſent ad Terræ ſanctæ negotia erigenda; quando videbant indigenas Deum & ſeipſos prodidiſſe, & vtilitatem reipub. Regni Hieruſalem impediſſe, ſicut patuit in obſidione Damaſci. Et veriſimile videbatur quòd Dominus odiret eorum opera, nec vellet per eos aliquid fieri, vnde poſſet eis nec honor, nec commodum prouenire. Et ſic ſine effectu aliquo ſolutum fuit Parlamentum.

LVDOVICVS VII. IVNIOR. A

De reditu Imperatoris & Regis Franciæ à partibus tranſmarinis.

XXVII. VIDENS autem Imperator negocium Terræ ſanctæ malè proficere, & Barones non eiuſdem animi ad grande aliquid occupandum, nec in ſuis conſiliis vniformiter conuenire: vnde dicebant aliqui homines probi, quòd hoc erat diuinum odium, & quod Deus ſcrutator cordium nolebat ſuis operibus cœlitus aſpirare. Præterea conſiderans Imperator, in partibus ſuis aliqua fortè magna & ardua negocia emerſiſſe, & ſuum Imperium ſua præſentia indigere; ſalutato Rege Franciæ, & Rege Hieruſalem, & Baronibus, qui in illis partibus remanebant, naues ſuas intrauit, & vento flante proſpero in breui ſanus & incolumis in ſuam Alemanniam ſe recepit: ſed poſt illum reditum tribus annis nec ampliùs ſuperuixit. In vrbe quæ dicitur Paembort obiit, & ſepultus honorificè, vt Maieſtatem Imperialem decuit, in illius ciuitatis Eccleſia Cathedrali. Imperator iſte fuit multis gratiis commendandus, pietate & manſuetudine plenus, corpore procerus, fortis, pulcher, audax animo & miles optimus & fidelis, & etiam cunctis motibus perornatus. Poſt deceſſum ſuum rexit Imperium Ferricus nepos ſuus Dux Souauiæ, vir quidem ætate iuuenis, ſed virilis animi, & pollens mirabiliter ſapientia naturali, de quo fecit Hiſtoria ſuperiùs mentionem. Rex Franciæ, qui per annum integrum perendinauerat in terra Syriæ, die Paſchæ cum vxore ſua & Baronibus Regni ſui in Hieruſalem Paſcha Domini celebrauit. Sentiens igitur, maximè poſt diſceſſum Imperatoris, moram ſuam in nullo vel in modico profuturam, nauigium præparauit; licentiáque à Rege Balduino, Patriarcha, & aliis Baronibus accepta, portu Acconenſi nauigium conſcendit, mariſque nullo impediente periculo, ad Regnum proprium eſt reuerſus. Et poſt paruum temporis ſpatium Alienordis Regina peperit ſibi filiam, quam in ſacro baptiſmate Alaidam vocauerunt. B

Quomodo Rex Ludouicus reſtituit Ducatum Normanniæ Henrico filio Gaufridi Comitis Andegauis.

XXVIII. PARVM poſt reditum Terræ ſanctæ Gaufridus Comes Andegauis, & Henricus filius eius, qui poſtea fuit Rex Angliæ, vna die coram Rege comparuerunt, grauem querimoniam deponentes de Rege Angliȩ Stephano, qui Ducatum Normanniæ & Regnum Angliæ ſua vi ſibi abſtulerat: maximè Ducatum Normanniæ, qui ad proprietatem & dominium Regni Franciæ pertinet, quaſi ſibi proprium poſſidebat. Vnde Regi humiliter ſupplicabant, vt à Ducatu tanti viri expelleret poteſtatem, & eum ſibi reſtitueret, ſicut de iure tenebatur. Rex eorum querela & petitione audita, volens cuilibet ſecundum rigorem iuſtitiæ ius ſuum obſeruare, & reddere vnicuique quod ſuum eſt: mouit exercitum, & potenti brachio intrauit Normanniam, & eam in breui viriliter occupauit, & eam Henrico filio Comitis Andegauis reſtituit, & eum ad titulum totius Ducatus in fidelitatem homagij in patris præſentia ſuſcepit. Et ipſe Henricus de aſſenſu patris ſui pro tanto beneficio totum Vilcaſſinum Normannicum Regi contulit perpetuò poſſidendũ; videlicet ab Ethæ fluuio vſque ad flumen Andelæ: in quo continentur villæ & oppida inferiùs nominata. Caſtrum Giſorcij, caſtrum Neaufle, Eſtrepegni, caſtrum Dangu, Gamaches, Harauilla, Caſtrum-nouum, Baudemont, Brayum, Tornucium, Bucale, & Nogentum. Modo quo diximus reſtituit pius Rex LVDOVICVS illi Henrico Ducatum Normanniæ, viro infideli & peruerſo; nec Rex columbinæ ſimplicitatis protinus intellexit venenoſam malitiam, nec malum quod ei poſtea ſuſcitauit: qui erga Regem Dominum ſuum ita ſe habuit, ſicut in prouerbio Ruſtici dicitur: Quanto magis impium exaltaueris, tanto magis contra te ſuperbiet, & actiùs ſuum calcaneum eleuabit. Ita fecit iſte Henricus contra Regem, qui ei Ducatum Normanniæ contulerat, & maioribus Principibus totius Regni fecerat coæqualem. Qui citatus ad Curiam, venire noluit ad ius faciendum, vel capiendum in Regis præſentia Palatij iudicium omninò reſpuit & contempſit. Quod Rex videns, vt decuit indignationis ſtimulo agitatus collegit exercitum, & caſtrum Vernonis obſedit & cepit: & aliud quod Nouum-mercatum dicitur ſimiliter obſedit, & illud potenti brachio in deditionem coegit. Tandem cùm videret ille perfidus, quòd C

A nec per calliditatis malitiam, neque per armorum potentiam Domino ſuo poſſet LVDOVICVS
reſiſtere, vulpinam malitiam imitatus, cœpit veniam poſtulare, & veram humilita- VII. IV-
tem fingens, quam innatam non habuit, vt amiſſa caſtra reciperet, tentauit Regis NIOR.
indignationem demulcere: promittendo de de cetero contra Regem nullatenus
caput erigere, & quandiu viueret mandatis Palatij obedire. Et Rex propriæ man-
ſuetudinis non immemor, ab eo illatas iniurias iam oblitus, eum in gratiam rece-
pit, & duo caſtra, quæ non immeritò ſibi abſtulerat, plane reſtituit, & ea ſicut priùs
poſſidenda ſibi conceſſit.

De diuortio facto inter Regem Ludouicum & vxorem eius Alienordem.

INTEREA aliqui venerunt ad Regem de cognatione ſua progeniti, qui ortum XXIV
& deriuationem parentelæ ſuæ nouerant; & dixerunt ei, ſicut verum erat, quòd
inter ſe & Alienordem vxorem ſuam erat conſanguinitatis affinitas talis, quod in-
ter eos de iure lex matrimonialis non poterat conuenire; & inde per iuramentum
probationem legitimam offerebant. Quibus Rex ſic reſpondit, Quòd contra
Deum & contra legem Eccleſiæ eam nolebat habere, volens per omnia ſtatuta Ec-
cleſiæ & legem matrimonij inuiolabiliter obſeruare. Et vt iſtius rei veritas poſſet
veraciùs indagari, die Martis ante feſtum Paſchatis Floridi in caſtro Baugenciaci
Hugonem Archiepiſcopum Rotomagenſem, & quartum Lanfredum Burdega-
B lenſem cum pluribus ſuis Coëpiſcopis & Baronibus Franciæ fecit ſolenniter con-
uenire. Ante quorum præſentiam ſteterunt illi, qui genus inter Regem & Regi-
nam ſe probaturos obtulerant; qui etiam eiuſdem generis erant parentes & co-
gnati. Et per iuramentum ſuum dixerunt, quòd Rex & Regina ſeſe cognatione
contingebant, & quòd ſecundum Deum & legem coniugalem debebat inter eos
diuortium celebrari. Quo ſufficienter probato in præſentia Prælatorum, fuit in-
ter eos per conſenſum partium matrimonium diſſolutum. Deinde ſic accidit,
quòd Alienordis Regina cùm rediret ad terram propriam poſt diſceſſum à Regno
Franciæ, à Duce Normanniæ Henrico, qui poſtea fuit Rex Angliæ, fuit ſo-
lenniter deſponſata. Et Rex Ludouicus duas filias, quas ſibi Alienordis Regina
pepererat, duobus viris illuſtribus matrimonio copulauit: maiorem natu Mariam
nomine Henrico Comiti Campaniæ, & minorem fratri ſuo Theobaldo Comiti
Bleſenſi, quæ Alaidis vocabatur. Rex, qui ſecundum legis præceptum volebat vi-
uere, præcipientis, vt homo ſecundum legem Eccleſiæ feminam ſibi coniungeret,
& eſſent duo in carne vna; de conſilio Prælatorum & Principum, in ſpe hæredem
legitimum procreandi, qui poſt deceſſum ſuum nobile Regnum Franciæ guberna-
ret, in quandam puellam nobiliſſimam, Conſtanciam nomine, filiam Regis Hiſpa-
niæ, animum conuertit. Et propter hoc Hugonem Archiepiſcopum Senonenſem
ad partes Hiſpaniæ deſtinauit, vt eam ad ſe adduceret ſibi matrimonio copulan-
dam. Quam cùm ad Regem cum honore præcipuo adduxiſſet, eam in vrbe Au-
C relianenſi in multorum Prælatorum & Principum præſentia nuptiali fœdere copu-
lauit, & Regali ſtemmate pariter coronauit. Non multo poſt elapſo tempore, con-
cepit & peperit Regina filiam nomine Margaritam, quæ vſque ad annos puberta-
tis educata fuit, poſtmodum Henrico filio Regis Angliæ ordinatione Romanæ
Eccleſiæ deſponſata. Cui Rex LVDOVICVS pater ſuus conceſſit in matrimonium
totum Vilcaſſinum Normannicum, quem Rex Angliæ pater ſuus ſibi contulerat,
liberè poſſidendum: ſicut in Hiſtoria ſuperiùs eſt expreſſum. * * *

Cetera deſiderantur.

A

HISTORIA
GLORIOSI REGIS LVDOVICI, FILII LVDOVICI GROSSI.

Ab anno CHRISTI MCXXXVII. vſque ad annum MCLXV.

Ex MS. Exemplari, quod eſt in Bibliotheca Cl. Viri Ioannis-Baptiſtæ Hautin Regij in Caſtelleto Pariſienſi Conſiliarij.

Exemplar hoc continet primò Vitam LVDOVICI GROSSI *Regis à Sugerio Abbate S. Dionyſij compoſitam, deinde Hiſtoriam hanc* LVDOVICI IVNIORIS *eius filij, (quæ & in Supplemento Aimoini Monachi, paucis de Abbatibus S. Germani Pariſ. interpolatis, integra habetur,) ac alia nonnulla: ex vetuſtiore Monaſterij ſancti Maglorij Pariſ. Codice deſcripta omnia anno* 1515. B

GLORIOSVS LVDOVICVS glorioſi Regis LVDOVICI filius, lugubri tanti patris demigratione celerrimo comperta nuntio, Ducatu Aquitaniæ conſultè tutóque locato, anticipare feſtinans quæ Regibus decedentibus conſueuerunt emergere, ſcilicet rapinas, ſcandala, & motiones, celeriter Aurelianenſem regreſſus ciuitatem, cùm ibidem comperiſſet, occaſione Communiæ quorundam ſtultorum inſaniam contra Regiam demoliri Maieſtatem, compeſcuit audacter non ſine quorundam læſione. Indéque Pariſius tanquam ad propriam remeans ſedem (in ea enim, ſicut in antiquis legitur Geſtis, Reges Francorum vitam degere conſueuerunt) de Regni adminiſtratione, & Eccleſiæ defenſione, pro ætate, pro tempore, glorioſè diſponebat. Felicem ſe fore tota exiſtimabat patria, eò quòd tantæ ſunt reliquiæ homini pacifico nobiliſſimo patri; quòd ad robuſtiſſimam totius Regni defenſionem nobiliſſima proles ſuccederet, pios foueret, impios abdicaret. Imperium ſiquidem Romanorum, Regnum etiam Anglorum, in defectu ſucceſſiuæ prolis multa incommoda, ferè vſque ad ſtatus ſui ruinam, ſuſtinuiſſe conſpicantes, quantò eorum Regnorum indigenas ſuper his dolere audiebant, tantò Regni & Regis ſucceſſibus omnium & ſingulorum commoditatibus applaudebant. Defuncto etenim abſque herede Imperarore Romanorum Henrico, in ea, quæ maxima & generalis eſt habita Maguntiæ Curia ferè LX. millium militum, tanta emerſit hac occaſione controuerſia, vt cùm Dux Alemanniæ Fredericus, eò quòd defuncti Imperatoris Henrici nepos eſſet, Regnum obtinere niteretur, in ſcandalo & diuiſione Regni, Maguntinus & Colonienſis Archiepiſcopi, & ſuperior pars Optimatum & Procerum Regni, eum reiicerent: & ad Ducem Saxoniæ Lotharium ſe conuertentes, Regio eum diademate Aquiſgrani cum ſumma Cleri & populi exultatione coronarent. Quod etſi nobile factum, non ſine læſione multorum conſtitit, cùm ipſe præfatus Dux Frederius ſolio Regni depulſus, cum Conrado fratre, qui tamen præfaro Lothario decedenti in Regnum ſucceſſit, cum parentibus & reliquis fautoribus ſuis, multa diſpendia, bella, incendia, pauperum deprædationes, Eccleſiarum deſtructiones, damna innumera, ſimilia perpeſſus ei intulerit. Qui præfatus Lotharius cùm multa egregiè geſſerit, hoc ſupremum, & dignum laude atque ammiratione magnanimitati eius aſſignatur: quòd Regnum Alemannorum nullo hereditatis iure ſortitus, ſtrenuè amminiſtrauit: Italiam poteſtati ſuæ ſubiugauit, Romani coronam Imperij ab Innocentio Papa Romæ, repugnantibus Romanis, aſſumpſit, Capuanam & Beneuentanam pertranſiens Prouinciam, Apuliam in ore gladij perdomuit, Re- C

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A gem Siculum fugauit, Batenſem ciuitatem & circumiacentem patriam occupa-
uit: plenóque potitus trophæo, à partibus illis rediens, morte communi præuen-
tus, ad natiuum ſolum & proprios Ducatus Saxoniæ penates relatus, tantis labo-
ribus finem egregium deſtinauit. Nec minus infauſtè de Regno Anglorum hac
eadem occaſione contigiſſe meminimus, cùm defuncto ſtrenuo & famoſiſſimo
Rege Henrico, quia herede mare carebat, Bolonienſis Comes Stephanus nepos
eius, frater iunior Palatini Comitis Theobaldi, ex inſperato Regnum ingreſſus,
non reputans quòd Comes Andegauenſis filiam præfati Regis Henrici auunculi
ſui, quæ & Imperatrix Romanorum fuerat, coniugem, & ex ea filios habuerat,
coronam eius aſſumpſit. Quæ pernicioſa factio, zelo & diuerſitate Baronum, Co-
mitum, atque Optimatum Regni, tanta terram copioſam & fructiferam à malitia
inhabitantium in ea calamitate extinxit, vt terram vaſtitate, prædam rapinis, ho-
mines mortibus ferè ad tertiam, vt aiunt, partem circumquaque per totum Re-
gnum exterminaret. Quæ quidem pericula, Francorum ſolatia exiſtebant, cùm
illi ex defectu hæc ſuſtinerent: Franci verò tantæ & tam egregiæ prolis ſucceſſio-
ne congratularentur & congauderent. Sed vt ad propoſitum redeamus, LVDO-
VICI Regis circiter XIV. aut XV. annorum adoleſcentia tam naturâ quàm in-
duſtriâ de die in diem proficiebat.

EA tempeſtate VVillelmus Dux Aquitaniæ ad ſanctum Iacobum peregrè pro-
B fectus, moleſtia corporis ibi correptus viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Ipſe
duas filias tantùm habebat: quarum altera vocata fuit Alienor, altera Aaliz.
Terra autem Aquitaniæ Domino ſuo deſtituta, abſque herede mare remanſit. Id-
circo Rex LVDOVICVS totam Aquitaniam in manu ſua tenuit. Alterámque
de duabus prædictis ſororibus, ſcilicet ALIENORIDEM natu maiorem, matri-
monio ſibi ſociauit: alteram verò, videlicet Aaliz iuniorem, Radulfo Comiti Vi-
romandenſi in vxorem donauit. Rex autem vnam filiam ex Alienoride coniuge
ſua ſuſcepit, nomine Mariam. Porrò euoluto non longo dierum curriculo, Gau-
cherius de Monte-Gaio ſuperbiâ diaboli inflatus, aduerſus Regem inſurgere ten-
tauit: terrámque ipſius (non tamen impunè) præſumptuosè inquietare cona-
tus eſt. Quod Rex, vtpote magnanimus, non æquo animo perferens, exercitu
vndecunque adunato, aduerſus Montem-Gaium conuolauit, caſtrúmque cum
omni municipio deſtruxit.

EODEM anno quoddam graue infortunium in Hieroſolymitanis partibus
Chriſtianis contigit. Nam Parthi diabolico inflati ſpiritu, Edeſſam vrbem va-
lido bellorum impulſu aggredientes, non ſine magna ſtrage ſuorum eam cepe-
runt. De qua expugnatione nimium intumeſcentes, omnes Chriſtianos illius
regionis ſe vaſtaturos eſſe comminati fuerunt. Cuius infortunij fama poſtquam
ad aures piiſſimi Regis LVDOVICI peruenit, zelo ſancti Spiritus imbutus ad
pietatem commotus eſt. Qua de cauſa in Paſchali ſolennitate eiuſdem anni,
C apud Vizeliacum magnum colloquium tenuit, vbi Archiepiſcopos, Epiſcopos,
Abbates quoque, plures etiam Optimates & Barones ſui Regni congregari fe-
cit. Inter quos fuit Bernardus Abbas Clarenallenſis. Itaque ipſe & Pontifices
ibidem in conſiſtorio aſſiſtentes, prædicauerunt de terra in qua Dominus noſter
Ieſus Chriſtus corporaliter conuerſatus, pro redemptione generis humani paſ-
ſionem crucis ſuſtinuit. Quorum prædicationibus & ammonitionibus Rex LV-
DOVICVS diuina inſpirante gratia inflammatus, crucem accepit, & poſt eum
ALIENOR vxor eius. Quod videntes Optimates ibidem aſtantes, poſtea cru-
cem acceperunt, Simon Nouiomenſis Epiſcopus, Godefridus Lingonenſis Epi-
ſcopus, Arnulfus Lexouienſis Epiſcopus, Herbertus Abbas ſancti Petri Viui
Senonenſis, Theobaldus Abbas ſanctæ Columbæ, Anfulſus Comes ſancti Egi-
dij, Terricus Comes Flandrenſis, Henricus filius Comitis Bleſenſis Palatini
Theobaldi, qui tunc temporis viuebat, VVillelmus Comes Niuernenſis, Rai-
naldus frater eius Comes Tornodorenſis, Robertus Comes frater Regis, Iuo
comes Sueſſionis, Guido Comes de Pontiuo, VVillelmus Comes de Garenna.
Erchembaudus de Borbono, Ingertannus de Coceio, Gaufridus de Rancono,
Hugo de Lizenanto, VVillelmus de Cortiniaco, Rainaldus de Monteargiſo, Ite-
rius de Toccio, Gaucherius de Monte-Gaio, Eurardus de Britolio, Drogo de
Monceio, Manaſſes de Bugliis, Anſellus de Triagnello, Guarinus frater eius,

LVDOVICVS VII. IVNIOR. VVillelmus Buticularius, VVillelmus Aguillon de Tria, & plures alij milites. A
infinita etiam multitudo peditum. Eodem quoque tempore Conradus Imperator Alemanniæ, audita Chriſtianorum deſolatione, crucem accepit: & Fericus Dux Saxoniæ nepos eius, poſtea Imperator. Amatus etiam Comes Morianæ, auunculus Regis Ludouici. in quorum comitatu multi fuerunt. Porrò Poncius venerabilis Vizeliacenſis Abbas, propter reuerentiam ſanctæ Crucis quam Rex cum ſociis accepit, in loco quodam, videlicet in decliuo montis, in quo conſiſtorij prædicatio fuit, hoc eſt inter Eſcuanum & Vizeliacum, Eccleſiam in honore ſanctæ Crucis conſtruxit. In quam populo recta fide conuenienie, Dominus multa miracula operatus eſt. Interim Rex LVDOVICVS toto anno, à Paſchali ſolennitate qua crucem accepit, vſque ad aliud Paſcha, & inſuper vſque ad Pentecoſten, antequam ad Hieroſolymitanas partes proficiſceretur, cum cruce ſuſcepta in Regno ſuo commoratus eſt. Cùm verò hæc ita agerentur, Senonenſis ciuitatis Burgenſes aduerſus Abbatem ſancti Petri Viui Herbertum in iram concitati, quia Communiam eorum diſſolui fecerat, eum truculenter necauerunt. Ob cuius vltionem, Rex quoſdam homicidarum illorum de turre Senonenſi præcipitari fecit, quoſdam autem Pariſius detruncari.

1146. ANNO ab Incarnatione Domini MCXLVI. glorioſus Rex LVDOVICVS Regio comitatu, vt decebat, honorificentiſſimè circundatus, iter quod vouerat peragere cupiens, ſeptimana poſt Pentecoſten de Pariſienſi ciuitate egreſſus eſt. Vnde profectus, in itinere multos labores ſuſtinuit: & tandem Hieroſolymam peruenit. Poſtquam autem ad ſepulchrum Domini orationes compleuit, & eum debita reuerentia Crucem Dominicam adorauit, de partibus illis regrediens ſanus & incolumis ad propria remeauit. Denique poſt illam regreſſionem ipſe genuit vnam filiam ex Alienotide coniuge ſua, nomine AALIZ. B

PROCEDENTE autem non longo temporis ſpatio, Gaufridus Comes Andegauorum, & Henricus filius eius, qui poſtea Regnum Anglorum obtinuit, Regem LVDOVICVM adierunt: & ei de Stephano Anglorum Rege conquerentes, monſtrauerunt quòd ipſe eis iniuſtè iura ſua auferebat: videlicet Regnum Angliæ, & Ducatum Nortmanniæ. Vnde Rex volens omnes iuſtè ac rationabiliter, ſicut Regiam Maieſtatem condecet, manu tenere, & vnicuique ius ſuum conſeruare, cum magno exercitu Nortmanniam aggrediens manu forti eam cepit. quam Henrico filio Comitis Andegauorum reddidit, & eum pro eadem terra in hominem ligium accepit. Ille itaque pro collato ſibi adiutorio, Gaufrido patre ſuo concedente, Vilcaſſinum Nortmannum, quod eſt inter Itam & Andelam, Regi Ludouico totum immune dedit. In qua terra continentur hæc caſtella & firmitates, Giſortium, Neelfa, Stripiniacum, Dangutium, Gamachiæ, Harachiuilla, Caſtrum-nouum, Baudemont, Braium, Tornutium, Buſchalia, Nogentum ſuper Andelam, & quædam alia. Hoc modo, quo prædictum eſt, adquiſiuit & reſtituit perfido Henrico Nortmanniam Rex LVDOVICVS, non præuidens perfidiam, quam poſtea ille contra ipſum machinatus eſt. Nam poſt modicum tempus contigit quod vulgari prouerbio dicitur, quia quantò magis exaltatur iniquus, tantò ampliùs aduerſus benefactorem ſuum ſe extollit. Siquidem Henricus Normanniæ per manum Regis Dux effectus, vltra modum ſuperbiens, ante Dominum ſuum Regem Ludouicum defecit à iuſtitia. Quamobrem Rex ad iram nimiùm concitatus, tantam indignationem grauiter ſuſtinens, cum magno exercitu Vernonium profectus eſt: paucisque diebus in obſidione moratus, potenti virtute caſtrum illud cepit. Aliud quoque caſtrum, ſcilicet Nouum-marcheium, ſimiliter captum ei abſtulit. Porrò videns verſutus ille Henricus Dux Nortmannorum, quòd potentiſſimo Regi LVDOVICO nullatenus reſiſtere poſſet, ad ſimilitudinem doloſæ vulpis, conuertit ſe ad refugium ſolitæ fraudis. Siquidem fingens ſe humiliatum eſſe, vt quoquo modo amiſſa recuperaret, falsò aſſerebat quòd contra Dominum ſuum Regem ſuperbiæ calcaneum deinceps non eleuaret. Cuius falſis aſſertionibus Rex Ludouicus deceptus, ſicut ſemper benigniſſimus extitit, etiam tunc benignitatem ſuam ei exhibuit. Nam duo prædicta caſtella, quæ illi abſtulerat, eidem reſtituit. C

A SEQVENTI tempore, præterita non longa annorum euolutione, acceſſerunt ad Regem LVDOVICVM quidam propinqui & conſanguinei ſui: & conuenerunt eum, dicentes quòd inter ipſum & Reginam Alienoridem coniugem ſuam linea conſanguinitatis erat. quod etiam iuramento firmare promiſerunt. Audiens hoc Rex, noluit eam contra legem Catholicam vlteriùs vxorem habere. Proinde Hugo Senonenſis Archiepiſcopus conuocauit vtrunque, videlicet Regem Ludouicum, & Reginam Alienoridem, ante præſentiam ſuam apud Baugenciacum. Qui conuenerunt eò ex præcepto ipſius die Veneris ante Dominicam de ramis palmarum: vbi etiam interfuerunt Samſon Remenſis, Hugo Rothomagenſis, & cuius nomen non teneo Burdegalenſis, Archiepiſcopi: quidam quoque Suffraganei ipſorum, necnon Optimatum & Baronum Regni Franciæ non minima pars. Quibus congregatis in caſtro ſupramemorato, prædicti conſanguinei Regis iuramentum, quod facturos ſe fore promiſerant, executi ſunt: videlicet quòd Rex & Regina Alienoris, ſicut ſuprà taxatum eſt, affinitate conſanguinitatis propinqui erant. Et ſic inter eos matrimonij copula ſoluta eſt. LVDOVICVS VII IVNIOR.

QVO peracto, Alienoris terram ſuam Aquitaniam celeriter requiſiuit. Quam ſine mora Henricus Dux Normanniæ, qui poſtea in Regem Anglorum ſublimatus fuit, vxorem ſibi accepit. Rex autem LVDOVICVS duas filias, quas de Alienoride ſuſceperat, maritis deſponſauit: primam, ſcilicet Mariam, Henrico Comiti Palatino Trecenſi: iuniorem verò, videlicet Aaliz, fratri eius Theobaldo Comiti Bleſenſi.
B

PROINDE Rex volens ſecundùm diuinam legem viuere, quæ præcipit vt vir adhæreat vxori ſuæ, & ſint duo in carne vna, propter ſpem ſucceſſiuæ prolis quæ poſt ipſum Regnum Franciæ regeret, Conſtantiam filiam Imperatoris Hiſpaniæ coniugio ſibi iunxit: & Hugo Senonenſis Archiepiſcopus Aurelianis eam in Reginam inunxit, & cum ipſa Regem coronauit. Qui poſtquam per aliquod tempus pariter permanſerunt, Rex genuit ex ea vnam filiam nomine MARGARITAM. Diſpoſitione verò Romanæ Eccleſiæ, eadem Margarita ſociata fuit matrimonio Henrico, filio Henrici Regis Anglorum & Alienoridis vxoris ſuæ, qui poſtea in ſolio Regni Angliæ ſublimatus fuit. Vilcaſſinenſem autem terram dedit Rex Margaritæ filiæ ſuæ in matrimonio: quam Henricus Rex Anglorum, pater illius Henrici, ipſi immunem conceſſerat.

[* ANNO Incarnationis Dominicæ MCLIII. dimiſit Abbatiam Hugo Criſpeienſis, quæ vno anno ſine paſtore fuit. Quo completo, Gaufridus Abbas ſubſtitutus eſt. Qui poſt duos ferè annos curam paſtoralem reliquit, ægritudine cogente. Cui ſucceſſit Theobaldus.] 1153. * Hæc in Cod. S. Magloriȷ non ſunt.

EODEM tempore, Gaufridus de Giemago quandam filiam ſuam Stephano de Sancero in vxorem dedit. Quod aſtuto conſilio fecit. Opinabatur etenim, quòd ipſe eum ab infeſtatione Niuernenſis Comitis tutari poſſet. Quinetiam ipſe Gaufridus eidem filiæ ſuæ Giemagum in matrimonio donauit. Quod videns Herueius filius eiuſdem Gaufridi, caſtrum quod ſibi hereditario iure contingebat taliter donari prohibuit. Quam ipſius prohibitionem pater ſuus irritam faciens, Stephanum de Sancero prædicto caſtro inueſtiuit. Eapropter Herueius Regem adiit, & ei ſuper patre ſuo conqueſtus eſt, eò quòd ita eum exheredabat. Proclamabat etiam de Stephano, qui prædictum caſtrum, quod ad ipſius hereditatem ſpectabat, contra ſuam voluntatem ſuſceperat, atque illud ſine ſuo aſſenſu tenebat. Rex igitur hoc audiens, ſicut ſemper fuit amator iuris & æqui, tantam iniuriam fieri, Herueiùmque ſuo iure deſtitui, diutiùs ſuſtinere non potuit. Enimuerò exercitu collecto, aduerſus Giemagum conuolauit, quod Stephanus de Sancero militibus munierat, ſed ſeipſum abſentauerat. Itaque Rex, cum militia ſua caſtrum viriliter aſſiliens, abſque mora illud cepit, atque Herueio reddidit. Quo completo vnuſquiſque ad propria remeauit.
C

DEINDE Rex genuit vnam filiam de Conſtantia Regina, quæ nominata fuit ADELAIDIS. In cuius partu dum laboraret, in ipſa hora diem extremum clauſit. Vnde Rex nimium cum omni Regno ſuo contriſtatus eſt.

POSTQVAM verò per ſolatia Optimarum ſuorum triſtitiam aliquantulum obliuioni tradidit, conſilio & monitu Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, aliorúm-

LVDOVICVS VII IVNIOR. que ſui Regni Baronum, vxorem deſponſare diſpoſuit. Siquidem mente aſſiduè habebat illud ſcriptum, qnia melius eſt nubere quàm vri. Præterea timebat, ne Regnum Franciæ ab herede, qui de ſemine ſuo egrederetur, gubernari deſiſteret. Igitur tam ſaluti ſuæ, quàm protectioni reipublicæ in poſterum prouidens, ADELAM filiam Theobaldi Palatini Comitis Bleſenſis in matrimonium ſibi aſciuit. Idem Theobaldus ab hac vita iam deceſſerat. De cuius ſemine ſuperſtites erant quatuor filij, & quinque filiæ: Henricus videlicet Comes Palatinus Trecenſis, & Theobaldus Comes Bleſenſis: Stephanus Comes de Sancero, VVillelmus Archiepiſcopus Senonenſis: Duciſſa Burgundiæ, Comitiſſa Barri, vxor VVillelmi Goiet, quæ prius fuerat Duciſſa Apuliæ, Comitiſſa Pertici, poſtremò Adela iunior. Quam Dominus noſter adeò ſublimauit, vt ſuper fratres ſuos & ſorores ſuas dominatum obtineret, quæ ſubiecta ipſis antea fuerat. Ipſa autem tam naturâ quàm induſtriâ laudabilis extitit. Nam ſapientiæ fulgore irradiauit, elegantiâ corporis præpollnit, munditiâ caſtitatis emicuit: & quia tot virtutum floribus decorata fuit, tanto honore meruit ſublimari. Sicut enim prædictum eſt, sereniſſimo Regi LVDOVICO maritali lege ſolenniter fuit ſociata. Et Hugo Senonenſis Archiepiſcopus ad feſtum ſancti Brixij Pariſius in Eccleſia beatæ Mariæ Virginis eam inunxit, Regémque cum ipſa coronauit. Miſſam etiam eodem die ibidem celebrauit. Stephanus Senonenſis Canonicus, qui poſtea fuit Meldenſis Epiſcopus, Epiſtolam legit, & Guillelmus Senonenſis Archidiaconus, poſtea Autiſſiodorenſis Epiſcopus, Euangelium. Matthæus Præcentor Senonenſis & Albertus Cantor Pariſienſis chorum tenuerunt, & cantum in proceſſione impoſuerunt.

HIS peractis, euoluto longo temporis interuallo, creſcente de die in diem malitia, & inualeſcente cupiditate, Niuilo de Petrafonte, & Drogo de Merloto, qui duas filias Drogonis de Monceio vxores habebant, diſcordiam inter ſe conceperunt. Niuilo namque de Petrafonte Drogoni de Merloto medietatem Monceij, quæ ex matrimonio mulieris eius illi contingebat, iniuſtè abſtulit. Vnde ille Regi LVDOVICO querimoniam faciens, vt de tanta iniuria vltor eſſe dignatetur ſuppliciter rogauit. Petitione cuius exaudita, Rex volens omnes tam fortes quàm debiles æquanimiter in iuſtitia tenere, exercitu congregato, aduerſus Monceium caſtrum profectus eſt. Quod manu belligera cepit, turrémque cum omni municipio dirui fecit: & Drogoni de Merloto medietatem caſtri, quæ iuris illius erat, reſtituit. Deinde paucis diebus tranſactis, Niuilo defunctus eſt. vxorem cuius Rex Ingerranno de Tria maritauit, & dimidiam partem Monceij cum eadem coniuge ei donauit.

EA tempeſtate horribile ſchiſma ortum eſt in Romana Eccleſia. Quæ cùm ſuo Pontifice viduata eſſet, diuina cooperante gratia Cardinales vnanimiter elegerunt in Antiſtitem, bonæ memoriæ Alexandrum tertium. Porrò Victor, qui & ipſe Octauianus appellatus fuit, arrogantiâ plenus, atque terrenis honoribus admodum inhians, ſine canonica electione Romanæ Eccleſiæ Pontificium ſibi præſumptuosè voluit vſurpare. Nam Clerici eius, fautores ipſius abuſiuæ electionis tantummodò extiterunt: verùm Cardinalium ſeu Epiſcoporum, duobus exceptis, conſortio & ſuffragio caruit. Omnes enim tam Cardinales quàm Epiſcopi domino Papæ Alexandro æquanimiter conſenſerunt. Proindè venerabilis Papa Alexander ad Gallicanas partes proficiſcens, apud Montem-Peſſulanum tranſmeauit. Cuius aduentum poſtquam ad aures Domini LVDOVICI Regis fama detulit, conſilio quid ſuper hoc faceret exquiſito, memorandus Rex domnum Theobaldum Abbatem ſancti Germani Pariſienſis ad ipſum deſtinauit. Denique negotio Domini Regis peracto, cum gratia domini Papæ totiúſque Romanæ Curiæ remeare diſpoſuit. Dúmque in itinere regreſſionis eſſet, apud Claromontem graui moleſtia corporis correptus eſt. Ipſe verò in extera regione morari diutiùs nolens, vt erat ægrotus ad Vizeliacum feſtinauit, & in Eccleſiam beatæ Mariæ Magdalenæ, in qua ab adoleſcentia alitus fuerat, & habitum Religionis ſuſceperat, & profeſſionem fecerat, tertia die ante feſtum ſanctæ Mariæ venit. & ingraueſcente infirmitate in craſtino feſtiuitatis ſanctæ Mariæ Magdalenæ, in eadem Eccleſia migrauit à ſeculo. In cuius locum Hugo Monachus ſanctæ Mariæ Vizeliacenſis ſub-
1162. ſtitutus eſt anno Domini MCLXII.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A EISDEM diebus LVDOVICVS Rex Alexandrum Papam in paſtorem cum omni Regno Franciæ ſuſcepit. Cuius rei fama circumquaque regiones peruolante, Conſtantinopolitanus & Hiſpanus Imperatores, Rex Angliæ, Rex Hieroſolymitanus, Rex Siciliæ, Rex Hungariæ, omnéſque Reges Chriſtianorum, ſequentes Regis Ludouici exemplum, cum debita reuerentia eundem ſuſceperunt. Excepto Federico Alemanniæ Imperatore, qui conſueta tyrannide furens, prædictum ſchiſmaticum Octauianum contra leges & iura manutenuit, & omni vita illius ſicut Papam eum habuit. Quo defuncto, Guidonem Cremenſem, vnum ſcilicet de duobus Cardinalibus eidem ſchiſmatico adhærentibus, nefandus ille Imperator ſucceſſorem eius ſubrogauit. Cuius inhortationibus idem Imperator Romam, vt eam perderet, profectus eſt. Vbi maxima ſtrages ſuorum non vi Romanorum, nec aliorum mortalium, ſed ſola diuina vltione facta eſt. Mirabile dictu, contigit quòd Dominus ſuper exercitum eiuſdem nefandiſſimi tyranni manum vltionis extendens, per aëris corruptionem fetuentem pluuiam ſuper ipſos effudit. Vnde infinita multitudo tam militum quàm peditum inexpugnabili gladio diuinæ virtutis perculſi, morte miſerabili vitam finierunt. Inter quos filius Conradi Imperatoris interiit, & Rainaldus Colonienſis Archiepiſcopus. Cuius corpus fruſtatim diuiſum, & in fetuenti aqua decoctum, ſaléque conditum, Coloniam vſque ſui deportauerunt. Imperator verò præ timore flagelli diuini ab eadem obſi-
B dione recedens, in Tuſciam fugitiuus peruenit. Vnde egrediens, & Lombardiam pertranſiens, ab incolis eiuſdem regionis viriliter fugatus, ad Suſam feſtinauit. Exinde cum paucis ſociis furtiuè fugiens, Alpes tranſmeauit. Siquidem amiſſa multitudine in eadem obſidione Epiſcoporum & Baronum ſuorum, ita perterritus & confuſus extitit, quòd vlteriùs ibi morari non audens, miſerabili fugâ Alemanniam repedauit.

QVONIAM in dies ereſcit malitia, Regiam Celſitudinem decet Regno prouidere, & ab impugnatoribus ſubiectos ſibi protegere. Niſi enim Regia poteſtas protectioni reipub. attentiùs inſiſteret, fortiores vltra modum impotentes opprimerent. Quod etiam eodem tempore contigiſſe vera enarratione manifeſtum eſt. Nam Claromontenſis Comes, & nepos eius Comes Podienſis Guillelmus, atque Vicecomes de Polinaco, inſtinctu diaboli exagitati, rapinis miſeram vitam agere conſueuerant. Depopulabantur etenim Eccleſias, peregrinos impediebant, pauperes opprimebant. Quam eorum tyrannidem Claromontenſis & Podienſis Epiſcopi, & Abbates Prouinciæ illius, diutius ſuſtinere non valentes, quoniam ipſis teſiſtendi per ſe vel per ſuos vim non habebant, prudenti vſi conſilio Regem LVDOVICVM adierunt. Cui querelam ſuper eiſdem tyrannis deponentes, crudeles Eccleſiis illatas iniurias inſinuauerunt, & eum piiſſimis precibus ad vindictam pauperum & captiuorum exhortati ſunt. Vnde piiſſimus Rex audita tyrannorum prædicta nequitia, ſine mora congregauit exercitum: & in virga vltionis, ad quam
C non erat difficilis, aduerſus illos aduerſarios militauit. Cum quibus manu belligera congrediens, factum Regia Maieſtate dignum, in ore gladij eos expugnauit, & expugnatos cepit. captos etiam ſecum abduxit. Quos captiuos tandiu tenuit, quoaduſque firma fide promiſerunt, quòd ab inquietatione Eccleſiarum, pauperum, & peregrinorum, deinceps perpetuò ceſſarent.

EXPLETO hoc inſigni opere, non longo tempore pòſt, quoddam execrabile factum, & noſtris temporibus inauditum, per diuerſas regiones circumquaque diuulgatum eſt. Etenim Guillelmus Comes Cabilonenſis diaboli veſtigia ſequens, qui Dominum tentare præſumpſit, Eccleſiam Cluniacenſem atrociter perſequebatur. Ipſe ſiquidem infinitos prædones, vulgò dictos Brabanriones, qui nec Deum diligunt, nec viam veritatis cognoſcere volunt, ad crudelitatem ſuæ tyrannidis explendam colligens, ſceleratis ſatellitibus fretus, aduerſus prædictam Eccleſiam, vt eam deprædaretur, prædo profectus eſt. Monachi verò in eadem Eccleſia Deo ſeruientes, non ferro aut clypeo protecti, ſed ſolùm diuinis armis & Eccleſiaſticis veſtimentis induti, cum Sanctorum reliquiis & crucibus tyranno obuiam cum magna multitudine populi proceſſerunt. Illa autem ſatellitum prædictorum peſſima turba, Monachos ſacris veſtimentis ſpoliauerunt: & more ferarum, quæ fame vrgente ad cadauera concurrunt, quingentos & eò amplius Burgenſium Cluniacenſium atrociter ſicut oues mactauerunt. Fama verò illius

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

inauditi ſceletis diuerſas regiones citcumluſtrans, ad notitiam piiſſimi Regis Lv- A
DOVICI peruenit: qui tantum flagitium in ſanctam Eccleſiam grauiſſimè ferens,
ad vltionem nefandiſſimæ cladis exuberanti feruore ſancti Spiritus animatus eſt.
Quid plura? bellicoſorum Francigenarum fortiſſimas phalanges ad ſe Regali edi-
cto conuocauit. Quibus fulcitus, aduerſus prædictum tyrannum, ad eius exter-
minationem, feſtinauit. Idem autem nequiſſimus Comes Cabilonenſis, cognito
Regis aduentu, præſentiam ipſius non audens expectare, relicta terra ſua profu-
gus abiit. Dum verò Rex greſſu concito per partes Cluniacenſis Prouinciæ tranſ-
mearet, mulieres viris ſuis viduatæ, virgines & nati patribus orbati, obuiam ei pro-
ceſſerunt. Cuius pedibus prouoluti, flentes & eiulantes lugubri clamore ærum-
nas ſuas ei oſtenderunt: & piiſſimis precibus Regiam Maieſtatem exorantes, vt eis
manum conſilij & auxilij miſericorditer porrigeret, piiſſimum Regem totúmque
exercitum eorum calamitatibus, ferè vſque ad lacrymas compatientes, magis ac
magis ad perditionem ſceleratæ gentis animauêre. Nec mirum. Videres enim ibi
pupillos adhuc pendentes ad vbera matrum: virgunculas plorantes, & paterno ſo-
latio ſe deſtitutas miſerabiliter clamantes. Audires totum aërem vagitibus infan-
tum reſonantem. Ne longiùs verba protrahantur, Rex propoſitum peragere ſata-
gens, cum exercitu ſuo terram nefandi Comitis Cabilonenſis nullo præpeditus
obſtaculo audacter intrauit: atque Cabilonenſem ciuitatem, & Montem Sancti
Vincentij, inſuper omnem illius tyranni terram in ore gladij perdomitam cepit: B
& eiuſdem terræ mediam partem Duci Burgundiæ donauit, reliquam partem Co-
miti Niuernenſi contradidit. Quoſcunque autem ex ſupradictis Brabantionibus,
diuinam voluntatem contemnentibus, diabolíque ſequacibus, capere potuit, in
vindictam Eccleſiæ Dei furcis ſuſpendi fecit. Quorum vnus vitam ſuam redime-
re infinita pecuniâ volens, non impetrauit: ſed eadem pœna plexus eſt. Peracta
denique condigna vltione nefandiſſimæ ſtragis & perſecutionis, quæ ſanctæ Dei
Eccleſiæ Cluniacenſi inferebatur, Rex tanto potitus tropheo cum gaudio re-
meauit.

IGITVR quia Regiæ Maieſtati congruit, Eccleſias Dei contra quoſlibet per-
ſecutores protectionis clypeo defenſare, benigniſſimus Rex nolens eas, iuſtitia per
negligentiam ſuam deficiente, à raptoribus deuaſtari, egregiè vindicatis Clunia-
cenſis Eccleſiæ iniuriis, Vizeliacenſem nihilominus Eccleſiam ab impugnationi-
bus aduerſariorum liberauit. Contigit enim quòd Vizeliacenſes Burgenſes Com-
muniam inter ſe facientes, aduerſus Dominum ſuum Abbatem & Monachos ſu-
perbia inflati inſurrexerunt, eóſque diutiſſimè infeſtatione maxima afflixerunt.
Communiter ſiquidem coniurauerant, quòd Eccleſiæ dominio vlteriùs non ſubia-
cerent. Quod quidem aſſenſu & conſilio Comitis Niuernenſis fecerant: qui ei-
dem Eccleſiæ aduerſabatur. Abbas verò & Monachi acerrimis infeſtationibus
Burgenſium coacti, turres Monaſterij ad ſuam defenſionem munierunt. Quos de-
foris Burgenſes pluuia ſagittarum & immiſſione baliſtarum aſſiduè perurgebant: C
& tamdiu incluſos armata manu tenuerunt, vt carentes panis edulio, tantummo-
do carnibus vitam ſuam ſuſtentarent. Pars quoque Monachorum excubiis no-
ctis inſiſtebat: pars laſſata membra ſopore aliquantulum recreabat. Cúmque tan-
ta vexatione coarctarentur, Abbas videns quòd iniqui homines ab impietate ſua
nullatenus deſiſtentes, magis ac magis eos aſſiliebant, per quorundam amicorum
ſuorum conductum clam Monaſterium exiuit: & Regem LVDOVICVM Cor-
beiæ demorantem celeriter adiit. Cui querelam ſuam deponens, ſuper iniuſta in-
quietatione Vizeliacenſis Communiæ ei proclamauit. Quo per inſinuationem
Abbatis agnito, Rex, ſemper promptus ad Eccleſiarum protectionem, Lingonen-
ſem Epiſcopum ad Comitem Niuernenſem, qui prædictam Communiam manu-
tenebat, deſtinauit: & mandauit ei vt pacem Eccleſiæ reformaret, & Communiam
diſſipari faceret. Comes verò Regio mandato obtemperare negligens, in ſua per-
uerſitate homines Vizeliacenſes perdurare non prohibuit. Cuius contumacia au-
ribus Regis relata, ipſe tantam indignationem comprimere dignè cogitans, exer-
citum congregauit. Quo adunato, aduerſus prædictum Comitem equitabat.
Quod ille audiens, Epiſcopum Autiſſiodorenſem ad Regem dirigens, mandauit
ei quòd ſecundum ſuam voluntatem de prædicta Communia faceret. Deinde ip-
ſe apud caſtrum Moretum Regi obuiam veniens, ei fiduciauit quòd Communiæ

A deinceps non conſentiret: ſed eam penitus diſſiparet. Vnde Rex fiducia Comitis accepta, ſuo exercitu dimiſſo, Autiſſiodorum cum eodem Comite venit. Vbi Vizeliacenſes Burgenſes conuocati, iuramento affirmauerunt, quòd ad voluntatem Poncij Abbatis ſucceſſorúmque eius ſe haberent, Communiámque relinquerent, & ad eam deinceps non iterarent. Proinde, Regis decreto, iidem Burgenſes Poncio Abbati quadraginta millia ſolidorum donauerúnt: & ita pax Eccleſiæ reſtituta eſt.

Expleto deinde paucorum annorum curriculo, VVillelmus Comes Niuernenſis eidem Eccleſiæ aduerſari cœpit. Nam quaſdam indebitas conſuetudines in ea clamabat: quas VVillelmus Abbas Vizeliacenſis & Monachi ſe debere ei inficiabantur. Vnde Comes, poſtpoſita Dei reuerentia, Monachis alimenta ſubtraxit. Illi autem victualibus carentes, Regem Lvdovicvm pedeſtres adierunt, & ei Pariſius occurrentes, ſolo tenus proſtrati, lacrymis obortis, querelam ſuam ſuper iniuriis à præfato Comite ſibi illatis ei depoſuerunt. Idcirco Rex compatiens Monachis lacrymabiliter conquerentibus, Vizeliacenſi Eccleſiæ firmiſſimam pacem reſtitui fecit.

Igitvr propter hæc, & alia multa opera iuſtitiæ, quæ piiſſimus Rex Lvdovicvs prædictæ Eccleſiæ, & pluribus aliis intuitu diuinæ Maieſtatis exhibuit, necnon propter vltionem, quam in hoſtes Cluniacenſis Eccleſiæ, & plurium B aliarum Eccleſiarum, multoties exercuit, diuina bonitas tot bonorum operum remunerationem condignam ei contulit. Rex enim diuinæ gratia largitatis ex Adela nobiliſſima Regina vnum filium genuit.

Anno Incarnationis Dominicæ MCLXV. Sabbato in octaua Aſſumptionis beatæ Mariæ Virginis, nocte dum matutina ſynaxis celebraretur, hæc nobiliſſima proles proceſſit ad ortum. Cuius natiuitatis gaudium deferens nuntius, ad Sanctum Germanum de Pratis veniens, hos felices rumores enarrauit eadem hora, qua Monachi incipiebant cantare propheticum Canticum, *Benedictus Dominus Deus Iſrael, quia viſitauit & fecit redemptionem plebis ſuæ.* Quod diuino oraculo contigiſſe, manifeſtis indiciis coniici poteſt. Fama verò tam deſideratæ prolis circumquaque percurrens, omnes Francigenas maximo gaudio repleuit. Quippe qui ſucceſſionem maſculini ſexus, de ſemine Regis Ludouici procedentem, diu multúmque deſiderauerant, qui poſt glorioſi patris deceſſum, ſolium Regiæ Maieſtatis obtineret. Quorum deſiderium attulit eis Dominus, nec ſunt fraudati à deſiderio ſuo. Itaque Regia prole exorta, poſtridie ortus ſui, hoc eſt die Dominica, pater eius Rex Lvdovicvs filium ſuum baptiſmatis ſacramento confirmari fecit. Ad quod exequendum Mauricius Pariſienſis Epiſcopus, mandato Regis, ſacerdotalibus veſtimentis ſe induit: & Regiam ſobolem in Eccleſia ſancti Michaëlis de Platea ſolenniter baptiſmate regenerauit. Hugo etiam Abbas ſancti Germani Pariſienſis patrinus puerum ſuper fontem baptiſmatis in vlnis ſuis tenuit. C Herueius quoque Abbas ſancti Victoris, & Odo quondam Abbas ſanctæ Genoueſæ, patrini extiterunt. Conſtancia ſoror Regis Ludouici, vxor Raimundi Comitis Sancti Egidij, & duæ viduæ Pariſienſes, matrinæ extiterunt. Qui vocatus fuit Philippvs.

LVDOVICVS VII IVNIOR. A

VETERVM SCRIPTORVM FRAGMENTA,

DE REBVS LVDOVICI VII. REGIS, COGNOMENTO IVNIORIS.

EX LIBRO IV. VITÆ BEATI BERNARDI
Clareuallenſis Abbatis, auctore GAVFRIDO *Monacho Clareuallenſi, eiuſdem beati Bernardi Notario.*

B

CAP. III. FIDELISSIMVM Principem THEOBALDVM Comitem, in magna tribulatione probatum, non minùs mirabiliter quàm miſericorditer Dominus liberauit. Is nimirum potentiſſimus, & ſecundus à Rege, diuerſos & immenſos tenens in Regno Franciæ Principatus, totus tamen eleemoſynis deditus, & ſtudio pietatis intentus, omniúmque ſeruorum Dei, ſed ſpecialiter Bernardi Claraualleníis, amator deuotiſſimus erat. Quem eatenus impugnari & affligi paſſus eſt Deus, vt Rege pariter & vicinis potentibus ferè cunctis coniurantibus aduerſus eum, vſque adeò de eius euaſione deſperaretur, vt publicè quoque iam inſultaretur religioni, pietati detraheretur, eleemoſynis derogaretur. Monachi & conuerſi, inutiles eius milites & baliſtarij dicebantur. Necnon & apud extraneos, ſed in ipſis quoque eius ciuitatibus & caſtellis, eiuſmodi iam blaſphemiæ perſonabant. Denique congregatis aliquando Epiſcopis pluribus, aliíſque perſonis, præſente etiam viro Dei, dum ſuper his agerent & colloquerentur, Epiſcopus quidam, eo tempore ætate & opinione prudentiæ celeberrimus, aiebat: » In manu Regis eſt Comes Theobaldus. non eſt qui poſſit eum eruere. » Reſpondente alio quodam Antiſtite, » Eſt qui poſſit liberare eum: multùm ille miratus, quiſnam crederetur poſſe, quærebat. Demùm audiens, quia poteſt eum eripere, qui omnia poteſt, Deus, non parum ſubſtomachans: » Poteſt, inquit, ſi manifeſtus appareat, ſi clauam teneat, ſi hinc indè percutiat. » ſed hactenus iſta non fecit. In tanta igitur C deſperatione, cùm prædictum Principem vehementer vrgerent extranei, grauiùs tamen impugnarent qui ab eo defecerant omnes ferè homines ſui, nec minus eum affligerent pauci qui reſidui videbantur, ex aliorum defectu ipſi quoque ſuſpecti: Lingonenſis Epiſcopus Godefridus frequenter & familiariter Dei hominem conſulebat, quidnam ſibi Dominus ſuper his reuelaret. Cui ille cùm iam ſæpiùs reſpondiſſet, nihil ſibi apparere, niſi tribulationem: demùm aliquando ſciſcitanti ait, » Quinto menſe pax erit. Sanè vltima die quinti menſis reformara eſt pax, ipſo quidem & orante, & cooperante, vt non eſſet ambiguum, eius potiſſimum ſtudio ſimul & merito, illum Principem piiſſimum à tam grauibus imminentibúſque periculis liberatum.

POST annos aliquot inter eundem Regem Francorum, & GAVFRIDVM Comitem Andegauenſium exercebantur inimicitiæ graues. Cauſa erat, quòd virum nobilem Gerardum de Monaſteriolo, Rege prohibénte, in munitiſſimo oppido ſuo Comes obſidens, comprehenderat cum vxore ac liberis & propinquis, ipſámque diruerat munitionem. Tractabat ergo vir ſanctus de reformanda pace, multis ad hoc ipſum Epiſcopis & Principibus congregatis: cùm ſubitò Comes ille, amaritudinis felle commotus, inſalutatos omnes relinquens, equo inſiliit, & receſſit. Confuſis denique omnibus, iam conuentus in deſperatione pacis ſoluebatur:

A batur: & prædictus Gerardus accedens ad hominem Dei, licentiam poſtulabat, velut in mortem & carcerem rediturus. Sub obſidibus enim ad colloquium illud erat adductus. Cúmque vir Domini conſolaretur eum, grauiùs ille flens & eiulans: Meam, inquit, minùs doleo ſortem: meos omnes pariter lugeo morituros. Compaſſus itaque vir beatus: Ne timeas, ait: certus eſto quia Deus tibi tuíſque ſubueniet, idque celeriùs quàm valeas vel ſperare. Necdum Gerardus ille limen domus attigerat, à facie eius egrediens, cùm ſubitò quidam occurrens, redire Comitem nunciauit. Mirati ſunt omnes, tam celerem audientes promiſſionis effectum. Eadem etenim horâ Comes rediit, & pariter pax deſiderata prouenit. Erat autem idem Comes pro eodem negocio ex mandato ſummi Pontificis anathematis vinculis innodatus, ſed abſoluendus, humiliari vt debuit, vel culpam ſuper hoc fateri ſuam, penitus recuſauit. Magis autem, vt erat plurimùm animoſus, Deum ſibi culpam huiuſmodi numquam remittere imprecabatur, innocentem ſe reputans, & iniuſtè ligatum. Quamobrem diſceſſit Pater ſanctus non parum triſtis ab illo, dicens ei: (ſiquidem literas nouerat) *qua menſura menſus fueris, remetietur tibi.* Eadem autem die, cauſantibus ſuper hac improbitate perſonis quibuſdam, & Principem illum grauiter erraſſe dicentibus, accenſus zelo Dei famulus aiebat: Grauiter ſatis hæc temeritas punietur. Fieri omninò non poteſt, quin hoc eodem anno Comes ipſe aut moriatur, aut euidentem aliam diuinæ indignationis ſentiat vltionem. Hoc verbum & ex ipſis, & ex

B aliis audiêre non pauci. Quod tam celeriter eſt impletum, vt Comes idem infra diem quintumdecimum moreretur.

Lvdovicvs VII. Ivnior.

In Matth. 7.

Ex Vita ſancti VVillelmi Abbatis Roſchildenſis in Dania, ab eius Diſcipulo conſcripta.

Accidit, vt Evgenivs Pontifex ſeſe in Gallias conferret. Cúmque Lutetiæ appropinquaret, Lvdovicvs Rex & Pariſienſis Epiſcopus, cum multa Cleri populique frequentiâ ei obuiam procedentes, illum honorificè exceperunt, atque ad beatiſſimæ Mariæ Virginis Eccleſiam cum ingenti gaudio deduxerunt. Paucis indè elapſis diebus, voluit idem Pontifex in Eccleſia beatæ Genouefæ myſteria diuina peragere, quia Apoſtolica dicebatur. Vbi eò ventum eſt, orta eſt contentio inter ſummi Pontificis & huius Eccleſiæ Canonicorum miniſtros, adeò vt ad pugnos res proceſſerit, & non ſolùm Pontificis miniſtri, ſed etiam ipſe Rex Ludouicus, qui illos compeſcere voluit, à Canonicorum illorum famulis verberatus ſit. Tanta autem nefariæ rei indignitate permotus Pontifex, cum Ludouico Rege tractauit de improborum hominum inſolentia dignè caſtiganda. Viſum eſt autem, in eorum locum alios ſubrogare, homines religioſos, nempe Monachos illos quos Nigros vocant: neque tamen Canonicos illos per vim ſuis Præbendis ſiue Sacerdotiis priuare volebant (erant enim inter eos non pauci no-

C biles & litterati) ſed permittere, vt illis, quoad viuerent, fruerentur. Verùm vbi iſtud Pontificis & Regis propoſitum ad aures Abbatis S. Victoris perlatum eſt, Pontifici & Regi valde ſupplices preces obtulit, vt Ordinis S. Auguſtini profeſſores in eam Eccleſiam introducerentur: multiſque oſtendit rationibus, contumaces illos faciliùs ad horum vitam regularem, quàm ad Monachorum habitum & conſuetudinem, traductum iri. Pontifex & Rex his auditis, cùm iam exploratam haberent bonam famam illius Abbatis, & Fratrum eius, eorúmque inſtitutum præ multis aliis prædicari non neſcirent, Domum quoque Sancti Victoris ſuauem eximiæ caritatis de ſe odorem ſpargere, Abbatis precibus aſſenſere: atque die ſequenti electus eſt in Abbatem Odo Prior, homo ſanctæ conuerſationis, atque totius religionis amator indefatigabilis. Adiunctíque ſunt ei duodecim Canonici, viri probi ac bonæ exiſtimationis, qui in Eccleſia ſanctæ Genouefæ commorarentur. Atque ex eo tempore vſque in præſens iſtud Canonicorum S. Auguſtini inſtitutum ea in Eccleſia conſeruatur, ex Priuilegio Pontificis Eugenij, & Regis Chriſtianiſſimi Ludouici ---

Extat apud Surium Tom. 1.

Ortvs eſt poſtea rumor in vulgo, ablatum eſſe caput ſanctæ Genouefæ à loco ſuo. Perfertur etiam vſque ad aures Lvdovici Regis, qui valde indignatus, iurauit, ſi res ita foret ſe Canonicos eius Eccleſiæ omnes indè expulſurum,

Lvdovicvs VII. Ivnior.

A Adhibentur autem cuſtodes reliquiis Eccleſiæ illius, mittítque Rex Literas ad Archiepiſcopum Senonenſem, eiúſque Suffraganeos Epiſcopos, Abbates quoque & Priores eius Diœceſis, vt ad certum diem omnes adſint Pariſiis, rei huius veritatem exploraturi. Vbi ad Fratres Eccleſiæ ſanctæ Genouefæ Regis minæ peruenêre, non immeritò animis conſternati ſunt: ſed longè tamen dolebant magis tam precioſo ſacrarum reliquiarum theſauro ſe, vt verebantur, orbatos eſſe. Ante omnes dolebat hoc nomine VVillelmus, qui reliquias omnes & theſaurum Eccleſiæ aſſeruanda iampridem receperat. Iam aderat præſtitutus dies, aduenit Rex cum ſuis, aduenerunt Pontifices & Abbates, aduenit etiam populi multitudo non exigua, exitum rei noſſe percupiens. Deſignantur qui cum Epiſcopis aſcendant ad eum locum, vbi ſanctæ Genouefæ reliquiæ ſeruabantur. Voluit autem cum eis pariter aſcendere VVillelmus, tanquam ſacri cuſtos theſauri, ſed non permittitur. Arripuit tum ille haud ſcio an candelabrum vel thuribulum, ſecum ita dicens: » Si non » licet aliter, ſaltem vt miniſter aſcendam. Aperitur deinde theca, & ecce caput ſanctæ Virginis, quæ eſt Galliarum decus & ornamentum, cum ceteris eius artubus reperitur. Non potuit tunc animi ſui lætitiam intra ſe cohibere VVillelmus, ſed non habita ratione tot longè maiori dignitate præſtantium virorum, fidenter cantat, *Te Deum laudamus*: eius vocem excipit tota illa hominum frequentia, & ad finem vſque illud Canticum depromit --- ⁖

Ex Vita S. Thomæ Archiepiſcopi Cantuarienſis & Martyris, auctore M. Eduardo eius contemporaneo. B

Cap. XII. Postqvam autem Rex Angliæ comperit eum è Regno exceſſiſſe, à Rege Franciæ petiit, ne eum fineret in ditione ſua recipi. Rex Franciæ primùm ſimulauit, ſe neſcire quid Legati vellent. Illis verò dicentibus, Archiepiſcopum Thomam furtim ex Anglia ſe ſubduxiſſe malè ſibi conſcium, Rex ait: » Noui Thomam » Archiepiſcopum, ſcio qua fide, cùm eſſet Cancellarius, Regi Angliæ ſeruierit: & » ecce, hæc ei merces refunditur, vt nec cum ipſo pacem, nec hîc perfugium eum » obtinere ſinat. Digna planè merces, vt Regno ſuo pulſum, etiam in aliena perſequatur. Legatis autem eum in Archiepiſcopum commouere nitentibus, ille ait etiam cum iureiurando: » Si ille mihi ita inſeruiiſſet, haud quaquam ingratus eſſem, » & nunc, ſi ſcirem vbinam ſit, feſtinus occurrerem venienti. Orant igitur Legati, vt » Romano Pontifici ſcribat, ne etiam illum circumueniat. Sed illis abeuntibus, Rex ſcripſit Pontifici, vt eum paterna dilectione complectatur, nec quenquam audiat contra iuſtitiæ ſectatorem. -- ⁖ Exacto indè menſe, miſit Alexander Pontifex ſanctum virum ad Pontiniacenſe Monaſterium, Abbati eum commendans, vt res ne-

XIII. ceſſarias ei ſuppeditaret. --- ⁖ Non deſeruit Deus afflictum propter ſe, & propter iuſtitiam Martyrem ſuum. Permouit enim Franciæ Regem, Regnique Proceres, vt liberaliter ei ſuppeditarent, quod & ipſi & omnibus cognatis eius ſufficeret. -- ⁖ C

XIV. Porro Angliæ Rex moleſtè ferens Pontiniaci eum degere, ſcribit ad Abbatem Ciſtercienſem, cui Pontiniacenſes æquè vt alij eiuſdem inſtituti Monachi parebant, ſi illum patiatur manere vel Pontiniaci, vel alibi in ſuo Ordine, ſe Monachos omnes eius Ordinis, vel inſtituti, qui ſint in Angliæ Regno, ad ipſum tranſmiſſurum. Id vbi ex Abbate Ciſtercienſi reſciuit vir ſanctus: » Abſit, inquit, hæc à » me tranſgreſſio, vt mea cauſâ patiar tot viros virtutis in hanc calamitatem incide» re, & tot Monaſteria in ſempiternas redigi ſolitudines. Reddat vobis pater miſe» ricordiarum pro officiis caritatis, quæ mihi præſtitiſtis. Deindè ſcripſit ad Lvdovicvm Franciæ Regem, qua arte Angliæ Rex è Pontiniaco ipſum eieciſſet, indicauitque ſe iam paratum vti ipſius Regis beneuolentiâ. Ille enim Rex iam antè ſummoperè rogauerat eum, vt apud ipſum maneret, vbicumque ſibi viſum eſſet. Sed id cum recuſauit, ne Regi Angliæ moleſtiam exhiberet, aut illum iniuriâ affeciſſe videretur. Vt autem ad Ludouicum Regem hæc perlata ſunt, ociùs properauit Pontiniacum, conuocatis Fratribus gratias egit, quòd tanto colligendo hoſpite Franciam honoraſſent. Cùm autem Rex illum ſecum abduceret, lacrymis eum proſecuti ſunt Monachi, memores qua manſuetudine & humilitate inter ipſos, & quaſi vnus ex ipſis, vixiſſet annis duobus.

XV. Perdvctvs eſt autem ad aliud Monaſterium ſanctæ Columbæ, propinquum

A Senonibus, atq; illic officioſiſſimè exceptus à Miniſtris Regis, qui eò præmiſſi fuerant, quatuor illic annis regiis impenſis ſuſtentatus eſt. Sed hanc eius pacem & vidit & inuidit virulentus Satan, rurſuſque commouit Regem aduerſus eum conſiliis impiorum, quibus hanc diſcordiam potiùs adſcribendam eſſe, quàm Regi, & ipſe vir ſanctus ſcripſit, & nos credimus. Conatus eſt Rex LVDOVICVM Franciæ Regem abalienare ab eo. Videbat enim nihil ſe ei nocere poſſe, niſi ille conſentiret. Inſtituitur duorum Regum colloquium, tractatur de pace & concordia deinceps ſeruanda: iuratur vtrinque, neutrum alterius hoſtem ſuo Regno tolerarurum. Poſtea aliud voluit Rex Angliæ cum LVDOVICO Rege habere colloquium: ſed cùm non ſinerent Ludouici Regis Conſiliarij eum illi colloquio adeſſe, videns Angliæ Rex fruſtrà ſe niti, ſcribit Ludouico Regi, ipſum contra pacta conuenta ſuum & Regni ſui hoſtem publicum fouere. Ludouicus Rex reſpondet, nullam Archiepiſcopi in iis pactis conuentis habitam mentionem. LVDOVICVS VII IVNIOR.

Ex Libro de Tranſlationibus Reliquiarum ſancti Mamantis Martyris, qui extat in Bibliotheca Floriacenſi.

QVINTVS à Reinaldo ſedit Lingonis bonæ memoriæ Godefredus Epiſcopus, CAP. IV. de cuius commendatione taceo, quia multi adhuc extant ex vobis, qui viderunt 1147. eum, & mores eius, & religionem & vitam pleniùs cognouerunt. Quod verò ad B gloriam noſtri Martyris attinet non ſilebo. Cùm capta eſſet à Gentilibus Ediſſa ciuitas, quæ vulgo Roais dicitur, idem Epiſcopus cum LVDOVICO tunc Rege, patre huius illuſtris PHILIPPI qui nunc regnat in Francia, tranſmarinandi aſſumpſit propoſitum. Ad quod perficiendum vt ſufficientes haberet expenſas, multa vaſa aurea & argentea de Eccleſia Lingonenſi tulit, ſub certa promiſſione reſtitutionis.

Ex veteri membrana, quæ eſt in Bibliotheca Viri Cl. Alexandri Petauij Senatoris Pariſienſis.

PROVIDENTES vtilitati poſterorum, literis notificare decreuimus, qui caſus huic Eccleſiæ temporibus noſtris euenerit, quæ incommoda, pro quibus ſcilicet ea quæ in theſauro noſtro multis antea temporibus intacta, & illibata cuſtodita fuerant, nunc indè ablara atque diſtracta ſint. Primò igitur, dum tempore quodam valida fames totam Galliam perurgeret, adeò vt multi nobiles viri, atque opibus antea ditati, ob intolerabilem famis neceſſitatem, venditis atque diſtractis omnibus quæ habebant, in ſua mendicare erubeſcentes, exteras ac procul remotas peterent regiones, quoquomodo ibidem victus alimoniam adquiſituri. Dúmque vehemens neceſſitas de die in diem populum vrgeret, atque vndique ex vicinis caſtellis & vicis copioſa turba egentium ad hoc Monaſterium conflueret ſpe beneficij C corporalis: tanta calamitate populi Dei compulſi, atque pietate ſuper eos ducta, Crucifixum argento veſtitum, pondo circiter XL. marcarum denudauimus, atque ipſius Chriſti tunicam in alimoniam membrorum eius, videlicet pauperum, diſtraximus. cuius ope per aliquod tempus cotidie D. aut DC. vel eam DCC. pauperes paſti & ſuſtentati ſunt. Secundo poſtmodum anno LVDOVICVS Rex Francorum & Dux Aquitanorum Hieroſolymam peregrè profecturus, quatinus Chriſticolas illic poſitos, & crebris Sarracenorum infeſtationibus vexatos, Dei auxilio vindicaret ac liberaret, dum de theſauris Eccleſiarum ſui Regni ad Dei negocium peragendum multa extraxiſſet, à venerabili quoque M. huius Floriacenſis Eccleſiæ Abbate petiit, quatenus ipſe qui tantæ Eccleſiæ præerat, & inter maximos totius Franciæ Proceres computabatur, larga manu illi M. marchas ſcilicet argenti præpararet. Quod Abbas iamdictus audiens reſpondit, ſe nullo pacto quod petebatur perſoluere poſſe. præſertim cùm Domus, quam regendam ſuſceperat, variis perſecution .... ſuo tempore, quàm de prædeceſſoris ſui, Abbaris videlicet ADEMARI, per multos annos attrita foret, tum Abbatum commutatione, & mira Monachorum ipſius Eccleſiæ cum Romanis Legatis conflictatione, tum vinearum iam per ſeptem annos defectione, & pro hoc vini penè aſſidua comparatione, ac præ his omnibus infortuniis, ipſius Regis famulorúmque ſuorum innumeris exactionibus & frequentibus angariis intolerabiliter adgrauata fuiſſet. Rex hæc

LVDOVICVS VII. IVNIOR. audiens, & præ ſe recolens vera eſſe quæ ſibi ab Abbate obiiciebantur, omiſſis D. vt A ſolùm D. marchas præpararet imperat. Cui econtrario Abbas ſe nullatenus nec D. poſſe dare affirmabat. Tandem aliquot diebus interiectis, Rex cum ſuis habito conſilio, Abbatem aduocat, præcipitque ſine vlla dilatione CCC. marchas argenti, & D. biſancios auri ſibi quantocius præparandos fore. Porrò Abbas cognoſcens non eſſe fas vltrà Regi contradicere, reuerſus ad propria tractare cum ſuis cœpit, quonam modo quæ à Rege petebantur inuenire poſſet. Denique veniens in Capitulum, queſtum Regis Fratribus expoſuit, rogauitque attentiùs, quatinus ſuper tanto negocio ſe conſolarent & adiuuarent. Qui inter ſe conſilium habentes, & dignum ducentes Domini & Patris ſui neceſſitatibus communicandum, duo argentea candelabra mirifici operis, quorum ...... triginta marcharum erat argenti ipſi dederunt. inſuper & thuribulum VIII. marcharum auri, & trium vnciarum, ipſi commodauerunt. Ipſo tamen Abbate hoc veraciter ſpondente, & inſuper plurimos fideiuſſores dante, quatinus ſi fortè ipſe reddere negligeret, ipſi pro certo in tertium Paſcha ab illo qui iam imminebat, thuribulum eiuſdem valitudinis abſque vllo ſcrupulo reficerent, & ſine dilatione in theſauro noſtro reponerent. Quod tamen poſtea mutatum, & aliter fieri de ipſo thuribulo ordinatum eſt. Siquidem domnus Abbas M. videns domum iſtam ædificiis multùm eſſe aſpernabilem, & cunctis Abbatiis Franciæ minùs ornatam, ſuaſit Conuentui vt ipſum thuribulum ad nouum ſibi Dormitorium conſtruendum erogarent, ſpondens quòd ipſe quod ſupererogandum ad ædificium componendum foret, de proprio largiretur. Cui Fratres B conſentientes, ac vtile quod dicebat fore iudicantes, reditus thuribuli reparandi ad Dormitorium conceſſerunt.

EODEM quoque tempore IOSCERANDVS Maior iſtius villæ cum Domino Rege peregrè proficiſci deſiderans, Godefridus quoque Buticularius domni Abbatis, & Guido Belini, necnon & Adelardus de Porta, Hieruſalem ituri, in Capitulum noſtrum venerunt, ea quæ de nobis tenebant impignerare nobis volentes per V. annorum ſpacium: Maior videlicet Maioriam ſuam, & minagium ſuum, pro ſeptem viginti libris. Godefridus feodum ſuum pro XXX. libris, Guido & Adelardus vterque ſuum pro X. libris. Eo pacto ſcilicet, vt reditus, qui de ipſis vadiis per quinquennium exierint, tam pro ſua eleemoſyna, quàm pro ſeruicio quod nobis debebat, in partem noſtram computarentur, ad aliquod opus in hac domo vbi voluerimus faciendum. At verò, ſi tranſacto quinquennio non rediſſent, vel etiam ſi fortè obiiſſent, quandiu ipſis vel eorum ſucceſſoribus, ſicut in Cartulis de hoc conſcriptis continetur, ſi redimendi facultas non eſſet, omnium reditus vt ſuprà iam diximus, noſtra forent. Abbas M. & his Fratres auditis ſermonibus, libenter quæ petebantur facere conſenſerunt.

FRAGMENTA ALIA. C

Ex Hiſtoria MS. Vizeliacenſis Monaſterij, quam HVGO PICTAVINVS *Notarius Guillelmi Abbatis Vizeliac. ſcribere aggreſſus eſt anno* MCLVI. *& ſub ipſo Guillelmo abſoluit anno* MCLXVII.

1161. HIs diebus Occidentalis Eccleſia graui ſchiſmate laborabat. HENRICVS autem Comes Trecenſis partibus fauebat Imperatoris. Porrò LVDOVICVS Rex Galliæ miſit in occurſum ALEXANDRI Papæ Catholici Legatos ſuos, Theobaldum Abbatem ſancti Germani de Pratis, & Caducum Clericum ſuum. Quorum Legationem cùm minùs optatò Alexander ſuſcepiſſet, reuerſi Vezeliacum venerunt. Et decidit in lectum ægritudinis Theobaldus Abbas, & mortuus eſt IX. Kal. Auguſti, ſepultúſque infra ianuam Baſilicæ beatæ Mariæ Magdalenæ, cuius Monachus extiterat. Et vt cognouit LVDOVICVS Rex repulſam Legatorum ſuorum, iratus pœnituit ſe ſuſcepiſſe Alexandrum, contempto Victore: & ſcripſit per Manaſſem Epiſcopum Aurelianenſem ſuper hoc verbo, Comiti Henrico Trecenſi, qui eo tempore ad Germanicum Imperatorem properabat. At ille gratulabundus pro opportunitate reperta, ſuggeſſit Imperatori, vt

LVDOVICVS VII IVNIOR.

A finiret colloquium cum Rege, adunatis vtriuſque Regni Optimatibus & Eccleſiaſticis viris, conteſtatus iureiurando quòd Rex, audita vtriuſque Apoſtolici electionis examinatione iuxta diſcretionem perſonarum vtriuſque Regni, ſtaret conſilio ſuo, videlicet Henrici Comitis. Et indictum eſt colloquium apud Louigennam vicum citra Ararim fluuium in fine Regni Franciæ. Et ſtatutum eſt, vt Alexander Catholicus & Victor ſchiſmaticus colloquio adeſſent, & de ſua electione in conſpectu totius Eccleſiæ conferrent. Quod vt cognouit Alexander, miſit ad LVDOVICVM Regem Legatos, ſcilicet Bernardum Portuenſem Epiſcopum, & Hiacinthum Diaconem ſuum, qui Regis iram lenirent, & familiare colloquium inirent. Conuenerunt ergo Alexander & Ludouicus apud Siluiniacum, qui eſt vicus Monachorum Cluniacenſium. Rex autem Ludouicus rogabat Alexandrum, vt ad conſtitutum veniret colloquium: aut, ſi præſentiam Imperatoris abhorreret, ſaltem ad partes illas accederet vſque ad Vergiacum caſtrum, quod erat inexpugnabile. Cui cùm Alexander nollet adquieſcere: Ego, ait Rex, & te, & vniuerſum comitatum tuum ſaluum ducam, & reducam ſaluum ſicut corpus meum. Ex cùm nec ſic adquieſceret Alexander, veritus dolos Imperatoris, reſpondit Rex: Mirum eſt, quòd conſcius iuſtitiæ ſuæ ſubterfugit teſtimonium innocentiæ ſuæ, ſeu audientiam. Et abiit Rex ad indictum cum Imperatore colloquium. Nondum autem cognouerat conditiones, quas ex parte ſua Comes Henricus fecerat cum Imperatore.

B CVM ergo veniſſet Rex ad caſtrum Diuionem, occurrit ei Comes Henricus: & tunc primùm aperuit ei pactiones quas cum Imperatore fecerat, dicens: Maieſtatis tuæ reuerentiæ, & Regni tui conſulens vtilitati, Domine mi Rex, inij colloquium ſuper Ararim fluuium: quo tu, Domine mi Rex, & Imperator FREDERICVS, cum Pontificibus & Abbatibus, atque Optimatibus Regni vtriuſque conuenerant, præſente tuo & Imperatoris Apoſtolico: vt ex vtraque parte eligerentur viri probatiſſimi tam Eccleſiaſtici quàm militares, qui electionem vtriuſque Apoſtolici diiudicabunt. Et ſi Rolandi electio fuerit ſanior comprobata, Octauiani electio caſſabitur, & Imperator procidet ad pedem Rolandi. Si autem Victoris electio præualuerit, Rolandus annullabitur: tu verò, Domine Rex, ad pedem Octauiani venies. Quòd ſi Victorem Octauianum deeſſe contigerit, Imperator ab eo deficiens Alexandro tuo obediet. Si autem econuerſò Alexander defuerit, identidem decidet, & Rex Victori fauebit. At verò ſi tua Maieſtas noluerit nec prædictis pactionibus acquieſcere, nec arbitrio Iudicum aſſenſum præbere: ego iureiurando iuraui, quòd ad partes illius tranſibo, & quicquid de fiſco Regis in feodum habeo, Imperatori tradens, ab illo deinceps tenebo. Stupefactus Rex LVDOVICVS ad hæc reſpondit: Miror, vnde tibi fiducia, quòd me inſcio, méque inconſulto, talia cum Imperatore condixiſti. Reſpondit Henricus: Hanc fiduciam, tu Rex, per Manaſſem Aurelianorum Epiſcopum mihi dediſti. Interrogatus ſuper hoc verbo Epi-

C ſcopus, timore Regis diſſimulare cœpit occultas machinationes, quibus Henricum ad hoc induxerat. Tunc Henricus protulit Epiſtolam Regis, qua continebatur quòd Nuncij Regis repulſi fuiſſent ab Alexandro. Ob quam rem indignatus Rex mandabat Henrico, quatenus licenter procederet, & colloquium vtriuſque audientiæ iniret: certus quòd Rex per omnia conſilio illius ſtaret.

FREDERICVS autem Imperator ædificauerat ſibi Palatium miræ amplitudinis in loco, qui dicitur Dola, iin finibus Imperij ſui. Et cognouerunt Franci, quòd ſchiſmaticus Victor non eſſet cum Imperatore: & læti ſunt ſuper illius abſentia. Quo agnito, Theutonici ſiue Germani currentes, adduxerunt eum cum feſtinatione maxima eodem die. Quem aſſumptum, Imperator duxit eum ſupra pontis medium: ſtatímque, quaſi pactionibus ſatisfeciſſet, receſſit. Rex autem LVDOVICVS, quaſi venatum pergens, tranſiit per nemus ad locum colloquij. Miſitque Iocium Turonenſem Archiepiſcopum, & Mauricium Pariſienſem Epiſcopum: Guillelmum quoque Vizeliaci Abbatem, cum aliis Optimatibus Regni ſui, ad Nuncios Imperatoris, qui ibidem conuenientes verbum Regis expectabant. Inter quos etiam erat Comes Henricus, qui propter affinitatem cognationis, partibus omninò fauebat Victoris ſchiſmatici. Petierunt itaque Miſſi Regis

Lvdovicvs VII. Ivnior.

ex ore eius competentes inducias, eò quòd pactiones huius colloquij hactenus vſ- A
que perendie Regi fuiſſent incognitæ: præſertim cùm Imperator compulerit Hen-
ricum Comitem iurare, ne prædictas ante diem conſtituti colloquij vllo modo ma-
nifeſtaret Regi. indecens autem fore tam temerè de tanto negocio definire. Cúm-
que Imperatoris Frederici prolocutores petitas inducias negarent, reuerſus eſt
Rex apud Diuionem. Cardinales verò, quos illuc Alexander Papa miſerat, ſpe-
rantes ſolutum eſſe colloquium, Vizeliacum redierunt. Rex autem conſtituit,
qui cuſtodirent fines Regni ſui. Et ſequenti ſummo manè venit Comes Henricus
ad Regem in Palatium Ducis Burgundiæ, allegans Regem nequaquam eſſe à pa-
ctionibus liberum: ideóque ſe neceſſariò diſceſſurum ab eo, & ſe traditurum in
manus Imperatoris, ita vt totam terram, quam de feodo Regis hactenus tenuerat,
amodò Imperatori traditam ab eo reciperet, & hominium illi faceret. Attamen
ob gratiam Regis obtinuiſſe ſe dixit ab Imperatore trium hebdomadarum indu-
cias, ea conditione quòd Rex datis obſidibus polliceretur Imperatori ad diem ſe
venturum, & Alexandrum adducturum, atque ibidem cauſam vtriuſque auditu-
rum, & iudicio proborum virorum Imperij & Regni pariturum: aut certè ſeipſum
tradere vinctum Imperatori apud Chryſopolim, quæ eſt vrbs nobilis Biſuntino-
rum. Et acquieuit Rex, & defecit ſpiritus eius, & tædiatus eſt animo: pactúſque
eſt, ita ſe facturum, datis obſidibus Duce Burgundiæ, Comite Flandriæ, & Guil-
lelmo Comite Niuernenſi. Omnis autem Eccleſiaſticus Ordo, audito hoc ver-
bo, quod fecerat Rex, doluit valde, & corde clamauerunt ad Dominum, vt B
miſereretur Eccleſiæ ſuæ ſanctæ, & liberaret Regem à fraude circumuenien-
tium ſe.

Abiit ergo Rex ad prædictum locum Louigennæ, vbi Regi debebat occur-
rere Imperator. Sed fefellit Imperator Henricum, miſitque præcipuum fauto-
» rem ſchiſmatis Rainaldum Cancellarium ſuum, Colonienſis Eccleſiæ Archiepi-
ſcopum. Cúmque coram eo replicarentur pactiones, quas Comes Henricus ex
ore Imperatoris propoſuerat Regi: ſubitò diuina virtus aſtitit Eccleſiæ ſuæ, & piæ
ſimplicitati Regiæ Maieſtatis. Reſpondit enim Rainaldus profani erroris fautor,
nequaquam Imperatorem talia dixiſſe: ſcilicet quòd cuiquam permitteret conſor-
tium iudicandi Romanam Eccleſiam, quæ propriè ſui iuris exiſtebat. Tunc reple-
tus gaudio Rex quæſiuit ab Henrico Comite, vtrum ſe haberent pactiones ſecun-
» dum formam ab eo propoſitam. Et ille: Habent. Et Rex, Ecce, ait, quòd Im-
» perator, qui iuxta verbum tuum adeſſe debuit, abeſt. Ecce etiam, quòd Miſſi il-
» lius formam pacti, te præſente, te teſte, commutant. Verum eſt, inquit Co-
» mes Henricus. Et ait Rex: Nónne egò abſolutus ſum ab omni pacto? Abſolu-
tus, ait Henricus. Et dixit Rex Lvdovicvs cunctis Optimatibus ſuis, &
» Epiſcopis atque Abbatibus, qui præſentes aderant: Audiſtis, & vidiſtis, qualiter
» ego ipſe gratis perfecerim omnia, quæ ad me pertinent. Edicite, vtrum liber ab
» his pactionibus videar. Dicunt omnes: Liberaſti verbum tuum. Statímque Rex C
velociſſimum equum, cui inſidebat, reducens, protinus ire perrexit. Teutonici
autem valde confuſi, inſecuti ſunt eum: rogantes vt rediret ad Imperatorem pa-
ratum exequi omnia quæ Henricus Comes propoſuerat. At ille parui pendens
» quæ dicebantur, decipulam, quam euaſerat, exhorruit, dicens: Feci quod meum
fuit. Sic ſoluto Conuentu, Rex in Regnum ſuum rediit.

Alexander autem Catholicus Papa veritus indignationem Regis Lvdo-
vici, tranſiit in Aquitaniæ Metropolim vrbem Bituricorum, & in Dolenſe
Monaſterium, quod eſt apud Caſtrum-Radulphi, ibique hiemauit. Et ſequenti
tempore Quadrageſimæ acceſſit ad Ludouicum Regem in vrbe Pariſiorum. A quo
ſuſceptus honorificè, ſecundum morem Romanæ Eccleſiæ portauit ipſe Roſam
auream Dominicâ qua cantatur, *Lætare Hieruſalem*. Peractiſque Paſchalibus ſo-
lemniis, conſecrauit Baſilicam Monaſterij beati Germani de Pratis, cui præerat
Hugo de Moncellis Monachus Eccleſiæ Vizeliacenſis.

1165. Hic eſt enim Lvdovicvs Rex filius Lvdovici, qui cognominatus
eſt Grossvs, filij Philippi, filij Henrici, filij Roberti, filij Hugonis Capito-
nis, qui primus Rex extitit poſt defectum genealogiæ Karoli, quæ per ducentos
fermè annos regnauit. Fuerúntque à primo anno Hugonis vſque ad primum an-
num huius Lvdovici, qui cum patre per quinquennium regnauit, anni ferè

A centum quadraginta. Hic eſt Rex LVDOVICVS, cuius pater Ludouicus vſquequaque dilatauit Regnum ſuum, & coniunxit ei in matrimonium filiam Guillelmi Ducis Aquitanorum, & Comitis Pictauorum: propter quam acquiſiuit omnem Aquitaniam, Guaſconiam, Baſcloniam, & Nauarriam, vſque ad montes Pyrenæos, & vſque ad Crucem Karoli. Hic eſt Rex LVDOVICVS, qui quintodecimo anno regni ſui, præſidente in Romana Cathedra Eugemo, cum magno exercitu vexillo viuificæ crucis inſignito Hieroſolymam perrexit, gentem inimicam fidei debellaturus. Sed incognito Dei iudicio, maxima ſuorum parte amiſſa, abſque triumpho rediit, prauóque vſus conſilio vxorem ſuam cùm prænominata terra, quæ Regnum aliquando per ſe extiterat, dimiſit: & poſtmodum coniunctus eſt filiæ Imperatoris Hiſpanorum. Qua defuncta, tertiò nupſit ſororem Comitis Henrici, de qua primum ſuſcepit filium nomine PHILIPPVM, anno regni ſui XXXIII. à Galliis redeunte Alexandro Papa. LVDOVICVS VII. Iunior.

REX verò LVDOVICVS mouit exercitum aduerſus Guillelmum Comitem Cabilonenſem propter peſſimam ſtragem, quam Guillelmus filius eius exercuerat ſuper Cluniacenſes. Cùm enim occupaſſet caſtrum Lordonis, quod extat de iure Cluniacenſis Cœnobij, egreſſi ſunt maiores natu cum iuuenibus de vico Cluniacenſi. Quos incautos, ſicut indoctum vulgus, docta manus militum Comitis protinus aggreſſa, fugam inire compulit, & ferè omnes ad internecionem deleuit.
B Mouens ergo Rex exercitum, occupauit caſtella & munitiones eius, & ipſam vrbem Cabilonenſium, omnémque terram illius vſque ad fluuium Ararim. Quam deuaſtatam tradidit in manu Hugonis Ducis Burgundiæ, & Guillelmi Comitis Niuernis: quo vſque puer ipſe, qui cauſa malorum extiterat, venit Vizeliacum ante faciem Regis cum matre ſua, & prout potuit Regi ſatisfecit.

REX autem LVDOVICVS venit Vizeliacum, & gratias ei egit Abbas cum Fratribus ſuis pro adepta pace. Et occurrit ei filius Comitis Cabilonis, & agente Abbate fecit pacem cum Rege.

Ex Hiſtoria Anglorum GVILLELMI NEVBRIGENSIS, *qui floruit anno* MCC.

MEMORABILIS Rex Anglorum Henricus II. anno regni ſui VII. in parteis Gaſconiæ duxit exercitum, cuius expeditionis cauſa hæc fuit. Comes Pictauienſis, & qui Dux Aquitanis, auus ſcilicet ALIENORÆ, priùs Francorum, poſtcà verò Anglorum Reginæ, cùm eſſet in expenſis profuſior, & propriorum redituum quantalibet affluentia tantæ voragini nequaquam ſufficeret, accepta à Comite Sancti Egidij viro pecunioſo pecuniâ copioſa, nobilem illi cum pertinentiis ciuitatem TOLOSAM appoſuerat: atque in fata concedens, abſoluendi appoſiti operam ad filium tranſmiſerat. Qui nimirum in expenſarum profuſione patriſſans, ipſe quoque liberandi pignoris in heredes transfudit negocium. Reliquit autem vnicam filiam heredem, quæ cùm Regi Francorum LVDOVICO nupſiſſet, idem Rex vxoris nomine Toloſam repetiit. Comes verò Sancti Egidij nihil quidem iuris obtendens, ſed tamen Toloſæ totus incumbens, tandem opportunitatem nactus, Regem nuptiis germanæ placauit, CONSTANTIÆ ſcilicet Euſtachio Regis Stephani filio nuptæ, & poſt mortem eius ad fratrem reuerſæ. Verùm cùm poſtea facto inter Regem Francorum & vxorem eius diuortio, eadem ad nuptias Regis tranſiſſet Anglorum, mota eſt rurſus quæſtio ſuper Toloſa iuſtis heredibus reſignanda. Memorato verò Comite negante, & ſuæ poſſeſſionis Regem Francorum laudante auctorem, Rex Anglorum contracto ex vniuerſis terris ſuæ ditionis exercitu, Gaſconiæ fineis ingreſſus eſt. Inuitati quoque ab eo amici, vt ſequerentur vel occurrerent, ingentibus copiis anxerunt exercitum: præcipuè Comes Barcinonenſis vir magnus & potens, nec infra Reges conſiſtens. Guillelmus quoque cognomento Trencheueil, vir nobilis & potens, nonnullarum ciuitatum, & multorum Dominus caſtellorum, odio memorati Comitis, in cuius manus, vt dicitur, ante inciderat, & de quibus ægrè, ac nonniſi plurima terrarum ſuarum parte mutilatus euaſerat, cum quantis poterat viribus Regni Anglorum aſſiſtebat. Idem verò Comes tanti exercitus impetum pertimeſcens: Regis Francorum, qui vxoris ſuæ germanus, & filiorum erat auunculus, auxilium Lib. I. cap. X. De expeditione Toloſana.

Lvdovicvs VII. Iunior.

imploraui. Qui zelando pro nepotibus, feſtinus adueniens, cum aliquanta militia Toloſam intrauit. Quod cùm innotuiſſet Regi Anglorum, perſonæ Regis ibidem conſiſtentis deferens, ciuitatem oppugnare diſtulit; & ad peruadendam prouinciam, expugnandáſque munitiones, conuertit exercitum. Caturcenſem ciuitatem, quæ à ſe defecerat, & fineis eius cum numeroſis caſtellis deditione recepit, plurima quoque expugnauit & cepit. Quibus actis, & memorato Guillelmo Trencheueil coadiutori ſuo munitionibus, quas illi ſorte bellica Comes Egidienſis extorſerat, redditis, in Normanniam rediit. A

Cap. XII. Quemodo Reges, Francorum ſcilicet & Anglorum diſſidentes pacificati ſunt.

Igitvr Rex Anglorum Henricus II. ab expeditione Toloſana reuerſus breui quieuit. Sequenti enim anno, qui fuit regni eius VIII. ita inter ipſum & Regem Francorum, tempore eiuſdem expeditionis conceptis cauſis ingraueſcentibus, tandem quaſi parta erupit, & ſubditarum quietem Prouinciarum motibus turbulentis corrupit. Denique immenſis hinc indè exercitibus congregatis, in terrarum confiniis caſtris è regione diſpoſitis, vterque Princeps cum ſuis copiis conſiſtebat, quia & progredi periculoſum, & retrogredi indecorum videbatur: paratiórque vterque erat vel Princeps vel exercitus propter bellici diſcriminis ambiguos exitus, prœlium excipere, quàm inferre. Viri ergo pacifici hanc hæſitationem habentes, ne duorum zelus & ſuperbia hominum ſtrages innoxiorum parerent populorum, piè cautéque ſategerunt. Et quoniam ſub clypeo, vt dici ſolet, meliùs plerumque procedit pacis negocium: Principibus quod priùs ne audire quidem ſuſtinebant, ſine magna difficultate perſuaſum eſt. Itaque pacificati ſunt Principes; & populi rediêre in ſua. B

Cap XXIV De diſcordia & reconciliatione Regum Francorum & Anglorum

Anno Henrici II. ſextodecimo, ipſe & Rex Francorum cùm iam diuſculè fuiſſent diſcordes, mediantibus viris pacificis, pacis iterum inter ſe iura firmarunt. Illius autem diſcordiæ cauſa hæc fuit. Rege olim Stephano tumultibus Anglicis occupato, Comes Andegauenſis inuaſit, obtinuítque Normanniam, præter Giſorcium, & duo alia quaſi appendentia caſtella, quæ in poteſtatem Regis Francorum

1169. ceſſerunt. Hanc iuris Normanniei diminutionem proceſſu temporis eiuſdem Comitis filius, Rex ſcilicet Anglorum Henricus II. non patiens, arte magis quàm viribus in hac parte vidit vtendum. Denique per virum induſtrium, Thomam ſcilicet Cancellarium ſuum, egit apud Regem Francorum, vt filia eius ex filia Regis Hiſpanici, quæ nupſerat ei poſt Alienoram, primogenito ſuo Henrico daretur in coniugem, munitionibus illis in dotem cedentibus; quæ tamen à Templariis tanquam in ſequeſtro cuſtodirentur: donec pueri, qui nondum per ætatem nuptias contrahere poterant, ſuo tempore nuptialiter conuenirent, Rege Anglorum interim vtriuſque pueri habente cuſtodiam. Verùm idem Rex aliquot annis elapſis productioris moræ impatiens, inter eoſdem pueros nuptias celebrauit præmaturas, & à Templariis caſtella recepit. Quamobrem ſæuientibus Francis, & ipſum quidem præuaricationis, Templarios verò proditionis accuſantibus, ad lites & bella ventum eſt. Sed crebris experimentis edocti, ſe eiuſdem Regis potentiæ vim inferre non poſſe, irâ paulatim deferueſcente, tandem pactis quibuſdam mediantibus adquieuerunt, vt fieret pax, & facta eſt pax, non quidem ſolida, ſed temporalis, vt poſtea claruit. Nempe memorati duo Reges numquam diu inter ſe quieuiſſe noſcuntur, populis hinc indè plecti aſſuetis, quicquid illi per ſuperbiam deliraſſent. C

Lib. III. Cap. IV. De morte Regis Francorum, & his quæ apud Conſtantinopolim contigerunt.

Anno à partu Virginis MCLXXX. qui fuit Henrici Regis Anglorum XXVII. & Lodovici Regis Francorum XLIV. idem Rex Francorum hominem exuit, homo intrepidæ deuotionis in Deum, & eximiæ lenitatis in ſubditos, ſacrorum quoque Ordinum præcipuus venerator. Paulò autem ſimplicior, quàm deceret Principem, illius verbi Apoſtolici, *Corrumpunt bonos mores colloquia praua*, perſpicuam in quibuſdam actibus ſuis veritatem expreſſit. Quorumdam quippe Proce-

1180. rum de honeſto vel æquo minùs curantium plus iuſto ſe credens conſiliis, non leui

1. Cor. 15. plerumque maculâ mores egregios denigrauit. veluti quando cauſam nequam filij contra pium patrem ſuſcepit, & totis Regni opibus hoſtem naturæ adiuuit. Succeſſit ei filius Philippvs, natus ei ex filia illuſtriſſimi Comitis Theobaldi, quæ illi iam trigamo nupſerat. Quippe poſt Alienoram, (quæ, vt pleniùs ſuo loco dictum eſt, relictis illi duabus de ſe filiabus, & celebrato inter eos diuortio, ad Regis Anglorum tranſierat nuptias) Regij ſeminis ex Hiſpania comparem duxerat:

A quæ itidem relictis illi duabus ex ſe filiabus, quarum maior in coniugio Regis Anglorum Henrici iunioris ſine fructu ſobolis fuiſſe dinoſcitur, generali ſorti ſubiacuit. Filiam quoque elegantis formæ tertia illi Regina ediderat. cui nimirum qualia prouenerunt, libet paucis exponere. Imperator Conſtantinopolitanus in fata concedens, filium impuberem ſub tutela patrui ſucceſſorem reliquit Imperij. Et ille quidem purpuratus pro ætate nutriebatur in delicijs. Porrò tutor eius, Andronicus nomine, interim adminiſtrabat Imperium. Viſum eſt Græcorum Optimatibus, vt filia Regis Francorum ad inſignis pueri coniugium peteretur. quod & factum eſt. Miſſi ergo in Franciam non innobiles Nuncij ſuſceptam, tradente patre, virginem nondum plenè nubilem cum multo faſtu Conſtantinopolim traduxerunt. Vbi verò & illo iam pubere, & illa nubili, Imperatori cœperunt nuptiæ præparari, Andronicus homo nequiſſimus & multæ potentiæ, vtpote procurator Imperij, ſollicitatis & corruptis Miniſtris Palatij, Imperatorem iuuenculum, nepotem ſcilicet proprium, furatus de Palatio in inſulam quandam, vt dicitur, ciuitate inſcia, per quoſdam complices ſuos occultè necandum direxit. Mox ſumpta purpurâ, Imperium occupauit: & ne quid auſis ſceleratiſſimis deeſſet, deſtinatum nepoti coniugium ad ſe formæ captus illecebra tranſtulit. Cúmque arrepto inſolentiſſimè abuteretur Imperio, ab his qui eius vel execrabantur nequitiam, vel aſpernabantur potentiam, contra ſe coniurari coëgit. Quæ nimirum coniuratio B adeò tandem inualuit, vt coniuratorum ingens iam numerus in ſpiritu fortitudinis Palatium repentè irrumperet, & tyrannum ferociſſimum ſolio deturbatum iuſtiſſimis vinculis innodaret. Et ne vacaret Imperium, nouum illicò Principem creauerunt, ad cuius arbitrium ſceleratus ille ſupplicijs excruciatus interiit. Hoc modo filia Regis Francorum in Regno Græcorum optatis ſperatiſque fraudata nuptijs, & ſceleſtiſſimi hominis contubernio maculata, honore etiam caruit.

Ludovicus VII. Iunior.

Ex Annalibus ROGERI DE HOVEDEN *Angli.*

ANNO gratiæ MCLIV. LVDOVEVS Rex Francorum fecit diuortium fieri inter ipſum, & vxorem ſuam ALIENOR filiam Ducis Aquitaniæ: iurantibus Archiepiſcopis, Epiſcopis, Comitibus, & Baronibus, illam demeruiſſe vxorem ſuam eſſe. Henricus autem Rex Angliæ duxit prædictam Alienor in vxorem, de qua genuit filios & filias. Rex verò Franciæ non habebat ex Alienor vxore ſua prolem virilis ſexus, niſi tantummodò duas filias, quarum vnam dedit Henrico Comiti de Campania in vxorem, & alteram Theobaldo Comiti Bleſenſi, fratri prædicti Comitis Henrici. Deinde LODOVEVS Rex Francorum duxit ſibi in vxorem filiam Regis Hiſpaniæ, de qua duas tantummodò genuit filias. *Partis Prioris.* 1154.

ANNO gratiæ MCLV. qui erat primus annus regni Regis Henrici filij Matildis Imperatricis, idem Henricus caſtella inimicorum ſuorum in Anglia obſedit, C & cepit: & quædam illorum in manu ſua retinuit, quædam autem proſtrauit. Deinde transfretauit in Normanniam, & homagium fecit LODOVICO Regi Francorum de Normannia, & Aquitania, & Andegauia, & Cenomannia, & Turonia, & de omnibus earum pertinentiis. *Par. Poſt.* 1155.

ANNO gratiæ MCLXI. qui erat annus VII. regni Regis Henrici filij Matildis Imperatricis, idem Rex, & LODOVEVS Rex Francorum, diſſenſerunt propter quaſdam Terrarum ſuarum diuiſas, & propter caſtella de Giſortio, & de Neaufle, quæ tunc temporis erant in manu Lodouei Regis Francorum, quæ idem Henricus calumniatus eſt ſuo debere adiacere Ducatui Normanniæ. Sed mox pacificati ſunt in hunc modum: quòd Rex Franciæ traderet duas filias ſuas, quas habebat de vxore ſua, filia Regis Hiſpaniæ, quarum vna vocabatur MARGARETA, & altera ALESEA, ad opus duorum filiorum Regis Henrici, ſcilicet Henrico & Richardo, adhuc puerulis minimis: & traderet prædicta caſtella de Giſortio & de Neaufle in manu Templariorum cuſtodienda, donec prædictæ filiæ deſponſarentur præfatis filiis Regis Henrici. Et quandocumque conſtaret eis, ſcilicet Roberto de Pirou, & Toſtes de Sancto Homero, quòd Margareta filia Regis Franciæ deſponſata fuiſſet Henrico filio Regis Angliæ, traderent Henrico Regi vtrumque caſtellum. His itaque ex vtraque parte geſtis, & fidei ſacramento confirmatis, Rex Francorum tradidit vtramque filiam ſuam Regi Angliæ, & prædicta caſtella 1161.

LVDOVICVS VII. IVNIOR. Templariis in cuſtodia. Et paulò pòſt Henricus Rex Angliæ fecit Henricum filium A ſuum deſponſare Margaretam filiam Regis Franciæ, cùm adhuc eſſent puerulí in cunis vagientes: videntibus & conſentientibus, Roberto de Pirou, & Toſtes de Sancto Homero, & Richardo de Haſtings, Templariis, qui cuſtodiebant præfata caſtella: & ſtatim tradiderunt illa caſtella Regi Angliæ. Vnde Rex Franciæ plurimùm iratus, fugauit illos tres Templarios de Regno Franciæ: quos Rex Angliæ benignè ſuſcipiens, multis ditauit honoribus.

1162. ANNO gratiæ MCLXII. Alexander Papa venit in Galliam, expulſus à Sede ſua per Fredericum Rom. Imperatorem. Quem Alexandrum LODOVEVS Rex Francorum, & Henricus Rex Anglorum, honorificè ſuſceperunt, & pro Papa Catholico habuerunt.

1172. ANNO gratiæ MCLXXII. venit Rex Henricus cum feſtinatione ad *Portesmue* & ducens ſecum Henricum filium ſuum transfretauit de Anglia in Normanniam, & inuenit apud Cadomum Albertum tituli ſancti Laurentij in Lucinia, & Theodinum tituli ſancti Vitalis, Presbyteros Cardinales, & conſilio eorum pacem fecit cum LODOVVICO Rege Francorum de coronatione filiæ ſuæ: ita quòd ex conſenſu & conſilio prædictorum Cardinalium remiſit Regem filium ſuum in Angliam, & cum eo Rotrodum Rothomagenſem Archiepiſcopum, & Egidium Ebroicenſem Epiſcopum, & Rogerum VVigornenſem Epiſcopum ad coronandum illum, & Margaretam vxorem ſuam filiam Lodovvici Regis Franciæ. Et coronauerunt eos VVintoniæ in Eccleſia S. Svvithuni vi. Kal. Septembris, die Dominica. Et ſtatim poſt coronationem Rex filius & Regina vxor eius, & Archiepiſcopus Rothomagenſis, & Ebroicenſis & VVigornenſis Epiſcopi, transfretauerunt de Anglia in Normanniam. B

EODEM anno LODOVVICVS Rex Franciæ, qui ſemper Regem Angliæ odio habebat, conſuluit nouo Regi Angliæ, vt ſtatim cùm veniret in Normannia, exigeret à Rege patre ſuo ſibi donari vel totam Angliam, vel totam Normanniam, vbi ipſe cum filia ſua morari poſſet. Et conſuluit, quòd ſi pater ſuus neutram illarum Terrarum ei concedere vellet, ipſe cum Regina ſua rediret in Franciam ad eum.

1173. ANNO gratiæ MCLXXIII. LODOVVICVS Rex Francorum magnum celebrauit Concilium Pariſius, in quo & omnes Principes Franciæ iurauerunt filio Regis Angliæ, quòd ipſi auxiliarentur ei modis omnibus ad patrem ſuum de Regno eiiciendum, niſi ad voluntatem ipſius compoſuerit. Et ipſe iurauit eis, quòd ipſe cum patre ſuo pacem non faceret, niſi de conſenſu & voluntate eorum. Deinde iurauit ſe daturum Philippo Comiti Flandriæ pro homagio ſuo mille libratas redditur in Anglia, & totam Cantiam, cum caſtello de *Douuere*, & caſtello Roffenſe: & Matheo Comiti Boloniæ pro homagio ſuo Socam de Kirketona in Lindeſeia, & Comitatum Moretonij cum honore de Heia: & Comiti Theobaldo Bleſenſi pro homagio ſuo ducentas libratas redditum in Andegauia, & caſtellum de Ambazio; cum toto iure quod ille calumniatus fuit in Turonica, & clamauit ei quietum totum ius, quod Rex pater eius & ipſe calumniati ſunt in Caſtello-Reginaldi. C

ITAQVE ſtatim poſt Paſcha, exarſit nefanda proditorum rabies. Ipſi enim furore diabolico debacchati, circumquaque deuaſtabant igne & gladio terras Regis Angliæ ciſmarinas & transmarinas. Philippus autem Comes Flandriæ cum magno exercitu intrauit Normanniam, & obſedit Albemarle, & cepit eam. Et procedens indè, obſedit caſtellum de Drincurt, & redditum eſt ei. Vbi & Matheus frater eius Comes Boloniæ ex inopinato ictu ſagittæ percuſſus obiit. Quo defunctò, Petrus frater eius, electus Cameracenſis Eccleſiæ, ſucceſſit ei in Comitatu Boloniæ: & renuncians electioni ſuæ, factus eſt miles, & paulò poſt obiit ſine prole.

INTERIM LODOVVICVS Rex Francorum & Rex Angliæ filius obſederunt Vernolium. ſed Hugo de Laſci, & Hugo de Bellocampo, qui indè Conſtabularij erant, villam Vernolij viriliter & conſtanti animo defenderunt. Attamen cùm Rex Franciæ ibi per menſem moram feciſſet, vix expugnauit particulam villæ illius, èx parte illa vbi machinæ ſuæ bellicæ poſitæ erant. Erant quidem infra Vernolium tres burgi, præter caſtellum: & vnuſquiſque illorum ſeparatus erat

Lvdovicvs VII. ivnior.

A ab altero, & interclüſus forti muro, & foſsâ aqua plena. & vnus illorum dicebatur
magnus burgus, vbi extra murum fixa erant tentoria Regis Franciæ, & machinæ
illius bellicæ. In fine autem illius menſis, cùm burgenſes de burgo magno vide-
rent, quòd victus & neceſſaria eis defeciſſent, nec haberent quid manducarent,
compulſi fame & inopiâ inducias triduanas ceperunt à Rege Franciæ eundi ad
Dominum ſuum Regem Angliæ, propter ſuccurſum ab eo habendum: & niſi in-
fra ſequens triduum ſuccurſum haberent, redderent ei burgum illum. Er ſtatutus
eſt eis dies peremptorius in vigilia ſancti Laurentij: & dederunt Regi Franciæ ob-
ſides indè, & Rex Franciæ, & Rex Angliæ filius, & Comes Robertvs frater
Regis Franciæ, & Comes Henricus de Troies, & Comes Theobaldus de Blais, &
VVillelmus Archiepiſcopus Senonenſis iurauerunt eis, quòd ſi ipſi reddidiſſent
burgum illum Regi Franciæ ad terminum ſtatutum, Rex Franciæ redderet eis ob-
ſides ſuos liberos & quietos: & quòd eis nullum damnum faceret, nec ab aliis fieri
permitteret. His ergo ita conceſſis, ſuprà dicti burgenſes venerunt ad Dominum
ſuum Regem Angliæ, & indicauerunt ei conuentionem, quam fecerant cum Re-
ge Franciæ, & Rege filio ſuo. Quo audito, Rex Angliæ pater congregauit totum
exercitum, quem habere poterat de Normannia, & aliis terris ſuis: & venit vſque
Bertuel caſtellum Roberti Comitis Leiceſtriæ, quod ipſe Comes in aduentu Regis
fugiens ſine cuſtode reliquit. Quod ipſe Rex totum redegit in cineres, & in craſtino
B præliaturus cum Rege Franciæ, proceſſit vſq; in monrem altum prope Vernolium
cum exercitu ſuo, & diſpoſuit acies ſuas ad bellum. Et dies illa erat dies perempto-
rius, in quo portio illa de Vernolio reddenda erat, niſi haberent ſuccurſum. Et Lo-
dovvicvs Rex Francorum miſit VVillelmum Senonenſem Archiepiſcopum,
& Comitem Henricum, & Comitem Theobaldum, ad Regem Angliæ patrem. &
ceperunt colloquium inter eos in craſtino. Et credidit illis Rex Angliæ malo ſuo,
quia deceptus eſt. Rex namque Franciæ in craſtino nec ad colloquium venit,
nec nuncium miſit. Rex autem Angliæ miſerat exploratores ſuos ad exploran-
dum ſtatum Regis Franciæ, & exercitus eius. Et dum exploratores illi moram
facerent, reddita eſt Regi Franciæ portio illa de Vernolio, quam obſederat. Sed
ipſe non auſus eam retinere, tranſgreſſus eſt ſacramenta, quæ ipſe burgenſibus fe-
cerat. Ipſe namque obſides eorum non reddidit, nec pacem quam promiſerat ſer-
uauit: ſed villam intrauit, burgenſes captiuauit, catalla eorum aſportauit, bur-
gum incendit, & fugiens duxit ſecum in Franciam prædictos burgenſes. Quod
cùm Regi Angliæ nunciatum eſſet, ſecutus eſt eos in ore gladij, & multos ex illis
interfecit, & quamplures cepit, & in crepuſculo Vernolium venit. Er ibi vna
nocte quieuit, & muros qui ceciderant reædificari præcepit.

Anno gratiæ MCLXXIV. qui eſt annus XX. regni Regis Henrici filij Ma- 1174.
tildis Imperatricis, idem Henricus fuit in feſto Natiuitatis Dominicæ apud Cado-
mum in Normannia, & datæ ſunt treugæ inter ipſum & Lodovvicvm Re-
C gem Francorum, à feſto ſancti Hilarij vſque ad clauſum Paſcha. --- ⁝ Quibus
finitis,

Lodovvicvs Rex Francorum, audita transfretatione Regis patris in An-
gliam, & captione Regis Scotorum, cui plurimùm condoluit, reuocauit Regem
Angliæ filium, & Philippum Comitem Flandriæ, qui adhuc morabantur apud
Grauelinges. Qui cùm ad eum rediſſent, obſedit Rothomagum ex omni parte,
excepta illa quam fluuius Sequana præterfluit. --- ⁝ Menſe Iulio venit Rex pa-
ter cum Braibancenis & VValenſibus ſuis Rothomagum, quam Rex Franciæ, &
Rex Angliæ filius obſederant ex vna parte: ex altera verò parte patebat ſecurus in-
greſſus & egreſſus. Et in craſtino mane miſit Rex VValenſes ſuos vltra Sequanam:
qui per vim tranſeuntes per medium caſtrorum Regis Franciæ illæſi peruenerunt
ad nemus magnum, & eodem die plus quàm centum de hominibus Regis Franciæ
interfecerunt. Rex autem Franciæ vix per menſem ibidem moram fecerat, & ec-
ce Rex Angliæ pater veniens de Anglia portas ciuitatis, quas burgenſes obſtruxe-
rant, reſerauit: & exiens cum militibus & ſeruientibus, foſſata, quæ facta fuerant
inter exercitum Regis Franciæ & ciuitatem, fecit impleri lignis, lapidibus, & ter-
râ, & in planum redigi. Rex autem Franciæ & ſui eranr in tentoriis, nolentes exi-
re. Ceteri autem de familia Regis Angliæ ſtabanr ad propugnacula murorum, ſed
nemo eis repugnabat. Pars quidem exercitus Regis Franciæ intendebat diſſoluere

machinas ſuas bellicas. Et in craſtino præmiſit Rex Franciæ debiliores exercitus A ſui in terram ſuam mane: & permiſſione Regis Angliæ eodem die ſecutus eſt eos vſque ad locum qui dicitur *Malaunai*, quæ eſt inter Rothomagum & villam quæ dicitur *Toſtes*. data priùs ſecuritate per manum VVillelmi Senonenſis Archiepiſcopi, & Comitis Theobaldi, quòd ipſe in craſtino reuerteretur ad colloquium cum Rege Angliæ, de pace facienda inter illum & filios ſuos. Rex autem Franciæ fidem & ſacramenta non ſeruans, ad colloquium non venit in craſtino, ſed abiit in terram ſuam.

PAVCIS igitur euolutis diebus iterum miſit præfatum Archiepiſcopum Senonenſem & Comitem Theobaldum ad Regem Angliæ, ſtatuens diem colloquij apud Giſortium in Natiuitate ſanctæ Mariæ. Quò cùm veniſſent, non potuit inter eos conuenire propter Richardum Comitem Pictauiæ, qui tempore illo erat in Pictauia, expugnans caſtella & homines patris ſui. Et ideò aliud ceperunt inter ſe colloquium, hoc eſt ad feſtum ſancti Michaëlis inter Turonim & Ambaſium, & ſtatuerunt treugas inter ſe hac conditione: Quòd ſcilicet Richardus Comes Pictauiæ excluderetur à treugis illis, & quòd Rex Franciæ & Rex Angliæ filius nullum ſuccurſum ei facerent. His itaque hinc & indè conceſſis, Rex Angliæ pater promouit exercitum ſuum in Pictauiam. Cuius aduentum Richardus Comes Pictauiæ filius eius non auſus expectare, fugit de loco in locum. Et cùm conſtaret illis quòd Rex Franciæ & Rex frater ſuus excluſiſſent eum à treugis, indignatus eſt indè. B Et cum lacrymis veniens, cecidit pronus in terram ante pedes Regis patris ſui: & poſtulans veniam, in ſinu patris recipitur. Facta autem ſunt hæc in Pictauia XI. Kal. Octobris, feria II. Et ita Rex & Richardus filius eius facti amici, ciuitatem Pictauis ingreſſi ſunt. Deindè profecti ſunt ambo ſimul ad colloquium inter Turonim & Ambaſium pridie Kal. Octobris, feria II. in craſtino ſancti Michaëlis. Vbi Rex filius, & Richardus & Gaufridus fratres eius, conſilio & voluntate Regis & Baronum Franciæ pacem fecerunt cum Rege patre ſuo.

1176. ANNO gratiæ MCLXXVI. Henricus Rex filius, & Richardus Comes Pictauiæ, & Gaufridus Comes Britanniæ, per licentiam Regis patris ſui, transfretauerunt de Anglia in Normanniam. Et ſtatim cùm Richardus Comes Pictauiæ in Pictauiam veniſſet, magnum congregauit exercitum, & commiſit prœlium cum Braibancenis, inter Sanctum Maigrinum & Buteuille, & eos deuicit. Deinde debellauit Haimericum* Vicecomitem de Limoges, pro eo quòd ipſe pacem ſuam fregerat. Deinde obſedit caſtellum, quod vocatur Aeſſa, & cepit illud, & quadraginta milites in eo. Deinde obſedit ciuitatem de Limoges, & cepit. Deinde venit Pictauium in occurſum Regis fratris ſui, qui illuc in adiutorium ipſius venit. & ipſi obſederunt Nouum-caſtellum, & ceperunt. Quo capto, Rex frater eius cum eo diutiùs moram facere noluit, ſed prauo vſus conſilio ab eo receſſit. Richardus verò Comes Pictauiæ obſedit *Mulinonos*, caſtellum Comitis de Engoliſmo, & cepit. VVillelmum Tailefer quoque Comitem de Engoliſmo, & Augerum filium C eius, & Haimarum Vicecomitem de Limoges, & Vicecomitem de Vendadur, & Vicecomitem de Cambanais cepit in eo. Et Comes de Engoliſmo tradidit Comiti Pictauiæ caſtellum *de Buteuille*, & caſtellum *de Archiac*, & caſtellum *de Muntiniac*, & caſtellum *de la Cheze*, & caſtellum *de Melpins*.

* infra Haimarum

EODEM anno Petrus frater Philippi Comitis Flandriæ, qui fuerat electus *de Cambray*, duxit in vxorem filiam Odonis domini d'Iſſodun, cum Comitatu de Neuers, quæ fuerat vxor VVidonis de Neuers. ſed infra annum obiit ſine prole.

EODEM anno Philippus* frater LODOVVICI Regis Francorum, Archiepiſcopus Remenſis, obiit. Cui ſucceſſit VVillelmus Senonenſis Archiepiſcopus: facta Sedium Archiepiſcopalium commutatione, Alexandri ſummi Pontificis permiſſione.

* leg. Henricus.

EODEM anno obiit Radulfus de Dolis in Berria, cuius filiam & heredem dominus Rex Angliæ pater dedit Balduvino de Riuers in vxorem, cum honore Caſtelli Radulfi.

1177. ANNO gratiæ MCLXXVII. Philippus Comes Frandriæ miſit Aduocatum Bituniæ Robertum, & Rogerum Caſtellanum *de Curterai* ad dominum Henricum Regem Angliæ patrem, ſignificans ei quòd LODOVVICVS Rex Francorum ab eo petierat primogenitam filiam Mathei fratris ſui Comitis Boloniæ ad opus PHI-

LIPPI

A LIPPI filij ſui, & alteram Comitis Boloniæ ad opus Lodovvici filij Comitis Theobaldi: ſed ſine eius conſilio illas nemini dare voluit. Prætereà idem Comes petiit à Rege Angliæ pecuniam, quam promiſerat ſe daturum pro anima Mathei Comitis Boloniæ fratris ſui ad milites retinendos in defenſione Hieroſolymitanæ Terræ. Quibus Dominus Rex reſpondit, Rem quidem benè proceſſuram, niſi in Comite remanſerit. Et adiecit, Quòd ſi Comes Flandriæ vellet neptes ſuas filias Comitis Boloniæ ad voluntatem & conſilium ipſius maritare, & exindè facere eum ſecurum, ipſe omnia promiſſa pleniùs & perfectiùs quàm promiſerat impleret. Et ad audiendum indè reſponſum Comitis, miſit VValterum de Conſtanciis Viceecancellarium ſuum, & Ranulfum de Glanuilla. In quorum præſentia idem Comes Flandriæ iurauit, quòd prædictas neptes ſuas nemini maritaret, niſi de conſilio & voluntate Regis Angliæ patris. Sed ſacramento non obſeruato, prædictus Comes maritauit eas ſine licentia & voluntate Regis.

EODEM anno Philippus Comes Flandriæ contra ſacramentum, quod fecerat Regi Angliæ, maritauit primogenitam filiam fratris ſui Comitis Boloniæ Duci de *Saringes*. Quæ relicto Duce de *Saringes* nupſit Comiti de Sancto Paulo, & poſtea relicto Comite de Sancto Paulo, nupſit Comiti Reginaldo de Dammartin, & ipſe cepit cum illa Comitatum Boloniæ. Et alteram filiam Comitis Boloniæ dedit in vxorem Henrico Duci de Luuein.

EODEM anno MARGARETA vxor Regis filij prægnans ad fratrem ſuum
B Regem Franciæ abiit, & Pariſius veniens peperit filium abortiuum. Dicebant tamen Franci quòd filius ille Regis natus fuit viuus, & baptizatus, & VVillelmus vocatus.

EODEM anno Petrus tituli Sancti Chryſogoni Preſbyter Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legatus, quondam Meldenſis Eccleſiæ electus, venit in Franciam, & ab Alexandro Papa in mandatis recepit, quòd tota Normannia, & omnes Terræ Angliæ ciſmarinæ & tranſmarinæ ſub interdicto ponerentur, niſi ipſe permiſerit Richardum filium ſuum Comitem Pictauiæ ducere in vxorem ALESIAM filiam LODOVVICI Regis Franciæ, quam ipſe Rex Angliæ iam diu, & vltra quàm inter eos conuenerat, in ſua cuſtodia retinuerat. Quod cùm Regi Angliæ conſtaret, appellauit ad præſentiam Domini Papæ pro ſeipſo, & pro Terris ſuis: & mox transfretauit de Anglia in Normanniam. Et habito colloquio inter ipſum & Regem Franciæ apud *Iuery*, XI. Calend. Octobris, coram prædicto Cardinali & Magnatibus vtriuſque Regni Rex Angliæ pater per ſuos fidem dedit, & in animam ſuam iurare fecit, quòd Richardus filius eius Comes Pictauiæ prædictam Aleſiam in vxorem duceret, ſi Rex Franciæ pater puellæ dederit præfato Richardo Comiti Pictauiæ ciuitatem Bituricenſem cum pertinentiis ſuis in maritagium cum filia ſua, ſicut conuentio inter illos indè facta exigit, & Henrico Regi filio ſuo totum *Vouqueſin* Francigenum: videlicèt totam terram, quæ eſt inter Giſorcium & *Ponteſe*, quam ipſe promiſerat ſe daturum illi in maritagium
C cum filia ſua. Sed quia Rex Francæ hæc dare noluit, Rex Angliæ non permiſit Richardum filium ſuum prædictam Aleſiam in vxorem ducere. Tamen in eodem colloquio, conſilio Cardinalis & Principum vtriuſque Regni, facta eſt amicitia & finalis concordia inter Regem Franciæ & Regem Angliæ, in hunc modum.

SCIANT *omnes tam præſentes quàm futuri, quòd ego* LODOVVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum, & ego* HENRICVS *eadem gratiâ Rex Anglia, volumus ad omnium tam præſentium quàm futurorum notitiam peruenire, nos Deo inſpirante promiſiſſe & iuraſſe, quòd ſimul ibimus in ſeruicium Chriſtianitatis, & crucem ſuſcipiemus itura Hieroſolymam, ſicut in Scripto de ſuſceptione crucis inter nos facto continetur. Volumus etiam quòd omnes ſciant, quòd ſic ſumus, & amodò volumus eſſe amici, quòd vterque noſtrûm alteri conſeruabit vitam, & membra, & terrenum honorem ſuum contra omnes homines pro poſſe ſuo. Et ſi quæcumque perſona alterutri noſtrûm malum facere præſumpſerit, ego* HENRICVS *iuuabo* LODOVVICVM *Regem Francia Dominum meum contra omnes homines pro poſſe meo.. Et ego* LODOVVICVS *iuuabo* HENRICVM *Regem Anglia contra omnes homines pro poſſe meo, ſicut hominem & fidelem meum: ſalua fide, quam debemus hominibus noſtris, quamdiu ipſi fidem nobis ſeruabunt.*

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

Et neuter noſtrûm amodò retinebit inimicum alterius in terra ſua, ex quo requiſitus indè A
fuerit. Et vt inter nos amodò tollatur omnis materia diſcordiæ, conceſsimus ad inuicem,
quòd de terris & poſſeſsionibus, & aliis rebus quas quiſque noſtrûm modò poſsidet, al-
ter aduerſus alterum indè nihil amodò petet, excepto eo de Aluernia, vnde contentio in-
ter nos eſt, & excepto feodo de Caſtro-Radulphi, & exceptis minutis feodis & diuiſis
terrarum noſtrarum de Berria, ſi homines noſtri aliquid indè interceperint inter ſe, vel
aduerſus alterum noſtrûm. Si autem ſuper his quæ ſuperiùs excepta ſunt, per noſmetip-
ſos conuenire non poterimus: ego LODOVVICVS *Rex Francorum elegi tres Epiſco-*
pos, Claremontenſem, Niuernenſem, Trecenſem: & tres Barones, Comitem Theobal-
dum, & Comitem Robertum, & Petrum de Curtenei fratres meos. Et ego HENRI-
CVS *Rex Angliæ elegi tres Epiſcopos, VVillelmum Cenomannenſem, Petrum Petrago-*
renſem, & Robertum Namnetenſem: & tres Barones, Mauricium de Craun, VVillelmum
Maingot, & Petrum de Monte-Rabel ex parte mea. Qui inquiſita diligenter hinc & in-
dè veritate, tam per ſeipſos quàm per iuramenta illarum terrarum, prædicti Epiſcopi in
verbo veritatis aſſeuerabunt: & laici iurabunt, quòd quæcumque cognouerint de iure cuiuſ-
que noſtrûm eſſe, hoc inter nos dicent, & nos eorum dicto bona fide firmiter ſtabimus. Si
verò omnes illi Epiſcopi, quos ego LODOVVICVS *elegi, intereſſe non poterunt, nihi-*
lominus ſtabimus dicto illorum duorum, qui intererunt. Et ſi omnes Barones ex parte
mea nominati non interfuerint, pro eo non remanebit, quin ſtemus dicto aliorum duorum,
qui interfuerint. Et ſimiliter erit de illis, quos ego Rex HENRICVS *elegi tam de*
Epiſcopis quàm de Baronibus. Iurauimus etiam, quòd nullum malum faciemus eis pro- B
pter hoc quòd veritatem indè dixerint. Et ſi fortè, quod Deus auertat, inter nos de ter-
ris noſtris aliqua querela amodò oriatur, per eoſdem bona fide, & ſine malo ingenio, ſine
dilatione terminetur. Si autem aliqua prædictarum perſonarum interim mortua fuerit,
altera loco ipſius ſubſtituatur. Si verò alteruter noſtrûm ante ſuſceptionem crucis, iter
peregrinationis arripere voluerit, alter qui remanebit, terram illius, qui in peregrinatione
erit, & homines ſicut ſua propria & dominica fideliter cuſtodiet & manutenebit. Poſt-
quàm verò, Deo volente, crucem ſuſceperimus, homines noſtros qui nobiſcum ibunt facie-
mus iurare, quòd ſi alteruter noſtrûm in via deceſſerit, quod Deus auertat, ita illi, qui ſu-
perſtes erit, fideliter ſeruient, ſicut ſeruirent Domino ſuo ſi viuus eſſet, quamdiu in ter-
ra Hieroſolymitana morari voluerint. Pecuniam verò defuncti habebit viuus ad facien-
dum ſeruicium Chriſtianitatis, præter partem illam, quam ante iter ſuum certis locis &
certis perſonis dandam decreuerit. Et ſi vterque noſtrûm deceſſerit, eligemus ſi Deus no-
bis ſpacium indulſerit de probis & fidelibus noſtris, quibus committetur pecunia vtriuſque
noſtrûm ad faciendum ſeruicium Chriſtianitatis, & qui ducent & regent homines noſtros.
Antequam etiam iter arripiamus poſt ſuſceptam crucem, faciemus illos iurare, quos cuſto-
des & gubernatores conſtituemus terrarum noſtrarum, quòd ipſi bona fide cum omni poſſe
ſuo ſi neceſſe fuerit ſeſe ad inuicem iuuabunt ad defendendum Terras noſtras, cùm ab in-
uicem requiſiti fuerint, quòd illi, quos ego HENRICVS *Rex Angliæ præfecero ad gu-*
bernandum terras meas cum omni poſſe ſuo iuuabunt ad defendendum Terras LODO- C
VVICI *Regis Franciæ Domini mei, quemadmodum Terras meas defenderent, ſi ciuitas*
mea Rothomagi obſeſſa eſſet. Et eodem modo quòd illi, quos ego LODOVVICVS
Rex Franciæ præfecero ad gubernandum Terras meas, cum omni poſſe ſuo iuuabunt ad de-
fendendum Terras Henrici Regis Angliæ, quemadmodùm Terras meas defenderent, ſi ciui-
tas mea Pariſius obſeſſa eſſet. Volo etiam quòd mercatores, & omnes homines tam Clerici
quàm laici de terra ſua, cum omnibus rebus ſuis ſecuri ſint, & pacem habeant per omnes
Terras meas. Et ego Henricus Rex Angliæ ſimiliter volo quòd mercatores, & omnes
homines tam Clerici quàm laici de Terra Regis Franciæ Domini mei, cum omnibus re-
bus ſuis ſecuri ſint, & pacem habeant per omnes Terras meas. Hæc autem ſuprà ſcripta
nos firmiter obſeruaturos promiſimus, & iurauimus in præſentia venerabilis Petri tituli
Sancti Chryſogoni Presbyteri Cardinalis, Apoſtolicæ Sedis Legati, & in præſentia Ri-
chardi VVintonienſis Epiſcopi, & Iohannis Carnotenſis Epiſcopi, & Henrici Baiocenſis
Epiſcopi, & Frogerij Sagienſis Epiſcopi, & Egidij Ebroicenſis Epiſcopi, & Henrici Re-
gis Angliæ filij, & Comitis Theobaldi, & Comitis Roberti, & Petri de Curtenai, &
Comitis Simonis Ebroicenſis, & VVillelmi de Humez, & multorum aliorum tam Cle-
ricorum quàm laicorum.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A DEINDE Dominus Rex Angliæ pater profectus in Berriam cum exercitu magno, cepit Caſtrum-Radulfi. & cùm proceſſiſſet indè verſus Caſtre, Dominus oppidi illius venit obuiam illi, & reddidit ei filiam Radulfi de Dolis, quam Rex dedit Baldevvino de Reuers cum honore Caſtelli-Radulfi. Deinde Dominus Rex Angliæ pater perrexit ad Grandem-montem, & ALBERTVS Comes Marchiæ venit illuc obuiam ei, & coram Archiepiſcopo Burdegalenſi, Iohanne Pictauenſi Epiſcopo, & pluribus aliis tam Clericis quàm laïcis, vendidit præfato Regi Angliæ totum Comitatum Marchiæ pro quindecim millibus librarum Andegauenſium, & pro viginti mulis, & pro viginti palefridis, & Charta ſua confirmauit.

Charta Audeberti Comitis Marchiæ, quæ eſt facta de venditione Comitatus ſui, quam fecit Henrico Regi Angliæ patri.

NOTVM *ſit tam præſentibus quàm futuris, quòd ego* AVDEBERTVS *Comes Marchiæ, mortuo filio meo, quem ſolum habebam heredem, deuotus propria voluntatis arbitrio, quia Deo voueram in perpetuum deſeruire, vendidi totam Terram meam, & quicquid me iure hereditario contingebat, Domino meo* HENRICO *illuſtri Anglorum Regi, nullò penitus reclamante, imò nullo penitus exiſtente, qui de iure poſſet reclamare, pro quindecim millibus librarum Andegauenſis monetæ, mihi in integrum apud Grandem-montem perſolutis, & pro viginti mulis, & pro viginti palefridis. Firmaui autem fide mea corporaliter præ-*
B *ſtita in manu VVillelmi Burdegalenſis Archiepiſcopi, me Domino Regi & heredi ſuo Pictauia, vel cuicumque donauerit eam, prædictam Terram guarantizaturum bona fide & ſine malo ingenio contra omnes homines, & in tota vita mea me nihil facturum, neque maritagio, neque alio quocumque modo, quo minus prædicta venditio inconcuſſa permaneret. Ne autem hæc mea venditio ſolemniter celebrata aliqua poſſet in poſterum malignitate dinelli, eam ſigillo meo muniui. Actum publicè anno ab Incarnatione Domini* MCLXXVII. 1177.
menſe Decembri apud Grandem-montem, præſentibus Archiepiſcopo Burdegalenſi, & Iohanne Pictauenſi Epiſcopo, & pluribus aliis.

HIS itaque geſtis apud Grandem-montem, Dominus Rex Angliæ pater recepit homagia & fidelitates & ligantias de Baronibus & militibus Comitatus Marchiæ: & Audebertus dictus Comes Marchiæ receſſit indè cum ſupradicta pecunia ſibi à Rege Angliæ tradita.

ANNO gratiæ MCLXXVIII. qui erat annus XXIV. regni Regis Henrici fi- 1178.
lij Matildis Imperatricis, idem Henricus fuit die Natalis Domini apud Andegauum ciuitatem. Eodem anno deſiderio magno deſiderauit Rex Angliæ pater redire in Angliam, & miſſis Nunciis ſuis ad LODOVVICVM Regem Francorum, impetrauit ab eo Literas protectionis in hunc modum.

LODOVVICVS *Rex Francorum omnibus, ad quos præſentes Literæ peruenerint, ſalutem. Nouerit vniuerſitas veſtra, quòd nos recepimus in cuſtodiam noſtram totam Terram Henrici Regis Angliæ cariſſimi fratris noſtri in ciſmarinis partibus ſitam, ſi*
C *contigerit eum in Angliam transfretare, vel peregrè proficiſci. Ita quòd quando Bailliui ſui de Terra tranſmarina nos requiſierint, nos bona fide, & ſine malo ingenio eis conſilium & auxilium præſtabimus ad eiuſdem Terræ defenſionem & protectionem. Actum apud Vicenas.*

INTERIM Arriana hereſis, quæ damnata erat in prouincia Toloſana, iam reuixerat. Quod cùm ad aures Regis Franciæ & Regis Angliæ perueniret, zelo Chriſtianæ fidei accenſi ſtatuerunt, quòd illuc irent in propriis perſonis, vt prædictos hereticos prorſus à finibus illis eliminarent. Elapſo deindè aliquanto temporis ſpacio, videbatur eis plus poſſe proficere, ſi viros ſapientes illuc miſiſſent, qui hereticos illos prædicatione & doctrina ad fidem Chriſtianam conuerterent, quàm ſi ipſi in propriis perſonis illuc ire properaſſent. Dictum enim erat eis,

Vindictam mandaſſe ſat eſt, plus nominis horror,
Quàm tuus enſis aget. minuit præſentia famam.

Miſerunt ergo illuc Petrum tituli Sancti Chryſogoni Preſbyterum Cardinalem, Apoſtolicæ Sedis Legatum, & Bituricenſem & Narbonenſem Archiepiſcopos, & Reginaldum Bathonienſem & Iohannem Pictauenſem Epiſcopos, & Henricum Abbatem Clareuallenſem, & alios multos viros Eccleſiaſticos: vt prædicatione ſua

LVDOVICVS VII. IVNIOR. hereticos illos ad fidem Chriſtianam conuerterent, vel rationibus probabilibus A illos eſſe hereticos manifeſtarent, & à liminibus ſanctæ matris Eccleſiæ, & fidelium conſortio ſequeſtrarent. Qui cùm veniſſent, orauerunt pro ipſis vt acciperent Spiritum ſanctum. nondum enim in quenquam illorum venerat. Præterea prædicti Reges elegerunt RAIMVNDVM Comitem Toloſanum, & Vicecomitem de Turena, & Raimundum de Caſtronouo, & alios viros potentes: & præceperunt, quòd ipſi prædicto Cardinali & ſociis ſuis in fide Chriſti aſſiſterent, & hereticos illos à finibus illis virtute potenti expellerent. Cùm igitur prædictus Cardinalis, & ceteri viri Catholici Toloſam eſſent ingreſſi, inuenerunt ibi quendam diuitem duo caſtella habentem, vnum infra ciuitatem, & aliud extra muros ciuitatis: qui ante illorum aduentum ſe hereticæ prauitatis ſectatorem confitebatur. ſed iam præ timore exterritus, ſectam illam execrabilem velare cupiens, Chriſtianiſſimum ſe eſſe ſimulabat. Quod cùm Cardinali innotuit, præcepit prædictum diuitem ſibi præſentari. Qui cum veniſſet vt fidem ſuam confiteretur, in omnibus articulis inuentus eſt fidei Chriſtianæ contrarius. Et ideò à prædicto Cardinali, & Epiſcopis qui cum eo erant, manifeſtus hereticus iudicatus eſt, & condemnatus: & ab illis præceptum eſt, vt res illius confiſcarentur, & turres eius, quas proceras & pulcherrimas habuit, demolirentur. Videns ergo ſe damnatum, & res ſuas confiſcari, venit ad Cardinalem, & ad ſocios ſuos Epiſcopos: & ad eorum pedes proſtratus veniam poſtulauit, & iniuncta ſibi pœnitentiâ nudus ducitur, & flagellatur per plateas & vicos ciuitatis. Deinde iurauit ſe Hieroſolymam iturum, & ibidem in Dei B ſeruicio per triennium moram facturum, & ſi poſt trienniùm domum rediret, poſſeſſiones ſuæ redderentur ei: ita tamen quòd turres ſuæ caderent in teſtimonium hereticæ prauitatis, & ipſe daret domino ſuo Comiti Toloſano quingentas libras argenti. His ita geſtis, multi heretici timentes vt ſimili modo tractarentur, venerunt ad Cardinalem, & ad ſocios ſuos, & ſecretò confeſſi errorem ſuum, & veniam poſtulantes, miſericordiam conſecuti ſunt.

EODEM anno VVILLELMVS Remenſis Archiepiſcopus venit in Angliam ad beatum Thomam Cantuarienſem Martyrem causâ peregrinationis. Cui Rex Angliæ pater occurrens, cum gaudio recepit, & dignis honorauit muneribus.

EODEM anno Richardus Comes Pictauis venit cum exercitu magno ad Aſſienſem ciuitatem, & inuenit ibi Comitem Bigorniæ in carcere ciuium incarceratum, quem ciues tradiderunt ei. Et ipſe Comes Bigorniæ tradidit Comiti Pictauis pro liberatione ſua Clarummõtem & caſtellum de Mumbrun. Deinde cepit Genzai & Martillan, & Grumuille, & Agenuille, & Taileburc, & Ponz. & omnia iſta caſtella in terram deiecit. Et Brunus Comes de Engoliſmo reddidit ei ciuitatem Engoliſmi, & caſtellum de Muntiniac: & ipſe eorum mœnia ſubuertit.

1179. ANNO gratiæ MCLXXIX. Papa Alexander in Lateranenſi Eccleſia, in eminentiori loco cum Cardinalibus ſuis, & Præfectis, & Senatoribus, & Conſulibus vrbis, conſtitutus, feria ſecunda tertiæ hebdomadæ Quadrageſimæ, quæ III. Non. C Martij euenit, primum Concilij ſui diem celebrauit. Similiter ſecundum Concilij ſui diem celebrauit quarta feria ſequentis hebdomadæ, quæ II. Idus Martij euenit. In quo Concilio VVILLELMVS Remenſis Archiepiſcopus factus eſt Preſbyter Cardinalis ad titulum Sanctæ Sabinæ, & HENRICVS Abbas Clareuallenſis factus eſt Epiſcopus Cardinalis Albanenſis.

EODEM anno LODOVVICVS Rex Francorum Conſtantinopolim miſit AGNETEM filiam ſuam, quam ALA vxor ſua Regina Francorum, ſoror VVillelmi Remenſis Archiepiſcopi, ſoror etiam Henrici & Theobaldi & Stephani Comitum, ei pepererat, maritandam Alexi filio Manuelis Imperatoris Conſtantinopolitani.

EODEM anno PHILIPPVS filius Lodovvici Regis Francorum & prædictæ Alæ Reginæ ægrotauit vſque ad mortem. vnde pater ſuus plurimùm condoluit, & diuina reuelatione in ſomnis admonitus, vt deuota peregrinatione adiret beatum Thomam Cantuarienſem Martyrem, ſi vellet filium ſuum priſtinæ ſanitati reſtitui. Vnde factum eſt quòd LODOVVICVS Rex Francorum, miſſis Legatis ad Henricum Regem Angliæ patrem, quæſiuit licentiam & ſecuritatem veniendi in Angliam; & ſine impedimento redire quæſiuit, & obtinuit. Rex igitur Francorum fiduciam habens in Domino, contra multorum conſilium, iter arripuit verſus Angliam. Et aſſumens ſecum Philippum Comitem Flandriæ, & Balduuinum Comi-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A tem de Ginnes, & Henricum Ducem de Luuain, & Comitẽ VVillelmum de Mandeuille, & Aduocatum Bethuniæ, & alios Barones de Regno Franciæ, peruenit vſque *VVitſand*, & indè transfretauit in Angliam, & applicuit apud *Douere* II. Kal. Septembr. feria IV. Cui Rex Angliæ pater in littore maris occurrens, ſuſcepit cum magno gaudio & honore, ſicut cariſſimum Dominum & amicum ſuum, & omnia neceſſaria ſibi & hominibus ſuis honorificè miniſtrauit. Et in craſtino, videlicet vigiliâ beati Bartholomæi Apoſtoli, duxit eum Cantuariam vſque ad tumbam ſancti Thomæ Martyris. Quò cùm veniſſent, LODOVVICVS Rex Francorum obtulit ſuper tumbam beati Thomę Martyris vnam cuppam de auro valde magnam & precioſam, & ad vſus Monachorum ibidem Deo ſeruientium centum modios vini in perpetuum, ſingulis annis recipiẽdos apud *Peiſſi* in Francia ad omnimodam impenſam Regis Franciæ. Præterea conceſſit eis, quòd quæcumque de cetero emerentur in Regno Franciæ ad proprios vſus illorum, quieta ſint de teonnio, & omnibus aliis conſuetudinibus & exigentiis. Et hæc omnia fecit eis confirmari Charta ſua, quam ipſi receperunt de manu HVGONIS DE PVTEACO Cancellarij Regis Franciæ, filij Hugonis Dunelmenſis Epiſcopi. Tertio autem die ſequenti, Rex Franciæ, & ſui qui cum eo venerant, Rege Anglorum eos reducente, reuerſi ſunt ad *Douere*: & in craſtino, videlicet VII. Kal. Septemb. die Dominica, Rex Franciæ cum ſuis transfretauit de Anglia in Flandriam, & applicuit apud *VVitſand*. Interim PHILIPPVS filius eius meritis & precibus beati Thomæ Martyris priſtinã adeptus eſt ſanitatem.

B Quo audito, Rex Franciæ in magno fluctuans gaudio, publico præcepit edicto, vt omnes Principes Regni ſui, Eccleſiaſtici, & ſeculares, conuenirent Remis in capite Kal. Nouembrium ad coronationem PHILIPPI filij ſui. Quibus congregatis, VVillelmus Remenſis Archiepiſcopus præfatum Philippum filium Alæ ſororis ſuæ iam quintum decimum annum ætatis ſuæ agentem coronauit, & in Regem vnxit Remis in Eccleſia Sedis Pontificalis die ſolemnitatis omnium Sanctorum, miniſtrantibus ei in illo officio VVillelmo Turonenſi, & Bituricenſi, & Senonenſi Archiepiſcopis, & ferè omnibus Epiſcopis Regni. Henricus autem Rex Angliæ filius, in progreſſione à thalamo vſque in Eccleſiam ipſo die coronationis, ibat ante illum geſtans Coronam auream de iure Ducatus Normanniæ, qua prædictus PHILIPPVS coronandus erat: & Philippus Comes Flandriæ præibat, ferens ante illum Gladium Regni. Alij verò Duces, Comites, & Barones præibant, & ſequebantur diuerſi diuerſis deputati obſequiis, prout res exigebat. Sed LODOVVICVS Rex pater eius, ſenio & morbo laborans paralytico, coronationi illius intereſſe non potuit. Nam cùm ab Anglia rediret, & ad beatum Dionyſium iter arriperet, ſubito percuſſus frigore, incidit in paralyſim, & vſum dexteræ partis corporis ſui amiſit.

EODEM anno obiit VVillelmus Comes Albemarliæ, & ſepultus eſt in Abbatia ſua de *Tornetun*.

C *Ex Speculo Hiſtoriali* VINCENTII DE BVRGVNDIA, *dicti* BELVACENSIS, *Ordinis Prædicatorum. Parte III.*

ANNO Domini MCXXXVII. GVILLELMVS Comes Pictauenſis ad ſanctum Iacobum proficiſcitur, & in ſexta feria Paraſceue in Eccleſia beati Iacobi moritur, & ante altare ſepelitur. Qui moriturus, Proceres ſuos, quos ſecum habebat, conteſtatur: vt filia ſua maior ALIENORDIS LVDOVICO Francorum Regi cum Aquitaniæ Ducatu vxor tradatur. Quam prædictus Ludouicus apud Burdegalam cum Optimatibus Regni præſentibus iungit ſibi nuptiis ſolemnibus. Cuius pater LVDOVICVS intra eundem ferè menſem apud Pariſius defunctus, in Eccleſia beati Dionyſij ante corpus ipſius eſt ſepultus Kalend. Auguſti, XXVIII. anno regni ſui. Florebat hoc tempore THEOBALDVS Comes Campaniæ, pater orphanorum, & iudex viduarum, oculus cœcorum, ac pes claudorum, ſingulariter munificus in pauperibus ſuſtentandis, in extruendis Monaſteriis & erga Religioſos quoſque largitate incomparabilis. Hic genuit Comites, Henricum, & Theobaldum, ac Stephanum, Guillelmum quoque Remenſem Archiepiſcopum. Filias etiam plurimas habuit, quarum vltimam nomine ADELAM LVDOVICVS Rex poſt accepit in vxorem: ex qua filium nomine

LIB. XXVII. Cap. XIII. & XV. 1137.

LVDOVICVS VII. IVNIOR. PHILIPPVM ſucceſſorem Regni ſuſcepit. Florebat & GVILLELMVS Comes Niuernenſis, vir iuſtitiâ & honeſtate inſignis: cuius deuotio mira poſtmodum emicuit, dum ex potente Principe ſeculi factus eſt in Carthuſia humillimus pauper Chriſti. A

CAP. XVI. 1139. ANNO Domini MCXXXIX. Habitaculum ſeruorum Dei in loco qui dicitur ad Montem Dei conſtruitur. Florebat hoc tempore Gallicana Eccleſia per viros religione ac ſapientiâ illuſtres, Milonem Morinenſem Epiſcopum, humilitatis virtute præcipuum: Aluiſum Atrebatenſem, liberalitate atque conſilio & facundiâ clarum: Godefridum Lingonenſem, Hugonem Autiſſiodorenſem, Ioſlenum Sueſſionenſem, Goffridum Carnotenſem: Albericum Biruricenſem Archiepiſcopum, ſcientiâ literarum atque conſilij prudentiâ clariſſimum. Inter hos etiam alios multos tunc claros ſcientiâ viros, Bernardus Abbas Clareuallenſis, vir opinatiſſimæ religionis, eminentiſſimè clarebat. Qui multorum miraculorum patrator, & verbi Dei feruentiſſimus prædicator, atque plurimorum Monaſteriorum fundator, animarum lucra maxima Deo exhibebat, adeò vt Magiſtri Scolarum cum magno Clericorum comitatu, etiam de longinquis regionibus, ad eius optabile magiſterium confluentes, centenario, vel etiam ampliori nouiciorum numero domum probationis implerent, & vno die XL. Monachi fierent.

1140. ANNO Domini MCXL. Cœnobium ſanctæ Mariæ de Freſmont fundatum eſt. *Helinandus.* Eo tempore HEINRICVS germanus LVDOVICI Regis apud Clareuallem Monachus effectus eſt. Qui non multò pòſt ad Epiſcopatum Beluacenſem aſſumptus eſt. B

CAP. LXXXIII. TEMPORE prænotato, ſcilicet imperante Conrado, LVDOVICVS Rex cepit Vitriacum caſtrum Comitis Theobaldi: vbi admoto igne incenſa eſt Eccleſia, & in ea mille trecentæ animæ diuerſi ſexus & ætatis combuſtæ.

EODEM tempore Senonis, præſente LVDOVICO Rege, fit Epiſcoporum & Abbatum religioſorum conuentus contra Petrum Abaelardum, qui ſcandalizabat Eccleſiam profana quadam nouitate verborum vel ſenſuum. Et hic ab eis interpellatus cùm eſſet de iuſtitia reſponſurus, veritus audientiam Apoſtolicæ Sedis appellauit: & ſic euadens, non multò pòſt Cabilone apud ſanctum Marcellum obiit.

1144. INNOCENTIVS etiam Papa migrauit, cui Guido Caſtellanus Celeſtini nomine alteratus ſucceſſit anno Domini MCXLIV. Et hic, completo quinque menſibus & dimidio Papatus officio, deceſſit: eique Lucius ex Gerardo Cancellario factus Papa ſucceſſit.

EO tempore ſancto Bernardo Clareuallis mediante, ſimultas, quæ inter Regem LVDOVICVM & Comitem Theobaldum incanduerat, ſopita eſt.

1146. ANNO Domini MCXLVI. Rex Francorum LVDOVICVS captæ vrbis Meſopotamiæ zelo accenſus, vel vt alij putant Vitriacenſis incendij conſcientiâ compunctus, apud Vizeliacum affixo ſibi crucis ſigno, cum Regni Principibus & multitudine innumerabili, transmarinam peregrinationem proponit aggredi. C

ECCLESIA Tornacenſis, quæ per annos circiter DC. à tempore beati Medardi, ſub Epiſcopo Nouiomenſi ſine proprio fuerat Sacerdote, hoc anno cœpit proprium Epiſcopum habere, Anshelmo ſcilicet Abbate ſancti Vincentij apud Lugdunum ab Eugenio Papa conſecrato, & eidem vrbi in Epiſcopum deſtinato.

AVDEBERTVS Marchiæ Comes vnici morte turbatus, Terram ſuam Regi Hainrico vendit. Nam filius eius à quodam milite, quem proditioſè occiderat, viuus ſublatus numquam comparuit. Vnde territus pater crucem accipit, ac Hieruſalem vadit, vbi & moritur. Cuius Terram Gaufridus & Hugo de Leſiniaco, ſe dicentes heredes, repetunt, & tandem eam obtinent.

CAP. LXXXV. 1147. ANNO Domini MCXLVII. Conrado Rege in Purificatione beatæ Mariæ apud Frankenfurt conſtituto, Abbas Clareuallis ſanctus Bernardus tam Regi quàm cunctis Principibus crucis affigit ſignum, & ſocij peregrinationis multiplicantur ſuper numerum.

HOC anno Guillelmus Niuernenſis Comes relicto ſeculi Principatu, & omni honore calcato, Carthuſiam petit: ibique Deo digna & humillima paupertate conuerſans, infra annum conuerſionis ſuæ felicem terminat curſum vitæ.

A ANNO Domini MCXLVIII. Remis Concilium à Papa Eugenio celebratur. In quo Concilio publicè confutauit beatus Bernardus Magiſtrum Gilbertum cognomento Porretam, diſputando cum eo ſingulariter tanquam ſui temporis ſingularis athleta. Hic Gilbertus erat Epiſcopus Pictauorum, in ſacris literis plurimùm exercitatus, ſed ſublimiora ſe ſcrutans ad inſipientiam ſibi. Siquidem de Trinitatis vnitate, & diuinitatis ſimplicitate non ſimpliciter ſentiens, nec fideliter ſcribens, diſcipulis ſuis panes proponebat abſconditos, & furtiuas propinabat aquas: nec facilè quid ſaperet, imò quantum deſiperet, perſonis autenticis fatebatur. Timebat enim quod apud Senonas Petrum Abaelardum ei dixiſſe ferunt, LVDOVICVS VII. Iunior. CAP. LXXXVI. 1148.

Nunc tua res agitur, paries cùm proximus ardet.

Nouiſſimè tamen cùm iam fidelium ſuper hoc inualeſceret ſcandalum, creſceret etiam murmur, vocatus ad medium eſt, & Librum tradere iuſſus, in quo blaſphemias euomuerat graues quidem, & verborum quodam inuolucro circumſeptas. Beatus ergo Bernardus primò quidem totum quod ille verborum cauillationibus occultare nitebatur, ſubtilibus interrogationibus eliciens, deindè tam ſuis ratiociniis quàm Sanctorum teſtimoniis biduana diſputatione redarguit. Conſiderans autem nonnullos ex his qui præſidebant, iam quidem animaduertens blaſphemiam in doctrina, ramen adhuc aucrtens iniuriam à perſona, accenſus eſt zelo, & domeſticam ſibi Gallicanam conuocat Eccleſiam ſeorſum. Communi deinceps conſi-

B lio à Patribus decem Prouinciarum, aliis autem Epiſcopis & Abbatibus plurimis, dictanre viro Dei nouis dogmatibus opponitur ſymbolum nouum. Cui etiam ſubſcribuntur nomina ſingulorum, vt eorum videlicet omnium ſicut reprehenſibilis, ſic irreprehenſibilis zelus ceteris innoteſcat. Ita demum Apoſtolico iudicio & auctoritate vniuerſalis Eccleſiæ error ille damnatur. Epiſcopus Gilbertus, an eidem damnationi conſentiat, interrogatur. Conſentiens, & publicè refutans quæ priùs ſcripſerat & affirmauerat, indulgentiam ipſe conſequitur: maximè quòd ab initio captus eſſet, ea lege ſe eandem diſputationem ingredi, vt promitteret ſine vlla ſeſe obſtinatione pro Eccleſiæ ſanctæ arbitrio correcturum liberè opinionem ſuam. Horum duorum Magiſtrorum, Petri videlicet Abaelardi & Gilberti Porretæ, quidam diſcipuli nimium zelantes pro ipſis, beato Bernardo & toti Ciſtercienſi Ordini poſtea detrahere cœperunt.

EODEM anno Hainricus LVDOVICI Francorum Regis filius, contempto mundi ſchemate, pro Chriſto in Claraualle indutus Monachili ſchemate, prouehitur ad Epiſcopatum ciuitatis Beluagicæ. CAP. LXXXVII.

HOC quoque anno Lauduni IV. Nonas Iulij factis tonitruis in Monaſterio S. Vincentij, Monachis diuini officij curſum complentibus, duo ex eis ſubito fulminis ictu corruentes expirauerunt. Alij quidem tacti vel territi vix conualuerunt. Fulmine etiam altaris linteum comburente, & ſacrarium penetrante, & de magna cruce partem, partem quoque clauſtralis oſtij aſportante, tota Domus repletur

C horrore.

EO tempore florebat multa miraculorum gratiâ PETRVS Tarentaſienſis Epiſcopus. --- Implacabiles inimicitias & odia inueterata frequenter extinxit, & grauia admodum bella compeſcuit. Deſperatas reconciliationes inter maximos etiam Principes, Domino cooperante, & ſermone confirmante, ſequentibus ſignis effecit. Inter Principem ſuum Comitem YMBERTVM & RAIMVNDVM Comitem Tholoſanum in regione Granopolitana eo tempore dominantem, non ſine multis incendiis & homicidiis guerram diutiùs agitatam multo labore ſedauit. Cuius occaſione negocij ad Hainricum Regem Anglorum vehementer deſideratus acceſſit. In quo itinere miraculum ſingulare diuina virtus per eum perfecit apud ſanctum Symphorianum, quod eſt caſtrum Lugdunenſis Eccleſiæ, paucis ab vrbe leucis diſtans. CAP. CXXIV.

ANNO Domini MCXLIX. LVDOVICVS Rex Francorum à Palæſtina nauigans, vt in patriam rediret, Græcorum naues incurrit. Cùmque ab eis Imperatori Curſolium obſidenti præſentandus deduceretur, Gregorius Dux nauium Regis Siciliæ eos aggreditur. Siquidem vaſtatis & ſpoliatis Græcorum Prouinciis, vſque ad ipſam vrbem Regiam Conſtantinopolim accedens, ſagittas aureas in Palatium Imperatoris iecerat. Et incenſis ſuburbanis, de fructibus hortorum Regis violen- CAP. CXXVI.

Lvdovici VII. Ivnior. tet tulerat. Vnde rediens naues Græcorum incurrit, captum Lvdovicvm Regem eripuit. ſed captos Regis obtentu dimittit. A

1150. Anno ſequenti Bartholomeus Laudunenſis Epiſcopus, xxxviii. anno ſui Epiſcopatus, contempto mundi ſchemate, Fuſniaci induitur Monachili ſchemate.

Habitis per Franciam Conuentibus, conueniente etiam Papa Eugenio, vt Abbas Clareuallis Hieroſolymam ad alios prouocandos mitteretur, grandis iterum ſermo de profectione tranſmarina celebratur. ſed per Ciſtercienſes Monachos totum iſtud caſſatur.

Cap. CXXVII. 1151. Anno ſequenti obierunt Epiſcopi moribus & ſcientiâ clari, Hugo Autiſſiodorenſis, & Ioſſelenus Sueſſionenſis. Hic Hugo fuit Abbas Pontiniaci primus, vir moribus & ſcientiâ clarus, ac in ſacra religione ſtrenuus. Et licèt iuxta propoſitum Ordinis ſui eſſet miræ patientiæ, in Eccleſiæ tamen hoſtes diſtrictus executor. In nocte quidem electionem ſuam præcedente, vidit in ſomnis quòd mater ſua ſibi eſſet copulanda nuptiali fœdere. Qui cùm in Eccleſia Senonenſi propter ſuſpenſiones Henrici Metropolitani, conſecrationis locum non haberet, à domino Gaufrido Carnotenſi Epiſcopo conſecratus eſt. Huic ſucceſſit Alanus Ripatorij Abbas primus.

Hoc etiam anno illuſtres religione ac prudentiâ obeunt viri, Suggerus Abbas S. Dionyſij, Raimardus Ciſtercij, Odo ſancti Remigij. Sed & Gaufridus Comes Andegauorum, poſt ſimultates habitas cum Rege Lvdovico, facta pace obiit infra menſis vnius ſpacium. Obiit etiam nobilis & religioſus Princeps, & pauperum pater, Comes Theobaldus. Multi quoque nobiles hoc anno moriuntur. B

1152. Anno ſequenti Rex Francorum Lvdovicvs zelotypiæ ſpiritu inflammatus, iurata conſanguinitate vxorem ſuam repudiat. Quam quia contra eius voluntatem Hainricvs Dux Normanniæ, videlicet filius Gaufridi Andegauenſis & Mechildis, ducit, magna inter eos ſimultas excandeſcit. Hac quippe occaſione Ducatum Aquitaniæ amiſit. Rex autem æmulus eius eum obtinuit.

Cap. CXXVIII. Hæc fuit prima vxor Regis Lvdovici, ſcilicet Alienordis filia ſenioris Comitis Pictauenſis: de qua prædictus Rex ſuſcepit duas filias, ſcilicet Aelidem & Mariam. Cùmque cum eadem vxore ſua perrexiſſet vltra mare, audiuit eam, vt fertur, à Salhadino munera ſuſcepiſſe. Vnde poſt reditum ſuum in Franciam, non ſolùm ob cauſam prædictam, ſed etiam ob ipſius mulieris incontinentiam, voluit eam repudiare. Vt enim dicit Helinandus, non tanquam Regina ſe gerebat, ſed ferè tanquam meretrix. Quod illa intelligens, ab eo declinauit, & ad prædictum Normanniæ Ducem Hainricum ſe tranſtulit, qui eam, vt dictum eſt, in vxorem duxit. Propter quod inter ipſum & Regem diſcordia fuit. Sed poſtea Rex ipſum ad pacem recepit. Qui ſcilicet Dux Hainricus in breui, mortuo Rege Stephano, Angliam intrauit: & integritate Regni potitus, pacem antiquam reformauit. Hic ergo Hainricus ſenior Rex Angliæ quatuor filios ſuſcepit ex prædicta Regina, ſcilicet Alienorde: Hainricum videlicet, & Richardum, & Iohannem, qui tres ibidem regnauerunt ſucceſſiuè: Gaufridum quoque Comitem Britanniæ. Inſuper & quatuor filias, quarum vna data eſt vxor Regi Caſtellæ, vnde orta eſt Blancha Regina Franciæ. Altera verò Conſtantinopolitano Imperatori nomine Alexi. Tertia quoque Saxoniæ Duci, vnde natus eſt Otho, qui poſtmodum Imperator fuit. Quarta verò Tholoſano Comiti, vnde ortus eſt Raimundus, cuius filiam poſtmodum accepit Alfonſus Comes Pictauenſis. frater Ludouici Regis. Porrò ſupradictus Lvdovicvs ſecundam vxorem, videlicet Imperatoris Hiſpaniæ filiam, vitæ laudabilis feminam, accepit. ſed illa non multis annis interiectis obiit. Deinde Rex idem habito colloquio cum Theobaldo Bleſenſi Comite, accepit Adelam ſororem illius in vxorem, ſcilicet bonæ memoriæ Theobaldi filiam, de genere Karoli, vt dicitur, deſcendentem. filiam verò ſuam Aelidem dicto Theobaldo iuniori dedit in vxorem. Igitur ex Lvdovico & Adela Philippvs noſtri temporis Rex futurus ortus eſt. Et Theobaldus ex Aelide filium ſuſcepit Ludouicum, ac filias, Margaretam & Elizabeth. Ex quibus, ſcilicet Ludouicus, in Comitatu patri ſuccedens, vxorem Katherinam accepit filiam Comitis Clarimontis, cui Comitatus idem hereditario iu- C

A re obuenit. Qui ex ea relicto herede Theobaldo nomine, perrexit Conſtantinopolim cum Balduino Flandrenſi Comite, & ibi deceſſit. Porrò filio eius Theobaldo leprâ infecto, ac ſine herede defuncto, ſucceſſit in Comitatu Bleſenſi MARGARETA eiuſdem amita, & in Comitatu Carnotenſi ſoror eiuſdem Margaretæ Elizabeth. His enim duabus ſororibus nulla priùs hereditas erat paterna. Sed Margareta gratis accepta fuit in coniugium, primò ab Hugone de Oſiaco prope Cameracum. Poſt cuius obitum nupſit Othoni Comiti Burgundiæ, fratri ſcilicet Imperatoris Hainrici. Quo defuncto, tertiò nupſit domino de Aueſnis Galtero. Qui ſuſceptam ex ea filiam dedit in vxorem Hugoni filio Hugonis * Comitis Sancti Pauli. ex qua ortus eſt filius, qui ſucceſſit in Comitatu Bleſenſi. ELIZABETH autem altera filia à patre ſuo Theobaldo data eſt primò coniunx Domino de Ambaſia, qui ex ea filiam nomine Mehthildam genuit, quæ in Comitatu Carnotenſi matri ſucceſſit. Illóque mortuo, nupſit Elizabeth Iohanni de Montemirabili, qui ſine herede deceſſit. Vnde & Monſmirabilis Matheo fratri eius iure propinquitatis obuenit. MARIA verò altera LVDOVICI Regis filia data eſt vxor Comiti Campaniæ Hainrico, habuitque duos filios ex ea, ſcilicet Hainricum ac Theobaldum. Horum Hainricus, cui iure primogenituræ poſt deceſſum patris obueniebat Comitatus Campaniæ, cùm adhuc eſſet ſine vxore, Comitatu in cuſtodia fratris ſui Theobaldi relicto, perrexit in Terram tranſmarinam cum Rege Franciæ

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

* leg. Galteri

B PHILIPPO. Cúmque capta fuiſſet Acon, Philippo Rege in Franciam reuertente, Regina Cypri virum habebat, qui ſimplex homo erat, nec bellicoſus videbatur, nomine Humfridum de Thoron. Hunc Barones à Regina ſeparauerunt, eámque Marchiſio de Monteferrato in coniugium tradiderunt, quem & Terræ acquiſitæ cuſtodem ſtatuerunt. Nec multò pòſt Arſacidæ ipſum in Nicomedia interfecerunt. Tunc præfatam Reginam Hainrico Comiti Campaniæ in vxorem tradiderunt, quem & eidem Terræ ſimiliter præfecerunt.

ANNO Domini MCLIII. Rex Francorum LVDOVICVS cum nimio exercitu Normanniæ fines aggreſſus, caſtrum Vernon in deditionem recepit. Interim Dux Normanniæ in Anglia contra Regem Stephanum fortiter agens, tandem cum eo pacem facit: ita vt viuente Rege poſt eum ſecundus in Anglia mortuo ſuccedat. Lib. XXIX Cap. II. 1153.

CIVES Metenſes cum vicinis militibus congrediuntur, vincunrur, & pereunt ex eis plus quàm duo milia.

VIR religioſus VValterus Laudunenſis Epiſcopus, multarum fundator Abbatiarum, migrauit ad Dominum, & Præmonſtrati ſepelitur, vbi quondam pro Chriſto paupertatis ſumpſit habitum. Cui ſucceſſit Galterus Laudunenſis Decanus.

ANNO ſequenti Rex Francorum LVDOVICVS Henricum Ducem Normanniæ ad pacem recepit. Qui in breui Rege Stephano mortuo Angliam intrat, 1154.

C & Regni integritate potitus, pacem antiquam reformat.

ROBERTVS autem de Botua, vir omni plenus nequitiâ, nepotum ſuorum caſtra ingreſſus, doloſè tyrannidem exercet in Terra.

HOC etiam anno LVDOVICVS Rex Francorum filiam Imperatoris Hiſpaniæ, feminam moribus præcipuam, accepit Aurelianis in vxorem. ibique nuptiis quaſi ſolemniter celebratis, ab Hugone Senonenſi Archiepiſcopo vncta eſt in Reginam.

ANNO Domini MCLVII. filia LVDOVICI Regis Francorum datur filio Hainrici Regis Angliæ, vt pax inter eos firmetur. Cap. III. 1157.

ANNO MCLIX. Rex Francorum LVDOVICVS, & Rex Angliæ Hainricus cum ſuis, Alexandrum in Patrem & Dominum ſuſceperunt. 1159.

ANNO ſequenti fit eclypſis Lunæ, & moritur Regina Franciæ vxor Regis LVDOVICI, filia Imperatoris Hiſpaniæ, femina vitæ laudabilis, & actibus clara, moribúſque perornata. Rex verò ducit vxorem ADELAM Comitis Theobaldi filiam. Quam poſtea prædictus Hugo Senonenſis Archiepiſcopus vnxit Pariſius in Reginam. 1160.

ANNO Domini MCLXI. Alexander Papa in Galliam venit, & à Regibus Francorum & Anglorum honorificè ſuſceptus eſt. Cap. XII. 1161.

EODEM anno Henricus Rex Anglorum, Dux Aquitaniæ, venit contra Tho-

loſam. Rex LVDOVICVS intrauerat ad defendendum eam. Vnde nolens Hen- A
LVDOVICVS VII. IVNIOR. ricus Rex obſidere Dominum ſuum, receſſit à loco.
CAP. XIII. ANNO Domini MCLXV. PHILIPPVS Ludouici Regis Francorum filius
1165. naſcitur, anno ſcilicet patris ſui XXVII. Cùm enim idem pius Rex innumeroſam filiarum ſobolem de tribus vxoribus ſuſcepiſſet, & heredem maſculum Regni ſucceſſorem habere non poſſet: tandem cum ADELA vxore ſua, & omni Clero ac populo totius Regni ad orationes & eleemoſynas conuerſus, filium à Deo petiit, & obtinuit. De quo etiam antequàm natus eſſet, talem viſionem in ſomnis vidit: videlicet quòd PHILIPPVS filius ſuus aureum calicem in manu ſua plenum humano ſanguine tenebat, de quo propinabat omnibus ſuis Principibus, & omnes in eo bibebant.

EO tempore Tarentaſienſis Archiepiſcopus venit apud Caluummontem, qui eſt in confinio Franciæ & Normanniæ, pro pace ſcilicet reformanda inter Regem LVDOVICVM & Regem Henricum: vbi multas virtutes per eum operatus eſt Dominus in præſentia duorum Regum, & Henrici iunioris Regis Angliæ, & Philippi Comitis Flandrenſis. In capite Ieiunij impoſuit cineres benedictos capiti Regis Angliæ apud Mortuummare.

CAP. XV. EODEM anno Guichardus Abbas Pontiniaci ſecundus in Lugdunenſem Archiepiſcopum eſt aſſumptus.

CAP. XVI ANNO Domini MCLXVI. Henricus Beluacenſis Epiſcopus in Archiepiſco- B
1166 pum Remenſem tranſlatus eſt.

1167. ANNO Domini MCLXVII. Amalricus primus Abbas Karoli-loci, deinde Siluanectenſis Epiſcopus obit.

CAP XVII. ANNO Domini MCLXIX. Hugone Archiepiſcopo Senonenſi defuncto, ſuc-
1169. cedit ei Guillelmus Theobaldi Comitis filius, Carnotenſis electus, ſed nondum Epiſcopus conſecratus. Quem Senonis conſecrauit venerabilis Mauricius Pariſienſis Epiſcopus.

CAP XXI. ANNO Domini MCLXXII. Robertus Præpoſitus de Area duos Epiſcopatus
1172. regebat, Atrebatenſem ſcilicet & Tornacenſem: filius fabri cuiuſdam ruſtici Carnotenſis: qui, vt aiunt, familiari dæmone vtebatur, per quem ad tantos honores deuenerat.

1173. ANNO ſequenti ciuitas Rothomagi obſeſſa eſt à LVDOVICO Rege Francorum, & Hainrico nouo Rege Anglorum, & Philippo Comite Flandrenſi.

EODEM anno obiit ſanctus Petrus Tarentaſienſis Archiepiſcopus.

FLOREBAT eo tempore Magiſter Petrus Comeſtor, primus Pariſienſium Magiſtrorum.

1175. ANNO Domini MCLXXV. Præpoſitus de Area Robertus occiditur, procurante, vt aiunt, necem eius Iacobo de Aueſnis inclito milite. Non multò pòſt, imò etiam eodem anno mortuus eſt Hainricus Remenſis Archiepiſcopus. Fuerat autem inter eos inuidia magna de potentatu: quia ille dominabatur Flandriæ, & C
iſte Franciæ. & ambo in breui extincti ſunt. Itaque Guillelmus Senonenſis Archiepiſcopus fit Archiepiſcopus Remenſis, & ſuccedit Guido Senonenſis anno
1177. Domini MCLXXVII.

FLOREBAT autem his temporibus Mauricius Pariſienſis Epiſcopus, qui ob induſtriam & literaturam de infimo ſtatu magnæ paupertatis ad Pontificalis dignitatis apicem eſt euectus. Nam & cùm eſſet iunior, pauper ac mendicus, eleemoſynam poſtulatam accipere noluit, hoc pacto vt numquam foret Epiſcopus. Hic inter opera ſua præclara à fundamentis inſtruxit Eccleſiam, cui præerat.

CAP. XXII. ANNO Domini MCLXXX. LVDOVICVS Rex piiſſimus PHILIPPI pa-
1180. ter in vrbe Pariſius obiit, & in Eccleſia ſanctæ Mariæ de Sacco-portu, quæ dicitur *Barbeel* ſepultus eſt, quam ipſe fundauit. Super cuius corpus vxor eius ADELA conſtrui fecit ſepulchrum miro artificio compoſitum ex lapidibus & auro & argento, & ære ac gemmis ſubtiliſſimè decoratum. Anno etiam eodem Iohannes Epiſcopus Carnotenſis obiit, qui ſocius ſancti Thomæ Cantuarienſis vitam ipſius ſcripſit.

A LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EX LIBRO III. CHRONICORVM ANONYMI

Scriptoris, quorum Exemplar recentiore manu exaratum eſt in Bibliotheca Monaſterij S. Victoris Pariſ.

LVDOVICO itaque GROSSO vitâ decedente, LVDOVICVS, qui ex cultu pietatis PIVS poteſt de iute vocati, quod cum patre ferè per VII. re- *Qua præcedebant vulgaria ſunt, & in aliis habentur Anſortius.*
xeratannos, totum ex integro ſuſcepit Regnum anno gratiæ MCXXXVII. Poinde euoluto non longo dierum curriculo, GAVCHERIVS DE MONTE-GAYO ſuperbiâ inflatus, aduerſus Regem ſuperbè inſurgere temptauit, terrámque ipſius non tamen impunè inquietare conatus eſt. Quod Rex non æquo animo perferens, exercitu coadunato, Montem-gayum cum omni municipio deſtruxit. Contra Regem Comes THEOBALDVS Campaniæ ſæpiùs rebellauit. Cui præfarus Rex Ludouicus Pius caſtrum Vitriacum ſuccendit, in quo periit incendio multitudo magna virorum, & mulierum, & infantium. Pro quo infortunio idem Rex creditur iter Hieroſolymiranum anno regni ſui XVII. arripuiſſe. Quem Regni ſui incredibilis multitudo ſubſecuta eſt. Duxit autem & vxorem ſuam Pictauenſem ſecum nomine ALIENOR, quæ perplurimum ei in illo itinere ingrata & iniurioſa extitit.
B quod tei probauit euentus. Nam poſt multos labores & tribulationum ſudores reuerſus, licèt ex illa duas filias ſe ſuſcepiſſe gauderet; tamen regni ſui anno XXI. aſſenſu & auctoritate Eugenij Papæ repudiatam dimiſit.

REGRESSO itaque Ludouico à Hieroſolymis, Gaufridus Comes Andegauorum, & HENRICVS filius eius, qui poſtea Regnum Anglorum obtinuit, Regem prædictum adierunt, conquerentes de Stephano Anglorum Rege, qui eis iniuſtè Regnum Angliæ & Ducatum Normanniæ auferebat. Quorum rationabilem querimoniam Rex cōſiderans, cum magno exercitu Normanniam eſt ingreſſus. Quam captam Henrico filio Comitis Andegauenſis reddidit, & eum pro eadem terra in hominem ligium accepit. Ille autem pro collato ſibi adiutorio, patre ſuo concedente, VVlcaſſinum Normannum, quod eſt inter Ettam & Andelam, Regi Ludouico totum in munere dedit. In qua terra continentur hæc caſtella, & firmitates, Giſorcium, Nealpha, Stetpiniacum, Dangultum, Gamachiæ, Atachiuilla, Caſtrumnouum, Baudemont, Brayum, Totnutum, Buſealia, Nogentum ſuper Andelam. Poſt hæc autem regni ſui anno XXIV. filia Regis Hiſpaniæ ei legitimo matrimonio coniuncta eſt. Ex qua duas ſuſcepit filias. Et hac defuncta, iterum duxit vxorem præcipuæ nobilitatis, & expectandæ * pulchritudinis puellam nomine ADE- **ſ expetendæ*
LAM, filiam Comitis Campaniæ Theobaldi, quæ de genere Karoli Magni Regis Francorum comprobatur eſſe hoc modo. Karolus genuit Ludouicum, Ludouicus Karolum Caluum, Karolus Caluus Ludouicum, Ludouicus Karolum Simplicem.
C Karolus Simplex ex Ogiua vxore ſua legitima genuit Giſilam, quæ legitimè coniuncta eſt Roberto Normānorum Duci. De Giſila autem exiit * Guillelmus Longaſpata, & de Guillelmo Robertus, de Roberto Guillelmus Nothus qui Angliam acquiſiuit. Hic Guillelmus habuit filiam de vxore legitima nomine ADELAM, quæ Stephano copulata Comiti Carnotenſium genuit Comitem Theobaldum, & Theobaldus Comes hanc Adelam. De qua ſuſcepit idem Ludouicus filium, quem baptizatum de nomine aui ſui vocari iuſſit PHILIPPVM. Natus eſt autem idem Philippus anno regni ſui XXXV. Incarnationis autem Chriſti MCLXV. die Sabbati in octauis beatæ Dei genitricis Mariæ. **imò Hiſtorici Normānorū ex hoc cōiugio nullam exiiſſe prolem vnanimiter aſſerunt.*

HIC igitur piiſſimus & Chriſtianiſſimus LVDOVICVS PIVS Rex Francorum Alexandrum Papam ab Italia exulantem in Galliis retinuit. Cui etiam multos honores & obſequia exhibuit. Cuius rei circumquaque famâ peruolante regiones, Conſtantinopolitanus & Hiſpanus Imperatores, Rex Hieroſolymitanus, Rex Angliæ, Rex Siciliæ, Rex Vngariæ, omnéſque Reges Chriſtianorum Regis Ludouici ſequentes exemplum, eum debita reuerentia eumdem, ei obediendo, humiliter ſuſceperunt. Cum beato etiam Thoma multa vſus eſt familiaritate. Cui, cùm à Sede Cantuarienſi exul per ſeptem annos moraretur in Francia, quamplurima obtulit donaria, & illius inopiam per multa ſtuduit ſubleuare ſubſidia. Ad vltimum autem Henrico Regi Angliæ illum concordauit, & in ſede propria reſtitui fecit.

Lvdovicvs VII Ivnior. Sed Rex Angliæ belluinum habens animum, paciſque per manum Regis Franciæ compoſitæ immemor, illum intra ſinum Eccleſiæ Cantuar. capite plecti conſenſit. Sed hunc omnipotens Deus plurimorum decorauit gloriâ miraculorum, ipſo Rege propriis oculis intuente. A

Porro iſte Lvdovicvs multa fuit honeſtate laudabilis, erga Religioſos quoque ſimplex ac beniuolus, & erga ſubditos vnica moderatione vſus. Eleemoſynis largus, cultor iuſtitiæ, peruigil in oratione. Literarum quidem ignarus, ſed Philoſophis coæquandus. Nutritor gentis, legum augmentator, pietatis exemplar, plus ſemper in orationibus quàm in armis confidens. Et quia pacis amator erat, guerras etſi aliquas, guerras tamen aut intulit, aut pertulit, ſuúmque ſatis tranquillè ac ſtrenuè Regnum fouit. Hinc eſt, quòd ſub ipſo pace vigente, tot nouæ villæ conditæ ſunt, & veteres ampliatæ, tot exciſa nemora & exculta, tot conſtructæ Eccleſiæ, Ordinéſque diuerſi diuerſis in locis multipliciter ſunt propagati. Hic conſtruxit Cœnobium non procul à Miliduno, quod Sanus-portus dicitur. Quod etiam poſſeſſionibus ditauit ampliſſimis, & ſpectabilibus decorauit ædificiis. Cùm autem deficientes artus mortem in foribus eſſe nuntiarent, prudentum virorum vſus cõſilio, filium ſuum Philippvm in ipſa omnium ſolemnitate Sanctorum, à Guillelmo Remenſi Archiepiſcopo, & à ſuis Coëpiſcopis, in Remẽſi ciuitate fecit inungi, & in Regem conſecrari. Nec multò pòſt filia Comitis Henodij, religioſa, & cõmendabilis pulchritudinis puella legitimo & ſolẽni matrimonio illi per manus Epiſcoporum copulata eſt. Rexit autem Ludouicus Pius feliciter Regnum Frãcorum cum patre ferè per VII. annos, & poſt patris obitum per annos XLIII. Et quia qui benè vixerit, non poteſt malè mori, & in conſpectu Domini mors Sanctorum eſt precioſa, dormiuit vt credimus in Domino, appoſitus ad patres ſuos XIV. Kal. Octobris anno gratiæ MCLXXX. Sepultúſq; eſt in Monaſterio quod Sanus-portus dicitur, quod ipſe, vt diximus, conſtruxerat non procul à Miliduno. Cuius Epitaphium his verſibus decoratur. B

Qui modo ſum medicus cinis olim Rex Lvdovicvs,
Dum terris præeram terra futurus eram.
Sed licèt auferre ſua non valeat caro terræ,
Seruat perpetuum ſpiritus eſſe ſuum.
Parce mihi Domine, qui finis es, & ſine fine,
Quem ſine principio, quem ſine fine ſcio.
Iam tranſcendo fidem, quia iam ſcio credita pridem,
More ſuo patriæ credita, more viæ.
Hoc mihi ſcire dedit, quem vita ſcit, & via credit,
Quem via credit eum vita ſcit eſſe Deum.
Elegiſſe leges alia loca regia Reges,
Huic magis elegi pauper ineſſe gregi.
Pauperis vt memores meliùs ſint pauperiores,
Gaudeo pauper homo pauperiore domo. C

EPITAPHIVM ALIVD R. LVDOVICI VII.

Transit *in heredem pius ille prior* Lvdovicvs
Nomine, ſede, fide, nec pietate minus.
Seruula, triſtis, inops, aliquo ſub Rege: ſub iſto
Floruit Eccleſia, libera, læta, potens.
Rex humilis, Rex pacificus, Dauid & Salomonem
Protulit exemplo, ſéque, ſuóſque regens.
Quantum coniugij permiſit copula, caſtus:
Quantum iuſticia regula, mitis erat.
Ieiunans, vigilans, orans, deuotus ad omnes
Diuini cultus obſequiíque modos.
Lingua preces vinas, lacrymas pia palpebra fudit,
Pauperibus ſolidos officioſa manus.
Hic meritis rapuit cælum, violentia ſancti
Raptus & à cælo te tibi terra refert.

A

EPISTOLAE HISTORICÆ,

QVÆ AD RES LVDOVICI GROSSI & filij eius LVDOVICI IVNIORIS Regum illuſtrandas pertinent.

B

EPISTOLÆ VI.

Ex Codice MS. Epiſtolarum PETRI *Prioris Sancti Ioannis Euangeliſtæ Senonenſis, qui eſt penes eruditiſſ. Virum Iacobum Sirmondum.*

EPISTOLA I.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum*, HVGONI *inconſulto Conſuli, frenis agi iuſtitiæ.* RELIGIOSÆ & illuſtres perſonæ ad meam pertulerunt audientiam, quòd ſanctam Remenſem Eccleſiam quantum in te eſt impudenter dehoneſtas, & eam nouo, imò inaudito genere tyrannidis inceſſanter infeſtas. Quod poſtquàm auribus meis inſonuit, quantò lacrymabilior fuit conqueſtio, tantò grauior in me aduerſum te innata indignatio: & ſecundum inauditi ſceleris immanitatem, meam incurriſti offenſionem. Doleo enim, & lacrymabiliter doleo, quòd in meam matrem, & caput Regni mei Eccleſiam gladium tyrannidis tam præſumptuosè exacuiſti; quia in ea Coronæ meæ derogaſti, & Sceptro meo C probroſam iniuriam irrogaſti. Prædictæ ergo Eccleſiæ infra feſtum beati Iohannis aut cum ſumma humilitate ſatisfacias, aut cum ſumma erubeſcentia Terram meam exeas. Alioquin ſi in manus meas incideris, nulla redemptione euades, & ſic vitam finies.

EPISTOLA II.

HVGONI *Gornacenſi Domino*, RA. *Dei gratiâ Conſul Claromontis columbina ſimplicitate meliora grana eligere.* CVM dilectionis feruor ferè poſſit impoſſibilia, ac poſſibilitatis ſit fructus in omnibus mutuæ poſtulationis executio, hanc vobis veſtriſque Clericis cartulam mittere non dubitaui. Eſt mihi Magiſter quidam Claromonte, qui ibi & adhuc in Scholarum regimine ſtudet, & hoc anno ſtuduit. Hic caſtelli veſtri famâ, veſtræque dilectionis adipiſcendæ gratiâ commotus, per me aſſequi deſiderat quod animi ſui voluntas expoſtulat. Huic igitur in Actoribus, in Philoſophis, in Artium diuerſis operibus, in Grammaticæ artis executione præcipuo, necnon etiam paginæ diuinæ, non prorſus, vt aiunt, ignaro, & quod omnium condimentum eſt, morali grauitate haud inexperto. Vt ergo caſtelli veſtri regimen, omni impeditionis causâ procul amotâ, hoc anno futuro ei concedatis, apud vos veſtróſque Clericos precibus impetrare laboro.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

EPISTOLA III. A

Electio HVGONIS *Senonenſis Archiepiſcopi I.*

SANCTA mater Eccleſia Spiritus ſancti magiſterio ſufficienter erudita, benè nouit & memoriter tenet, quòd doctores & paſtores populo ſuo Dominus à ſeculo præeſſe voluit, qui greges ſibi commiſſos pabulo diuini verbi reficerent, & iuſta docentes iniuſta prohiberent. Vnde ſcriptum eſt, *Deduxiſti ſicut oues populum ſuum in manu Moyſi & Aaron.* Quibus ſublatis, Eleazarum victimis, Ioſue verò caſtris Dominus præfecit: ſequentique tempore Iudices, deinde Reges ſuper populum ſuum conſtituit. Nouiſſimè verò Dominus ac Redemptor noſter viſibilem ſe mundo præbens, paſtoralem curam ſuper credentes aſſumpſit, dicens: *Ego ſum Paſtor bonus.* Et reditum ad patrem diſponens, ne ſine capite membra deficerent, Vicarium ſibi beatum Petrum ſubſtituit, dicens: *Paſce oues meas.* Sed & Clemens poſt Petrum in Cathedra ſedit, & ceteri Apoſtoli, ſeu alij per Orbem ſancti Pontifices ſucceſſores habere voluerunt, quos vel ipſi ſubſtituerunt, vel ſibi ſubſtitui præceperunt, Iuxta illud: *Pro patribus tuis natæ ſunt tibi filij, conſtitues eos Principes ſuper omnem terram.* Huc accedunt ſanctorum inſtituta Canonum, & Decretales Romanorum Pontificum ſanctiones, quæ de ſubſtituendis Paſtoribus ſentiunt idem & decernunt. Quibus nos inſpectis, Conuentus Senonenſis Eccleſiæ poſt B obitum venerabilis viri domni HENRICI Pontificis noſtri, fractæ nauis noſtræ naufragium metuentes, & iam periculo propiore conterriti, de reformando nobis Paſtore conſilium diutiùs differre nullatenus auſi ſumus, præſertim cùm Eleazarum viuente adhuc Aaron patre ſuo ſacerdotium ex diuino mandato ſuſcepiſſe nouerimus: ne populus vel modicum ſacerdotali contubernio priuaretur, & Moyſe cum Domino moram faciente in monte, populus ſine Duce laſciuiens idolatra ſit effectus. Præmiſſis igitur ad Dominum precibus, conuocatis etiam & aſſiſtentibus religioſis viris, & Abbatibus Canonicorum Regularium & Monachorum tam Ciſtercienſis Ordinis quàm aliis, in nomine deificæ Trinitatis concorditer elegimus nobis in Paſtorem & Pontificem domnum HVGONEM Præcentorem noſtrum, à parentibus Chriſtianis & Deum timentibus nobiliter editum, virum ſtrenuum, modeſtum, manſuetum, diſciplinis Eccleſiaſticis competenter eruditum, religioſis perſonis amoris & honoris exhibentem officium, non alienum, non ignotum, ſed fratrem noſtrum vterinum, qui liberè proferre poſſit illud Dominicum, *Et cognoſco meas, & cognoſcunt me meæ:* qui noua & vetera de theſauro ſuo producere nouerit, & ab amplexibus Eccleſiæ noſtræ, cuius panibus educatus eſt, auelli numquam poſſit. Hunc igitur canonicè & legitimè à nobis electum, à religioſis perſonis aſſiſtentibus approbatum, à populo Senonenſi vniuerſo communibus votis & immenſis vocibus expetitum, Sanctitati veſtræ, Domine Pater Carnotenſis An- G tiſtes, ad quem interim Conſilium Senonenſis Eccleſiæ ſpecialiter pertinet, & ſanctis Patribus & Epiſcopis qui vobiſcum ſunt, præſentem offerimus, & offerendo commendamus: & vt benedictionis manus eidem in præſentiarum imponas, humiliter & deuotè ſupplicamus. Et vt, reuerendi Patres, electionem canonicam noſtram & plenariam eſſe præſentia veſtra percipiat, ſubſcripta ſunt nomina perſonarum, quæ eundem Hugonem Præcentorem in Pontificem elegerunt, ac eligunt, ſeu quæ poſtmodum aſſenſum electioni præbuerunt.

EPISTOLA IV.

Conſolatoria ſuper morte Pariſienſis Epiſcopi.

H. *Dei gratiâ Senonenſis Eccleſiæ Miniſter, B. Decano & ceteris Pariſienſis Eccleſiæ Canonicis, dilectis in Chriſto Fratribus, ſalutem, & ſaluiferam à Domino dilectionem.* CONSIDERANTI mihi, Fratres, inſperatum dulciſſimi Fratris, imò vt ita dixerim, cariſſimi Patris mei Pontificis veſtri caſum & occaſum, flere magis libet quàm ſcribere. Nimis enim ſaxeum pectus habet, quem non ad dolorem vel gemitum piiſſimi viri lacrymabilis non emollit exceſſus. Ceterùm quicquid fortè nonnulli ſen-

A tiant, ego verò prorſus plango & lamentor damnum ingens & incōmodum meum. Amiſi enim portionem animæ meæ, baculum iuuentutis meæ, conſolatorem & eruditorem vitæ meæ. Baculus namque ſuſtenrarionis, Fratres, ſicut ſcitis, multotiens iuueni neceſſarius eſt plus quàm ſeni, quia iuuentuti peruecceſſaria eſt doctrina. Senectus verò longo vſu tēporis multa didicit per experimenta. In quo ergo erit vltra ſimilis mihi requies, ſimile gaudium, ſimile reclinatorium? Quem quoties videbam, præſente gaudio meo non gaudere non poteram. Sed quid dicam Domine Deus, vt quid receſſiſti longè, deſpicis in opportunitatibus in tribulatione? Modo rudem & tenerum amouiſti puerum ruum, & tam citò ſubtraxiſti ei ordinatorē & doctorem ſuum? Sed quid ago, Fratres? dum dolorem meum nimis exaggero, conſolatorem oneroſum me vobis oſtendo. Iam verò dulciſſimi Parris animam dulcedini & manſuetudini commēdo Redemptoris noſtri. Ad vos autem, quibus compatior, ſermonis mei vultum cōuerto. Circa vos enim non mediocriter ſollicitus exiſto, quia frequenter in talibus ſubrepit inuidia, per inuidiam diſcordia, per diſcordiam diuiſio, per diuiſionem vnitatis confuſio. Tunc aduerſæ facies, tunc diſſonæ linguæ, theſaurorum diminutio, & inuidorum & æmulorum cachinnus & irriſio. Deus hoc auertat à vobis, Fratres, Spiritus ſancti plenitudo deſcendat ſuper vos, ſpititúſque veſtros vniat, diuiſiones remoueat, & quibus vnus eſt futurus Paſtor, eadem paſcua guſtare concedat. Quibus inſpectis, cariſſimi Fratres, memento te iugiter ammonitionis noſtræ, & ſalutis veſtræ. Ad illum inceſſanter corda veſtra conuertite, qui ſa-
B lus eſt omnium ſperantium in ſe.

LVDOVICVS VI. GROSSVS.

EPISTOLA V.

LVDOVICO *Regi Francorum*, GVILLELMVS *Flandrenſis Comes, debitam ſubiectionem*. BENIGNITAS veſtra intolerabilibus exitij mei infortuniis compatiens poſt lacrymabilem exceſſum magnanimi & magnifici KAROLI me, licèt indignū, & prorſus iniuſti meriti, in Comitum ſedem voluit ſuccedere. Vnde corda Procerum, licèt inter ſe prorſus diſſentientium, mihi tamen in nullo conſentientium, prouida viuacitate conſilium primum mirabiliter collegiſtis. Demum vt me non amore, ſed timore vnanimiter receperint, mirabiliùs effeciſtis. Ecce autem ille potens & antiquus hoſtis meus, Rex ſcilicet Anglorum, ſucceſſibus meis iamdudum indoluit, innumeram adducens militiam, & immodicam afferēs pecuniam, nuper applicuit: & vt moleſtias poſſit inferre, fideliorem & potentiorem Regni veſtri portionem molitur nobis & vobis auferre. Qui confiſus in militia, & multò magis in pecunia, quia corda Flandrenſium muneribus putaret ſubuertere, non ſolùm non auderet inſiſtere, ſed mihi reſiſtenti formidaret reſiſtere. Recurro itaque ad Celſitudinem veſtræ Maieſtatis, orans & obſecrās, vt quemadmodum me, quem ad honorem promouiſtis, in eodem confirmetis. Quod ſi fieri non poteſt, niſi nobis veſtram offeratis præſentiam: vt reuereantur, & in ipſa erubeſcant & confundantur
C præſumptuoſi alienigenæ, & in fide roborentur aliquantulum titillantes indigenæ. 1127.

EPISTOLA VI.

DOMNO *Priori Cluniacenſis Cellæ, & Principibus ac militibus & vniuerſis indigenis Bulbonenſis oppidi, R. dictus Abbas Senonenſis Eccleſiæ beati Ioannis Euangeliſtæ, per opera miſericordiæ miſericordiam Domini promereri*. VRSO filius noſter, quem præſentem videtis, regularis Canonicus, ordine Diaconus, ſcriba præcipuus, vtilitate ſua multa carus nobis & acceptus, non ſine dolore noſtro quibuſdam corporis ſui pulſatur incommodis. Suggeſtum verò eſt ei à nonnullis, balnea quæ apud vos ſunt illi ſummopere profutura, ſi eorum calore aliquandiu foueatur. Eapropter permiſſionis noſtræ licentiam conſecutus, ad balnea ipſa feſtinare diſpoſuit, & ibidem quantum ſat erit immorari. Verùm quia longa temporis mora peregrinantium in domibus alienis crumenas etiam plenas exinanire ſolet, ſupplicamus benignitati & caritati veſtræ, vt ſi fortè quas detulit expenſæ prædicto Fratri defecerint, vos, qui de bonis à Deo vobis datis in domibus veſtris abundatis, humanitatis & fraternæ dilectionis memores, peregrinum Fratrem ſuſtinere non contemnatis, quatinus illud exoptatum à Domino conſequenter audiatis, *Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis*.

LVDOVICVS VII IVNIOR.

A

S. BERNARDI ABBATIS CLAREVALLENSIS,

EPISTOLÆ HISTORICÆ.

Ad LVDOVICVM *Regem Francorum.*

EPISTOLA I.

Inter edit. Epiſt. 45.

EXIMIO *Regi Francorum* LVDOVICO, *Stephanus Abbas Ciſtercienſis, totúſque Conuentus Abbatum & Fratrum Ciſtercienſium, ſalutem, ſoſpitatem, & pacem in Chriſto Ieſu.* REX cœli & terræ Regnum vobis B in terra donauit, donaturus & in cœlo, ſi id quod accepiſtis iuſtè & ſapienter adminiſtrare ſtudueritis. Hoc eſt quod vobis optamus, & pro vobis oramus: vt & hîc fideliter, & illic feliciter regnetis. Ceterùm vos quonam conſilio eiſdem noſtris pro vobis orationibus, quas, ſi recolitis, olim tam humiliter requiſiſtis, modò tam acriter repugnatis? Qua enim iam fiducia manus pro vobis leuare præſumimus ad Sponſum Eccleſiæ, quam ita, & ſine cauſa vt putamus, auſu inconſulto contriſtatis? Grauem ſiquidem aduerſum vos apud eundem Sponſum & Dominum ſuum querimoniam deponit, dum quem acceperat defenſorem, ſuſtinet oppugnatorem. Attenditis iam cui ex hoc infenſum vos redditis? Non vtique Epiſcopo Pariſienſi, ſed Domino paradiſi, & quidem terribili, & ei qui aufert ſpiritum Principum. Ipſe quippe eſt, qui ad Epiſcopos dicit: *Qui vos ſpernit, me ſpernit.* Hæc ita vobis & pro vobis audacter quidem, ſed amanter intimare curauimus: monentes & rogantes per illam inuicem amicitiam noſtram & fraternitatem, cui vos ſatis dignanter ſociaſtis, ſed nunc ipſam grauiter læſiſtis, quatenus à tanto malo citiùs deſiſtatis. Alioquin ſi non meremur exaudiri, ſed contemnimur & nos fratres & amici veſtri, & qui quotidie oramus pro vobis & filiis veſtris & Regno: ex hoc iam noueritis paruitatem noſtram in quibus valuerit non poſſe deeſſe Eccleſiæ Dei & miniſtro eius, venerabili videlicet Patri & amico noſtro Epiſcopo Pariſienſi, qui noſtram aduerſùs vos humilitatem interpellans, noſtras pro ſe ad C Dominum Papam iure fraternitatis Literas requiſiuit. Verùm nos iuſtum ducentes his prius Literis veſtram Excellentiam conuenire, præſertim quia idem Epiſcopus per manum omnium Religioſorum ſe ad iuſtitiam offert: ſi tamen priùs (quod quidem eadem ipſa iuſtitia videtur exigere) res ei ſuæ iniuſtè ablatæ reſtituantur: eius interim petitioni differendo ſuperſedimus. Et ſi quidem Deo inſpirante placuerit vobis noſtris precibus aurem inclinare, noſtro conſilio ſtudióque pacem cum Epiſcopo, imò cum Deo reformare: parati ſumus huius rei gratiâ fatigari vſque ad vos quocumque vobis placuerit. Sin autem, nos amicum audire, & Dei Sacerdoti obedire neceſſe eſt. Valete.

Ex perſona Ducis Burgundiæ. EPISTOLA II.

Edit. 127.

GVILLELMO *Dei gratiâ egregio Comiti Pictauorum, & Duci Aquitanorum, Hugo eadem gratia Burgundiæ Dux, timere terribilem, & eum qui aufert ſpiritum Principum.* ERROREM veſtrum vltrà diſſimulare non fero, quippe carne propinquus, & corde amicus. Si quis de populo deuiat, ſolus perit. Verùm Principis error multos inuoluit, & tantis obeſt, quantis præeſt ipſe. Nec præſumus, ſi-

A cut ſcitis, vt perdamus, ſed vt regamus ſubiectos. Per quem Reges regnant, ipſe nos præfecit populis ſuis, à nobis tuendis, non ſubuertendis: planè ſanctæ ſuæ Eccleſiæ Miniſtros, non dominos. Cui vos miniſterio cùm dignè aliàs pro veſtri magnitudine Potentatus, & laudabiliter deſeruiſſe noſcamini, miror quanam verſutiâ modò veſtra illa prudentia circumuenta fuerit, eandem matrem veſtram & Dominam deſerere in tempore malo. Niſi fortè & hoc vobis veſtri illi conſiliarij perſuadere conentur, ad ſolam Petri Leonis domum vniuerſalem Eccleſiam eſſe redactam. Viri mendaces, quos veritas ſicut & caput eorum Antichriſtum deſtruit ſpiritu oris ſui, affirmans eam per os Dauid ad vniuerſos fines terræ, ad vniuerſas familias gentinm dilatari. Habet tamen Ducem Apuliæ, ſed ſolùm ex Principibus, ipſúmque vſurpatæ Coronæ mercede ridicula comparatum. Denique quid virtutis, quid honeſtatis afferunt de ſummo Pontifice ſuo, vt & nos prouocent ad fauorem? Si vera ſunt quæ vbique diuulgat opinio, nec vnius dignus eſt viculi poteſtate. Si vera non ſunt, decet nihilominus caput Eccleſiæ non ſolùm vitæ habere ſanitatem, ſed & famæ decorem. Tutius proindè vobis eſt, mi cognate chariſſime, vt in ſuſceptione vniuerſalis Papæ, ab vniuerſitatis conſenſu & conſilio non recedatis. Quem omnis Religio, quem Regum vniuerſitas receperunt, vobis quoque & honorificum & ſaluriferum eſt vt recipiatis. Domini Papæ Innocentij & innocens vita, & integra fama, & electio canonica prædicatur. Priora duo nec hoſtes diffitentur, tertium calumniam habuit: ſed per Chriſtianiſſimum Lotharium nuper falſi calumniatores in ſuo ſunt
B mendacio deprehenſi.

Ludovicus VII. Iunior.

Ad LVDOVICVM IVNIORÈM *Regem Francorum.*

EPISTOLA III.

SI totus Orbis aduerſum me coniuraret, vt quippiam molirer aduerſus Regiam Maieſtatem: ego tamen Deum timerem, & ordinatum ab eo Regem oſtendere temerè non auderem. Nec enim ignoro vbi legerim: *Qui poteſtati reſiſtit, Dei ordinationi reſiſtit.* Sed nec me latet quàm omni Chriſtiano, quàm meæ præcipuè profeſſioni mentiri contrarium ſit. Veritatem dico, non mentior. Quod Lingonis de Priore noſtro factum eſt, præter ſpem, præter intentionem Epiſcoporum & meam factum eſt. Sed eſt qui nolentium quodammodo extorquet aſſenſum, & ſuo arbitrio etiam aduerſas hominum volũtates prout vult ſubſeruire compellit. Quando enim ego periculum, quod mihi timui, illi æquè non metuerem, quem diligo tanquam meipſum? Quando ego illorum conſortium non horrerem, qui alligant onera grauia & importabilia, & imponunt humeris hominum, digito autem ſuo nolunt ea mouere? Factum eſt tamen quod factum eſt, contra vos nihil, contra me plurimum. Mihi baculus imbecillitatis meæ ſubtractus eſt, mihi lu-
C men oculorum meorum ereptum eſt, mihi abſciſſum dextrum brachium meum. Omnia excelſa iſta & fluctus iſti ſuper me tranſierunt, in me tranſierunt iræ, mihi euadendi nulla ex parte patet via. Vnde onera fugio, indè ſubeo inuitus & ingratus. Durum mihi ſentio contra ſtimulum calcitrare. Tolerabilius fortaſsè ſpontaneo, quàm nolenti & renuenti fuiſſet. Nam ſi quid virium in me eſt, nónne id faciliùs meis, quàm alienis humeris exercerem? Sed acquieſco aliter diſponenti, cum quo vtique aut iudicio, aut viribus contendere, nec cautum mihi omninò, nec poſſibile eſt, ſed nec Regi. Siquidem terribilis eſt etiam apud Reges terræ. Horrendum eſt incidere in manus Dei viuentis, etiam tibi ô Rex. O quàm moleſtis auribus audiemus contraria tam bonis principiis veſtris! O quàm amarior Eccleſiæ mœror poſt tanta prælibata gaudia, ſi fruſtrari (quod abſit) contigerit tam iucunda ſpe ſingularis clypei ſui veſtræ indolis, ſicut hactenus eſt experta! Heu! corruit virgo Remenſis Eccleſia, non eſt qui ſubleuet illam. Corruit & Lingonenſis, non eſt qui porrigat manum. Auertat diuina clementia à corde & conſilio veſtro ſuper dolorem noſtrum adiicere, cumulare triſtitiam ſuper triſtitiam. Quis mihi tribuat mori, ne videam Regem bonæ opinionis, ſed ſpei melioris, conari Dei conſilio obuiare, irritare aduerſus ſemetipſum ſummi Iudicis iram, pedes patris orphanorum madefacere la-

Epiſt. 170.

LVDOVICVS VII. IVNIOR. crymis afflictorum, pulſare cœlos clamoribus pauperum, Sanctorum precibus, iuſtíſque querimoniis chariſſimæ ſponſæ Chriſti, quæ eſt Eccleſia Dei viuentis? Abſit, abſit. Meliora ſperamus, expectamus iucundiora. Non obliuiſcetur miſereri Deus, nec continebit in ira ſua miſericordias ſuas. Non contriſtabit per illum & de illo Eccleſiam ſuam, per quem & de quo in tantis iam lætificauit. Quem ſuo munere contulit, ſua longanimitate ſeruabit: & ſi quid aliter ſapitis, & hoc ipſum vobis reuelabit, & erudiet corda in ſapientia. Hoc optamus, hoc oramus die ac nocte. Hoc ſentite de nobis, hoc ſentite de noſtris. Non infringetur veritas hæc in nobis, non imminuetur honor Regis, Regníque vtilitas per nos. Gratias autem agimus veſtræ clementiæ pro benigno reſponſo, quod à veſtra dignatione meruimus. Verumtamen dilatio terret nos, qui videmus terram datam prædæ & direptioni. Terra veſtra eſt, & in hoc planè cognoſcimus, & dolemus dedecus Regni veſtri, quod vos iure abhorrere mandaſtis, ſi non fuerit qui defendat. Nam in quo alio Regia Maieſtas, rectè in eo quod factum eſt, imminuta dicatur? Electio ritè celebrata eſt, electus fidelis eſt. Non autem eſſet fidelis, ſi veſtra & non per vos habere vellet. Nec dum ad veſtra manum extendit, nec dum ciuitatem veſtram ingreſſus eſt, nec dum prorſus ſe intromiſit de aliquo: quanquam inuitatio Cleri & populi, & oppreſſorum afflictio, & vota bonorum id ab eo vehementiſſimè flagitarent. Quæ cùm ita ſint, opus eſt, vt videtis, maturatione conſilij, non minus veſtro honori, quàm noſtræ neceſſitati. Et niſi per præſentes nuntios expectanti populo, qui veſter eſt, ſerenitas veſtra pro voto reſponderit, multorum Religioſorum aduerſum vos (quod non expedit) deuota vobis nunc corda turbabitis, & Regalibus veſtris ipſis quæ ad Eccleſiam pertinent, non paruum, vt veremur, incommodum acquiretis. B

Ad dominum Papam Innocentium. EPIST. IV.

Edit. 206. SCRIPTVM eſt, *Quod Deus coniunxit, homo non ſeparet.* Surrexerunt viri audaces, qui non timuerunt coniunctos à Deo contra Deum diſiungere. Neque id ſolùm, inſuper & adiecerunt coniungere non coniungendos, addentes præuaricationem. Lacerantur ſacra Eccleſiæ, ſcinduntur (proh dolor!) veſtes Chriſti, idque (ad cumulum doloris) ab his à quibus reſarciri debuerant. Amici tui Deus, & proximi tui aduerſum te appropinquauerunt, & ſteterunt. Nam qui mandatum tuum tranſgrediuntur, non ſunt alieni, non ſunt extranei à ſanctuario tuo, ſed eorum locum tenent quibus dixiſti: *Si diligitis me, mandata mea ſeruate.* Comitem RADVLPHVM & vxorem eius Deus coniunxerat per Miniſtros Eccleſiæ, & Eccleſia per Deum qui dedit poteſtatem talem hominibus. Quomodo quos Eccleſia coniunxit, diſiunxit camera? In quo facto illud ſolùm conuenienter prouiſum eſt, quòd in tenebris facta ſunt opera tenebrarum. Qui enim malè agit, odit lucem, & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius à luce. Quid metuit Comes Theobaldus? Quid peccauit homo ille? Si peccatum eſt quòd diligit iuſtitiam, & odit iniquitatem, non poteſt excuſari. Si peccatum eſt quòd reddit Regi quæ Regis ſunt, & quæ ſunt Dei Deo, non poteſt excuſari. Si Archiepiſcopum Bituricenſem ſuſcepit ad imperium veſtrum, hoc eſt maximum & primum peccatum. En ſanguis iſte de manu eius exquiritur. Qui retribuunt mala pro bonis, detrahunt ei, quoniam ſequitur bonitatem. Multi clamant ad vos in toto corde ſuo, vt iniuriam filij veſtri, & oppreſſionem Eccleſiæ digna animaduerſione vindicetis, & artifices huius ſceleris cum ipſo eorum capite, quicquid libuit, licuit, Apoſtolico vigore coërceatis, vt in verticem ipſius iniquitas eius deſcendat. C

Ad LVDOVICVM *Regem Francorum.* EPIST. V.

Edit. 220. LIBENTER quidem, ſicut ipſe fateri dignamini, etiam propria atteſtante conſcientia, quæ ad honorem veſtrum & Regni veſtri vtilitatem ſpectant, pro noſtro exiguo poſſe & quærimus, & quæremus. Ceterum quòd noſtræ humilitati querimini ſuper anathemate mox innouando in Comitem RADVLPHVM, & vultis me dare operam omnimodis, vt non fiat, ob multa mala quæ ſecutura indè putatis: prorſus non video quomodo implere poſſim, & mandato obuiare Apo-

A ſtolico. Quod etſi poſſem, non video quòd rationabiliter poſſem. Doleo quidem
de malis ſi indè proueniant, ſed non ideo tamen debemus facere mala, vt veniant
bona. Satius tutiúſque hoc totúm profectò omnipotentis Dei iudicio & diſpoſi-
tioni relinquimus, qui poteſt facere vt & bona, quæ ipſe vult fieri, fiant & maneant:
& mala quæ mali moliuntur, non veniant, aut certè in eoſipſos potiùs, qui ea vo-
lunt & quærunt, veniant. Valde autem contriſtat me vnum quod in Literis ve-
ſtræ Celſitudinis continetur, quòd videlicet debeat obuiare res iſta paci factæ in-
ter vos & Comitem Theobaldum. An neſcitis vos grauiter offendiſſe in eo, quòd
Comes Theobaldus violentiâ guerræ veſtræ contra Deum & iuſtitiam iurare com-
pulſus eſt, non ſolùm quia quæreret, ſed etiam quia efficeret vt prædictus Comes
Radulphus & terra eius tam indebitè, imò tam illicitè abſolueretur? Quid? ite-
rum vultis peccatum peccato addere, & iram Dei ſuper vos (quod abſit) accumu-
lare? Quid peccauit Comes Theobaldus, vt iram veſtram rurſum incurrere me-
reatur, qui & abſolutionem Comitis Radulphi licèt iniuſtam (ſicut ſcitis) tanto
labore & difficultate obtinuit, & rediuiuam excommunicationem quamuis iuſtiſ-
ſimè redeuntem nec quæſiuit, nec quærit: vt pote quod timore veſtro etiam abiu-
rauit? Nolite, quæſo, nolite, Domine mi Rex, Regi veſtro (imò omnium con-
ditori) tam euidentèr in ſuo Regno & in ſua poſſeſſione audere reſiſtere, & ma-
num extendere tam frequenti & temerario auſu aduersùm terribilem eum qui au-
B fert ſpiritum Principum, terribilem apud Reges terræ. Acriter loquor, quia acrio-
ra vobis formido: quod non ita vehementer timerem, niſi vos vehementer dilige-
rem.

Ad eundem. EPISTOLA VI.

SCIT Deus quantum vos, ex quo noui, dilexi, & veſtrum honorem volui. Sci-
tis vos quanto labore, quantáque ſollicitudine, toto anno præterito quæren-
dæ paci veſtræ intendi vna cum aliis fidelibus veſtris. Timeo autem ne ſine cauſa
laborauerimus in vobis. Vos namque, vt manifeſtum eſt, à bono & ſano conſilio
quod acceperatis, nimium citò nimiúmque leuiter reſilitis: & ad mala priora, quæ
dudum non immeritò perpetraſſe vos plangebatis, adhuc recentibus illis plagis,
rurſum, vt audio, neſcio quo diabolico conſilio feſtinatis. A quo enim niſi à dia-
bolo procedere hoc conſilium dixerim, per quod fit vt incendiis incendia, homi-
cidiis homicidia addantur: clamor denuò pauperum, & gemitus compeditorum,
& ſanguis interfectorum, auribus pertonent patris orphanorum, & iudicis vidua-
rum? Planè his hoſtiis hoſtis ille antiquus noſtri generis oblectatur: quoniam ipſe
homicida eſt ab initio. Et nolite fruſtra occaſionem ſumere de Comite Theobal-
do ad excuſandas excuſationes in peccatis: cùm vir ille paratum ſe dicat, & hoc
omnimodis deprecetur, venire ad conuentiones quæ inter vos concurrerunt quan-
do facta eſt pax, & ſecundum iudicium diligentium nomen veſtrum (eorum ſcili-
C cet qui mediatores inter vos extiterunt) per omnia ſatisfacere velit: vt ſi præuari-
cationis fortè ab ipſis argui poterit, quod non exiſtimat, continuò ad honorem
veſtrum corrigere non cunctetur. Verùm vos nec verba pacis recipitis, nec pacta
veſtra tenetis, nec ſanis conſiliis acquieſcitis: ſed neſcio quo Dei iudicio omnia
vobis ita vertitis in peruerſum, vt probra honorem, honorem probra ducatis, tuta
timeatis, timenda contemnatis: & quod olim ſancto & glorioſo Regi Dauid Ioab
legitur exprobraſſe, diligitis eos qui vos oderunt, & odio habetis qui vos diligere
volunt. Neque enim qui vos inſtigant priorem iterare malitiam aduerſus non me-
rentem, quærunt in hoc honorem veſtrum, ſed ſuum commodum, ſed diaboli vo-
luntatem: vt Regis (quod abſit) potentiam concepti feruoris habeant effectricem,
quem ſuis ſe poſſe adimplere viribus non confidunt, inimici Coronæ veſtræ, Re-
gni manifeſtiſſimi turbatores. At quicquid vobis de Regno veſtro, de anima &
Corona veſtra facere placeat: nos Eccleſiæ filij, matris iniurias, contemptum &
conculcationem omninò diſſimulare non poſſumus: quæ illi præter illa quæ in eam
iam præceſſiſſe miſerabiliter plangimus, iterum de nouo partim inferri, partim im-
minere ſentimus. Profectò ſtabimus & pugnabimus vſque ad mortem, ſi ita opor-
tuerit, pro matre noſtra, armis quibus licet: non ſcutis & gladiis, ſed precibus fle-
tibúſque ad Deum. Et ego quidem, qui me memini præter quotidianas preces,
quas pro pace & ſalute veſtra atque Regno coram Domino Supplex ipſo teſte fun-

Lvdovicvs VII. Ivnior. debam, etiam apud Sedem Apoſtolicam Literis & nunciis cauſam veſtram egiſſe A
fateor vſque penè ad propriæ conſcientiæ læſionem, & ipſius ſummi Pontificis iu-
ſtam (quod diffiteri non debeo) contra me indignationem. Ego, inquam, aſſi-
duis veſtris, quos innouare quotidie non ceſſatis, exceſſibus prouocatus dico vobis,
incipio pœnitere ſuper inſipientia mea priori, qua plus iuſto veſtræ adoleſcentiæ
hucuſque faui: & de cetero pro mea exiguitate non deero veritati. Non tacebo
quòd cum excommunicaris iterato fœdus & ſocietatem inire ſatagitis: quòd in ne-
cem hominum, combuſtionem domorum, deſtructionem Eccleſiarum, diſperſio-
nem pauperum, raptoribus & prædonibus (ſicut dicitur) adhæretis: iuxta illud
Pſal. 49. Prophetæ: *Si videbas furem, currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.*
Quaſi non ſatis per vos mala facere valeatis. Non ſilebo quòd illicitum illud ma-
ledictúmque iuramentum inconſultiſſimè vſurpatum à vobis contra Bituricenſem
Eccleſiam (pro quo, heu! tot & tanta mala iam nunc meritò prouenerunt) non ita
tandem corrigitis, vt Chriſti ouibus apud Cathalaunum Paſtorem præfici non ſi-
natis: inſuper & fratri veſtro eiúſque militibus ſagittariis baliſtariiſque domos Epi-
ſcopales contra ius & fas inhabitandas, & res Eccleſiæ in eiuſmodi nefarios vſus
profligandas, audacter nimium exponitis. Dico vobis: non erit diu inultum, ſi
hæc facere pergitis. Et ideo, Domine mi Rex, amicabiliter moneo vos, & fideli-
ter conſulo vobis, vt citiùs ab hac malitia deſiſtatis: ſi fortè iam ferire parantis ma-
num, Niniuitæ Regis exemplo, pœnitentia & humilitate præuenire poſſitis. Du- B
Prou. 27. rè loquor, quia duriora vobis formido. Sed mementote à Sapiente dictum, *Melio-
ra eſſe verbera amici, quàm fraudulenta oſcula inimici.*

Ad Ioſlenum Sueſſionenſem Epiſcopum, & Sugerium Abbatem Sancti Dionyſij.

EPISTOLA VII.

Edit. 222. SCRIPSERAM Regi, arguens eum ſuper malis quæ fiunt in Regno eius, ip-
ſius (ſicut dicitur) aſſenſu. Et quod reſcripſit, dignum duxi vobis, qui de
Conſilio eius eſtis, inſinuandum. Miror enim, ſi ita credit vt loquitur: & ſi non
credit, quomodo conſcio mihi vtique omnium (ſicut ſcitis) quæ ad pacem refor-
mandam facta fuerunt, iſta perſuadere conatur. Ait enim, ſicut poteſtis videre in
Literis eius, cùm malè ſeruata ex parte Comitis pacta conaretur oſtendere: Ad-
» huc ſuſpenſi manent Epiſcopi noſtri, adhuc Terra noſtra interdicta eſt. Quaſi ve-
rò cuiuſquam Eccleſiaſtici abſolutio interdicti ad Comitem THEOBALDVM
» pertineat, aut hoc ipſe aliquo modo pepigerit ſe facturum. Illuſus eſt, ait, Comes
» RADVLPHVS, & iterum religatus eſt. Et hoc quid ad Comitem Theobaldum?
Nónne quicquid de hac re promiſit, fideliter elaborauit, & efficaciter adimpleuit?
Ille verò deprehenſus eſt in aſtutia ſua, & cecidit in foueam quam fecit. An eſt
hoc totum, cur irrita faceret Rex pacta ſua, quæ diſtinxerunt labia veſtra? An pro- C
pter hoc decuit incandeſcere iram Regis contra Deum & Eccleſiam eius, contra
ſeipſum & Regnum ſuum? Itáne propter hoc debuit obliuiſci honoris ſui, vt ad
debellandum hominem ſuum, quem non dico diffidauerat, ſed nec ſubmonuerat
vel poſuerat ad rationem, mittere fratrem ſuum, idque per Catalaunum: de qua
potiſſimum ciuitate ſcitis, quid Rex cum Comite Theobaldo pepigerit? Sed Rex
adhuc aliud addit, quòd matrimoniis ſic moliatur coniungere contra eius fidelita-
tem Comitem Flandrenſem & Sueſſionenſem. Et de fidelitate quidem ſuſpicio
eſt, non certitudo. Porrò inanes ſuſpiciones certis pactionibus præiudicare, quale
ſit, vos videritis. Quanquam id omninò credendum non fuerit de tali viro. Nun-
quid enim hoſtes ſunt Regis, quibus alligatur Comes, & non magis homines eius,
& eius amici? Nónne conſanguineus Regis, &, ſicut fatetur, baculus Regni, Co-
mes Flandrenſis eſt? Quid ergo contra Regis fidelitatem facit eius homo, & fide-
lis ipſius, ſi aliis eius amicis ſuorum matrimoniis copulatur? Nónne ſi quis ſimplici
oculo rem, vt eſt, conſideraret, magna potiùs pax Regni, magnúmque robur, &
magna poſſet putari ſecuritas? Illud autem miror, quomodo Rex dicere non ti-
muerit, cognoſcere ſe quia nouerim ego Comitem Theobaldum in partem ſuam
contra Regem Comitem Radulphum trahere attentaſſe. Nam & viua voce nun-
cio noſtro plus dixit, quàm ſcripſerit: quòd mandauerim ſæpiùs dicto Radulpho

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A maximam pattem peccatotum eius me ſuſcipere, ſi vellet Comiti Theobaldo adhærere. Si datus eſt homo ille, pet quem iſta mandauerim, veniat & arguat me palam. Si ſcripſi Literas, proferantur in medium. Viderit ipſe, cui crediderit: certus ego ſum, quia numquam nouerim quod imponit. Idem arbitrot & de Comite Theobaldo, quia & ipſe omnimodis diffitetut. Videat proindè Deus, & iudicet quòd nunc de ſuſpicione Comes Theobaldus atguitur ab eo, qui manifeſtè contra pactiones ſuas ipſum ſibi attrahit Comitem Radulphum: contra Dei præcepta, contra ſententiam ſummi Pontificis adultero & excommunicato communicans. Ait quoque Rex: Penè habuimus duos gtauiſſimos oppugnatores. Et Propheta ſubſannans teſpondet: *Ibi trepidauerunt timore, vbi non erat timor.* Pſal. 13. Ecce, inquit, oppugnamur, qui non oppugnauimus: perſecutionem parimur, qui non perſecuti fuimus. Quis oppugnat obſecto? quis oppugnat? quiſue perſequitur? Nónne Comes obſecrat, & humiliatut: honorare paratus vt Regem, ſeruire & obſequi tanquam Domino ſuo, obnixè pro pace ſupplicans, & bonam Regis, quod in ſe eſt, ſibi conciliari ſatagens voluntatem? Eſto quòd non ſit ita, ſed magis Comes Regi mala omnia moliatur: nónne ad id, quod ſtarutum fuiſſe ſcitis, fuerat recurrenduin? Sic enim inter ſe pepigerunt, vt ſi qua de conuentionibus illis controuetſia aut diſſenſio naſcererur, nihil mali ſibi inuicem facetent aut quærerent, donec coram nobis tribus pariter & domino Altiſſiodotenſi ventilata res eſſet, at-
B que diſcuſſa: qui & tunc mediatores fuimus, & ſi quid emergeret controuetſiæ, debuimus eſſe teconciliatores. Ar id modò omnimodis Comes flagitat, ſed Rex abnuit. Denique, eſto quòd omninò malè meruit Comes: ſed Eccleſia Dei quid meruit? Quid, inquam, metuit non iam ſola Biruricenſis Eccleſia, ſed & Catalaunenſis, etiam & Remenſis, etiam & Patiſienſis? Habeat Rex aduerſus Comitem ius: ſed de quo iure, obſecto, de quo iure ptæſumit, vt Eccleſiatum poſſeſſiones & terras deuaſtet, vt Chriſti ouibus Paſtores præfici non permittat: vt his quidem electorum promotionem prohibeat, aliis verò (quod hactenus inauditum eſt) dilationem electionis inducat, donec vniuerſa conſumpſerit, donec diripuerit pauperum facultates, donec penitus deſoletut terra? An vos ei conſulitis talia? Mirum valde, ſi contra veſtrum conſilium fiunt hæc: mirum magis & malum, ſi veſtro conſilio fiunt. Etenim conſulete talia, manifeſtè ſciſma fabricate eſt, Deo reſiſtere, Eccleſiam ancillare, & nouam in ſeruitutem Eccleſiaſticam redigere libertatem. Si quis Dei fidelis, ſi quis Eccleſiæ filius eſt: profectò ſtabit & opponet ſe, quoad poterit, murum pto domo Dei. Nam & vos ipſi ſi pacem deſideratis Eccleſiæ, ſicut oportet filios pacis: quomodo non dicam tractatis ea, ſed vel intereſtis conſiliis tam malignis? Quicquid enim mali fecetit, meritò non Regi iuueni, ſed Conſiliariis imputatur ſenibus.

Ad Stephanum Prænestinum Epiſcopum. EPIST. VIII.

C

LOQVITVR Hietemias ad Deum pto aduerſariis ſuis, ita dicens: *Recordare Domine quòd ſteterim in conſpectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis.* Edit. 124. Hier. 18. Et infert: *Propterea*, inquit, *da filios eorum in famem & deduc eos in manus glady.* Et adhuc alia in hunc modum æquè grauia imprecatur illis. Quod propterea nunc apud veſtram reuerentiam memorandum putaui, quoniam ſimile mihi aliquid cum Propheta video accidiſſe. Vos enim ſcitis, quomodo ego quoque pro Rege ſteterim in conſpectu Domini mei, corpore quidem abſens, ſed præſens ſpiritu, vt loquetet pro eo bonum. Bona ſiquidem pollicebarur. Nunc autem ipſo reddente pro bono malum, cogor contraria ſcribere. Pudet erroris, & falſæ ſpei, quam de eo conceperam, & gratias ago quòd pto eo ſimpliciter ſupplicans non fuerim exauditus. Putabam me deſerre Regi pacifico, & ecce inueniot grauiſſimo hoſti Eccleſiæ aſſentaſſe. Conculcantut apud nos ſancta, Eccleſia rurpiter ancillatur. Nam & electiones Epiſcoporum prohibentut fieri, & ſicubi id præſumptum à Clericis fuerit, electus epiſcopari non ſinitur. Denique ſedet in triſtitia Eccleſia Pariſienſis, proprio deſtituta Paſtore, & nemo eſt qui de ſubſtituendo alio mutire audeat. Non ſufficit ſpoliari bonis præſentibus domos Epiſcopales: etiam in tertas & in homines manus ſacrilega citcumquaque deſæuit, totius inſuper anni ex eis ſibi reditus vendicando. Veſtra Catalaunenſis fecit quï-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. dem electionem, ſed qui electus eſt, ecce iam diebus multis debito honore fruſtra- A
tur, & ſcitis quàm non abſque graui gregis Dominici dettimento. Commiſit Rex
germano ſuo ROBERTO vices Epiſcopi, & ille in cunctis terris rebúſque Ec-
cleſiæ poteſtatiuè verſans, & pro vice ſua vbique haud ſegniter agens, infert cœlis
quotidianas hoſtias, non planè pacificas: clamores pauperum, lacrymas viduarum,
planctus orphanorum, gemitus compeditorum, & ſanguinem interfectorum. Ve-
rùm anguſtus eſt maliciæ eius ille Epiſcopatus. Remenſem inuadit, atque in Ter-
ra Sanctorum iniqua getit, non Clericis, non Monachis, non Sanctimonialibus
parcens. Denique ſanctæ Mariæ, ſancti Remigij, ſancti Nicaſij, ſancti Theodori-
ci terras fructiferas, & villas populoſas ita in ore gladij deuaſtauit, vt penè in ſolitu-
Pſal 82. dinem redegerit vniuerſas. Frequens in omniũ auribus vox: *Hereditate poſsideamus
ſanctuarium Dei.* Sic Rex emendat quod in Eccleſiam Bituricenſem Herodiano iu-
ramento commiſit. Præterea Rex nobis quidem non parantibus, pacem cum
Comite Theobaldo fecerat, firmæ vt putauimus amicitiæ fœdus inierat: & ecce
occaſiones quærit quomodo recedat ab amico. Atque hoc grande crimen, quod
impingirur Comiti, quia cum Baronibus Regis de liberis ſuis contrahit matrimo-
nia. Suſpecta eſt illi dilatatio charitatis, nec ſe putat Regem, ſi ſe amauerint Prin-
cipes. Coniiciat prudentia veſtta, quid animi erga ſubditos gerat, qui de odio at-
que diſcordia, ſi fuerit inter ſuos, ſe æſtimat fortiorem. Videat & perpendat, ſi eſt
hic homo à Deo, qui in ſuorum magis mutua ſimultate quàm caritate confidit, cùm B
caritas ſit Deus. Quod minimè faceret, ſi ſapientiam illius haberet, qui ait: *Fortis*
1. Ioan. 4. Cant 8. *eſt vt mors dilectio, dura ſicut infernus æmulatio.* Præterea ergo pacis conuentiones &
conſtitutiones manifeſtè tranſgreditur, nec tenet pacta ſua, quæ diſtinxerunt la-
bia ſua. Denique reuocauit in domum ſuam, & ad conſilium ſuum, virum adul-
terum & excommunicatum, quem ex conſtituto eiecerat: & pro exercenda maio-
ri malitiâ, aliis multis nequam æquè excommunicatis, periuris, incendiariis, ho-
micidis, Rex & Aduocatus Eccleſiæ, aduerſus Eccleſiæ (quod non eſt dubium)
Pſal. 49. amatorem & defenſorem denuò ſociatur, iuxta illud Prophetæ: *Si videbas furem,
currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Ad hæc cogit ſuo more Epi-
ſcopos ad maledicendum benedicendis, & iterum benedicendum maledicendis.
Et quoniam non obtemperatur pro ſuo libitu ſibi, circuit mare & aridam vt inue-
niat iuratores, quorum periuriis quos fortaſſis Deus coniungit, per homines ſepa-
renrur. Qua fronte, obſecro, tantopere aliis præſcribere de conſanguinitate labo-
rat, homo cum ſua (quod palam eſt) tertio conſanguinitatis gradu fermè perma-
nens conſobrina? Et quidem inter filium Comitis Theobaldi & Comitis Flan-
drenſis filiam, & item inter Comitem Sueſſionenſem & filiam Comitis Theobaldi,
ſi conſanguinitas ſit neſcio. Scienter enim illicita matrimonia nec laudaui vn-
quam, nec laudo. Sed ſciatis vos, & ſciat Dominus meus, prohiberi horum nu-
ptias: ſi quomodo cõiungi fas fuerit, exarmare Eccleſiam eſt, & multam illi ſubtra-
here fortitudinem. Nec aliam puto aduerſantium ipſis nuptiis intentionem, niſi C
vt in terris præfatorum Principum non poſſint habere refugium, quicumque au-
debunt contradicere ſchiſmati quod minantur. Huc vſque zelus meus. Non poſ-
ſum enim ego emendare quod potui redarguere: potui & commonere eum qui
poſſit. Zelus Domini mei faciet hoc. Ipſum duxi neceſſarium in magno Eccleſiæ
labore atque periculo compellandum, & per nullum digniùs quàm per vos, qui
eius lateri & ſpiritui adhæretis. Apud quem, quæſo, habete me excuſatum, quòd
Rege mutato mutauerim ſtylum, qui ad ipſum Deum Dei Prophetam dixiſſe ſci-
Pſal. 17. tis: *Cum viro innocente innocens eris, & cum peruerſo peruerteris.*

Ad LVDOVICVM *Regem Francorum.* EPIST. IX.

Edit. 226. LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Regi Francorum, & Duci Aquitanorum, Hugo Al-
tiſsiodorenſis qualiſcumque Miniſter, Bernardus Clareuallis Abbas, diligere iuſtitiam,
& iudicare terram ſapienter.* DIV eſt quòd egreſſi de domibus noſtris, poſtpoſitis
propriis vtilitatibus, pro pace veſtra & Regni fideliter (ſicut nobis Deus eſt teſtis)
laboramus. Triſtamur autem quòd aut nullum, aut exiguum noſtri laboris fructum
adhuc tenemus. Adhuc pauperes clamant poſt nos, adhuc terra vadit quotidie in
deſolationem. Quæritis, quæ terra? Veſtra, non alia. Intra Regnum enim, &

A contra Regnum veſtrum, iſta omnia mala perpetrantur. Nam ſiue amici ſiue inimici veſtri ſint, qui de guerra iſta pauperantur, captiuantur, conteruntur: non aliunde quàm de Regno veſtro ſunt. In quo manifeſtè imminere iam iámque videtur ſermo Saluatoris dicentis: *Omne Regnum in ſe ipſum diuiſum deſolabitur.* Huc accedit, quòd ipſi diuiſores & deſolatores vos conſtituerunt ſibi huius nequitiæ caput & principem, quem præcipuè debuerant metuere defenſorem, & ſentire vltorem. Nos tamen credebamus vos tactum à Deo & illuminatum tantam illorum nequitiam aduertiſſe, & errorem veſtrum agnouiſſe, & cupere omninò conſiliis ſaniotibus à laqueo iſto retrahere pedem. Ceterùm ab hac ſpe penè deiecit nos colloquium illud habitum nuper inter nos apud Corbolium. Scitis enim quomodo & quàm irrationabiliter (vt pace veſtra dixerimus) à nobis tunc receſſiſtis. Vnde factum eſt, quòd ſermonis illius, qui vobis in dicto noſtro diſplicuit, reddere ad liquidum rationem pro veſtra nobis turbatione non licuit. Quam ſi expectare placido corde dignaremini, forſitan cognouiſſetis & vos quòd nil vobis indecens aut importabile dictum fuiſſet, ſecundùm quod iam res veſtra proceſſit. Nunc autem ſine cauſa turbatus, turbatos nos & confuſos, & quid faciamus dubios anxióſque tenetis homines, qui vobis bona cupiunt & quærunt. Quod non eſt aliud, niſi quia fraus iniquorum & rumuſculi parum ſcientium hominum, dicentium malum bonum, & bonum malum, conturbant vos. Verùm nos etſi conturbati, non tamen

B omninò deſperati de auxilio ſpiritus, quem veſtrum animum ſalubriter ſuper malis præteritis concuſſiſſe perſenſimus, adhuc ſtamus & expectamus vt redeatis ad cor: & quod prudenter cœpiſtis, efficaciter compleatis. Huius rei gratia miſimus Fratrem chariſſimum nobis Andream de Baldemento, qui vobis iſta pleniùs viua voce inſinuet, & quicquid ad hæc reſpondere placuerit, fideliter renunciet nobis. Si autem perſiſtitis (quod abſit) non acquieſcere ſanis conſiliis, mundi nos ſumus à ſanguine veſtro: Deus non permittet Eccleſiam ſuam, ſiue à vobis, ſiue à veſtris diutiùs conculcari.

LVDOVICI VII IVNIOR.

Matth. 12.

Ad eundem. EPISTOLA X.

LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum, Bernardus Clarevallis vocatus Abbas, fidelis ſuus, ſalutem à Rege regum, & Domino dominantium, ipſi & dilecta eius & filius eius.* REGNA terræ & iura Regnorum tunc ſanè ſana ſuis dominis atque illæſa perſiſtunt, ſi diuinis ordinationibus ac diſpoſitionibus non reſiſtunt. Cur, Domine, iraſcitur furor tuus contra Dei electum, quem tua quoque ſublimitas ſuſcepit & prælegit, tibi quidem in Patrem, filiò autem tuo in Samuelem? Armatur regia indignatio non planè in extraneos, ſed in ſemetipſum & ſuos. Non mirum ſi, iuxta Scripturam, ira viri iuſtitiam Dei non operatur, quæ propriæ quoq; vtilitatis, ſed indignitatis, ſed ſalutis facit ſæpè vt nec manifeſtũ omnibus aduertas

C periculum, ſentias damnum. Colligitur Concilium. Quid in hoc detrahitur regiæ gloriæ, Regni vtilitatibus? Ibi vniuerſæ Eccleſiæ cõmendabitur ac rememorabitur Excellẽtiæ veſtræ prompta & ſpecialis deuotio: quòd Regum primus, aut certè inter primos rabiei perſequentium eandem matrem veſtram ſtrenuiſſimè & Chriſtianiſſimè defendendo obuiaſtis. Ibi glorioſè ab ingenti illa multitudine debitæ gratiæ referentur vobis, ibi à millibus ſanctorum orabitur pro vobis & veſtris. Aliàs autem quàm ſit hoc tempore neceſſarius Conuentus Epiſcoporum, nullus ignorat, niſi qui durus corde matris Eccleſiæ anguſtias non attendit. At calor, inquiunt, nimius eſt: quaſi nos glacialia corpora habeamus. An corda nobis magis congelata ſunt, & nemo eſt, qui (iuxta Prophetam) compatiatur ſuper contritione Ioſeph? Sed hæc aliàs. Nunc autem ego minimus in Regno veſtro, ſed dignitate, non fidelitate, dico vobis, non expedit velle impedire tantum & tam neceſſarium bonum. Nec deſunt euidentes cauſæ, quibus id manifeſtum facere poſſem, quas & nunc proferre in medium ad manum mihi eſt, niſi quòd ſat arbitror dictum ſapienti. Tamen ſi quid ex Apoſtolicæ auctoritatis rigore proceſſit, vnde ſe meritò eſſe turbatam Celſitudinis veſtræ ſerenitas arbitratur, qualiter hoc ipſum reuocetur, aut temperetur prout oportet ad honorem veſtrum, fideles veſtri qui adhærent totis viribus enitentur. Interim nos quoque, ſi quid poſſumus, non diſſimulabimus.

Edit. 255.

LVDOVICVS VII IVNIOR.

Ad Comitem Theobaldum. EPISTOLA XI. A

Edit. 271. SCIS quia diligo vos, ſed quantum, nouit Deus meliùs quàm vos. Me quoque diligi à vobis non dubito, ſed propter Deum. Quem ſi offendero, non erit quòd me diligere debeatis, cùm iam non fuerit in cauſa Deus. Quis enim ego ſum, vt de me tantillo tantus Princeps curetis, niſi quamdiu Deum in me eſſe credetis? Ergo vt offendam eum, fortaſſis nec vobis expedit. Offendo autem proculdubiò, ſi facio quod requiritis. Nam honores & dignitates Eccleſiaſticas non ignoro deberi his, qui eas dignè ac ſecundum Deum adminiſtrare & velint, & poſſint. Porrò eas acquiri paruulo filio veſtro precibus meis vel veſtris, nec vobis iuſtum, nec mihi tutum eſſe noueritis. Nam nec cuiquam vel adulto plures in pluribus Eccleſiis habere licet, niſi diſpenſatoriè quidem ob magnam vel Eccleſiæ neceſſitatem, vel perſonarum vtilitatem. Quamobrem ſi vobis videtur hic durus ſermo, & placet quod cogitaſtis implere: parcite mihi in hoc. Nam vos ſatis, ni fallor, per vos & per alios amicos veſtros iſtud obtinere poteſtis. Ita nec vos minus quod vultis efficitis, nec ego peccaui. Sanè VVILLELMVLO noſtro cupio benè per omnia, ſed ante omnia Deum. Hinc eſt quòd contra Deum nolo aliquid habeat, ne non habeat Deum. Quòd ſi aliud ſecus voluerit, nolo per me habeat, ne perdam & ego Deum. Vbi verò emerſerit quod ſecundum Deum habere poſſit, probabo me amicum, & operam meam, ſi opus fuerit, non negabo. Apud amatorem iuſtitiæ in excuſando eo quod pro iuſtitia eſt, non multum mihi laborandum. Vos autem apud Comitiſſam per ea quæ vobis reſcripſi, habete me excuſatum. B

LVDOVICO IVNIORI *Regi Francorum.* EPIST. XII.

Edit. 305. SI homo ille de Britannia dimittere vellet adulteram, vt poſſet ſolui anathematis vinculo quo tenetur, vt illa paternam hereditatem ſuam ſecundùm diuiſionem ſuam quam fecit cum fratre ſuo, à vobis requireret, etſi hoc ipſo indigna: non eſſet forſitan recuſandum, vt proindè potentis viri ſeruitium & auxilium haberetis. Alioqnin non eſt conſilium humilitatis fidelis veſtri, concedi vllatenus aut terram extraneo, aut veſtri fauorem dominij excõmunicato & inceſtuoſo: ne (quod Deus auertat) quandóque & vos audiatis: *Si videbas furem currebas cum eo, & cum adulteris portionem tuam ponebas.* Nec tamen verbum præcipitanter & quaſi ex abrupto rumpere conſueſtis. Agendum autem per fidelem & prudentem nuncium, quatenus ſi fieri poteſt, inducietur, & tempus redimatur. Quod ſi & hoc ille renuerit, & malignari maluerit, fidendum in Domino quia non præualebit: quoniam quidem iuſtitia, quæ cum Rege eſt, erit pro Rege. Neſcio autem an Epiſcopus ad hoc conueniens ſatiſque idoneus ſit: non quia fidelis non ſit, & quidem fideliſſimus, ſed quia odit illum, nec ſuum, vt vereor, conſilium credit ei. Ipſe tamen paratus eſt pro veſtra voluntate ad omne, quod cum Dei voluntate facere poterit. Si quid eſt quod quaſi ex parte mea vobis ſecreti ſuggerat, à me hoc illum accepiſſe ſciatis, & tanquam ex ore meo id accipiatis. Homo eſt enim quem multum diligo, & ſatis credo ei, vóſque illi, ni fallor, credere quod volueritis ſecurè poteſtis. C

EPISTOLA XIII.

Edit. 356. AMANTISSIMO *Patri Petro Dei gratiâ venerabili Cluniacenſi Abbati, Frater Bernardus de Claraualle ſalutem, & quas poteſt orationes.* GRAVEM nimis ac miſerabilem Orientalis Eccleſiæ gemitum ad aures veſtras, imò ad ipſa etiam penetralia cordis arbitror perueniſſe. Dignum quippe eſt vt ſecundum magnitudinem veſtram, magnum exhibeatis eidem veſtræ & omnium fidelium matri compaſſionis affectum, præſertim tam vehementer afflictæ, tam grauiter periclitanti. Dignum, inquam, vt tantò ampliùs comedat vos zelus domus Dei, quantò ampliorem in ea locum ipſo auctore tenetis. Alioquin ſi duramus viſcera, ſi obduramus corda, ſi plagam hanc parui pendimus, nec dolemus ſuper contritione: vbi noſtra in Deum charitas, vbi dilectio proximorum? Imò verò, ſi non ſatagimus quanta poſſumus ſollicitudine, conſilium aliquod & remedium tantis malis tan-

A tiſque peticulis adhibere: quomodo non ingrati conuincimur eſſe Dei, qui abſcondit nos in die malorum, in tabetnaculo ſuo? Iuſtiùs perindè & vehementiùs puniendi, vt pote tam diuinæ gloriæ, quàm fraternæ ſalutis negligentes. Hæc vobis tam fiducialiter, quàm familiariter duximus ſuggerenda: ob gratiam vtique, qua noſtram indignitatem excellentia veſtra dignatur. Nam & Patres noſtri Epiſcopi Franciæ vnà cum Domino Rege & Principibus tertia die Dominica poſt Paſcha apud Carnotum vrbem venturi ſunt, & de vetbo hoc tractaturi: vbi vtinam mereamur habere præſentiam veſtram! Quia enim magnis omninò magnorum vitorum conſiliis hoc vetbum conſtat egere, gratum profectò obſequium præſtabitis Deo, ſi negotjum eius non duxetitis alienum, ſed charitatis veſtræ ptobaueritis zelum in opportunitatibus, in tribulatione. Noſtis enim, Patet amantiſſime, noſtis, quoniam amicus in neceſſitate probatut. Confidimus autem quòd magnum huic verbo prouentum præſentia veſtra præſtabit, tum pro auctotitate ſanctæ Cluniacenſis Eccleſiæ, cui Deo auctore præeſtis, tum maximè pto ſapientia & gratia, quam vobis ipſe donauit ad vtilitatem vtique proximotum, & ſuiipſius honorem. Qui vobis etiam nunc inſpitare dignetut, vt non grauemini venire, & ſeruis ſuis in nomine eius, & pro zelo ipſius nominis congregandis, veſtram admodum deſidetabilem conferte præſentiam.

LVDOVICVS VII IVNIOR.

B EPISTOLA XIV.

DOMINO *Sugerio Abbati beati Dionyſii, Frater Bernardus de Claraualle, ſalutem & orationes.* Edit. 365. SIC ſcripſi ad Dominum Regem. Opus grande & onus inæſtimabile ſuſcepiſtis, quod à nemine niſi diuina virtute poſſit portari. Supra vires eſt hominis negotium veſtrum. Sed Deo facile eſt, quod hominibus eſt impoſſibile. Si hæc ſcitis, cauendum vobis ſummopere eſt, ne qua occaſione tam neceſſarium repellatis auxilium; ne qua ſuggeſtione Deum offendatis, & gratiam eius vobis reddatis infenſam! Cauendum, inquam, nunc maximè, ne quando prouocatus à vobis iraſcatut Deus, & auertat faciem ſuam à vobis, ac manum trahat adiutorij. Siquidem peticulum hoc non ad ſolum Regem ſpectat, ſed ad vniuetſam Eccleſiam Dei: quia ex hoc iam veſtra & totius mundi vna eſt cauſa. Quorſum hæc tendant, audite. Feſtino quidem ad vos, ſicut vbi hæ Litteræ, alius iam Litteris, vigiliam beatæ Mariæ Magdalenæ Lauduni facturus. Sed præmonere vos & ptæmunire curaui. Audiui enim quòd feſtinet Comes Andegauenſis alligare vos fide & ſacramento, ſuper matrimouio contrahendo inter filium ſuum, & filiam veſttam. At hoc quidem non tantùm non expedit, ſed non licet, non modò alias ob cauſas, ſed quia titulus conſanguinitatis id prohibet, ſicut veridica atteſtatione cognouimus, matrem Reginæ & puerum iſtum, filium Comitis Andegauenſis, in tertio conſanguinita-
C tis gradu inueniri. Propter quod omnimodò monemus, ne faciatis hanc rem: ſed timeatis Deum, & declinetis à malo. Ptomiſiſtis vos nulla ratione ſine conſilio noſtro id facturum: & ſi diſſimulauero, ipſe peccaui. Hoc ergo conſilium noſtrum, vt nullomodo id faciatis. Si feceritis, ſciatis vos & contra conſilium noſtrum, & contra conſilium multorum diligentium nomen veſtrum, & etiam contra Deum feciſſe. Et nolite putare quòd acceptum ſit Deo ſacrificium veſtrum, cùm ſit ex parte: vt pro alieno ſollicitus Regno, proprio non parcatis, diſponendo illud contra Deum, contra ius & fas, & contra vtile atque honeſtum. Liberaui animam meam: liberet & veſtram Deus à labiis iniquis, & à lingua doloſa.

EPISTOLA XV.

REVERENDO *Patri & amico noſtro chariſſimo Sugerio Dei gratiâ Abbati ſancti Dionyſij, Frater Bernardus Claraualllenſis vocatus Abbas, ſalutem & qualeſcumque noſtras orationes.* Edit. 366. AD Litteras paternitatis veſtræ reſpondere breuiùs, temporis anguſtiæ coëgerunt. Iam enim aduesperaſcebat ea die, qua Litteras

LVDOVICVS VII. IVNIOR. illas accepi : & neceſſe erat ſeqnenti die ad Ciſtercienſe Capitulum proficiſci. A
Proindè reſpondeo breuiter, & volo vt omninò longè fiat à vobis, ne aliquando veniat in cor veſtrum, quod de vobis vllo modo crediderim, veſtro conſilio & voluntate fieri mala, quæ plangimus. Verùm vnum fuit, quia zelo vrgente ductus, ipſum vobis zelum exprimere, imò & imprimere atque ingerere laborabam, vt veſtram quoque ſanctitatem inflammaret affectus. Alterum fuit, quòd licèt benè ſentirem de conſcientia veſtra, plurimum tamen contriſtabar de fama, & ſcandalo, quod eſt in Eeclesia Dei. Quòd ſi acquieſcere nolunt maximè in huiuſmodi rebus: quid facietis inter eos? Quare de vobis illi ſe pallianr? Nónne oportet vos omninò alienare à ſacrilegis illis, & longè fieri ab eis? vt
Pſal. 1. ſecuri de conſcientia, decantetis: *Odiui Eccleſiam malignantium, & cum impiis non ſedebo.* vt nouerit omnis Eccleſia Sanctorum, alienam ab eorum numero & conſortio veſtram innocentiam eſſe. Proinde memoramini principium loquendi Do-
Pſal. 25. mino, in Propheta, & innenietis beatum virum eſſe qui non abiit in conſilio impiorum. Illud autem eredatis, nunquam malè me ſenſiſſe de vobis. Noui enim vos, & puritatem veſtram. Valete, & orate pro nobis.

PETRI VENERABILIS B

ABBATIS CLVNIACENSIS

EPISTOLÆ HISTORICÆ.

EPISTOLA I.

Edit. Lib. II. Epiſt 32. NOBILISSIMO *Principi & chariſſimo amico noſtro domno* AMEDEO *Comiti & Marchioni, Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, ſalutem & æterni participium principatus.* GLORIOSVS Rex Francorum LVDOVICVS, & antè miſerat, & nunc iterùm nobis miſit Nuncios ſuos: quos & vobis dirigi, & per manum noſtram quod à vobis petierint impleri, rogauit. Qui quamuis per ſeipſum, vt pote inſignis flos & præfulgidum germinis veſtri ſidus, cuncta quæ voluerit apud vos debeat obtinere: quia tamen me precum ſuarum mediatorem elegit, rogo vt ſicut ipſe hoc per me petendo, efficaciùs ſe impetrare confidit, ita vos largiendo, non fruſtra eum iſtud ſperaſſe monſtretis. Cùmque ipſe ſuperna gratiâ & Regni ter- C
minos penè duplicando, & iuueniles annos virtutibus adornando, ſumma veſtri generis gloriâ ſit: non debet aliquam in precibus ſuis pati repulſam, cui & regia magnitudo, & ſanguinis communio, cuncta de vobis ſperare ſuadent. Et cùm deriuaro à patre nomine, Regis patruus dicamini: decet vos & eius Regno conſulere, & ipſi vt filio in omnibus prouidere. Quod vtrumque ſimul implebitis, ſi eum in præſenti negocio audieritis. Sed nolui illud his, quas mitto, Litteris inſerere, quia pleniùs id ab ore nunciantis, quàm à manu ſcribentis, accipere poteritis. Hoc poſtquàm agnoueritis, quod tamen & iam audiſtis, oro ne innocenti puero parrum peccata, ne Reginæ vel Regalium aulico-
Ezech. 18. rum veteres forſitan culpæ, nouo Regi noceant: quia iuxta diuinam Prophetæ ſententiam, *Non portabit filius iniquitatem patris, nec pater iniquitatem fily.* Date operam, quod & facere pro cunctis mortalibus, natura ipſa compellente, debetis, profectibus & honori ipſius: quoniam & in profectu eius vos proficere, & honorem ipſius vobis, vt credo, gloriam parere ſentietis.

A

EPISTOLA II.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

SVMMO *Pontifici & noſtro ſpetiali Patri Domino Papæ* INNOCENTIO, *Frater Petrus humilis Cluniac. Abbas, obedientiam & amorem.* SI quid minus ſapienter dixero, rogo vt pietas paterna ſupportet. Nam fortaſſis ineptum eſſe poterit, ſed indeuotum erga vos eſſe non poterit. Pro Domino Rege Franciæ, magno, nobili, & ſpeciali filio veſtro, benignitatem Apoſtolicam deprecor: vt quia non ſolùm Rex eſt, non ſolùm magnificus rector Chriſtiani populi eſt, ſed etiam quia opus manuum veſtrarum eſt, quem ad Regnum prouexiſtis, quem factis manibus veſtris inunxiſtis, quem Gallis noſtris potentiorem patribus Regem deſignaſtis: ſi quid fortè adhuc vt ætate iuuenis inconſultè egit; ei condeſcendatis, & eius fortè errorem ſapientiæ veſtræ velamine contegatis. Eſt enim patris, vt filij, & maximè tanti, & errorem emendet, & honorem conſeruet. Hoc pro diſcidio, quod inter ipſum & dominum Bituricenſem Archiepiſcopum eſt, dico. Eſt enim, ſicut ſenſi, res non leuis; & ne de graui incœpto grauiorem vergat in exitum, multum cauenda. Spiritus autem conſilij, qui ſpirat vbi vult, qui per vos Eccleſiæ ſuæ per totum Orbem diffuſæ aſſiduè conſulit: etiam nunc per vos Regno Franciæ non vili portioni Eccleſiæ ſuæ conſulat: & tam de his, quàm de omnibus, vnctio eius cor veſtrum edoceat. Nam non eſt meum vltra procedere, vel ſapientiam veſtram, cui per Dei gratiam vtile conſilium non deeſt, quid in iſto negocio agendum ſit, edocere. Præterea notum facio, Luxouienſe Monaſterium, cui anno præterito per Fratres noſtros Cluniac. prouidere voluiſtis, & verè, ſed breui tempore prouidiſtis, in deteriorem ſtatum quàm priùs fuerat relapſum, omni penè monaſtica Religione & obſeruantia deſtitutum, parum à ſecularibus differre: in tantum vt quod priſcis temporibus cuncta Galliarum Monaſteria anteibat, nunc penè vniuerſa vix à longè ſequi videatur. Additur ad hoc malum hebetudo, ne dicam ſtultitia, Paſtoris: qui ita gregi proprio præeſt, vt iam ferè de Abbate nihil ei niſi nomen ſuperſit. Quid plura dicerem? *Omne caput languidum, & omne cor mærens: à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eo ſanitas.* Prouideat pater filiis.

Edit. Lib. 1. Epiſt. 35.

B

Eſai 1.

EPISTOLA III.

DILECTO, *& per omnia diligendo ac venerando amico noſtro, domno Sugerio Abbati ſancti Dionyſij, Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, ſalutem.* O infelix ſors hominum, & ſi dici fas eſſet, fortuna miſeranda! Video ſæpè inuitis oculis quod videre nollem. Videre non poſſum ſaltem per multa ſecula ſemel, quos aſſiduè cernere exoptarem. Ad quid iſtud? inſtant & aſtant mihi ſæpè ſeculares, & duri rerum ſecularium exactores: quos ſi poſſem, vt dixi, ſummo ſtudio euitarem. Dilectum verò meum illum, illum inquam meum etiam antequam meum, dilectum Abbatem ſancti Dionyſij, & ante vtriuſque Abbatiam mihi charum, & poſt de charo chariſſimum factum, nec poſt longa tempora videre poſſum. Retinet eum Francia, noſtræque ſemper illum Burgundiæ inuidet: vt nunquam illum apud Cluniacum niſi ſemel videre potuerim. De hoc igitur familiarem querelam depono, gratias quas poſſum agens, quòd licèt ſeipſum nobis ſubtraxerit, beneficia tamen multimoda exhibere non deſinit. Atteſtantur hoc Fratres noſtri in veſtris partibus commorantes: dicentes in cauſis & neceſſitatibus ſuis, non modò Patrem Monaſterij ſancti Dionyſij, ſed & ſuum Cluniac. in vobis inueniſſe Abbatem. Doleo indè tamen, non quia vos ſemper nobis gratis gratus: ſed quia nos nil inuenientes quod rependere poſſimus, veſtris beneficiis ſemper videmur ingrati. Interim rogo quantum poſſum, & ſupplico, vt vel Dei, vel amicitiæ, vel Regni veſtri, in cuius vltimis partibus conſtituti ſumus, occaſione, in Cluniaco veſtra ante proximè futuram hyemem vos videamus. Credo & ſi veneritis, quia, iuxta prophetiam, non tantùm in futura vita, de qua hoc dictum eſt, ſed etiam in præſenti gaudium & lætitiam videbitis, & gaudebitis, & lætabitur cor veſtrum.

Edit. Lib. 4. Epiſt. 15.

C

A

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA IV.

Edit. Lib. 4. Epiſt. 36.

ILLVSTRI *ac magnifico Principi, Domino* LVDOVICO *glorioſo Regi Francorum, Frater Petrus humilis Cluniacenſium Abbas, feliciter hic regnare, Regémque Regum in regno ac decore ſuo videre.* LICET Regis æterni militiam, quam per te Regem terrenum contra inimicos crucis ſuæ armare diſpoſuit, ad peregrina euntem comitari non valeam: deuotione tamen, oratione, conſilio, & auxilio, quali quantóve potero, proſequi concupiſco. Nec mirum. Quis enim vel vltimus Chriſtiano nomine inſignitus, ad tantam tamque ſtupendam exercitus Domini Sabaoth commotionem non moueatur? quis ad iuuandam pro modulo ſuo, totis animi conatibus, cœleſtem expeditionem non accingatur? Renouantur iam noſtro tempore antiqua ſecula, & in diebus nouæ gratiæ, vetuſti populi miracula reparantur. Proceſſit de Ægypto Moyſes, Regéſque Amorrhæorum cum ſubiectis populis deleuit. Succeſſit ei Ioſue, Regéſque Chananæorum cum infinitis gentibus Dei iuſſu proſtrauit, terrámque illam, extinctis impiis, illi tunc Dei populo ſorte diuiſit. Egrediens ab vltimis occiduæ plagæ finibus, immo ab ipſo ſolis occaſu, Rex Chriſtianus, Orienti minatur, & nefandam Arabum vel Perſarum gentem, ſanctam Terram rurſum ſibi ſubiugare conantem, cruce Chriſti armatus aggreditur. Magni quidem & vitæ ſanctitate modernos Principes ſuperantes enituerunt illi Principes Iudæorum: non tamen modo quodam potiores, immò fortaſſis inferiores videntur hoc Rege Chriſtianorum. Delent illi B iuſſu Dei, vi bellica prophanos populos, terráſque eorum vindicant Deo ac ſibi. Delebit & iſte nutu, iuſſúque eiuſdem Dei, hoſtes veræ fidei Sarracenos, terráſque eorum ſubiugare laborabit Deo, non ſibi. Implent illi præcepta diuina, ſpéque terrenæ mercedis ex quadam parte militaribus rebus inſudant. Exponit iſte, & immolat Deo Regnum, opes, vitámque ipſam: non vt aliquid terreni Rex magnus in mundo lucretur, ſed vt poſt mortalis Regni defectum à Rege regum honore & gloria coronetur. Non deſtituet ergo certa ſublimiſque victoria Regem, magiſque cœleſtibus quàm terrenis armis munitum: nec exercitui Dei viuentis quantalibet Orientalis Barbaries reſiſtere præualebit. Quis enim eis reſiſtere poſſit, qui honores, qui diuitias, qui voluptates, qui ipſam cum parentibus patriam, etſi omninò relinquentes, Chriſtum ſuum ſequi: ipſi laborare, ipſi pugnare, ipſi mori, ipſi viuere elegerunt? Quis, inquam, poteſt illius exercitui obſiſtere in terra, qui dixit de ſeipſo:

Matth. vlt.

Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra? Quam poteſtatem licèt in homine, quem cauſa hominum ſuſcepit, à Deo acceperit: hanc tamen ab æterno vt Deus verus habuit. Sed quid proderit inimicos Chriſtianæ ſpei in exteris aut remotis finibus inſequi, ac perſequi: ſi nequam blaſphemi, longè Sarracenis deteriores Iudæi, non longè à nobis, ſed in medio noſtri, tam liberè, tam audacter, Chriſtum, cunctáque Chriſtiana Sacramenta impunè C blaſphemauerint, conculcauerint, deturpauerint? Quomodo zelus Dei comedet filios Dei, ſi ſic prorſus intacti euaſerint ſummi Chriſti ac Chriſtianorum inimici Iudæi? An excidit à mente Regis Chriſtianorum, quod olim dictum eſt à quodam ſancto Rege Iudæorum?

Pſal. 138.

Nonne, ait, *qui oderunt te, Domine, oderam: & ſuper inimicos tuos tabeſcebam? Perfecto odio oderam illos.* Si deteſtandi ſunt Sarraceni, quia quamuis Chriſtum de Virgine vt nos natum fateantur, multáque de ipſo nobiſcum ſentiant: tamen Deum Deíque filium, quod maius eſt, negant, mortémque ipſius ac reſurrectionem, in quibus tota ſumma ſalutis noſtræ eſt, diffitentur: quantum execrandi & odio habendi ſunt Iudæi, qui nihil prorſus de Chriſto vel fide Chriſtiana ſentientes, ipſum virgineum partum, cunctaque redemptionis humanæ ſacramenta abiciunt, blaſphemant, ſubſannant? Nec ad hoc iſta dico, vt Regalem vel Chriſtianum gladium in necem nefandorum illorum exacuam: quia ſcriptum de eis in Pſalmo diuino recolo, loquente ſic in ſpiritu Dei Propheta.

Pſal. 58.

Deus, inquit, *oſtendit mihi ſuper inimicos meos, ne occidas eos.* Non vult enim Deus prorſus occidi, non omninò extingui: ſed ad maius tormentum & maiorem ignominiam, vt fratricidam Cain, vitâ morte deteriore ſeruari. Nam cùm Cain poſt fraterni ſanguinis effuſionem Deo diceret: *Omnis qui inue-*

A *nerit me, occidet me:* dictum eſt ei. *Non*, inquit Deus, *vt æſtimas, morte morieris. Sed gemens & profugus eris ſuper terram, quæ aperuit os ſuum, & ſuſcepit ſanguinem fratris tui de manu tua.* Sic de damnatis damnandiſque Iudæis, ab ipſo paſſionis mortiſque Chriſti tempore, iuſtiſſima Dei ſeueritas facit, & vſque ad ipſius mundi terminum factura eſt: Qui quoniam Chriſti ſanguinem, vtique iuxta carnem fratris ſui, fuderunt: ſerui, miſeri, timidi, gementes, ac profugi ſunt ſuper terram, quouſque iuxta Prophetam, miſeræ gentis reliquiæ, iam vocata gentium plenitudine, conuertantur ad Deum: & ſic ſecundum Apoſtolum, omnis Iſraël ſaluus fiat. Non, inquam, vt occidantur admoneo, ſed vt congruente nequitiæ ſuo modo puniantur, exhortor. Et quis congruentior ad puniendos illos impios modus, quàm ille quo & damnatur iniquitas, & adiuuatur charitas? Quid iuſtius, quàm vt his, quæ fraudulenter lucrati ſunt, deſtituantur: quæ nequiter furati ſunt, vt furibus, & quod peius eſt, hucuſque audacibus & impunitis, auferantur? Quod loquor, omnibus notum eſt. Non enim de ſimplici agricultura, non de legali militia, non de quolibet honeſto & vtili officio horrea ſua frugibus, cellaria vino, marſupia nummis, arcas auro ſiue argento cumulant: quantum de his, quæ vt dixi, Chriſticolis doloſè ſubtrahunt, de his quæ furtim à furibus empta, vili precio res chariſſimas comparant. Si fur nocturnus Chriſti thuribula, ipſas etiam ſacras cruces, vel conſecratos calices aſportauerit: cùm Chriſtianos fugiat, ad Iudæos confugit, & apud eos damnabili ſecuritate ſecutus, non ſolùm latibula fo-
B uet, ſed & quæ ſacris Eccleſiis furatus fuerit Satanæ Synagogis vendit. Diſtrahit vaſa corporis ac ſanguinis Chriſti, occiſoribus corporis, & effuſoribus ſanguinis Chriſti: qui & tunc eum inter mortales conuerſantem quantis poterant contumeliis & iniuriis affecerunt, & nunc in Maieſtate diuinitatis æternæ ſedentem quantis audent verborum blaſphemiis laceſſere non deſiſtunt. Nec ſacra illa vaſa, quæ penes ipſos, ſicut olim penes Chaldæos, modo quo prædixi captiua tenentur, licèt ſint inſenſibilia, iniuriarum expertia ſunt. Sentit planè in his, quæ non ſentiunt, ſibi ſacratis vaſis, Iudaïcas adhuc contumelias Chriſtus: quia, vt ſæpè à veracibus viris audiui, eis vſibus cœleſtia illa vaſa ad eiuſdem Chriſti noſtrúmque dedecus nefandi illi applicant, quos horrendum eſt cogitare, & deteſtandum dicere. Inſuper, vt tam nefarium furum, Iudæorúmque commercium tutius eſſet, lex iam vetuſta, ſed verè diabolica, ab ipſis Chriſtianis Principibus proceſſit: vt ſi res Eccleſiaſtica, vel quod deterius, aliquod ſacrum vas, apud Iudæum repertum fuerit: nec rem ſacrilego furto poſſeſſam reddere, nec nequam furem Iudæus prodere compellatur. Manet multum ſcelus deteſtabile in Iudæo, quod horrenda morte ſuſpendij punitur in Chriſtiano. Pingueſcit indè, & deliciis affluit Iudæus, vnde laqueo ſuſpenditur Chriſtianus. Auferatur ergo, vel ex maxima parte imminuatur, Iudaïcarum diuitiarum malè parta pinguedo, & Chriſtianus exercitus, qui vt Sarracenos expugnet, pecuniis vel terris propriis, Chriſti Do-
C mini ſui amore non parcit, Iudæorum theſauris tam peſſimè adquiſitis non parcat. Reſeruetur eis vita, auferatur pecunia: vt per dextras Chriſtianorum adiutas pecuniis blaſphemantium Iudæorum expugnetur infidelium audacia Sarracenorum. Seruiant populis Chriſtianis, etiam ipſis inuitis, diuitiæ Iudæorum. Sicut olim, cùm Deo placerent patres eorum, Deo iubente, ſunt eis ad ſeruiendum traditæ diuitiæ Ægyptiorum. Hæc tibi, benigne Rex, ſcripſi amore Chriſti, tuíque atque exercitus Chriſtiani: quia & ſtultum eſſet, nec offenſâ, vt arbitror, diuina careret, ſi ſacræ expeditioni, cui iuxta congruentem modum impendendæ ſunt res Chriſtianorum, multò ampliùs non ſeruirent pecuniæ prophanorum.

LVDOVICVS VII IVNIOR.

Geneſ. 4.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA PETRI
ABBATIS CELLENSIS.

Edit. Epiſt 5. VENERANDO *Patri & Domino Dei gratiâ vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Frater Petrus Cellæ ſancti Petri Trecenſis humilis Abbas, quicquid poteſt.* QVI noſtram humilitatem alicuius momenti apud ſublimitatem veſtram reputant, vtinam ſpei ſuæ fructum in effectu precum ſuarum inueniant. Hinc enim & veſtra benignior apparebit dignatio, & noſtra confortabitur de vobis gloriatio, & amicorum pro impetratis gratioſior erit exultatio. Amici noſtri, immò veritatis & honeſtatis, ſunt iſti, R. Archidiac. & Magiſter H. qui pro Præpoſitura Sueſſionenſis Eccleſiæ D. GVILLELMO concedenda, pietatem & prouidentiam veſtram adeunt. Guillelmus verò iſte quàm de magno genere, immò quam de bono ſit, vel cuius filius fuerit, exprimerem: niſi virtutes & probitatem patris eius in omni genere virtutum adhuc in Curia Romana ſpirare ſperaſſem. Certè quod optabilius eſt, nec ramuſculus ipſe à radicis pinguedine paternæ degenerat. Talem itaque ſuſcitare in Eccleſia Dei cùm omninò expediat, quia multi inſurgunt aduerſus eam dicentes, Non eſt ſalus ipſi in Deo eius; non reſpuat dextera B Dei & beati Petri, & veſtra: quia faciet fructum iuxta genus ſuum; quòd omni obſequio & obedientia ſemper obtemperauerit præceptis Curiæ Romanæ & ſummorum Pontificum. Habet autem & duo brachia præclara & fortiſſima, quibus poterit releuare incuruantem, & rebellare refrænantem, quibúſque vmbraculum Dei protegat à turbine & à pluuia. Comes HENRICVS, & Comes ſiue Dapifer Regis THEOBALDVS, hi fratres eius ſunt, & erunt ei in omni auxilio & conſilio. Valete.

PETRI BLESENSIS,
BATHONIENSIS IN ANGLIA ARCHIDIACONI

EPISTOLÆ III.

C

Edit Epiſt. 27. GVILLELMO *Senonenſi Archiepiſcopo, & Apoſtolicæ Sedis Legato,* ROTHRODVS *Rothomag. ſalutem & ſpiritum compaſſionis afflictis impendere.* SI ad memoriam reducantur Eccleſiæ naſcentis exordia, ſicut inter credentes erat vnitas in fide, in ſpiritu, in baptiſmo: ſic in vnum facultatibus contributis, vnum erat omnibus votum, releuare pauperum indigentias, & omnium neceſſitates tanquam proprias reputare. Vna ſiquidem & indiuiſa eſt Domini tunica: nec vnquam paſſa eſt diuorcium ſponſa Chriſti, nec contumelias pellicis alienæ ſuſtinuit, cuius vnitatem ſponſus in Canticis atteſtatur dicens: *Vna eſt columba mea, dilecta mea.* Cant. 6. 8. Noluit eam numeroſa pluralitate cenſeri. Licèt enim plures ſint Eccleſiæ, ſic tamen in vnius compagem corporis vniuntur, vt ſicut vnius membri læſione membra corporis omnia quodam compaſſionis participio moleſtantur, ſic vnius Eccleſiæ deſolatio in communem gemitum conuertatur. Cùm itaque in vinculo caritatis ſingularitas locum non habeat, ſed in diſpendium commune redundet quicquid toleratur à ſingulis, quia ex præſenti Regum diſcordia exitialem Eccleſiæ Rothomagenſi videmus imminere ruinam, ad veſtram gratiam deuolamus: de cuius dilectione & prudentia pleniorem in Chriſto fiduciam reportamus. Vos enim eſtis, in cuius conſilio & auxi-

A xilio potiſſimam ſuæ ſalutis anchoram nauicula beati Petri conſtituit: cùm inter ſchiſmaticæ perſecutionis fluctus periculoſiùs æſtuaret. Vobis contulit Deus in pueritia ſuper ſenes intelligere, & futuram naturæ canitiem maturiore morum ſenio præuenire. Fluxus adoleſcentiæ motus in vobis ratio magiſtra cohibuit, vt omni laſciuiæ libertate præſciſa, nec forma, nec nobilitas, nec opum exuberantia, nec poteſtas, nec cetera quibus pudicitia expugnatur, propoſitum interuerterent caſtitatis, ſed modeſta in omnibus conuerſatio plus Angeli quàm hominis exhiberet. Ceteras virtutes, quibus miraculoſè fulgetis, ſub ſilentio præterimus. Nec enim noſtra præconia mendicatis, cuius honeſtatem & prudentiam fama celebris latiſſimè promulgauit. Ad noſtras & Eccleſiæ noſtræ preſſuras reuertimur, quibus nos hoſtilitas circumuallat. Scitis enim, qualiter in Normannorum perniciem Francia tota coniurauerit: nec imminentis ruinæ diſpendium Rothomagenſis Eccleſia declinabit, niſi veſtræ Altitudinis ope & conſilio fulciatur. Si ergo ad præfatam Eccleſiæ vnitatem reſpiciatis, veſtrum eſt auertere quod timemus, neceſſitates noſtras omni præuenire cautela: quatenus caritas non ficta, & amica compasſio ſe talem alienis negotiis impendat, qualem ſe propriis exhiberet. Recordetur Dominus Rex Francorum, Rothomagenſem Eccleſiam ſuam eſſe, quæ pro illo aſſiduè, tanquam pro Rege ſuo vnico, ſpecialiter interpellat, ſuáſque facultates omninò de eius iuriſdictione cognoſcit. Regiæ Maieſtati non congruit depopu-
B lari quod ſuum eſt, aut illas expugnare Eccleſias, quarum tutor eſt & patronus. ſi nos alius infeſtaret, ab ipſo, non aliundè remedium quæreremus. Andeliacum ergo, & alias poſſeſſiones noſtras, ipſius & veſtræ protectioni committimus & tutelæ. Sane cùm de diſcretione & conſilio veſtro diſpoſitio Regni Francorum tota dependeat, cùm in manu veſtra corda ſint Regum, & ad veſtræ ordinationis arbitrium populi inclinentur: vobis incumbit, quæ ad pacem ſunt quærere, vel, ſi hæc diſſenſio ad pacem reformari non poteſt, ſaltem res Eccleſiaſticas, quas veſtræ tuitioni commiſimus, ab incurſibus bellicis liberare. Cúmque Andeliacum nobis & commenſalibus noſtris vnicum ſit viuendi ſubſidium, villæ noſtræ parcite, ſi vultis parcere vitæ noſtræ.

EPISTOLA II.

HENRICO *Dei gratiâ illuſtri Regi Anglorum*, ROTHRODVS *Rothomagenſis Archiepiſcopus, & Arnulfus Lexouienſis Epiſcopus, ſalutem in eo, per quem Reges regnant.* TANTO tempeſtiuiùs ac diligentiùs iniunctam nobis Legationem duximus proſequendam, quantò periculoſior in tanto diſcrimine dilatio videbatur. Accincti itaque ad laborem ſuſcepti itineris, Regem Francorum adiuimus, blandiſſimáque ſalutatione præmiſſa ipſius præuenientes offenſam, nulla cautela potuimus veſtræ ſalutationis extorquere reſponſum. Singulos noſtræ Legationis ar-
C ticulos explicauimus ſeriatim, commoda pacis; & incommoda diſſenſionis frequentiùs inculcantes. Ipſe verò verbum noſtrum in omnibus, ſola ſalutatione excepta, patienter admiſit. Expedito itaque diligenter noſtræ Legationis excurſu, ſpacio modici temporis interiecto contumelioſè cœpit nobis fraudes & verſutias exprobrare, quibus ſe conquerebatur ſæpiſſimè circumuentum. Dicebat, quòd fidem inter vos mutuò compromiſſam frequenter occaſione leuiſſima violaſtis: vóſque in omnibus adeò exhibuiſtis inſtabilem, quòd non adhibebit de cetero vobis fidem. Non ſit vobis, Rex illuſtriſſime, oneroſum, ſi quod audiuimus, loquimur. Hæc eſt enim Nunciorum conditio, vt de iniuncto ſibi mandato nil ſubticeant, nil reſcindant, vel diminuant de reſponſo. Addebat etiam, ſe firmiſſimum habuiſſe propoſitum expugnandi vos, antequàm Carnotum filius veſter aduentaſſet: iſtáſque occaſiones diſſenſionis & odij proponebat, quòd filiam ſuam ad virum ſuum redire non ſinitis, quòd ei dotem eius non redditis, quòd ſubditos ſuæ ditioni populos à montibus Aluerniæ vſque ad Rhodanum in ipſius odium concitaſtis, quòd in Coronæ ſuæ diſpendium Comitem Sancti Egidij in ligium hominem recepiſtis. Tandem etiam iuramento firmauit, ſe nunquam de cetero vobiſcum fœdus, aut concordiam habiturum, niſi de veſtræ vxoris, & filiorum veſtrorum aſſenſu. Nunc igitur in cuſtodiendis munitionibus veſtris, & potiſſimè in corporis veſtri tutela, conſilio eſt vtendum. Communi enim voto in exitium veſtrum tota Francia con-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

Edit. 153;

LVDOVICVS VII. IVNIOR. ſpirauit. Nec ſatis eſt ei exterminare terræ faciem igne & gladio: ſed in veſtram A perſonam, quod abſit, ſcelus execrabile machinatur. Conſulimus ſanè, ſi qua abſtuliſti, ſi læſiſti aliquem, ablata reſtituere, & odia reformare in gratiam. Hoc enim inimicos veſtros potiſſimè inuitat ad pugnam, quòd inteſtinos hoſtes ſentiunt vos habere: & qui vobiſcum dulces capiunt cibos, data opportunitate magnificabunt ſuper vos ſupplantationem. Maledictus qui confidit in homine, & ponit carnem fortitudinem brachij ſui. Quid eſt amabilius filiis? quid vxore familiarius? Receſſit tamen vxor à latere veſtro, & filij inſurgunt in patrem. Ideò non fruſtratoriè loquebatur hic ille hominum prudentiſſimus, qui dicebat: *Amico ne credas. Ab ea quæ dormit in ſinu tuo cuſtodi clauſtra oris tui. Filius enim contumeliam facit patri: & inimici hominis domeſtici eius.* Sanè ſuffragia illius imploranda cenſemus, in cuius manu ſunt corda Regum. In eius nomine patuit ati Dauid Goliæ ſubiacuit magnitudo. In eius nomine Samaria adeò fame confecta obſidente Benadab, quòd triginta argenteis caput aſini vendebatur, ſub ictu oculi liberata eſt, exuberantique victualium affluentia redundauit. In eo ſiquidem ſperans non infirmabitur. Si exurgat aduerſus vos prælium, in hoc ſperate. Si exurgant aduerſus vos caſtra, non timebit cor veſtrum. Ipſe enim docebit manus veſtras ad prælium. Accipite vobis in auxilium preces Eccleſiæ: quam, ſi in aliquo offendiſtis, debita ſatisfactione impenſa, ei de cetero omnem reuerentiam exhibete. Sponſa enim Chriſti eſt, & iniurias ſponſæ Chriſtus reputat ſuas. nec eſt, quod magis hoſtes veſtros incitat ad conflictum, quàm quòd arbitrantur vos Eccleſiæ Dei minus extitiſſe deuorum. Benè valeat cariſſimus Dominus noſter, & de his qui ſe contra eum in ſuperbia & abuſione erigunt reportet in virtute Altiſſimi gloriam & triumphum. B

Mich. 7. 5. 6. Matth. 10. 36.

EPISTOLA III.

Edit. 165

ROTHRODVS *Dei gratiâ Rothomagenſis Archiepiſcopus cariſſimis amicis ſuis E. Priori de Caritate, & vniuerſo Conuentui, ſalutem in eo qui ſalus eſt omnium.* Cùm ſuper impenſis olim obſequiis vobis teneamur multipliciter obligati, cumulatiùs tamen redundat ad meritum, quòd de tribulatione noſtra vocatis nos in quietem, quòd ad omne obſequium liberaliter vos offertis. Et quidem, ſi nulla diſſenſio Normanniam turbaſſet, ſi plena pace frueremur, ad vos anima noſtra totis niſibus anhelaret: ne dum hac tempeſtate, cùm apud vos conuerſari beatitudinem reputemus, & imaginem alterius paradiſi. Nihil eſt quod noſtras anguſtias hodie grauiùs exacerbet, quàm & recordatio, & amiſſio quietis illius, quam vobiſcum duximus: inter vos tanquam extra ſeculum, tanquam inter Angelos conuerſantes. Nunc itaque ad noſtrorum votorum plenitudinem accederet, facere quæ rogatis, ſi ſine prægrandi & enormi ſcandalo poſſet fieri. Sed in hac ſtrage publica deſolatas oues relinquere, potius eſſet mercenarij, quàm Paſtoris. Non dicimus, quòd hoſtibus velimus occurrere, qui hoſtes non videmus, qui dominos noſtros aſpicimus vtrobique, qui Domini Regis Francorum & Domini Regis Anglorum, & iunioris Regis filij ſui eminentiæ tenemur obnoxij & deuoti. Si pacis reformatores eſſe non poſſumus, ſaltem rogabimus, quæ ad pacem ſunt. Vices agemus Epiſcopi, viuis condolebimus, & commoriemur mortuis: & mutuo compaſſionis participio preſſuram publicam, & commune diſcrimen proprium faciemus. Vtinam noſtro ſanguine poſſet hæc ſtrages redimi, & compenſari morte noſtra cum generali diſpendio! Soli enim pateremur, quod paſſuri ſunt vniuerſi. Orate igitur, dilectiſſimi, Dominum noſtrum, vt reſpiciat in faciem teſtamenti ſui, & tumultum præſentis diſcordiæ tranquillet ad pacem. Si enim ſpes pacis nobis arrideret, hoc vnum habemus in votis, vobiſcum illud tantillum vitæ expendere, quod noſtræ reſiduum eſt ſenectuti. Valete. C

A

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

IOANNIS SARESBERIENSIS EPISCOPI CARNOTENSIS EPISTOLÆ HISTORICÆ.

Cum MS. Codice Bibliothecæ Regiæ collatæ, & variis in locis emendatæ.

Episcopo Noruuicenſi. EPISTOLA I.

NVNCIOS veſtros à Domino Rege redeuntes ſanos recepimus, promittentes in aduentu Regis optatum petitionibus noſtris effectum. In omnibus enim conſilio domini Archiepiſcopi adquieſcet, & honori & vtilitati Eccleſiæ tota mentis intentione ſtudioſiùs inuigilabit. Verùm interim ſcutagium remittere non poteſt, & à quibuſdam exactionibus abſtinere, quoniam fratris gratia malè ſarta nequicquam coëgit, ſed ob hoc perniciosiſſimè ſciſſa eſt, quòd Domino Regi frat. totam hæreditatem paternam, nominatim terram, cuius ei poſſeſſionem vis maior abſtulit, noluit abiurare: cùm tamen munitiones & Regi cedere, & obſides dare paratus eſſet, vt terram quam dono patris habuerat recuperaret. Profectus ergo ad Regem Francorum, Comitis THEOBALDI fretus auxilio, Francos ſollicitare in diſpendia noſtra, & ...... eorum diuitiis noſtris, viribus, & poteſtati tentat opponere. Agit forte vt & ſic fortuna poſſit grauiùs promereri, quomodo Regem & gentem Francorum, fauente iuſtitia Dei, in manibus noſtris*. Implebimus in eo menſuram patrum noſtrorum, ſi tamen eorum ſorte voluerimus eſſe contenti. Sed profectò maius eſt quod nobis reſtituto Vernone fortuna promittit. Speratum colloquium nobis ſubtraxerunt Franci conſilio Comitis Theobaldi. Dominus Rex Andegaui & Pictauia rediens ad nos tranſmittet qui ſummam rerum gerant, & abſentes ipſius commiſſa ſibi à viris adminiſtratione compenſent. Edit. Epiſt. 128.

B

Domino Exonienſi. EPISTOLA II.

LICET ex more ſcribentium ad amicos ſalutis votum pagina non prætendat, Edit. 159.
nihil tamen affectuoſius eſt in votis, & orationibus meis, quàm vt viæ veſtræ iugiter proſperentur in Domino. Salutationem etenim Domino & Patri debitam nequaquam ſuſpendit defectus, aut imminutio charitatis, ſed conſulta diſpenſatio & officiorum, & omnium quæ rectè geruntur ratio moderatrix. Diſpenſationis verò cauſa in propatulo eſt, vt eam omninò non oporteat, aut paucis expediat allegari. Nam inſidiis dicunt omnia plena eſſe, vt bonis inuicem colloquendi aut ſcribendi tutum non poſſit eſſe commercium. Neſcio quid friuolum contra innocentiam molitur iniquitas, & vrgente ſtimulo conſcientiæ inceſſanter pungentis, & vrentis, omnes ſuſpectos habet, & omnia: iure quidem & merito, quia pax impiis eſſe non debet, hoſtes ſuos iuſtitiâ impugnante, & præualente. Et profectò quod timet impius, veniet ſuper eum, iuſtúſque de anguſtia liberabitur, quoniam os Domini locutum eſt. Ad momentum turbinis aduerſus Eccleſiam malitia debacchatur, & aduerſus Dominum videntur præualere impij: quibus in breui Chriſtus, quem perſequuntur, ſic reſpondebit ad merita, vt præponderare videatur libra vindictæ, & quos potenter puniet, non tam examinare lance æquitatis, quàm mole magnitudinis prægrauare. Non quidem quòd iniuriam inferat, ſed quia ſine menſura & modo peccantibus immenſam & immoderatam ingeret pœnam. Nec opinetur quiſpiam me in longa tempora prophetare, licèt oraculi diuini ſicut auctoritas, ſic & fides perpetuetur: cùm planum ſit iam aliquatenus inchoatum eſſe iudicium, imò executioni mandari ſententiam. Nónne Teutonicus

C

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

tyrannus nominis ſui famâ nuper Orbem perculerat, & ferè ſubegerat Regna vicina, & etiam Imperium Græcorum terrore concuſſerat, vt magis deditionem quàm confœderationem Legationibus miſſis videretur offerre? Sed ecce Deo auctore timetur minus, & qui tam vicinos quàm remotiſſimos ſolo metu terrebat, Principes Teutonicos ſuos ab iniuriis cohibere non poteſt; qui ſolo verbo pacem Gentibus ad arbitrium indicebat, & bella; nunc à ſuis & inter ſuos petitis & acceptis treugis gratulatur. Nam ſicut ipſe nobis conqueſtus, ex quo Latonam venit, vt Regem Francorum & Gallicanam Eccleſiam ſepararet à fide, & in ſuam hæreſim perverteret, vt adoraret idolum ſuum, ſucceſſus eius relapſi ſunt, & quæ eum extulerat, in depreſſionem ipſius cœpit fortuna fluctuare. Spes autem fidelium eſt, quòd ad honorem Dei, in breui ampliùs deprimetur, donec eum omninò Chriſtus, cuius ſponſam perſequitur, conterat ſub pedibus ſuis. Nónne & apud vos iam iudicium exercetur aduerſus terrores Eccleſiæ? Intuemini quantus erat Rex Anglorum, cùm paruulus videretur in oculis ſuis: & ad Eccleſiam Dei vel ſpeciem fidei & reuerentiæ prætendebat, & plane videbatis eum in nullo fruſtratum conatu. Sagitta eius retrorſum non abiit, clypeus non declinauit in bello, & haſta non eſt auerſa. Super prædam accumbebat vt leo, vt nullus eum excitare præſumeret; vel viſu terrebat hoſtes, vicini ſe inclinabant obſequiis, remoti Principes amicitias expetebant, colebatur à ſuis, honorabatur ab extraneis, prædicabatur à cunctis, à bonis diligebatur: ſed maximè à Clero, qui eum colebat ſupra vires, pro viribus venerabatur, & vnanimi propoſito diligebat ſuper amorem mulierum. Quid multa? Rerum expetibilium omnium abundantia, quoad humanum iudicium, fruebatur, ſublato timore & ſollicitudine, niſi quem non neceſſitas, aut ratio, ſed voluntas, aut impetus ingerebat. Sed quo fine hæc vniuerſa Dei dona conclusit, ſi tamen ſine pœnitentia & ſatisfactione ſubſtiterit in finibus iſtis, vt ſingularum Eccleſiarum, quas ante per ignorantiam, vt putabatur, aut ſui iuris prætextu læſerat, taceamus Toloſam, bello aggreſſurus, omnibus contra antiquum morem & debitam libertatem indixit Eccleſiis, vt pro arbitrio eius, & Satraparum ſuorum conferrent incenſum, nec permiſit vt Eccleſiæ ſaltem Proceribus coæquarentur in hac contributione vel magis exactione tam indebita quàm iniuſta. Nam Eccleſiæ in deteriori calculo vertebantur, vt pote quæ rebus ſuis aut honore videbantur indignæ. Sed quem ſucceſſum attulit hæc pecuniarum immenſitas tantis exactionibus & iniuriis acquiſita? nónne proiecta eſt in ſaccum pertuſum, ve hoſti ſuſcipienti proficeret, & effundenti non modo eſſet inutilis, ſed damnoſa? Numquid non ab ea die fortuna eius retrorſum ceſſit, & ſucceſſuum vbertas emarcuit? Sed dicet aliquis, quoniam hæc indictio cenſus, & Eccleſiarum vexatio, in Cancellarium eius, qui nunc aut archiepiſcopatur, vt credo, aut archiepiſcopari contendit, vt æmuli mentiuntur, penitus retorquenda eſt, qui Regem tunc ad omnia pro arbitrio impellebat, & hæc ſicut alia multa mala induxit. Quod ſi & ego falſum eſſe nouerim, vt pote qui eum ſcio tunc, non auctoritatem præſtitiſſe libidini, ſed obſecundationem neceſſitati, tamen quia eum miniſtrum iniquitatis fuiſſe non ambigo, iure optimo taliter arbitror puniendum, vt eo potiſſimum puniatur auctore, quem in talibus Deo bonorum omnium auctori præferebat: eique ſit vice verſa in pœnam, quem habebat & laudabat ſuæ peruerſitatis auctorem. Nam in ſapientium corde & ore celebre eſt illud Sapientiæ, *Quoniam per quæ peccat quis, per hæc & punitur*. Sic Cain primus homicida occiſus eſt, Chanaam ſeruitutem ingerens aliis, perpetua ſeruitute damnatur, Pharao in aquis ſubmerſus eſt cum potentatu ſuo, quibus Hebræos ſubmerſerat innocentes. Patent in hunc modum quamplurima. Sed eſto, nunc pœnitentiam agit, agnoſcit & confitetur culpam: & ſi cum Saulo quandoque Eccleſiam impugnauit, pro ea cum Paulo ponere paratus eſt & animam ſuam. Quis ergo negabit iudicium iam cœpiſſe à domo Domini, cùm iam Principes populi in patibulis ſuſpendantur ad ſolem: vt iuſtitia Dei in conſpectu gentium reueletur? Nónne enim Principes populi ſunt hi duo, quorum alter diſpenſat ſpiritualia, alter temporalia adminiſtrat? Nónne Lex diſpenſationis & miniſterij huius manibus iſtorum tractanda committitur? Hi enim ſunt duo Cherubim, quorum alis Lex & Propitiatorium adumbratur, ſe mutuo reſpicientia, verſis tamen vultibus in Propitiatorium: quia ſic ſibi inuicem debent aſpectu mutuo complacere, vt Legem Dei in arca pectoris iugiter inſpiciant & venerentur,

A nec pro ſe ad inuicem, aut ob aliam cauſam admittant, vnde propitiationem Dei debeant demereri. Non enim licet à Propitiatorio vultus auertere. Si ergo in his ſuis Angelis reperit Dominus prauitatem, eámque puniat, quis ſubditorum cauſas apud Altiſſimum iam ventilari diffidit, aut eſſe ventilatas? Circumferat quis oculos mentis, & intueatur quot & quales aduerſarios ei Dominus ſuſcitauerit, ex quo aduerſus Dominum in depreſſione Eccleſiæ erexit calcaneum ſuum: & planè mirabitur, & ſi prudens eſt, venerabitur iudicium Dei, qui non Imperatores, non Reges, non Principes nationum, vt ipſum domaret, elegit, ſed extremos hominum Britones niuicollinos primò, & poſtea illos ad contradictionem & ſolemne certamen animauit, qui veſtigia pedum eius conſueuerant adorare. Et hæc quidem, vt non glorietur omnis caro, ſed nomen Domini ſit benedictum in ſecula. Sic ad puniendam ingratitudinem Salomonis recedentis à Domino, non tam Principes erexit, quàm latrunculos & ſeruos abiectos. Nec ſuſpicetur quiſpiam vt amodò proſperetur conditio eius, niſi Domino propitiante per pœnitentiam reuertatur, & magis pio vtatur conſilio. Nam vt Propheta loquitur, *In diebus & regionibus noſtris inuenti ſunt ſtulti Principes Thaneos*, qui Regi ſuo conſilium dederunt inſipiens. Videntur enim vndique ſollicitudines. Sed bellum, quod aduerſus Chriſtum & Eccleſiam exercet, vlteriùs prægrauat, & ei videtur inextricabilis labyrinthus execrabilis labor. Accitis ergo nuper ad colloquium Chinonenſe Magnatibus
B ſuis cum familiaribus, qui rerum malarum induſtriam habere dignoſcuntur & vſum, & ſapientes ſunt vt dictent & faciant mala, ſtudioſiùs inquiſiuit cum promiſſis, minis, & obteſtatione quamplurima, quonam conſilio ſibi vtendum eſſet aduerſus Eccleſiam: de Cantuar. Archiepiſcopo grauiſſimè conquerens, non ſine gemitibus & ſuſpiriis multis. Et vt tunc præſentes poſtea retulerunt, lacrymatus eſt, dicens quòd idem Cantuarienſis ei corpus & animam pariter auferret. Tandem dixit quòd omnes proditores erant, qui eum adhibita opera & diligentia ab vnius hominis infeſtatione nolebant expedire. Ad hoc Dominus Rothomagenſis aliquantulum aduerſus hoc excanduit, corripiens eum, mitiùs tamen more ſuo in ſpiritu lenitatis: cùm cauſa Dei magis exigeret, ſeueritatem & auctoritatem Pontificis morbo languentis, rationis, & fidei fuiſſe adhibitam. Erat autem dolor acerbior, vrgente metu, quem conceperat ex litteris quas iamdictus Cantuarienſis illi & matri ſuæ tranſmiſerat. Earum exemplum vobis tranſmittitur. Timebatur quidem, & meritò, ne in terram eius interdicti, & in perſonam anathematis ſententia citiſſimè ferretur, auctoritate & mandato ſummi Pontificis. Cùm igitur his anguſtiis premerentur, Lexouienſis Epiſcopus vnicum dixit eſſe remedium, imminentem ſententiam appellationis obſtaculo præpedire. Et ita neſcio quo pacto, niſi quia veritas ventilata plus pollet, & iuſtitia quo magis concutitur, eo magis conualeſcit, dum Rex per auitas conſuetudines appellation umius euacuare conatur, magis confirmat, dum ipſemet pro capite ſuo ad appellandi refugium co-
C gitur euolare. Ab illo ergo Concilio egreſſi ſunt à facie Dei & Regis ſui Lexouienſis & Sagienſis Epiſcopi, ad ſæpedictum Cantuarienſem properantes, vt appellatione interpoſita vſque ad octauas Paſchæ ſuſpenderent ſententiam eius. Rothomagenſis quoque cum eis profectus eſt, non quidem appellaturus, vt ait, ſed de pace quam deſiderat tractaturus. Archiepiſcopus verò noſter in procinctu ferendæ ſententiæ conſtitutus, iter arripuerat ad vrbem Sueſſionum, orationis cauſa: vt beatæ Virgini, cuius ibi memoria celebris eſt, & beato Drauſio, ad quem confugiunt pugnaturi, & beato Gregorio Anglicanæ Eccleſiæ fundatori, qui in eadem vrbe requieſcit, agonem ſuum precibus commendaret. Eſt autem beatus Drauſius glorioſiſſimus Confeſſor, qui, ſicut Franci & Lotharingi credunt, pugiles, qui ad memoriam eius pernoctant, reddit inuictos: vt & de Burgundia & Italia in tali neceſſitate confugiatur ad ipſum. Nam & Robertus de Monteforti ei pernoctauit aduerſus Henricum de Eſſexa dimicaturus. Sic ergo Domino faciente deluſa eſt ſollicitudo Epiſcoporum Regalium, quia cùm veniſſent Pontiniacum, Archiepiſcopum quem appellarent non inuenerunt, ſed fruſtrati à propoſito ſuo reuerſi ſunt: queruli quòd ſua conſumpſerant, laborauerant, & non perfecerant. Archiepiſcopus verò cùm in præfatis Sanctorum memoriis triduò pernoctaſſet, die proxima poſt Aſcenſionem verſus Viziliacum properabat, vt ibi in die Pentecoſtes in Regem & ſuos anathematis ſententiam daret. Sed nutu diuino contigit, vt dum

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

eſſet in Eccleſia Reginiaceenſi, VI. feria iamdictam præcedente ſolemnitatem nunciatum eſſet ei certiſſimè & veriſſimè, quòd Rex Anglorum grauiſſima laborabat infirmitate, vt ad colloquium Regis Francorum, quod multo deſiderio, & magnis muneribus expetierat, accedere non potuerit, ſed miſerit excuſatores Rich. Pictau. & R. de Humez, qui hanc cauſam abſentiæ eius præſtito iuramento volebant aſtruere. Hac ergo ratione cùm hoc per nuntium Regis Francorum innotuiſſet Archiepiſcopo, in Regem ſententiam ferre diſtulit, ſicut ei à me conſuluerat Ioannes veſter, ſuadens, ne ad pœnitentiam properaret. Ioannem verò de Oxoneford. publicè denuntiauit excommunicatum, & auctoritate Romani Pontificis excommunicauit, vt verbis eius vtar, eò quòd in hæreſim damnatam inciderit, præſtando Imperatori ſacrilegum ſacramentum: & communicauit Colon. ſchiſmatico, & contra mandatum domini Papæ vſurpauit Decanatum Sareſber. Eccleſiæ. Has autem cauſas allegauit in pulpito in auditu omnium, qui Vizeliaci de diuerſis nationibus ad diem feſtum conuenerant. Ibidem etiam allegatis variis cauſis & iuſtis excommunicauit Richardum Pictau. Archid. & R. de Luci, Ioſcel. de Bailiol, Ran. de Broch, Hug. de Sancto Claro, & Thomam filium Bernardi, & omnes qui de cetero in poſſeſſiones vel bona Cantuar. Eccleſiæ manus extenderint, vt eis abutantur, aut eorum vſus impediant, quorum neceſſitatibus deputata ſunt. Regem verò, quem ante per Litteras & Nuncios ſecundum regulam & morem Eccleſiæ vocauerat ad ſatisfactionem, publicata vocatione ad fructum pœnitentiæ inuitauit, comminans ſe in eum laturum ſententiam anathematis, ſi breui non reſipuerit, & de tantis aduerſus Eccleſiam auſis ſatisfecerit. Quod tamen nonniſi inuitus faciet, nec noui aliquem domeſticorum ſuorum, qui ad lationem huius ſententiæ pronus ſit. Præterea ſcriptum illud, in quo continentur prauitates malignantium aduerſus Eccleſiam, quas auitas conſuetudines dicunt, publicè condemnauit, omnes innodans anathematis vinculo, quicumque de cetero auctoritate illius ſcripti vtentur, & nominatim de conſilio Eccleſiæ Romanæ, hæc capitula imprimis damnata ſunt. Quòd non liceat Epiſcopo excommunicare aliquem qui de Rege teneat ſine licentia ipſius. Quòd non valeat Epiſcopus coërcere aliquem parochianorum ſuorum pro periurio vel fide læſa. Quòd ad ſecularia iudicia trahantur Clerici. Quòd laici, ſiue Rex, ſiue alij, cauſas de Eccleſiis vel decimis tractent. Quòd non appelletur pro cauſa aliqua ad Sedem Apoſtolicam, niſi Regis & officialium ſuorum venia impetrata. Quòd non liceat Archiepiſcopo, vel Epiſcopo, vel alij perſonæ venire ad vocationem domini Papæ abſque licentia Regis. Alia quoque in hunc modum, quæ diuinis Legibus, & Conſtitutionibus ſanctorum Patrum inueniuntur aduerſa. Epiſcopos verò omnes abſoluit à promiſſione, quam de ſcripto illo ſeruando contra inſtitutionem Eccleſiaſticam fecerant. Hoc etiam per Litteras ſuas Archiepiſcopis & Epiſcopis denuntiauit, ſicut ei ab Eccleſia Romana conſultum fuerat. Hæc quidem interim geſſit Archiepiſcopus & Rex; quod ad veſtram notitiam veniſſe non ambigo. Virum bonum M. Galt. de Inſula miſit in Angliam cum Litteris à Colloquio Chinonenſi, vt Inſulanos ſuper facta appellatione præmuniret, & portus & tranſitus faceret diligentiùs obſeruari, & Clerum ab obediendo ſuſpenderet, cùm tamen nondum facta ſit appellatio, & Archiepiſcopus poſſit facilè inueniri. Nec dubito quin prædicto Galtero machinatio iſta diſpliceat, cum omnibus quæ præſumuntur aduerſus Eccleſiam Dei, quoniam Deum timet. Aceiuit etiam ad ſe Rex Dominum Ciceſtr. & alios, per quorum prudentiam, malitiam conſilij ſui aduerſus Deum poſſe eredit armari. Sed profectò ſi ſaperent, vel ſibi & ſuis parcerent in hac cauſa: quoniam pœna reuerſura eſt in caput iſta ſuum. De cetero dominus Papa in vrbe proſperatur. Cremona contra Teutonicum cum aliis octo ciuitatibus pro certo dicitur rebellare. Epiſcopus Tuſculanus & Vmbaldus Cardinalis diem obierunt. Obiit quoque VVillelmus Rex Siculus, cui ſucceſſerunt filij ſui, alter in Regnum, alter in Ducatum Apuliæ, & in extremis agens LX. millia florinorum Ioanni Neapolitano tradi fecit ad vſum domini Papæ. Filius quoque, qui ei ſucceſſit in Regnum, totidem miſit. Rex Francus Cantuarienſi Archiepiſcopo patrocinatur in omnibus, & eum magis veneratur quàm fratrem. Quæ autem circa Anglorum Curiam innouantur, vbi rerum crebræ mutationes ſunt, vobis notiora eſſe arbitror quàm nobis. Vigeat & proſperetur in Domino paternitas veſtra, & nos Sanctorum orationibus ſtudeat commen-

A commendare, vt nos conſoletur in omni tribulatione noſtra. Reuertemur au- LVDOVICVS
tem cùm ei placuerit, qui nos ſegregauit ad exulandum, & pro quo, quatenus VII. IV-
ei beneplacitum fuerit, voluntate promptiſſimè decreuimus exulare; & aduer- NIOR.
ſa pati quæ iuſſerit, & ad quæ perferenda roborauerit infirmitatem noſtram.
Det vtinam ſua gratia patientiæ perſeuerantiam, qui indignis pro ſe patiendi
contulit voluntatem! Valeat pro voto & oratione mea, Eccleſia & Domus ve-
ſtra tota, & omnes qui interceſſionum beneficio communicant neceſſitati veſtræ.

Domino Cantuarienſi. EPISTOLA III.

ETSI certum ſit quòd Epiſcopi ad inobedientiam proni, & Paſtores paſcen- *Edit. 167.*
tes ſeipſos, qui amore quietis & luxus, & temporalium metu damnorum
impio impietatem ſuam annuntiare detractant, ad omnem ſubuerſionem iuris,
& ſingula præiudicia Eccleſiarum, dicentes: Euge, euge; ſe de cetero aduer-
ſus omnia mandata veſtra, & etiam Apoſtolicas Sanctiones, quatenus eis diſ-
plicuerint, ſub prætextu appellationis exhibitæ tueri proponant. Expedire ta-
men arbitror, vt de veſtris ſuffraganeis teſtato ſi fieri poteſt, aliquos euoceris,
vel audituros domini Papæ mandatum, aut vobiſcum de ſtatu Cantuarienſis Ec-
cleſiæ tractaturos, aut alia euocationis eorum cauſâ propoſita, ſi qua vobis &
B his qui vobiſcum ſunt, occurrerit commodior. Cùm enim iam appellauerint,
quod fortaſſe iam domino Papæ ſignificatum eſt, & in omnibus Regi ſuo ob-
temperant, non video de cetero quare colloquium eorum oporteat euitari, ſed
neque Regis. Credo enim quòd metu laboris quem ſubituri ſunt, & ſumptuum
quos verentur, & imminentium periculorum inſtantiam, & dubium cauſæ euen-
tum, paci Eccleſiæ, & reconciliationi veſtræ diligentiorem operam dabunt;
quia nec vnum eorum opinor inueniri, quem tot & tantarum incommodita-
tum diſpendia ſubire non pigeat. Et ſi transfretauerint, fortaſſe mediante Impe-
ratrice pax Eccleſiæ reformabitur, aut Deo propitio cauſa veſtra in meliori cal-
culo relinquetur. Inſtat enim tempus, vt aiunt, quo Aquila rupti fœderis,
iuxta Merlini vaticinium, frænum deaurarura eſt, quod Apro eius datur, aut
modo fabricatur in ſinu Armorico. Nam ſicut accepi pro certo poſtquam prio-
res Litteras exarauéram, in acceſſu Fulgeriarum graue damnum perpeſſus eſt,
quod adhuc deplorant apud nos amici Francorum, quorum quidam capti ſunt,
alij vulnerati, dum purum ſitientes argentum, nitebantur ſtrenui præ ceteris
apparere. Audieram hæc prius in Curia Chriſtianiſſimi Regis Francorum, apud
Laudunum honeſtè & reuerenter ſuſceptus ab eo: ſed non facilè rumigerulo
credidi, licèt aliquantulum fidem faceret dubitanti, quòd Comes Robertus
triſtitiam inde conceptam diſſimulare non poterat. Dicitur etiam quòd fame-
lici ſaturos, & inopes copioſos rerum omnium obſident hoſtes, & quòd obſeſ-
C ſus obſidente longe ſecurior eſt. Radulfus enim, vt perhibent, caſtrum ſuum
optimè præmuniuit, vaſtauítque quicquid alimentorum in circuitu ſuo potuit
inueniri, nec ad remotiora ſine magnis copiis pabularum progredi licet: eò
quòd electiſſimorum militum Radulfus memoratus copiam habens, vias eorum
acutiſſimè ſepit ſpinis, & aculeis vrget equos, vt cadant aſcenſores eorum re-
tro, & in exercitum ipſum crebras, vt loquuntur, facit irruptiones. Adiiciunt
quòd potentiſſimis Britanniæ Proceribus, excepto Comite Eudone, confœde-
ratus eſt fœdere mutuo. Nónne ſic ferus ſingularis, aut ſingulari proximus aper,
qui depaſcitur & conculcat vineam Domini, cohiberi poterit & infrænari?
Ego quidem ſic illam interpretor Prophetiam, expectans vt Aquila quacumque
ſubornatione incommoditates iſtas inauret: niſi fortè Alexander noſter Merli-
ni cognatus, & oraculorum eius interpres prudentior aliud ſentiat. De his ha-
ctenus. De cetero pergratum mihi feceritis, ſi Domino Lugdunenſi, quem
apud vos eſſe audio, & plurimum videre deſidero, nomine meo fueritis gratu-
lati, & quæ circa vos ſunt diligenter reſcripſeritis.

Lvdovicvs VII. Ivnior.

Domino Morinensi. EPISTOLA IV. A

Edit. 195. EO ſinceritatis veſtræ titulus in caritate ſplendidiùs eluceſcit, quo ex relatione latoris præſentium certiùs conſtat, quòd inter fortuitorum euentuum turbines, & varias procellas negotiorum, quibus officij veſtri inſtantia indeſinenter concutitur, & acriter, ſine tamen virtutis eliſione, collíditur: amicorum poteſtis ſollicitudinem gerere, & eorum onera per fraternæ caritatis exhibitionem facitis veſtra. Sic enim & Apoſtolus ſcandalizatis coüritur, & fratribus coinfirmatur infirmis, & per compaſſionem fit in Chriſto omnibus omnia, dum ad formam Ethicæ purioris, & conſummatioris Philoſophiæ, humanum à ſe nihil reputat alienum. Repoſita eſt vobis, Pater, huius corona miſericordiæ, quam reddet vobis in illa die miſericors & miſerator Dominus, qui nos interim exules, & proſcriptos ſuos, Sanctorum ſuorum miniſterio, neceſſitatibus veſtris pro ipſo communicantium, conſolatur in omni tribulatione noſtra. Nam Chriſtianiſſimus Rex Francorum Patrem noſtrum Cantuarienſem Archiepiſcopum in vlnis caritatis excipiens, cum in Eccleſia beatæ Columbæ Senonenſis Regia magnificentiâ exhibet, & ſic tractat in omnibus vt à Chriſto tractari decet Chriſtum Domini. Aliter enim exprimere nequeo affectionē, quam naufrago Sacerdoti exhibet Chriſtianiſſimus Princeps. Nos autem domeſtici Sacerdotis proſcripti quidem rebus, ſed aſcripti fidelibus, qui pro iuſtitia patientes honorificauerunt miniſterium ſuum, diſperſi ſumus, vt exules in Regno Francorum. Sed vbique nobis adeſt qui paſcit volatilia cœli, & lilia veſtit agrorum. Spetamus autem, quòd idem Pater noſter & omnium Dominus procellam noſtram in auram conuertet in breui, licèt maius nobis imminere naufragium hoſtes Eccleſiæ glorientur. Mentiuntur enim Romanam Eccleſiam nobis conuerſam eſſe in arcum prauum, & dominum Papam omnibus Regis Anglorum petitionibus annuiſſe: ex eo ſumentes coniecturam, quòd excommunicati noſtri abſoluti ſunt in aduentu Io. de Oxenefordia. Qui etiam quaſi re bene geſta in Curia Imperatoris, vbi ſchiſma confirmatum eſt, acceptum de manu domini Papæ reportauit Sareſberienſis Eccleſiæ Decanatum. Sed ſi quis ea quæ Romæ geſta ſunt diligentiùs recolat, planè videbit quòd Romanus Pontifex etiam circumuentus cauſam Eccleſiæ & noſtram fideliſſimè procurauit. Iam dictus enim Iohannes tandem præſtito iuramento de mote abſolutus, vt itidem publicè iurauit, quòd nihil in præfato ſchiſmaticorum conuentu fecerat contra fidem Eccleſiæ, & honorem & vtilitatem domini Papæ, & vtinam non deieraſſet! poſtmodum commendatitias & deprecatorias porrexit ex parte Domini Regis, quibus inſertum erat, vt illi tanquam Regi ipſi in omnibus crederetur. Deinde tanta fultus auctoritate, cauſam, quæ inter Regem & Archiepiſcopum ſuper prauis conſuetudinibus vertitur, domini Papæ commiſit arbitrio, vt illæ ad nutum eius roborarentur, aut caderent, & Archiepiſcopo ad formam mandati eius pax omnimodo reformaretur. Et hoc item iuramento confirmans obtinuit, vt dominus Papa concederet ſe ad hoc Legatos eſſe miſſurum. Quotum iter (vt aiunt) ſuſpenſum eſt, iuratoris fraude comperta. B C

Domino Ioanni Pictauienſi Epiſcopo. EPIST. V.

Edit. 114. REONORVM colliſiones, & terræ motus magni, & imminētium periculorum exitus me calamum ſuſpendere diutiùs coëgerunt, & commodiora ſcribendi tempora expectate. Bellici namque tumultus æſtate ferè tota feruentes intermeandi facultatem Litteratum portitoribus præcluſerunt, & in vrbe Remenſi orta ſeditio ſic turbauit prouinciam, vt vix tutum fuerit ingredi vel egredi ciuitatem. Conſpirauerant enim ciues de Clericorum conſilio & auxilio militum, nitentes contra Archiepiſcopum qui nouas quaſdam indebitas & intolerabiles ſeruitutes volebat imponere ciuitati: & Eccleſiarum turres & domos munitiores occupantes, officialibus & amicis Archiepiſcopi eiectis ab vrbe, multas ei iniurias intulerunt. Et primò quidem ei omnem humilitatem exhibuerant, parati duo milia librarum, ſicut multi teſtantur, conferre in ærarium eius, dum modo eos iure tractaret & legibus viuere pateretur, quibus ciuitas continuè vſa eſt à tempore Sancti Remigij Fran-

A eorum Apoſtoli. Adierant etiam Chriſtianiſſimum Regem, ſed nec per eum rigorem Archiepiſcopi flectere potuerunt. Confugerunt itaque ad Comitem Henricum, & ex eius conſilio ceſſerunt Regi quem Archiepiſcopus adduxerat, vt in brachio eius contereret ciuitatem. Rex autem dolens, ſed tamen fratris ſatisfaciens voluntati, circiter quinquaginta domos dirui fecit, & receſſit. Ciues verò die tertia redierunt, & in vltionem dirutarum domuum funditus euerterunt domos militum fauentium Archiepiſcopo, Vicedomini ſcilicet ſui, & alterius qui in vrbe geſſerat Præfecturam. Vnde motus Archiepiſcopus Comitis Flandriæ implorauit auxilium, eúmque cum mille militibus adduxit Remis vt ciues perirent in ore gladij, aut redimendi & torquendi coniicerentur in vincula. Sed illi præſentientes aduentum Comitis, iterato ceſſerunt: ſic euacuantes vrbem, vt Flandrenſes inedia confecti vix vnius diei & noctis moram potuerint ſuſtinere. Et quia Archiepiſcopus in receſſu eorum ciues ad propria redituros non dubitabat, per Comitem ROBERTVM fratrem ſuum ignaris Flandrenſibus cum eis pacem fecit, acceptis quadringentis quinquaginta libris in recompenſationem damnorum: quæ, vt multiplices iniurias & contumelias taceam, in quadruplum excreuerant. concedens vt de cetero legibus vtantur antiquis. Sic itaque damnoſam & ignominioſam cum ciuibus faciens pacem, adhuc cum Clero exercet inimicitias, & ſe iuri offerentes vexat Eccleſias. Hæc apud nos. Ceterùm ad partes veſtras accepimus B veniſſe Legatos, de quibus adhuc incertum eſt quid nobis ſperari oporteat, quid timeri. Hoc autem certiſſimè conſtat, quòd Dominus Cantuarienſis iudicium Cardinalis ad Vincula non ſubire diſpoſuit, multis (vt puto) & iuſtis ſuſpicionibus motus, quia manifeſtus aduerſarius eius hactenus exſtitit. Sed an expediat adeo manifeſtè ei ſuſpicionis cauſas exponere, non ſatis liquet. Nam Archiepiſcopus (vt audio) ei iam reſcripſit contra meum & quorumdam aliorum conſilia, quòd ſe illius iudicio non ſupponet, nec tenetur ſupponere; & plura congeſſit quibus animum hominis exaſperaſſe poteſt: cùm ego potiùs eum crederem verbis blandioribus demulcendum, & retinendum in amicitia, donec ipſum aduerſarium eſſe conuincant opera eius. Pacem verò ad honorem Eccleſiæ Dei & ſuum libenter recipiet per manus Legatorum: ſed an ad colloquia eorum acceſſurus ſit niſi reſtituantur ablata, vnde ſe & ſuos valeat exhibere, nondum habeo exploratum. Certo autem certius eſt, quòd niſi componatur per eos, nullam citra reſtitutionem ingredietur cauſam: cùm illata ſibi iniuria & violentia lippis & tonſoribus nota ſit. Sed nec aliquem ſuorum mittet, donec intermeantibus eundi & redeundi ſecuritas procuretur. Et quoniam conditionis noſtræ calculus in aduentu eorum videtur aliquantulum immutatus, precor attentiùs, vt mihi per latorem præſentium reſcribatis qualiter ad indemnitatem conſcientiæ, & famæ me verſari oporteat. Nam ſi de iuramentis agitur quæ Dominus Rex à nobis exigere conſueuit, rogo Deum meum, vt ante mihi mortem miſericorditer largiatur, quàm C conſcientiam & famam iuramentis talibus maculare.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

Bartholomeo Exonienſi Epiſcopo. EPISTOLA VI.

DE quo proſperè per gratiam Dei circa mediam Quadrageſimam à Sancto Egidio reuerſus ſum, tuam (dilectiſſime) ſuper his quæ in Francia & Italia gerebantur præmunire decreui caritatem. Scio enim quia interdum expedit, & ſæpè iocundum eſt, præno ſſe temporum motus, & quaſi fatorum ſeriem ex his quæ nutu diuino mortalium proueniunt meritis contemplari. Sed quia de pace Regum tractabatur, & Fredericus factus crimine & pertinacia ſchiſmatis exauguſtus ſimulabat ſe velle ad Catholicam redire vnitatem, propoſitum diſtuli donec pleniùs innoteſceret quem tanta negotia ſortirentur euentum. Cùm enim Teutonicus Tyrannus ſentiret ſe militum præſidio deſtitutum, & Italiæ ciuitates in ipſum irruere properarent, & ipſe temeritate ſuorum, qui nobilem quendam Papienſem excæcauerant, Papiæ minimè tutus eſſet, eique Maurienenſis Comes ob iniurias ſibi illatas omnem exitum præcluſiſſet, vt Lumbardorum manus nulla ratione poſſe euadere videretur, ipſe Comitis Blandratenſis & Marchionis Montis-feracis fretus auxilio, diuertit in terram Marchionis, relictis XXX. obſidibus Lumbardorum apud Blandratum. Alios autem obſides quos acceperat per ca- Edit. 2341

LVDOVICVS VII. IVNIOR. ſtra Marchionis diuiſit cuſtodiendos, & ipſe cum præfato Comite & Marchione, quia eum Lombardi congregato exercitu vſque ad xx. milia militum perſequebantur, & obſidere decreuerant, per caſtella quaſi in vmbra mortis latitans fugitabat, vt vix, ſicut aiunt probi viri pleni fide & auctoritate qui interfuerunt, duobus diebus aut tribus auderet in eodem hoſpitio pernoctare. Hanc miſeriam Tyranni, aut potiùs gloriam Dei & Eccleſiæ conſolationem, de noſtratibus quidem viderunt Canonici Nouiomenſes & Nuncij Comitis Henrici: de veſtratibus autem Legati illuſtris Regis Angliæ illuc profecti ex variis cauſis. Nouiomenſes enim Archidiaconum ſuum Bonefacium Italię Marchionem, quem elegerant in Epiſcopum, virum honeſtum & tota ſchiſmatis tempeſtate Catholicum, reducere quærebant. Comes Henricus ſtatum explorabat Imperij. Nuncij verò Regis Angliæ iuramenta præſtiterunt de matrimonio contrahendo inter filium præfati Marchionis & ſororem Regis Scotiæ, & ad ſæpè dictum Tyrannum legatione functi ſunt, vt de opinione multorum loquar, quo ſic vires & familiaritatem prætendentes Imperij, terreant Francos. Sed calliditas hæc in contrarium prorſus exitum pergit. Franci ſi quidem magis animantur, dum vident hoſtes quaſi deſolatos, immò deſperatos emendicata ſuffragia quæritare, & illos implorare patronos quibus opus eſt defenſore. Dum itaque in tantis Imperator verſaretur anguſtiis, & omninò de exitu deſperaret, tractarum habuit cum viris Religioſis, quos conſtabat fideles eſſe domini Papæ, ſimulans ſe cum Eccleſia Dei pacem eſſe facturum. Eſt autem in Domo Cartuſienſi vir admodum Religioſus quondam familiariſſimus Imperatori, qui ab eo pridem receſſerat ob conſcientiam ſchiſmatis, & ei plurimo compatiebatur affectu. Hic ergo acceſſit ad eum, cum lacrymis ſibi pro certo innotuiſſe aſſerens, quòd pacem non erat habiturus, niſi Eccleſiæ Dei redderet pacem. Inſtitit autem, & obtinuit vt euocaret per Litteras ſuas Priorem Cartuſienſem, Abbatem Ciſtercienſem, & Epiſcopum Papienſem, quem expulerant, & promitteret ſe conſilio eorum in omnibus adquieturum: dum modo illi in ſe reciperent periculum iuramenti, quod contra Papam Alexandrum fieri fecerant. Omnes qui verbum hoc audierunt exhilarati ſunt: & Lombardi iam cœperunt mitiùs agere, ſperantes hominem eſſe conuerſum. Interim ſæpedictus Marchio egit cum cognato ſuo Comite Maurienenſi, vt Imperatorem permitteret egredi, promittens ei non modò reſtitutionem ablatorum, ſed montes aureos, & cum honore & gloria Imperij gratiam ſempiternam. Viri autem Religioſi quos euocauerat, arripuerunt iter, excepto Abbate Ciſtercienſi, qui graui detentus infirmitate, vice ſua miſit dominum Gaufridum Autiſſiodorenſem, qui Clareuallenſis fuerat Abbas: præmittentes Fratrem quendam, qui à Tyranno exploraret vbi & quando eorum vellet vti colloquio. At ille audito aduentu eorum, & Litteris iam de exitu ſuo certus, induciis impetratis, reſpondit eos ob hanc cauſam fruſtra venturos eſſe, niſi Angelum de cœlis ſecum patenter adducant, aut veniant in poteſtate faciendi miracula, vt poſſint mundare leproſos, & mortuos ſuſcitare. & ſic illi ad propria reuerſi ſunt. Hoc mihi idem conuerſus Cartuſiæ, qui Legationem geſſerat, retulit. Imperator autem, collectis obſidibus quos diſperſerat, ad reditum properans, venit ad Sanctum Ambroſium habens circiter xxx. milites in comitatu ſuo. Et inde mane feſtinanter egrediens, prope Secuſiam in eminentia cuiuſdam montis ſuſpendit quendam obſidem nobilem Brixienſem, imponens ei quòd coniurationis Italorum conſcius fuerat, & (quod plus eſt) artifex congregati exercitus, qui eum ab Italia expellebat: alios verò obſides ſecum duxit intra Secuſiam. Ciues autem & incolæ loci portas claudi fecerunt, appoſitis cuſtodibus armatis, & Tyranno obſides abſtulerunt, dicentes ſibi ab aliis ciuitatibus excidium & exterminium imminere, ſi vicinos ſuos & amicos viros Italiæ nobiliſſimos ſic paterentur abduci in Alemanniam occidendos: præſertim cùm adhuc in Italia ſuſpenderit virum potentem & generoſum: ſibi verò & ſuis exitum patere cum libitu. Tantam quidem adhibuerunt diligentiam obſidibus retinendis, vt neminem permitterent egredi qui Italicè loqueretur. Imperator autem aſſumpto habitu ſeruientis, quaſi vt alicuius magni viri procuraret hoſpitium, cum aliis v. ſeruientibus noctu egreſſus eſt lætus, quòd ei fata conceſſerant Italiam perdere, quam demeruerat diutiùs retinere. Inde tranſiens Chryſopolim ſuam turbauit Burgũdiam, Proceribus intentans minas: & progrediens, Alemanniam & Saxoniam ſupra modum turbatas reperit, &

A fratrem ſuum ſentit præ ceteris inimicum, cùm tamen ei plurimi aduerſentur. Porrò Lombardi poſt egreſſum eius Blandratum diruerunt, extractis indè obſidibus qui ibi relicti erant, & interfectis Teutonicis ferè omnibus quos ad cuſtodiam caſtri deſeruerat Imperator. Decem autem nobiliſſimos & ditiſſimos Alemannos dederunt in ſolatium mariti, vxori illius Brixienſis quem ſupra prope Secuſiam ſuſpenſum retuli, vt illa prout libuerit eos aut ſuſpendat, aut perpetuæ ſubiiciat ſeruituti, vel redemptionem accipiat. Exinde damna multa Marchioni dicuntur intuliſſe: & nunc rumor eſt eos obſidere Papiam. Et certum eſt quòd Papienſes iam in Alemanniam miſerunt nuntios Imperatori, denuntiantes quòd niſi redierit & opem tulerit, nulla ratione poterunt diutiùs reſiſtere ciuitatibus. Hereſiarcha Cremenſis Romæ eſt apud Sanctum Petrum, vbi eum Romani morari patiuntur, inito commercio de reddendis captiuis ſuis, ſed tamen vt aiunt recedere non paterentur. Epiſcopus Albanenſis Domini Papæ vices agit in vrbe. Et ſi Lombardi Papiam ceperint, ſpes eſt Guidonem Cremenſem captum iri; & quòd non mòdo Romani omnes, ſed & Tuſcia tota ſchiſmaticos impugnabit. Adhuc autem incertum eſt an dominus Papa Lombardorum velit audire preces, ſe transferendo ad illos: creditur tamen. Proſperatur autem adhuc Beneuenti, vbi Nuncij Regis Angliæ, & domini Cantuarienſis, in ipſius præſentia conuenerunt. Et quidem vtrique benignè & honorificè recepti ſunt; ſed Regalium B ſicut iuſtitia minor, ſic pompa & diuitiarum oſtentatio maior. Cùm autem dominum Papam blanditiis & promiſſis deiicere non præualerent, ad minas conuerſi ſunt, mentientes quòd Rex eorum Noradini citiùs ſequeretur errores, & prophanæ religionis iniret conſortium, quàm in Eccleſia Cantuarienſi Thomam pateretur diutiùs Epiſcopari. At vir Dei nec terrore concuti, nec ſeduci potuit blandimentis: eiſque duas proponens vias, alteram vitæ, alteram mortis, reſpondit eos vt cœperant facilè poſſe contempta gratia & patientia Dei pereuntium præeligere viam, ſed ſe Domino propitiante non receſſurum à via recta. Detumuit ergo in breui ſpiritus eorum: & videntes ſe hac via contra iuſtitiam non poſſe proficere, miſerunt in Siciliam Nuncios & Litteras Regis ſui, quibus muniti venerant, vt ope Siculi Regis & Reginæ poſſent aliquid à domino Papa aduerſus Eccleſiam impetrare. Sed Chriſtianiſſimus Rex Francorum præſagiens hanc verſutiam malignantium, Panormitano electo cauſam Eccleſiæ & domini Cantuarienſ. commendauit vt propriam. Quis alterutrius Legationis profectus ſit, hactenus ignoratur. Superuenerunt interim Nuncij Legatorum, quos Rex Angliæ impetrauerat, minimè coarantes. Nam quicquid cecinerat alius, alius in Curia decantabat: ſed nec de iſtis certum eſt quid ſint ad Dominos ſuos relaturi. Supplicatum eſt ex parte Regis & Legatorum, adhibitis multis interceſſoribus, domino Papæ pro Epiſcopo Sareſberienſi. Et tandem obtentum vt ei ſummus Pontifex ſuam remitteret iniuriam & offenſam, & domino Cantua- C rienſi ſcriberet, rogans & conſulens vt ei dimitteret iniuriam ſuam, & ipſum à ſuſpenſionis ſententia relaxans in gratiam reciperet & amorem: ſi tamen ei in propria perſona de ſatisfactione ſufficientem præſtiterit cautionem, aut duos de maioribus Clericis Eccleſiæ ſuæ excepto Decano tranſmiſerit, qui iurent quoniam Epiſcopus eis mandauit, & poſtea non demandauit, hoc præſtare iuramentum, quo ipſius Epiſcopi nomine & vice iurabunt, quòd Archiepiſcopo de contumacia & iniuria ſatisfaciet. Ex quo probabiliter colligi poteſt, quòd dominus Papa ſententiam Legatorum, qua iam dictum Epiſcopum abſoluerunt, aut ignorauit, aut ratam habendam eſſe non credidit. Obtinuerat autem idem Epiſcopus ante Litteras ferè conſimiles, quæ tamen ipſum & ſuos non onerabant aliquo iuramento: ſed eis nondum vſus eſt, vel quia Regi diſplicuerunt, vel quia minoris efficaciæ reputatæ ſunt. Quem verò calculum reportaturi ſint alterutri, neſciebatur adhuc quando reuerſus eſt prædictarum portitor Litterarum, ſed dominus Papa reſcripſit Chriſtianiſſimo Regi ſe Eccleſiæ Dei & ſuo Cantuarienſi non defuturum, quamdiu partem eius iuſtitia comite poterit ſubleuare. Nunc ad Regum noſtrorum colloquia transſeamus. Illuſtres viri Henricus Campanorum & Philippus Flandrenſium Comites procurauerunt in Conuentu Sueſſionenſi cauſam Regis Angliæ apud Chriſtianiſſimum Regem, & iuxta tandem preces memorati Regis Anglorum in

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

hanc formam pacis decurſum eſt. Rex Angliæ debebat redire in hominium Regis Franciæ, & fide corporaliter & publicè data coram omnibus profiteri, quòd ei tanquam Domino ſuo de Ducatu Normanniæ ſeruiet, ſicut præceſſores ſui Duces conſueuerunt ſeruire Francorum Regibus. Comitatum verò Andegauenſem & Cenomannenſem, & fidelitates Procerum ad memoratos honores pertinentium cedere tenebatur Domino Henrico filio ſuo, qui indè hominium & fidelitatem Regi Francorum contra omnes homines factus erat; nec aliquid debitus patri vel fratribus, niſi quod exigit ratio meriti vel naturæ. Ducatum verò Aquitaniæ lege ſimili Rex Francus Ricardo filio Regis Angliæ concedebat, dans ei in matrimonium filiam ſuam, ſed ſine dote, quæ tamen erat pro libitu parentis donationem propter nuptias acceptura. De Toloſa nec mentio habita eſt. Milites, qui altrinſecus capti erant, debebant liberari, & ſic conſolidari pax & concordia Regum. Cùm verò Rex Angliæ voti compos audiret Comitem Henricum ad ſe venire, vt hæc ineundæ concordiæ forma confirmaretur, demandauit ei ne progrederetur proficiſcens in Pictauiam vt Liziniacum caſtrum auferret Proceribus, qui illud reædificare conuenerant & munire. Cauſam verò quam eum Francis tractabat, commiſit Archiepiſcopo Rothomagenſi & Richardo du Humet & R. de Luci finiendam vice ſua: quorum iuramenta contra voluntatem Domini ſui Franci noſtri non appreciantur vel obolum. Vnde Rex Francus ratus ſe deluſum eſſe dolo partis alterius, Bituricas indignans profectus eſt: ibique à Proceribus Pictauorum iuramenta recepit & obſides, quòd nullam ſine conſilio & voluntate eius cum Rege Angliæ facient pacem: eis auxilium mutuum repromittens, & iuramento Petri fratris ſui, & Comitis Stephani, & VVillelmi militis Carnotenſis, firmans quòd nec ipſe faciet pacem, niſi facta pace eorum, & niſi eis reſtituantur ablata. Iteratò itaque ſed diligentiùs per ante dictos Comites Campanum & Flandrenſem egit Rex Angliæ, vt alterius Regis haberet colloquium: & pacem pro forma, in quam conuenerant, reformaret. Et quidem in octauis Paſchæ colloquium obtinuit Optimatum Francorum, ſed faciem Regis videre non meruit, niſi ante ſecuritatem præſtiterit quòd Pictauenſibus, & omnibus qui Regi adhæſerunt, pacem & vniuerſa ablata cum integritate reſtituet. Excepto quòd non tenetur Pictauenſibus, ſicut nec ei Pictauenſes, mortuos ſuſcitare, vel caſas reædificare combuſtas. Hanc ergo fide corporaliter data præſtitit cautionem, & quòd alios articulos pacis apud Sueſſionem diſpoſitæ fideliter obſeruabit. Hoc ipſum ſimili modo cautum eſt à Proceribus eius. Proceres autem Franciæ ei ſe fide obligauerunt, quòd Rex Franc. ſi ſibi pacta ſuperiùs poſita & ſuis ſeruata fuerint, præmonſtratam pacis obſeruabit conditionem: excepto quòd filiam ſuam non conſentit Richardo deſtinato Duci Aquitaniæ in matrimonium collocare. Hoc tamen de Toloſa expreſſum eſt, quòd ſi Richardus de Comite Sancti Egidij ſibi petierit iuſtitiam exhiberi, Rex cauſam tractabit iudicio Curiæ ſuæ. Quæ cùm Regi Francorum relata fuiſſent ex ordine, conſenſit vt cum Rege Anglorum loquatur Dominica proxima poſt Aſcenſionem, & ſecundum prædictas conditiones faciat pacem. Sed Pictauenſes ei poſtea conquesti ſunt, quòd Rex Angliæ eos tranſmiſſo exercitu expugnabat, dum verba concordiæ tractarentur: exercitum tamen confecerant, & ducem eius Comitem Patricium interfecerant, ſed inuiti. Vnde Rex Francus plurimùm motus eſt, ſed an hoc impedire pacem poſſit ignoro, licèt eam pœniteat ſic conſenſiſſe. Ceterùm aliquatenus inductus fuit contemplatione deuotionis, quam Regem Angliæ opinatus eſt concepiſſe. Cùm enim idem Rex pro reformanda ſibi pace Francos, de quorum amicitia confidebat, operoſiùs ſollicitaret, & electum Carnotenſem didiciſſet Chriſtianiſſimo Regi familiarem eſſe præ ceteris, eò quòd alios Optimates præcedere creditur in timore Domini & operibus ſapientiæ, acceſſit ad eum, affectuoſiùs ſupplicans vt eum reconſiliaret Domino ſuo, cum quo & pro quo ſi placeret paratus erat in Ægyptum proficiſci. Electus verò, vt pote vir prudentiſſimus, volens verbi latebras ſibi profundiùs aperiri, Eſt ne, inquit, verum quod dicitis, vt cum eo velitis ire Hieroſolymam? At ille, Nihil vnquam feci libentiùs ſi placuerit Domino meo, & me permiſerit domui meæ diſponere, & liberis prouidere. Carnotenſis autem etſi dolum ſubeſſe ſuſpicaretur, hoc retulit Regi Francorum. Ille autem reſpondit quia turpe erat totiens decipi, nec ſe aliqua ratione rediturum ante quod ex animo locutus ſit, quàm humerum eius cruce videat inſi-

A gnitum. Nam cùm hoc antea ei promiſerit, & firmauerit cautione, qua commiſſa nemo fidelis eſt, & religionis præſtitæ preuaricator appareat, ait ſtultum eſſe nudo verbo eius haberi fidem. Pronior tamen fuit exinde ad concordiam ineundam. Nunc autem cùm audiſſet, quòd dum hoc promitteret, Pictauos aggrederetur; adeo turbatus eſt vt ei per nuntios ſuos denunciauerit, ſe ad colloquium non venturum, niſi ille Pictauenſibus ſecurum præbeat commeatum, & det obſides, quòd nec in itu, nec mora, nec reditu, ipſe vel ſui aliquam eis inferret læſionem. Et iam certum eſt, quòd ſi ſalua honeſtate potuerit à conditionibus reſilire, oportunitate temporis gratanter vtetur. Sunt etiam qui putent, quòd Rex Angliæ nullo modò tantam poſſit ignominiam ſuſtinere, vt his pacem & caſtra cum ceteris ablatis reſtituere compellatur: qui interfecerunt Proceres ſuos, & honori & voluntati eius tanta contumacia reſtiterunt. Solet enim improbus eſſe, præſertim vbi impetum impatientis animi ſuccendit iniuria. Alij autem quia homo verſutus eſt, & ſe videt in arto poſitum, opinantur quòd ſolita ſimulandi arte vtetur ad præſens, & accepto tempore de inimicis optatam expetet vltionem. Sed quicquid faciant Reges, non creditur quòd Pictauenſes cum eo ineant pacem, eo quòd deſperant ſe poſſe fidem reperire in homine, à quo ſe etiam innocentes contra fidem læſos eſſe queruntur. Verùm ſupetuacaneum eſt varias retexere opiniones, cùm rerum euentus in breui ipſam detegat veritatem: quam, cùm innotuerit, tibi, auctore Deo, B quantociùs potero ſignificare non pigritabor, tam de pactis Regum quàm de ſtatu Domini Papæ, & cauſa Eccleſiæ Anglicanæ diligentiſſimè referens quicquid relatu dignum eſſe credidero. Tu mihi de ſtatu tuo & amicorum reſcribens, vicem redde: habens, & à Sanctis haberi faciens in bono, mei & meorum memoriam ante Deum.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

Eidem Bartholomeo Exonienſi Epiſcopo. EPIST. VII.

ALTERNA fortuna rerum vices mortaliúmque conditionem nunc deiicit, nunc extollit. Rectius tamen dixerit & verius, quòd is qui ventis & mari imperat, exigentibus hominum meritis in politia mundana, re ſcilicet publica degentium in hoc ſeculo ſeditiones eſſe patitur, & interdum quaſi procellas excitat, nunc eas beneplaciti ſui miſeratione compeſcit. Hac autem ipſius diſpenſatione nuper accidit, quòd illuſtris Rex Angliæ, licèt ſæpè ſolènitet & publicè iuraſſet ſe in hominium Chriſtianiſſimi Regis vlterius quo ad viueret non rediturum, ſaniori conſilio acquieſcens propoſitum mutauit, & in proximo Epiphaniorum die apud Montemmirabilem in pago Carnotenſi ad memoratum Regem ſupplex acceſſit: ſe liberos, terras, vires & theſauros exponens; vniuerſa contulit in arbitrium eius; vt omnibus vteretur, abuteretur pro voluntate, retineret, auferret, daret quibus & quantum vellet pro libitu, nulla prorſus inſerta vel adiecta conditione. Secre- *Edit. 168.*
C tas quoque eidem per internuntios obligationes ante præſtiterat, ſed nulla earum occulta eſt, quin vt credimus publicetur in breui. Eum ergo benignè manſuetiſſimus princeps recepit, Deo gratias referens qui ipſius animum emollierat, & ei qui ſalubri conſilio adquieſcens debita humilitate Eccleſiæ & populis vtilem quærebat pacem. Sic in hominium eius reuerſus eſt fide corporaliter præſtita, quòd ei tanquam Domino, cui ante Regnum ſuum hominium & fidelitatem fecerat, fidem ſeruabit contra omnes homines, eique præſtabit auxilium & obſequium, quod Regi Francorum Normannorum Dux præſtare debet. Inde ſibi dextras & oſcula dederunt. Reſtituitque Rex Francus Anglico Britones & Pictauos, accepta prius ab eo cautione, quòd ei caſtra & terras ab initio diſſenſionis huius ablatas reſtituet, pacémque ſeruabit: compenſatione homicidiorum & incendiorum hinc indè admiſſa. Die verò ſequenti filios ſuos adduxit Henricum & Richardum, quorum primus hominium & fidelitatem fecit Regi Francorum de Comitatibus Andegauenſi & Cenomannenſi. Nam ipſe Rex in hominio Comitis Theobaldi pro Turonenſi remanet. Alter verò præſtita fidelitate ſimiliter & hominio Pictauenſem recepit Comitatū. Huius pacis præcipui inuentores fuerunt Comes Theobaldus, & Frater Bernardus de Grandimonte, qui primi cum Regibus conſcij fuerunt ſecretæ obligationis, cuius feci ſuperiùs mentionem. In hac autem honorum diſtributione Franci Regno ſuo arbitrantur plurimum eſſe proſpectum: eo quidem magis

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

quo cum acerbiori dolote meminerant Henricum filium Regis Angliæ Regi Fran- A
corum pro omnibus hominium feciſſe, quando inter ipſum & filiam eiuſdem Regis
ſponſalia contracta ſunt. Receperat ante pancos dies Rex Anglotum per ſanctiſſ.
virum Priotem de Monte Dei, & iam dictum Bernardum de Grandimonte, pro
Cantuarienſi Archiepiſcopo commonitorias domini Papæ, quarum tibi exemplum
mitro: paciſque probandæ ſpem dederat, ſi modo dominus Cantuar. ei coram
hominibus ſpeciem humilitaris prætenderet, perſuaſerátque viris Religioſis quòd
eum in omni honore & libertate Eccleſiæ totius Regni poſt ſe Dominum & Prin-
cipem conſtituere diſponebat. Vnde eorumdem conſilio accitus Archiepiſcopus
à Rege Chriſtianiſſimo, cum coexulantibus ſibi huic colloquio interfuit, & in om-
ni humilitate flexis genibus ad Regis ſui pedes acceſſit in conſpectu omnium: hac
» forma verborum vtens: Miſeremini mei Domine, quia pono me in Deo & vobis
» ad honorem Dei & veſtrum. Sed Rex qui pacem promiſerat Eccleſiæ, dum time-
bat ſuam poſſe turbari, ſucceſſibus nouis elatus prærupit in contumeliam ſuppli-
cantis, & impudentia loquendi promeruit, vt qui antea minus verus, nunc à Fran-
cis habearur & inurbanus. Et vt cauſam ſuam, quam omnes iniquam nouerant, co-
ram ſanctiſſimo Rege & aliis Principibus iuſtificaret, contumelias & fabulas hoc fi-
» ne concludit. Nihil Domine mi Rex, & vos ſancti viri & Principes qui adeſtis, aliud
» ab Archiepiſcopo peto, niſi vt mihi ſeruet conſuetudines quas quinque proximi
» anteceſſores ſui, quorum aliqui ſancti ſunt, & miraculis coruſcant, meis obſerua-
» uetunt, quas & ipſe promiſit, & hoc in præſentia veſtra tanquam Preſbyter & Epi- B
» ſcopus ſimiliter ſine malo ingenio mihi polliceatur. Hæc eſt enim ſola cauſa diſ-
» ſenſionis inter me & ipſum, quòd eas infringit, & quaſdam earum cum obſeruato-
» ribus ſuis, apud Eccleſiaſticæ libertatis profeſſores eſſe permiſit aſſertores iuſtitiæ,
» & teſtes legis, aſſeuerantis quòd nec exilium nec proſcriptionem, dum modo illa
» vigeat, pro ipſa fidelis debeat formidare. Omnes cauſæ noſtræ articulos tenes, iu-
ramentorum, quæ à nobis exacta ſunt, noſti conceptionem: vt in hac parte dili-
gentiùs explananda non oporteat immorari. Sed fortè dices, quia pridem propoſi-
ra mutabitur formula iuramenti, nec cogetur aliquis in reprobarum conſuetudi-
num verba iurare, contentus erit exactor iuramenti ſi fidelitatis ſeruandæ ſibi ſuc-
cinctim abſolutè verba præſtentur: ita quidem vt non adiiciatur, fidem Eccle-
ſiæ & Prælatorum obedientiam ſaluam fore. Nam, vt aiunt, iſtis nec vult, nec
voluit præiudicare, quod nec exigitur iuramentum. Verùm ſi præiudicare non
debet, quare neceſſariæ ad ſalutem obſeruationis non licet fieri mentionem? Si
præiudicat, qua conſcientia præſtabitur à fideli? Conſilium, inquis, ſapien-
tum eſt, cùm pro bono pacis & omnium ſuſpicione vitanda, tum pro adipi-
ſcenda materia gerendorum, vt neceſſariis & amicis poſſit quiſque officioſus eſſe.
Nunquid amicorum & nugantium familiarium fauore, qui nos deſeruerunt in ad-
uerſis, relinquendus eſt Pater miſericordiarum qui nos conſolarus eſt, & cõſolatur
in omni tribulatione, immò nec tribulationis nos permittit habere ſcientiam? Sua- C
dent alij vt iuremus. At ille dat conſilium non iurandi. Cuinam putas eſſe creden-
dum? Ego certè Dei pro me incarnati & mortui conſilium fidelius & ſalubrius
credo, & illum frontis attritæ eſſe non ambigam, qui ſuum duxerit præferendum.
Vt ergo ceteras maiores & tibi notas exilij & proſcriptionis cauſas taceam, quia
Chriſto iuramenta diſſuadenti credidi, proſcriptus ſum: cui quicumque non cre-
dit longè periculoſiùs proſcribetur. Nam in comminationibus & promiſſis æquè
fidelis eſt. Nec dico quòd omne, licèt à malo procedat, ſit illicitum iuramentum.
Habet enim interdum veniam: cui locus omninò non eſt, niſi cùm occurrẽti culpæ
ratio cauſæ veniam impetrarit. Locum iſtum prætereo Deo potiùs diſcutiendum
& conſcientiis ſingulorum: ne ſi quid argutius, prout ratio ſuggerit, elocutus fue-
ro, in aliorum & fortaſſe innocentium, qui iuramenta præſtiterunt, ſuggillationem
ſpiritum videar effudiſſe. Malo enim moderationis habena calamum cohibere,
quàm diuinæ legis articulos congerere: qui & ſi rectè prolati fuerint, interdum
non niſi ad ſubuerſionem proficiunt auditorum. Tranſeo ergo ad illa, quorum tu
dediſti materiam, orans, obſecrans, & obteſtans vt non deficiat fides tua: nec cre-
das ſpiritui eorum, qui ſuum Neptunum ſequentes, ipſo mediante properant ad
Plutonem, & deſcendunt in infernum viuentes. Loquantur interim quod volue-
rint: iactitent ſe aduerſus Chriſtum Domini præualuiſſe in vanitate ſua. Perditio

A eorum aſtat pro foribus, quorum gaudium eſt ad inſtar puncti: & gloria, ignis, ſtercus & vermis. Qua via in breui Deo propiciante ſcies, & tinnient aures eorum à ſibilis & clamore fidelium, quibus pauperes Chriſti fuerunt in ſibilum & deriſum. Nec dubites, niſi fortè tibi perſuaſum ſit mortales non eſſe morituros, quin in ſententiam anathematis reponantur, qui fraude tacendi & mentiendi aſtutia meritos laqueos videntur euaſiſſe. Hoc autem amicis noſtris (ſi qui tamen noſtri ſunt) non fortunæ, perſuadere memineris, vt non fleant ſuper nos. Et vtinam ſuper ſe ipſos flere non debeant, quia nobiſcum agit Altiſſimus, verbere tamen deducto quomodo pater ſereniſſimus cum filiis cariſſimis agere conſueuit. Ceterùm tibi compatior, qui minorem ſecuritatem in portu quàm in naufragio reperiſti. Sed ſi tibi Deus vel ad modicum patientiam dederit, tibi, quod indubitata fide pronuncio, naufragi de quibus deſperatur citiſſimè poterunt & volent opitulari. Sta ergo in ea conditione, in qua à Domino vocatus es, & ſaltem quatenus ſine periculo potueris diuinæ legis aſſertor exiſte. Satis humanum eſt quod dico propter infirmitatem carnis noſtræ, quia niſi qui legis cuſtodiam periculis omnibus anteponit, ſaluari non poſſe teſtis eſt beatus Apoſtolus & tota concio perfectorum. Scripſi homini pro quo ſollicitaris, & credo quòd ab ipſo per latorem præſentium de ſtatu eius qui Deo propitiante bonus eſt certioraberis. Amicos noſtros ſaluta diligentiùs, quorum nomina ſicut paginæ ſubducta, ſic animo portitoris confido multiplicatis precibus eſſe impreſſa. Valete.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

B

TRAIMVNDI MONACHI CLAREVALLENSIS

EPISTOLÆ HISTORICÆ.

Quas nomine LVDOVICI VII. Regis, Petri & Henrici Abbatum Clareuall. ac aliorum conſcripſit.

Ex duobus Codd. Mſſ. quorum vnus communicatus eſt à pio & docto Viro Nicolao Camuſat Eccleſiæ Trecenſis Canonico: alter à Claudio de la Fons celebri apud Auguſtam Veromanduorum Aduocato.

EPISTOLA I.

C

DOMINO *Papæ* ALEXANDRO LVDOVICVS *Rex Francorum.* SI benè placitum eſt Domino in populo ſuo, vt exaltet manſuetos in ſalutem, inſtare credimus tempus, & horam, qua iudicium ſit mundi, & Princeps mundi huius eiiciatur foras. Expectauimus vt videremus iſtum. Vidimus, & gauiſi ſumus, vt ſicut aſpirauit dies, ita & inclinentur vmbræ: fiátque de medio caligo criminum, & nebula peccatorum, quæ texit hactenus omnem terram. Videmus, & gaudemus redditam nobis pacem. Videamus & gaudeamus per vos redditos dies bonos, in quibus ſibi iuſtitia & pax mediante caritatis oſculo copulentur. Dies ipſi vitæ veſtræ felicibus limitentur egreſſibus, quibus nouo & amplectendo miraculo annoſior indulta eſt prolixitas temporum, vt auctior vobis ſurgat teſſera meritorum. Neque enim fruſtra credendum eſt, quòd ideò in vobis hoc donum Eccleſiæ ſuæ ſanctæ Rex immortalis indulſerit; vt anteceſſores veſtros, quos vincitis diuturnitate dierum, vincatis etiam beatitudine ſeculorum. Profectò namque ſupernus ille mortalitatis noſtræ moderator & arbiter ideò vos in diem hanc, ſicut confidimus, reſeruauit, vt accepto tempore iuſtitias iudicetis, & ponatis praua in directa, & aſpera in vias planas. Vt reſtituatis Hieruſalem ſicut in diebus antiquis, ponentes deſerta eius ſicut hortum

LVDOVICVS VII. IVNIOR. Domini, & ſolitudinem eius quaſi delicias. Luxit hactenus, & elanguit terra: A confuſus erat Libanus, & ſordebat. Sed infunditur citè verna temperies, & de viſceribus terræ bonæ ſpei germina reuiuiſcunt. Concuſſa ſunt namque corda mortalium, iudiciorum veſtrorum timore mollita: ita vt infœcundi hactenus pectoris gleba florente iam ceſpite in frugem vitæ melioris erumpat. Ecce iam florent vineæ, iam flores fructus parturiunt. Tantum ſit qui capiat vulpes paruulas, & omne reptile venenatum in ſuæ malignitatis aſtutia comprehendat. Quod ne conſueti turbinis impedire poſſit occaſio, ecce hiems tranſit, imber abiit & receſſit, tempus putationis aduenit. Putetur ergo, Domine, putetur & fodiatur vinea Domini ſabaoth, vt ſarculo fructificante in vſus ampliores exuberet, dum ſterilia ſarmenta non ſuſtinet. Pacatam vobis hanc vineam reddidit Dominus Deus noſter. Veſtri erit amodo operis & laboris, vt eam ſibi mundam & fructiferam reſignetis. Stillent ſuper eam montes dulcedinem, & colles iocunditatem. & dantibus cœlis pluuiam, ipſa quoque proferat fructus ſuos. Date ſimul & vos voci veſtræ vocem virtutis, vt audiant & intelligant vniuerſi, quòd poſuerit vos Dominus in lucem gentium, vt ſitis ſalus eius vſque ad fines terræ. Præſtò eſt enim piæ intentioni veſtræ operandi facultas, cui tanta conceditur ſanctæ operationis auctoritas. Et vt paucis multa complectar, ad reſtaurandum Eccleſiæ ſtatum poſſe adiacet vobis. Velitis tantùm, & ſalua ſunt omnia. Prope eſt vt & ipſa clamet ad vos. Tantum dic verbo, & ſanabitur puer meus. Quis enim non credit auditui veſtro? quis non obedit verbo? quis non obtemperat iuſſioni? Quòd etſi reluctari quiſpiam pro ſua malignitate præſumpſerit, ſonent exultationes Dei in faucibus veſtris, & gladij ancipites in manibus aſſumantur. Ad faciendam vindictam in nationibus, & increpationes in populis. Ad alligandos Reges eorum in compedibus, & nobiles eorum in manicis ferreis. Fuit hactenus impoſſibilitatis & malitiæ temporis, quicquid in Eccleſia Dei circa inſtituta Eccleſiaſtica pullulauit. Supereſt amodò, vt vobis omnimodis imputetur, ſi ex veſtro neglectu depereat quod vtilitas vniuerſitatis expectat. Agite ergo, agite vt Eccleſia ſancta iam tandem in vnitate lucretur quod amiſit in ſchiſmate, & damna præcedentium temporum veſtrarum reſarciat integritas actionum. Omnia omnibus hactenus licuerunt, ſatiſque prodit diſſolutio vitæ, quantum eneruata ſit ſeueritas diſciplinæ. Pontifices etenim noſtri præſunt vtique, ſed pauci qui proſint. benè cum quibuſdam agitur, ſi non obſint. Qui vtique in vſus vel abuſiones magè ſuperfluas equos multiplicauit & quadrigas, vt locorum quocumque peruenerunt, omnia ſumptibus & ſuperfluitate confundant. Non ſunt hæ quadrigæ Aminadab, non eſt hic cæleſtis exercitus equitatus. Viderint ipſi ne illorum potiùs ſit forma curruum, quos mediis fluctibus inuoluit omnipotens, quando equum & aſcenſorem deiecit in mare. Pupillo non iudicant, cauſa viduæ non intrat ad eos. Fitque apud nonnullos eorum, vt ſola æſtimatio munera in ſtatera præponderet æquitatis. Cùm in villam vel Monaſterium quodlibet venturus nunciatur Antiſtes, Regem putetis prodire, C non Præſulem. tantus eſt equorum exercitus, tanta caterua comitum, tantus præcedentium populus gartionum. Deinde in lautas epulantium cœnas tenuis Eccleſiæ victus exſpirat, & alimonia pauperum migrat in delicias conuiuantum. O ſi eſſet qui parietem foderet, vt radius lucis vibraretur introrſus, qui educeret ad iudicium opera tenebrarum, & ad vindictam exigeret vmbram mortis. Porrò ad hæc omnia corrigenda oſtium vobis eſt apertum in Domino, vt remoto vniuerſæ difficultatis obiectu currat velociter Apoſtolicus ſermo, quem audiat Syon, & lætetur, & filiæ Iudæ in iudiciis eius exultent. Sicut ergo magnificauit Deus facere nobiſcum, & cum aliis Catholicis Regibus, & Principibus orthodoxis, quibus optatum præſtitit in veſtra exaltatione triumphum, ita & ipſe in veſtris neceſſe eſt operibus honoretur, vt celebre ſumamus de publici ſtatus emendatione tripudium. Sanè iſte, quem deplorauimus, Eccleſiæ morbus, perpetuum creſcit & proficit in languorem, niſi in hoc Concilio repererit ſanitatem.

EPISTOLA II.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, & dilectis filiis vniuerſis Abbatibus in Ciſtercienſi Capitulo conſtitutis, ſa-*

LVDOVICVS VII IVNIOR.

A *lutem & Apoſtolicam benedictionem.* INTER vniuerſas mundani turbinis tempeſta-
tes, quas contra Eccleſiam Dei & nos ipſos feruentis perſecutionis procella com-
mouit, magnum nobis eſt præſtitum Deo prouidente remedium, cùm vniuerſita-
tis veſtræ feruentiſſima caritas nec pericula timuit, nec adminicula denegauit. Ex
his videlicet retributionis cumulum, ex illis actore Deo patientiæ conſecutura
triumphum. Meminimus planè, & cum omni gratiarum actione recolimus, quàm
immobili firmitate fluctuantem Petri nauiculam fidei noſtræ anchora ſeruarit in
turbine. qualiter etiam frequens orationum inſtantia quaſi iterum dormientem in
eadem nauicula Saluatorem ingruente ſuſcitarit tempeſtate. Ita vt ſæpenume-
rò magnitudine obſtupefacti miraculi & ipſum glorificemus, quo mari & fluctibus
imperante, optata cœpit arridere tranquillitas: & vos penitus venerabiles habea-
mus, quorum nobis ſuffragantibus meritis, cœleſtis creditur placata Maieſtas.
Accedit ad hæc omnia dilectorum filiorum noſtrorum Ciſtercienſium & Clareual-
lenſium Abbatum ſollicitudo laudabilis & deuota, qui non humano inſtinctu, ſed
superni conſilij, prouocati, pro pace vniuerſalis Eccleſiæ labores maximos & peri-
cula ſubierunt. Quod tantò nobis & fratribus noſtris gratum eſt amplius & acce-
ptum, quantò eorum ſtudium & laborem vniuerſæ Dei Eccleſiæ magis confidi-
mus profuturum. maximè quia ſpetamus, quòd pia eorum inſtantia veſtris oratio-
nibus inceſſanter adiuta, ad Ordinis honorem & commodum, & ad optatæ pacis
profectura ſit incrementum. Debitores ergo vobis pro tam multiplici caritatis ve-
B ſtræ munere conſtituti, vos & ſacrum Ordinem, quem ſeruatis, omni qua poſſu-
mus affectione diligimus, & eiuſdem Ordinis profectibus & augmentis ampliſſi-
mo ſtudio pro parte ſollicitudinis aſpiramus. Quandoquidem inutiliter videre-
mur ſuperni agricolæ viciſſitudinem gerere, ſi plantationem quam plantauit dex-
tera eius oportunis ceſſaremus imbribus irrigare. Eapropter vniuerſitatem veſtram
per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus
recolentes qualiter hæc plantatio ſancta, hæc vitis fructifera, hæc de[illegible]que vinea
Domini Sabaoth ſub primis Ordinis Patribus pullulauit, & palmites ſuos longè la-
téque producens, ad mortifera circumquaque venena pellenda flores protulit, &
odores effudit. Peruigili cuſtodiâ ſtudeatis eorum in omnibus inhærere veſtigiis,
per quos cooperante Domino in deſerto mundi huius flos huiuſcemodi plantatus
eſt honeſtatis. Hi enim monaſticæ frugalitatis continentiſſimi profeſſores, opti-
mum ponentes in paupertate principium, totius ſufficientiæ aſſecuti ſunt comple-
mentum. Eccleſiæ cari, Epiſcopis & Prælatis accepti, atque in conſpectu Regum
& Principum famâ & merito glorioſi. Nunc autem, quod dolentes dicimus, etſi
non ab omnibus, neque in omnibus, à pleriſque tamen & in pleriſque ab illa ſancta
inſtitutione dicitur declinatum. In tantum quòd aliqui ex vobis primæ inſtitutio-
nis obliti penitus vel ignari, contra Ordinis veſtri gloriam & decorem, villas, mo-
lendina, Eccleſias, & altaria poſſident: fidelitates & hominia ſuſcipiunt, ruſticos
& tributarios tenent. quorum conuerſatio tota eſſe debebat in cœlis. Læditur hic
C Ordo penitus, & mutatur, nec eſt hæc mutatio dexteræ Excelſi. quinimò de dex-
tera potiùs in læuam tranſeunt. Qui cùm relicto ſeculo ſub paupertatis habitu
Deo militare decreuerint, negociis denuò ſecularibus implicantur. Inde eſt quòd
vobis ab his qui foris ſunt contentiones & litigia ſuſcitantur, & Abbatibus in cau-
ſis forenſibus occupatis, plerumque in commiſſis Domibus & tepor Ordinis, &
diſſolutio noſcitur caritatis: maximè quia caritas in paupertate plus proficit, & cu-
piditatis dedignata conſortium, vt illa reſtinguitur, hæc repeſcit. Ideóque ſan-
ctum & venerabile Collegium veſtrum precibus & monitis, quibus poſſumus, ex-
hortamur: quatinus Domus illæ, quæ à prima ſua origine in Ordine ſunt fundatæ,
conſtitutis & ordinariis terminis ſint contentæ, nec velint ad ea manus extendere,
quæ ſine laboribus & periculis multis, & demum ſine magna Ordinis confuſione,
minimè poterunt retinere. Si enim relictis originalibus Ordinis inſtitutis, ad com-
munia volueritis Monaſteriorum iura diuertere, oportebit & vos communi iure
cenſeri: quia dignum eſt vt qui ſimilem cum aliis ſuſcipiunt vitam, ſimilem ſen-
tiant in legibus diſciplinam. Ceterùm Domus illæ, quæ de aliis inſtitutionibus ad
veſtrum ſe Ordinem tranſtulerunt, veſtris omninò ſatagant vſibus conformari: vt
relictis videlicet poſſeſſionibus, vel mutatis, quas inſtitutio veſtra non recepit, ſic
ſe in omnibus veſtræ Religioni coaptent, vt quemadmodum ſe gaudent in ſocie-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. tatem Ordinis mutatione habitus & obſeruantiæ regularis aſſumptos: ſic etiam in A pareitate temporalium rerum ſe lætentur inſtitutionibus conformatos. Quatinus indè & ſuperno Conditori magis amabiles, & nobis atque vniuerſæ Eccleſiæ Dei fieri debeant meritò cariores. Sanè ſi ſuper poſſeſſionibus ipſis in aliquo de Monaſteriis veſtris Apoſtolicæ Sedis auctoritas diſpenſauit, à nullo veſtrum ſumendum eſt in exemplum. quia temerarium eſt penitus & indignum, aliquem ſibi ſua auctoritate præſumere, quod Romana Eccleſia alicui Monaſterio certa ratione inſpecta, ſingularibus voluit beneficiis indulgere. De cetero nos, & totum ſanctæ Eccleſiæ negocium, veſtris deuotis orationibus commendamus: orantes & ipſi, vt omnipotens Pater, in cuius eſtis nomine congregati, ordinationes & opera veſtra in beneplacito ſuo diſponat, & vos pariter ac ſubditos Fratres ad ſpiritualia iugiter incrementa promoueat. Ad hoc, quoniam prædictum Clareuallenſem Abbatem pro ineuitabili neceſſitate promouendæ pacis ab aduentu Capituli duximus retinendum, eum à vobis petimus haberi excuſatum: ſicut & de ipſo Ciſtercienſi in patientia vos ſuſtinere rogamus, ſi fortè contigerit vt eum pro tanta neceſſitate celebrato Capitulo reuocemus. Data Beneuento XIV. Kalend. Auguſti.

Ciſtercienſi Abbati, Abbas Petrus. EPIST. III.

PERFVSVS amaritudine ſpiritus, & tactus dolore cordis intrinſecus, quid dicam vobis Pater, vel quid faciam neſcio. Afflictione valida, & miſeria ſaturatur. Vos autem ex his quæ ſcribuntur attendite, & videte ſi eſt dolor ſimilis B ſicut dolor meus. Obductam namque præteriti vulneris cicatricem ſcidit nuper ictus acerbior, vt qui parricidalia dudum funera in patris nece defleueram, eadem cogar & nunc in Clareuallis primogenito deplorare. Ad maiorem verò mearum miſeriarum cumulum, vterque quodammodo inter manus meas extinctus eſt, vterque me præſente peremptus: vt gladius doloris huius eò crudeliùs orbati ſenis animam pertranſiret, quo me miſerum feriret cominus, & preſſiùs è vicino confoderet. Accidit enim ante paucos hos dies, vt in Domo Trium-Fontium, quæ prima eſt in filiabus noſtris, viſitationis ageremus officium. Et ecce Abbas eiuſdem loci ſacrarium Eccleſiæ, vbi altare beati Bernardi nuper erexerat, peculiarem orationem ſolito celebraturus ingreditur, quatinus poſt hoc Miſſarum ſolemnitatibus celebratis deuotior nobis & negociis inſtantibus redderetur. Cúmque ibi moram faceret, & cum Angelis Dei aſſiſteret coram Domino, affuit etiam inter eos ſathan, permiſſus in eum extendere manum ſuam: vt ille innocentiſſimus Pater ibi reciperet mortem, vbi vitæ requirebat auctorem. Ingreſſus eſt namque poſt eum vir Belial nomine Simon, qui clauſo oſtio, vt occideret in abſcondito Patrem ſuum prædictum Abbatem, vibrata in caput ejus acie ſecuris aggreditur. Nec priùs à vultus & verticis conuerſione deſtitit, quàm ille non iam miſer, ſed adhuc miſerabilis Pater laureatum ſuo ſanguine ſpiritum in eius quem orabar manibus expiraret. Poſt hæc, vna hora tranſacta abiit crudeliſſimus parricida, & Miſſam celebrare non timuit: vt velamentum ſceleris deuotione ſibi aſciſceret Sacerdotis. Diu enim præ tumultu lugentium, & concurrentium Monachorum ignoratus parricida delituit, quamuis nox ſanguinis ſine intermiſſione fluentis virum ſanguinum, quotiens feretro cominus acceſſiſſet, ſtillicidiali quodam teſtimonio demonſtraret. Vnde poſtmodum pro his, & aliis quibuſdam coniecturalibus ſignis ad rationem poſitus, reum ſe patrati facinoris confitetur. Dignus quidem, qui nullam conſequatur veniam, qui nullam repperit in eo mortis cauſam. Et ecce nunc, Pater optime, captus & catenatus tenetur in vinculis. Pro quo vobis inſtantiſſimè ſupplicamus, vt præfixa die conſilio & habita deliberatione cum Fratribus, talis in eum diffiniatur pœna, quòd ſimilis præſumptionis debeat finiri materia. C

Regi Portugalliæ, Abbas Petrus. EPIST. IV.

PIÆ dignationis veſtræ gratiam, qua nos Regiæ ſalutationis alloquio præuenistis, obuiis brachiis pronæ humilitatis amplectimur. Gratias agentes Deo, qui ſic vos fecit gloriâ terrenæ dignitatis excelſum, vt magis amore cœleſtium humilitatis

A humilitatis vos fecerit apice glorioſum. Sic enim humiliter, ſic benignè veſtra ſe nobis gloria in Litteris quas miſiſtis inſinuat, vt militem potiùs videantur ſonare, quàm Principem. vtque ille verè eſt eminentiſſimus Principatus, qui Chriſti fide cernitur & humilitate ſubnixus. Iam verò quas vobis gratias redibere poterimus, qui paupertatem Fratrum noſtrorum pauperem eſſe non ſinitis, quam continuæ beneficentiæ donis, & protenſis locorum finibus ampliatis. Intende, quæſumus, Chriſte Ieſu, & hæc ſancta opera Regiæ huius pietatis accepta: vt qui pauperibus tuis liberam reddit huius ſeculi ſolitudinem, perennem cum eis habeat in domo Patris tui tuo munere manſionem. Nós quoque pro modulo noſtro, piiſſime Princeps, beneuolentiæ veſtræ diuitias venerantes, oblationem Monaſterij de Caſtineria, quod piæ religionis amore in Ordinis noſtri titulum tranſcribere cogitaſtis, gratanter accipimus. promptam gerentes in Domino voluntatem, vt cùm Abbas loci venerit, ſubuentionem à nobis & opem recipiat congruentem. Quod autem ad orationum pertinet ſuffragia quæ petiſtis, numquid poteſtis bonorum noſtrorum non eſſe participes, quibus intantum ſumus pro veſtra beniuolentia debitores?

Papæ Alexandro, Conuentus Clareuallenſis. EPIST. V.

DISCIPVLORVM Chriſti exemplo ducimur, vt in pelago mundi huius B procella ſurgente deterriti, ad cœleſte præſidium fugiamus à fluctibus, & quieſcentem in puppe Vicarium Saluatoris pulſemus precibus, clamoribus excitemus. Confidimus enim, quòd nauicula Clareuallis, quæ ab olim vos habet in omni tempeſtate rectorem, vndoſis ictibus etſi colliditur, non quaſſatur, quamdiu inter maris huius turbines procelloſos tali & tanto gubernatore dirigitur. Et vt eam, quæ de vobis eſt, ſummam noſtræ fiduciæ pernoſcatis, non timebimus præſentibus vobis cum qualibet commotione naufragium, quia ſtabit ſi dixeritis ſpiritus procellarum. Ecce autem nunc, beatiſſime Pater, repentini turbinis fragor infremuit, & tempeſtas è longinquo prorumpens horrorem nobis proximæ turbationis inuexit. Eccleſia ſiquidem Toloſana proprio deſtituta Paſtore, oculos in Abbatem noſtrum, noſtræ pacis æmula irreuerenter iniecit. tanquam non putet ſibi à propria ruina ſurgendum, niſi & nobis interim ſtatus noſtri machinetur excidium. Quærit & ſatagit iacturam ſuam de noſtra calamitate reficere. non attendens, neque recogitans, quàm peruerſo ordine diuinis diſpoſitionibus obuiet, ſi Hebræorum ſpoliis locupletet Egyptios. Nos autem, quorum intereſt mutationis huius penſare diſpendium, ad pedes veſtros flebili deuotione proſternimur: profuſis lacrymis vnanimiter exorantes, quatinus contra huius turbinis inſtantiam tranquillitas nobis veſtræ conſolationis arrideat, vt nullum admittatis de Patris mutatione conſilium, quod plangat in poſterum calamitas filiorum. Scitis enim vos, & nos ipſi experimento C didicimus, quòd in variatione magiſtratuum quantumlibet tenax diſciplina reſoluitur, & admiſſa crebriùs mutabilitate Paſtorum, gregis plerumque ſinceritas diſſipatur.

Regi Francorum, Conuentus Clareuallis. EPISTOLA VI.

AMPLISSIMOS regiæ dilectionis affectus, quos ad vniuerſas Eccleſias Regni veſtri ob reuerentiam ſummi Regis expanditis, ad cumulum conſueuiſtis initiatæ circa nos caritatis aſciſcere: vt gratiam ceteris ex veſtra pietate communem, nobis faceretis abſque aliorum præiudicio ſingularem. Sic enim piiſſimum pectus veſtrum cœleſtis gratiæ opes amplificant, vt abundet in eo quod vniuerſitas hauriat, & non deſit ibidem quod familiaris affectio iure proprietatis inuadat. Nos ergo ſpecialis gratiæ prærogatiua gaudentes, tantò ſecuriùs in neceſſitatibus noſtris ad tronum veſtræ Maieſtatis accedimus, quantò clarioris certitudinis argumenta ex ipſo dilectionis priuilegio iam tenemus. Nunc ergo Clareualli veſtræ granditer vos adeſſe neceſſe eſt, quæ ſi humano præiudicio Paſtorem ſuum regnantibus vobis amiſerit, non reſtat ei amplius in quo confi-

LVDOVICVS VII IVNIOR.

dere vltra de homine vel velit omninò, vel poſſit. Miſimus autem Nuncios noſtros ad vos; qui nimirum vt fidelès inueniantur, neceſſe eſt completum iri quod nobis per eos de veſtræ protectionis magnificentiâ reſpondiſtis. Nam dominus Cardinalis qualiter impleuerit quod promiſit, inopinata mutatione tam itineris quàm voluntatis oſtendit. Supereſt igitur, vt fidei veſtræ ſinceritas opem nobis fraudatæ conſolationis inſtauret, ſcribendo domino Papæ, vt in exterminium pacis noſtræ neque nunc aſſentiat, neque in poſterum cuiuſlibet deſolatæ Eccleſiæ voces in conſuetudine noſtræ turbationis admittat. Improbum namque eſt, & ſacris legibus interdictum, vt quis cum detrimento locupletetur alterius. Et nos certè pro vtilis electione Paſtoris fruſtrà videmur ſtudio deuotæ orationis inſiſtere, ſi ex vſu contingat noſtras nos lacrymas alienis potiùs conſolationibus profudiſſe. A

Papæ Alexandro, Abbas Henricus Clareuallis. EPIST. VII.

VT in gaudio & exultatione metatis quod pia ſollicitudine ſeminaſtis, ad notitiam veſtram, Pater ſancte, deferimus, quòd cura, quam nobis Apoſtolica delegauit auctoritas, ſuaues in aliquibus & acceptabiles Deo fructus fidei veſtræ merito parturiuit. Ita vt & nos delectet executio boni operis, & vos certè pœnitere non debeat vtilis & ſaluberrimæ iuſſionis. Illuſtris namque Comes HENRICVS, noſter ſpecialiſſimus Princeps & Dominus, terræ peregrinationis noſtræ, compunctus & inſpiratus à Domino, vexilla ſalutis primus arripuit, & dignum Domino ſpontaneæ oblationis offerens ſacrificium, ad æmulationem pij muneris ducem ſe ceteris præſtitit pietatis. Iam in hortulo cordis eius germina læta repullulant, iam futuræ fertilitatis ipſius aprica viriditas hilareſcit. Ita vt ſentientes in eo fragrantiam ſpei bonæ, exultemus & lætemur in ipſo, tanquam in odore agri pleni, cui benedixit Dominus. Nuper enim circa Dominici Natalis proxima ſacramenta de manu Legati veſtri viuificæ Crucis ſignum pia deuotione ſuſcipiens, publicæ ſolemnitatis gaudium inopinatæ lætitiæ feſtiuitate præuenit, vt de ipſo quoque merito reſonaret, *Gloria in excelſis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.* Ecce igitur pro eo coram vobis affectuoſiſſimæ deuotionis preces prona humilitate proſternimus, rogantes vt Terram ſuam, quam patrocinio veſtro ex fiducia multa commiſit, meminentis prout decet Apoſtolici præſidij tuitione vallandam. quatinus quiſquis in eam aliquod fuerit in abſentia Principis machinatus incommodum, indignationem veſtram ſe non dubitet incurſurum. Nulli etenim iuſtiùs diligentia ſacri Apoſtolatus impenditur, quàm ei, qui tollens crucem ſuam, per tot maris terræque diſcrimina Crucis Dominum imitatur. B

Papæ Alexandro, Abbas Henricus. EPIST. VIII. C

DOCTORIS gentium probat auctoritas, & noſtra iugiter infirmitas experitur, quòd nemo ſcit hominum quæ ſunt in homine, niſi ſpiritus hominis qui in eo eſt. Verùm & hic ipſe ad ſua ipſius intima dinoſcenda caligat, niſi hoc ab alio ſpiritu adiutus intelligat: illo vtique de quo Apoſtolus ait, *Spiritus adiuuat infirmitatem noſtram.* Ille namque ſolus cùm omnia ſcrutetur, etiam profunda Dei; ille, inquam, ſolus occulta humani cordis intelligit, & vires ac potentias ſingulorum ſingulari & propria virtute diſcernit. Quod ideò dictum ſit, amantiſſime Pater, vt nulli de me credatis quod ſupra me eſſe meus ipſe mihi ſpiritus atteſtatur: domeſticus vtique propriæ inſufficientiæ perſcrutator, & nec mearum virium neſcius, nec debilis imbecillitatis ignarus. Scitote itaque, Pater, & credite, quòd ſi quid in me gratiæ vel virtutis aut eſt aliquatenus, aut eſſe conuincitur, illorum penitus eſt meritis attributum, quibus in Lege Domini conſeruandis indigna me fateor Prælatione ſummiſſum. Eorum debetur commodis omnė quod poſſum, eorum deputabitur vſibus quod accepi. Quibus ſi quid exindè qualibet ſurreptione fraudauero, timeo ne quod illis pro parte ſurripitur, mihi digniùs ex aſſe tollatur. Multò proindè melius mihi, multò ſecu-

A riùs, apud illos iugiter munia impoſitæ ſeruitutis implere, quàm eum eo quod illorum eſt de gente in gentem vaga mutatione tranſcurrere. Quando verò idoneus fierem regere gentes indomitas, & diuinæ legis ignaras, qui nec illos etiam adminiſtrare ſufficio, qui plus mihi ex diſciplina conferunt, quàm à me recipiant per doctrinam? Et iſti quidem per ſemitas iuſtitiæ debili currentes inceſſu, ſponte feruntur ad vias vitæ: illi verò pactum fecere cum morte, & manibus & verbis accerſierunt illam. Verumtamen & propter illos mori pro veſtra mihi erit iuſſione promptiſſimum, parato pro viribus meis ad omne quod contra hereſes illius regionis iniungitur, dum modò ab ea mihi quam ſomniant Pontificis electione parcatur. Rogo igitur, & per manſuetudinem noſtri Redemptoris obteſtor, vt quicquid vobis alij ſuggerant, qui conſuetæ forſitan correptionis aculeos remouere longiùs à ſua conuerſatione feſtinant, ab his tamen, quibus diuinæ videor ordinatione coniunctus, paternitas me veſtra non ſeparet, nec cogat me ampliùs ad ſeculi huius alta reſpicere, qui elegi ab olim in Domo Domini humilibus conſentire. Inueniam, quæſo, miſericordiam in oculis veſtris, ne ab acceſſu Concilij huius timoris occaſione retarder. vt poſſim vobis tanquam Vicario Chriſti Ieſu, & ſummo ſpeculatori turris Dauid, quædam ſingulariter comperta ſuggerere, quæ poterunt Deo propitio in vniuerſitatis commodum redundare. Numquid tanti eſt ad Tribus ſolummodo Toloſanas, & fe-
B ces VVaſconiæ conuertendas intendere, vt negligantur alia multa, quæ poteſtis, ſi creditis, & debetis, vſque ad extremum terræ, in ſalutem multarum gentium prouidere? Ipſa quoque Toloſana Eccleſia, ſi non ei aliundè conſulitur graue interim diſpendium ſuſtinebit, dum ego ſi me cogitis fugiam quoad potero, etſi non effugiam manus veſtras.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

Papæ Alexandro, Abbas Henricus. EPIST. IX.

EST in Inſula Hiberniæ vir vitæ venerabilis, fide Chriſtianus & nomine, qui in populo illo barbaro & gente nouiſſima ſummo hactenus fungitur Sacerdotio, & Legationis inſuper titulis inſignitur. Nunc autem infirmitate confectus & ſenio, quietis & vacationis vota concepit, fatiſcentem nimirum cauſatus ætatem. Quippe qui videt exitum huius vitæ ſibi pro foribus imminentem. Maturus igitur miles, & poſt varios triumphos legitimæ concertationis emeritus, præteritæ operationis hebdomadam Sabbato quærit requietionis occludere, & ſpiritualibus tandem otiis dedicare id quod eſt reliquum vitæ ſuæ. Facta igitur ceſſione Pontificij quod gerebat, ne gentem, in qua hactenus laborauerat, abſque conſolatione dimittat, virum venerabilem F. latorem præſentium ordinari ſibi deſiderat ſucceſſorem, celebrata electione in ipſum à Clero & populo, & Magnatibus Terræ eius. Vnde nos, licèt tales in ob-
C ſeruantiis Ordinis adiutores, quàm in Eccleſiaſticis functionibus fieri cupiamus Antiſtites, adducimur tamen aſſenſum noſtrum præſenti negocio non negare. Timentes vtique illi barbaræ nationi, ne facilè in eis naturalis feritas recrudeſcat, ſi in tepidioris ſegniciem diſciplinæ, à ſpiritualium virorum feruore refrigeat. Quapropter ſi ita videtur & vobis, rogamus vt votis & deſideriis prædicti Pontificis, tam in abſolutione eius, quàm in ordinatione iſtius efficaciter annuatis. Quicquid autem agendum fuerit, ſcitote quòd ei & viarum prolixitas, & breuitas expenſarum moras inhibet longiores.

Regi Anglorum, Abbas Henricus. EPIST. X.

ADIE, qua vobis Deo inſpirante complacuit, vt ad redemptionem familiaritatis noſtræ ſinus ſeſe regiæ dignationis expanderet, & apex tanti culminis inclinaret, iugis & interpolata memoria veſtri ſedem noſtri pectoris occupauit, quæ nos non patitur vel in amore veſtro tepeſcere, vel à gloriæ veſtræ prædicatione ceſſare. Teſtis eſt terra VVaſconiæ, & nobilis vrbs Toloſa, quam ex diſpoſitione nuper veſtræ magnanimitatis adiuimus. qualiter per os noſtrum in omni opportunitate colloquij tam publici quàm priuati magnifica virtus veſtræ Maieſtatis inſonuit, & inter oppanſas quodammodo erroneæ turbæ caligines

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ſplendor veſtræ tam fidei quàm pietatis effulſit. Deindè cùm iam rediiſſemus A ad propria, eiuſdem veſtræ pietatis gratiam domeſticis noſtris relatu familiari deprompſimus, & Abbatibus è diuerſis mundi partibus congregatis cum ſolemni quadam & feſtiua lætitia regalis beneficentiæ nunciauimus largitatem. Inter cetera ſanè, quæ de amplificatione & cuſtodia Ordinis ſeruaſtis hactenus & ſeruatis, curæ nobis fuit non ſolùm exhibita, ſed & promiſſa referre: vt gratiùs accepta recolerent, cùm potiora in reliquum ex gratuita pollicitatione ſperarent. Specialiter illud ampliſſimum donum præconio excellentiore protulimus, quod Clareualli noſtræ in noſtris manibus promiſiſtis, vt videlicet plumbi lamina in operimentum Oratorij noſtri veſtro munere contributa, deuotio, quæ vobis in pectore flagrat, vobis ſuper tecta reſplendeat. Hoc igitur acceptantibus vniuerſis, & dignas Deo gratias perſoluentibus, habita deliberatione decreuimus Oratorij noſtri menſuram ſine orationum menſura tranſmittere. orantes impenſiùs, & clamantes ad Dominum, vt pro decore Domus ſuæ, quam ampliatis meritis, reſtituat ipſe vobis Domum non manufactam, æternam in cœlis.

Idem ad eundem. EPISTOLA XI.

CELEBRATVS eſt apud nos dies honorabilis & ſolemnis, noua feſtiuitate ioeundus, & ampla iocunditate feſtiuus, vt pote quem nobis reuelatio B ſacratiſſimi corporis beati BERNARDI celeberrimum reddidit, & lumine clariore perfudit. O quàm voluimus gaudiis illis, plus vtique cœleſtibus quàm terrenis, veſtræ Maieſtatis intereſſe præſentiam! quatenus & nobis de gloria principali decor tantæ feſtiuitatis excreſceret, & vobis de meritis illuſtriſſimi Confeſſoris præſentaneo quodam irriguo vberioris benedictionis largitas emanaret. Verùm quia id nobis ampla diſtantia remotiſſimæ regionis inuidit, ad ſpeciale remedium vota tranſtulimus, fecimúſque Deo propitio quod veſtra ibi etſi præſentia defuit, memoria non vacauit. Solemniter etenim nomen veſtrum cum ſuæ pietatis inſignibus, noſtrorum vt oportuit & affectionibus Fratrum & cordibus impreſſimus filiorum: qui ampla illud deuotione ſuſceptum aſpectui quodammodo ſancti Patris offerrent, & cœleſtis Aulæ Secretario præſentarent. Præterea, ne corporalis abſentiæ occaſio regias apothecas inuenti muneris participatione fraudaret, mittimus vobis de theſauro reliquiarum eius honorabilem portionem. Indignum penitus reputantes, ſi pietas tanti Principis tantæ ſanctitatis participio fraudaretur. Suſcipite igitur digitum ſacræ illius manus, quam, pro eo quòd vir iuſtus, ab omni munere terreni quæſtus excluſit, Deus eam, vt dignum fuit, affluentiſſima copia cœleſtis benedictionis impleuit. Illius, inquam, manus, cuius tactus ſanabat ægros, roborabat inualidos, firmabat homines, dæmones effugabat. Illius manus, quæ Clareualli veſtræ, cui vos date tecta diſponitis, primum iniecit lapidem funda- C mentis. Fuit autem ſtudij noſtri, diligenter in vaſculo conſignare quod mittitur, ne vel theſaurus ibi reconditus per frequentes apertiones iniuriæ pateat, vel deuotæ ſurreptionis inſtinctu dolus aliquis piæ fraudis irrepat.

Cabilonenſi Epiſcopo, Abbas Henricus. EPIST. XII.

SERMO bonus egreſſus à Domino non indignè quidem de veſtra nos electione lætificat, quos in veſtra pariter dilectione ſublimat. Gaudemus ſiquidem ad altiora conſcendere quos amamus: & eos præſertim, de quorum datur conuerſatione præſumere, quòd eis in ſignum gratiæ operationémque virtutis ſublimis adueniant culmina dignitatis. Specialiter autem ex vobis ſpecialem ſumimus in hac promotione lætitiam, vbi ea materia exultationis offertur, per quam in artioris amicitiæ ſtatum præcedentis gratiæ merita fœderentur. Illa enim Eccleſia vos ſuſcipit in Paſtorem, per quam vos mater Ordinis eſt habitura Pontificem. Ita vt ſimilis gratiæ parentela in ſubditam linea deſcendente progeniem habituri ſimus amodo viſcera pij Patris, in quo habebamus hactenus ſimplicis beneuolentiam dilectoris. Ceterùm & prædictæ matri noſtræ ſicut benè confidimus, eò ampliùs aſſiſtetis, & ſua in omnibus iura ſeruabitis:

A quo piæ religionis æmulari propoſitum ab ipſa infantia ætatis veſtræ didiciſtis. Deuotis ergo precibus cœleſtis nobis exoranda eſt potentia, vt operis huius initia ſtabili ſalubritate promoueat, & vt multiplicando pondus oneris, amplificet & dilatet incrementa virtutis. Vt autem hæc ipſa incrementi veſtri primordia lætis vndique fulciantur auſpiciis, rogamus prudentiam veſtram, quatinus in negocio Longiuadi, & noſtræ neceſſitudinis, & veſtræ meminetitis honeſtatis. Prouidentes intercedentibus nobis, quòd vel negocium ad Domus illius pacem & commodum dirigatur. Si quas ergo vel noſtras vel aliorum Litteras habuiſtis, quæ prædictæ Domui exceptionem ſoluti contractus opponant, eas nobis loco magni muneris tedibere. Facturi rem gratam & acceptabilem cordi noſtro, ſi Domum Longiuadi ab huius litigij diſcrimine liberetis.

LVDOVICI VII. IVNIOR.

Eidem Cabilonenſi Epiſcopo. EPIST. XIII.

CONVALVIT in Domino ſpiritus meus veſtræ felicis promotionis auſpicio, quam vtrique acceptabilem Deo, ſalubrem vobis, Eccleſiæ vtilem, & vtrique noſtrûm arbitror eſſe communem. Nam in nobis ſi ad caritatis reſpicitur vnionem, ego ipſe quodammodo intelligor eſſe promotus, qui veſtræ dilectionis glutino mediante in corde u. & a. u. veſtræ ſum paternitati coniunctus. B Ideóque attributæ vobis cœlitus dignitati felices proceſſus; & ſucceſſus vberes, imprecamur, optantes vt eam ſibi non priuatus ambitus, ſed publicus debeat vendicare profectus, detúrque per illam nobis de iuſtitiæ ſemine lætitiæ manipulos portare. Quod vtique diuina præeunte gratiâ hac vobis ratione continget, ſi prodeſſe magis aſſueueritis quàm præeſſe, & quodam æmulatoriæ imitationis obtentu ſollicitum vos prædeceſſoris veſtri præſtiteritis ſucceſſorem; cui ſic exuberauerit pietatis liberalitas in egenos, vt præſtò ſemper eſſet iuſtitiæ ſeueritas in tyrannos. Confido ego, cariſſime, hoc ipſum vobis ex diuina prouiſione collatum, vt ei ſuccederetis in opus ſollicitudinis, cuius tam vitæ quàm actionis exemplum vobis eſſet ſpeculum ſanctitatis. Gerenda eſt ergo vobis Eccleſiarum tutela, cura pauperum, defenſatio pupillorum. Talibus enim hoſtiis promeretur Deus. Et quoniam quod plus eſt cordi, magis inſtat affectui, Altecumbæ noſtræ memoriam facimus ſpecialem, pro illa preces, ſed pro illa interceſſiones vtiles effundendo, vt curam eius, quam ego omninò non poſſum deponere, vos ſi placet veſtris affectibus imponatis: remota prorſus ambiguitate ſcientes, quòd mihi ſpecialiter erit exhibitum quicquid ei fuerit de gratia & veſtri fauore patronatus impenſum.

Eidem Cabilonenſi Epiſcopo Abbas Henricus. EPIST. XIV.

C NECESSITAS amicum probat, & intimæ caritatis ardorem ſplendor exhibitæ ſubuentionis elucidat. Si quando igitur, vel nunc maximè nobis veſtræ dilectionis experimenta præbebitis, cùm & nos vrget, & veſtræ imminet Claræualli, in quo & ei & nobis animi veſtri beniuolentiam demonſtretis. Angit enim nos vehementer, nec dubium omninò quin angat, Ciſtercienſis electionis inſtantia, ne dum à multis magniſque perſonis matris dignitati concurritur, in iacturam & diſpendium filiæ recurratur, inſtantibus vtique Fratribus Domus ipſius: vt qui Toloſani turbinis fluctus integra rate nos enauigaſſe putauimus, in portus noſtri finibus naufragemur. Rogamus ergo vos, & tanta neceſſitate conclamante depoſcimus, quatinus relictis curis omnibus, & intermiſſis ad tempus, veſtrum ad nos acceleretis aduentum, ita vt infra Dominici Natalis octauas, veſtris in hoc opere & conſiliis & auxiliis in Domino perfruamur. Videtur autem nobis, niſi fortè vobis aliter videatur, vt Durandum hortari & inducere debeatis, quòd ad conſeruandam pacem noſtram piè ac prudenter inuigilet, & aſſenſum ſuum contrariis ſuggeſtionibus non inclinet.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

LVDOVICO *Regi Francorum*, *Abbas Henricus.* EPIST. XV.

PIISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, HENRICVS *Clareuallenſium pauperum ſeruus*, *immarceſſibilem æterni Regni coronam.* INTER cetera fidei & pietatis inſignia, quibus inter reliquos mundi Principes veſtræ ſublimitatis apex ſingulari & ferè vnica deuotione reſplendet, illud in vobis Chriſtiani feruoris propoſitum amplectimur, & laudamus, quòd de eliminanda hereticorum incertitudine concepiſtis. intantùm vt animum quoque Regis Anglorum in eandem, ſicut audiuimus, induxiſtis pietatem. Gratias Deo ſuper inenarrabili dono eius, de cuius munere venit vt in terris poſitus de cœleſtibus cogiteris. Vnus inuentus diebus his noſtris, in quo præter conſuetudinem Principum memoria potiſſimùm vigilet æternorum. Non ergo ceſſamus pauperes veſtri de Claraualle, ſedulò pro vobis orantes ad Deum, vt veſtræ magnanimitatis vota grata, rata, & acceptabilia faciat, & omnes regiæ diſpoſitionis-anniſus ad gloriam ſuam & ſalutem veſtram promoueat, ordinet, & diſponat: ſpecialiter autem in hoc opere Chriſtianæ Religionis & fidei copiam vobis gratiæ cœleſtis impendat, per quam dignus inueniamini coronâ iuſtitiæ, tam propagator fidei, quàm victis infidelibus triumphator. Et nos quidem nuper ire ad partes illas pro viſitandis noſtris Domibus diſponentes, decreueramus faciem veſtram etiam in hoc ipſum præcedere, vt poſſemus aliquos ex infidelibus illis priùs ab erroribus ſuis, deindè ab ore imminentis gladij liberare. Habita tamen deliberatione nobiſcum, præſenſimus melius eſſe nobis omninò deſiſtere, ne ipſi forſitan ex monitis noſtris in ſua redderentur perfidia cautiores. Vobis meliùs decernitur huius pugnæ victoria, per quam fauente de ſupernis Altiſſimo, vel faciatis eos ad Eccleſiæ ſinum reduces, vel à ſinu Regni propulſabitis contumaces. De cetero noſſe vos cupimus, quicquid forſitan alij dicant vobis, quòd ad diem, qua Comes HENRICVS Crucem aſſumpſit, inde licèt vocati intereſſe noluimus, quia dubitamus ſecundùm ea quæ pridiè acta fuerant, ne in aliquod vellent inutile declinare conſilium, quod nobis eſſet aliquatenus inhoneſtum. Ibi tamen eadem die nec orationes Fratrum noſtrorum, nec noſtræ Litteræ defuerunt: quibus per Dei gratiam & Princeps animatus eſt ad ſuſceptionem Crucis, & Conſiliatij eius rectò inceſſerunt itinere veritatis. B

Omnibus fidelibus, *Abbas Henricus.* EPIST. XVI.

Hæc Epiſtola refertur à Rogero de Houeden Anglo, in parte poſt. Annalium, ſub an. 1178.

AVDITE cœli quod plangimus, ſentiat terra gemitum cordis noſtri: Doleant vices Chriſti Catholici Chriſtiani, & ad detrimentum fidei fidelis populus ingemiſcat. Quique terrigenæ & filij hominum humanæ ſalutis damna deplotent, & generalis vitæ ſuæ ſubuerſio ab omnibus viuentibus generaliter lugeatur. Stat contra phalangas Iſraël nouus noſtri temporis Philiſtæus, hereticorum ordo, exercitus peruerſorum: qui agminibus Dei viuentis irreuerenter exprobrat, & Dominum Maieſtatis impia præſumptione blaſphemat. Quid dubitas, ô Dauid? quid trepidas vir fidelis? Sume tibi fundam & lapidem, percutiatur protinus in fronte blaſphemus: & caput nequam, quod impudenter erigitur, ſuo tuis manibus mucrone tollatur. Si enim in hoc certamine pars Chriſti vincitur, ſi vel ad modicum & in puncto mater Eccleſia conculcatur: ſcimus profectò cauſæ noſtræ non deeſſe meritum, ſed patronum. Scimus quòd non negabitur agoniſtæ noſtro triumphus, ſi in amore Chriſti militet pugnaturus. Verùm, quia iuxta veritatis verbum Domini meſſis multa eſt, operarij autem pauci ſubintrolerunt: audacter tuorum, bone IESV, depopulatores agrorum parati ſicut operarij ſubdoli acerba magis eradicare, quàm matura demetere, & tuæ meſſionis diem ſuis direptionibus præuenire. Vbi ſunt ergo nunc agricolæ tui conſtituti ſuper fertilem agrum & iocundum, tuo cruore floridum, & aſperſione pij ſanguinis irrigatum? Surgant & opitulentur nobis, & in neceſſitate nos protegant, ſeque ad cruentas beſtias murum defenſionis opponant. Surgite, inquam, ſurgite viri Patres, Duces gentium, Principes populorum. Abigite feras peſſimas quas vidimus, quas monſtramus: vel ſaltem vulpes paruulas effugate. Et capere quidem melius. ſed ad hæc quis C

A idoneus? Non habent certos aditus, ſemitas ambulant circulares: & in quodam ſuarum fraudium labirinto monſtra nouiſſima reconduntur. Tanquam damula de manu diffugiunt, & inſtar colubri tortuoſi quò eos plus aſtrinxeris faciliùs elabuntur. Deo autem gratias, quia etſi capi nequeunt, fugati poſſunt: vt cùm prodiderint quod demoliebantur in nobis, confundantur & pereant in ſeipſis. Hoc autem quàm ſit facile, per ea quæ vidimus & tractauimus approbamus: vt iam amodò ſi factum non fuerit, non tam illorum nequitiam quàm defectus noſtros noſtrorúmque negligentiam deploremus. Contigit enim nuper ad imperium domini Papæ, & hortatu piiſſimorum Principum LVDOVICI Francorum, & HENRICI Anglorum, Regum, venerabilem PETRVM Apoſtolicæ Sedis Legatum, viróſque diſcretos Pictauenſem & Bathonienſem Epiſcopos, nóſque in comitatu eorum vrbem adire Toloſam. quæ ſicut erat ciuitas maxima multitudinis, ita etiam dicebatur mater hereſis, & caput erroris. Perreximus ergo ad illam, vt ſciremus ſi iuxta clamorem qui aſcenderat, eſſet dolor eius. Et ecce inuenta eſt plaga eius magna nimis, ita vt à planta pedis vſque ad verticem non eſſet in ea ſanitas. Verè enim tertia pars nobis nunciata non fuerat de omnibus abominationibus ſuis malis, quas ciuitas illa nobilis in incredulitatis ſuæ gremio confouebat. Locum in ea ſibi abominatio deſolationis inuenerat, & propheticorum ſimilitudo reptilium in latibulis eius domicilium obtinebat. Ibi heretici principabantur in populo, dominabantur in Clero: eo quòd ſicut populus, ſic Sacerdos. & interitum gregis ip-
B ſa configurabat vita Paſtoris. Loquebantur heretici, & omnes admirabantur. Loquebatur Catholicus, & dicebant, Quis eſt hic? In ſtuporem & miraculum deducentes, ſi eſſet aliquis inter eos, qui de verbo fidei auderet aliquid vel mutire. Interim præualuerat peſtis in terra, quòd illi ſibi non ſolùm Sacerdotes & Pontifices fecerant, ſed etiam Euangeliſtas habebant: qui corrupta & cancellata Euangelica veritate, noua illis Euangelia cuderent, & de corde ſuo nequam recentia dogmata ſeducto populo prædicarent. Mentior, ſi non erat inter eos homo quidam ætate grandæuus, rebus locuples, ornatus fratribus & amicis, & magnus homo inter maximos ciuitatis: quem ita peccatis exigentibus diabolus excæcarat, vt ſeipſum Iohannem Euangeliſtam diceret, & Verbum quod erat in principio apud Deum, ab alio quodam rerum principio tanquam à Deo altero ſegregaret. Hic erat in vrbe illa pereuntium caput, & princeps hereticorum. qui licèt tanquam laicus & idiota nil ſaperet, inter eos tamen velut quidam diabolicæ ſapientiæ fons perditionis latices emanabat. Conueniebant ad eum nocte noctuæ tenebroſæ, & ille indumento ad inſtar tunicæ dalmaticæque veſtitus, cùm ſederet inter eos tanquam Rex circumſtante in exercitu; erat & inerat deſipientium prædicator. Totam penitus vrbem diſcipulis ſuis & diſciplinâ repleuerat: quippe cui aliquis de vrbe præ fortitudine ſua reſiſtere non auderet. In ipſo quoque introitu noſtro tanta erat hereticorum vbique licentia, vt nos quoque per vicos & plateas recto itinere procedentes verbo ſubſannarent, digito demonſtrarent, nos apoſtatas, nos hypo-
C critas, nos hereticos conclamantes. Verùm procedente tempore, & data nobis requie diebus paucis, nunciatum eſt vni de nobis verbum exhortationis aſſumere, & de regula veræ fidei coram infideli multitudine diſputare. Habito autem ſermone orthodoxæ prædicationis ad plebem, contriti ſunt in Syon peccatores, poſſedit tremor hypocritas: vt qui priùs obſtruebant ora loquentium, iam apparere coram loquentibus non auderent. Audires illicò vel videres vulpes transfiguratas in talpas, vt quæ priùs in publico diſcurrebant, iam terrarum latebris, iam ſeſe cellulis immergerent cauernoſis: & plantaria ſacra, quæ iam non audebant in aperto commandere, infra terræ viſcera corroderent & necarent. Ne autem pardus ille diſcolor pellis ſuæ varietate ſe proderet, ſermonem ſibi nequam callidis adinuentionibus firmauerunt: vt ad noſtræ conformitatis ſimilitudinem ſimulandam, tracti ad diſcuſſionis examen, quicquid nos credimus ſe credere mentirentur. Ex illa ergo die dominus Legatus, & nos alij, qui cum feris beſtiis congredi putabamus, ad perſcrutandos eos, quos timor & confuſio tanquam ignobile reptile in ima terræ detruſerant, ſtudium totum conuertimus & laborem: vt vel coacti prodirent in publicum, & abiicerent in luce opera tenebrarum. Factum eſt exindè, præcipiente Legato, vt iuraret Epiſcopus, & quidam de Clero, & Conſules ciuitatis, aliique viri fideles, quos nondum in aliquo perfidiæ fama reſperſerat: vt

Sſ iiij

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

quoſcumque vel hactenus nouerant, vel noſſe eos contingeret in futuro, qui eſſent A huius hereſis vel complices, vel actores, eorum nobis nomina ſcripto deprometent, nulli penitus vel amore, vel precio, vel cuiuſpiam neceſſitudinis ratione parcentes. Cúmque pet dies ſingulos innumeta multitudo in catalogum illius conſcriptionis incederet, nominatus eſt inter alios magnus ille PETRVS MORANVS, quem Iohannem Euangeliſtam, vt ſuprà diximus, nominabant. Super quo nos omnes communicato conſilio decreuimus ab illo inchoare iudicium, vt turba in reliquis perfida contremiſceret, cùm falſi Euangeliſtæ verſutiam veri Euangelij ſimplicitas condemnaſſet. Miſſis igitur apparitoribus ſuis, præcepit eum COMES SANCTI EGIDII, qui fideliter nobis aderat, accerſiri. Sed ille in multitudine diuitiarum ſuarum, & parentum numeroſitate confidens, primæ citationis edictum faſtuoſæ dilationis colludio declinauit. Altera ergo die prædictus Comes blandiciis magis quàm terroribus vtens, eundem Petrum per amicos & notos leniter aduocauit: & eum nobis tandem poſt difficultates plurimas, mixtis cum terrore blanditiis, præſentauit. Tunc vnus, qui loquebatur è nobis, taliter eum exorſus eſt commonere: Eia nunc, Petre, tui te conciues accuſant, quòd ſanæ fidei regulis confutatis, in Arrianæ hereſis deueneris prauitatem: imò per multiplicium errorum verſutias & ducas ipſe alios, & ab aliis deducaris. Ad hæc ille de profundo ſuſpirans: In ſe non eſſe huiuſmodi, eſt prima fronte mentitus. Et requiſitus an hoc iuramento probaret, ſimplici aſſertioni ſuæ tanquam viri nobilis & illuſtris credi oportere contendit. Ceterùm cùm in exigendo iuramento vniuerſi pariter B inſtaremus, promiſit continuò ſe iuraturum: ne in hoc ipſo deprehenderetur hereticus, ſi iuxta quod conſuetudo erroris illius obtinuit, vitandi iuramenti exiſteret obſtinatus. Mox igitur Sanctorum reliquiæ honorabiliter efferuntur, cum tam ſolemni reuerentia & deuotione ſuſceptæ, vt & fidelis populus compungeretur ad lacrymas: hereticos verò, qui conuenerant, latebræ potiùs quàm talia ſpectacula delectarent. Ipſum verò Petrum in cantu, quem ad inuocandam Spiritus ſancti gratiam profuſis lacrymis cantabamus, tremor euidens & pallor operuit: ita vt ab eo color multus aufugeret, & virtus animi deperiret. Quomodo enim adueniente Spiritu ſancto, in aduerſariis eius ſpiritus remaneret? Cernere erat hominem quaſi morbo paralyſi diſſolutum, nec loquelam retinuiſſe, nec ſenſum: quamuis tantæ facundiæ fuiſſe diceretur ab omnibus, quòd omnes in dicendo ſolitus ſit ſuperare. Quid plura? Iurat infelix aſtantibus vniuerſis, quòd de omnibus fidei articulis, quos requireremus ab eo, ſuæ credulitatis exprimeret veritatem. Res mira, & in tali ſpectaculo pia iocunditate gratiſſima! Allatus eſt liber, in quo iurauerat, & vno de circumſtantibus Religioſo quodam loco occurrentis litteræ præ-
» noſticum perquirente, illius Scripturæ textus occurrit: Quid tibi & nobis IESV
» fili Dei? Veniſti ante tempus perdere nos? Verè, Domine IESV, nihil tibi & il-
» lis, quos pater tuus eiectos à te vite vera, tamquam infructuoſos palmites amputa-
» rat, & foras miſerat vt areſcant. At nobis inſtantibus, vt de ſacramento altaris C ſuam nobis fidem ſine fraude aliqua fateretur, quod corde non credidit ad iuſtitiam, nec ore confeſſus fuit ad ſalutem: ſed contra id quod de omnibus mentiri decreuerat, falſitatis ſuæ prodidit veritatem, & panem ſanctum vitæ æternæ Sacerdotis miniſterio in verbo Domini conſecratum, non eſſe corpus Chriſti nouo dogmate contendebat. Tunc ſurrexerunt omnes, eum quodammodo lacrymis obruentes, quas & ſacramentorum contemptus elicuit, & habita erga miſerum compaſſio Chriſtiana profudit. Nec plura. Datur Comiti reus, & hereticus iudicatus: ſtatimque ſub diligenti pollicitatione parentum cuſtodiæ publicæ mancipatur. Volat facti rumor per vicos & plateas ampliſſimæ ciuitatis, aperiuntur ora fidelium, & Catholicæ plebis labia in tua Chriſte præconia reſoluuntur: velut tunc primùm in eadem vrbe fidei ſplendor erumperet, & in ſpem ſalutis æternæ deſperata dudum ciuitas reſpiraret. Extunc igitur & deinceps verbum fidei creſcebat, & multiplicabatur indies: ita vt vniuerſa vrbis facies lætior videretur, quæ in candorem lucidæ virtutis de tenebris euadebat erroris. Interea Petrus ad ſe reuerſus, & Domino reſpiciente compunctus; cùm ſe dignum penitus tam præſenti morte cerneret quàm futura, miſſis mediatoribus multis ſatisfactionis quærit aditus, & conuerſionis pollicetur affectum: vt poſſit in frugem vitæ melioris ab imminentis mortis interitu liberari. Venit, recipitur, & in conſpectu ſiſtitur populi cir-

A circumſtantis, nudo quidem corpore, veteris exuens perfidiæ prauitatem. Ibi ſe coram omnibus hereticum recognoſcens, ibi dedit manus fidei, ibi abrenunciauit errori: præſtito coram omnibus manu dextera iuramento, & datis fideiuſſoribus tam Comite ipſo quàm multis præcipuis de conciuibus ſuis, quòd ad omne mandatum domini Legati ſe ſubderet, & iuſſionem eius in omnibus adimpleret. Tunc indictum eſt populo, vt omnes pariter ad Eccleſiam ſancti Saturnini die altera conuenirent, audituri & viſuri ſolemniter, quam pœnitentiæ formam Petrus ille ſuſciperet obſeruandam. Omnes ergo ſequenti die, vt fuerant præmoniti, conuenerunt: tanta vtique multitudo, tam frequens, vt vix remaneret ſecus ipſa altaris cornua locus vacuus, qui domino Legato Miſſæ ſolemnia celebranti ſine compreſſione nimia præberetur. Et ecce, coram illa multitudine multa nimis, Petrus ille iam noſter per ipſas Eccleſiæ valuas nudus & diſcalciatus adducitur: cædentibus eum hinc inde Epiſcopo Toloſano, & Abbate ſancti Saturnini, donec ad pedes Legati in ipſis altaris gradibus ſe proſterneret. Ibi in facie Eccleſiæ Eccleſiaſticis reconciliatus eſt ſacramentis: abiurata omni hereſi, & hereticis anathematizatis ab eo. Mox autem poſſeſſionibus eius publicatis vniuerſaliter & proſcriptis, pœnitentia illi talis iniungitur, quòd infra XL. dies à patria ſua exulaturus abſcederet, in ſeruitio pauperum Hieroſolymis triennio moraturus. Interim verò ſingulis diebus Dominicis Eccleſias Toloſanæ vrbis nudus & diſcalciatus cum diſciplinalibus virgis iuſſus eſt circuire, Eccleſiarum bona quæ abſtulerat reddere, vſu-

B raſ omnes quas acceperat reſtituere, damna pauperum quos afflixerat reſarcire, & caſtrum quoddam ſuum, quod hereticorum conuenticulis prophanarat, ab ipſis fundamentis euertere. Deus bone, quot lacrymas lætitia ſancta profudit! quas gratiarum actiones & laudes populus iubilans & deuotus cœleſtibus choris ingeſſit! cùm de cauerna perfidiæ talpa talis educitur, & in Iſraëliticam ouem lupus rapaciſſimus reformatur. Poſt hæc illo dimiſſo, dominus Legatus ad alios manus miſit, examinaturus vtique illos, quos in magno numero vel ſuſpicio publica, vel accuſatio priuata notauerat. Nos autem vix tandem extorta cum lacrymis licentia reuertendi, pro eo quòd inſtantia Capituli noſtri iam reditus exigebat: petita licentia ſub ea nobis eſt exceptione conceſſa, vt Albienſem dioceſim intraremus, commonituri Principem Terræ, ROGERVM ſcilicet Biterrenſem, vt Albenſem Epiſcopum, quem ſub cuſtodia hereticorum in vinculis tenebat, abſolueret, & vniuerſam Terram ſuam iuxta domini Legati præceptum eliminatis hereticis emundaret. Ingredientibus ergo nobis vnà cum ſupradicto Bathonienſi Epiſcopo illam perditiſſimam regionem, quæ velut totius ſentina maliciæ totam in ſe colluuionem hereſis illuc defluentis excepit: prædictus ROGERVS in vltimos & inacceſſibiles Terræ ſuæ fines abſceſſit, tam mala conſcientia profugus, quàm cauſæ ſuæ merito deſperatus. Oderat enim lumen veritatis actor maliciæ, nec ſuſtinere poterat noſtræ collocutionis acceſſum, qui totus receſſerat in opera tenebrarum. Peruenimus tamen ad quoddam munitiſſimum caſtrum eius, quod pro-

C priè ac ſingulariter Caſtri nomine incolæ nuncupabāt. Ibi habitabat vxor eius cum milicia magna, & familia multa nimis. Omnes ferè habitatores illius caſtri, vel heretici, vel hereticorum complices erant: licèt ſola Domini virtute repreſſi, nihil contra fidem quam prædicabamus præſumerent vel mutire. Quamuis enim eſſemus & nos in manibus ipſorum poſiti, & velut intra quoſdam potentiæ complices heretica vndique multitudine circumuenti: verbum tamen Domini non erat alligatum, quin eos continuis inuectionibus & increpationibus feriremus. Cúmque videremus quòd nihil omninò præſumerent reſpondere, iudicauimus prædictum ROGERVM proditorem, hereticum, & de violata pace Epiſcopi & ſecuritate periurum: eum tanquam publica excommunicatione damnatum, ex parte domini Legati & prædictorum Regum in præſentia coniugis militúmque ſuorum confidenter in Chriſti nomine diffidantes. Ecce amodo ſatis apparet quàm grande & euidens oſtium patet Principibus Chriſtianis, vt Chriſti vlciſcantur iniurias, ponántque deſertum illud quaſi hortum Domini, & ſolitudinem eius in delicias paradiſi. Ne autem vel parum, vel nihil contra illos poſſe cauſentur, ſciant omnes generalem fuiſſe in vrbe Toloſana ſententiam, quòd ſi viſitatio iſta fuiſſet adhuc triennio retardata, vix inueniretur in ea qui nomen Chriſti am-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

pliùs inuocaret. Super hæc autem omnia prædictus Comes Sancti Egidij coram populo ciuitatis præſtito iuramento firmauit, quòd amodo nec prece nec precio fauebit hereticis, nec eos in Terra ſua vlteriùs ſuſtinebit. A

Ad Manuelem Imperatorem, EPISTOLA.

MANVEL *Dei gratiâ ſereniſſimo Imperatori, ſempérque Auguſto*, VVILLELMVS *eadem gratiâ S. Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis, ſalutem, & continuæ proſperitatis augmentum.* Ex Imperialibus geſtis, & ipſorum augmentis operum cognoſcentes, quantis honoribus prædeceſſorum veſtrorum reuerentia, Chriſtianorum omnium matrem ſacroſanctam Romanam Eccleſiam ſublimauerit, quantíſque donauerit Priuilegiis, intuentes: & quanta eidem Eccleſiæ à Barbarorum tyrannide fuerint inflicta grauamina, ex quo Imperatorium nomen noſcitur ab illis vſurpatum: meritò Eccellentiam veſtram ſingulari quadam intentione diligimus, & Imperium veſtrum perpetua ſeruari ſtabilitate optamus, atque indeficientibus incrementis ſemper promoueri. Inde eſt, quòd deſideraremus, vt iam dictam Romanam Eccleſiam debita velletis ratione diligere, cum Chriſtianiſſimo ac verè Catholico Domino LVDOVICO illuſtriſſimo Rege Franciæ, qui eidem Romanæ Eccleſiæ, & beatiſſimo Patri noſtro ALEXANDRO vera fide & integra deuotione aſtringitur, firmum curaretis amicitiæ fœdus inire: vt quaſi funiculum triplicem, qui difficilè rumpitur, contexentes, trium poteſtatum viribus adunatis, dignitates vt veſtras inuicem conſeruare poſſetis intemeratas & inconcuſſas, & honores veſtros alternis auxiliis ampliare. Hac igitur conſideratione inducti, quoniam per venerabilem virum Archiepiſcopum Beneuentanum accepimus id Celſitudini veſtræ complacitum, præfato Regi Franciæ diligentiùs perſuadere ſtuduimus, vt mediante ſanctiſſimo Patre noſtro Romano Pontifice certi vobiſcum amoris fœdus iniret, & perſeuerantem pacem firmaret: & indubitantes confidimus, quia ſi per idoneos Nuncios & Litteras hoc prout congruit volueritis poſtulare, verbum illud auctore Domino gratum ſortietur effectum. Vt autem de Apoſtolatu ſupranominati Patris noſtri nulla menti veſtræ valeat remanere dubietas, Litteras memorati excellētiſſimi Regis Maieſtati veſtræ fecimus deſtinari, & quod de voluntate ipſius ſuper amicitia vobiſcum firmanda percepimus, præſenti Epiſtola vobis curauimus intimare. Veſtræ itaque ſublimitatis & circumſpectionis erit, ſi hoc vobis placet, ſemota procraſtinatione reſcribere: & verbum iſtud ad Eccleſiæ Dei exaltationem, & Imperatorij culminis ſolium communiendum propenſiùs & extollendum, citiùs executioni mandetur, ſollicitudinem atque operam vigilantiùs adhibete. B

A

EPISTOLÆ SVGERII ABBATIS S. DIONYSII,

AD EVGENIVM III. PAPAM, REGEM LVDOVICVM VII. &alios Franciæ Maiores: ipſorúmque ad eundem, dum Regnum adminiſtraret, de grauioribus negociis conſcriptæ.

Ex MS. Exemplari Clariſſ. Virorum Puteanorum Fratrum nunc primùm in lucem editæ.

B

VERSVS IN LAVDEM SVGERII ABBATIS.

MAGNE SVGERE, *Pater, cui ſummus apex meritorum*
Inter præcipuos dat loca prima Deos,
Carmen ab incudi nouiter tractum tibi dono:
Scripta precor lima corrige noſtra tua.
Sint inculta licèt, ſint vilia, ſint malè compta,
Tu precioſa tamen, cùm legis illa, facis.
Laudes ergo meas de laude tua precor audi.
Incitat ad laudem me mea Muſa tuam.
Cùm natura parens rerum benè cuncta crearet,
Te mirabiliter condere diſpoſuit.
Cúmque rudi de materia ſint cetera tracta,
Te Dea de maſſa nobiliore tulit.
Artificíſque diu dubium fuit in ratione,
Vtrum mortalem ſiue Deum faceret.
C *Maſſa valens operi ſic conueniebat vtrique,*
Vt vel poſſet homo, vel Deus hinc fieri.
Feciſsétque Deum Dea, nî ſuperi vetuiſſent,
Quorum conſilio quod facit omne facit.
Pertimuere quidem, ne ſi totus Deus eſſes,
Deprimeres alios mira patrando Deos.
Inuidiâ tandem ſuperûm permixtus vtroque,
Semiuir efficeris, ſemideúſque ſimul.
Dimidium maſſæ tecum retinens in vtroque,
Nec vir es abſque Deo, nec Deus abſque viro.
Ex alio diuina cupis, diuináque tractas,
Et quæ ſunt hominis perficis ex alio.
Eſt ex diuina natura, quòd tibi cœlos,
Cœlorúmque Deos pingis in Eccleſia.
Eſt ex humana, quòd Regnum protegis armis,
Augetúrque tuis publica res ſtudiis.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

Et nunc ſemideus in templo cœlica tractas,
Nunc vir in bello fortia facta geris.
Sic hominis causámque Dei moderans in vtroque,
Vt res illa Deo congruat, hæc homini.
Qui dum Francorum populos cum Rege gubernas,
Poſt Regem quaſi Rex ſceptra ſecunda tenes.
Nec magnum quidquam ſine te Rex perficit vnquam,
Nec quidquam magnum tu ſine Rege facis.
Tanta duobus ineſt vobis concordia facti,
Vt neuter facto diſcrepet alterius.
Alter in alterius ſic eſt deuinctus amore,
Alterius quaſi cor pendeat ex alio.
Denique Roma potens, cui totus flectitur Orbis,
Flectit ad obſequium colla ſuperba tuum.
Nec plus Cæſaribus magni concedit honoris,
Quàm tibi; Cæſariis ſit licèt aucta bonis.
Ad nutum ligat illa tuum, ſoluítque nocentem,
Et quem iuſtificas non ſinit eſſe reum.
Quódque tuis titulis accedit, quidquid in vrbe
Iuſſeris, infectum non valet eſſe diu.
Sic Rex, ſic Cæſar, ſic vnus ſemideorum,
Sic homo plus homine niteris eſſe Deus.

ABBATIS

A

ABBATIS CLAREVALLENSIS AD PAPAM EVGENIVM, *de laude Domini* SVGERII *Abbatis.*

EPISTOLA I.

AMANTISSIMO *Patri & domino* EVGENIO *Dei gratiâ ſummo Pontifici, Frater Bernardus Clareuallenſis vocatus Abbas, modicum id quod eſt.* SI quod magnæ domus magni Regis vas in honorem apud noſtram habetur Eccleſiam Gallicanam; ſi quis vt Dauid fidelis ad imperium Domini ingrediens & egrediens, meo quidem iudicio ipſe eſt venerabilis Abbas Sancti Dionyſij. Noui ſiquidem virum, quòd & in temporalibus fidelis & prudens, & in ſpiritalibus feruens & humilis, in vtriſque (quod eſt difficillimum) ſine reprehenſione verſetur. Apud Cæſarem eſt tanquam vnus de Curia Romana, apud Deum tanquam vnus de Curia cœli. Petimus & obſecramus benignè à vobis ſuſcipi Nuncios tanti viri, & ſicut vos decet, & ipſe omninò di-
B gnus eſt, reſcribi ei verba bona, verba amicabilia, plena familiaritatis & dilectionis, plena fauoris & gratiæ. Siquidem ſpecialiùs diligere & honorare perſonam eius, honorificare eſt miniſterium veſtrum.

EVGENII *Papæ conſolatoria ad Abbatem* SVGERIVM.

EPISTOLA II.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* SVPER obitu filij noſtri Iohannis nepotis veſtri, quem, ſicut accepimus, pro negotiis ipſius Eccleſiæ ad noſtram mittebas præſentiam, paterna tibi affectione compatimur, & ipſius animam Domino precibus commendamus. Ceterùm dilectionem tuam ignorare non credimus, quoniam quos diligit Dominus viſitat & caſtigat, vt per temporalia flagella, ſi æquanimiter tolerentur, æternæ fructus beatitudinis adquiratur. Ideóque, dilecte in Domino fili, non te præſentis vitæ aduerſitas frangat, non tribulatio terrena cordis tui ſinceritatem corrumpat. Ad montem, vnde veniet auxilium tibi, mentis tuæ aciem figas, & religionis ac honeſtatis tuæ propoſitum in Domino confortatus firmiter teneas, nec propterea dimittas quin pro Eccleſiæ tuæ opportunitatibus ad Sedem Apoſtolicam dirigas, & ei ſtatum tuæ neceſſitatis exponas.
C Nos enim eandem Eccleſiam & perſonam tuam ſincera in Domino caritate diligentes, parati ſumus iuſtas poſtulationes veſtras attendere, & in quibus ſecundum Dominum poſſumus exaudire.

VLGERII *Andegauenſis Epiſcopi ad eundem Abbatem* SVGERIVM.

EPISTOLA III.

SVGERIO *Dei electione reuerentiſſimo Abbati Sancti Dionyſij amico ſuo cariſſimo, domino ſuo,* VLGERIVS *eiuſdem permiſſu Andegauenſis Eccleſiæ, licèt indignè, dictus Epiſcopus, totus ſuus, debita reuerentiæ, honoris, & ſeruitij ſtudioſam exhibitionem.* NOBILIS Burgulienſis Eccleſia, quæ in noſtro Epiſcopatu ſita eſt, in prædio & iure Ducis Aquitanorum ſedens, & fundata eſſe, & ſubnixa ferè ſolis largitionibus Ducum Aquitanorum conſtantiſſimè dignoſcitur. Hæc autem diſponente Deo, in cuius manu mors & vita hominum ſunt, nuper damnoſo infortunio & lacrymabili caſu à domno Petro Abbate ſuo, magno & venerabili & præclaro viro, viduata & deſolata eſt. Sanè venerabilis & religioſus eiuſdem loci Conuentus ad ſolatium tanti doloris, & quia tempora iſta, quæ meliùs tempeſtates dicerentur quàm tempora, noſtris in finibus, ſacris locis, & maximè illis quæ patro-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

nis carent, incommoda, immò peſſima incumbunt: congregatis Fratribus, qui ad feſtum loci illius, etiam de remotiſſimis Obedientiis conuenerant, feſtinauerunt eligere in Patrem & Paſtorem vnum de viſceribus Monaſterij ſui, Robertum virum magnum, cuius mores honeſti, vita commendabilis & religioſa prædicatur & habetur, vt credimus, & nunc quidem veniunt ad pedes Maieſtatis veſtræ electus & electores, vt electus præſentetur gratiæ veſtræ, ſicut præſentaretur Regi ſi adeſſet, ad quem Ducatus Aquitaniæ tranſlatus eſt. Cuius manibus & theſauro ſapientiæ vobis perplurimum gaudentibus, Rex LVDOVICVS famoſam peregrinationem arripiens, ſapienti vſus conſilio, commiſit. Vnde nos confiſi de veſtræ liberalitatis excellentia, ſupplicamus dulcedini veſtræ, quatinus eos cùm ad vos venerint honorificè ſuſcipiatis, & affectuosè in ſuis petitionibus exaudiatis, & quòd etiam non rogatus faceretis, qui in loco Regis eſtis, regaliter tractetis, & lætiſſimos ad nos & ad propria remittatis. Nos etenim ſumus veſtri penitus, & libentiùs vobis ſeruiremus, ſi locus & tempus miniſtraret, quàm aliorum ſeruitia reciperemus. Memores enim ſumus & ſemper erimus beneficiorum & honorum, quos ampliſſimè nobis impendere conſueuiſtis. Nos pro vobis in Miſſa ad corpus Dei & Domini noſtri oramus. Valete, vt valeamus.

Item ad eundem Conuentus Burgulienſis. EPIST. IV.

VENERABILI *Domino & Patri ſuo* SVGERIO *Dei gratiâ & merito ſuo beati Dionyſij Abbati, Burgulienſis Eccleſiæ humilis Conuentus ſalutem & deuotionis obſequium.* VENERANDO Patre noſtro, & non ſine gemitu memorando Petro, rebus humanis exempto, Eccleſia noſtra damnosè viduata eſt: & quia tempore viduitatis ſuæ ſine diminutione bonorum ſuorum diutiùs eſſe non poſſet (tempora enim grauiora & periculoſa ſunt) Fratres, qui ad feſtum beati Petri Aduocati ſui vniuerſaliter conuenerant, ſaniori vſi conſilio, de ſubſtituendo Paſtore tractauerunt, & Fratrem Robertum præſentem, honeſtiſſimum virum, cuius vita inter nos prædicatur, & habetur honeſta, concordi electione ſine vlla controuerſia elegerunt. Nunc igitur, quoniam Rex famoſiſſimam peregrinationem arripiens, in manu veſtra Eccleſiaſtica negotia dereliquit, ſicut Regi ſi adeſſet, ita vobis eum præſentamus: & vt eum benignè ſuſcipiatis, & eo honore, quo talis ac tantus vir dignus eſt, honoretis, ſuppliciter exoramus. B

Domni SVGERII *Abbatis ad Epiſcopum Andegauenſem* VLGERIVM.

EPISTOLA V.

DOMINO *& venerabili Dei gratiâ Andegauorum Epiſcopo* VLGERIO, SVGERIVS *eadem gratiâ beati Dionyſij Abbas, deuotas in Chriſto orationes, & ſinceræ deuotionis obſequium.* SVSCEPTIS gratiſſimarum Literarum veſtrarum venerandis apicibus, vſque adeo, etſi duriores eſſemus, nos deflecti oportuit, vt debitum Regni, cui fideliter deſeruire volumus, penè obliuioni traderemus, & beneplacito veſtro aurem accommodaremus. Nolentes igitur Eccleſiam Burgulienſem diutiùs defatigari, nec Regiæ Maieſtatis dignitatem diminui, vnum faciendo, & alterum omittendo, amore Dei & prece veſtra, quem multum diligimus, & Burgulienſis Conuentus ſupplicationibus, electioni eorum aſſenſum, ſaluo Regni iure, taliter dedimus, vt ſi quid indè contra Regiæ Maieſtatis dignitatem minùs benefactum fuit, Domino Regi quando Deo volente redierit, ſicut modo ſi adeſſet, ſi ei placuerit, iudicio Curiæ ſuæ reſpondeant, vel nobis, qui loco eius prouidemus, ſi indè agere voluerimus. C

LVDOVICI *Regis ad Abbatem* SVGERIVM. EPIST. VI.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum, cariſſimo ſuo* SVGERIO *venerabili Abbati beati Dionyſij, ſalutem & ſinceram dilectionem.* DE portis Hungariæ ſcribimus vobis. Illuc vſque diuino nutu tecto limite procedentes, eum omni ſoſpitate, gaudio, & honore, nos & Principes noſtri læti peruenimus,

A vbique nobis auxiliante Domino terrarum Principes & ouantes occurſant, & læti nos recipiunt, & libenter deſeruiunt, & honorant deuoti: & in his omnibus benedicimus Domino qui direxit pedes noſtros, & proſperat vias noſtras. De cetero rerum ſtatus ipſe nos ammonet, immò & vrget & arguit, vt ammonitionis veſtræ memores ſimus, de pecunia ſcilicet perquirenda, quæ poſt veſtigia noſtra in vſus impenſarum noſtrarum deferatur. Super quo dum præſentes eſſemus, impedientibus rerum ingentibus impedimentis, vobiſcum prout oportuit, loqui ac diſponere non potuimus. Modò verò cotidiana impendia grauia ſuſtinentes, ad veſtram recurrimus probatam fidelitatem: vt eo, quo totus in nobis ad honorem noſtrum caritatis affectu ſemper ardetis, neceſſitates noſtras ſubſequenti auxilio ſubleuetis. Quomodo verò id faciatis, ſi de noſtro ſeu de veſtro pecuniam ſumptam nobis mittatis, meliùs nouit, meliùs ſapit & facere & diſcernere diſcreta prudentia veſtra, quàm prouidentia noſtra. In manu quippe veſtra ſunt omnia, quæ tanquam veſtra diſpoſitioni veſtræ atque ſolicitudini per totum Regnum prouidenda commiſimus, atque ideò tam de noſtro quàm de veſtro quod petimus facere poterit opportunè dilectio veſtra, quoniam ita exigit neceſſitas noſtra. Valete.

EVGENII *Papæ ad Abbatem* SVGERIVM. EPIST. VII.

B EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *S. Dionyſij Abbati ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* NVNCIVM & Literas tuas benignè ſuſcepimus, & quod in eis continebatur diligenter attendimus. Quòd autem pro Pariſienſi Eccleſia te ſollicitum eſſe perpendimus, gratum habemus; & ſi qua in ea perperam committuntur, pro noſtri officij debito condolemus, & vt ad viam rectitudinis reuocentur operam dare Domino auxiliante curabimus. De Epiſcopis verò qui pro defenſione Regni tibi opem ferre & adeſſe recuſant, ne omnes ſimul in culpam inducere videamur, nobis de aliquibus nominatim ſignifices, vt eos Apoſtolicis affatibus corripiamus, & exhortemur: quatinus ad conſeruandum ſtatum Regni promptiores exiſtant, & ad ea quæ Regni honori & vtilitati expediunt, vires & conſilium ſubminiſtrent. Porrò, quòd loca Regni tibi commiſſi pro voluntate noſtra ad celebrandum Concilium obtuliſti, deuotionem tuam in Domino collaudamus. Sed quoniam noſtrum firmaueramus conſilium, propoſitum noſtrum non duximus immutandum. Præterea de Duce Lotharingiæ, quem pro aliis culpis excommunicauimus, quando locus & tempus tulerit, iuſtitiam, quam aliis non negamus, tibi pleniùs & diligentiùs faciemus. Ceterùm, quod ſuper Eccleſia de Buxis tua dilectio poſtulauit, ſi temporis oportunitas dederit, in reditu noſtro præſtante Domino fieri poterit. Datum Autiſſiodori II. Nonas Octobris.

Comitis Andegauenſis ad eundem. EPIST. VIII.

C

SVGERIO *Dei gratiâ S. Dionyſij venerabili Abbati,* GAVFREDVS *Dux Normannorum, & Comes Andegauenſis, ſalutem & venerationem & obſequium.* NOLO veſtram latere auctoritatem, me grauiſſimam infirmitatem ſuſtinuiſſe: ſed Dei gratiâ iam incolumitate redeunte conualeſco. Quocirca mei amici meæ præſentiæ aſſiſtentes, meæque ſaluti prouidentes, non audent mihi dare conſilium, vt aliquod grande negotium tractandum aggrediar. Et ideò colloquium, quod inter nos Balgenciaci futurum erat, vobis demando, quia nullomodo poſſem intereſſe. Namque ante Natale Domini me fore aptum alicui magno itineri agendo minimè ſpero.

Comitis Viromandenſis. EPISTOLA IX.

SVGERIO *Dei gratiâ Abbati S. Dionyſij, R. Viromandenſis Comes ſalutem.* COMES Andegauenſis reſpectauit colloquium. Scitis quia ſæpè laboraui pro pace Beluacenſi, nec impetrare potui, nec in promptu eſt. Si guerra ſuperauerit, inſperatum damnum prouenire poterit. Sed confido, ſi veſtra adeſſe potuerit præſentia, pax erit. Quare mando vobis, vt die Dominica tempeſtiuè ad portum Verberiæ, vbi eos conuocaui, veniatis: & inde Pariſius repedantes, vobiſcum ad Regis negotia properabimus. De verbis Nunciorum Pictauiæ ſimul ibi tractabimus.

LVDOVICVS VII. IVNIOR. A

Comitis Theobaldi. EPISTOLA X.

SVGERIO *Dei gratiâ Abbati ſancti Dionyſij amico ſuo cariſſimo, Theobaldus Bleſenſis Comes ſalutem & benedictionem.* NOTVM vobis fieri volo, me iturum ad præſens in partes Carnotenſium. Quamobrem mando vobis, vt mittatis Balduinum de Corboilo mihi obuiam in die anni noui apud Roſetum, qui mecum erit: & in die Veneris craſtina iacebo apud Corboilum. Et rogo vos, vt prædicta die Veneris apud Corboilum obuiam mihi veniatis, vt vos ibi videam, & loquar vobiſcum. Valete.

RADVLFI *Comitis Viromandenſis ad dominum Abbatem* SVGERIVM.

EPISTOLA XI.

SVGERIO *Dei gratiâ Abbati S. Dionyſij Domino ſuo, R. Viromandenſis Comes ſalutem.* ARCHIEPISCOPVS Remenſis mandauit mihi per Epiſcopum Sueſſionenſem, quòd veniet Pariſius quarto die poſt Natale Domini, & loquerur cum fratre ſuo de militibus captis, & faciet totum poſſe ſuum. Et quia vſque ad diem Lunæ forſitan venire non poterit, remandate mihi qua die vultis, vt ego veniam, aut Dominica, aut die Lunæ. B

HVGONIS DE LIZINIACO *ad domnum Abbatem* SVGERIVM.

EPISTOLA XII.

VENERABILI *amico ſuo & Domino* SVGERIO *Abbati S. Dionyſij*, H. DE LIZINIACO *ſalutem & præcordialitatis vinculum.* VESTRÆ præcipuè dilectioni, veſtriſque præceptis nos per omnia fideliter obtemperantes, fidelem noſtrum atque veſtrum VViormandum veſtræ præſentiæ dirigimus: cui fideliter per omnia credatis, & per eundem vt ſtrenuus & prudens ſuper negotiis Pictauiæ, vt tantum decet amicum, nobis benignè reſcribatis.

MANASSÆ *Epiſcopi Aurelianenſis ad eundem.* EPIST. XIII.

SVGERIO *Sancti Dionyſij venerabili Abbati, Domino & amico ſuo*, MANASSES *Dei gratiâ Aurelianenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, ſalutem.* QVONIAM Regnum Francorum ſub diſpoſitione & protectione veſtræ diſcretionis diuina prouidentia conſtitutum eſt, ſicut dignum eſt, non minimùm gaudemus. Propterea à veſtra præſentia recedentes, quando ad dominum Papam cauſarum neceſſitate tendebamus, ſub veſtra tutela & cuſtodia veſtræ dilectionis magna confidentiâ res noſtras depoſuimus. Interim verò quidam noſtri parochiani res Bernardi hominis noſtri ligij, iuſtitiam in Curia noſtra non ſubterfugientis, in tempore Aduentus Domini violenter & iniuſtè rapuerunt: ſuper quos, Domino auxiliante decens conſilium habebimus. Vos autem, ſicut relatum eſt nobis, prædictum Bernardum de feodo noſtro in cauſam in Curia veſtra venire compellitis, qui in Curia noſtra quidquid iuſtitia dictauerit, ſe executurum firmiſſimè promittit. Veſtram igitur prudentiam benignè rogamus, quatinus hominem noſtrum ligium, ſicut iuſtum cognoſcimus, propterea non inquieretis, atque de prædictis raptoribus ſuper iniuria ab eis illata promptum adiutorem & amicum habeamus. C

Domni Abbatis ad Capitulum Carnotenſe. EPIST. XIV.

SVGERIVS *beati Dionyſij gratiâ Dei Abbas, venerabili Capitulo Carnotenſis Eccleſiæ ſalutem & dilectionem.* NOVIT diſcretio veſtra, quòd glorioſus Rex Francorum LVDOVICVS cariſſimus Dominus noſter famoſam peregrinationem amore Dei ſuſcipiens, Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, ac Regni Optimatum conſilio, nec ſine domini Papæ aſſenſu curam amminiſtrationis Regni ſui nobis commiſerit. Et quoniam ex debito officij ea quæ ad Regnum ſpectant diligenter perqui-

A rere, & fideliter nos oportet conſeruare: præſentium latores Nuncios noſtros ex parte Domini Regis ad recipienda & conſeruanda Regalia dilectioni veſtræ delegamus: rogantes, vt in quibus oportuerit tanquam Regni fideles, donec Eccleſiam veſtram tanto & tam glorioſo Paſtore viduatam, diuina miſericordia idoneo ſucceſſore conſueto ordine conſoletur, fideliter adiuuetis. Quantò ſiquidem Regni æterni amplificationi operoſiùs innititur, tantò ſuum ſibi integrè conſeruari potiſſimum meretur. LVDOVICI VII IVNIOR.

Conuentus S. Richarij ad domnum Abbatem. EPIST. XV.

REVERENTISSIMO *Domino & amico ſuo S. Dionyſij Abbati* SVGERIO, *totus Conuentus ſancti Richarij de Pontiuo, ſalutem & debitam per omnia reuerentiam.* NOTVM fieri volumus paternitati veſtræ, quòd nos omnes, totus videlicet ſancti Richarij Cœnobij Centulenſis Conuentus, conſilio & aſſenſu religioſarum perſonarum, & quorundam hominum noſtrorum, domnum Arnulfum Corbeienſis Eccleſiæ Priorem, religioſiſſimam & honeſtiſſimam perſonam, canonicè & ſecundum Regulam beati Benedicti nobis in Paſtorem & Abbatem elegimus. Quapropter obnixè diſcretionem veſtram precamur, quatinus dignitatem Eccleſiæ, quam à Domino noſtro Rege Francorum LVDOVICO, & ab anteceſſoribus eius liberam & integram in electione Abbatum noſtrorum hactenus obtinuimus, vos, qui nunc eiuſdem Domini Regis vices prudenter & vtiliter diſponitis, nulla prauorum hominum ſuggeſtione labefactare vel perturbare velitis: ſed electum noſtrum, per quem Eccleſiæ noſtræ calamitatem Deo opitulante releuari ſperamus, conſilio & auxilio veſtro magno, pro Dei & noſtro amore, ſuſtenteris & confirmetis. Valete.

B

Epiſcopi Aurelianenſis ad eundem. EPIST. XVI.

SVGERIO *Dei gratiâ beati Dionyſij reuerendo Abbati, &* RAD. *Comiti Viromandenſi,* MANASSES, *Dei patientia Aurelianenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, ſalutem & ſeruitium.* INFORTVNIVM de interfectione VVillelmi de Camera, quod apud nos nuper contigit, & quòd interfectores illius ad Eccleſiam Dei, quæ eſt refugium peccatorum, timore mortis fugere, & quòd ab eâ, vbi & Cruci, & Crucifixi imagini adhærebant, ſunt violenter extracti, & poſtea carceri in turre mancipati, ad aures ſublimitatis veſtræ cognouimus perueniſſe. Nos ſiquidem cum ciuitate Aurelianenſi vniuerſa pro tanta & tam ſacrilega violatione Eccleſiæ Dei grauiſſimè, vt dignum erat, commoti, eos, quia contra Deum, & contra decus Eccleſiæ capti fuerant, vt redderentur quæſiuimus. Quod cùm minimè obtinere poſſemus, conſilio religioſorum virorum ciuitatem à diuino officio interdiximus. Placuit autem vobis, quòd indè eos abduci, vt audiuimus, præcepiſtis. Nobis ſiquidem non videtur, quòd interdictum, quod ex conſilio in ciuitatem poſuimus, abſque maximo conſilio, dum illi capti teneantur, dimittere debeamus. Vnum eſt etiam, vnde & nos & tota ciuitas omninò terremur & mouemur, quod eodem die, quo illi à ciuitate abducti ſunt, occulto Dei iudicio apud nos contigit. Imago quædam, quæ in capite Eccleſiæ noſtræ poſt altare quoddam non longè à terra cruci affixa eſt, multis Clericis & laicis præſentibus & videntibus, ita viſa eſt flere, quòd lacrymæ ab oculis eius viſæ ſunt ſtillare & manare, & ab hora nona vſque ad noctis medium lacrymarum affluentia non eſt viſa ceſſare. Quod quidem relatione honeſtiſſimorum virorum, qui hoc viderunt, ſciatis accepiſſe. Vtrum autem peccatis populi aut noſtris exigentibus hoc contigerit, ignoramus. Verùm multi ſunt, qui arbitrantur miraculum illud luctum Eccleſiæ Dei & dolorem ſignificare: quia captiuos & peccatores illos, qui ad ipſam confugerant, in ſinu ſuo non potuit conſeruare. Quacumque tamen occaſione contigerit, nos, qui quod noſtri officij eſt non poſſumus prætermittere, prudentiæ veſtræ rogando ſupplicamus, vt quod malè in Eccleſia Dei actum eſt, ita diſcretionis veſtræ conſilio corrigatur, quatinus digna & debita reuerentia illi exhibeatur: & ciuitas, quæ matri ploranti condolet & compatitur, ab interdicti vinculo relaxetur.

C

LVDOVICVS VII IVNIOR.

Comitis Viromandenſis. EPISTOLA XVII. A

SVGERIO *Dei gratiâ Abbati Sancti Dionyſij, R. Viromandenſis Comes, ſalutem.* NOVERIT prudentia veſtra, me veniſſe Remis ad Apoſtolicum, & Comitiſſa Flandrenſis me duxit illuc pro negotio ſuo: ibique & de eius, & de meo tractamus negotio. Et ſciatis quòd dominus Papa & tota Curia bonum & hilarem vultum oſtendit mihi. ſed penitùs ignoro quid de me ſint facturi. Hoc pro certo ſcio, quòd nunquam negotium meum bonum habebit exitum, niſi per vos. Iam licentiam à domino Papa acceperam, ſed ipſe detinet me. Si ergo vobis placeret negotia Pariſius facere vel reſpectare, multum vellem, & bonum eſſet. Neſcio enim quando venire potero à Curia. Quòd ſi vobis placet vt veniam ad vos, omnibus dimiſſis ego veniam citiùs. Ergo de omnibus velle veſtrum nobis reſcribite, quia quod mihi mandaueritis ego faciam.

Comitiſſæ Niuernenſis ad domnum Abbatem SVGERIVM.

EPISTOLA XVIII.

DOMINO *ſuo & amico* SVGERIO *Dei gratiâ ſancti Dionyſij Abbati, I. Niuernenſis Comitiſſa, ſalutem & obſequium.* NON latet prudentiam veſtram, me in veſtra cuſtodia remanſiſſe. Dominus enim meus in ſeruitio Dei & Regis eſt, ad cuius iniuriam ſi mihi vel hominibus, qui ad tuitionem viri mei pertinent, aliquis malefecerit, ſpectat. Siquidem vnus de ciuitate Autiſſiodorenſi ſuper quibuſdam hominibus Stampenſibus conqueritur, Gaufredo Craſſo & Radulfo fratre ipſius, qui ei debent decem libras & dimidiam Aurelianenſis monetæ, & nolunt reddere. Quam etiam pecuniam cùm Dominus Rex iuſſiſſet reddi, contempſerunt. Vnde vos rogo ſicut Dominum meum, vt eam reſtitui faciatis. Super quo quid facturus ſitis, remandate mihi. Huius autem pecuniæ fideiuſſores ſunt Harduinus, Felperius, & Iachelinus. B

Decani & Capituli Carnotenſis ad eundem. EPIST. XIX.

CARISSIMO *Domino & amico ſuo* SVGERIO *Dei gratiâ venerabili Abbati S. Dionyſij, R. humilis Decanus & totum Capitulum Carnotenſis Eccleſiæ, plurimam in Domino ſalutem & dilectionem.* NOVERIT diſcretio veſtra, cariſſime Domine, quòd accepta à vobis regia licentia loco Domini Regis, die ſtatuta conuenimus in Capitulum noſtrum, & inuocata ſancti Spiritus gratia, pari voto vnanimique conſenſu elegimus nobis & Eccleſiæ noſtræ in Epiſcopum domnum GOSLENVM Archidiaconum noſtrum, virum vtique liberalem, idoneum, & literatum: idipſum approbantibus viris religioſis Abbatibus qui præſentes erant, omnique applaudente populo, & Deo gratias referente ſuper electione talis perſonæ, quæ vtilis eſſe creditur Eccleſiæ, & Regno fidelis. Rogamus igitur cariſſimam nobis dilectionem veſtram, vt huic noſtræ electioni, quæ à Domino ſicut credimus facta eſt, & quam vobis & viua voce & ſcripto præſentare curauimus, aſſenſum præbere, & electo noſtro Regalia reddere voce Domini Regis dignemini. Valete. C

Domni SVGERII *Abbatis ad Capitulum Carnotenſe.* EPIST. XX.

SVGERIVS *Dei gratiâ beati Dionyſij Abbas, Capitulo Carnotenſi, Roberto ſcilicet Decano, & aliis, ſalutem & dilectionem.* QVOD vnanimiter, & communi pace Pontificem vobis domnum GOSLENVM Archidiaconum elegiſtis, valde nobis placet. Enimuerò ipſum honeſtum & liberalem, & audiuimus & credimus. Nos autem quantum ex parte Domini Regis, cuius vices agimus, facere habemus, huic electioni libenter aſſenſum præbemus. De Regalibus verò, ſicut in Curia Dominorum Regum Francorum mos antiquus fuiſſe dinoſcitur, cùm Epiſcopus conſecratus, & in Palatium ex more canonico fuerit introductus, tunc ei reddentur omnia. Hic eſt enim redditionis ordo & conſuetudo, vt, ſicut diximus, in Palatio ſtatutus Regi & Regno fidelitatem faciat, & ſic demum Regalia recipiat.

A

LVDOVICVS VII IVNIOR.

Guillelmi de Mauſiaco ad Abbatem. EPISTOLA XXI.

SVGERIO *Dei gratiâ venerabili Abbati S. Dionyſij, VV. de Mauſiaco eius amicus, & Regis Francorum Seneſcalcus, ſalutem.* NOVIMVS equidem dilectionem veſtram & ingenium circa negotia Terræ Regis ſemper & affectuosè intentum: noſtrum verò circa Pictauiæ negotia quantum potuit fideliter intentum, veſtra ſatis nouit diſcretio. Quapropter benignitati veſtræ mandamus, ne aliquid fraudis poſt me lateat, vt quàm citiùs poteritis ad præſens, & omni occaſione remota, Præpoſitum de veſtris ſapientem & probum Burdello mittatis. Quod niſi feceritis, in rei veritate ſciatis Burdellum, & omnem illius regionem, niſi Deus fecerit, irrecuperabiliter amittendam. Nam fideles regionis illius mihi hoc ſcripſerunt, quòd inimici & burgenſes in ipſa ciuitate occidebant. Inſuper, vt Domino & amico meo mando, quòd turrem Talemundi in quantum potui ad honorem Regis fideliter huc vſque ſeruaui. Modò verò dominus Eblo de Malleone redditus turris mihi ex toto auferr, & domino Epiſcopo Pictauenſi dixit, quòd ampliùs reditus turris me non ſufferret habere. Quapropter mando, & ſublimitatem veſtram deprecor, vt hominem talem mittatis, cui turrem reddam, qui eam fideliter conſeruet. Nam Hieroſolymam ſum iturus, nec poſſum eam ſeruare, nec ampliùs certè ſeruabo. Vale. Donum veſtrum ſi placet amicitiæ veſtræ vt peregrinus requiro.

B

LVDOVICI *Regis ad dominum Abbatem.* EPIST. XXII.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum, cariſſimo ſuo* SVGERIO *venerabili Abbati S. Dionyſij, ſalutem & plurimam gratiam, ac dilectionem.* SACROSANCTÆ peregrinationis iter laborioſum ſub ope diuina ſequentes, inter labores vix tolerabiles & infinita pericula ſani lætique tranſiuimus, & vſque Conſtantinopolim cum omni proſperitate & gaudio die Sabbati ante feſtum ſancti Dionyſij Domino ducente peruenimus. Ab hac itaque ciuitate, vbi per aliquot dies dietauimus, ſcripſimus vobis, vniuerſa de nobis læta & proſpera vobis annunciantes. Plurimi quidem exercitus noſtri iam tranſierant & tranſibant, & nos & ipſi parati eramus ad tranſitum. Sit itaque diligentia veſtra ſollicita de dirigendis greſſibus noſtris per orationum ſuffragia, ſit prudens & circumſpecta in adminiſtratione Regni vobis commiſſa. De perquirenda verò pecunia, quam nobis in vſus quotidianos perneceſſariam veſtra prudentia non ignorat, vos rogamus, & quanta poſſumus precum inſtantia petimus: & per debitam nobis dilectionem & fidem vos obſecramus, vt vigili ſolicitudine quibuſcumque poteritis modis mittendam nobis pecuniam diligenter colligere, collectámque mittere feſtinanter ſine cunctatione ſtudeatis. Sanctis orationibus veſtris & Eccleſiæ beati Dionyſij nos commendamus. Venerabilis Frater veſter Epiſcopus Atrebatenſis felici conſummatione migrauit ad Dominum. Dilectus filius veſter Odo Monachus vos ſalutat, quem pro reuerentia beati Dionyſij honorificè nobiſcum habemus.

C

Conuentus ſancti Richarij. EPISTOLA XXIII.

SVGERIO *Dei gratiâ venerabili Abbati S. Dionyſij, sereniſſimo Domino & Patri, humilis Conuentus ſancti Richarij ſalutem, & omni bono quod Deus eſt participari.* SPERANTIBVS nobis in Domino facite bonitatem, vt habitare poſſimus in terra, & paſci in deliciis eius. Quaſi enim in medio nationum poſiti vaſtantium atque diripientium, proturbamur velut oues abſque Paſtore, imò velut populus abſque Rege, & quaſi pupilli abſque patre. Dolentes itaque ac gementes tam diutinam matris noſtræ viduitatem, iterum veſtræ pietatis genibus proſternimus preces, rogantéſque pro amore Dei, & pro ſalute animæ veſtræ, necnon quia diſpenſatio Eccleſiarum Galliæ vobis credita eſt à Domino in eiuſmodi negotiis, vt deris operam quatinus electio noſtra, & conſenſus in Domino quem habemus & habuimus indeclinabilem de Priore Corbeiæ, in honorem Domini & reſtaurationem Eccleſiæ noſtræ effectum habeat. Hoc nos, hoc Clerus, hoc milites, hoc vniuerſus populus ſereniſſimam paternitatem veſtram rogat. Condeſcendat itaque

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

benigniſſima veſtræ dignitatis pietas filiis & famulis ſuis, & ne diutiùs hoc modo fatigemur, manum porrigat conſolationis. A

T. Epiſcopi Ambiani. EPISTOLA XXIV.

DOMINO *& Patri* SVGERIO *venerabili Abbati S. Dionyſij, T. Dei miſeratione Ambianenſis Presbyter humilis, ex animo ſeruitium.* OBSECRO, mi Domine, dele me de libro tuo quem ſcripſiſti. Siquidem ſcripſiſtis mihi ſuper expeditione Regia, ad quam nullatenus ſufficere valeo. Veritatem dico amico meo, non mentior. vnde parcat mihi Dominus meus. Etenim tam domini Papæ, quàm Domini Regis ſeruitium valde tenuem me fecerunt, & in frixorio quotidiano me poſuerunt. Valete, & attendite.

GAVFREDI *Archiepiſcopi Burdegalenſis ad eundem.*

EPISTOLA XXV.

CARISSIMO *Domino ſuo* SVGERIO *venerabili Abbati S. Dionyſij, Frater* GAVFREDVS *Burdegalenſis Eccleſiæ dictus Epiſcopus ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum.* PROPOSITVM noſtrum erat per vos, Domine, in reditu noſtro tranſire. Sed infirmitas Fratris noſtri Xantonenſis Epiſcopi per breuiorem viam compulit nos redire. Nunc itaque latorem præſentium cum Literis noſtris ad vos B deſtinamus, volentes certificari, ſi de deſcenſu veſtro ad partes noſtras cum Comite RODVLPHO, ſicut dixiſtis, adhuc deliberatum ſit à vobis, & certum quid indè habeatis. Quòd ſi nondum ſtat ſententia, nos ad propria Deo volente redeuntes, ſtatum Terræ noſtræ addiſcemus, & cognitum vobis ſignificare curabimus. vt & ſecundum quod audieritis & cognoueritis expedire, agatis. Interim autem vobis ibi aliquid mutare, ſicut nobis videtur, non expedit. Super hoc per latorem præſentium à vobis præſtolamur, & quæ vobis placuerint. Idem petit ac præſtolatur à vobis Frater noſter Xantonenſis, qui pro pace Terræ quantum poteſt elaborat.

Epiſcopi Herefordenſis. EPISTOLA XXVI.

ROBERTVS *Dei gratiâ Herefordenſis Eccleſiæ Miniſter humilis, votis & obſequiis* SVGERIO *venerando Abbati beati Dionyſij ſalutem, & ſi quas habet receptibiles, orationum ſuffragia.* OFFICIA liberalis gratiæ veſtræ tam dudum mihi exhibita, quàm ſæpiùs oblata, debitorem me tenent: ſi non vicem rependere poſſit, ſaltem vt gratias referat, quas poſſit voluntas obnoxia. Et licèt propria nos incommoda ſæpè dilanient, abundantiùs tamen rapiunt in amorem veſtrum, & lætificant animam meam tantarum cariſmata virtutum, quæ de vobis ad commoda multorum latiùs prædicantur. Quid enim? ſi ſapientia, ſi prouidentia quæritur C in SVGERIO: tanta reperitur, vt quæcumque negotia veſtro nituntur conſilio, cautiùs procedant, & ſuccedant feliciùs. Si ad religionem recurritur, de ſpeculo vitæ veſtræ relucet, & quod foris luceat, & quod intùs expediat. Additur liberalitatis præconium, quæ beneficiis præuenire gaudet, necdum rogata rogaturum. Hoc ego fretus liberalitatis præconio, tutior accedo cum precibus quàm deuotis poſſum & humillimis, quatinus ad honorem Dei & Dei genitricis Mariæ, ad munimen & reuerentiam Eccleſiæ ſanctæ, cui licèt peccator præſideo, de precioſo & copioſo theſauro veſtro ſuſcipiam reliquias aliquas, ſpecialiter autem precioſi Martyris Chriſti Dionyſij. Cùm igitur mittenda paraueritis tam optata, quàm precioſa donatiua, quæ tamen mendicanti pietati caritas abundans negare non poterit; nouit cautela veſtra quàm certis titulis deſignari debeant, quàm tuto ſignaculo communiri, quàm fideli portitori committi. Quæ autem petitæ caritatis vobis futura ſit merces, procurabit vberiùs caritas ipſa, quæ Deus eſt, qui non digitum vnum vel articulum dedit nobis ad precium, ſed totum ſe dedit in redemptionem.

A

EVGENII *Papæ ad domnum* SVGERIVM *Abbatem.* EPIST. XXVII.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati ſancti Dionyſij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* OFFICII noſtri nos hortatur auctoritas, ad Religionem ſtatuendam diligentet intendere, ſtabilitam verò exacta diligentiâ conſeruare. Inde eſt, ſicut tua nouit dilectio, quòd cum cariſſimo filio noſtro LVDOVICO illuſtri Francorum Rege contulimus, vt in Eccleſia ſanctæ Genouefæ religioſos Fratres ad Dei ſeruitium poneremus. Quod breuitate temporis prohibente, ſecùndum ipſius & noſtrum propoſitum, nequiuimus effectui mancipare. Verùm, quia vices Regias in Galliarum partibus dinoſceris exercere, & quia de tua plurimum diſcretione confidimus, per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatinus Priorem Abbatiſuillæ in Abbatem liberum & abſolutum ibi ſtatuere, & octo Fratres Eccleſiæ ſancti Martini de Campis eius ſocietati ſtudeas deputare, vt exemplo bonæ conuerſationis eorum, qui minùs honeſtè ſapiunt, ad diuinum officium prouocentur. Nos verò Priori ſancti Martini de Campis per Apoſtolica ſcripta mandauimus, quatinus prædictum numerum Fratrum, cùm tibi placuerit, exhibeat & concedat. Suſtentationi quorum beneficium Decanatus & Præbendas venerabilis Fratris noſtri Siluanectenſis Epiſcopi, Gregorij Diaconi Cardinalis, & Autiſſiodorenſis Theſaurarij, filiorum noſtrorum, auctoritate Apoſtolica deputamus. Ad ipſorum quoque vſum omnia beneficia decedentium Canonicorum aſſignari volumus, & iubemus. Datum Lingonis III. Calendas Maij.

B

EVGENII *Papæ.* EPISTOLA XXVIII.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis ſuis Canonicis ſanctæ Genouefæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVISQVIS Catholicæ fidei veritatem, & veræ Religionis caritatem habere dinoſcitur, caput omnium Eccleſiarum ſanctam Romanam Eccleſiam eſſe non dubitat, ſed affirmat, & eam tanquam deuotus filius veneratur. Cùm igitur in ea ſimus velut in ſpecula, Deo diſponente, conſtituti, omnibus mundi Eccleſiis paterna ſolicitudine prouidere compellimur: & in Eccleſiis, quæ beati Petri iuris exiſtunt, Religionem ſtatuere cupimus, & optamus. Indè eſt, quòd in Eccleſia veſtra gratam Deo veræ Religionis culturam ſtatuere cupientes, dilecto filio noſtro Abbati Sancti Dionyſij per Apoſtolica ſcripta mandauimus, quatinus eam per dilectum filium noſtrum Priorem Abbatiſuillæ, quèm ibi imponi, & Fratres ſancti Martini de Campis, quos eius ſocietati volumus deputari, in memorata Eccleſia inſtitueret & plantaret. Ideóque vniuerſitati veſtræ per præſentia ſcripta mandamus, quatinus eos honeſtè recipiatis, & ſaluis Præbendis veſtris nullam eis moleſtiam aut iniuriam inferatis. Quod ſi facere præſumpſeritis, ſententiam, quam memoratus filius noſter Abbas S. Dionyſij ſuper hoc in vos promulgauerit, nos auctore Deo ratam habebimus. Cuius ſuſtentationi & prædictorum Fratrum, beneficium Decanatus & Præbendas venerabilis Fratris noſtri Siluanectenſis Epiſcopi, Gregorij Diaconi Cardinalis, & Autiſſiodorenſis Theſaurarij, filiorum noſtrorum, auctoritate Apoſtolica deputamus. Ad ipſorum quoque vſum omnia beneficia decedentium Canonicorum aſſignari volumus, & iubemus. Datum Lingonis III. Calendas Maij.

C

SAMSONIS *Remenſis Archiepiſcopi ad domnum Abbatem* SVGERIVM.

EPISTOLA XXIX.

SAMSON *Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus, cariſſimo ac præcordiali amico ſuo* SVGERIO *venerabili Abbati beati Dionyſij ſalutem, & quidquid in vtraque vita melius, quidquid iocundius.* DE veſtra dilectione & ſtrenuitate confiſi, quam ſæpenumerò experti ſumus, benignitatem veſtram cum multa precum inſtantia ſupplicìter exoramus, quatinus nunc in magna neceſſitate noſtra ad honorem Dei & veſtrum, & ad liberationem Eccleſiarum beatæ Mariæ & beati Remigij, abſque longiore mora nobis in manu forti ſuccurrere ſtudeatis. Burgenſes etenim de Sancto

LVDOVICVS VII IVNIOR. Remigio, qui prædictis Eccleſiis & nobis attoces iniurias & detrimenta grauia intulerunt, nunc tandem contra nos ſuperbè inſurrexerunt, & milites conduxerunt vt nos infeſtent, & ea quæ ad nos pertinent diripiant. Valete. A

Treuerenſis Archiepiſcopi ad eundem. EPIST. XXX.

ALBERO *Dei gratiâ Treuerorum humilis Miniſter & ſeruus*, SVGERIO *amico cariſſimo Abbati ſancti Dionyſij, orationes & intimæ dilectionis affectum.* BENIGNITATIS veſtræ benigna recordatio dum menti noſtræ ſe ingerit, cor meum & anima iocundiùs hilareſcit, certúmque eſt nobis talem virum meritò venerari, quem longè latéque titulus meritorum docet honorari. Igitur quoniam hoc iure amplecti debeo, ad ſeruitium veſtrum accingi cupio: ſed quia abſentia nimis impedit effectum, bona deuotio complet orationibus affectum. Relatum eſt nobis, Pater & Domine, Nuncios veniſſe vobis à Domino Rege Franciæ, qui certitudinem de expeditione debeant intimare. Si ita eſt, reſcribite nobis quæ poteſtis, & ſi qua vobis placent, quæ apud nos ſunt, parati ſumus ad omne ſeruitium veſtrum bono corde, bona voluntate. Valete. Puerum, quem vobis commiſimus, benignitas veſtra benignè inſtruat & foueat.

Abbatis Cluniacenſis ad eundem. EPIST. XXXI.

B

VENERABILI *& cariſſimo Domino noſtro* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij, Frater P. humilis Cluniacenſis Abbas ſalutem & ſinceram in Domino dilectionem.* ET aliis Literis vobis nuper mandauimus, & præſenti ſcripto, ſicut in corde noſtro eſt, iterùm replicamus, quòd præ ceteris partium veſtrarum Prælatis perſonam veſtram ſingulariter diligimus, & ſicut ſpecialem Cluniacenſis Eccleſiæ amicum propenſiori charitatis affectu veneramur. Vnde non modicè grauamur, quòd reuerentiam veſtram, quam tam ſtudioſè diligimus, nec raro ſaltem videre permittitur, & deſiderata diu colloquij veſtri opportunitas importunis multiplicium negotiorum noſtrorum occupationibus impeditur. Mittimus itaque dilectioni veſtræ cariſſimum Fratrem noſtrum & intimum amicum, domnum Hugonem de Creceio, per quem beneplacitum veſtrum nobis ſignificare poteritis. Si quid enim ſcimus aut poſſumus, quod vobis vtile cognoſcamus & commodum, hoc ſeruitio veſtro tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus exhibere parati ſumus. De cetero verbum quoddam ſecretum, quod ſcripto credere noluimus, in ore domini Hugonis poſuimus: quod ea ratione mandauimus, vt & vos illud ſecretum habeatis, & ſicut expedire videritis cautè tractetis.

EVGENII *Papæ ad eundem.* EPIST. XXXII.

C

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CVM Dominus ac Redemptor noſter pax & veritas eſſe noſcatur, ad Patris dexteram aſcenſurus diſcipulis ſuis velut ex teſtamento pacem relinquens, vt eam in ſe haberent, & prædicarent aliis, impetrauit. Indè eſt, quòd & à Chriſto diligi, & inter diſcipulos eius creditur deputari, qui & pacem diligit, & eam inter ſuos ſubditos nititur conſeruare. Quia igitur in Apoſtolicæ Sedis ſpecula à Domino conſtituti beati Petri Apoſtolorum principis exiſtimus ſucceſſores, præceptum, quod pro Religione Monaſtica in Eccleſia ſanctæ Genoueſæ dediſſe meminimus pro bono pacis, ſi Regulares Canonicos eiuſdem Eccleſiæ Canonici ſaluis eorum Præbendis receperint, immutamus: præcipientes vt beneficia quæ Monachis, ſi in præfata Eccleſia fuiſſent ſuſcepti, duximus deputanda, Canonicis ipſis per te auctoritate Apoſtolica deputentur. Quod ſi facere noluerint, præceptum de Monachis inibi ſtatuendis inuiolabiliter præcipimus obſeruari. Datum Vercellis. XVI. Calendas Iulij.

A *Petitio Conuentus Sancti Richarij ad domnum Abbatem pro electione Abbatis.*

EPISTOLA XXXIII.

EGo *Stephanus Centulenſis Prior Cœnobij, totúſque eiuſdem loci Conuentus.* NOTVM fieri volumus omnibus ſanctæ Eccleſiæ filiis, ad quorum notitiam Literæ iſtæ peruenerint, quòd nos omnes S. Richarij Monachi domnum Petrum Bituricenſem S. Dionyſij Monachum, conſilio & aſſenſu religioſarum noſtræ Prouinciæ perſonarum, ac militum, & Procerum noſtrorum, Clericorum etiam ac burgenſium, regulariter & canonicè nobis in Paſtorem elegimus.

T. Epiſcopi Ambianenſis. EPIST. XXXIV.

CARISSIMO *Domino & Patri* SVGERIO *venerabili Abbati Sancti Dionyſij, T. Dei gratiâ Ambianenſis Presbyter humilis, ex animo ſeruitium.* IN aurem vobis loquor, quia cùm multis malis fatiger & aſſiduis, ante omnia ſuper enormitatē Monaſteriorum meorum ſpiritus meus atteritur. Nunc autem Monaſterium Sancti Richarij ordinandum eſt, & Monachi diffugia quærunt & protelationes. Vnde præmunimus vos, quia niſi cogantur in manu valida, perſonam eligent ad voluntatem ſuam prauam: vtpote homines, qui Ordinem nunquam didicerunt. Siquidem Monaſterium hoc viro cordato indiget & religioſo, & vt mihi videtur, aut Bernardus Prior de Aquicincto, aut Drogo Prior de Lehuno, ibi neceſſarius eſt. Valete, & ſuper hoc verbo vigilate.

B

Item pro electione Abbatis S. Richarij. EPIST XXXV.

OMNI *honore digniſſimo* SVGERIO *venerando Abbati Sancti Dionyſij domino ſuo G. Maior, & vauaſſores, & tota S. Richarij Communia, in Domino ſalutem & debitum ſeruitium.* SERENITATEM veſtram exoramus, vt deſolationi Eccleſiæ noſtræ, quæ tamdiu ſine Rectore languit, ſubueniatis. Domnum Petrum Monachum veſtrum, conſilio Monachorum noſtrorum, & religioſarum noſtræ Prouinciæ perſonarum, & militum, & burgenſium, canonicè electum veſtri gratiâ quàm citiùs poteſtis, ſicut Domui noſtræ neceſſe eſt, mittere ne differatis. Valete.

Epiſcopi Sarab. ad domnum SVGERIVM *Abbatem.* EPIST. XXXVI.

DILECTO *& merito diligendo Patri & domino* SVGERIO *Dei gratiâ Abbati Sancti Dionyſij, Regni Francorum Rectori,* IOSEELVS *eadem gratia Sarab. Epiſcopus, ſub pennis Cherubin manus hominis.* OPINIONIS veſtræ odor, qui circumquaque diffunditur, nos de tranſmarinis partibus in amorem veſtri currere fecit. Venimus ergo de finibus terrarum, veſtram ſcilicet noſtri temporis Salomonis audire ſapientiam. Sapientiam audiuimus, templum quod ædificaſtis aſpeximus, ornamenta quæ à vobis oblata ſunt & offeruntur vidimus, ordinem miniſtrorum & miniſteriorum attendimus: & meritò in illius Auſtralis Reginæ voces erumpimus, quia media pars non fuerit nobis nunciata, & quoniam maior eſt ſapientiâ & opera, quàm rumor fuerit in terra noſtra. Quis enim non miretur hominem vnum tot & tanta ſuſtinere negotia? vt & Eccleſiarum pacem conſeruet, ſtatum reformet, & Regnum Francorum armis tueatur, moribus ornet, legibus emendet? Merito itaque mare intrare debuimus, & vitam noſtram velo & ventis committere, & longi itineris innumeras experiri difficultates, vt ad veſtram poſſemus peruenire notitiam. Sed parcat nobis veſtra Serenitas, quòd in diſceſſu noſtro à Gallia faciem veſtram, ſicut voluimus, videre non valuimus. Traxit nos ineuitabilis neceſſitas, iniuncta obedientia. Cùm enim in Normanniam tranſiſſemus pro negotiis Eccleſiæ noſtræ, quæ vobis ex parte aperueramus, vocauit nos dominus Cantuarienſis Metropolitanus noſter ad matris noſtræ Cantuarienſis Eccleſiæ negotia, & nec indulto nobis reſpirandi ſpatio in Angliam direxit. Excuſet nos ergò apud ſe veſtra benignitas, quos tam manifeſta excuſat neceſſitas. De cetero mittimus vobis Archidiaconum noſtrum, qui nos pleniùs excuſet, & qui nobis amoris,

C

LVDOVICVS VII. IVNIOR. quem erga vos habemus, fructum ex parte reportet: reliquias ſcilicet egregij Martyris Dionyſij, per quas non ſolùm in nobis, ſed in Eccleſia Sarab. perpetua nominis veſtri memoria viuat. Cetera, quæ à vobis poſtulamus, viuæ voci præſentium latoris commiſimus. Valeat Excellentia veſtra, cariſſime Pater. A

Comitis Andegauenſis ad eundem. EPIST. XXXVII.

SVGERIO *Dei gratiâ venerabili Abbati Sancti Dionyſij cariſſimo ſuo*, GAVFREDVS *Dux Normanniæ & Comes Andegauenſis, ſalutem & dilectionem.* SCIATIS quòd gratiâ Dei ſanus ſum & incolumis, & paratus facere præceptum Domini mei Regis. Et ideò mando vobis ſicut cariſſimo meo, quòd ſi neceſſe fuerit vocetis me ad ſeruitium Regis, & certiſſimè habebitis me paratum ad omnia quæ volueritis ad ſeruitium Regis, & diligentiùs quàm ſi præſens adeſſet.

Comitis THEOBALDI. EPIST. XXXVIII.

SVGERIO *Dei gratiâ Abbati Sancti Dionyſij, & Comiti Rad. amicis ſuis*, THEOBALDVS *Bleſenſis Comes ſalutem & dilectionem.* RELATVM eſt nobis, quòd exigitis ab Epiſcopo Carnotenſi Capiceriam Carnotenſis Eccleſiæ, quia eam de Regali eſſe aſſeritis, quam Gaufredus bonæ memoriæ Epiſcopus in manu ſua tenebat, quando à ſeculo migrauit. Vnde vobis notum fieri volo, quòd Regale Carnotenſis Epiſcopatus de Rege in feodum teneo cum alio feodo meo, ita quòd decedente Epiſcopo Regale Epiſcopatus meum proprium eſt, quouſque alius ſubſtituatur. Et ideò vos rogo, vt pro Regali, quod meum eſt, Capiceriam ab Epiſcopo non requiratis; ſed ſi eam precibus ab Epiſcopo quæſieritis, indè me non intromitto. Valete. B

LVDOVICI *Regis ad eundem.* EPIST. XXXIX.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum*, SVGERIO *venerabili Abbati S. Dionyſij, ſalutem & gratiam.* COMPVLIT nos dilectio veſtra, vt quàm citiùs potuimus de partibus Orientis ſuper ſtatu noſtro certa vobis ſignificaremus. Scimus etenim, ſcimus quoniam ad cognoſcendum de eo totis animæ deſideriis auidè ſuſpiretis: nihilque vobis iocundius eſſe poterit, quàm vt de nobis læta ſuſcipiatis. Ex quo Regni noſtri fines exceſſimus, benè proſperauit nobis Dominus viam noſtram, & vſque Conſtantinopolim ſanos & incolumes nos cum magna lætitia & incolumitate totius exercitus miſeratio diuina perduxit. Ibi verò ab Imperatore gaudenter honorificéque ſuſcepti, cùm aliquantulum immoraſſemus, pro his quæ neceſſaria viſa fuerant apparandis transfretauimus ad brachium, & per Romaniæ partes direximus iter noſtrum. In quibus ſanè partibus, tum pro fraude Imperatoris, tum pro culpa noſtrorum, non pauca damna pertulimus: & grauiter quidem in multis periculis vexati ſumus. Non defuerunt quippe nobis aſſiduæ latronum inſidiæ, graues viarum difficultates, quotidiana bella Turcorum, qui permiſſione Imperatoris in terram ſuam militiam Chriſti perſequi venerant, & in detrimentum noſtrum totis viribus incumbebant. Et quoniam in multis locis non poterant victui neceſſaria reperiri, grauiter afflictus fuit per aliquantulum temporis populus fame: & in vna dierum, prout peccatis noſtris exigentibus iudicium diuinum permiſit, plerique ceciderunt de Baronibus noſtris. Fuerunt enim mortui in aſcenſu montanæ Laodiciæ minoris inter diſtricta locorum, conſanguineus noſter Comes de Guarenna, Rainaldus Tornodorenſis, Manaſſes de Bulis, Gaucherius de Monte-Gaij, Eurardus de Bretoilo, & ceteri quamplures, de quibus opportuniùs lator præſentium annunciabit, quia dolor nos loqui latiùs non permittit. Nos autem ipſi frequenter in periculo mortis fuimus, ſed tamen ab his omnibus per Dei gratiam liberati, perſecutiones Turcorum potenter euaſimus: & vſque Sataleiam, ſaluo exercitu, Domino protegente peruenimus. Ibi verò, cùm de proſequendo itinere diu multúmque deliberaſſemus, Epiſcoporum ac Principum commune nobis conſilium dedit, vt quoniam nobis equi diutinæ famis ac laboris attritione defecerant, & maior adhuc viæ difficultas reſtabat, C

Lvdovicvs VII. Ivnior.

A reſtabat, per mare Antiochiam in nauibus feſtinaremus. Eorum itaque ſequentes
conſilium, die Veneris poſt mediàm Quadrageſimam cum maxima parte Princi-
pum noſtrorum apud prædictam ciuitatem felici nauigatione peruenimus, & in-
de vobis præſentes Literas mittere curauimus. De cetero, omne opus noſtrum in
manu Dei eſt, qui, ſicut in ipſo confidimus, non derelinquet nos ſperantes in ip-
ſum, ſed negotium ſuum ad glorioſum perducet effectum. Illud enim certiſſimè
ſcitote, quoniam aut nunquam redibimus, aut cum gloria Dei & Regni Franco-
rum reuertemur. Reſtat igitur vt vos frequenter memoriam noſtri habeatis, &
Religioſorum orationibus ſemper & vbique nos attentiùs commendetis. Et quo-
niam pecunia noſtra in multis & variis expenſis non mediocriter imminuta eſt,
omninò nobis neceſſarium eſt, vt ad colligendam eam ſtudioſiùs intendatis, &
quàm citiùs poteritis per fideles Nuncios quicquid coadunatum fuerit nobis mit-
tere feſtinetis. Omninò namque negotium Chriſti proſequi, niſi in multis expen-
ſis, & in multo labore, non valemus. Valete.

Domni Abbatis ad EVGENIVM *Papam.* EPIST. XL.

CARISSIMO *Domino & Patri vniuerſali Dei gratiâ ſummo Pontifici* EVGE-
NIO, SVGERIVS *beati Dionyſij humilis Miniſter, deuotas in Chriſto orationes,
obedientiæ & ſeruitij plenitudinem.* SVSCEPTIS Apoſtolicæ præceptionis vene-
B randis apicibus, de Monaſticæ Religionis poſitione in Eccleſia beatæ Genouefæ
Pariſienſis, tantum támque Deo placitum negocium tanquam cœlitus nobis com-
miſſum gratantiſſimè amplectentes, eo quòd ſuper hoc ipſo præſentialiter ſanctæ
Paternitatis veſtræ Celſitudo, cùm non niſi imperare oporteret, paruitatem no-
ſtram priùs rogauerit, totis animi viribus effectui mancipare elaborauimus. Quam-
uis enim occaſione querulorum Canonicorum ad vos proficiſcentium, eò quòd
Curia Romana conſueuit aliquando, quod turpe non eſt, cum re mutare conſi-
lium, diſcretè diſtuliſſemus: nulla tamen contradicentiũ nobilium aut innobilium
Clericorum ſeu laicorum oppoſitione tepeſcere, aut in aliquo ſuper hoc ipſo re-
miſſiùs habere decreueramus. Cùm ſubitò proxima die ferè tertia aut quarta, qua
deſignatum Abbatem & Monachos in Eccleſia eadem ponere propoſueramus, ec-
ce præfati Canonici, videlicet Cantor & alij, à facie veſtra redeuntes mutàram pro
bono pacis ſententiam in Canonicorum Regularium poſitione nobis reddiderunt.
Nos autem æquè deuotè ac gratanter ſecundam acſi primam recipientes ſenten-
tiam, aſſumptis nobiſcum venerabilibus & ſapientibus viris, videlicet Abbate San-
cti Germani, Sancti Petri Foſſatenſis, Sancti Maglorij, Sancti Petri de Ferrariis, &
aliis de melioribus perſonis aſſiſtentium vicinorum, ad eundem Sanctæ Genouefæ
locum accelerauimus, & in Capitulo eorum quid ſuper hoc extremo, quid ſuper
primo capitulo, ſecundùm tenorem Litterarum quas nobis detulerunt, proſequi
vellent, conſultè conuenimus. Qui, vt erant diuerſi, diuerſa ſentientes, eùm aut
G vtram aut neutram concorditer proſequi nollent ſententiam, multa & moroſa re-
prehenſione, quòd etiam poſtulata, quòd etiam miſericorditer conceſſa refuta-
rent, inſiſtebamus: donec qui ſanioris erant conſilij, & filij lucis, Canonicos Regu-
lares ſe ſuſcepturos pacificè promiſerunt. Nos autem ſuper hoc ipſo exhilarati, quo-
niam quidam de melioribus Abbatem ſibi conſtitui, & Canonicos de Sancto Vi-
ctore poſtulabant, communicato cum aſſiſtentibus conſilio, tum quia nullam pe-
nes nos religioſiorem in ſuo ſtatu nouimus Eccleſiam, tum quia propinquitate lo-
ci ad omnem eorum ſiue interiorem ſiue exteriorem commodior exiſtit neceſſita-
tem, ad eos diuertimus, virúmque venerabilem Abbatem Sancti Victoris operibus
pietatis approbatum, modo ſeorſum, modo in Conuentu ſuo, vt his opem ferret, &
adiutor diuinitatis euelleret & deſtrueret, ædificaret & plantaret, in nomine Do-
mini ſuppliciter efflagitabamus. Qui vt emeritus Pater & eiuſdem loci prouidus
procurator, eùm hoc ipſum inſtanter recuſaret, vt Priorem ſuum virum venerabi-
lem & religioſum, Abbatem fieri poſtulare nos comperit, obortis lacrymis cum
fletu & anguſtia cordis, ſenium defectúmqne ſuum opponens, eiuſdémque Prioris
conſilium & auxilium ſi eo careret deplorans, ferè per totam diem recuſando, &
quòd nunquam fieret deteſtando, vſque ad proximam Nonam detinuit. Tandem
verò victus precibus multorum, immò auctoritate veſtra, qua eum importunè op-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. portunè adiurabamus, tam miſericordia quàm pietate pro alieno commodo ſuum A ſuſtinens incommodum, eundem venerabilem Priorem cum duodecim Fratribus viris religioſis & honeſtis nobis contradidit, quos in feſto ſancti Bartholomei ad eandem Eccleſiam ſolemniter cum Clero & populo ciuitatis induximus, & venerabili Meldenſi Epiſcopo M. quem nobiſcum his agendis ſuſcepetamus, eadem die coram altari eiuſdem Sanctæ Genouefæ Abbatem benedici ſolemniter opitulante Sanctitate veſtra fecimus. Finita verò eiuſdem officij Miſſa, Clauſtrum, Capitulum, & Refectorium eis deliberauimus, dieq; ſequente Regalium ex parte Domini Regis cuius vices agimus poteſtatem contulimus, fidelitatem virorum ad eos pertinentium, & iuramenta ſecuritatum eis fieri fecimus. Eapropter, Pater ſanctiſſime, actionem nobis commiſſi negotij Celſitudini veſtræ ſummatim ſignificate dignum duximus, vt & vobis quod præcepiſtis factum eſſe placeat, & quàm prompta ſit paruitas noſtra ad obedientiæ veſtræ expletionem innoteſcat. De cetero ſancti Apoſtolatus veſtri genibus prouoluti ſpiritu, obnixè ſubnixè ſupplicamus, opus hoc opus manuum veſtrarum manutenere & protegere, gladium S. Petri contra omnem æmulorum importunitatem cominus euaginare. Appellationum quoque moleſtias, quibus quietem eorum iugiter indiſcretè perturbarent, miſericorditer ſi placet prohibere, eandem Eccleſiam Deo innouatam, tanquam nouam plantam, donec perfectè radicata fuerit, crebra propagatione extendere. Quibus omnibus maximum poterit præſtare ſuffragium, ſi quemadmodum incœptum eſt, in eadem Eccleſia plenitudinem Officij ſecundum obſeruationem Ordinis ſui vſq; ad vnum B iota & vnum apicem conſeruari feceritis, ne diſſonātia Officij, legendi & cantandi diuerſitas in ſcandalum tegularium & irregularium emergat, ne oſtiorum apertio hac occaſione nocte & die Fratres conturbet, ne per eoſdem æmulos aliqua infamia in eos ſubrepat: vt quietè ibidem omnipotenti Deo ad laudem & honorem ſancti Apoſtolatus veſtri & perſonæ veſtræ ſempiternam remunerationem dignum Deo famulatum exhibere valeant. Quid namque de paternitate veſtra ſperarem? Ego ipſe peccator ex hoc veſtro opere aliquid miſericordiæ Dei me lucraturum confido. Eſt & aliud quod paternitati veſtræ volumus Capitulum innoteſcere, vt ſicut primum mandaſtis, ſaluis eorum tantùm Præbendis, Præpoſituræ & tettarum cuſtodia Canonicis regularibus remaneant. Quoniam ſi exterioribus remanſerint, omnia dilapidabūt & ſibi ſubripient, & ad defectum victualium, vt vel ſic Ordo periclitetur, forſitan crudelitet elaborabunt. Aliud quoque eſt, quo in hoc principio laboris ſui filij veſtri potiſſimum indigent. Quendam Rodulphum æmulantem & derogantem eorum Religioni mucrone beati Petri, vt conuerratur, feriendo compeſcatis, & ne impunitate eius aliorum emergat contumacia, eius ſtultitiam reprimatis. Conterat Dominus omnipotens omnem hoſtem ſub pedibus veſtris. Nos autem ſeruitio veſtro paratos, & Eccleſiam noſtram, ſed & cariſſimū filium veſtrum LVDOVICVM Regem Francorum in opere Dei tam laborioſè negociantem ſanctis orationibus veſtris commendamus: rogantes vt ſi quid certum de eo audiſtis, nobis C inſinuetis. Valeat in æternum Sanctitas veſtra, amantiſſime Pater & Domine.

Comitis Viromandenſis ad domnum Abbatem. EPIST. XLI.

SVGERIO *Dei gratiâ Abbati Sancti Dionyſij, R. Viromandenſis Comes ſalutem.* BELVACENSES Clerici pro electione domni Henrici Romam properant ad Apoſtolicum, & ad perficiendum hoc opus pecunia eſt eis neceſſaria. Rogat autem Domina Regina & vos & me, vt de redditibus Epiſcopatus ex aliqua parte eis indulgeamus. Rogo itaque vos, quoniam hoc multum volo & laudo, vt eius petitionem exaudiatis in tantum, vt Domino Regi gratum ſit, & honor eius & noſter: quoniam Dominus noſter eſt, & ei debemus quod pro alio non faceremus. Valete.

GAVFREDI *Epiſcopi Burdegalenſis ad eundem.* EPIST. XLII.

REVERENDO *& in Chriſto cariſſimo ſuo* SVGERIO *venerabili per Dei gratiam Sancti Dionyſij Abbati, Frater* GAVFREDVS *Burdegalenſis Eccleſiæ dictus Epiſcopus, cum ſalute dilectionis & obſequij quod poſſit in Domino.* STATVM Terræ noſtræ vobis ſiquidem ex condicto ſignificare habuimus, diſtulimus autem hoc

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A vſque modo, pro eo quia rebus ſe mutantibus non niſi certa & cognita vobis fue-
runt nuncianda. Noueritis itaque nos apud Menuſanum in Aſſumptione beatæ
Mariæ, vbi Auſcitanus Archiepiſcopus & fere omnes Epiſcōpi & Proceres totius
Guaſconiæ conuenerant, Gauarritanum Vicecomitem in præſentia omnium con-
ueniſſe ſuper impatatione & infeſtatione Terræ Domini Regis ab ipſo & à ſuis,
ſed & de obſidione qua tenebat Aquenſem ciuitatem, quæ de proprietate Regis
eſt, obſeſſam. Perlectæ quoque fuerunt in medium, & à nobis expoſitæ illi Litè-
ræ domini Papæ, in quibus continebatur ſententia excommunicationis in ipſum
& in totam Terram ſuam, niſi ab inquietatione Terræ Regis deſiſteret. Graue
multum fuit illi & ſuis hoc audire, fuit tamen qui & hæc & duriota fortaſſis in pa-
lam loqueretur. Et licèt non omnia pro voluntate noſtra contingerent, eò ta-
men nec ſine magna difficultate deuenimus, quòd in octabis beatæ Mariæ de
colloquij ad inuicem dies ſtatuta eſt, vbi iuxta conſilium præfati
Archiepiſcopi & noſtrum, de inquiſitione, quam ex parte domini Papæ & pro
Domino Rege illi feceramus, ſe acturum promiſit. Quid ipſe acturus ſit ſuper
hoc neſcimus; verumtamen dicitur quia ſententiam diu ſuſtinere non poterit, ſi
diſtrictè teneatur. Vnde neceſſe videtur, vt à domino Papa iterato ſub omni diſtri-
ctione, ſi quis de partibus veſtris ipſum adiret, eadem ſententia vel grauior tenenda
præciperetur: quia ſunt fortaſſis qui trepidant, nec ad vnius iuſſionis vocem citò
B mouentur. Ceteri verò Proceres noſtri per Dei gratiam ad bonum & ad pacem
Terræ noſtræ proniores ſolito eſſe videntur. Martinus autem, qui deputatus fuit
cuſtos turris Burdegalenſis, de nouo viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Turris ip-
ſa, ſicut ab eodem Martino acceperamus, & per noſtros quos ad videndum miſi-
mus pro certo cognouimus, omninò imparara eſt, & de munitione & de victuali
etiam: quoniam ſicut ipſe Martinus ſæpè nobis conqueſtus eſt, nec ipſe nec ceteri
qui cum eo erant clientes procurationem prout opotteret habere poterant. Vnde
quoque dicebat quatuordecim libras, quæ illi altero anno promiſſæ fuerant, ſe fi-
deliter expendiſſe, & ad turris munitionem, & ad ſuam atque eorum qui ſecum
erant ſupplendam neceſſitatem. Nunc quoque eo defuncto, qui ibi remanſerunt
minus idonei videntur ad cuſtodiendum. Sed & domus illa, de qua credimus
vos audiſſe, nondum eſt ibi ædificata, cùm tamen perneceſſaria eſſet. Quia igi-
tur Regni conſilium atque prouiſio vobis incumbit, & domino Comiti Rod. quem
per vos petimus habere ſalutatum, & hæc eadem illi ſignificari: ſit ſollicitudinis
veſtræ & illius, vt his diligenter conſideratis, ſi honorem Regni diligitis, ſi Ter-
ram ei vultis ſeruare, pro inſtanti neceſſitate, & de munitione turris & reædifica-
tione domus, & de idoneis & ſtrenuis cuſtodibus, & bono eorum prouiſore mit-
tendis, & quomodo neceſſaria ſuppetant ipſis, remota dilatione prouideatis. Sed
& de miniſterialibus Aquitaniæ à Domino Rege conſtitutis, & his qui ſub eis ſunt
præpoſitis lator præſentium frater N. de his quidem & de aliis quæ nouit vobis ex-
C pediet, cui volumus vt credatis ſicut & nobis. Quippe is eſt, quem noſtis, & qui ve-
ra vobis dicet, vt pote fidelis & amicus pro poſſe ſuo in omnibus quæ ad Regem
pertinent. Per ipſum quæ placuerit nobis remandetis.

Decani & Conuentus Eduenſis. EPIST. XLIII.

SVGERIO *Dei gratiâ S. Dionyſij venerando Abbati, Patri & Domino, VV. Eduen-
ſis Eccleſiæ Decanus cum vniuerſo Conuentu, ſalutem & debitam reuerentiam.* RE-
GIÆ Excellentiæ per omnia vt decet debitum honorem & dignitatem conſeruan-
tes, vobis, cui diuina prouidente clementia Dominus noſter Rex vices ſuas com-
miſit, electionem noſtram iuſtè & canonicè factam præſentamus. Elegimus ſiqui-
dem Henricum fratrem Ducis Burgundiæ Archidiaconum noſtrum, de Regia ſtir-
pe ortum, conſilio & aſſenſu religioſarum perſonarum & totius Cleri & populi.
Obſecramus itaque Excellentiam veſtram, quatinus huic electioni noſtræ aſſen-
ſum veſtrum præbeatis, & Literis veſtris perſonam electi domino Papæ commen-
detis.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

Decani Nouiomenſis ad eundem. EPIST. XLIV.

SVGERIO *Dei gratiâ Sancti Dionyſij venerabili Abbati & Vicario Regni, B. Nouiomenſis Eccleſiæ Decanus totúmque Capitulum ſalutem.* RELIGIOSVM & honeſtæ famæ virum Abbatem de Caſtellione Balduinum conſilio religioſorum virorum communi aſſenſu Capituli electum nobis in Epiſcopum diſcretioni veſtræ notificamus, & vt vice Domini Regis tam competenti & honeſtæ electioni facilem præbeatis aſſenſum, ſupplicamus.

EVGENII *Papæ ad eundem.* EPIST. XLV.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVONIAM ad Religioſorum ſpectat officium, vt Religionem diligant & defendant, & eam diligenti ſtudeant ſolicitudine propagare, diſcretionem tuam in Domino commendantes, paternæ caritatis debito congaudemus, & tibi gratias referimus, quòd in Eccleſia Sanctæ Genouefæ per tuum ſtudium & laborem Deo grata Religio ſtatuta eſſe dinoſcitur, & per Dei gratiam conſeruatur. Verùm quia deuotionis affectus in bonis filiis paternis exhortationibus ampliatur, dilectionem tuam commonemus & exhortamur B
in Domino, quatinus Fratribus præfatæ Eccleſiæ ſicut benè cœpiſtis diligenter aſſiſtas, vt omnipotens Deus, qui bonæ voluntatis eſt auctor, & inſpectionis inſpector, perſonam tuam in præſenti placitis ſibi bonis adornet, & eam in futuro cum Sanctis æternis gaudiis faciat congaudere, & nos ſolicitudinem tuam condignis gratiarum actionibus proſequamur. Præterea dilectio tua omnimodis efficere ſtudeat, vt theſaurus & inſtrumenta ipſius Eccleſiæ, quæ adhuc per ſeculares Canonicos detinentur, Abbati & Fratribus in eadem Eccleſia commorantibus aſſignetur.

Abbatis Clarenallenſis ad domnum SVGERIVM *Abbatem.*

EPISTOLA XLVI.

AMANTISSIMO *Patri & Domino* SVGERIO *Dei gratiâ venerabili Abbati beati Dionyſij, Frater* BERNARDVS *de Clarevalle, ſalutem & orationes.* BENEDICTVS Deus, qui in manu veſtra operatus eſt ſalutem in Eccleſia Sanctæ Genouefæ, vt Domus Dei reſtitueretur Ordini & diſciplinæ. Agit vobis gratias Apoſtolica ipſa auctoritas, quòd fideliter & efficaciter opus magnificum incœpiſtis. Agimus & nos quas poſſumus gratias, & quicumque Dominum diligunt in veritate. Rogamus itaque & obnixiùs poſtulamus, vt ſecundùm Apoſtolicarum tenorem Literarum operi manuum veſtrarum dexteram porrigatis, vt quod magnificè cœptum eſt, veſtræ magnitudinis opera perfici poſſit in dies & feliciter conſummari. Iam pro Eccleſia Sancti Victoris caritatem veſtram ſollicitare ſuperfluum iudicauimus, quia omnium Eccleſiarum vobis cuſtodia commiſſa eſſe noſcitur. Sed his debetis ampliùs, quarum Religio ampliùs noſcitur indigere. C

Domni SVGERII *Abbatis ad Papam* EVGENIVM.

EPISTOLA XLVII.

CARISSIMO *Domino & Patri Dei gratiâ vniuerſali & ſummo Pontifici* EVGENIO, SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas obedientiæ & ſeruitij plenitudinem.* LAVDEM Domini loquitur os meum, quòd tanta tanti Patris & vniuerſalis Domini Celſitudo pro executione debitæ obedientiæ apud Sanctam Genouefam paruitati noſtræ, quæ penè nulla eſt, grates reddere non dedignatur. Profectò inter alia hoc potiſſimum extat, quo ad omnem indifferenter obedientiæ plenitudinem animamur, quo ad omnium mandatorum veſtrorum executionem pro toto poſſe tam piè quàm audacter accingimur. Sanè quod præ manibus eſt Sanctæ Genouefæ negotium, opus diuinum, opus ſanctum, opus quod operatus Deus per vos in die-

A bus noſtris miſerrimi illi ſeculares non tam Canonici quàm Sanctæ Genouefæ perſecutores, apud nos impedire non valentes, cæteruatim Romam properantes feſtinant, ſi fortè quacumque occaſione, quocumque pietatis honeſto aut inhoneſto modo Petri conſtantiam mouere, Curiam Romanam petitionibus flectere, familiares, & per familiares alios decipere, pro vita, pro moribus, pro re familiari qualicumque ne mutetur, toto niſu animi & corporis innitentes. Verùm quia cauſa Eccleſiæ cauſa Dei eſt, Petro & Petri Vicario per Petrum commiſſa, confidimus in Domino Ieſu, quia ipſe qui cœpit perficiet, nec poterunt viri offenſores Dei & ſui proditores aduerſus Religionem in Curia capitali Religionis præualere. Qui quàm indiſcretè & irreuerenter contra præceptum veſtrum ſe habuerint, veſtræ Paternitati ſignificare dignum duximus. Theſauros quos nobis præcepiſtis aſſignare Abbati & Canonicis regularibus, audiente Archiepiſcopo Remenſi, & Epiſcopo Sueſſionenſi, & aliis quamplurimis religioſis perſonis, ex parte veſtra oſtendentes Literas præceptionis veſtræ exegimus. Qui iniquitate inuoluti, nequitia excæcati, nec theſauros furtim ſublatos, videlicet quatuordecim marcas auri, vt aiunt, de feretro Sanctæ Genouefæ, nec reliquias eiuſdem, videlicet caſulam ſancti Petri, pro quo eos regia poteſtate, niſi eis pro reuerentia veſtræ Celſitudinis parceremus, tanquam fures aut raptores tenuiſſemus, nullomodo reddere voluerunt. His igitur & huiuſmodi iniuriis Deo & Sanctis eius & Apoſtolicæ reuerentiæ derogantes, pro contemptu, pro inobedientia, pro ſacrilegio in vltionem Eccleſiaſticam decidentes, quem meruerunt ex rigore iuſtitiæ recipere talionem, eos in proximo ſentire, ſuppliciter efflagitamus. Illuc enim ſuperbiendo aſcenderunt, vnde eos iuſto iudicio proſternere, & ſeruos Dei in pace conſeruare facillimè poteſtis. Sæpiùs enim multa conuitia, minas terribiles eis intulerant, garciones ſuos eandem Sanctæ Genouefæ Eccleſiam noctu intrare, & oſtia eorum frangi fecerant, contra Canonicos Matutinas incipientes conclamare ne alter alterum audiret impulerant: donec nos ſuper his iniuriis ab eiſdem Canonicis regularibus vocati illuc accelerauimus, oculorum excæcationem & membrorum detruncationem helluonibus huiuſmodi, ſi quid ſimile deinceps committerent, terribiliter promiſimus, ſeruientes de nocte, ſi qui interciperentur crebro tranſmiſimus, & ſic per Dei gratiam zelo obedientiæ & Regiæ Maieſtatis terrore eos in pace tanquam Dei excelſi ſeruos libentiſſimè confouemus, & in hoc ſolo Dei ac ſanctæ Religionis amore quamdiu vobis placuerit conſtanter perſeuerabimus. Verùm tantum bonum, quo lætatur Eccleſia Dei, quo prædicabitur ſancti Apoſtolatus veſtri vſque in finem ſeculi famoſa beatitudo, taliter pacificè & quietè terminari poterit, ſi iis Religioſis Chorum, Capitulum, Clauſtrum, & Refectorium ad conſeruationem ſanctæ Religionis iuxta Ordinem Sancti Victoris illis excluſis deliberari feceritis. De reditibus etiam exterioribus & terrarum cuſtodia cauendum erit, ne in manibus eorum, quia eam omninò Religioſorum odio deſtruerent, C dimittatis. Conſtat enim quòd irregulares regularibus nunquam niſi in manu forti conſentient, neque pro extorta peccatorum voluptate, niſi miſericordia Dei effecerit, eis vera pace iungentur.

(B in margin at "reuerentiæ derogantes")

LVDOVICI *Regis ad Abbatem* SVGERIVM. EPIST. XLVIII.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum*, SVGERIO *eadem gratiâ venerabili Abbati Sancti Dionyſij, ſalutem & gratiam.* SVPER Reginaldo de Bulis, qui nobiſcum ad Dei ſeruitium & noſtrum peragendum in Orientis partibus remanſit, vobis mandamus quatinus terræ ſuæ, quam defuncto fratre ſuo Manaſſe iure patrimonij obtinere debet, & hominibus omnibus ad eum pertinentibus tanquam noſtris propriis prouidentiæ curam adhibeatis: & ſi quis eos in aliquo infeſtare voluerit, vos pro poſſe veſtro veſtrum illis impertiamini auxilium. Super Drogone de Munci, qui mortuus eſt, ſimiliter vobis mandamus, quatinus hereditatem ſuam tanquam noſtram propriam, ad noſtram ſiquidem vtilitatem, ſeruari faciatis. Valete.

LVDOVICVS VII IVNIOR.

HENRICI *fratris Regis ad eundem.* EPIST. XLIX. A

AMANTISSIMO *Patri & Domino* SVGERIO *Dei gratiâ Abbati Sancti Dionyſij*, HENRICVS *indignus Monachus Clareuallenſis æternam in Chriſto ſalutem.* MOLESTVM mihi eſt, quòd occaſione mei Beluacenſis fatigatur Eccleſia. Vnde & ab initio denunciaueram Clericis, ne inutilem laborem aſſumerent, aut Eccleſiam ipſam damnoſa dilatione grauarent. Vtinam autem vel nunc ipſa vexatio eis dederit conſilium vel intellectum, vt omni fruſtratoria dilatione præciſa, Eccleſiæ Chriſti prouidere feſtinent, perſonam aliam idoneam tanto miniſterio eligentes! Quod vt celeriter fieri iubeatis, & deinceps inaniter laborare, ſi id forſitan tentare voluerint, omninò prohibeatis, dilectam mihi in Chriſto paternitatem veſtram obnixiùs & affectuoſiùs rogo. Hoc enim indubitanter vos credere volo, quia quanto ampliùs ſuper hoc laboris aſſumeretur, tanto ampliùs amitteretur. Valete in Domino ſemper.

LVDOVICI *Regis ad eundem.* EPIST. L.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitaniæ, S. Remenſi Archiepiſcopo*, SVGERIO *Sancti Dionyſij Abbati famoſiſſimo, & R. Comiti de Perona* B *cognato & amico noſtro cariſſimo, ſalutem & gratiam noſtram.* DILECTIONI veſtræ mandamus, quatinus ea quæ Ebrardus Magiſter Templi vobis mandauerit certa habeatis. Nos ſiquidem eum ab Antiochia ad mutuo accipiendam pecuniam nobis neceſſarium ſexto Idus Maij Acaron miſimus. Ex Dei itaque parte vobis mandamus & noſtra, quatinus eis perſolui pecuniam quam citiùs faciatis, quam per eos nobis mutuo adquiſitam, ex literis vobis miſſis audieritis.

EVGENII *Papæ Epiſcopis Antiſſiodorenſi, Sueſſionenſi, & domno Abbati.*

EPISTOLA LI.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei venerabilibus Fratribus H. Antiſſiodorenſi, G. Sueſſionenſi Epiſcopis, & dilecto filio ſuo Abbati Sancti Dionyſij* SVGERIO, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTVS filius noſter L. Atrebatenſis Archidiaconus ad noſtram præſentiam veniens, quod de filio noſtro Magiſtro H. factum eſt longè aliter nobis & fratribus noſtris expoſuit, quàm per Adam & ſocios eius ipſius Eccleſiæ Canonicos fuerat nuntiatum. Significauit enim quòd quidam Atrebatenſes Canonici ipſum filium noſtrum Magiſtrum H. in Atrebatenſem Epiſcopum contra ſanctorum Patrum ſtatuta poſt appellationem, quæ ad nos eis præſentibus & audientibus facta eſt, eligere præſumpſerunt. Ideóque per præſentia ſcripta vobis mandamus, quatinus vtraque parte ante veſtram euocata præſentiam, allegationes hinc indè diligentiùs audiatis; & ſi hoc verum eſſe conſtiterit, electionem ipſam appellatione remota caſſetis. Præterea quoniam, ſicut ex relatione prædicti filij noſtri L. & ſociorum eius accepimus, poſt appellationem ad nos factam ſunt ſuis reditibus ſpoliati, nihilominus vobis præſentium auctoritate mandamus, vt eis ablata cum integritate reſtitui faciatis. Datum Piſis. C

LVDOVICI *Regis.* EPIST. LII.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum*, SVGERIO *Abbati S. Dionyſij dilecto & fideli ſuo ſalutem.* SCIATIS quia Arnulfus Lexouienſis Epiſcopus in magna neceſſitate præſtitit mihi de ſuo auri & argenti quantum potuit, vnde ei adhuc debeo centum & quatuor marcas argenti. Mando itaque vobis, vt remota omni excuſatione & dilatione eas illi de mea reddatis infra menſem poſtquam Literas iſtas receperitis, ita quòd propter nullam cauſam ipſe mihi offendatur vel diſturbetur. Sciatis etiam quia prædictam pecuniam ei affidari feci.

A

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

LVDOVICI *Regis ad eundem.* EPIST. LIII.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitaniæ*, SVGERIO *eadem gratiâ venerabili Abbati S. Dionyſij, & R. Viromandenſi Comiti cognato & amico ſuo cariſſimo, ſalutem & gratiam noſtram.* DILECTIONI veſtræ notum fieri volumus, Albertum Dauolt noſtrum ſiquidem familiarem in Chriſti noſtroque ſeruitio mortuum eſſe. Sed quoniam Hugonem eius filium certa quorumdam relatione didicimus fuiſſe mortuum, ob hoc vobis vt amicis noſtris mandare curauimus, quatinus turrim de Andreſel quam præfatus Albertus nobis ſiquidem conſentientibus firmauerat, iuxta noſtræ voluntatis mandatum vſque ad reditum noſtrum ſeruari faciatis, appoſitis & conſtitutis ex parte noſtra cuſtodiis, ne quid in nobis contrarietatis accidat. De ceteris verò rebus ad eum pertinentibus vobis mandamus, quòd ſicut veſtræ viſum fuerit diſcretioni, illis honeſtè diſponendo prouidentiæ curam adhibeatis. Valete.

LVDOVICI *Regis ad domnum Abbatem.* EPIST. LIV.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum*, SVGERIO *eadem gratiâ venerabili Abbati S. Dionyſij, & R. Viromandenſi Comiti, ſalutem & gratiam*
B *noſtram.* NOSTRA vobis manifeſtauimus negotia, & iterum vobis notum facimus, vt iuxta noſtræ voluntatis mandatum, illa pro poſſe veſtro adimplere feſtinetis. De cetero vobis vt fidelibus & amicis noſtris cariſſimis mandamus, quatinus domum noſtram de Giſortio ad noſtram ſiquidem vtilitatem ſeruari faciatis, & diligentiori cura amodò prouideatis. Valete.

Item LVDOVICI *Regis ad eundem.* EPIST. LV.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitaniæ, dilectis ſuis & amicis* SVGERIO *Sancti Dionyſij Abbati, & R. Viromandenſi Comiti, ſalutem & gratiam.* DILECTIONI veſtræ mandando præcipimus, quatinus dilecto & præcordiali amico meo A. Lexouienſi Epiſcopo ſexaginta Aurelianenſes modios de meo optimo vino Aurelianenſi dare non renuatis. Valete.

Item Regis LVDOVICI *ad eundem.* EPIST. LVI.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitaniæ, dilectis fidelibus ſuis* SVGERIO *venerabili Abbati Sancti Dionyſij, & R. Viromandenſi Comiti, ſalutem & gratiam.* MANDAVIT nobis Archimbaldus de Soliaco, quòd de ſeruitio noſtro proſequendo ad voluntatem fidelium noſtrorum præſto erit in omnibus ac de-
C uotus. Petit autem, quòd ſi quid aduerſum nos egit, remaneat interim vſque in reditum noſtrum querela, atque in reditu noſtro ſit ad libitum noſtrum in ſtatu ſuo. Quia igitur vobis ſuper omnibus ad honorem noſtrum incumbit prouidere, mandamus vobis vt ſecundum quod rationis intuitus ſuggeret vobis, ſaluo honore noſtro ſuper his faciatis, & eius ſeruitium ad honorem noſtrum ſuſcipere non recuſetis.

Domni Abbatis ad Regem. EPIST. LVII.

GLORIOSO *Dei gratiâ Regi Francorum & Duci Aquitaniæ* LVDOVICO *cariſſimo Domino noſtro* SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas cum toto Fratrum ſibi grege commiſſo, orationum deuotionem, & integram ſeruitij fidelitatem.* QVANTIS & quàm lacrymoſis ſuſpiriis grauiſſimam perſonæ veſtræ nobis abſentiam proſequamur, quantis & quàm deuotis orationum poſtulationibus proſperitatem veſtram & ſalutem, cariſſime Domine, Domino Deo commendemus, explicare nullomodo valemus. Quæ etenim adeo dura mens, quod tam ferreum pectus, quòd tam longa & intolerabili tanti & tam piiſſimi Domini non moueatur abſentiâ? quæ cùm in dolore cœperit, in timore perdurat, defectus horrore terret. Nam quotiens Regiæ Maieſtatis ingenitam nobilitatem, venerabilem morum induſtriam, animoſi-

LVDOVICI VII. IVNIOR.

tatem cùm ad omnes, tum ad nos præcipuè piiſſimam memoramus, aut ante vos A aut vobiſcum deficere deſideramus. Si enim ſupereſſemus, de quanto in quantum mutaremur, nulla alia eſt comparatio, quàm ſi de cœlo in abyſſum corrueremus. Redeat igitur ad cor ingenitæ bonitatis conſueta propitiatio, & quod etiam belluæ naturaliter faciunt, diligentes ſe diligat, fideles & præcordiales amicos enecare erubeſcat: vt quos exeundo terrore nimio contriuit, redeundo ſaltem poſt tanta pericula, poſt tantas & innumerabiles diuerſarum mortium paſſiones, ſufficienti ſolatio reſuſcitet. Vt autem totius Regni tui tibi voce loquar, quid eſt, cariſſime Rex & Domine, quare nos fugis? Nónne qui oderunt te oderam, & ſuper inimicos tuos tabeſcebã? Qui cùm te & nos tuos tãquam te diligere deberes, quòd neutrum videris, diligere magis dolemus. Siquidẽ cùm in Orientis partibus acerrimè laboraueris, multa & penè intolerabilia mala ſuſtinueris, poſt reditũ Baronum & Optimatũ Regni, qua duritia vel potiùs crudelitate inter Barbaros remanere præſumpſiſti? Redierunt Regni perturbatores, & tu qui defendere deberes quaſi captiuatus exulas, ouem lupo tradidiſti, Regnum raptoribus expoſuiſti. Rogamus igitur Celſitudinem tuam, pulſamus pietatem, adiuramus benignitatem, & per eam qua inuicem obligati ſumus fidem obteſtamur, ne poſt tranſitum Paſchæ ibi vel modicum demoreris, ne reus profeſſionis & iuramenti, quod in ſuſceptione coronæ Regno feciſti, in oculis Dei appareas. Nos autem ſicut Angelum Dei vos expectantes, vbicumque neceſſe fuerit procedere, neceſſaria quæque præparare parati erimus. Conſeruet Rex regum & Dominus dominorum perſonæ veſtræ incolumitatem B ſibi & nobis. Pecuniam, quam vobis mittere diſpoſueramus, ſecundùm præceptum veſtrum Fratribus Templi deliberauimus. Similiter & Comes R. quicquid vobis accommodauerat, tria ſcilicet millia librarum, exceptis ducentis, in plenitudinem accepit. Terra veſtra & homines bona pace Deo opitulante gratulantur. Cauſas & placita veſtra, tallias & feodorum releuationes, victualia etiam ſperantes in reditu veſtro reſeruamus: domos veſtras & Palatia integra ſeruare, diruta reparare facimus. ſolo Domino egent. Senex eram, ſed in his magis conſenui, pro quibus omnibus nulla cupiditate, nullo penitus modo, niſi amore Dei & veſtro me conſumpſiſſem. De Regina coniuge veſtra audemus vobis laudare, ſi tamen placet, quatinus rancorem animi veſtri, ſi eſt, operiatis, donec Deo volente ad proprium reuerſus Regnum & ſuper his & ſuper aliis prouideatis.

LVDOVICI *Regis ad Abbatem* SVGERIVM. EPIST. LVIII.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex & Dux Aquitaniæ, dilecto & fideliſſimo amico ſuo* SVGERIO *beati Dionyſij Abbati reuerentiſſimo, ſalutem & gratiam.*

HONORIS ac reuerentiæ & ſuſtentationis ſummam, quam mihi & meis Fratres Templi contulerunt, poſtquàm in partes Orientis perueni, diſcretionem tuam latere minimè volo. Non enim video nec videre poſſum, quomodo etiam per parui C temporis ſpatium in partibus illis permanere vel moram facere potuiſſem, niſi eorum præcedente auxilio & ſuſtentatione, quæ nunquam mihi defecit à primo die quo in partibus illis fui, vſque in hunc diem quo Literæ iſtæ à me diſceſſerunt. & tunc maximè in eodem perſeuerabant. Quocirca tuam obnixè deprecor dilectionem, quòd ſi antea Dei amore ipſos diligebas, nunc quàm maximè Dei & noſtri amore eos diligere & manutenere non renuas, ita quòd ſentiant me pro ipſis interceſſiſſe. De cetero autem pecuniam non modicam ex mea parte eos mutuaſſe, & ſuper ſe accepiſſe tibi notifico, pro cuius redditu, ne Domus eorum diffametur, vel deſtruatur, non conuenit vt eos mendaces faciam, ne & ego cum illis turpiter mendax inueniar. Tibi ergo mandando ſupplico, quatinus ſine dilatione duo milia marcas argenti eis reddas. Alia verò quæ ſuperſunt in debito præcepi G. de Rancone, vt ea illis diligenter reddere non differat. Quod ſe facturum mihi benignè promiſit. Debet autem eis reddere triginta milia ſolidorum Pictanienſis monetæ, de quibus licèt mihi bonum reſponſum dederit, tamen ſi fortè eos reddere noluerit, mandando tibi præcipio vt ipſum eos reddere moneas, & reddere facias. Hoc enim illi præcepi, ne nimis pro tanto debito grauareris. Vale, ſciens & intelligens quoniam in hoc primo tranſitu repatriare credidi. Sed Orientalis Eccleſiæ oppreſſionem, & inſtantem ipſius terræ neceſſitatem inſpiciens, pietate commotus, & totius

A Orientalis Eccleſiæ precibus victus, vſque ad Paſchæ tranſitum remanere ad ipſius Eccleſiæ ſuſtentationem promiſi. Tunc verò repatriare, & ad Regnum à Deo mihi præſtitum redire, ipſo fauente & concedente, remota omni ambiguitate propoſui, & in animo firmaui. Similes Literas Comiti R. ſcripſi de hac pecunia. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

LVDOVICI *Regis ad eundem.* EPIST. LIX.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum, cariſſimo ſuo* SVGERIO *beati Dionyſij Abbati, ſalutem & intimam dilectionem.* DICI non poteſt, quanta nobis obſequia, quantam vbique dilectionem exhibent nobis in terra Orientali Milites Templi. Vnde eorum damna, eorum iniurias tanquam noſtras, imò magis quàm noſtras grauiter portamus. Cùm itaque in vltionem iniuriarum ſuarum noſtram vbique operam debeamus, in his præcipuè quas in Regno noſtro ad ignominiam noſtram eis illatas audiuimus, ſpecialiter totam debemus. Ideóque dilectionem veſtram per eam, quæ ad inuicem eſt, fidem noſtram & veſtram rogamus, monemus, & obſecramus, vt & de rebus & perſonis eorum qui Clericum venientem ad eorum Capitulum decurtare membris & abſcindere præſumpſerunt, condignam, grauem, & manifeſtam vindictam, ſecundùm quod intelligetis velle noſtrum, tota diligentia faciatis.

B LVDOVICI *Regis ad Abbatem.* EPIST. LX.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitaniæ,* SVGERIO *eadem gratiâ venerabili Abbati S. Dionyſij, & R. Vtromandenſi Comiti, ſalutem & gratiam noſtram.* VOBIS manifeſtum eſſe non dubitamus, quòd Orientalis Eccleſia quotidianis Saracenorum & infidelium perſecutionibus deſolata, adeò vocem ſuam exaltauit, vt nos Occidentalium partium incolas vocis ſuæ clamore ad ſui prouocaret vltionem. Et quoniam rerum difficilium eſt, vt ſine labore magno & expenſa adquiri minimè valeant, pro tanti proſecutione negotij diuerſis ſecularium tempeſtatum fluctibus propulſi fuimus, & in multis variiſque expenſis pecuniam noſtram conſumpſimus. Noſtra itaque deficiente pecunia, Chriſti tamen negotium iuxta noſtræ deuotionis propoſitum adimplere cupientes, à Fratribus Religionis Hoſpitalis ſuper hoc conſilium depoſcimus. Qui, quoniam nos ſemper dilexerant, in neceſſitate noſtra nobis ſuccurrendo, dilectionem ſuam opere impleuerunt. Perfectio namque dilectionis exhibitio eſt operis. Ipſi igitur ad noſtræ neceſſitatis ſupplementum mille marcas argenti ab extraneis adquiſitas gentibus, quibuſdam de Baronibus noſtris ex parte noſtra de præfato argento exiſtentibus nobis fideiuſſoribus, commodauerunt. Quapropter vobis vt amicis noſtris cariſſimis mandamus, quatinus Terræ noſtræ redditus coadunari faciatis: ſic tamen vt impoſitus à nobis mediæ ſcilicet Quadrageſimæ terminus non prætereat, quin omni occaſione
C remota præfatis Fratribus noſtrum perſoluatur debitum.

Domni Abbatis ad Papam. EPIST. LXI.

AMANTISSIMO *Patri & Domino Dei gratiâ ſummo Pontifici* EVGENIO; SVGERIVS *beati Dionyſij humilis Miniſter, obedientiæ & ſeruitij plenitudinem.* NOBILEM beatæ Mariæ Pariſienſis Eccleſiam, inuitante caritate, multiſque rogantibus, Pater ſancte, diſcretioni veſtræ attentiùs commendantes, quia plus ſolitò eger, vt plus ſolitò ſubueniatis ad præſens, ſuppliciter poſcimus. Cùm enim venerandi ſtatus nobilitate, & famoſa doctrinæ lampade hactenus clarere conſueuerit, in defectu perſonatus Decaniæ vacillans grauiter, ſi non ei ſubueniatur declinare feſtinat. Cùm enim qui alios doctrinâ & vitæ exemplo præcedere debet, etiam ſequi neſciat, profectò ſubditorum diſciplina per eius inſcitiam à doctrinæ & prudentiæ tramite exorbitat. Sanè, cùm in Galliis veſtra Deo & hominibus grata fruemur præſentia, aſſumpto eiuſdem Eccleſiæ Decano B. in Epiſcopum Catalaunenſem, propter diuerſarum partium Pariſienſis Capituli diſſonantiam, qui crebrò localiter conuenientes, in acceptione eiuſdem perſonæ in Decanum conuenire non valebant, à Paternitate veſtra eandem ele-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ctionem committere honeſtioribus perſonis eiuſdem Eccleſiæ, quorum induſtriâ ad honorem Dei pacificaretur controuerſia, mandatum ſuſceperunt. Qui parati obedire, quatuor eiuſdem Eccleſiæ Canonicis, quorum vnus hic erat, nihil mali in eis aut de eis ſuſpicantes, electionem commiſerunt. Qui quod ſemel inter ſe ſuſceperant, extra ſe erogare recuſantes, quin potiùs inter ſe retinentes, ipſi hunc de forſitan ſibi in Decanum elegerunt. Super quo valde mirati ſumus, quòd cùm auctoritate veſtra quatuor commiſſa fuerit electio, ſi tres quartum elegerunt, minus obedierunt. Quòd ſi quartus cum aliis ſe elegit, Paternitatis veſtræ diſcretio infinitè meliùs quàm nos cognoſcit quid fecerit. Verùm ſi quod minus in electione inuenitur, in perſonæ probitate ſuppleretur, in recompenſatione ſuſtineri poſſet. Sed ſicut perhibent qui eum nouerunt, nec alicuius diſcretionis, nec bonæ conuerſationis, nec bonæ famæ exiſtit. Proniorem enim publicè ac priuatim dicunt eum ad omne deterius, expertem conſilij & auxilij, in omnibus Eccleſiæ neceſſitatibus penè nullum, ſub quo languêre potiùs quàm proſperari Eccleſia valeat. Cuius indiſcretionis argumentum in ea poteſtis actione cognoſcere, quam Epiſcopus Pariſienſis Paternitati veſtræ tranſmittit, de ea quam audire poteſtis contra eiuſdem Eccleſiæ Cantorem controuerſia eum mouiſſe. Cùm enim pro conſuetudine Eccleſiæ & Apoſtolicæ immunitatis auctoritate præfatus Cantor ita Decano parificetur, vt neque de Eccleſiaſticis, neque de ciuilibus, ſiue in Capitulo, ſeu extra, abſque eius conſilio diſponere habeat: quadam die cùm eſſent in Choro Horam canonicam decantantes, & Cantor cuidam Clerico loqueretur, quo more ſolet omnibus de canendis vel legendis pronuntiare: accepta indè occaſione inuectiuè inſiliens in Cantorem, turpiter tacere imperauit, & dum Cantor auditori proſequeretur quod incœperat, admirans indiſcretam Decani vehementiam, Decanus ipſe more arreptitij furens Choro decantanti ſilentium imperauit: non reputans quòd ſe minimus Canonicorum, nedum iſte, qui more Eccleſiæ illi parificatur, vt nihil abſque eo neque in Choro, neque in Capitulo conſtituat, aliquid in Choro commiſiſſet, in Capitulo canonicè corrigeretur, hinc emerſit inter eos, cuius accuſationem dominus Pariſienſis Epiſcopus Paternitati veſtræ ſcribere curauit, querela; hoc habuit primordium, hoc motus ille pedibus & manibus mouet Eccleſiam, inquietat vt inquietetur, pacis & quietis ignarus. Cantor præfatus iniuriam aliquanto quietiùs ſuſtinens, tam per dominum Epiſcopum Pariſienſem, quàm per Capitulum Eccleſiæ, tam per dominum Autiſſiodorenſem quàm Sueſſionenſem, per nos etiam & per alios multos ad iuſtitiam faciendam & ſuſcipiendam, ne indiſcretus videretur, crebrò ſe obtulit: & proniorem ad pacis compoſitionem & iuſtitiæ executionem audiuimus eum qui paſſus eſt, quàm qui fecit iniuriam. Nec hoc ſolum aut primum factum eſt, quo Pariſienſem Eccleſiam modò generaliter, modò perſonaliter, ſicut indiſcretione rapitur, vexare conſueuit. Quæ omnia ſi referrentur ad vos, faſtidium generarent. Placeat igitur ſanctæ Paternitati veſtræ, ad quam omnia ſpectat corrigere, mutare, mouere: (oculi enim omnium in te ſperant Domine,) taliter eidem Eccleſiæ prouidere, ne in defectu Decani intus & foris depereat, ne nobilis Eccleſia Pariſienſis afflicta degeneret, ne cùm non oporteat viri illius occaſione omninò declinet. Serò fortaſſis eius reſtitutioni manum referetis.

Comitis Flandrenſis ad eumdem Abbatem SVGERIVM.

EPISTOLA LXII.

DOMINO *& amico ſuo cariſſimo*, SVGERIO *Dei gratiâ venerabili S. Dionyſij Abbati, T. Flandrenſis Comes ſalutem & totius dilectionis integritatem.* De dilectione veſtra plurimùm confidens, ſanctitatis veſtræ Excellentiam cum multa deuotione toto mentis affectu deprecor, vt quod de ſuſtentatione Atrebatenſis Eccleſiæ benignè ſuſcepiſtis, vſque ad bonum finem conſtanter proſequamini, & electionem de Magiſtro Hugone dilecto noſtro ab Eccleſia pia deuotione, & vt credimus, Dei voluntate factam, pro Dei amore & noſtro ratam & inuiolabilem faciatis permanere. Valete.

A *Comitis Niuernenſis ad eundem.* EPIST. LXIII.

DOMINO *ſuo cariſſimo* SVGERIO *reuerendo Abbati Sancti Dionyſij, VV. Comes Niuernenſis ſalutem & obſequium & debitam venerationem.* SECVNDVM quod ex Literis veſtris accepi, libenter me videretis, & mecum loqueremini, & ego nihilominus deſidero vos videre. Ecce autem in proxima die Mercurij apud Sanctum Dionyſium in orationibus eſſe diſpoſui. Quamobrem, Domine, vobis mando, & multum obſecro, quatinus veſtra gratiâ ibidem adſitis, quia multum vobiſcum volo loqui. Valete.

Abbatis Clareuallenſis ad eundem. EPIST. LXIV.

CARISSIMO *Patri & Domino* SVGERIO *beati Dionyſij Abbati, Frater B. Clareuallenſis vocatus Abbas, ſalutem & dilectionem.* OPORTET vos operari opera eius qui vos reliquit in loco ſuo, imò opera Domini Dei veſtri qui ad tale miniſterium vos elegit. De operibus eius eſt, quòd Eccleſia de Monte Religionem induit & decorem, vbi vos nouella illa plantatio conſiliatorem & auxiliatorem magnum inuenit. Supplicamus vt quod benè cœpiſtis meliùs conſummeris, & opponatis vos murum pro domo Iſraël, vt non præualeat homo. Dignemini etiam conſolari Abbatem loci illius, quia puſillanimis eſt, quia ſic conuenit honori perſonæ veſtræ, & ſaluti animæ veſtræ, & ſpecialiter in tempore iſto.

B

Comitis Flandrenſis ad eundem. EPIST. LXV.

VENERABILI *Abbati Sancti Dionyſij* SVGERIO, *T. Flandrenſis Comes ſalutem & integram dilectionem.* IAMPRIDEM ad vos veniſſem, & ſuper me quæ à me requiſiſtis vobiſcum contuliſſem, ſi non negotiis propriis, & præcipuè vt creditoribus meis debitum ſoluerem, occupatus fuiſſem. Porrò qualis animi dominus ROBERTVS frater Regis erga Dominum meum Regem Franciæ in itinere peregrinationis extiterit, aliorum relationi credite. Cæterùm dico vobis & mando, quòd dominus Robertus ante reditum ſuum à Rege ad negotia Regis Nazareth venire vocatus, omninò ſe abſentauit, neque, vt mihi & reliquis Principibus videbatur, à Domino meo fraterno & bono animo receſſit. Proinde ſicut prudentiam & ſanctitatem veſtram decet, vrbes & munitiones vobis commiſſas ſalua fide Regi Franciæ conſeruate: & ſi quid vobis aduerſitatis occurrerit, me adiutore & in virtute Dei propugnatore viriliter reſiſtite. Itaque ſi quando vobis placet vt ad vos veniam, & de negotiis Terræ vobis commiſſæ conferam, ſecurè me vocare, & vtrum cum paucis an cum pluribus venire debeam, mihi mandare. Paratus ſum enim in omnibus Terram ad honorem Domini mei Regis defendere, & nulla pericula & labores, vt ei fideliter ſeruiam, ſubterfugere. Valete.

C

EVGENII *Papæ ad domnum Abbatem* SVGERIVM. EPIST. LXVI.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVONIAM ſicut Literarum tuarum nobis inſpecta ſeries patefecit, nuntios & Literas tuas ad noſtram præſentiam in proximo es tranſmiſſurus, qui ſanctæ Genouefæ negotium nobis pleniùs aperiant & oſtendant, tibi nunc per latorem præſentium non duximus reſpondendum. Cùm verò Nuncij tui nobis ipſum negotium pleniùs intimantes, noſtro ſe conſpectui præſentabunt, tunc quod faciendum fuerit auctore Domino faciemus. Interim autem tua dilectio diligenter inuigilet, vt quod iam diuina fauente gratia, & tuo adiutorio, ex maxima parte perfecimus, deſtrui nullatenus patiaris.

Item EVGENII *Papæ ad eundem.* EPIST. LXVII.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* NOTVM ſit diſcretioni

Lvdovicvs VII. Ivnior. tuæ, quòd non ideò tibi venerabilem Fratrem noſtrum Hug. Autiſſiodorenſem A Epiſcopum in denunciatione ſententiæ noſtræ adiunximus, vt de te aliquatinus diffidere debeamus, cùm præterita & fortia facta futuræ conſtantiæ exhibeant argumenta: ſed vt Sanctæ Genouefæ ſeculares Canonici in te ſpecialiter inuidiæ cauſas non habeant exercere, tibi iam dictum Fratrem noſtrum duximus adiungendum. Tua itaque intereſt, quatinus taliter in incœpto bono firmus exiſtas, vt ſicut Religionis plantator videris, ita & conſeruator ipſius debeas auctore Domino iudicari.

Item Evgenii *Papæ ad eundem Abbatem* Svgerivm.

EPISTOLA LXVIII.

Evgenivs *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* Svgerio *Abbati Sancti Dionyſij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* De dilectione tua plurimum confidentes, omnia quæ portare conſueuit caritas imponere tibi nullatenus dubitamus. Quia ergo dilectus filius noſter Hugo Canonicus Sancti Victoris ad nos rediturus eſt, beniuolentiam tuam rogamus, quatinus ei equitaturam vnam & expenſas, quæ pro ipſa & eius ſeſſore in reditu ſibi ſufficiant, largiaris, & Abbati ac Fratribus Sanctæ Genouefæ ex noſtra parte iniungas, vt de redditibus Decanatus, qui aſſignari eiſdem Fratribus debent, viginti quinque libras Prouinienſium, quas ad opus Eccleſiæ à creditoribus ſuſcepiſſe dinoſcitur, eidem Hugoni reſtituant. B Prætereà diſcretioni tuæ notum fieri volumus, quòd pro eo vt cauſæ inimicitiarum ſecularium Clericorum eiuſdem Eccleſiæ contra te minuerentur, venerabilem Hugonem Autiſſiodorenſem Epiſcopum tibi adiunximus, ſicut potuiſti ex aliarum inſpectione Literarum, quas tibi tranſmiſimus, agnouiſſe.

Lvdovici *Regis ad eundem.* EPIST. LXIX.

Lvdovicvs *Dei gratiâ Rex Francorum cariſſimo ſuo* Svgerio *venerabili beati Dionyſij Abbati, ſalutem & internam dilectionem.* Ex abundanti quidem eſſe cognoſcimus, vt veſtræ ſollicitudinis curam in his, quæ vel ad nos, vel ad Regnum noſtrum reſpiciunt, quibuſlibet precibus excitemus. Scimus enim, & certi ſumus ſine dubio, quòd ad id tota intentio veſtra ſemper inuigilet, & nullum prorſus vel à nobis, vel aliundè ſuper his incitamentum expectet. Verumtamen, quia nos vſque in Paſcha reditum noſtrum poſt Principes noſtros diſtulimus, & prauorum hominum machinamenta formidamus, ſpecialiter ſuperduximus modo vobis ſcribendum: vt interim ſuper omnia, quoniam principaliter ad vos reſpicit cura atque cuſtodia Regni, in eo cuſtodiendo attentiùs inſiſtatis, & vniuerſos malignorum conatus, ſi quid contra Coronam noſtram machinari tentauerint, ſolita veſtra cautela prorſus euacuetis. Nos enim auxiliante Domino ſtatim poſt Paſcha C tranſfretare, & ad Regni noſtri tutelam redire ſine dubio feſtinabimus. De cetero fidelem noſtrum & dilectum Balduinum Cancellarium, quoniam in Gallicanis partibus eum nobis vtilem & neceſſarium fore cognouimus, cum gratioſa licentia redire permiſimus. Cuius fidelitas deuota eo maiorem de nobis gratiam, & honorem & gloriam de noſtris meretur amicis, quoniam inter labores atque pericula nullatenus defuit nobis in partibus alienis. Eum itaque tanquam chariſſimum noſtrum ad peragenda negotia Regni volumus euocari, atque eius conſilio quæ diſponenda fuerint diſponi. Cuius relatione de ſtatu noſtro omnia certa cognoſcetis.

Abbatis Clareuallenſis ad domnum Abbatem Svgerivm.

EPISTOLA LXX.

Venerabili *Patri & Domino* Svgerio *Dei gratiâ Abbati Sancti Dionyſij, Frater* Bernardvs *Clareuallenſis vocatus Abbas, ſalutem & orationes.* Nvnc tempus & opus eſt, vt apprehendatis gladium ſpiritus, quod eſt Verbum Dei, contra diabolica figmenta, quæ regerminare iterum moliuntur. Homines namque illi, qui reuerſi ſunt, maledictas illas nundinas poſt feſta Paſchalia præfixerunt,

A xerunt, & ſtatuerunt laxatis habenis dominus Henricus filius Comitis, & dominus ROBERTVS frater Regis, vt irruant & interficiant ſemetipſos. Animaduertite, quali voluntate viam Hieroſolymitanam aggreſſi ſunt, qui cum voluntate huiuſmodi regreſſi ſunt. Quàm rectè dici poteſt de iſtis! *Curauimus Babylonem, & non eſt ſanata: percuſſi ſunt, & non doluerunt, attriti ſunt & renuerunt ſuſcipere diſciplinam*, poſt tot labores, poſt tanta pericula, quibus vexati ſunt à tribulatione malorum & dolore. Regnum in pace eſt, & Dominus Rex abeſt, & per hos duos poteſt Terra ſingulariter commoueri, ſed & perturbari. Supplico & conſulo ſublimitati veſtræ, quia maximus Princeps eſtis in Regno, vt vel diſſuaſione, vel in totis vos viribus opponatis ne fiat hoc: quia ſic conuenit honori perſonæ veſtræ, & Terræ noſtræ, & vtilitati Eccleſiæ Dei. Vim autem appello, quod ad Eccleſiaſticam pertinet diſciplinam. Nos autem idem ſcribimus domino Remenſi, domino Senonenſi, domino Sueſſionenſi, domino Autiſſiodorenſi, Comiti Theobaldo, Comiti Rodulfo. Opponite vos tantis malis, & propter Dominum Regem, & propter Dominum Papam, ad quem pertinet cuſtodia Regni.

LVDOVICVS VII IVNIOR.

Gaufredi de Rancona ad dominum Abbatem. EPIST. LXXI.

VENERABILI *Domino ſuo & Patri ſpirituali Abbati S. Dionyſij* SVGERIO, *Gaufredus Ranconienſis ſalutem.* VESTRA prudentia non ignorat, quòd Do-
B minus noſter Rex Terram Pictauienſem nobis tradidit, atque de redditibus ipſius quid faceremus præcepit. Nobis autem iuſſit, vt Militibus Templi ſolueremus triginta milia ſolidorum, de cetero turres & caſtra ipſius firmarentur. Vnde valde miramur, quòd ſuper hoc nondum veſtrum habuimus conſilium, ſed nobis mandaſtis vt G. Berlai redderemus quatuor milia ſolidorum, Fonti-Ebraldo quingentos ſolidos, filio VV. de Mauſiaco mille, alio loco decem libras. quod graue eſt adimplere. Sciat amicitia veſtra, quòd partibus Burdegalenſibus nuper affuimus, & cum domino Archiepiſcopo locuti fuimus, & cum Baronibus terræ illius, quam valdè diſturbatam inuenimus. Prætorem autem, quem miſiſtis, noſcat amicitia veſtra, nũquam in pace ſuſtinerem: ſed dominus Archiepiſcopus & nos conſilium habuimus, quatinus vnum de nobilibus illius Terræ poneremus, qui reſtitueret domos quæ valde dirutæ ſunt, & mœnia fortitudinis. In fortitudine autem clientes, quot vobis viſum fuerit, de Terra noſtra, an de veſtra, mittere placeat, qui tamen de Regalibus viris procurentur. Veſtra amicitia nobis mandauit, vt vobiſcum loqui veniremus apud ciuitatem Bituricenſium. Quod nobis valde graue eſt, quia adhuc fatigatus ex itinere non poſſum, & ex alia parte aliam cauſam credo nouiſtis. Sed ſi vobis placeret venire Bleſis circa Pentecoſten, ibi libentiſſimè ad vos veniremus. Vobis notificamus, quòd C. Cancellarius, quem in Terram illam miſiſtis, valde eam turbauit, & maximam pecuniam ſibi adquiſiuit. Scitote, quia iuſſum Domini Regis pro poſſe noſtro adimplebimus.
C

Abbatis Clareuallenſis ad eundem. EPIST. LXXII.

CARISSIMO *Patri & Domino* SVGERIO *Dei gratiâ beati Dionyſij Abbati, Frater B. Clareuallenſis vocatus Abbas ſpiritum conſilij & conſolationis.* VISIS quibuſdam Literis veſtris, quas ad dominum Turonenſem direxerat ſublimitas veſtra, exultauimus & delectati ſumus, non qualicumque gaudio, ſed gaudio magno valde. Viſitet vos Oriens ex alto, qui viſitare diſponitis Regnum glorioſiſſimi Regis noſtri: vt ſic reſpirare poſſit à tribulatione malorum & dolore, quæ iam in ianuis eſt, ſi non fuerit totis viribus contradictum. Profectò conſilium Dei fuit, vt ad conſilium tam Curiæ quàm Eccleſiæ Principes vocaretis: vt ſciant omnes qui habitant terram, quia remanſit & Regno & Regi amicus dulcis, Conſiliarius prudens, adiutor fortis. Illi, inquam, Regi, qui ſeruit Regi, cuius Regnum Regnum eſt omnium ſeculorum: qui commouit Reges & Regna, ne Rex cœli perderet terram ſuam, terram vbi ſteterunt pedes eius. Illi, inquam, Regi, qui cùm eſſet gloriâ ſingularis, rebus affluens, pace ſecurus, victorioſus in prœliis, iuuenis ætate, elegit exulare à propriis, vt ſeruiret in alienis, illi tamen cui ſeruire regnare eſt. Et quis eſt, qui audeat turbare Regnum eius? qui tantam impietatem commit-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

tat aduerſus Dominum, & aduerſus Chriſtum eius? Domine mi Rex, vtinam abſcindantur qui te conturbant, qui quærunt mala & tibi & tuis! cùm tu inter alienas gentes ſolus remanſeris, ne remaneret in ſolitudine locus ille, quem elegit Dominus ex omnibus locis terrarum, vt eſſet nomen ſuum ibi. Propterea viriliter agite, & confortetur cor veſtrum, quia vobiſcum eſt Dominus Deus veſter in protectione Regis & exulis ſui, qui imperabit ventis & mari, & tumentes fluctus facilè complanabit. Erit vobiſcum vniuerſitas Eccleſiæ Dei, ne inſurgat aliquis, & peccare faciat Iſraël: & totis humeris totum onus, ſi quid tamen oneris fuerit, ſupportabit. Nunc enim tempus & opus eſt, vt agatis pro loco quem tenetis, pro dignitate quâ polletis, pro poteſtate quam accepiſtis: vt memoria veſtra non ſolùm in benedictione, ſed in ammiratione ſit generationi huic, & generationi omni quæ ventura eſt. Prouidendum enim eſt, & multum prouidendum, ne tanta portio Eccleſiæ Dei ſine fructu maximo fatigetur: & hîc ſtatuendum, quod omnes malignitates inſurgentium vel relidere, vel elidere poſſit. In voluntate noſtra eſt, vt vobis in nomine Domini congregatis Paternitatis noſtræ Literas tranſmittamus, quæ etſi non adiuuent, ſaltim affectum noſtrum oſtendant. Ille autem, qui vobis dedit hanc voluntatem, donet & facultatem, & conterat Sathanam ſub pedibus veſtris: vt in opere iſto glorificetur Deus, honoretur Eccleſia, Regnum ſtabiliatur, & obſtruatur ôs loquentium & facientium iniqua. A

HENRICI *filij Comitis* THEOBALDI. EPIST. LXXIII. B

SVGERIO *venerabili Abbati Sancti Dionyſij*, HENRICVS *Comitis Theobaldi filius ſalutem.* FORSITAN non præteriit cognitionem veſtram, Reinaldum Pomponienſem hominem veſtrum Anſeticum Montis-regalis in hoc tornamento cepiſſe. Vnde dilectionem veſtram exoro, quatinus ab inſtanti die Dominico in octo dies ad me veſtri gratia Meldis venire non grauemini. Scio enim vos amicum meum fideliſſimum eſſe, & in hoc præſenti negotio plus omnibus illis, quos nouerim, tam dilectione, quam vos erga me habere exiſtimo, quàm experta diſcretione veſtra mihi valere poſſe. Et ideò prudenti conſilio veſtro de prædicto Anſetico cum domino Reinaldo loco & tempore conſtituto finire deſidero.

Domni SVGERII *Abbatis ad Archiepiſcopum Remenſem.*

EPISTOLA LXXIV.

VENERABILI *Dei gratiâ Remenſi Archiepiſcopo* SAMSONI, SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas ſalutem & dilectionem.* CVM gloria corporis Chriſti videlicet Eccleſiæ Dei, Regni & Sacerdotij indiſſolubili vnitate conſiſtat, conſtat profectò quia qui alteri prouidet, alteri ſuffragatur: quoniam & temporale Regnum per Eccleſiam Dei ſtare, & Eccleſiam Dei per temporale Regnum proficere omnibus diſcretis euidenter oſtenditur. Eapropter, quia cariſſimi Domini noſtri Regis Francorum LVDOVICI longa peregrinationis abſentia peruerſorum tergiuerſationibus & moleſtiis Regnum grauiter moueri videmus, & cum Regno Eccleſiam Dei grauiùs turbari formidamus, & citò conſulto opus eſt: tanquam precioſam de capite Coronæ Regni gemmam vos obſecramus, inuitamus, & per eam, quæ inter nos & vos eſt inuicem, fidem veſtram atque noſtram, & qua Regno aſtrictus eſtis, vos ſubmonemus, quatinus cum Suffraganeis veſtris Dominica præcedente Rogationes Sueſſionis nobiſcum conueniatis. Conuocauimus enim eodem termino & loco Archiepiſcopos & Epiſcopos, atque altiores Regni Optimates, vt ſecundum fidelitatis noſtræ & ſacramenti profeſſionem, qua Regno obligati ſumus, Regno & Eccleſiæ Dei conſultè prouideamus, & alter alterius onus inuicem ſupportemus, & pro domo Iſraël murum nos opponamus: quia ſi de illa conſtanter reperiamur, de qua legitur, *Multitudinis credentium erat cor vnum & anima vna*, & Eccleſia Dei periclitabitur, & Regnum in ſe ipſum diuiſum omnino deſolabitur. C

S. de Cheziaco. EPISTOLA LXXV.

SVGERIO *venerabili Abbati Sancti Dionyſij, S. de Cheziaco Prapoſitus Oleronis ſalutem.* NOTIFICO vobis, quòd G. de Rancone propter cenſuale debitum,

A quod nolo illi reddere, quod ne illi redderem Literis veſtris ſigillatis mihi interdixiſtis, Præpoſitum ſuum miſit in Terra, qui multum obnixè à me quærit turrem & Terræ prouinciam reddere. Sed ego illi turrem & Terræ prouinciam in quantum poſſum defendo, & reddere nolo. Qnapropter veſtrum requiro conſilium, quid de hac re me velitis facere, aut turrem & Terræ prouinciam reddere, aut omninò ſecundum poſſe meum denegare. Mihi tamen videtur, quòd ſi cenſuale debitum redderem, pacem cum illo haberem. LVDOVICVS VII IVNIOR.

Communia Beluacenſis. EPISTOLA LXXVI.

DOMINO *ſuo* SVGERIO *beati Dionyſij reuerendo Abbati, Pares & tota Beluacenſis Communia, ſalutem & obſequium vt Domino.* AD vos tanquam ad Dominum clamamus & conquerimur, quippe in manu & tutela veſtra à Domino Rege commiſſi. Quidam enim homo iuratus noſter de Communia noſtra duos equos, qui ei in Quadrageſima fuerant, apud Leneſmontem eſſe audierat, & ad perquirendos eos quarta feria Dominicæ Reſurrectionis illuc perrexerat. Gualeranus autem præfatæ villæ Dominus Reſurrectioni Dominicæ nullum honorem deferens, illum hominem ſine foriſfacto cepit, & eum pro ſeipſo decem ſolidos Pariſienſium dare, & equos ſuos quinquaginta ſex ſolidis redimere coëgit. Quia verò homo pauper eſt, & hanc & multam aliam pecuniam ad vſuram de-
B bet, ſanctitatem veſtram in Domino exoramus, quatenus de præfato Gualeranno condignam iuſtitiam Dei gratia & veſtra faciatis, vt iurato noſtro præmiſſam pecuniam reddat, & vlteriùs aliquem vobis commiſſum diſturbare non præſumat. Valete.

LVDOVICI *Regis ad Comitem* THEOBALDVM. EPIST. LXXVII.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum, cariſſimo ſuo* THEOBALDO *Comiti, ſalutem & plurimam dilectionem.* COMPVLIT nos internus amor, quem in viſceribus noſtris erga dilectum filium veſtrum HENRICVM habemus, vt ad gloriam nominis eius fidelitati veſtræ de remotis partibus ſcriberemus. Eius quippe deuotio, quam per omnia nobis exhibuit, eiúſque obſequia gratioſa, ampliorem de nobis gratiam meruerunt, & affectum propenſioris amoris ei apud nos comparauerunt. Super quo veſtræ dilectioni gratias vberes exhibentes, id vobis de eo ſignificamus, vt erga eum cor veſtrum affectuoſiùs promoueamus. Nouerit autem veſtra dilectio, quòd deſiderium noſtrum fuerit & voluntas, cum Principibus noſtris ad Regnum noſtrum redire. Sed Orientalis Eccleſiæ neceſſitate vſque in Paſcha coacti ſumus remanere. Et quoniam ad veſtram fidelitatem præcipuè reſpicit honor Coronæ noſtræ, atque totius Regni noſtri defenſio, ſtrenuitatem veſtram attentiori prece rogamus, vt de cuſtodiendo Regno noſtro atten-
C tam diligentiam habeatis, ne quid prauorum malignitas contra Coronam noſtram interim valeat machinari. Nos enim ſub ope diuina ſine dubio ſtatim poſt Paſcha transfretare, & ad Regni noſtri tutelam redire curabimus.

Archiepiſcopi Remenſis ad Abbatem SVGERIVM. EPIST. LXXVIII.

SAMSON *Dei gratiâ Remorum Archiepiſcopus, cariſſimo ac præcordiali amico ſuo* SVGERIO *venerabili Abbati beati Dionyſij, ſalutem & ſinceram in Domino dilectionem.* EPISCOPOS & Comitem Flandriæ, ſicut condixeramus, ſubmonuimus, vt Dominica qua cantabitur, *Vocem iocunditatis*, pro negotiis Regni nobiſcum tractaturi Sueſſionis conueniant. Ipſi autem ſe ſubmonitioni noſtræ obedituros libenter ſpoponderunt. Ceterùm, quia neſcimus ſi tunc vobis licitum fuerit & poſſibile, dilectioni veſtræ ſcribere decreuimus, inquirentes quid indè vobis placeat: quia ſi tunc venire non poteſtis, oportebit nos Epiſcopis & Comiti Flandriæ demandare ne veniant. Valete.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

Abbatis Clareuallenſis. EPIST. LXXIX. A

DOMINO *dilectiſſimo* SVGERIO *Dei gratiâ venerabili Abbati S. Dionyſij, Frater B. Clareuallenſis Abbas ſalutem & orationes.* FRATRES noſtri de Bituricenſi Archiepiſcopatu de Domo Dei egent pane, & audiuimus quòd abundat ibi annona Domini Regis, & parùm venalis inibi videtur. Itaque rogamus vos, vt præcipiatis eis dari de annona illa, quantum viſum fuerit prudentiæ veſtræ. Nam & Dominus Rex dum in hac terra eſſet, eis benefacere ſolebat.

LVDOVICI *Regis.* EPIST. LXXX.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum cariſſimo ſuo* SVGERIO *venerabili Abbati S. Dionyſij, ſalutem & plurimam dilectionem.* DILECTIONI veſtræ rogantes mandamus, vt fidelem noſtrum A. de Vilerum cum omnibus ad ipſum reſpicientibus vice noſtra diligentet tueri & defenſare ſtudeatis, quoniam deuotus ſemper nobis aſſiſtere ſtuduit in partibus alienis.

Archiepiſcopi Bituricenſis. EPIST. LXXXI.

VENERABILI *& cariſſimo domino* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij, P. Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem in Domino.* IVVENETVM de Bituricis, Arnulfúmque filium eius, veſtra vocauit ſublimitas ad cauſam agendam ante præſentiam veſtram. Nos autem, quia amici noſtri ſunt, & de vobis confidimus, ſicut & vos de nobis confidere credimus, rogamus dilectionem veſtram, vt cauſam, pro qua vocaſtis eos, faciatis tractari in Curia Domini Regis apud Bituricas, vel eam diffetatis donec vos Bituricas veniatis. Nam Iuuenetus ipſe ſenex eſt, & laborem equitandi ſuſtinere non poteſt. Hoc quoque ſciat prudentia veſtra, quòd vterque bonum teſtimonium habet in ciuitate: & quod vobis aduerſus eos ſuggeſtum eſt, non ex veritate, ſed ex odio credimus factum eſſe. Quid ſuper hoc placeat prudentiæ veſtræ, reſcribite Præpoſitis Bituricarum. B

Præpoſitis Bituricenſibus. EPIST. LXXXII.

SVGERIVS *Dei gratiâ beati Dionyſij Abbas, Præpoſitis Bituricenſibus, & Seruientibus Domini Regis, ſalutem & dilectionem.* VENIT ante præſentiam noſtram venerabilis Frater noſter Abbas Maciacenſis P. & quia ſe abſentaſſe videbatur pto voluntate noſtra, inde nobis ſatisfecit. Vnde & nos eum de Regali taliter inueſtiuimus, vt cùm Dominus Rex Deo annuente redierit, ſi quid contra eum feciſſe videtur, ad beneplacitum eius ſe ſatisfacturum exhibeat. Mandamus igitur vobis ex parte Domini Regis & noſtra, quatinus præfatum Abbatem, & quæ ad eum ſpectant, diligatis, & honoretis, & manuteneatis: & in quibus opus fuerit, ei auxilij & conſilij manum porrigatis. Hæc & his ſimilia Domino Regi reſetuamus; quæ ad honorem ſuum & commodum decentiùs adaptabit. C

Archiepiſcopi Bituricenſis ad dominum SVGERIVM *Abbatem.*

EPISTOLA LXXXIII.

VENERABILI *& dilectiſſimo Fratri* SVGERIO *Abbati S. Dionyſij, P. Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem in Domino.* QVOD mandauit prudentia veſtra, vt turris ſancti Palladij Præpoſitis Domini Regis redderetur, non fuit nobis graue: quia ſcimus vos pro vtilitate noſtra hoc prouidiſſe. Rainaldus autem de Craciaco nolens eam reddere, dixit, quòd mitteret ad Comitem Rad. & ſecúdum præceptum illius indè ageret. Nos autem non ſuſtinuiſſemus, quin ſtatim conuocata Communia ſuper eum irrueremus, niſi quia vobis priùs ſignificare voluimus. Prouideat ergo dilectio veſtra, ne ex parte Comitis R. ſuſtentationem habeat. Damnum enim poſſet eſſe non ſolùm nobis, ſed etiam Domino Regi maius, quàm nobis. Si quid minus de hoc negotio ſcribimus, per Magiſtrum Audebertum virum prudentem & diſcretum, quem ad vos mittimus, pleniùs vobis intimabitur.

A *Domni* SVGERII *Abbatis ad Comitem* RADVLFVM.

EPISTOLA LXXXIV.

EGREGIO *Dei gratiâ Viromandenſi Comiti* RADVLFO, SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas ſalutem & dilectionem.* IVVENIS iſte Rainaldus de Craciaco feſtinat ad vos, vt iuſtitiam mutetis contra Archiepiſcopum Bituricenſem, ipſum de firmitate ſancti Palladij expoliando, qua inueſtitus erat quando Dominus Rex Hieroſolymam profectus eſt. Nos autem dictante iuſtitia præfatum Archiepiſcopum reinueſtiri præcepimus, quod nullomodo mutabimus, & vos hoc ipſum mandare volumus. De VVidone verò de Herembrachen *, quem ad muniendam & cuſtodiendam turrim Bituricenſem miſeramus, dilectioni veſtræ ſignificamus, Præpoſitos Bituricenſes & Cadurcum eis turrem negaſſe: licèt poſtquàm vobiſcum locuti fuimus, hoc idem eis iterum mandauerimus. Quod per præſentem nuncium vos ipſis præcipere ſcribendo volumus.

* *infrà Epiſt. XCVII. vocatur VVido de Recbrache.*

Archiepiſcopi Bituricenſis. EPIST. LXXXV.

CHARISSIMO *Domino & amico* SVGERIO *venerabili Abbati beati Dionyſij, P. Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem.* SCIRE volumus dilectionem veB ſtram, quòd turris ſancti Palladij ſicut præcepiſtis reddita eſt. Et quamuis nondum eam habeamus, inde multimodas vobis grates referimus: quia pro certo ſcimus, vos ita eam præcepiſſe reddi pro bono & vtilitate noſtra. Verumtamen nos cum multitudine militum & peditum ſequenti die, ex quo Literas veſtras recepimus, ſuper Rainaldum ire volebamus, & quantò magis minas nobis inferebat ex parte quorundam, quos modo nolumus nominare, tantò magis aduerſus eos armabamur, & vires reſumebamus. Præterea mandauit nobis veſtra frarernitas per Magiſtrum Audebertum Nuncium noſtrũ, vt vobis occurreremus, & ſimul Domino Regi obuiaremus. Quod libenter faciemus, tum quia aduentus Domini Regis nobis gratiſſimus eſt, tum quia perſonam veſtram plurimùm nobis dilectam honorare volumus & deſideramus. Præterea ſcire volumus, quia apud Lemouicas dominum Burdegalenſem & Epiſcopos de Aquitania, ſicut inter nos collocuti fueramus, ad fidelitatem Domini Regis commonuimus: & ſicut nobis promiſerunt, in fidelitate ipſius Domino auctore permanebunt. Quod vobis placuerit, per præſentium latorem nobis reſcribite.

Comitis Viromandenſis. EPIST. LXXXVI.

SVGERIO *Dei gratiâ Abbati Sancti Dionyſij dilecto ſuo, R. Viromandenſis Comes ſalutem & dilectionem.* IAM iter meum veniendi ad vos properaueram vſque Criſpeium, & ibi recidiuam paſſus ægrotaui vſque ad mortem: adeo vt de vita deC ſperarem. Sed per Dei gratiam melius eſt mihi. Nunc ergo, quia ad vos tranſire non poſſum, quod placuerit vobis de negotiis Domini Regis proſequimini, & quod placuerit reſeruate: & ego mittam de hominibus meis ad vos, quos vocaueritis. Archiepiſcopus Remenſis, & Sueſſionẽſis Epiſcopus, ad me viſitandum venerunt: vbi de illa controuerſia, quæ eſt inter me & Nouionenſem Epiſcopum, diem agendi ab inſtanti die Martis in quindecim dies apud Cauſiacum conſtituimus. Et quia ad id valde mihi eſtis neceſſarius, rogo dilectionem veſtram, vt ad nos ſi poteſtis tunc veniatis. Porrò illo completo negotio, ad Regia negotia inde tranſibimus.

Archiepiſcopi Burdegalenſis. EPIST. LXXXVII.

AMANTISSIMO *ſuo Domino* SVGERIO *venerabili per Dei gratiam Abbati Sancti Dionyſij, Frater G. Burdegalenſis Eccleſiæ dictus Epiſcopus, ſalutem & deuotæ caritatis obſequium.* Ex mandato domini noſtri Romani Pontificis oportuit nos deſcendere pro cauſa domini Bituricenſis vſque Lemouicas. Indè verò pro neceſſitate Eccleſiæ Fontis-Ebraldi vſque ad illam deſcendimus. Pictauis itaque inuenit nos lator præſentium Nuncius veſter, vbi propter negotia Terræ moram facere nos oportuit. Duximus itaque ſcribendum prudentiæ veſtræ, vt ſi placet ſtatum Gal-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

licanæ Eccleſiæ & Regni, & ſi quæ mandanda nouiſtis, & quæ nos facere velitis, A baiulo præſentium referente, per vos cognoſcamus. Stamus igitur, domine Abba, & ſtare volumus ad mandatum & beneplacitum veſtrum, ſicut ad illius quem ab antiquo vera in Domiño caritate diligimus, & vita comite in eodem perſeuerare propoſuimus. Sed de Præpoſitura Burdegalæ ciuitatis quid erit? Locus enim vacat, & Terra laborat, & in hoc & in aliis veſtram præſtolamur voluntatem: quam petimus nobis ſcripto ſignificari.

Domni Abbatis ad Papam EVGENIVM. EPIST. LXXXVIII.

CARISSIMO *Domino & Patri Dei gratiâ ſummo & vniuerſali Pontifici* EVGENIO, SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas, obedientia & ſeruitij plenitudinem.* PRO ſororibus apud Fontem-Ebraldi in ſancta & Deo acceptabili Religione degentibus, quas Epiſcopus Pictauenſis, ſubiectionem ab eis requirens, earúmque Abbatiſſam benedicere nolens, defatigat, ſancti Apoſtolatus veſtri Celſitudinem qua poſſumus prece pulſamus: vt ſicut veſtræ incumbit diſcretioni imbecillitatem debilium confouendo ſuſtinere, quid vnicuique expediat prouidere, fragilitati ſexus condeſcendatis, & quia veſtra auctoritate innituntur, eas ſub veſtra protectione retineatis, nec alteri ſubiici velitis, & ab hac defatigatione eas in pace eſſe faciatis. Nouit enim veſtra diſcretio, quòd animabus earum non expedit clauſtra Monaſterij ſui exire, nec hac occaſione vel alia ſeculo ſe iungere. Noſtis enim, ſi B veſtræ placet Paternitati, quòd præfatus Epiſcopus ſubiectos ſuos conſueuit inquietare. Placeat igitur Excellentiæ veſtræ ab his moleſtiis eas eripere, & vt in pace Deo deſeruiant eis in multitudine miſericordiæ veſtræ prouidere, ſub protectione Dei cœli & veſtra Apoſtolica auctoritate confouere & protegere: vt pote tantum tantæ Religionis locum, quem, cùm in partibus illis in ſcholis eſſemus, nouiter incœptum eſſe vidimus, & per Dei voluntatem ferè ad quatuor aut quinque milia Sanctimonialium iam excreuiſſe audiuimus, & gaudemus.

EVGENII *Papæ ad domnum* SVGERIVM *Abbatem.*

EPISTOLA LXXXIX.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* BENEDICTVS Deus qui non deſerit ſperantes in ſe, & de ſua miſericordia confidentes miſericorditer conſueuit liberare. Sicut enim pro certo accepimus, cariſſimi filij noſtri LVDOVICI illuſtris Regis Francorum poſt innumeras tribulationum varietates miſertus, eum ad lucem de tenebris reuocauit, & ad citeriores maris partes adduxit. Cuius reditus, de quo paterno affectu eramus ſolliciti, maximum nobis gaudium præſtat, & C in aduerſitatibus, quas diu ſuſtinuimus, ſolatium præbet. Tu ergo, ſicut fidelis diſpenſator & prudens, negotia Regni tibi commiſſa viriliter ſtudeas pertractare. In proximo enim eſt, vt palmam tui laboris conſequaris & præmium. De cetero tui ſtudij ſit ad occurſum Regis cum ſuis fidelibus te honorificè præparare. Dilectus autem filius noſter Rex Siciliæ ſuis poſtea Literis intimauit, ſibi relatum fuiſſe, quòd præfatus filius noſter Rex Franciæ in Regno ſuo applicuiſſet, & verſus Siciliam tenderet, obuiaturus Reginæ: putans eam ex partibus Barbariæ illuc aduenisſe. Datum Tuſculani XVIII. Kalendas Septembris.

Antiſsiodorenſis Epiſcopi, & Clareuallenſis Abbatis. EPIST. XC.

CARISSIMO *Patri & Domino* SVGERIO *Dei gratiâ beati Dionyſij Abbati,* HVGO *Antiſsiodorenſis Epiſcopus, & Bernardus Clareuallenſis vocatus Abbas, ſalutem & dilectionem.* SIT in beneplacito dignationis veſtræ, vt audiatis hac vice petitionem noſtram. Hugo de Marinis, pater dilectiſſimi Fratris noſtri Abbatis de Tribus-fontibus, guerram habet aduerſus Hugonem Bornum: & inde mala plurima vel fiunt, vel facta ſunt. Supplicamus, & qua poſſumus prece pulſamus, quatinus inter eum & prædictum Hugonem, & alios aduerſarios eius, treugam

A vſque ad Aduentum Domini accipiatis, & ſciatis quia magnum ſeruitium nobis exhibebitis in negotio iſto. Dominus autem Papa nobis pro certo mandauit, quia Dominus Rex Deo gratias ad citeriores partes applicuit. Veſtrum eſt & vos, & quos expedire videritis, ad aduentum ipſius properare, ſicut vos melius noſtis. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EVGENII *Papæ ad domnum* SVGERIVM *Abbatem.* EPIST. XCI.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei; dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* LITERAS, quas nobis miſiſti, debita benignitate recepimus: & ſuper aduerſitatibus & anguſtiis, quas te pati ſignificaſti, paterno tibi affectu compatimur. Et quoniam eas pro amore iuſtitiæ & fidelitatis cariſſimi filij noſtri LVDOVICI illuſtris Francorum Regis te ſuſtinere cognoſcimus, ipſas tanquam proprias reputamus. Verumtamen non ignorat tua diſcretio, quia omnes qui piè volunt in Chriſto viuere, & pacem diligunt, oportet à filiis huius ſeculi, & ab his qui oderunt pacem, perſecutiones innumeras ſuſtinere. Ipſe namque Dominus noſter Ieſus Chriſtus non ad gaudia mundi, ſed ad paſſiones & mortem pro nobis tolerandas deſcendit. Ipſum itaque caput noſtrum imitari debemus, quia ſi pro ipſo perſecutiones patimur, certi de promiſſione ipſius erimus in æterna retributione beati. Confortare igitur, cariſſime fili, & viriliter
B age, atque in Domino, qui tibi adiutor eſt, ſperans; non timeas quid tibi faciat homo. Saluator etenim noſter iuxta promiſſum ſuum vſque in finem ſeculi ſuos nullatenus derelinquet, & nos iuxta poteſtatem nobis conceſſam ab ipſo opem tibi & auxilium exhibere curabimus. Sicut enim ex Literis, quas Fratribus noſtris Archiepiſcopis & Epiſcopis mittimus, perpendere poteris, illos qui pacem Regni perturbant, niſi reſipuerint, excommunicari mandauimus; & tam ipſis quàm Comitibus exhortando mandauimus, vt tibi & aliis, quibus Regni eſt commiſſa cuſtodia, ad defenſionem ipſius viriliter auxiliando aſſiſtant. Tui ergo ſtudij ſit, quatinus eoſdem Fratres Archiepiſcopos & Epiſcopos conſtituto termino in vnum facias conuenire, vt quæ pro vtilitate Regni agenda fuerint, auxiliante Domino compleantur. Datum Tuſculani VIII. Idus Iulij.

Item EVGENII *Papæ.* EPIST. XCII.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus Fratribus H. Senonenſi Archiepiſcopo, eiuſque Suffraganeis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVANTA deuotione cariſſimus filius noſter LVDOVICVS illuſtris Francorum Rex Hieroſolymitanum iter aſſumpſerit, vos corporali præſentia cognouiſtis, & maximam Orbis partem non latuit, qui Regnum ſuum ſub ſanctæ Eccleſiæ & noſtra protectione reliquit: & tam nos, quàm vos, vt illud à prauorum infeſtatione tue-
C remur, ſuppliciter exorauit. Accepimus autem, quòd quidam pacem Regni diabolico inſtinctu perturbant, ipſúmque, poſtpoſita Dei & hominum reuerentia, malitioſè infeſtant: non attendentes, quòd idem pius Rex tollens crucem ſuam ſecutus eſt Chriſtum, & relicta patria & Regno, ad loca vbi ſteterunt pedes Domini pro defenſione Chriſtianæ fidei feſtinauit. Quod tantò grauiùs ferimus, quantò perſonam eius propenſiori affectu diligimus, ipſúmque in remotis partibus deuotiùs pro Dei ſeruitio demorari cognoſcimus. Quia verò tam deuoti ſanctæ Eccleſiæ filij & Chriſtianiſſimi Principis auxilio deeſſe non poſſumus nec debemus, per præſentia vobis ſcripta mandamus, quatinus in vnum conuenientes perturbatores Regni ad veſtram præſentiam euocetis, ipſóſque diſtrictè ac ſollicitè moneatis, vt ab infeſtatione Regni omninò deſiſtant, nullámque offenſionem hominibus Domini Regis inferre præſumant. Si autem veſtris monitis obedire contempſerint, tam in ipſos quàm complices eorum, occaſione remota, excommunicationis ſententiam proferatis. Præterea cùm ab his, quibus eſt cuſtodia Regni commiſſa, vel aliquo illorum fueritis moniti, tanquam pacis ac iuſtitiæ amatores, pro fidelitate, quam eidem Regno debetis, temporale eis auxilium præbeatis, eóſque ad defenſionem ipſius modis omnibus adiuuetis. Datum Tuſculani VIII. Idus Iulij.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

Clarenallenſis Abbatis. EPIST. XCIII.

DOMINO *& Patri dilectiſsimo* SVGERIO *Dei gratiâ reuerendo Abbati Sancti Dionyſij, Frater B. Clareuallenſis vocatus Abbas, ſalutem & deuotas orationes in Chriſto.* ABBATEM pauperem Abbati diuiti mittimus, vt de alterius abundantiâ alterius inopia aliquatenus releuetur. Vobis ſanè honeſtiorem cedimus partem iuxta ſententiam Veritatis, quæ beatius eſſe definit dare quàm accipere. Nec dubito, quin lubentiùs & liberaliùs manum veſtram extenderetis ad hunc pauperem Chriſti, ſi vobis æquè vt nobis innotuiſſet eius religioſitas & honeſtas, ſed & neceſſitas ipſa quam patitur. Nam & debitis premitur, & panis inopiâ laborat: quòd agri eius pro tritico herbas perniciosas ei reddiderint. Quia ergo ſterilitas iſta veſtros non attigit loculos, rogamus & petimus per veſtram ei miſericordiam ſubueniri. Nec vllarenus dubitetis, quin vtiliter poſitum ſit & fideliter repoſitum, quidquid ei præſtare placuerit.

LVDOVICI *Regis ad domnum* SVGERIVM *Abbatem.*

EPISTOLA XCIV.

B

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitaniæ, eadem gratiâ venerabili Abbati Sancti Dionyſij cariſſimo ſuo, ſalutem & plurimam dilectionem.* Ex deſideriis animæ noſtræ, veſtros quoque metimur affectus. Ea profectò ſecretis nobis hortatibus, ſed certis inſinuant, quàm impatienter iamdudum noſtram feratis abſentiam, quàm deſideranter præſentiam expectetis. Teſtantur hoc Literæ vocationis veſtræ, in quibus pro maturando reditu noſtro ſuccenſis affectibus & vota veſtra æſtuant, & pro afflictionibus noſtris amica nimirum compaſſione grauiùs veſtra interna laborant. Hinc eſt, quòd reditus noſtri prænuncia ſcripta tantò libentiùs vobis deſtinare curauimus, quantò vos ampliùs exinde gauiſurum eſſe præſcimus. In Calabriæ partibus ſecundum diſpoſitionem diuinam primus redirui noſtro deſideratæ ſecuritatis portus occurrit, applicuimúſque IV. Kalendas Auguſti. Ibi ſiquidem ab hominibus dilectiſſimi noſtri ROGERII Regis Siciliæ deuotè reuerentérque ſuſcepti, & ab ipſo quidem directis ad nos frequenter tam Literis quàm nunciis magnificentiùs honorati, ferè iam per tres hebdomadas Reginæ hominúmque noſtrorum præſtolabamur aduentum, quæ ſeorſum à nobis delata nauigio, poſt multos tandem circuitus terræ & maris, per Dei gratiam Panormam Siciliæ felici curſu peruenerat, atque inde ad nos cum omni incolumitate & gaudio properabat. Sed & Lingonenſis Epiſcopi grauis quidem & incerta inter mortem & vitam infirmitas non minima nobis cauſa dilationum extiterat: & habendum cum præfato Rege colloquium reditus noſtri accelerationem pariter retardabat. Eo itaque viſo, ceteriſque paratis quæ noſtro videbantur expedire itineri, viam noſtram accelerare curabimus: quatinus & vos in noſtris amplexibus, & nos in veſtris, præſtante Domino, pariter gaudeamus. C

Archiepiſcopi Bituricenſis. EPIST. XCV.

CARISSIMO *Domino & amico* SVGERIO *venerabili Abbati Sancti Dionyſij, P. Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & veram in Chriſto dilectionem.* NESCIMVS quorum ſuggeſtionibus R. de Monte-Falconis, Præpoſitis Bituricenſibus, niſi ante vos Pariſius ad ius exequendum venerit pro quodam homine ſuo, ſicut aſſerit, vnde paratum ſe in Palario Domini Regis apud Bituricas ſecundum vſus & conſuetudines eiuſdem ciuitatis exhibuit, & adhuc ad iuſtitiam exhibet, capere præcepiſtis: addens etiam certos & conſtituros terminos eſſe, in quibus cùm à vobis euocatus fuerit, competenti die libenter paratus erit iudicium ſubire Bituricis. Ceterùm pro fidelitate & pace Regni in partibus noſtris conſeruanda, vt qui de negotiis Terræ noſtræ plurimum nouimus, prudentiæ veſtræ conſulimus, quatinus vel cauſam illam aliquandiu differatis, vel ad iudicium militum & ſeruientium Bituricenſium ſiſtere iudicio ipſum mandetis. Si fortè contigerit vos

A ad partes illas pro negotiis Regni pergere, paratus erit ſtare iudicio, vel mandato, ſeu conſilio veſtro. Lvdovicvs VII. Ivnior.

Lvdovici *Regis.* EPIST. XCVI.

LVdovicvs *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum*, Svgerio *eadem gratiâ Sancti Dionyſij Abbati dilectiſſimo, ac fideliſſimo amico noſtro, ſalutem & gratiam noſtram.* Qvanta animi intentione præſentiam veſtræ dilectionis videre gliſcimus, in præſenti ſcripto explicare nequimus. Nunc verò moræ noſtræ cauſam vobis notam fieri volumus. Poſtquam in Calabriæ partibus applicuimus, tribus hebdomadibus plenariè Reginam, quæ nondum applicuerat, expectauimus. Ipſa quoque ad nos veniente, per Regem Rogerium Apuliæ iter noſtrum direximus, qui nos ſecum tribus diebus retinuit. Nobis autem ab eo diſcedentibus, grauiter Regina infirmari cœpit. Illa verò conualeſcente de infirmitate, ſtatim ad Apoſtolicum tetendimus, cum quo per duos dies & vno ſimiliter die Romæ perendinauimus. Nos autem ad vos ſani & incolumes venire feſtinantes, vobis mandamus vt vno die ſecretò ante alios amicos noſtros ad nos peruenire non differatis. De Regno enim noſtro quamplures rumores accipientes, & certitudinem inde neſcientes, à vobis diſcere volumus, quomodo erga quemcumque nos habe-
B re debeamus vel continere: & hoc tam ſecretò fiat, vt quod in præſenti ſcripto continetur, nemo niſi veſtra perſona cognoſcat.

Cadvrci. EPIST. XCVII.

DOmino *ſuo* Rotroco *Comiti Perticenſi*, Cadvrcvs *amicus ſuus & fidelis, & E. de Sal. ſalutem & dilectionem.* Mandavimvs vobis per famulum veſtrum, nos velle loqui vobiſcum. Mandaueramus, quòd Abbas Sancti Dionyſij turrim Bituricenſem VVidoni de Rebrache *, & militibus ſuis & ſeruientibus deliberaret, & vt redderem citò mihi mandauerat. Mandamus igitur vobis, quòd nos fuimus ad Comitem Rodvlfvm, & indè fuimus ad Abbatem, & locuti fuimus de negotio: & ipſe reſpondit nobis, quòd Abbas non faciebat pro eo hoc, neque præcepto ipſius. Quapropter mandamus vobis, vt Comiti Rod. Literis veſtris ſignificetis, & vt amico veſtro mandetis, vt ipſe Comes mihi Cadurco amico veſtro ſigillum ſuum mittat priuatim, in quo habeat: « Ego Comes Rod. mandò tibi Cadurco, vt non reddas turrim Bituricenſem alicui homini, ſicut iuraſti mihi, niſi mihi vel hominibus meis. » De cetero, ſciatis quòd nos amici veſtri ſumus, & ciuitas veſtra Biturica veſtra eſt: ſi hoc facitis, & ſi nos manutenere vultis, & ſi vos in proximo apud Bituricas cauſa videndi Comitiſſam Borbonum veniſſetis, quòd ſapienter faceretis. Mandate igitur ex parte veſtra mihi & militibus, &
C burgenſibus, quàm citiùs poteritis ſalutem, & præſentate eis ſeruitium veſtrum, & poſſe veſtrum in omnibus locis, & beniuolentiam.

* *ſuprà Epiſt.* LXXXXV. *dicitur* VVido de Hembrachen.

Odonis *Beluacenſis Epiſcopi.* EPIST. XCVIII.

DOmino *& amico cariſſimo* Svgerio *Dei gratiâ venerando beati Dionyſij Abbati*, Odo *eiuſdem patientiâ Beluacenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, ſalutem & in Domino dilectionem.* Non latet veſtram diſcretionem, P. de Miliaco quantis affligat malis pagum Beluacenſem. Cuius etiam peſtilentiæ malitia regiis auribus innotuit, & clamor illuc delatus Regem vehementer exaſperauit. Nunc verò viam inuenimus, qua & patria noſtra à tanta peſte poſſit liberari, & ipſius anima ſaluari. Spondet enim viam Domini, & ſe crucem accepturum, ſi per Eccleſiæ diſpenſationem abſoluatur à vinculo anathematis, cui ſubiacet propter neptim Manaſſæ de Bulis, quam habet vxorem. Quam ſententiam ſuper Petrum firmandam noſtra iudicauit Eccleſia, ex hoc quòd prædictus Manaſſes huius Petri amitam habens vxorem, propter leuitatis mulieris temeratam fidem eam repulit, & coniugium ſolui fecit, vt remur, iniuſtè. Veſtra igitur prouidentia ſuper his Regem conueniat, & per diligens conſilium ad hoc impellat, vt ipſo mandante, & rogante, Dominus Clareuallenſis Apoſtolica ſi placet poteſtate eum abſoluat, ſicut & Dro-

LVDOVICI VII IVNIOR. gonem de Monciaco abſoluit in ſimili negotio. Ita verò à diabolico fomite, & publici mali tabe, noſtra liberabitur patria: qui ſi remanſerit, vt coniicimus, omnimodæ ſeditionis germinabit inquietudinem. A

HVGONIS *Senonenſis Archiepiſcopi.* EPIST. XCIX.

VENERABILI *Dei gratiâ Sancti Dionyſij Abbati* SVGERIO, HVGO *Senonenſis Archiepiſcopus ſalutem & dilectionem.* NOSTRVM eſt exceſſus inimicorum Regni & Eccleſiæ Dei vobis, cui cura commiſſa eſt, aperire; veſtrum autem corrigere. Vnde prudentiæ veſtræ ſuper R. Maiore de Sarmaſia pro Eccleſia beatæ Columbæ Senonenſis conquerimur, quoniam homo eſt, qui niſi cenſuram Curiæ metuit, iuſtitiam contemnit. Ipſe enim Eccleſiam beatæ Columbæ, cuius ſeruus eſt, in omnibus quæ poteſt opprimit, & ſub quadam iniqua hereditate Maioriæ, ſeruitij, & ſeruitutis ſuæ oblitus, aduerſus Monachos ſe erexit, & tanquam Dominum Terræ eorum ſe facit. Vnde à nobis ſubmonitus iuſtitiam ſubterfugit, Preſbyterum etiam noſtrum, quoniam ipſum excommunicauerat, minando vehementer affligit. Super quo prudentiæ veſtræ mandamus & rogamus, quatinus tot & tantos vnius ruſtici exceſſus, ſpiritu oris veſtri ſemel extinguatis, & corrigentes quæ malè egerit, ne deinceps ſeruus in dominum, ſceleratus in ſanctos, vnus in multos tanta præſumat, forti virtute coërceatis. B

Comitis RODVLFI. EPISTOLA. C.

SVGERIO *Dei gratiâ beati Dionyſij Abbati dilecto ſuo,* ROD. *Viromandenſis Comes ſalutem & dilectionem.* VENIT ad me Nuncius Regis Bartholomeus, afferens Literas eius: & quantum ex eius verbis perpendo, Rex non adeo citò veniet, niſi forſitan vſque ad feſtum omnium Sanctorum, vel etiam ſancti Martini. Ergo conueniens eſt, vt interim ſeruientes Regis aduocetis ad computandum, vt Domino Regi certum quid reſpondere ſciatis. Quod ſi abſque me hoc facere non vultis, ego à die Lunæ in octo dies veniam.

ODONIS *Beluacenſis Epiſcopi.* EPIST. CI.

DOMINO *& Patri* SVGERIO *venerabili Dei gratiâ Sancti Dionyſij Abbati,* ODO *eadem gratia humilis Beluacenſis Epiſcopus, in abundantia pacis ferre ſalutem ei diligentibus.* SCRIPTO & viua voce Clericorum noſtrorum, miſeriam quam patimur veſtræ paternitati aliàs indicauimus: & remedium, quod à vobis ſperabamus, adhuc expectamus. Animaduertimus autem intentionem & conſilium Comitis R. quòd per hanc turbationem & pacis dilationem quærat expellere Comitem Claromontanum amicum noſtrum, hominem venerandum & miſerandum. C Quippe ſi anniteretur paci, omnem ſeditionem ſedare potuiſſet, quia ſi diceret ipſe, & facta ſunt, & præceptum eius nemo præteribit. Sed cùm habeant inducias vſque ad inſtantem Dominicam, det operam veſtra diſcretio, vt locum & diem nominetis colloquio, cui intereſſe poſſitis & velitis. Confidimus in Dei bonitate, quòd in præſentia veſtra tumultus iſte pacabitur, & ſapientiæ veſtræ manus non euadet concordia: aut ſi impoſſibile eſt paci prorſus conſulere, longas inuicem fœderabunt inducias. Nec mirum videtur, ſi vſque adeo pacem quærimus, & de guerra conquerimur multis ex cauſis, quas veſtræ dulcedinis conſilio non minus quàm ex ore noſtro credibiliter expediet præſentium portitor familiaris noſter.

Epiſcopi Carnotenſis. EPIST. CII.

CARISSIMO *amico* SVGERIO *Dei gratiâ Sancti Dionyſij Abbati,* G. *Carnotenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & dilectionem in Domino.* NOVIT prudentia veſtra, quòd Domini Regis dignatio res noſtras in protectione ſuſcepit, ne malignis aduerſus nos aliud liceat, quàm ratio poſtulat. Et quia Deo volente in hoc eſtis conſtitutus, vt prauorum coërceatis exceſſus: confidentes ſpem habemus, quòd ſub tali Iudice non periclitetur cauſa noſtra, nec derogetur Eccleſiæ

A dignitati. Quod idcirco præmiſimus, quia Præpoſitus Hienuillæ violenter in nos inſurgit, homines noſtros falſis agitat calumniis, plus inhians cupiditati, quàm ſeruiens rectitudini. Reſpectum nobis poſtulantibus dare noluit, timens lucris ſuis aliquid deperire, ſi cauſam noſtram contigerit ad vos diſcutiendam venire. Proindè diſcretionem veſtram ſuper hoc imploramus, vt huius rei diſcuſſionem non ante alium quàm in conſpectu veſtro ponatis, & donec à vobis idipſum examinari valeat, totum induciari iubeatis.

HVGONIS *Archiepiſcopi Rothomagenſis.* EPIST. CIII.

VENERABILI *Patri & Domino* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij*, HVGO *Rothomagenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & gratiam.* CONQVERITVR Abbas & Conuentus Sancti VVandregeſili, & nos cum eis & pro eis conquerimur ſuper Hugonem Broſtin, qui antiquam eleemoſynam Regum Franciæ, quæ eſt apud Caleeum à tempore beati Auſberti prædeceſſoris noſtri, quietam & liberam inquietat & aufert. Nunc igitur, quia loco Domini Regis huiuſmodi prouidere habetis, vobis mandamus & ſupplicamus, quatinus prædicto Hugoni præcipiatis, vt præfatam decimam in pace dimittat, nec vllomodo ampliùs in eam manum ponere præſumat. Facit itaque hanc iniuriam, vt audiuimus, quia excommunicatus B eſt, & neceſſe eſt vt quem iuſtitia Eccleſiaſtica ad viam veritatis non reuocat, manus veſtra rapinam eius & tyrannidem reprimat, reuerende Pater & Domine.

GOSLENI *Epiſcopi Carnotenſis.* EPIST. CIV.

DOMINO SVGERIO *Dei gratiâ venerabili Abbati S. Dionyſij*, GOSLENVS *eadem gratiâ Carnotenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & deuota obſequia.* PROPTER reuerentiam precioſorum Martyrum, beati Dionyſij Apoſtoli Galliarum, & ſociorum eius, & propter mandatum Excellentiæ veſtræ, cui per omnia toto poſſe noſtro obſequi volumus, celeberrimam ſolemnitatem, ad quam nos ſubmonuiſtis, quam præ ceteris quaſi iure hereditario domini prædeceſſoris noſtri ampliori deuotione venerari debemus & colere, adire diſpoſueramus. Ceterùm nos inopinatus domini Autiſſiodorenſis aduentus inuitos retinuit, quem accepto indè nuncio in proxima Dominicâ expectamus. Veremur enim futuram inde ſibi aduerſum nos ſuſpicionem, ſi ſuam, quam modo primum nobis exhibet, videremus effugiſſe præſentiam.

Petri Archiepiſcopi Bituricenſis. EPIST. CV.

SVGERIO *Dei gratiâ venerabili beati Dionyſij Abbati*, PETRVS *Bituricenſis Ec-* C *cleſiæ humilis Miniſter ſalutem & dilectionem.* GRATIAS immenſas referimus ſublimitati veſtræ, quia reditum Domini Regis nobis notificaſtis, & vt ei occurreremus vobiſcum præmonuiſtis. Nos autem libentiſſimè ei occurremus, & obnixè rogamus dilectionem veſtram, vt ſi per Sanctum Egidium venerit, per nos veniatis, & per Prouinciam noſtram tranſeatis. Deſideramus enim ſeruire vobis, & honorem quem potuerimus exhibere. Si autem per Cluniacum venerit, & illuc vobiſcum libenter ibimus. Cùm autem illum appropinquare noueritis, nobis ſignificetis, vt ſciamus quando itineri veſtro adhærere debeamus. Nos quoque ſi quid certi habuerimus vobis renunciabimus. Per præſentium latorem quod placuerit reſcribite.

Item EVGENII *Papæ ad Abbatem* SVGERIVM. EPIST. CVI.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* FILII noſtri A. & Her. Clerici Meldenſis Eccleſiæ nuper ad noſtram præſentiam venientes, quoniam ſuper eo quod eis à Goſleno imponebatur iuſiurandi religione firmauerunt, noſtrum adimplere mandatum, eos à vinculo excommunicationis abſoluimus. Verùm quia pars aduerſa præſens non aderat, in eorum cauſa procedere, & certum

LVDOVICVS VII. IVNIOR. aliquid diffinire ſalua æquitate non potuimus. Ipſos itaque ad tuæ diſcretionis induſtriam remittentes, per præſentia ſcripta dilectioni tuæ mandamus, quatinus vtraque parte ante tuam præſentiam euocata, ſi Goſlinus iuxta ſcita canonum probare potuerit quòd eis impoſuit, cauſam ipſam ordine iudiciario diffinias. Si verò prædictus Goſlinus in probatione defecerit, ſeptima manu ſui ordinis purgationem prædictorum Clericorum ſuſcipias, & eos ab infamia, quæ ipſis imponebatur, Fratribus conuicinis immunes oſtendas, & publicè nuncies. Redditus verò Eccleſiæ, qui prædicto Goſlino hac occaſione ablati ſunt, facias ei cum integritate reſtitui. Præterea Epiſcopo & Canonicis Meldenſis Eccleſiæ firmiter ex noſtra parte præcipias, vt de cetero cum eodem Goſlino pacem & fraternam concordiam habeant. Quod ſi non fecerint, & clamor inde ad aures noſtras deuenerit, diſſimulare non poterimus, quin eorum inobedientiam animaduerſione debita puniamus. Datum Tuſculani VII. Idus Nouembris. A

EVGENII *Papæ ad eundem.* EPIST. CVII.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVIDAM Sacerdos R. ad noſtram præſentiam veniens, conqueſtus eſt quòd S. Archidiaconus, quoniam denarios quos ab eo pro Eccleſia ſibi tradita exigebat, ei tribuere noluit, de Eccleſia eum expulit. Et quoniam ſuper hoc eum ad noſtram audientiam appellauit, idem Archidiaconus fecit eum à parentibus ſui auſu ſacrilego verberari. Quia verò valde iniquum eſt, vt in his, quibus in Eccleſia Dei ſuper alios poteſtas iudicandi conceditur, iniquitatis inueniatur iudicium, tibi per ſcripta noſtra mandamus, vt vtroque ad tuam præſentiam euocato cauſam ipſam diligenter inquiras, & iuſtitia comitante diffinias. Illos verò, qui violentas manus in eundem Clericum iniecerunt, excommunicatos publicè denuncies, & excommunicationem tamdiu facias obſeruari, donec ſatisfacturi veſtro ſe conſpectui repræſentent. B

EVGENII *Papæ.* EPIST. CVIII.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio noſtro Archiepiſcopo Senonenſi H. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVIDAM Sacerdos tuus Romam ad noſtram præſentiam veniens, conqueſtus eſt quòd Stephanus Archidiaconus tuus, quoniam denarios, quos ab eo pro Eccleſia ſibi tradita exigebat, ei tribuere noluit, de eadem Eccleſia eum expulerit. Et quoniam ſuper hoc eum ad noſtram audientiam appellauit, idem Archidiaconus fecit eum à parentibus ſuis auſu ſacrilego verberari. Quia verò valde iniquum eſt, vt in his, quibus in Eccleſia Dei ſuper alios poteſtas iudicandi conceditur, iniquitatis inueniatur iudicium: dilecto filio noſtro SVGERIO Abbati Sancti Dionyſij per ſcripta noſtra mandamus, vt vtroque ad ſuam præſentiam euocato cauſam ipſam diligenter inquirat, & iuſtitia comitante diffiniat. Tu ergo eundem Archidiaconum ad ipſius Abbatis vocationem ire, & quod inde iudicauerit facias obſeruare. Poſtmodum quoque eum ad nos ſuper eiſdem exceſſibus reſponſurum tranſmittas. Illos verò, qui violentas manus in eundem Clericum iniecerunt, excommunicatos publicè denunties, & excommunicationem tamdiu obſeruari facias, donec noſtro ſe conſpectui ſatisfacturi repræſentent. C

Decani & Capituli Carnotenſis. EPIST. CIX.

SVGERIO *venerabili Abbati Sancti Dionyſij, R. Decanus, totúſque Eccleſia beatæ Mariæ Carnotenſis Clerus, ſalutem & veram in Chriſto dilectionem.* PROVIDENTI prudentiæ veſtræ conqueri ac notificare dignum duximus, quòd Hugo de Bretiniaco peruicax & proteruus, regia iuſſa veſtraque ſatis impudenter negligens, nihil omninò de his quæ Eccleſiæ noſtræ & nobis in præſentia noſtra pepigit, vnquam tenuit, nec de ablatis aliquid reſtituere voluit. Præterea dominus E. Vicecomes in nequitia ſua prauè perſeuerare glorians, de his quæ in Eccleſiam beatæ Mariæ & nos malè egerat, nihil penitus emendare adquieſcit. Quocirca nos

A de veſtra benignitate veſtráque iuſtitia nobis in neceſſitatibus noſtris, & beatæ Mariæ negotiis, ſæpiſſimè ſpectarè confiſi, & eo ampliùs quòd Dominus noſter Rex amantiſſimus in diſceſſu ſuo nos tutelæ veſtræ commiſit: ad vos quaſi ad patrem & patronum recurrentes, obnixiùs interpellamus, quatinus Eccleſiæ noſtræ noſtrique curam, quam benè cœpiſtis, habendo, hos præfatos contumaces ac præſumptuoſos virga correctionis feriatis, vt & ablata reddere cogantur, & à conſimili facto deinceps abſterreantur. Valete, & quod ſuper hac re deliberaueritis, per præſentium latorem nobis, ſi placet, renunciate. LVDOVICVS VII IVNIOR.

Abbatis Sancti Pantaleonis. EPISTOLA CX.

DOMINO *& Patri ſuo amantiſſimo Dei gratiâ beati Dionyſij Abbati* SVGERIO, *VV. Abbas Sancti Pantaleonis in Colonia, quidquid deuotius offerre poteſt corpore & ſpiritu.* SCRIPTVM eſt, quia caritas benigna eſt, quam nimirum in vobis eſſe ſatis euidenter benignitatis & pietatis exhibitione oſtendiſtis, quando me pro puero nepote meo Excellentiam veſtram, cùm Remis eſſetis, exorantem tam paternè exaudiſtis. Qua de re cùm magnarum gratiarum actionum debitor vobis ſim, ex veſtro tamen corde percipere vellem, quid potiſſimum ſeruitij pro hac pietate vobis impendere deberem: earum videlicet rerum, quæ veſtrum rangant animum. Si quid autem per nuncios veſtros agendum eſt in ciuitate Colonia, quod ad veſtram ſpectet voluntatem, ſiue vtilitatem, ego & pater pueri, vobis & veſtris in omni negotio ſeruire parati ſumus. Valete in Domino, & cœptum pietatis opus nobis ſeruis veſtris in puero oſtendite.
B

Archiepiſcopi Senonenſis. EPISTOLA CXI.

HVGO *Dei gratiâ Senonenſis Archiepiſcopus, cariſſimo ſuo* SVGERIO *venerabili Abbati Sancti Dionyſij, ſalutem & dilectionem.* SCRIPSERAMVS vobis de aduentu Domini Regis, ſed indè poſtea certiorem nuncium habentes, iterum vobis ſcribimus. Vidimus enim fratrem Galerannum, qui cuſtodit Pariſius Domum Templi, redeuntem à Domino Rege, & dimiſit eum apud Forum-nouum iuxta Placentiam. Nos itaque vltra differre non poſſumus, ſed iam mouimus obuiam Domino Regi. Miles enim dixit nobis, quoniam hac ipſa Dominica proxima Cluniaci iacebit. Nunc itaque, ſi vobis placet, vſque ad proximam diem Lunæ Autiſſiodori vos expectabimus. Cupimus enim multùm vos habere Dominum & ſocium itineris. Verùm ſi ſic eſt, in beneplacito veſtro nuncium veſtrum præmittite, qui proxima ſecunda feria mane apud Autiſſiodorum conſilium veſtrum notificet nobis.

C PETRI *Archiepiſcopi Bituricenſis ad domnum Abbatem* SVGERIVM.

EPISTOLA CXII.

VENERABILI *Fratri & amico cariſſimo* SVGERIO *Dei gratiâ Abbati Sancti Dionyſij,* PETRVS *Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & dilectionem in Domino.* QVIDAM venerunt Bituricas, qui dixerunt Dominum Regem appropinquare, & in proximo eſſe venturum. Sed ex qua parte venturus ſit, per eos certitudinem habere non potuimus. Nos autem expectabamus nuncium veſtrum, & adhuc expectamus, ſicut nobis ſignificaſtis: vt ſecundum quod nobis mandatum fuerit à vobis, in occurſum eius properemus. Placeat igitur ſublimitati veſtræ reſcribere nobis, ſi quam de eo certitudinem accepiſtis, vt vel ex qua parte ei occurratis, & vbi & quando nos ei occurrere vobiſcum velitis.

Item Archiepiſcopi Bituricenſis ad domnum SVGERIVM *Abbatem.*

EPISTOLA CXIII.

VENERABILI *& cariſſimo Fratri* SVGERIO *Dei gratiâ Abbati Sancti Dionyſij,* PETRVS *Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & dilectionem in Domino.* LITERAS veſtræ ſublimitatis accepimus, quibus monuiſtis vt die Iouis

LVDOVICVS VII. IVNIOR. apud Vizeliacum, vel die Veneris apud Corbiniacum ſimus. Sed poſteaquam miſimus nuncium noſtrum ad vos, dictum fuit nobis, quòd Dominus Rex Bartholomeum Archidiaconum noſtrum occurrentem ſibi ſuſcepit in gratiam ſuam, ac pro eo fudit preces apud dominum Papam: & nos quoque pro ipſo interpellare diſpoſuit, & obnixè rogare, vt nos ab hoc, quod pro honeſtate & decore Domus Dei inchoauimus, deſiſtamus. Fiduciam igitur habentes in vobis, non meritis noſtris, ſed quia Deum & honorem eius diligitis, volumus præmunire prudentiam veſtram, vt efficiatis apud Dominum Regem, ne diffamatum illud, de cuius honeſta conuerſatione multa audiſtis, manutenere velit, nec nos interpellet pro eo. Timemus enim ne eſſet cauſa offenſionis, ſi interpellaret nos de re, quæ non eſſet habitura effectum. Criminoſam quippe vitam illius ſuſtinere non poſſumus nec debemus, nec indulgere flagitiis eius. Nam quod de ipſo facimus, conſilio multorum Religioſorum incœpimus, qui grauiter confunderentur, ſi deſiſteremus, & faciem Eccleſiæ Dei quaſi dehoneſtatam iudicarent, ſi hominem talem contra ſanctitatem conſilij eorum præualere viderent. Placeat igitur dilectioni veſtræ, reſcribere nobis conſilium veſtrum. Nam ſi laudaueritis, proxima die Veneris erimus apud Corbiniacum, ſi aliquomodo poterimus. A

THEOBALDI *Comitis.* EPISTOLA CXIV.

SVGERIO *Dei gratiâ Abbati Sancti Dionyſij amico ſuo cariſſimo,* THEOBALDVS *Bleſenſis Comes ſalutem.* RAGINALDVS DE CORTINIACO mandauit mihi, ſe voluntati & beneplacito veſtro ſatisfeciſſe de pecunia mercatorum. Quod ſi ita eſt, quòd vobis inde ſatisfecerit, mihi Literis veſtris per hunc nuncium mandare dignemini. Valete. B

Comitis Viromandenſis. EPISTOLA CXV.

SVGERIO *Dei gratiâ Abbati Sancti Dionyſij, R. Viromandenſis Comes ſalutem & dilectionem.* QVIA grauiter patior, die Martis vel Mercurij non poſſum venire ad vos, & die Iouis facturus ſum quoddam negotium, quod nullomodo poſſum dimittere. Eapropter rogo vos, vt de guerris, & diſſenſionibus, de quibus mihi ſcripſiſtis, treugas quàm longiores poteritis capiatis. Inſtanti verò die Dominica vel Lunæ ſine dubio veniam ad vos, & ſeruientes Domini Regis, ſicut vobis mandaui per alias Literas, benè poterunt obuiam nobis eſſe Pariſius. Et tunc poterimus negotia Domini Regis benè diffinire. Quod verò ſuper his & aliis volueritis mandate, & faciam.

Comitis THEOBALDI *ad domnum* SVGERIVM *Abbatem.*

EPISTOLA CXVI. C

SVGERIO *Dei gratiâ Abbati S. Dionyſij amico ſuo cariſſimo,* THEOBALDVS *Bleſenſis Comes ſalutem & dilectionem.* NOTVM vobis fieri volo, quòd Reginaldus de Cortiniaco maximum dedecus intulit Regi & vobis, qui cuſtos eſtis Terræ ipſius. Nam mercatores Regis, qui pedagica ſua Aurelianis, & apud Senonas, & in Terra Regis omnes conſuetudines ſuas dederant, cepit, & ſua eis abſtulit. Quamobrem mando vobis, vt ei ex parte Regis & veſtra mandetis, vt mercatores Regis cum rebus ſuis ex toto deliberet & reddat. Quod ſi facere noluerit, ſi vltionem de eo accipere volueritis, & ſuper eum cum exercitu ire, mandate mihi, & ego ero vobis in auxilium, ad vltionem de eo accipiendam.

Archiepiſcopi Senonenſis. EPIST. CXVII.

HVGO *Dei gratiâ Senonenſis Archiepiſcopus, cariſſimo ſuo* SVGERIO *venerabili Abbati S. Dionyſij ſalutem & dilectionem.* DILECTIONEM veſtram ſcire volumus, quoniam altera die cùm veniſſem ad vos apud Caſtrum-Nantonis, puer quidam tranſiuit per Senones, quem Dominus Beluacenſis matri ſuæ mitte-

A bat, vt Domini Regis aduentum ei nunciaret. Dicebat enim puer ille, Dominum Regem tantùm appropinquaſſe, quòd proxima die Mercurij Cluniaci iaceret. Sic locutus eſt puer ſeruientibus noſtris, & ipſi retulerunt nobis. Quod ideò vobis ſignificare curauimus, vt rei certitudinem inquiratis, & quod inde perpenderitis, nobis vt renuncietis rogamus, & quid facere debeamus remandetis. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

CADVRCI *Clerici.* EPISTOLA CXVIII.

PATRONO *& tutori ſuo* SVGERIO *Dei gratiâ clariſſimo & venerabili Abbati beati Dionyſij*, CADVRCVS *Clericus & homo ſuus, Regis Francorum dictus Cancellarius, ſalutem & ſeruitium.* SCITIS, Magiſter & Domine, quàm pio cordis intuitu Dominus Rex in diſceſſu ſuo Remis ſub protectione veſtra & munimine me dimiſerit, quàm clementer per manum meam non ſine lacrymarum vbertate me vobis tradidit. Ideóque confiſus de bonitatis veſtræ ſanctitate, ſecurè vobis ſcribo, quódque mihi neceſſarium eſt vobis aperire non erubeſco. Non enim habeo poſt Deum & Dominum Regem, ad cuius poſſim vel debeam confugere patrocinium, niſi tantum ad liberalitatis veſtræ refugium: à quo, & per quem certus ſum habere ſolatium, petitionîſque meæ conſequi fructuoſum effectum. Reminiſcere Domini Regis præcepti, quod vobis principaliter, ſecundariò Comiti R.
B Remis fecit: vt videlicet de redditibus Pictauiæ pecunia, quam ei accredideram, mihi ſine diminutione ſolueretur. Quod quia nondum effectui mancipatum eſſe non ambigitis, rogo vos vt Magiſtrum & Dominum, quòd ſi de Pictauenſibus pro negotiis Terræ illius ad vos aliquis venerit, placeat vobis eos detineri, donec vobis Remis occurram. Indè, ſi præceperitis, ſtatim vt ad vos venero, vel poſt finitum Concilium, iuxta conſilium veſtrum in Pictauiam ire, iuuante Deo paratus ero. Valeatis in Chriſto, mei memor.

R. de Monte-Falconis. EPISTOLA CXIX.

REVERENDISSIMO *Domino ſuo* SVGERIO *beati Dionyſij venerabili Abbati*, *R. de Monte-Falconis ſalutem & debitam venerationem.* PLACVIT dignitati veſtræ, prout vobis ſuggeſtum erat, proxima Dominica poſt aſſumptionem beatæ Mariæ me Pariſius euocaſſe pro quodam homine meo, qui & ſe & ſeruitium ſuum mihi negabat. Super quo paratus fui & adhuc ſum, in Palatio Domini Regis, vel ante Dominum Archiepiſcopum, ſecundùm vſus & conſuetudines militum & ſeruientium Bituricenſium, ſiſtere iudicio. Verumtamen pro veſtris & Regni negotiis vſque ad vltimas Regni metas pro beneplacito veſtro me trahere poteſtis. Profectò, ſi pro controuerſia aliqua me euocare Excellentiæ veſtræ placuerit, nos Bituricenſes certos & ſtatutos haberemus terminos, vltra quos
C non niſi ratione cogendi ſumus. Ego autem in aliquo præfinitorum terminorum paratus ero die competenti ſubire iudicium ſecundùm vſus & conſuetudines Bituricarum. Valete in Domino ſemper.

Comitis Bleſenſis. EPISTOLA CXX.

SVGERIO *Dei gratiâ beati Dionyſij Abbati amico ſuo cariſſimo*, *T. Bleſenſis Comes ſalutem & dilectionem.* NOTIFICO vobis iniuriam & dedecus quæ Salo Vicecomes Senonenſis intulit Regi, & vobis, qui Terram eius in cuſtodia habetis, mihíque damnum & dedecus. Guarinus enim filius eius cepit cambiatores de Vizeliaco ad inſtantes nundinas meas de Pruuino venientes, in chemino Domini Regis inter Senonas & Braium: quem ipſe Salo & Præpoſitus Regis de Senonis iureiurando in ſecuritate Regis poſuerunt, & eis valens ſeptingentas libras & plus, vt aſſerunt, abſtulit. Vnde vobis mando & precor, vt vos pigeat de chemino Regis infracto, & Saloni viriliter mandetis, vt quidquid cambiatoribus ablatum eſt, remota omni occaſione & dilatione reddat, & reddi faciat. Nam Salo in veſtro poſſe eſt, nec poterit vobis reſiſtere plus quàm aliquis armiger. Ex quo benè volueritis, & quid indè feceritis mihi per præſentium latorem remandate. Non

LVDOVICVS VII. IVNIOR. enim paterer hanc iniuriam inultam remanere, quæ ad deſtructionem nundinarum mearum ſpectat. Decetero noſtis vos mihi ſignificaſſe, & ego vobis mandaui, quòd vobiſcum loquerer, ſi mihi remandaretis hoc eſſe velle veſtrum, in die Lunæ ante Pentecoſten, apud Latiniacum, & nihil mihi inde remandaſtis. Quamobrem mando vobis, vt mihi per hunc nuncium mandetis, ſi præfata die Latiniaco veneritis, vt & ego illuc vobis obuiam pergam ſi venire volueritis. A

Epiſcopi Autiſſiodorenſis. EPISTOLA CXXI.

DOMINO *& Patri cariſſimo* SVGERIO *Dei gratiâ beati Dionyſij Abbati*, HVGO *Autiſſiodorenſis dictus Epiſcopus ſalutem & dilectionem.* ET vidimus & audiuimus quòd Robertum Medicum in vita ſua cariſſimum habuiſtis. Cùm igitur viam vniuerſæ carnis ingreſſus ſit, confidentes de veſtra benignitate, rogamus, quatinus eundem affectum, quem erga præfatum R. habuiſtis, in eius vxorem & filios habeatis, vt benè eis propter patrem vtamini, & eis quæ R. tenebat integrè conſeruetis ad ſeruitium veſtrum.

Comitis Niuernenſis. EPISTOLA CXXII.

DOMINO *& amico ſuo* SVGERIO *venerabili Sancti Dionyſij Abbati*, G. *Comes Niuernenſis ſalutem & ſeruitium.* NOTVM eſſe vobis & nobis manifeſtum non ambigimus, R. Medicum, qui viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, fuiſſe virum benignum, & boni ſeruitij. Illius autem ſeruitium & benignitatem vxor eius & infantes valere & auxilio & conſilio amicorum ſuorum ſentiant. Eapropter vobis mandamus, & rogamus, quatinus eius vxorem & infantes pro amore Dei & noſtri diligatis, & eis benefaciatis. B

Abbatis Ferrarienſis. EPISTOLA CXXIII.

REVERENDO *Patri & Domino* SVGERIO *beati Dionyſij Abbati*, IOHANNES *Ferrarienſis Cœnobij Miniſter ſubiectionem & obedientiam.* AD Paternitatem veſtram & Excellentiam veſtram ſæpiſſimè oportet nos confugere. De taxatione Domini Regis grauiſſimè conſtrictus, vſque ad viginti libras, poſtquam à nobis receſſiſtis, prout potuimus reddidimus. Reliquum verò ad præſens omninò habere graui paupertate exigente non poſſumus, qui adhuc in meſſionibus & occupationibus ſuis detinentur. Vnde reuerentiam veſtram humiliter deprecor, quatinus mihi, & Præpoſito, qui hac de cauſa homines noſtros minatur rapere, inducias & ſpatium idoneum, quo hoc poſſimus inuenire, concedatis. Valete. Regat vos manus valida omnipotentis Dei.

Comitis Niuernenſis ad domnum Abbatem. EPIST. CXXIV. C

DILECTISSIMO *filio ſuo* SVGERIO *venerabili Abbati Sancti Dionyſij*, GVILLELMVS *Comes Niuernenſis in Domino ſalutem.* COLLOQVIVM illud, quod Aurelianis cum domno Gaufredo de Danzeio interueniente Rege, ſicut ſcitis, conſtitutum eſt, recepi. Sed multò aliter quàm ſperabam apud Boneium tractatum fuit. De Domino meo Rege querimoniam nullam facio, ſed conſilium quod ſecum habuit non laudo: & cùm vos videro, ego pleniùs vobis enarrabo. Vobis autem Domino meo mando, & modis omnibus rogo, quatinus in vigilia Cathedræ beati Petri apud Stampas veſtri gratiâ venire velitis. Ipſa enim die Dominus meus Rex Gaufredo de Danzeio & cuidam militi meo diem belli conſtituit. Valete.

EVGENII *Papæ ad domnum Abbatem.* EPIST. CXXV.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* PRO controuerſia & diſcor-

A dia, quæ intet Petrum præſentium latorem & Iozelinum Meldenſem Canonicum agitari dinoſcirur, vtrque noſtro ſe conſpectui præſentauit. Primùm quidem Iozelinus dicebat à prædicto Petro iniuriam & violentiã ſibi fuiſſe illatam, & propter hoc eum ad noſtram audientiam appellaſſe. Poſt diſceſſum verò ipſius Iozelini à nobis, idem Petrus ad nos veniens, quæ de ipſo dicta fuerant omninò negabat. Quia igitur rei veritatem ad plenum ſuper hoc cognoſcere non potuimus, cauſam ipſam diſcretioni tuæ duximus remittendam. Per præſentia itaque ſcripta dilectioni tuæ mandamus, quatinus vtraque parte ante tuam præſentiam euocata, eandem controuerſiam diligenter audias: & ſi aduerſa pars iam dictum Petrum illatæ violentiæ reum non poterit manifeſtè probare, & Petrus innocentiam ſuam conuenienter oſtenderit, Eccleſiaſticæ eſt moderationi conueniens, vt eum ſua debeat innocentia liberare. Si verò impoſitæ culpæ immunem ſe nequiuerit comprobare, vel quomodo cauſa proceſſerit, hoc tuis nobis Literis quantociùs intimabis.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

Cluniacenſis Abbatis. EPISTOLA CXXVI.

VENERABILI *& intimo amico Domino* SVGERIO *Abbati S. Dionyſij, Frater* PETRVS *humilis Cluniacenſis Abbas ſalutem & ſincerum amorem.* QVANTVM in corde noſtro ſitis libentiùs præſenti oſtenderemus, quàm abſenti mandaremus.
B Sed quoniam corporalem præſentiam veſtram, quam multùm videre apud nos, maximè in aduentu Regis, ſperauimus, ſors inimica nobis inuidit, id nunc breuiter vobis dicimus. Minus eſt ab amore, quem erga perſonam veſtram habemus, ſi omnia noſtra veſtra eſſe dixerimus, quoniam & nos ipſi meliùs quàm credatis veſtri ſumus. Quod autem ad præſens negotium pertinet, priorem de Notgento & negotia eius vobis commendamus, & vt pro negotiis quæ vobis ipſe intimabit domino Carnotenſi Epiſcopo ſcribere dignemini, multum rogamus.

Abbatis Cluniacenſis ad eundem. EPIST. CXXVII.

VENERABILI *& cariſſimo Domino & amico noſtro* SVGERIO *Abbati S. Dionyſij, Frater* PETRVS *humilis Cluniacenſis Abbas ſalutem & ſincerum in Domino dilectionis affectum.* QVIA reuerentiam veſtram iam ab antiquo diliximus, & in Chriſti caritate diligimus, à vobis quoque diligi non diffidimus. Eapropter frequenter vos pro noſtrarum rerum diuerſis euentibus rogare non dubitamus. Nunc autem & rogamus dilectionem veſtram pro Domo noſtra Sancti Martini de Campis, quæ ob debilitatem dilectiſſimi Fratris noſtri domni O. plurimum tam in ſpiritalibus quàm in temporalibus attenuata eſt, & quotidie magis ac magis attenuatur. Vnde eius condeſcendentes infirmitati, à cura Domus prædictæ eum more noſtro abſoluimus, & loco ipſius dilectum Fratrem & filium noſtrum domnum Si-
C monem quondam eiuſdem loci Subpriorem ſubſtituimus: quia à nobis & Fratribus noſtris propter honeſtatem & mores optimos multum diligitur. Super quo rogamus prudentiam veſtram, vt eum cauſa Dei & amoris noſtri reſpectu diligatis, auxilium & conſilium veſtrum ei impendatis.

Archiepiſcopi Senonenſis ad domnum SVGERIVM *Abbatem.*

EPISTOLA CXXVIII.

HVGO *Dei gratiâ Senonenſis Archiepiſcopus, dilectiſſimo filio* SVGERIO *venerabili Abbati Sancti Dionyſij ſalutem & dilectionem.* BENEDICTVS Deus, qui cauſam noſtram in manu veſtra poſuit, & eum, quem, ſi nobis datum eſſet, eligeremus, iudicem præfecit. Cùm enim de noſtri Archidiaconi innocentia minimè dubitemus, veſtrum tamen præoptamus iudicium, cuius ſcimus æquitatem, cuius experti ſumus fidem & bonam propitiationem. Valete.

LVDOVICVS VII IVNIOR.

A

Catalaunenſis Epiſcopi. EPIST. CXXIX.

SVGERIO *Patri & Domino Dei gratiâ dignè reuerendo Abbati Sancti Dionyſij,* BARTHOLOMEVS *eiuſdem patientia Catalaunenſis Eccleſiæ Sacerdos, ſinceræ dilectionis affectum.* QVONIAM affectus veſtræ dilectionis erga nos plenus eſt, admodum gaudemus quia plenitudinem effectus in neceſſitatibus noſtris de præterito experti ſumus, & de futuro expectamus. Rogamus itaque clementiam paternitatis veſtræ, vt nos erga piiſſimum Dominum noſtrum Regem pius pro nobis ſitis patronus & interceſſor. Ante eius ſiquidem aduentum multas vt noſtis ſuſtinuimus anxietates, in quibus ſolius clementiæ veſtræ conſilium recepimus, & remedium: poſt eius verò reditum nihilominus hoſtium crebris inuaſionibus præpediti, magnificentiam eius debito iure humilitatis noſtræ viſitare nequiuimus. De liberalitate ergo veſtra plurimum confidentes, vos deuotiſſimè precamur, vt iniurias & perſecutiones quas ſuſtinuimus, & damna rerum noſtrarum, quæ iniuſtè recepimus, Domino Regi ſignificetis. Cuius quidem præſentiam ex voto deſiderij noſtri in proximo adire parati ſumus, eique pro poſſe facultatis noſtræ, etſi minimum quantum ad plenitudinem ſpectat voluntatis, de noſtro vt Patri & Domino ſeruiemus. Valete.

A. Redonenſis Epiſcopi ad domnum Abbatem. EPIST. CXXX. B

DILECTISSIMO *Domino ſuo* SVGERIO *Dei gratiâ Sancti Dionyſij reuerendo Abbati, A. Redonenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & dilectionis obſequium.* SANCTITATI veſtræ grates plurimas referimus, quòd nos ad ſuſtentandam exilij noſtri inopiam, quaſi ſi nobis multum obnoxius eſſetis, inuitaſtis. Veſtræ itaque Paternitati notum fieri volumus, quòd Nannetum vſque, Terræ illius neceſſitatibus & negotiis noſtris exigentibus, nos, priuſquàm ad vos veniamus, deſcendere neceſſe fuit. Ad vos verò, vt ad Dominum & patronum, prima hebdomada Quadrageſimæ Deo volente veniemus. Valete.

Cleri beati Martini Turonenſis. EPIST. CXXXI.

SVGERIO *Dei gratiâ venerabili Abbati Sancti Dionyſij, totus Eccleſiæ beati Martini Clerus ſalutem & amicitiæ integritatem.* VVLGARE eſt & tritum prouerbium, quòd res humanæ ſpatio temporis euaneſcunt. Tempore enim interit gaudium cuiuſlibet voluptatis, tempore obliuiſcitur mater mœroris. In quo vno amicitiæ vis & dignitas facilè elucet, cuius vires nec tempus imminuit, nec ætas conſumit. Nihil præclarius hoc bono Eccleſia beati Martini gloriatur, quòd amicitiam veſtram meruit obtinere. Sed quia apud cari pectoris ſecretum nihil ruboris eſt id C expetere quo indigeas, idcirco Eccleſia beati Martini veſtro indigens conſilio, vobis ſpeciali amico ſuo ſupplicat & orat, vt diſſolutis occupationibus intereſſe velitis cuidam negotio, quod in præſentia Legati ciuitate Meldis tractandum eſt aduerſus Clericos Sancti Mauritij tertia die ab ea Dominica, in qua cantatur *Iſti ſunt dies.*

Abbatis Clareuallenſis. EPISTOLA CXXXII.

AMANTISSIMO *Patri & Domino* SVGERIO *Dei gratiâ beati Dionyſij Abbati,* BERNARDVS *Clareuallenſis vocatus Abbas ſalutem & orationes quas poteſt in Domino.* VERBVM quod attulerunt Magiſter Templi & Frater Iohannes tam lætus accepi, quàm id quod à Deo crederem proceſſiſſe. Ipſa enim iam Orientalis Eccleſia tam miſerabiliter clamat, vt quiſquis non toto compatitur affectu, Eccleſiæ filius eſſe non probetur. Verùm, quàm lætus de nuncio, tam triſtis de anguſto termino, ad quem veſtræ dilectioni occurrere omninò non potui. Siquidem promiſeram domino Lingonenſi ipſa die occurrere ad colloquium, quod de magnis & grauibus negotiis fiducia noſtri acceperat. Indicaui autem ipſis tempus quando ſi placet lætus occurram cum eodem Epiſcopo, qui multum poterit vtilis eſſe colloquio.

A *Abbatis Cluniacenſis ad domnum* SVGERIVM *Abbatem.*

EPISTOLA CXXXIII.

VENERANDO *& præcordiali amico noſtro domno* SVGERTO *Sancti Dionyſij Abbati, Frater Petrus humilis Cluniacenſis Abbas ſalutis & præſentis & æternæ plenitudinem.* DOLEO, & ſupra quàm dicere poſſum doleo, quia ſacro Conuentui veſtro, quem apud Carnotum Dominus Rex conſilio ſapientiæ veſtræ & aliorum ſapientum indixit, intereſſe non valeo. Credite intimo amico, credite vera dicenti, quia verè volo & non valeo, & quia non valeo doleo. Quis enim non doleat, ſe non intereſſe tam ſancto Collegio, vbi nullus proprium lucrum, vbi nullus quæ ſua ſunt quæret, ſed quæ Ieſu Chriſti? Non enim quælibet res agitur, ſed de illa tractatur, qua maior nulla, immo quæ eſt omnium maxima. Nonne maxima omnium eſt, prouidere, ſatagere, ne ſanctum detur canibus? ne loca, in quibus ſteterunt pedes operantis ſalutem in medio terræ, rurſum pedibus iniquorum proterantur? ne regia Hieruſalem à Prophetis, ab Apoſtolis, ab ipſo omniũ Saluatore dedicata: ne nobilis illa totius Syriæ Metropolis Antiochia iterum blaſphemis & nefandis hominibus ſubiiciantur? ne ipſa ſalutaris crux iam ab impiis, vt dicitur, obſeſſa, vt olim à Coſdroe capiatur? ne ipſum Sepulchrum Domini, quod hactenus, iuxta Prophetam,
B gloriosum toto Orbe fuerat, fortaſſis vt illi minari ſolent radicitus euellatur? Huic ergo tam ſancto tàmque neceſſario tractatui, ad quem humilitatem meam, venerande vir, inuitare voluiſti, libentiſſimè, vt dixi, interfuiſſem, ſi vllomodo potuiſſem. Quæ iter hoc meum impediunt multa ſunt. Sed inter alia ſpecialia duo ſunt. Vnum multiplex incommodum corporis mei, quod à Natali Domini vſque ad hoc tempus penè aſſiduè paſſus ſum: aliud Conuentus magnus Priorum, quos, antequam de iſtis quæ mandaſtis aliquid ſcirem, in ipſo ferè initio Quadrageſimæ, pro conſilio ineuitabilis rei Cluniacum eadem die, qua Conuentus veſter apud Carnotum indictus eſt, venire præceperam. Suſcipiat ergo ſi placet æquo animo vnanimis & cariſſima mihi reuerentia veſtra non fictam, ſed veracem excuſationem meam, & apud ſe, & apud alios excuſatam habeat abſentiam meam.

Lugdunenſis Archiepiſcopi ad domnum Abbatem. EPIST. CXXXIV.

V. *Dei gratiâ ſancta Lugdunenſis Eccleſia Archiepiſcopus, cariſſimo & venerabili* SVGERIO *Sancti Dionyſij Abbati æternam in Chriſto Ieſu ſalutem.* QVO dolore, quibus lacrymis Orientali Eccleſiæ in tot & tantis nunc miſeriis conſtitutæ compati debeamus, nullus fidelis Deúmque timens ignorat. Qua verò vigilantia, quo ſtudio, pro eius ſubuentione, omnis religioſus & Dei cultor ſollicitari debeat, ipſa quam patitur calamitas & afflictio manifeſtat. Verùm, quia nos pro officio no-
C ſtro, & pro iure Primatus, ex parte Domini Regis, & Optimatum Regni, ad colloquium quod apud Carnotum celebrari debet inuitaſtis: ſciat caritas veſtra, quòd donec Senonenſis Archiepiſcopus in eadem cauſa Primatus nobis derogare non veretur, & Apoſtolicis mandatis contumax & rebellis exiſtit, pudor nobis eſt ad illas progredi partes, vbi domino Papæ contradicitur, & Lugdunenſis Eccleſia debito honore fraudatur. Ad hæc, alio magno & inopinato detinemur impedimento, quia domnus Ylio Abbas, vir vtique magnus, & in Lugdunenſi Eccleſia quaſi præcipuus, grauiter infirmatur, & quotidie ingraueſcente morbo ad exitum propinquare videtur. Et quia caſtra & munitiones Eccleſiæ noſtræ in manu ipſius ſunt, rogatu & conſilio Clericorum noſtrorum longiùs exire ad præſens diſtulimus, ne fortè in abſentia noſtra filij huius mundi, qui ſemper Eccleſiis aduerſantur, oportunitatem malignandi inueniant, & Lugdunenſi Eccleſiæ inſanabile vulnus infligant. His igitur ex cauſis mittimus ad vos hunc venerabilem Fratrem noſtrum, & dilectum Eccleſiæ noſtræ filium, domnum Stephanum quondam Viennenſem Archiepiſcopum, virum vtique religioſum, & in maximis exercitatum, qui vobis in cauſa Dei vice noſtra quantum licuerit aſſiſtat, & ſi quid de Senonenſi negotio ad honorem Dei & Lugdunenſis Eccleſiæ per Domini Regis ſtudium & veſtrum compoſitum fuerit, ad nos idoneè referat. Soluto enim huius diſcordiæ ſcrupulo, & pace inter Eccleſias reformata, Domino Regi, & perſonis Eccleſiæ

LVDOVICVS VII. IVNIOR. quo libet occurrere, & in hac cauſa Dei conſilium & auxilium noſtrum parati ſumus impendere. A

GAVFREDI *Archiepiſcopi Burdegalenſis.* EPIST. CXXXV.

CARISSIMO *ſuo & meritò reuerendo Domino* SVGERIO *venerabili per Dei gratiam beati Dionyſij Abbati, Frater* GAVFREDVS *Burdegalenſis Eccleſiæ dictus Epiſcopus ſalutem, & ſi quod poſſit obſequium cum caritate.* LITERAS, Domine, dignationis veſtræ debita veneratione ſuſcepimus. Quibus diligenter inſpectis, quem priùs noueram zelo domus Dei & amore fraternæ caritatis accenſum, nunc maximè in tempore neceſſitatis cauſam Chriſti agendam vos ſuſcepiſſe cognoſco. Preces itaque veſtras, & ſubmonitionem ex parte veſtra & venerabilium Dominorũ & Patrum Archiepiſcoporum & Epiſcoporum per vos factam, tum pro re ipſa quæ agitur, tum pro petitione tantorum virorum cum executione operis ſuſcipiendas dignum duximus, ſi pro voluntate nobis adeſſet facultas. Verumtamen, quia non eſt volentis neque currentis, ſed miſerantis Dei, à iam incœpto itinere deſiſtere nos oportuit propria corporis exigente infirmitate. Præterea, dominus Theodericus Galerannus ex parte Domini Regis & nos & Fratres noſtros Coëpiſcopos, generaliter quoque omnes Proceres Terræ noſtræ conuocauerat apud Sanctum Ioannem Angeliacenſem, Dominica *Ego ſum Paſtor bonus*, pro pace Terræ firmanda, & his quæ ad honorem Regni ſpectant in Terra noſtra ſtatuendis. B Dilectam ergo nobis ſerenitatem veſtram attentiùs petimus haberi exoratam, vt quia his quæ prædiximus præpediti intereſſe tanto Conuentui non poſſumus, vobis Domine moleſtum non videatur: ſed apud vos, & eos qui conuenire debent, Dominos & Patres noſtros, caritas veſtra habeat nos excuſatos. Qui licèt abſentes corpore, ſpiritu tamen vobiſcum præſentes erimus: optantes, vt Chriſtus in cauſa ſua ſpiritum conſilij vobis amminiſtret. Benè valete.

Archiepiſcopi Bituricenſis. EPIST. CXXXVI.

CARISSIMO *Fratri & amico* SVGERIO *Dei gratiâ venerabili Abbati Sancti Dionyſij*, PETRVS *Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & veram in Chriſto dilectionem.* QVONIAM de religione & amicitia veſtra plurimùm confidimus, ſecuriùs vobis ſcribimus, maximè quæ ad honeſtatem pertinere cognoſcimus. Bartholomeus ſiquidem Archidiaconus noſter malæ vitæ & peſſimæ famæ precibus Domini Regis apud dominum Papam obtinuit, vt cauſa quæ inter nos & ipſum ex mandato domini Papæ ante Dominum Burdegalenſem agitabatur, in octauis Pentecoſtes ad grauamen noſtrum Romæ tractaretur. Quapropter oportet nos illuc in proximo ire vel mittere, niſi iuſtitiæ & honeſtati volumus deeſſe. Ideóque dilectionem veſtram obnixiùs deprecamur, quatenus apud Dominum Regem C efficiatis, vt domino Papæ pro nobis ſcribat, & vos ipſe ſcribatis, ſicut fidelis noſter Conſtantinus latiùs vobis exponet.

Abbatis Pontiniacenſis. EPIST. CXXXVII.

VENERABILI *Domino & cariſſimo Patri* SVGERIO *Dei gratiâ Sancti Dionyſij Abbati, Frater* GVIDO *Pontiniacenſis vocatus Abbas ſalutem & orationes.* THESAVRARIVS Autiſſiodorenſis noſter & Domus noſtræ Pontiniacenſis amicus eſt, qui apud veſtram ſublimitatem putat ſibi aliquid valere noſtræ paruitatis ſupplicationem. Sed neque nos quidem de veſtra benignitate diffidimus, quin nobis pro eo ſupplicantibus quantulumcumque condeſcendere dignemini. Si igitur haber apud vos locum aliquem pauperis interceſſio, ſentiat vos propitium amicus noſter in cauſa ſua, quæ à domino Papa veſtræ diſcutienda committitur diſcretioni. Qui etiam à Domino Rege in cauſam trahitur, in qua nihilominus pro Dei amore & noſtro placeat veſtræ Sanctitati ei ſuffragium veſtrum non deeſſe. Quia ſigillum noſtrum non habebamus, ſigillum Domini Autiſſiodorenſis appoſuimus.

A Evgenii *Papæ ad domnum* Svgerivm, *Abbatem*.

EPISTOLA CXXXVIII.

Evgenivs *Episcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* Svgerio *Abbati Sancti Dionyſij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem*. Prvdentiam tuam latere non credimus, nobis plurimum eſſe moleſtum, quòd theſaurus Eccleſiæ ſanctæ Genoueſæ pignori eſt obligatus. Quia verò nolumus, vt Eccleſia ipſa aliqua negligentia vel contentione detrimentum exinde patiatur, aut ornamentis ſuis aliquorum nequitia vel verſutia ſpolietur, per præſentia tibi ſcripta mandamus, quatinus ad locum ipſum accedas, & rem diligenter inquirens, quidquid de eodem theſauro per ſeculares obligatum eſt, ex quo mutatio Eccleſiæ ad eorum peruenit notitiam, de proprio eos redimere cogas. Quod verò ante obligatum fuerat de communi tam regularium quàm ſecularium, prout quibúſque competet facias redimi: ſollicitè attendens ne aliquorum nequitiâ damnum in hoc Eccleſia patiatur. Qui autem ſuper hoc tibi rebellis extiterit, auctoritate noſtra eum excommunicationi ſubiicias. Datum Romæ apud Sanctum Petrum iv. Cal. Maij.

Lvdovici *Regis ad eundem*. EPIST. CXXXIX.

B Lvdovicvs *Dei gratiâ Rex Francorum, dilecto noſtro* Svgerio *eadem gratiâ venerabili Sancti Dionyſij Abbati ſalutem & copioſam dilectionem*. Qverelas pauperum ad nos ſuper R. Malueiſin clamantium vna nobiſcum Carnotum veſtra audiuit diſcretio, eáſque ad veſtram diſcretionem terminandas vobis impoſuimus. Verùm, quia quinta feria proxima poſt Pentecoſten huic negotio intereſſe non poſſumus, dilectioni veſtræ mandantes ſcribimus, quatinus pauperum tam diligenter intendatis, vt & Deus ſuper iuſtitia honoretur, nóſque apud Deum & omnes bonos laudem conſequamur. Valete.

I. Cardinalis Sanctæ Mariæ Nouæ. EPIST. CXL.

Svgerio *Dei gratiâ venerabili Abbati Sancti Dionyſij, I. eadem gratiâ Sanctæ Mariæ Nouæ Diaconus Cardinalis ſalutem & dilectionem*. Pro latore præſentium Magiſtro Petro dilectionem veſtram plurimùm rogamus, quatinus in cauſa ſua, quæ veſtræ prudentiæ à domino Papa committitur, pium vos ſentiat & manſuetum, & tantis laboribus ſuis miſericordiæ compaſſione propinquum. Ipſe quidem aſſerit ſe ab impoſita culpa immunem, quamuis ſi culpabilis inueniretur, leuiganda eſſet vtique propter conſuetudinem & impunitatem ſcholaſticorum exceſſuum. Verùm quia cauſa iſta ad Romanam audientiam delata eſt, & ad veſtram remiſſa, ſeruetur grauitas, adhibeatur & pietas, cohibeatur ſtultitia, honoretur ſcientia,
C doctrina formetur, & caritas reparetur. Compenſatis quoque vtrimque laboribus ita terminus imponatur, vt curioſitas & inquietus animus apud vos nullatenus locum inueniat. Pro ſe iſte rationem pio iudici reddat, & quicumque conuicti fuerint prohibitam violentiam commiſiſſe, onere ſuo ſinguli onerentur.

Hvgonis *Cardinalis tituli in Lucina*. EPIST. CXLI.

Carissimo *Fratri & amico* Svgerio *venerabili Sancti Dionyſij Abbati*, Hvgo *ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Tituli in Lucina Presbyter Cardinalis ſalutem & dilectionem*. Præsentivm lator ad pedes domini Papæ veniendo plurimùm laborauit, quem pro exceſſibus excommunicationis vinculo innodatum, nos eiuſdem Domini noſtri mandato abſoluimus. Cauſam autem ipſius, ſicut in Literis domini Papæ continetur, diſcretioni veſtræ fore commiſſam cognouimus: & quia ipſum virum ſiquidem literatum & maximam pro ſtudio diſciplinæ ſollicitudinem gerentem cognouimus, in cauſis eius pro eo libenter intercedimus. Vnde caritatis veſtræ prudentiam exoramus, vt eundem pro ſe tantummodo reſpondentem, in quantum iuſtitia patitur, foueatis, & benignè tractetis.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

HVGONIS *Romani ad domnum Abbatem.* EPIST. CXLII.

SVGERIO *Dei gratiâ Abbati Sancti Dionyſij venerabili domino & amico ſuo, Frater* HVGO *ſalutem.* QVONIAM ad pietatis officium plurimùm ſpectat, euitare non poſſumus, quin pro familiaribus noſtris apud amicos noſtros intercedamus. Latorem itaque præſentium Magiſtrum Petrum, cuius cauſa diſcretioni veſtræ à domino Papa remittitur, pro amore Dei & noſtro in quantum iuſtitia patietur ſuſtentetis. Studium, quod ſemper liberalibus artibus applicuit, & honeſtas morum, in quantum nouimus, apud benignitatis veſtræ prudentiam non minimam gratiam debent promereri. Laborem etiam quàm maximum hac de cauſa iam pertulit, & iniuſtè, vt ipſe & nonnulli alij aſſerunt. In Romana quoque Curia diu ſuſtinuit, & ad hoc elaborauit, vt duo ex ſociis ſuis eadem de cauſa accuſati, in præſentia veſtra ſuam oſtenderent innocentiam. Quod quia impetrare non potuit, pro ſe ſolo habet reſpondere.

ROGERII *Regis Siciliæ ad domnum Abbatem.* EPIST. CXLIII.

ROGERIVS *Dei gratiâ Rex Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ,* SVGERIO *venerabili Abbati Sancti Dionyſij cariſſimo amico ſuo ſalutem & dilectionem.* AMICORVM eſt, vt alter alterius congratuletur ſerenitati. Vndè dilectioni veſtræ ſignificare dignum duximus, nos gratiâ Dei ſanos & incolumes eſſe. B Rogamus equidem, vt vicem nobis amicis debitam rependentes, de veſtræ dilectionis ſtatu ſæpiùs nobis per commeantes ſignificare non pigritemini: vt ſicut vos noſtræ, ita & nos veſtræ congaudeamus ſaluti.

EVGENII *Papæ ad domnum Abbatem* SVGERIVM.

EPISTOLA CXLIV.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* IMMENSVM pietatis opus, quod cariſſimo filio noſtro LVDOVICO illuſtri Francorum Regi diuina miſericordia inſpirauit, nos plurimùm anxios reddit. Grauem namque Chriſtiani nominis iacturam, quam noſtris temporibus Eccleſia Dei ſuſtinuit, & recentem adhuc effuſionem ſanguinis tantorum virorum ad memoriam reuocantes, grandi timore concutimur, & mœror inconſolabilis renouatur. Ceterùm, deuotio prædicti filij noſtri & caritas diuinitus inſpirata conceptum aliquantulum dolorem mitigat, & ſpem nobis conſolationis promittit. Sic igitur vtrimque ſuſpenſos timor cum ſpe nos valde conturbat. Sed ne tantum opus noſtra occaſione remaneat, prudentiæ tuæ per præſentia ſcripta mandamus, quatinus iam dicti filij noſtri Regis, & Baronum atque aliorum Regni ſui animos diligenter ſtudeas perſcrutari, & ſi ad tam C arduum opus eos promptos agnoueris, conſilium & auxilium noſtrum quantum poterimus, & remiſſionem peccatorum, ſicut in aliis Literis noſtris continetur, ſecurè promittas: & nos de conſtantia eorum & deuotione fidei certiores effecti, timore depoſito vires eis & auxilium quibus modis poterimus diuina fauente miſericordiâ tribuemus. Veſtri autem ſtudij ſit, vt communicato ſapientum conſilio, quod noſtri auxilij ad hoc neceſſarium fuerit, & quæ Eccleſiaſticæ perſonæ præter nominatas idoneæ vobis viſæ fuerunt, maturè nobis ſignificare curetis. Datum Laterani VII. Calendas Maij.

NICOLAI *Abbatis Corbeiæ ad eandem.* EPIST. CXLV.

DOMINO *& Patri ſuo* SVGERIO *Dei gratiâ venerabili Abbati beati Dionyſij,* NICOLAVS *Corbeienſis Eccleſiæ humilis Miniſter, ſalutis plurimum & amoris.* Ex omnibus periculis & neceſſitatibus meis ad tranquillitatem veſtram quaſi ad tutiſſimum & expertum ſalutis meæ portum confidenter confugio. Poſtquam igitur à vobis redij, graui negotio, quod inter nos & Comitem Flandriæ agitur, præpeditus, & ad partes illas ſubmonentibus Epiſcopis Tornacenſi & Mori-

A nenſi propter compoſitionem mutuam Dominica præterita profectus: ad diem, quam Dominus noſter Rex nobis condixerat, vt ſcilicet ad eum Aurelianis mitterem, mittere non valui. Vnde veſtram crebro expertam dilectionem obnixè deprecor, quatinus Domino Regi me excuſetis, & ne iraſcatur agatis: quia abſens negotium tantùm niſi fideliſſimo nuncio credere auſus non fui, & ideo mittere ſuperſedi. Ego quoque abſque dubio Dominica proxima poſt Apoſtolorum feſtum, aut nuncius meus, præſentiæ veſtræ propter hoc aſſiſtam. Quoniam autem paternitatem veſtram offendiſſe me in hoc, quòd ad prædictam diem non miſi, plurimùm timeo, de remiſſione iræ veſtræ certificari per Literas veſtras precor. Precor etiam nobis mandari, ſi verum eſt quod audiui, Dominum Regem ab Aurelianis ad nos recto itinere venire debere. Illud etiam quæro, quòd ſi Dominum Regem negotium ſuum & noſtrum contra burgenſes noſtros efficaciter exequuturum fore ſcitis, nobis mandetis, & ego eius miſericordiam expectabo. Quòd ſi eum flecti & molliùs agere ſenſeritis, nobis idem innuite: quia niſi eius mihi aſſit auxilium, pacem noſtram qualemcumque ab offerentibus accipiam. Valete, & honori Eccleſiæ ſubuenite. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ROGERIO *Regi Siciliæ.* EPISTOLA CXLVI.

B GLORIOSO *Dei gratiâ Regi Siciliæ, Ducatus Apuliæ, & Principatus Capuæ,* ROGERIO, SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas in eo regnare, qui dat ſalutem Regibus.* REGIÆ Maieſtatis excellentiæ, ſi non quales debemus, quales tamen valemus gratiarum actiones referimus: eò quòd tanti, tam ſapientis, tam famoſi Domini Celſitudo noſtræ paruitatis memorari, ac de noſtra proſperitate quærere non ſit dedignata. Huiuſmodi enim quæſtio me totum totaliter veſtræ ſerenitati emptitium reddidit, nec toto tempore vitæ noſtræ à memoria noſtra decidere poterit, quòd tantæ nobilitatis ac potentiæ Dominus de ſua nobis proſperitate ſignificauerit, & de noſtra certificari requiſierit. Sanè Celſitudini veſtræ de incolumitate noſtra ſignificantes, multa & de multis Excellentiæ veſtræ ſcribere dignum duximus: ſed ne prolixitas faſtidium generaret, nuncio noſtro ore ad os vobis referenda intimauimus. Valeat Celſitudo veſtra.

EVGENII *Papæ ad domnum Abbatem.* EPIST. CXLVII.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* SACERDOS ille R. qui ad nos contra Stephanum Senonenſem Archidiaconum venerat, cum nuncio eiuſdem Archidiaconi nuper ad noſtram præſentiam rediit. Sed cùm in cauſa ipſa procedere ſicut ratio exigit minimè poſſet, eum à querimonia ſua ceſſare præcepimus, & prædictum Archidiaconum ſuper obiectis ſe canonicè purgaturum tuo conſpe- C ctui mandauimus præſentandum. Per Apoſtolica itaque tibi ſcripta mandamus, quatenus eundem Archidiaconum ad tuam præſentiam euoces iterum, & ſi quinta manu ſui ordinis ſuper illatis criminibus ſe poterit expurgare, ipſum quoque ab impetitione præfati Preſbyteri abſolutum remittas. Datum Romæ apud Sanctum Petrum VII. Calendas Iunij.

LVDOVICI *Regis ad Abbatem* SVGERIVM. EPIST. CXLVIII.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitanorum, cariſſimo amico & fideli noſtro* SVGERIO *venerabili Abbati Sancti Dionyſij ſalutem & dilectionis plurimum.* VENERVNT ad nos Clerici Laudunenſes, Eccleſiæ ſuæ deſolationem conquerentes, oſtendentes etiam quanta perferret Eccleſia incommoda, ſi diu cura patroni careret. Liberam igitur à vobis electionem petierunt, & quia Eccleſia moram ferre non poterat, coacti ſumus iuſtis ipſorum petitionibus ſtatim acquieſcere: & ne omninò abſque conſilio veſtro res fieret, eoſdem dilectioni veſtræ reuertentes miſimus. Rogando igitur vobis mandamus, ſicut ſcitis vos debere, ſicut Eccleſiæ ſcitis expedire, conſulatis eis & ad Eccleſiæ vtilitatem, & ad Regni honorem prudentia veſtra laboret. Scitis profectò ex præſidentium imbecilli-

LVDOVICVS VII IVNIOR. tate & defectu, & honorem Eccleſiarum deperire, Regni etiam decus ex perſonarum ignauia diminui. Spectat ſiquidem ad honorem Regni, vt Eccleſiæ illi citò ſubueniatur: quoniam & in partibus illis guerra eſt, & omnes ferè inde Barones interierunt. Sicut vobis videbitur loquimini Eccleſiæ Clericis quos ad vos mittimus, ſicut vobis videbitur eis conſulatis. Voluntas enim veſtra noſtra eſt, & nos conſilium noſtrum repoſuimus in vobis. Venient in proximo ad vos Atrebatenſes Clerici, vice noſtra eis conſulite: & ſi vobis viſum fuerit, & labori vobis non fuerit, in præſentiam noſtram eos adducite. A

Abbatis Vizeliacenſis. EPISTOLA CXLIX.

VENERANDO *Abbati Sancti Dionyſij Domino* SVGERIO, *Frater P. Vizeliacenſis qualiſcumque Miniſter ſalutem, venerationis & dilectionis obſequium.* QVOD vobis ſcribimus, tanquam otioſum ac ſuperfluum reputamus, vt pote quem de omnibus docet vnctio ſancti Spiritus. Robertus veſter ſpecialis obiit, & filius eius Matheus: ſola vidua mater remanſit, & vnicus filius. Quid ergo? Sed ſicut nouit & conſueuit veſtræ pietatis abundantia, ſentiant ſi placet ſuper huiuſcemodi pia vos geſtare viſcera, & ſuperexaltet iudicium miſericordia. Noſtis enim, quia qui miſeretur miſericordiam conſequetur.

Domni Abbatis SVGERII *ad Regem* LVDOVICVM. EPIST. CL. B

CARISSIMO *Domino Dei gratiâ Regi Francorum & Duci Aquitanorum* LVDOVICO, SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas deuotas in Christo orationes & fidele ſeruitium.* REGIÆ Maieſtatis celſitudini; de qua ſemper confidere conſueuimus, obnixè ſupplicamus, ne contra Comitem Andegauenſem, quem Ducem Normanniæ feciſtis, abſque conſilio Archiepiſcoporum & Epiſcoporum, ſiue Optimatum veſtrorum, in guerram immaturè prorumpatis. Si quid enim minus conſultè aggreſſi fueritis, nec cum honore dimitti, nec ſine maximo labore perfici poterit. Sed quandoquidem homines veſtros propter hoc conuocaſtis, rogantes conſulimus, vt audito eorum conſilio, aliquanto tempore differendo ſuſtineatis: donec fidelium veſtrorum, Epiſcoporum ſcilicet & Procerum, ſuper hoc conſilium audiatis, qui ex iure fidelitatis, quam Regno & Coronæ debent, quod vobis ſuggeſſerint perficere totis viribus adiuuabunt.

EVGENII *Papæ ad domnum* SVGERIVM *Abbatem.*

EPISTOLA CLI.

EVGENIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* SVGERIO *Abbati Sancti Dionyſij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* NOTITIÆ tuæ non extat incognitum, Monaſterium beati Medardi Sueſſionenſis iuris beati Petri exiſtere, & ad defenſionem eius & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſpecialiter pertinere. Et quia idem Monaſterium ab IVONE Comite Sueſſionenſi occaſione pecuniæ, quam ab Abbate ipſius loci exigit, ſicut accepimus, plurimùm prægrauatur, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta rogando mandamus, quatinus pro reuerentia beati Petri & noſtra ipſum Abbatem & Fratres eius ſuper hoc & aliis, in quibus tuo indiguerint auxilio, iuues & manuteneas, & eorum erga Regiæ dignitatis Excellentiam, cuius familiaritatis & conſilij talentum accepiſſe cognoſceris, interceſſor & adiutor exiſtas, vt beati Petri & Sedis Apoſtolicæ maiorem promerearis gratiam. Datum trans Tyberim v. Idus Martij. C

BALDVINI *Nouiomenſis Epiſcopi ad domnum Abbatem.* EPIST. CLII.

DOMINO *ſuo cariſſimo* SVGERIO *venerabili Sancti Dionyſij Abbati, Frater* BALDVINVS *Nouiomenſis Eccleſiæ Miniſter indignus obſequium & amorem.* BENEDICTVS Deus, qui proſperum fecit deſiderium noſtrum, deducens & reducens nos cum incolumitate & gaudio, qui dedit poſtulationi noſtræ congruentem effectum. Veniſſem & ipſe ad vos libentiùs quàm miſiſſem: ſed neceſſarium duximus

A duximus ad Dominum Remenſem declinare priùs, & poſt hoc videre vos quem multum deſideramus. Opus autem eſſet, vt ante diem colloquij vos & Dominus Remenſis conueniretis, vt conferremus de inſtanti negotio. Hoc autem procurate vt fiat. Valete.

SVGERII *Abbatis ad G. Comitem Andegauenſem.* EPIST. CLIII.

EGREGIO *Comiti Andegauorum & Duci Normannorum G. atque nobili Imperatrici* MATILDI, SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas ſalutem & dilectionem.* NOVERIT nobilitatis veſtræ Celſitudo, contentionem illam, quæ inter vos & Dominum noſtrum Regem Francorum emerſit, valde nobis diſplicere; tum pro amore Dei, qui pacis auctor eſt & amator; tum pro oppreſſione pauperum, quam dolemus; tum pro pace veſtra & honore, quem valde diligimus. Neque enim obliuioni tradere poterimus honorem & amorem, quem glorioſus Rex HENRICVS toto tempore vitæ ſuæ nobis exhibuit. Qui cùm ſapienter & potenter in adminiſtratione Regni Anglorum & Ducatus Normannorum floreret, quocumque guerrarum & bellorum tempore, bona Sancti Dionyſij honeſtè & fideliter conſeruari faciebat, familiarem me habebat: venienti etiam tam potens, tam diſcretus occurrebat, & quod multis ſuorum celaret, de reformatione pacis B ſæpiùs mihi aperiebat. Vnde crebrò Deo auxiliante contigit, noſtro labore de multis guerris & implicitis multorum æmulorum machinamentis eum ad bonam pacis compoſitionem peruenire. Quòd ſi nobis credi dignaretur, non recordamur pacem aliquam viginti annis cum Domino Rege Francorum eum feciſſe, cui fideliter & præcipuè inter omnes operam iugem & fidelem non adhibuerimus, ſicut ille qui ab vtroque Domino credebatur. Quod & adbuc opportunè, importunè etiam, ſicut decet Abbatem & Sacerdotem, quandocumque poterimus libenter proſequemur. Vnde etiam memores antiquorum glorioſi Regis Henrici beneficiorum, nobilitati veſtræ conſulimus, vt & per amicos & per familiares amorem Domini Regis & pacem, dum adhuc reuocabilis eſt, dum necdum cum hoſtibus veſtris fœdus iniit, ſtrenuè & diligenter quærere elaboretis. Si enim Regnum Angliæ & gazarum antiquarum copia paci & proſperitati veſtræ ſuccederent, guerrarum longarum expenſis infructuoſam conſumptionem raptorum, ſatellitum ſolidariorum profuſionem infructuoſè attingeret. Pacem cœli & terræ vobis Omnipotens largiri dignetur. Pro terra beati Dionyſij de Berneualle & de Boſcagio, quam glorioſus Rex Henricus etiam guerrarum tempore ſolito diligentiùs illæſam omninò conſeruari faciebat, vt idipſum faciatis obnixè rogamus. Nec enim occaſione guerrarum Francorum ſiue Normannorum poſſeſſiones Eccleſiarum vel Abbatiarum, vbicumque ſitæ ſint, ſiue in Normannia, ſiue in Francia, lædi vel minui ſolent.

C

SVGERII *Abbatis ad T. Ambianenſem Epiſcopum.* EPIST. CLIV.

VENERABILI *Dei gratiâ Ambianenſi Epiſcopo T.* SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas ſalutem & dilectionem.* VERA amicitia grauiùs, ſi opotteat, conuenire conſueuit amicos. Vnde dilectioni veſtræ grauiter improperamus, Robertum de Boua hominem diabolicum, famoſum apoſtatam, quòd eum in Eccleſia veſtra, cui Deo auctore præeſtis, aut ſuſcepiſtis, aut ſuſcipi permiſiſtis. Timendum valdè eſt diſcretioni veſtræ, ne huiuſmodi Deo & hominibus odioſa ſuſceptio, ſi tamen eſt, & præſentem vobis ruinam, & gehennam generet æternam. Confortate igitur manus diſſolutas, & genua debilia roborate, vires reſumite, gladium in illum diabolicum potenter exerite: vt quòd minori cautela contigit, ad honorem Dei & veſtrum citiùs corrigatur. Decet enim Epiſcopalem ſublimitatem, quod minus benè factum eſt, ſicut coactum dedeceret, ſpontanea voluntate corrigere. Valete.

Gavfredi *Burdegalenſis Archiepiſcopi ad domnum* Svgerivm *Abbatem.* A

EPISTOLA CLV.

REverentissimo *Domino & meritò diligendo* Svgerio *Dei gratiâ venerabili Abbati Sancti Dionyſij, Frater* Gavfredvs *Burdegalenſis Eccleſiæ dictus Epiſcopus ſalutem & promptum cum deuotione famulatum.* Desiderio deſideraueram faciem veſtram videre, Domine. Vnde vocatus à vobis ad Conuentum Carnotenſem, niſi impedimenta quæ ſcripſimus vobis de neceſſitate Terræ noſtræ & de aliis interueniſſent, venire diſpoſueramus. Sed & ad hunc ſanctum Conuentum ſimul cum Fratribus noſtris Coëpiſcopis veniendi itinere iam ſuſcepto, & ex magna parte peracto, Domino diſponente pro inſperata infirmitate apud Fontem-Ebraldi oportuit nos remanere. Non eſt itaque nobis datum deſuper, vt quod affectabamus ad præſens adimplere valeamus: vt videlicet ſancto intereſſe Collegio, veſtróque frui deſiderato colloquio poſſimus. Quod igitur poteſt caritas, exequitur. Amplector Dominum & amicum in viſceribus Ieſu Christi, & ea qua poſſum deuotione totum me fateor eſſe illius, & pro paruitate mea veſtræ per omnia vellem occurrere voluntati. Per latorem itaque præſentium fratrem N. Domine, qui cetera poterit vobis expedire, de his quæ circa vos aguntur, & quæ vobis placuerit, nobis ſi placet ſignificare dignemini. B

Evgenii *Papa ad domnum Abbatem* Svgerivm.

EPISTOLA CLVI.

Evgenivs *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* Svgerio *Abbati Sancti Dionyſij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Ex eo quòd pro defectu Orientalis Eccleſiæ attentam ſollicitudinem geris, gratum nobis eſt, & ſtudium tuæ deuotionis in Domino collaudamus: quoniam & cor noſtrum exinde ingenti dolore turbatur, & vehementer affligitur. Inde eſt, quòd petitioni tuæ, & aliorum qui nobis ſuper eauſa ipſa ſcripſerunt, quamuis grauiſſimum nobis fuerit propter imbecillitatem perſonæ, in qua omnium vota Domino fauente concurrunt, aſſenſum tamen denegare nequaquam potuimus. Monemus itaque dilectionem tuam, quatinus in tanto & tam præclaro opere, tanquam vir diſcretus & prudens, opem & ſtudium diligenter adhibeas. Præterea dilectioni tuæ notum fieri volumus, quoniam cum filio noſtro cariſſimo Francorum Rege Lvdovico de ſtatuenda Religione in terra ſibi à Deo conceſſa colloquium viua voce habuimus, & monitis noſtris benignum præbuit aſſenſum. Quia ergo in Compendienſi Eccleſia Religionem propagari Domino auxiliante optamus, præſentium tibi auctoritate iniungimus, vt ad hoc efficiendum omnimoda diligentia & attento ſtudio elabores. Tibi ſiquidem & venerabili Fratri noſtro Nouiomenſi Epiſcopo onus ipſum impoſuimus. Datum Albani XIII. Kalendas Iulij. C

B. Nouiomenſis Epiſcopi ad Svgerivm *Abbatem.* EPIST. CLVII.

DOmino *& amico venerabili Abbati Sancti Dionyſij* Svgerio, *B. Nouiomenſis Eccleſiæ Miniſter indignus amorem & obſequium pro viribus & vltra.* Factvm eſt vt imperaſtis, & benedictus Deus, benedictus eſt Abbas. Impoſita eſt illi cura & ſollicitudo ſubiectorum ſuorum, ſed inopem manum anxia ſollicitudo conſtringit. Quomodo enim nudus veſtiet nudum, aut famelicus eſurientem ſatiare poterit? Ibi planè conſilio opus, vbi nec creditor inuenitur, nec quod emptor perſoluat habetur. Penes vos eſt conſilium iſtud, veſtrum eſt prouidere, ne quos in mediis fluctibus coniecimus, ad portum peruenire non poſſint. Noſtrum omninò conſilium eſt, vt ſine omni dilatione ad dominum Papam fiat tranſmigratio: vt ſicut ab illo inchoatio, ſic per illum fiat & confirmatio. Illi enim innitendum eſt pro firmamento, quoniam quidquid Regis vrget iuſſio vel comminatio, longè minus eſt quàm quod Apoſtolica ſancit & confirmat auctoritas.

A *Domni Abbatis* SVGERII *ad B. Epiſcopum Nouiomenſem.*

EPISTOLA CLVIII.

VENERABILI *Dei gratiâ Nouiomenſi Epiſcopo B.* SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas ſinceræ caritatis cum affectu effectum.* SVPER eo negotio, quod veſtræ Celſitudini,& noſtræ paruitati Apoſtolica commiſit auctoritas, de ſtaruenda Religione in Eccleſia Compendienſi, omnipotenti Deo immenſas gratiarum actiones referamus, quòd tanto, tam glotioſo opeti tam bonum ptincipium largiti dignatus eſt: de miſericordia eius confidentes, quia qui cœpit opus bonum, ipſe perficiet in manu fotti & brachio extento. Habemus enim ad tuitionem negotij noſtri Euangelici reſponſi auctoritatem. *Si quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus iis opus habet, & confeſtim dimittet eos.* Audientes igitur & ſcientes iniuncto nobis negotio virilitet inſiſtamus, & caſtra diaboli, quæ peccatis hominum exigentibus in præfato loco conſtructa erant, funditus euertamus: caſtráque Dei omnipotentis ibidem erigamus, & erecta cum omni diligentia foueamus & manuteneamus. Sanè de benedictione electi dilectioni veſtræ ſignificamus, quatinus ſi ſine magno ſcandalo fieri poteſt (ſolent enim Canonici in feſto Sancti Cotnelij magis
B quàm in toto anno conuenire) in ipſa feſtiuitate ante altare ptæfati Martyris eum benedicatis: vt has primitias laboris veſtri offerendo, ætetnæ remunerationis fructum ob omnipotente Deo recipiaris. Quod ſi ſine magno ſcandalo fieri non poteſt, inſtanti Dominica vt idipſum impleatis, rogamus.

SVGERII *Abbatis ad R. Comitem Viromandenſem.* EPIST. CLIX.

EGREGIO *Viromandenſi Comiti R. cariſſimo Domino & amico ſuo,* SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas ſalutem & dilectionem.* NOVIT diſctetio veſtra, quòd dominus Papa auctoritate Apoſtolica de conſtiruenda Religione In Eccleſia Compendienſi onus nobis licèt inuitis impoſuit. Qui enim de ſuo timet, alieno grauari onere non immeritò dolet. Nunc autem quod à nobis pro iniuncta obedientia determinatum fuerat, irreuerenter violatum eſſe conſtat: & quod Dominus Rex de eadem re vobiſcum & cum Domina Regina contulit, aut nihil, aut parum profuit. Sequenti enim ſtatim cùm exiſſemus, domnus PHILIPPVS frater Regis cum ſactilega & armata tam laïcorum quàm Cleticorum manu veniens, Monaſterium violenter irrupit, & pixidem, in qua non modica reliquiarum portio continebatur, rapiens aſportauit. Nec hac temeritate contentus, ſine mora iterum cum ſuis complicibus teuerſus, Eccleſiæ ianuas ſuper ſe clauſit, & reuerendam Saluatoris noſtri Cotonam cum ptetioſa & famoſa eiuſdem Domini noſtri Syndone ra-
C pere conabatut. Sed burgenſes audito tanto ſcelete, tam pto venerandis reliquiis, quibus locus ille toto terrarum Orbe famoſus exiſtit, quàm etiam pro fidelitate, quam Abbati & Ftatribus iam fecerant, cum armis viriliter accelerantes: competto etiam quòd ſacrilegi illi, ne Fratres campanas pulſare poſſent funes præcidiſſent, & eis poſt illatas contumelias mortem minarentut; quoniam portas Eccleſiæ obſeratas intrinſecus inuenerunt, quomodo potuerunt Eccleſiam ingreſſi ſunt. Et niſi Regiæ Maieſtati ſupet fratre ſuo defetendum iudicaſſent, eos qui cum eo inuenti ſunt zelo accenſi turpiter puniſſent. Retentis itaque teliquiis, & conſeruatis Fratribus noſtris, repulſo eodem PHILIPPO, ſuos quoque vix ſe à vindicta cohibentes fugauerunt. Quia igitur eorum audacia, & Clericorum contumax inobedientia ad iuſtitiam exercendam nos prouocat, vnanimitatem veſtram, de qua multum confidimus, Apoſtolica auctoritate inuitamus: & ſicut fideliſſimum amicum, quippe quia nobis inuicem in opportunitatibus nunquam defuimus, ex parte etiam Domini Regis togamus, & denunciamus, quatinus omnia, quæ ſub tuitione veſtra ſceletati Cletici habete videbantur, veſtro præcepto reſeruentur. Siquidem ipſi culpis ſuis exigentibus ſeipſos & officio & Eccleſiæ beneficio priuauerunt. Certum itaque mutui amoris noſtri argumentum etit, ſi in præſenti opere Dei fidelem vos & fortem coadiutorem habuerimus.

LVDOVICVS VII IVNIOR.

R. Viromandenſis Comitis ad domnum SVGERIVM *Abbatem.* A

EPISTOLA CLX.

SVGERIO *Dei gratiâ Abbati S. Dionyſij Domino & amico ſuo, R. Viromandenſis Comes ſalutem & dilectionem.* QVANDO Literæ veſtræ venerunt ad me de annona & rebus Clericorum Compendienſium ponendis in ſaſione, Canonici maximam partem earum aſportari fecerāt. Quod verò reſiduum eſt, totum ſaſiri faciam.

LVDOVICI *Regis Francorum ad domnum Abbatem.* EPIST. CLXI.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum & Dux Aquitaniæ, dilecto noſtro* SVGERIO *eadem gratiâ venerabili Sancti Dionyſij Abbati ſalutem & plurimam dilectionem.* MANDASTIS nobis quatinus ad ſedandam Compendij diſcordiam ad præſens ad partes iremus Compendienſes. Verùm, ſicut benè noſtis, iam plurimo tempore nihil de negotiis noſtris facere potuimus. Vnde ad præſens negotiis noſtris nos vocantibus, in partes Aurelianenſes ire, ibique vſque ad feſtum Sancti Remigij moram facere diſpoſuimus. Precamur itaque vos, vt interim nos patienter ſuſtineatis, cùm illuc ſine vobis ire non velimus. Tunc H. vobis aſſumpto in partes Beluacenſes ibimus, & tam illa quàm Compendij negotia ſecundùm conſilium veſtrum terminabimus. B Scire quoque vos volumus, quoniam ad Reginam matrem noſtram Literas noſtras miſimus, quatinus Abbatem Compendienſem cum omnibus ſuis in pace dimittat, nullámque ei vel ſuis moleſtiam inferat: & vt verbum de iniuria filij ſui & ſua patienter vſque ad octabas beati Dionyſij induciet. Mandauimus quoque Comiti RODVLFO & Comiti THEOBALDO, quatinus per vniuerſas terras ſuas Abbatem Compendienſem de his, quæ ad Eccleſiam Compendienſem pertinent, ſaiſire & inueſtire faciant.

BALDVINI *Nouiomenſis Epiſcopi ad domnum Papam* EVGENIVM.

EPISTOLA CLXII.

SANCTISSIMO *Patri & Domino* EVGENIO *Dei gratiâ ſummo Pontifici,* BALDVINVS *Nouiomenſis Eccleſiæ Miniſter indignus, quidquid boni poteſt oratio vel affectus.* ONERASTIS vt Dominus & Magiſter humeros imbecilles adeò, vt in exequendí operis iniuncti ſollicitudine perurgente penè virtus exhauſta deficeret. Nec enim leue vel modicum, Eccleſiam Compendienſem tam celebrem, tam famoſam, tanta denique auctoritate ſubnixam, in alium ſtatum quamuis præcipuum derepente conuertere: cùm in huiuſmodi Clericis, ſi tamen Clerici, conſuetudo principetur antiqua, plúſque deterius inolitum quàm melius inſolitum placeat & delectet. Sed ecce probaſtis nos ad aquas contradictionis, vbi vexatus eſt ille venerabilis Sancti Dionyſij Abbas, veſtræ ſanctitatis ſeruus fidelis & prudens. C Mirabiles elationes maris experti ſumus, ſed mirabilior & longè potentior in altis Dominus & ſummus Pontifex eius, qui miſerunt nos. Denique perurgente ſancta obedientia veſtra, cùm ſciremus ſcriptum eſſe, *Seruus ſciens voluntatem Domini ſui, & non faciens digna, plagis vapulabit multis:* voluntati veſtræ propenſiùs inhærentes, ſuſcepimus opprobria Clericorum exprobrantium Deo & vobis, & initiauimus locum verè ſanctum Religioni & Ordini: Monachos deputauimus, Abbatem virum Religioſum & ſtrenuum canonicè electum conſtituimus, & in feſtiuitate beatorum Martyrum Cornelij & Cypriani, quæ celebritas ibi maxima eſt, Abbatem ipſum ſolemniter benediximus, & erit benedictus Deo volente, & gratia veſtra confirmante. Sicque impleta veridica illa Domini ſententia, *Omnis plantatio, quam non plantauit Pater meus cæleſtis, eradicabitur.* Succiſa eſt arbor, quæ etiam terram occupabat, & plantata eſt oliua fructifera in Domo Dei quæ de miſericordia veſtra ſperat plurimum, & ad præſens indiget quamplurimum. Manus Domini Regis filij veſtri glorioſi Principis fuit nobiſcum, quem verè in hoc opere probauimus ſeruum Dei viuentis, qui dicere poſſit, *Domine dilexi decorem Domus tuæ:* & illud, *Zelus Domus tuæ comedit me.* Quomodo ſatagebat, quomodo ardebat igne Dei, vt fieret iſta mutatio dexteræ Excelſi? Sed & ipſe nobiſcum bibit de torrente, confuſionem

A accepit, diſſimulauit iniuriam, diſtulit Maieſtatem. Prima die vocauit nobiſcum Clericos in Capitulum. non venerunt. Sequenti die ipſemet profectus eſt, & vix eo compellente venerunt. Lectæ ſunt Literæ, quas præfato Abbati pro hoc ipſo opere per me direxiſtis, vt ſcitis: ſed nec veſtræ auctoritati delatum eſt. Vidimus ibi ſuperbiam Moab, ſuperbus eſt valde. Taceo quæ poſtea manus flagitioſa peregit, & quomodo fraude & præter horam intrauit Eccleſiam, reliquias ſanctas aſportare molitus. Quod & ex parte fecit, funes pendentes præcidit, ne fortè ad ſonitum ſignorum populus conueniret. Quæ omnia præſentium lator ſanctitati veſtræ melius declarabit. Quid plura? ſupereſt, Domine, vt quod nutu Dei & veſtro bonum accepit initium, auctoritas veſtra ſtabilire, munire, confirmare ſtudeat in perpetuum. Vnde viuant Monachi non habent. Clerici tam foranei quàm intranei, qui beneficia poſſident, nihil eis communicare volunt: ſed magis habere videntur fiduciam, quòd Iordanis influat in os eorum. Rigatio plantationis nouellæ in manu veſtra eſt, Domine: ne areſcat, ne deficiat, quod omninò inimicus molitur. Pluuiam voluntariam ſegregate hæreditati Dei, & veſtræ.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

SVGERII *Abbatis ad dominum* EVGENIVM *Papam.*

EPISTOLA CLXIII.

B

CARISSIMO *Patri & Domino vniuerſali Dei gratiâ & ſummo Pontifici* EVGENIO, SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas obedientiæ & ſeruitij plenitudinem.* INTER omnia, & ex omnibus, ſanctiſſime Pater, quæ vel auctoritate Apoſtolica, vel Maieſtatis Regiæ præceptione paruitati noſtræ conceſſa ſunt negotia, hæc duo potiſſimum amplexatus ſum: videlicet de ſtatuenda Religione in beatæ Genoueſæ Pariſienſis & nobili Compendienſi Eccleſia, quæ de iure beati Petri veſtra innititur auctoritate: vna de nobilioribus Galliarum, ſi infamis enormitas Canonicorum inhabitantium non obſtitiſſet, exiſtens. Quod memorabile factum quare vel quomodo effectui mancipari potuerit, ſtupendo ammiramur, niſi quia manum Domini non inualidam, & Petri fortitudinem in his & his ſimilibus & per omnia cognouimus. Subuerſa ſunt, Pater cariſſime, ad exequutionem ſanctæ præceptionis veſtræ caſtra iniquitatis, erecta ſunt ibidem caſtra pietatis & ſanctæ Religionis: vt in cubilibus, in quibus priùs dracones habitabant, oriatur viror calami & iunci. Tenorem ſanè actionis huius ex ordine ſanctæ Paternitati veſtræ ſcribere dignum duxeramus, niſi quia Abbas eiuſdem Eccleſiæ ibidem nuper electus, nuper benedictus, vir venerabilis & approbata perſona, ad vos tanquam ad Dominum & Patrem, cuius totus eſt, feſtinat: qui & actionis plenitudinem, & propriam conſcientiam, quantum ad ſe ſpectat, exponet, & voluntatis veſtræ, & plenæ obedientiæ exequutorem ſe exhibebit. Summatim tamen ſanctæ diſcretioni veſtræ celare nolumus moleſtias & opprobria, quæ peſſimi Canonici etiam in præſentia Domini Regis intulerunt Domino Nouiomenſi Epiſcopo & nobis: miſertimus ille Decanus ſpecialiter, tantò audacior, quantò ex ipſa ſui infamia vilior, & quidam alius Giraldus de Portu, aut illo miſerior fœtore infamiæ, ſiue miſerrimus, aliique plures domeſtica mala & rei familiaris ſpurcitiam deplorantes. Prima quidem die vocati ad auditionem mandati veſtri ipſi Canonici venire contempſerunt. Cùm autem ſe eos abſentare, & præceptum veſtrum nolle audire manifeſtè videremus, Clericis aliis, & populo multis millibus congregato mandatum veſtrum de ſtatuenda Religione in eadem Eccleſia coram exponi fecimus, Monachos ibidem deinceps ſub Religione deſeruituros ſignificauimus. Præbendas Canonicorum eos in pace poſſidere in beneplacito veſtro, donec vobis quid inde fieret ordinare placeret, aſſiſtente Domino Rege promiſimus. Ipſi verò Canonici auſu ſacrilego irruentes in eandem Eccleſiam, ſanctiſſimas reliquias ſpineæ Coronæ Domini, & ſanctæ Syndonis, & theſauros eiuſdem Eccleſiæ, inſuper & Libros ac Sacerdotalia indumenta, ne haberent Monachi, vnde Deo ſeruirent, arripuerunt: nobis ex parte veſtra reclamantibus propter eorum inobedientiam, altiùs ſolito cantauerunt, donec & Dominus Rex, & omnes qui aderant tam Clerici quàm laici, eorum ammirati inſaniam, repreſſerunt. Cùm autem ſequenti die mandati veſtri plenitudinem audiſſent, in iniquitate ſua & inobedientiæ audacia permanſerunt.

(margin letter C beside "lumus moleſtias")

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

SVGERII *Abbatis ad P. Cluniacenſem Abbatem.* EPIST. CLXIV.

VENERABILI *Dei gratiâ Cluniacenſi Abbati* PETRO, SVGERIVS *beati Dionyſij Abbas ſalutem & deuotas orationes in Christo.* HONESTA materia precum multitudinem coartare conſueuit. Indè eſt, quòd pro Eccleſia Compendienſi, quæ præcepto Domini Papæ de antiquo in nouæ Religionis ſtatum mutata eſt, ſanctitatem veſtram obnixè rogamus, quatinus eam apud Dominum orationibus veſtris adiuuetis, & domino Papæ vt eiuſdem Eccleſiæ Abbatem virum venerabilem, approbatam perſonam, benignè ſuſcipiat, & tanquam operi manuum ſicut pius Pater & Dominus in omnibus prouideat, ſcribatis. Valete.

DOMINO & Patri venerabili Dei gratiâ Clareuallenſi Abbati B. SVGERIVS beati Dionyſij Abbas idem mandat.

SVGERII ABBATIS, SANCTI DIONYSII CONSTITVTIONES, ET TESTAMENTVM.

B

De commemoratione beatæ Mariæ apud S. Dionyſium ſingulis ſeptimanis, Sabbato ſcilicet & v. feria, & de refectione Fratrum eiſdem diebus.

CONSTITVTIO I.

IN nomine Patris, & Filij, & Spiritus ſanctus, amen. Ego SVGERIVS Dei gratiâ Eccleſiæ beatorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, humilis Miniſter. Quia larga Dei omnipotentis propitiatione contra ſpem meriti morum & generis, paruitatem noſtram etiam abſentem, & in Curia Romana negociantem, ad ſanctæ huius Eccleſiæ adminiſtrationem acceſſiſſe, diuinámque potentiam me de manibus inimicorum quærentium animam meam, in hac eadem ſancta Eccleſia laudabiliter ac mirabiliter liberatum eripuiſſe veraciter conſtat: decet, & omninò expedit puſillitati noſtræ, toto mentis affectu eam commendare & exaltare, Fratréſque noſtros Domino Deo famulantes honorare & fouere: vt & diuini cultus exhibitione inpræſentiarum diuino aſpectui placere valeamus, & in futuro aliquam diuinæ retributionis portiunculam in æternæ felicitatis gremio obtineamus. Vnde ad honorem Dei omnipotentis, & beatæ Dei Genitricis ſempérque Virginis Mariæ, in Capitulo noſtro generaliter reſidentes, ipſius ſanctæ Dei Genitricis memoriam continuare, attollere, decorare conſtituimus: eo videlicet tenore, vt deinceps æternaliter ſecundùm quod in catalogo huius Inſtitutionis intitulatum eſt, omni die Sabbati ſolemniter celebretur, quemadmodum in octauis Pentecoſtes tribus extremis diebus: præter quod ſeptem Pſalmos, cum Letania & Vigiliis mortuorum, dimitti prohibemus. Quia enim ipſam ſacroſanctam Dei Genitricem, Angelorum & hominum Reginam, ſeculi præſentis deuocatione, & miſeræ vitæ huius breuitate ſeruire non ſufficimus, Fratres noſtros qua poſſumus prece & gratia ad eiuſdem ſanctiſſimum & Deo digniſſimum cultum incitamus, poſteríſque noſtris tam prece quàm priuilegij adſtipulatione, ipſum ſanctiſſimum & iocundum Deo famulatum in perpetuum continuamus. Glorioſiſſimi prætereà & dulciſſimi patroni noſtri ſanctiſſimi Dionyſij, ſociorúmque eius, quorum mirabili & ineffabili beneficio educati, docti, & adiuti ſumus, huius ſanctiſſimæ Dei Genitricis memoriam eodem ordine & eadem paritate in v. feria ſecundamus. Inceſſanter C

LVDOVICI VII. IVNIOR.

A enim tam ſancto & Apoſtolico Domino noſtro in vita & poſt mortem, ſaltem hoc
modo famulari operæpretium duximus: vt tantorum eius memores beneficiorum,
pronum & propitium ſuffragatorem in extremo & terribili iudicij die apud diſtri-
ctum Iudicem attingamus: & quemadmodum eius præſentibus, ita & futuris com-
participantes beneficiis, ſaltem aliquam beatitudinis æternæ extremitatem ſecus
pedes Domini ac Magiſtri noſtri feliciter obtineamus. Et quoniam Fratres noſtri
tanquam cariſſimi filij mandatis noſtris obedientes, tam ſe quàm ſucceſſores ſuos
huic ſeruitio deuouerunt, eíſque ſucceſſoribus ſuis per omnium ſucceſſionem tem-
porum omni hebdomada, in ipſis celeberrimis memoriarum ſanctarum diebus, ſi-
ue eas faciant, ſiue conuenienter occaſione alicuius præcipuæ ſolemnitatis Vigi-
liarum aut Quadrageſimæ mutent, totidianum ſex ſolidorum generali IV. ſolid. vt
decem fiant, ad refectionem augmentamus, & augmentatum per Deum omnipo-
tentem, & diſtricti iudicij terribilem examinationem permanere indeficienter ob-
teſtamur. Ne ergo alicuius occaſione auaritiæ aliquando ſopiatur, ex iis quæ noſtro
augmentata ſunt labore, videlicet de pedagico, quod in ſtrata colligitur, x. libras
& x. ſolidos in feria VII. ex redditibus noſtris de Vilcaſſino, & decimis à glorioſo
Rege Francorum LVDOVICO conceſſis, & conſtituimus, & confirmamus. Præ-
terea Dei omnipotentis ſeruitio, Fratrúmq; noſtrorum ſuſtentationi benè deuoti,
tranſitoriis æterna commercando, in compaſſione laborum & conſolatione eorum
quaſdam ſolemnitates honorabiliùs & ſolitò deuotiùs celebrari dupliciter conſti-
B tuimus: videlicet Theophaneam, Aſcenſionem Domini, ſancti Ioannis Baptiſtæ
Natiuitatem, beatæ Mariæ Magdalenæ demigrationem, ortum beatiſſimæ ſem-
pérque Virginis Mariæ, precioſiſſimorum Martyrum Thebæorum ſolemnitatem.
Singulis autem præfatis ſolemnitatibus CXX. ſolidos ad tantarum exaltationem,
Fratrúmque noſtrorum refectionem, quorum LX: ſolid. de præfato pedagico, &
LX. de Præpoſitura Vilcaſſini perſoluentur, vehementer confirmamus. Quòd ſi
caſu quocumque vel occaſione aliqua, quod abſit, præfati redditus diminuerentur
nimis, aut omninò deficerent, ex aliis Eccleſiæ huius redditibus ſuppleri, & ab
Abbate reformari, æquè Dei omnipotentis auctoritate præcipimus. Refectioni-
bus quoque eorum veſpertinis, quas dicunt Cœnas, quoniam à puero & totidiana
Officialis earum declamatione aliquibus cognouimus indigere incrementis, deci-
mam de S. Luciano vſibus noſtris deſeruientem contulimus: eo videlicet tenore,
vt & indè anniuerſarium noſtrum poſt deceſſum huius vitæ in perpetuum faciant,
& in eo decem ſolidos refectioni ſuæ à meo Cœnatore recipiant. Quapropter à ca-
riſſimis Fratribus filiiſque noſtris, cum quibus diuinam effugere indignationem, &
miſericordiam aſſequi ſollicitè præoptamus, præter peculiares eorum orationes,
dum hac luce præſenti potimur, omni V. & VII. feria, qua præfatæ celebrari po-
terunt memoriæ, ad peccatorum meorum diſpoſitionem, miſerrimæque vitæ hu-
ius directionem, in omnibus tam nocturnis quàm diurnis Horis Pſalmum vnum,
Ad te leuaui: & poſt miſeri corporis huius diſſolutionem, in ipſis ſanctarum memo-
C riarum diebus, *De profundis clamaui*, per omnium curricula tẽporum miſericorditer
fidiſſima & irrefragabili promiſſione mihi, meíſque ſucceſſoribus obtinuimus. Hoc
vno, & ſpeciali, continuóque ſperantes, ſanctæ Dei Matris, Sanctorúmque alio-
rum ſuffragio, Fratrum noſtrorum ſucceſſiua interceſſione, delictorum ſordes de-
ponere, & ſaltem vel in die Reſurrectionis Domini miſericordiam in aliqua para-
diſi extremitate impetrare. Glorioſiſſimi quoque LVDOVICI Regis Franco-
rum, poſt ſtrenuiſſimam Regni eius adminiſtrationem, anniuerſarium fieri ſingulis
annis & mandamus, & conſtituimus: & vt eadem die de præfatis Vilcaſſini deci-
mis ab eo nobis collatis, XX. ſolidos propriæ refectioni habeant præcipimus. Et vt
hæc noſtra Fratrúmque Inſtitutio, præſentíſque Cartæ longæuitas nulla præſum-
ptione, nulla temeritate defraudetur aut deſtruatur, in Capitulo noſtro generali-
ter reſidentes, Clauo & Corona Domini, & Sancti Simeonis brachio, Dei omnipo-
tentis omniúmque Sanctorum auctoritate perpetuum anathema, & gehennæ ignes
violatoribus imponimus, & imprecamur: conſeruatoribus verò, & Priuilegij huius
defenſoribus vitam æternam. Ego PETRVS Sedis Apoſtolicæ Preſbyter Cardi-
nalis & Legatus laudo & confirmo. Ego GREGORIVS Sancti Angeli Diaco-
nus Cardinalis & Apoſtolicæ Sedis Legatus laudo & confirmo.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

De hominibus villæ beati Dionyſij libertati traditis. A

CONSTITVTIO II.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego SVGERIVS Eccleſiæ beati Dionyſij humilis Miniſter. Quoniam paruitatem noſtram ad amminiſtrationem Eccleſiæ glorioſiſſimorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, diuinæ placuit diſpoſitioni promouere, debemus & volumus, quantum valemus, vt dignum eſt, filialis affectu deuotionis, eiuſdem matris noſtræ honori ac libertati in omnibus prouidere. Vnde tam præſentium ætati, quàm futurorum poſteritati palam fieri volumus, quoniam oppidani & manſionarij villæ beati Dionyſij de exactione conſuerudinis peſſimæ, quæ mortua manus dicitur, & à tempore prædeceſſoris noſtri YVONIS Abbatis inoleuiſſe conſulta veritate probatur, admodum grauati & afflicti, non iure debito antiquæ conſuetudinis, ſed ambitioſa introductione nouellæ exactionis, noſtram adierunt præſentiam: votis & precibus humiliter implorantes, quatinus eos, & eorum heredes à tam prauæ exactionis & oppreſſionis iugo eriperemus. Quocirca communicato ex more cum Fratribus noſtris conſilio, eorum petitioni vnanimiter aſſenſum præbuimus: quippe dignum eſſe arbitrantes, villam beati Dionyſij, quæ inter omnia prædictæ Eccleſiæ merito ſingularis priuilegij & principatum obtinet, & præſentiâ precioſiſſimorum Martyrum ſpecialiùs eminet ſpeciali prærogatiuâ, quam ſibi iure vendicat, præ ceteris ſublimiùs & propenſiùs honorare. B Omnibus igitur in prætaxata villa in terra beati Dionyſij, ſiue ſub viatura eius manentibus, prædictas exactiones huius tenore, & ſtabilitatis firmiſſimæ monimento in perpetuum relaxauimus: quòd ipſi ad introitum Monaſterij beati Dionyſij renouandum & decorandum ducentas libras noſtra diſpoſitione & prouidentia ad idem opus expendendas nobis contulerunt. Præterea quoſdam de Sancto Marcello in hac exactionis abſolutione & alleuatione admiſimus. Fulconem filium Elynandi, & Herleuuinum cambitorem cum heredibus ſuis. Cùm autem contigerit præfatos burgenſes proles ſuas nuptiis tradere, poſt mortem earum, ſi abſque heredibus obierint, parentes in villa beati Dionyſij manentes mortuam manum habebunt, etiamſi propinquior aliquis fuerit, qui in terra beati Dionyſij, vel ſub viatura eius manſionem in præfata villa minimè habuerit. Si aliquando etiam euenerit, vt filias ſuas hominibus alieni iuris maritent, nullatenus eis mortuam manum concedimus: ſed in ius reuocari omninò petimus atque præcipimus. Enimuerò, ſicut iuſtum eſſe euidenti ratione perpendimus, iniuſtas exactiones ab hiis quos affligunt & opprimunt, pia conſideratione remouere: ita indignum eſſe cenſuimus, hiis, qui ſe & ſua nobis ſubtrahendo dominium Eccleſiæ noſtræ ſubterfugere comprobantur, remiſſionis ſpontaneæ gratiam, vt pote beneficia ingratis, communicare, quam pro ſalute animæ meæ, & anteceſſorum & ſucceſſorum noſtrorum, & honore Eccleſiæ noſtræ, & conſeruorum noſtrorum, ex beni- C uolentiæ affectu placuit præſtare. Ne quis verò imposterum ſimili inductus exemplo, licèt non pari voto, de reliquis Eccleſiæ beati Dionyſij prædiis idem præſumat auſu temerario agere, ex auctoritate Dei omnipotentis, & beatorum Martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij, interdicimus ſub anathematis interpoſitione. Quod autem beniuolentiæ ſtudio & compaſſionis affectu peregimus, Regij munimento ſigilli & conſenſu vna cum bulla noſtra ad perpetuum monnmentum, ſubſcriptis auctoribus & teſtibus, vt deinceps illibatum permaneat, confirmari & corroborari fecimus. Actum in Monaſterio beati Dionyſij in generali Conuentu, præſidente domno SVGERIO venerabili Abbate eiuſdem Monaſterij, tertio amminiſtrationis eius anno, Incarnationis autem Dominicæ MCXXV. die Dominica, Idus Martij, Luna VII. Indictione III. Epacta XIV. concurrente III. regnaote LVDOVICO glorioſo & illuſtri Francorum Rege, XVII. adminiſtrationis ſuæ anno, & præſentem condonationem confirmante. Ego SVGERIVS Abbas ſubſcripſi, & ſub anathemate violatores huius priuilegij collocaui. Burgenſibus pro anima mea in die obitus mei eleemoſynam vnam per vnamquamque domum ſe facturos ſpondentibus. Teſtante Gauſberto Priore, Chriſtiano Theſaurario, Viuiano Cantore, Radulfo filio Antelmi, Gregorio & ceteris Sacerdotibus, Philippo Diacono. Teſtante Guillelmo de Sancto Clodoaldo,

A Frederico, Herberto, Henrico, Subdiaconis: Garnerio, Roberto, Petro, Fortino, Acolytis: Gaufredo, Godefredo, laicis: Guillelmo de Cornelione, cum Guillelmo filio ſuo, Yuone filio Sugerij, cum Adam filio ſuo, Hugone de S. Dionyſio, Hilduino, Seherio, Itherio. Ego Gregorius domni SVGERII Abbatis Cancellarius relegi & ſubſcripſi. LVDOVICVS VII IVNIOR.

TESTAMENTVM SVGERII ABBATIS.

CONSTITVTIO III.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti; amen. SVGERIVS Dei patientia Eccleſiæ beati Dionyſij humilis Miniſter. Cùm magna multitudo dulcedinis Domini, quàm abſcondens timentibus ſe perficit eis qui ſperant in eo, meipſum mihi larga propitiationis ſuæ affluentiâ reſtituere vellet, memorem me faciens iniquitatum mearum antiquarum, vt citò anticipet me miſericordia eius: poſt mundi huius notabiles & impulſiuos ſcopulos, poſt longam & penè curis Eccleſiæ & aliis conſumptiuam corporis & animæ dilapidationem, ad ſuffragia Sanctorum, quorum ſeruicio deſudaueram, licèt non ſicut debueram, & Fratrum noſtrorum ibidem in ſancta & Domino acceptabili religione B deſeruientium votiuas confugiens orationes, in Capitulo cum eis, ſicut eram ſolitus, bona pace reſedi. Cùmque de eis, & in eis poſt Dominum confidens, tanquam ægrotus fideli medico ſollicitudinum mearum languores replicare, annos meos in amaritudine animæ meæ reponens, deplangere & abhorrere introrſum cœpi: meam circa diuinorum beneficiorum largitatem, longam ingratitudinem repræſentans mihi, quomodo valida Domini manus me pauperem de ſtercore erexerit, quomodo & ante honorem hunc cum Principibus Eccleſiæ & Regni conſedere fecerit, qualiter me immeritum & abſentem pace omnium in hac ſancta Sede ſublimauerit: qua munificentiâ Dominorum noſtrorum Apoſtolicorum, Dominorum Regum, Principum, & populorum, ſopitis æmulorum inſidiis beniuolentiam nobis conciliauerit, in omnibus omninò tam ſpiritualibus quàm temporalibus proſperatus fuerit. Et dum tantis debitis obnoxius aſtringor, de retributione timidus clamans commoueor: *Quid retribuam Domino pro omnibus quæ retribuit mihi?* Vnde tactus dolore cordis intrinſecus, parans fugam, ad verum vitæ protectorem toto mentis & cordis affectu, Fratrum noſtrorum, & omnium & ſingulorum genibus prouolutus, in ea qua Chriſtus nos dilexit caritate ad vniendum nos ſanguinem ſuum fundens, vt opem ferat ſuppliciter efflagito. Pro quorum certè quiete laboribus in præſentiarum me expono, ad parandam quantulamcumque quietis futuræ portiunculam tremens & deuotus reclamo. Et quoniam qui cum Domino ambulant non poſſunt eſſe expertes caritatis (ardet enim cor C eorum dum loquitur eis in via) ſubitò venerabilis ille, & Domino propinquus, quorum iam conuerſatio eſt in cœlis, Chorus ab alto condeſcendens in valle mœroris mei, vt Patres, & Fratres, & Filij, ætate, caritate, obedientiâ, largam manum miſericordiæ porrigunt; & quæ viuo, quæ defuncto ſuffragia præparent, & voce & ſcripto determinant. Votiua ſiquidem nobis lege inconuulſa veritatis, quæ Chriſtus eſt, & præſentis Chartæ memoriali confirmatione ſancientes, toto tempore vitæ meæ, omni die Miſſam de Spiritu ſancto celebrari: vt Spiritus ſanctus paraclytus, qui eſt remiſſio omnium peccatorum, nobis peccata remittat, conſolationem tribuat, rorem miſericordiæ infundat. Cuius ſancti ſacrificij continuatio omni die in Capitulo cùm à prioribus Sacerdotum incœpta & reincœpta per iuniores eiuſdem ordinis perrexerit indeficienter, ad priores redibit. Et hoc quidem quamdiu Domini miſericordiâ ſuperuixero. Cùm autem miſerrimum huius vitæ hominem exuero, per omnia curricula omnium annorum & temporum, pro remedio animæ meæ, & Fratrum & benefactorum Eccleſiæ, eo quo diximus ordine, Miſſam ſancti Spiritus, Requiem æternam pronuncianres & decantantes, diuinam nobis tali perſeuerantiâ ſalutaris hoſtiæ reconciliabunt propitiationem. Anniuerſarium ſiquidem exequiarum mearum diem, diem terroris, calamitatis, & miſeriæ, omni anno tali ac tanto in operibus miſericordiæ releuabunt ſuffragio. In

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

Conuentu plenum perſoluent officium quotquot in Sacerdotali Ordine fuerint, A
eadem die Domino Deo ſacrificium pro nobis miſericorditer offerentes. Reliqui verò Fratres L. Pſalmorum oblatione nobis apud Dominum ſubuenient. Qui verò eos neſcierint, ea qua poterunt nobis oblatione miſericorditer ſuccurrent. Eget enim paruitas noſtra & magno & paruo. Et quoniam tanquam cariſſimi & dulciſſimi Fratres, quæcumq; ab eis bona exegi fideliter repromiſerunt; hoc etiam à toto Capitulo obtinuimus, vt de Capicio, Capiciarius Frater, quicumque ſit ille, refectionem Fratribus in Refectorio ipſa die anniuerſarij noſtri accuratè perſoluendo, procuret: duas videlicet omnibus communes, non qualeſcumque, ſed plenarias & aptas exhibendo pitantias. Frater etiam Cellararius generale ſuum more ſolito proponat. Pigmentum habeant Fratres de Camera & Cellario. Rogamus autem ſuppliciter, ne Frater ille, ſiue nos viderit, ſiue minimè, expenſas iſtas ægrè ferat, cùm in magna parte officij eius multas exſoluentes expenſas ſolliciti fuerimus: videlicèt in magni & noui ædificij Eccleſiæ augmentatione, in ædificatione magnæ & caritatiuæ Domus Hoſpitum, in reparatione & renouatione Domus Dormitorij & Refectorij, & in augmentatione obedientiæ Theſauri, & in multis aliis tam Eccleſiæ quàm Officinarum ſumptuoſis operibus, quas enumerare ſuperſedimus, ne inanis gloriæ, aut alicuius arrogantiæ titulo, quo animæ meæ opus non eſt, imputetur. Potiſſimùm enim hæc reponimus, vt ſucceſſorum Fratrum & beneuolentiam & deuotionem acquiramus. Verùm quia eleemoſynarum largitione peccata redimuntur, in hoc etiam Fratres noſtri cariſſimi mihi prouidentes firma ſanctione conſtituunt, vt omni anno die anniuerſarij mei panes duorum modiorum frumenti, quatuor modios vini, ſexaginta ſolidatas carnium, tam Prior huius Eccleſiæ, quàm Eleemoſynarius Monachus, vt etiam & ipſi in hoc beneficio participent, ſe præſente diſtribui faciant: videlicet in ipſa magna Domo Hoſpitum, vt & locus & opus Domino miſerante nobis cooperentur in bonum. Et dum pauperes Canonici in Domo Sancti Pauli, quibus etiam pro remedio animæ meæ aliquid acquiſiui, & alij Clerici Capellani cùm perſoluerint debitum anniuerſarij aut in Eccleſia Sancti Pauli, aut in loco ſepulturæ meæ, ſi Dei miſericordia hoc in loco eam indulſerit mihi, in Refectorio ſuo conueniant, & de ea quam ſuprà determinauimus eleemoſyna modium vini & centum panes ad libram & qualitatem Fratrum à Priore & Eleemoſynario recipiant. Vnde verò & vbi tam frumentum quàm vinum & denarios habeant, determinare curauimus: videlicet in tempore meſſis à Trembliaco frumentum. Eam enim ibidem multùm amplificauimus, & in ædificio exteriori curiæ & horreorum, & aliis quibuſcumque modis. Item in tempore vindemiæ à Ruoilo quinque modios vini de ea quam fecimus apud Louecenas noua acquiſitione. Adquiſiuimus enim ibi fermè ſexaginta modios vini omni anno. Denarios verò de Francorum-villa XX. ſolidos. Item de marſupio cambiatoris & thelonearij XL. ſolidos, pro ea recompenſatione quòd nos retraximus de manu Vrſelli Iudæi de Montemorenciaco X. ſolidos, quos arri- C
piebat omni hebdomada in eodem marſupio occaſione vadimonij. Expendimus enim tria millia ſolidorum pro retractione horum denariorum, & illius villæ quæ dicitur Molignum, quæ ab eodem Iudæo tenebatur vadimonio. Rogamus etiam Fratres noſtros, vt eadem die ea, quæ diuina munificentia in tempore adminiſtrationis noſtræ eidem Eccleſiæ contulit, ſiue palliorum, ſiue auri aut argenti ornamenta exponant, aut in Miſſa, aut ſicut eis placuerit. Et vt Fratrum deuotio ſacris orationibus eſurienti animæ meæ miſerrimæ accumuletur, & ſucceſſorum Abbatum inſtantia circa cultum Eccleſiæ Dei animetur. Et quoniam omnia membra capiti ſuo debent cooperari, in omnibus Cellis vbique terrarum anniuerſarium noſtrum ſecundùm locorum quantitatem & poſſibilitatem fieri petimus. Videlicet apud Argentoilum, quem locum per multa tempora trecentorum annorum ab Eccleſia iſta alienatum, & Monacharum extraordinaria leuitate penè proſtratum, labore noſtro, præſidente & priuilegio firmante ſummo Pontifice HONORIO bonæ memoriæ, regnante & concedente inclyto Rege LVDOVICO, reſtitui elaborauimus: vbi Fratres eadem die de Sartoris-villa X. ſolidos Refectorio habeant, & hac eadem panes vnius modij frumenti, & duos modios vini, tam pro remedio animæ meæ, quàm pro ſalute Fratrum noſtrorum tam viuorum quàm defunctorum, pauperibus erogare irrefragabiliter omni anno non deſiſtant. Omni

A verò ſecunda feriâ & rertia Miſſam pro me & pro aliis defunctis celebrabunt. In ſtrata verò, vbi dominus noſter poſt Dominum ter beatus Dionyſius roto rrecentorum annorum tempore quieuir: vbi tam pro extollenda Sanctorum Domini laude, quàm pro mulris, quas ibidem per decennium commoratus iuuenis ætare & moribus commiſi, offenſis, duodecim Monachos cum tredecimo Priore, ad ſeruiendum Deo & ſanctis Martyribus, regulariter inhabirare decreuimus. Quorum etiam Refectorio appoſuimus villam Molignum, quam de manu Vrſelli Iudæi, vt ſuprà diximus, rerraxeramus: & iugem apud Dominum orarionem, & anniuerſariū, & Miſſam pro defunctis omni hebdomadà feria quarta deuorè poſtulando impetrauimus. Corboilo verò, apud ſanctam Dei genitriecem Mariam, quem locum ſacratiſſimum & ædificare, & amplificare incipientes, ſi Dominus nobis dederit vitam, perficere firmiſſimè propoſuimus, ſimilirer & anniuerſarium noſtrum & Miſſam pro defunctis in hebdomada feria quinta deuotè expoſtulauimus. Ea autem, quam nos in Epiſcopatu Metenſi acquiſiuimus, Cella, in ea quæ celebrata eſt Maguntiæ Curia, ſimiliter ei iugem orationem, & anniuerſarium noſtrum, & Miſſam pro defunctis, feria ſexta deuotè experiuimus. Irem & apud Sanctum Alexandrum venerabili loco Lebrahæ Miſſam pro defunctis feria ſeptima, anniuerſarium noſtrum, & diuinas pro nobis aures ſollicitare implorauimus. Nec minus in omnibus beari Dionyſij Cellis, tam propinquis quàm remotis, anniuerſarium noſtrum, orationúmque inſtantiam, Miſſam pro defunctis ſemel in hebdo- LVDOVICVS VII. IVNIOR.

B mada rogantes, obnixè impetrauimus. Et quoniam Fratres noſtri cariſſimi ſupplicirer à nobis rogati libenrer peritionibus noſtris, ſcientes nos magno indigere auxilio, acquieuerunr, pulſamus eos prece, pulſamus & præcepto, & in ea, qua Chriſtus in ara Crucis Deo Patri ſe obtulit, obedientia adiurantes obteſtamur, ne deinceps per omnia temporum curricula, ſucceſſiuis Fratrum ſuccedentium temporibus, ab hoc quod nobis firmauerunt ſuffragio deſiſtant, promiſſum reddant, votum perſoluanr, ſicut reſponſuri in exrremo diſtricti iudicij die, cùm nos inuicem viderimus in eo qui nos & actus noſtros per omnia videt, qui nos ipſos ſibi viuere dignetur per omnia ſecula ſeculorum, amen.

Actvm apud Sanctum Dionyſium in communi Capitulo xv. Kalend. Iulij anno incarnati Verbi MCXXXVII. Indict. xv. Epacta XXVI. Concurrente IV. Luna XXIV. anno verò adminiſtrationis noſtræ XVI.

Signum domni Heruei Prioris.
S. Teuuini Subprioris.
S. Bernardi Præcenroris.
S. VVillelmi Chartographi.
S. Stephani Theſaurarij.
S. Gaufridi Capiciarij.
S. Iohannis Infirmarij.
S. Henrici Cellararij.
C S. Alberti quondam Abbatis.
S. Vincentij quondam Abbatis.
S. Chriſtiani Sacerdotis.
S. Rodulphi Sacerdotis.
S. Adæ Sacerdotis.
S. VVildrici Sacerdotis.
S. Philippi Sacerdotis.
S. Roberti Sacerdotis.
S. Perri Sacerdotis.
S. VVillelmi Saeerdotis.
S. Iohannis Diaconi.
S. Giraldi Diaconi.
S. Hugonis Diaconi.
S. Arnulphi Diaconi.
S. Theobaldi Diaconi.
S. Richardi Diaconi.
S. Salomonis Diaconi.
S. VVillelmi Diaconi.

S. Girardi Diaconi.
S. Rainerij Diaconi.
S. VVillelmi Subdiaconi.
S. Hugonis Subdiaconi.
S. Rodulphi Subdiaconi.
S. Afaldi Subdiaconi.
S. Huberti Subdiaconi.
S. Euſtachij Subdiaconi.
S. VVineberti Subdiaconi.
S. Gilberti Subdiaconi.
S. Radulphi Subdiaconi.
S. Petri Subdiaconi.
S. Hemelini pueri.
S. Ernaldi pueri.
S. VVarnerij pueri.
S. Ilberti pueri.
S. Philippi pueri.
S. Petri puori.
S. Cononis pueti.
S. Bernerij pueri.
S. VVidonis pueri.
S. Amblardi pueri.
S. Gosleni Sueſſionis Epiſcopi.
S. Gaufredi Carnotenſis Epiſcopi.
S. Hugonis Turonenſis Archiepiſcopi.
S. Samſonis Remorum Archiepiſcopi.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

S. Milonis Morinorum Epiſcopi. S. Odonis Beluacenſis Epiſcopi. A
S. Guarini Ambianenſis Epiſcopi. S. Rotberti Abbatis Corbeiæ.

Super rebus pluribus Eccleſiæ Sancti Pauli conceſſis à SVGERIO *Abbate, & medio vini, & centum panibus in die obitus ſui.*

CONSTITVTIO IV.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Patris, & Filij, & Spiritus ſancti, amen. SVGERIVS diuina gratiâ beati Dionyſij Eccleſiæ Abbas. Quia Dei omnipotentis larga miſeratione paruitatem noſtram promoueri, & ad huius Eccleſiæ regimen contigit ſublimari, multa nobis ſollicitudine & continua inſtandum eſt curâ vtilitatibus ſeruorum Dei deſeruire, Catholicam Eccleſiam & Eccleſiæ ſeruitores honorare: quatinus in extremo diſtricti examinis terribili die, *Euge ſerue bone & fidelis*, à Domino Deo mereamur audire. Vnde nouerit tam præſentium quàm futurorum induſtria, quòd ego SVGERIVS Eccleſiæ beati Dionyſij Abbas, conſenſu Fratrum noſtrorum Eccleſiam beati Pauli, quæ quaſi capiti membrum Eccleſiæ noſtræ inhæret, honorare & exaltare decreuimus, & propoſuimus: tum quia beati Pauli Magiſtri Gentium prædicatione Dominum & protectorem noſtrum beatum Dionyſium obtinuimus; tum quia quicquid ei honoris & vtilitatis conferimus, quoniam noſtra eſt, ad honorem & vtilitatem noſtram totaliter referetur. Clauſtrum ſiquidem Eccleſiæ eiuſdem, Officinas in Clauſtro, & domos Clauſtri, quas habent, & quas circum Clauſtrum habere poterunt, ad ædificandum proprias Eccleſiæ manſiones, & Canonicorum domos, libertate irrefragabili, & immunitate totius exactionis donamus: nec ibi tantùm, ſed vbicumque habuerint domos ſuas, quamdiu in eis habitauerint, & domus, & res eorum, & propriæ familiæ liberamus. Si autem de manibus eorum ad alias perſonas deuenerint, in poteſtatem iudiciariæ poteſtatis lege villæ redibunt. Res oppidanorum noſtrorum, vel aliorum hominum in domibus eorum nulla defendet libertas. Hoc tantum fiet, quòd res aliorum per Clericos S. Pauli poteſtati noſtræ reddentur. Latrones ſuos de familia ſua, & qui eis furati fuerint, eorum ſit ad iuſtitiandum. Fugitiuos alios latrones poteſtati noſtræ reddent. Similiter & alios, qui ad eos confugerint, reos. Si autem inter eos & nos quæſtio de aliqua re fuerit, quòd Clerici poterint inde iurare, aut per ſe, aut per legalem perſonam, ſine alia contradictione teneant. Vt autem omni omnium temporum ſucceſſione pro me peccatore, & pro Fratribus noſtris tam præſentibus quàm præteritis atque futuris, Dominum nobis propitiari exorent, de opulentia noſtra eorum volentes aliquantulum ſupplere inopiam, (ſerui enim Dei ſunt ſicut & nos, conſerui autem ſunt noſtri) XL. ſolid. quos irrefragabiliter de Duolio habebant, omni anno capient de cenſu manſi Arnulfi, & modium vnum annonæ in molendino vno, quod eſt apud villam, quæ dicitur Vlmechon. Modium autem vini in Cellario & x. ſolid. de cenſu vini clamatorum in vtraque S. Pauli ſolemnitate, ad Canonicorum videlicet refectionem, vt iocundiùs & deuotiùs Deo ſanctóque Paulo deſeruiant, ſingulis annis concedimus. Adhuc autem eidem Eccleſiæ Sancti Pauli Eccleſiam concedimus S. Ioannis, quæ eſt in atrio S. Dionyſij ſita, & medietatem decimæ cuiuſdam villæ, quæ dicitur Hablegias, & quartam partem decimæ de Barcheniaco, & medietatem decimæ alterius villæ quæ dicitur Campiniacus. Rogamus etiam Fratres noſtros, vt pro Dei amore & noſtro, qui, quantum moleſtia corporis ſuſtinet, Eccleſiæ ſeruituti deſudamus, eidem Eccleſiæ S. Pauli modium vini & centum panes ad libram atque menſuram panis noſtri de Refectorio, ad refectionem in Refectorio S. Pauli tam Capellanorum huius villæ, quàm Canonicorum, in die anniuerſarij mei, ſicut ſcriptum eſt in Carta Teſtamenti noſtri, concedant: eo pacto & ea conuentione, vt in die anniuerſarij mei, ſi Dei pietas infra ſepta huius Eccleſiæ me ſepeliri permiſerit, omni anno ad ſepulturam meam conuenientes, animæ meæ offerant. Sin autem, in Eccleſia S. Pauli. Sed & ideò nihilominus hæc eis conceſſimus, vt pro his & aliis beneficiis in obitu ſingulorum Fratrum noſtrorum Monachorum huius Eccleſiæ, ad corpora eorum nondum ſepulta conueniant, ibique commendationem animæ faciant, & ad ſanctum Hilarium pro ea Miſſam celebrent,

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A brent. Si verò Eccleſiam iſtam foris in obedientia Monachus noſter finierit, ſimiliter apud S. Hilarium fratris noſtri fine audito conueniant, ibíque commendationem animæ facientes, Miſſam pro eo celebrent. Pro decantatione verò Pſalterij, quam poſt Matutinos noſtros ſe non poſſe facere teſtati ſunt, ſtatutum eſt, vt poſtquam Frater noſter defunctus ſepultus fuerit, in craſtinum, vel infrà triduum poſt ſepulturam eius conueniant in Eccleſia Sancti Pauli, & recitatione Pſalterij commendationem animæ, & Miſſam pro eius anima pariter decantent. Nec prætereundum eſt, quòd ADAM piæ memoriæ Abbas in dedicatione Eccleſiæ beati Petri dotem eiuſdem ampliauit pro Matutinis decantandis in vigilia beati Dionyſij, idémque præbendam plenariè reſtituit ſub manu & anathemate domini CONI Cardinalis, & Archiepiſcopi Eurohic*, & Clarembaldi Epiſcopi Siluanectenſis, quam ROBERTVS Rex magnæ pietatis à Capitulo ſuis precibus impetrauerat. Idem Rex poſt Matutinos beati Dionyſij in Eccleſia beati Pauli opera miſericordiæ & orationes proſequens, dum Eccleſiæ humilitatem & Clericos eiuſdem benignè Dei ſeruitio vacare proſpiceret, vt ei Deus propitiaretur, de fiſco ſuo eidem Eccleſiæ donauit molendinum de Sancto Luciano, & molendinum iuxta Pontem Malberti ad fontem poſitum. Tertium verò paruum, qui diu aquarum ſuperabundantiâ incertis temporibus infructuoſus ceſſat: furnum de Sancto Marcello, & furnum de porta Baſuini integro miſericordiæ affectu, ſupplicatione & meritis Clericorum, communis benefactorum manus attribuit. Clauſum de Strata, clauſum de Corneliis, & clauſum de Montemorenciaco: B clauſum de Diogilo, & quantula cenſus portio circa villam & infra adiacet, ſupplicatione & meritis eorumdem Fratres ſe Dei ſeruitio & eleemoſynis adiungentes eidem Eccleſiæ miſericorditer impenderunt. Actum & roboratum in Capitulo beati Dionyſij, anno incarnati Verbi MCXXXVIII. Indict. XV. Epacta XXVI. Concurrente IV. Anno verò amminiſtrationis noſtræ XVI. Signum domini SVGERII Abbatis, S. Heruei Prioris, S. Bernardi Præcentoris, S. Stephani Theſaurarij, S. Gaufridi Capicerij, S. Chriſtiani Sacerdotis, S. Ioannis Sacerdotis, S. Garnerij Sacerdotis, S. Ioannis Diaconi, S. Theobaldi Diaconi, S. Hugonis Diaconi, S. Rodulphi Subdiaconi, S. Bernerij Subdiaconi, S. Petri Subdiaconi, S. Ernaldi pueri, S. VVidonis pueri, S. Philippi pueri.

De Cultura Indicti.

V.

NOTVM fieri volumus tam præſentibus quàm poſteris, quòd ego SVGERIVS Dei patientiâ beati Dionyſij humilis Miniſter, communi fauore Capituli noſtri Culturam, quæ iuxta Indictum eſt, quam glorioſus Rex Francorum LVDOVICVS beato Dionyſio dedit, Eleemoſynæ ad ſuſtentationem pauperum Chriſti pro remedio ac ſalute animæ meæ in perpetuum tenendam conceſſimus. Et vt hoc ratum exiſtat, ſcripto mandari, & ſigillo noſtro C confirmari fecimus.

De area empta à Girardo Hoſpitalario.

VI.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis Ego SVGERIVS Dei gratiâ Abbas Sancti Dionyſij, commendo memoriæ tam præſentium quàm futurorum, quòd Robertus Aurifaber per conſenſum meum & totius Capituli noſtri emit à Girardo Hoſpitalario aream vnam ad domum faciendam ante Monaſterium Sancti Dionyſij. Quam emptam aliquanto ei ſpatio ampliaui, & ita ampliatam conceſſi, dedi ei, atque firmaui per conſenſum Capituli: ea libertate, vt tam ipſe quàm hæres eius liberam habeant poteſtatem commutandi eam, dando aut vendendo, aut quouiſmodo voluerint cuilibet vel burgenſi, vel ruſtico, vel ſeruienti ſub poteſtate Sancti Dionyſij. De qua pactione vt minus abalienari poſſit,

LVDOVICVS VII. IVNIOR. dabit ſingulis annis infra octabas Sancti Dionyſij coclear vnum argenteum pon- A deris vnius vnciæ. Et hoc ſtatutum ne quis irritare præſumat, ſigilli noſtri teſtimonio auctorizamus. Et ego MATHEVS Dei gratiâ Albanenſis Epiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, hoc ſicut Abbas conceſſit noſtro ſigillo confirmo. Huius autem pactionis teſtes ſunt, Gaufridus Carnotenſis Epiſcopus, Odo Prior S. Martini de Campis, Ioſbertus Prior S. Dionyſij, Arueius Capicerius S. Dionyſij, & totus Conuentus eiuſdem loci.

De Villis beati Dionyſij abſtractis, videlicet Bliteſtorp, & aliis.

VII.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis. Ego SVGERIVS Abbas Eccleſiæ beati Dionyſij. Notum ſit omnibus præſentibus & futuris, quòd ALBERTVS COMES MORSPECENSIS, vir ſummæ diſcretionis & prudentiæ, ſpiritu timoris, qui vbi vult ſpirat, ad viam veritatis reuocatus, & per ſe & per ſuos noſtram & noſtrorum Fratrum adiit præſentiam: obnixè deprecans, & ſummopere expoſtulans, vt erga eum miſericorditer ageremus, & ab antiquo & continuato anathematis vinculo exueremus. Duxerat enim iſdem nobiliſſimus Comes nobiliſſimam coniugem, videlicet filiam THEODERICI viri clariſſimi DE MONTE-BELIARDO; in cuius matrimonio contraxerat quaſdam B poſſeſſiones de hereditate beati Dionyſij, videlicet Bliteſtorp, Tatingum, Sulces, Fardulviler, Fehingaſviler, Hoenchitche, Torneſvvile, Precene. Nos autem eundem venerabilem virum in parte reſipiſcentem, miſericordiæ viſceribus infra gremium matris Eccleſiæ, à qua exhorbitauerat, quia colligentes cum Deo ambulare decreuimus, & cum eo non mortem peccatoris, ſed magis conuerſionem & vitam deſiderantes, prædictum virum anathematis vinculo & ſacrilegij reatu, tali reatus & anathematis deleta conditione, exuimus, vt deinceps per ſingulos annos in feſtiuitate beati Martini v. vncias auri obrizi beatis Martyribus Dionyſio, Ruſtico, & Eleutheto perſoluat. Quòd ſi ipſe, quod abſit, huius conſuetudinis violator inuentus ad priſtinam rapinam & malitiam reuerſus fuerit vt canis ad vomitum: Dei omnipotentis iram incurrat, nullo iam anathematis vinculo exuendus.

VIII.

1145. IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, amen. Notum fieri volumus tam præſentibus quàm futuris, quòd ego SVGERIVS Dei gratiâ Eccleſiæ beatorum Chriſti Martyrum Dionyſij, Ruſtici, & Eleutherij Abbas, communi conſenſu Capituli noſtri conceſſimus, vt quicumque in quadam villa noua, quam C ædificamus, quæ Val-Creſſon appellatur, manere voluerint, menſuram terræ, arpennum vnum videlicet, & quartam arpenti partem pro duodecim denar. cenſus habeant, & ab omni tallia & exactoria conſuetudine immunes exiſtant. Itaut ne de villa ſua alicuius ſeu Regis, ſeu Principis, ſeu ſeruientis beati Dionyſij ſubmonitione, niſi propria Abbatis iuſſione in exercitum aut expeditionem, & cum perſona ipſius, vel cum Priore ſi Abbates defuerint, proficiſcantur, aut exeant, nec extra villam ſuam pro quolibet niſi pro Abbate placitent. & de arpenno terræ beati Dionyſij, vbicumque illud acceperint, quatuor nummos cenſus & decimam nobis perſoluant: nec quiſquam terram eidem villæ adiacentem, niſi in ea manſionarius fuerit, excolendam ſuſcipiat. Leges autem vulgales, quas plenas dicunt inter ſe, decem nummorum conſtituimus. Actum apud Sanctum Dionyſium, anno Verbi incarnati MCXLV.

A

De decima Sancti Briccij.

IX.

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, amen. Quoniam ex proprio Dei præcepto ſtatutum in lege ſcientibus legem non eſt ambiguum, decimas Leuitis in proprium Dei ſeruitium ſegregatis debere perſolui; cùm laica manus eas vſurpat, diuinis profectò decretis obuiat. Nec ſolùm earum inuaſores nefandi maximum ſuarum animarum periculum incurrunt, verùm etiam illi, qui quaſi iure patrio deinceps illas retinentes, donec morte præueniantur, poſſidere minimè deſiſtunt. Quapropter ego SVGERIVS Dei permiſſione Monaſterij Sancti Dionyſij de Gallia miniſter & Abbas indignus, ſæpè rogatus à Matheo cognomine Pulchro, quòd duas partes decimæ de Sancto Bri&ctio, quas ipſe tenebat in feodo de Sancto Dionyſio, Sancto Martino de Campis tenendas & poſſidendas concederem, cum omni Capitulo noſtro benignè conceſſi. In præſentia ſiquidem noſtra, totiúſque Capituli noſtri, præfatus Matheus prædictam decimam de Sancto Brictio Domui Sancti Martini de Campis conceſſit, nobis libenter & amabiliter propter maximum inter nos illámque Domum mutuæ dilectionis affectum, aſſenſum præbentibus, & actæ rei teſtimonium perhibentibus. Affuerunt etiam quamplures alij confirmationis huius teſtes idonei, quorum nomina ſubſcripta ſunt. Clemens Decanus Eccleſiæ Pariſienſis. VVermundus Archidiaconus. Albertus Præcentor. Hugo Atrabatenſis Archidiaconus. Philippus frater Regis, Neuelo ſuus Magiſter. VValterius filius Mainburgis. Herluinus Canonicus. Simon nepos Abbatis. Matheus Dominus de Montemorenciaco. Ruricus de Andilli. Guido de Groëla. Galterius de Alne. Ioannes de Vincel. Philippus frater eius. Godardus de Sancto Brictio. Arnulfus de Hoxae. Iohannes de Goneſſa. Terricus Maior. Euraldus Hoſpitarius. Henricus Vinearius. Tigerius. Evvrardus famulus. Actum eſt hoc & hæc Carta anno ab Incarnatione Domini MCXLVIII. regnante Ludouico Rege Francorum, & Duce Aquitanorum, anno regni ſui XVIII. Abbatiæ verò noſtræ XXVII. 1148.

B

SVGERII ABBATIS EPISTOLÆ, II.

Ex Cartulario Eccleſiæ beatæ Mariæ de Capella.

DOMINO & venerabili Dei gratiâ Bituricenſi Archiepiſcopo PETRO, SVGERIVS beati Dionyſij Abbas ſalutem & dilectionem. Anteceſſores veſtri Bituricenſes Archiepiſcopi beatum Dionyſium & loca ſua multum dilexerunt, & manutenuerunt. Proinde, quia de dilectione veſtra plurimum confidimus, pro qua ſæpius laborauimus, ſed & multa grauia & à Domino Rege, & à multis aliis ſuſtinuimus: rogamus quatinus per viam anteceſſorum veſtrorum incedentes, & beatum Dionyſium diligatis, & eius loca defendatis & manuteneatis. Præcipuè tamen pro Eccleſia de Stiualiculis, quam in hac tempeſtate Bituricenſis Eccleſiæ Monachi Agedunenſes per laicam manum Fratribus noſtris de Capella violenter abſtulerunt, deprecamur vt nobis eam reſtituatis. Quòd ſi in ea ius clamant inueſtiri, parati ſunt Fratres noſtri conueniente termino, quem eis poſueritis, conſilio noſtro indè canonicè reſpondere. Si autem actionem illam audire placet, quid inde ſcil. actum ſit in diebus venerabilium Archiepiſcoporum bonæ memoriæ VVlgrini & Alberici, per eoſdem Fratres noſtros pleniùs agnoſcire. Nec ſit vobis oneri pro nobis elaborare, quia ſi locus exigeret, ad honorem & ſeruicium veſtrum paratos nos inueniretis. Valete.

C

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

II.

EGo Svgerivs Dei gratiâ Eccleſiæ S. Dionyſij Abbas, omnibus fidelibus tam futuris quàm præſentibus notificare volo, quoniam accedentes ad noſtræ ſublimitatis præſentiam, videlicet Iohannes, Bernardus, Petrus, atque Giraldus, in Heremitica vita degentes, ſupplici petierunt deuotione; vt eos in fraternitate noſtra reciperemus. Locum verò & Eccleſiam illorum in honore beatæ Mariæ ab eiſdem ædificatam, quæ eſt in parrochia de Parciaco, & omnes res ſuas quas adquiſierant & adquiſituri erant, Deo & S. Dionyſio conceſſerunt, & ſubiectioni Eccleſiæ de Capella præcepto noſtro ſe ſubmiſerunt. Itaut ampliùs alios Fratres in eodem loco ſine iuſſu Prioris Capellæ accipere eis non liceat. Nos quoque ex parte noſtra eis conceſſimus, vt quamdiu ipſi vellent in habitu ſuo permanerent. Si autem ad Monachalem Religionem accedere vellent, vt Fratres Monaſterij reciperentur. Regnante Lvdovico Rege Francorum. VVlgrino Biturigenſium Archiepiſcopo exiſtente. Hoc fuit confirmatum apud Capellam in manu Rodulfi Prioris, coram Monachis & Clericis & laicis.

EPISTOLARVM VOLVMEN,

QVAS PONTIFICES ROM. IMPERATORES, REGES, Cardinales, Epiſcopi, Abbates, Duces, Comites, ac alij Orbis Chriſtiani illuſtres Viri, ad LVDOVICVM VII. Franciæ Regem, & alios, de rebus præcipuè Statum Regni Francorum concernentibus, ſcripſerunt.

Ex veteri Codice MS. Viri Clariſſ. ALEXANDRI PETAVII *Senatoris Pariſienſis nunc primùm in lucem editum.*

B *Fuit & ſimile olim Exemplar in Bibliotheca Canonicorum Regularium Sancti Victoris Pariſ. notatum II. 22. cum ſequenti inſcriptione*, Plures Epiſtolæ ſummorum Pontificum Adriani IV. & Alexandri III. Friderici Imp. LVDOVICI Regis Franciæ, Cardinalium, Epiſcoporum, & aliorum, de diuerſis rebus ſui temporis. Inter quas multæ habentur concernentes ſtatum huius Eccleſiæ Sancti Victoris ſub ptimis Abbatibus noſtris. *Vndè conijci facilè poteſt hanc Epiſtolarum Collectionem ab aliquo Monaſterij S. Victoris Abbate, vel Canonico, fuiſſe factam. Qui tamen in eis congerendis nec rerum aut temporum vbique habuit rationem, nec perſonarum etiam dignitatem ſemper attendit. Sed qualemcumque illum ſui Codicis ordinem non placuit immutare.*

EPISTOLA I.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis* GISLEBERTO *Ciſtercienſi, & ceteris Abbatibus & Monachis tam præſentibus quàm futuris, regularem vitam & inſtituta Ciſtercienſis Ordinis profeſſis in perpetuum.* SACROSANCTA Romana Eccleſia, ſicut in beato Petro Apoſtolorum Principe à Domino ptomiſſionem obtinuit, quòd vniuerſalis Eccleſiæ fundamentum exiſteret: & præceptum accepit, vt Chriſtianæ fidei profeſſores in fide & religione, omníque ſanctimonia confirmaret: ita pro vniuerſarum Eccleſiarum profectibus ſol-
C licitam ſe ſemper exhibuit, & de inſtituendo, conſeruando, & prouehendo in omnibus Eccleſiis cultu ſacræ Religionis fuit omni tempote ſtudioſa, ita vt ab ea ſicut à fonte ad vniuerſos Eccleſiæ filios ſit Religio deriuata: & quod ab aliis qui ſpiritus primitias acceperunt, religioſè ac ſalubriter inſtitutum eſt, per eandem immutabilem acceperit firmitatem. Indè eſt, dilecti in Domino filij, quòd ſacræ Religionis veſtræ opinione, tanquam agri pleni cui benedixit Dominus, prouocati, religioſis precibus veſtris auctoritate Apoſtolica confirmamus. In quibus ſub certis Capitulis quæ inferiùs annexa ſunt decreuimus exprimenda. Primùm quidem, vt in omnibus Monaſteriis veſtris, ſicut in Ciſtetcienſi Eccleſia, beati Benedicti Regula perpetuis temporibus obſeruetur, & in lectionem eius nullus de Ordine veſtro præter ſimplicem & communem intelligentiam quemlibet alium ſenſum inducat; ſed vniformiter, & ſicut quæque diffinita noſcuntur, inrelligantur ab omnibus, & inuiolabiliter obſeruentur, & eædem penitus obſeruantiæ, idem cantus, & iidem libri qui ad Eccleſiaſticum officium pertinent, per omnes Eccleſias veſtri Otdinis teneantur. nec aliqua omninò Eccleſia vel perſona Ordinis veſtri aduerſus communia ipſius Ordinis inſtituta ptiuilegium aliquod poſtulare audeat,

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

vel obtentum quomodolibet retinere. Deinde vt nulla Eccleſiarum veſtrarum ei quam genuit aliquam terrenæ commoditatis ſeu rerum temporalium exactionem imponat, nil quod eam grauet, nil quod eius ſubſtantiam minuat, erga eam agere diſponat: ne dum abundare de alterius paupertate cupit, auariciæ malum, quod ſecundum Apoſtolum idolorum ſeruitus comprobatur, euitare non poſſit. Curam tamen animarum Abbas matris Eccleſiæ in ea gratiâ caritatis ſibi retineat, vt ſi quando à ſancto propoſito & obſeruantia ſanctæ Regulæ declinare, quod abſit, temptauerit, per eius ſollicitudinem ad rectitudinem vitæ redire poſſit. Item vt omnes Abbates Ordinis veſtri ſingulis annis ad generale Capitulum Ciſtercienſe, poſtpoſita omni occaſione, conueniant: illis ſolis exceptis, quos à labore viæ infirmitas corporis retardauerit. Qui tamen idoneum nuncium delegare debebunt, per quem neceſſitas remorationis eorum Capitulo valeat nunciari. Et illis item exceptis, qui in remotioribus partibus habitantes, ſine grandi & euidenti difficultate ſingulis annis ſe nequiuerint Capitulo præſentare. qui nimirum eo tempore veniant, quod in ipſo eis Capitulo fuerit inſtitutum. Quòd ſi aliqua controuerſia inter aliquos Abbates Ordinis veſtri emerſerit, vel de aliquo eorum tam grauis culpa fuerit prolata, vt ſuſpenſionem vel etiam depoſitionem mereatur, quicquid exindè à Capitulo fuerit ſecundum veſtrum Ordinem diffinitum, ſine retractatione aliqua obſeruetur. Si verò pro diuerſitate ſententiarum in diſcordiam cauſa deuenerit, illud irrefragabiliter teneatur, quod Abbas Ciſtercienſis qui pro tempore fuerit cum his qui ſanioris conſilij & magis idonei apparuerint iudicabit. Hoc obſecro, vt nemo eorum, ad quos ſpecialiter cauſa reſpexerit, diffinitioni debeat intereſſe. Si quis autem Abbas pro inutilitate vel puſillanimitate ſua ſe viderit ab Abbatiæ ſuæ Ordino relaxandum, ab Abbate domus illius, vnde ſua proceſſit, humiliter poſtulet relaxari. Qui tamen petitioni eius non leuiter adquieſcet, nec quicquam ſua auctoritate efficiet. ſed congregatis aliquantis Abbatibus Ordinis veſtri, cum eorum conſilio peraget, quod indè pariter viderint adimplendum. Si quis autem Abbatum Ordinis contemptor, vel Ordinis præuaricator, aut commiſſorum ſibi Fratrum vitiis conſentiens apparuit, Abbas matris Eccleſiæ per ſeipſum, vel Priorem ſuum, vel quomodo meliùs nouerit expedire, eum vt corrigatur ammoneat vſque quater. Quòd ſi culpam ſuam corrigere, vel à ſuſceptæ prouiſionis officio cedere fortè noluerit; aliquanti Abbates Ordinis veſtri in nomine Domini aggregentur, & cõmunicato conſilio, ſi viderint oportunum, eum à regimine ſubmoueant Abbatiæ: ac poſtmodum alter qui dignus ſit, conſilio & voluntate Patris Abbatis à Monachis domus illius cum Abbatibus ſi qui ad eam pertinent eligatur. Si autem is qui deponitur, vel Monachi eius, datæ in eum ſententiæ contumaciter decreuerint reluctandum, Abbas matris Eccleſiæ ceterique Abbates plenam habeant poteſtatem cenſurâ eos diſtrictionis Eccleſiaſticæ cohercendi. De quibus ſanè ſi quis reuerſus ad cor, & de ſua contumacia reſipiſcens, matris ſuæ miſericordiam humiliter poſtulauerit, ſicut filius pœnitens recipiatur. Quamdiu autem aliqua Eccleſiarum veſtrarum Abbate proprio fuerit deſtituta, Pater Abbas, de cuius Domo domus illa exiuit, omnem curam habeat ordinationis domus illius, donec in ea Abbas alius eligatur. Electus autem nulli Archiepiſcoporum vel Epiſcoporum emancipatus, vel quaſi abſolutus tradatur. Sed nec poſt factam Archiepiſcopo vel Epiſcopo ſuo profeſſionem, occaſione eius Ordinis ſui conſtitutiones tranſgrediatur, vel in aliquo præuaricator eius exiſtat. Præterea, ſi fortè Abbates Ordinis veſtri matrem veſtram Ciſtercienſem Eccleſiam à ſacræ Religionis obſeruantia exorbitare perſpexerint, ipſius loci Abbatem per quatuor primos Abbates, de Firmitate, de Pontiniaco, de Clareualle, & de Mutimundo, vt corrigatur, & ſubditos ſuos corrigere laboret ammoneant, & omnia quæ de aliis Abbatibus ſuprà diximus circa eum adimpleant. excepto quòd ſi ſpontè cedere noluerit, nec deponere eum, nec ſi contumax apparuerit excommunicationis ſententiâ poterunt innodare, donec vel in generali Capitulo, vel ſi illud viſum fuerit ſine grandi periculo expectati non poſſe, conuocatis Abbatibus qui de Ciſtercio exierunt, & aliquibus etiam aliorum, virum inutilem ab officio Abbatis ammoueant; & tam ipſi quàm Abbates & Monachi Ciſtercienſes alium idoneum Abbatem ei ſtudeant ſubrogare. In illum porrò, qui depoſitus fuerit, & Monachos eius, ſi recalcitrare præſumpſerint, ſententiam

A ſeueritatis Eccleſiaſticæ non dubitent promulgare. De quibus poſt hæc ſi aliquis culpam ſuæ contumaciæ recognoſcens, ad aliquam quatuor prædictarum Eccleſiarum ſe ſalutis cauſa contulerit, ſicut domeſticus recipiatur, quoad vſque prout conueniens fuerit, ſuæ reſtituatur Eccleſiæ. Interim autem annuus Abbatum Conuentus non apud Ciſtercium, ſed vbi à quatuor prænominatis Abbatibus præuiſum fuerit celebretur. Quoniam autem Ciſtercienſis Eccleſia mater eſt omnium veſtrûm, & alium Patrem Abbatem ſuper ſe non habet, ſicut ad cautelam & ordinis cuſtodiam ſtatuiſtis, per eoſdem Abbates annua ibidem fiat viſitatio, & ad ſuggeſtionem eorum ſecundum Ordinem veſtrum corrigatur, ſi quid inuenerit corrigendum. Sed & quotiens ſine Abbate proprio domus Ciſtercienſis extiterit, ad ipſos quatuor eius cura reſpiciat, & tam ab eis quàm ab aliis Abbatibus ad Ciſtercium pertinentibus, qui per dies ad minus XV. fuerint conuocati, & à Monachis Ciſtercij perſona idonea eligatur. Liceat autem vnicuique matri Eccleſiæ Ordinis veſtri tam de Monachis, quàm de ipſis Abbatibus Eccleſiarum, quæ ab ipſa proceſſiſſe noſcuntur, ſibi quemcumque voluerint, ſi tamen dignus extiterit, aſſumere in Abbatem. Perſonam autem de alio Ordine nulla Eccleſiarum veſtrarum ſibi eligat in Paſtorem, ſicut nec veſtri Ordinis aliquis in Abbatem alicui alterius Ordinis Monaſterio ordinetur. Hæc igitur de multis inſtitutionibus Ordinis veſtri excerpſimus, & propriis curauimus Capitulis deſignare. Adiicientes, vt nullus Epiſcoporum Abbatiis vel Grangiis veſtris aliqua Religioſorum ſeu ſecularium habitatione, vnde vobis inquietatio poſſit prouenire, ſuperædificari permittat. ſed eos, qui ſuperædificare temptauerint, ne id faciant, ab Epiſcopis, quorum dioceſani ſunt, ſub anathematis interminatione prohibeant. Nemo etiam profeſſos veſtros Monachos vel conuerſos ſine licentia Abbatum ſuorum recipiat, aut ſuſceptos audeat retinere. Quia verò ſingula, quæ ad Religionis profectum & animarum ſalutem regulariter ordinaſtis, præſenti abbreuiationi nequiuerunt annecti, nos cum his quæ præſcripta ſunt, omnia quæ continentur in Carta veſtra, quæ appellatur Caritatis, & quæcumque inter vos Religionis intuitu regulariter ſtatuiſtis, auctoritate Apoſtolica roboramus, & vobis veſtriſque ſucceſſoribus, & omnibus qui Ordinem veſtrum profeſſi fuerint, inuiolabiliter perpetuis temporibus decernimus obſeruanda. De cetero, quia propoſitum firmum habetis, habitationi veſtræ loca extra conuerſationem ſecularium eligendi, Grangias veſtras ſicut Eccleſias à prauorum incurſu ac violentia liberas ac quietas fore ſtatuimus. & vt nullus ibi hominem capere, ſpoliare, verberare, aut rapinam exercere præſumar, in virtute ſancti Spiritus inhibemus. Sancientes etiam, vt propter communia interdicta terrarum nulla Eccleſiarum veſtrarum à diuinis compellatur officiis abſtinere. Interdicimus iterum ne aliqua omninò perſona Fratres Ordinis veſtri audeat ad ſecularia iudicia prouocare. Sed quiſquis ſibi aduerſus eos aliquid crediderit de iure competere, ſub Eccleſiaſtici Iudicis examine experiendi habeat facultatem. Salua in omnibus Sedis Apoſtolicæ auctoritate. Decernimus ergo, vt nulli omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel præſcriptas inſtitutiones veſtras auſu temerario violare. Si quis autem hoc attemptare præſumpſerit, ſecundò tertióve commonitus, ſi non ſatisfactione congrua emendauerit, poteſtatis honoriſque ſui dignitate careat, reúmque ſe diuino iudicio exiſtere de perpetrata iniquitate cognoſcat, & à ſacratiſſimo corpore & ſanguine Dei ac Domini noſtri redemptoris IESV CHRISTI alienus fiat, atque in extremo examine diſtrictæ ſubiaceat vltioni. Seruantibus autem hæc ſit pax Domini noſtri IESV CHRISTI, quatinus & hîc fructum bonæ actionis percipiant, & apud diſtrictum Iudicem præmia æternæ pacis inueniant, amen.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA II.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, Venerabilibus Fratribus Bituricenſi Archiepiſcopo, & Suffraganeis eius, & dilectis filiis Abbatibus per eorum Epiſcopatus conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVONIAM in agro Domini, qui eſt Eccleſia, tanquam ſpinæ ac tribuli naſcuntur cotidie, & pullulant germina vitiorum, tum videlicet, quia proni ſunt ſenſus hominis ad malum ab adoleſcentia ſua, tum quia inimicus homo de malicia ſua zizania ſuperſeminare non ceſſat, &

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

germen bonum nititur ſuffocare: neceſſe eſt diligentiam adeſſe cultorum, & nunc A euellere & amputare iam nata, nunc etiam naſcituris nociuis grauaminibus proficiendi aditum obſerare, ſubſequenter autem & inſerere fructiferum gramen, & ſeminare ſemen bonum, qui tricesimum, ſexageſimum, & centeſimum fructum fœcundante Deo poſſit afferre. Nam & hîc illa verba Dominica ſonare videntur, quibus Hieremiam Prophetam, & in eo Euangelicum Sacerdotem inſtruxit, dicens: *Ecce dedi verba mea in ore tuo. ecce conſtitui te hodie ſuper gentes & Reges, vt euellas & deſtruas, & ædifices & plantes.* Id autem vniuerſis licèt Rectoribus Eccleſiarum incumbat, multò tamen fortiùs imminet Romanæ vrbis Antiſtiti, qui à Domino IESV CHRISTO, vt caput eſſet Eccleſiæ in beato Petro accepit, & de paſcendis Dominicis ouibus & fratribus confirmandis expreſſum & ſpiritale noſcitur habuiſſe mandatum. Indè ſiquidem eſt quòd nos licèt inſufficientes meritis ad prouidentiam Apoſtolicæ Sedis, & miniſterium vniuerſalis Eccleſiæ, Deo prout ipſi placuit diſponente, vocati, quia in Eccleſia Dei correctione vidimus quamplurima indigere, tam ad emendanda quæ digna ſunt correctione, quàm ad promulganda quæ ſaluti fidelium viſa fuerint expedire, de diuerſis patribus perſonas Eccleſiaſticas decreuimus euocandas, quàrum præſentia & conſilio quæ fuerint ſalubria ſtatuantur, & ſecundum conſuetudinem antiquorum Patrum prouideatur & firmetur à multis, quod ſi particulariter fieret, non facilè poſſet ad plenum robur habere. Quocirca per Apoſtolica ſcripta vobis mandamus, quatinus huic B diſpoſitioni noſtræ plenis deſideriis cooperari curetis, & prima Dominica venientis Quadrageſimæ, ad vrbem Romam Domino ducente veniatis, & cooperante Spiritus ſancti gratia, tam in corrigendis enormitatibus, quàm in ſtatuendis quæ Deo grata fuerint, communi ſtudio quod fuerit agendum agatur, & vno humero ſubleuemus arcam Domini, atque vno ore honorificemus Deum & Patrem Domini noſtri IESV CHRISTI. Ad hæc, commendamus vobis attentiùs dilectum filium Octouianum Subdiaconum noſtrum, virum vtique prouidum, induſtrium, & diſcretum, & inter alios Clericos ſui Ordinis carum nobis admodum & acceptum. Cui, cùm ſit de menſa noſtra, confidenter, pro ſua probitate, fide, ac prudentia, vocationis huius ſollicitudinem duximus imponendam. & vniuerſitatem veſtram monemus propenſiùs, & mandamus, vt ita ipſum benignè recipiatis, & honeſtè tractetis, quò & deuotio veſtra erga Romanam Eccleſiam incunctanter appareat, & ipſe cùm ad nos Domino donante redierit, de reuerentia quam erga beatum Petrum & nos ipſos habetis poſſit grata referre.

EPISTOLA III.

SANCTISSIMO *Patri & Domino* ALEXANDRO *Dei gratiâ ſummo Pontifici,* PETRVS *ſola dignatione diuina tit. ſancti Chryſogoni Presbyter Cardinalis, ſalutem & obedientiam tam deuotam quàm debitam.* IAMPRIDEM Litteras Beatitu- C dinis veſtræ recepimus, continentes vt inquirere deberemus, quæ perſonæ de Regno Francorum, aut de partibus illis poſſent in Romanam Eccleſiam promoueri. Sanè, cùm propoſuiſſemus ad pedes Sanctitatis redire, nomina illorum, quos ad hoc dignos & idoneos credimus, viua voce potiùs circumſpectioni veſtræ volebamus exprimere, quàm Litterarum commendare figuris. Ceterùm cùm, quod ſine dolore dicere non poſſumus, multos Patrum noſtrorum Epiſcoporum & Cardinalium ad ſe reuocauerit Dominus, & Eccleſia remanſerit ipſorum ſolatio deſtituta: & nos iuxta mandatum veſtrum pro pace inter illuſtres Francorum & Anglorum Reges confirmanda, & hereticorum extirpatione, in partibus illis aliquantulam moram facere debeamus, vt Eccleſia Dei ſub ſancto Apoſtolatu veſtro, & numero & merito poſſit augeri: Sanctitati veſtræ duximus ſignificandum, quòd Clareuallenſis, & Prior de Monte Dei de Ordine Cartuſienſi, & literati ſunt, & honeſtate & religione prædicantur inſignes, & nos tantùm de vita & conuerſatione eorum cognouimus, quòd in puritate conſcientiæ, & ſine ſcrupulo alicuius dubitationis audemus conſulere, vt ipſi à vobis debeant promoueri. Magiſter autem Balduinus Abbas Fordenus, quamuis eum non viderimus; à toto Ordine Ciſtercienſi de multimoda litteratura, honeſtate, & religione potiſſimùm commendatur. Licèt autem venerabilis vir P. Igniacenſis Abbas non ſit adeò

A litteratus, cùm tamen Dominus frequenter per eum miracula operari dignetur, de ſanctitate ipſius non eſt quomodolibet dubitandum. Porrò beati Remigij Remenſis & ſancti Criſpini Sueſſionenſis Abbates, literati, diſcreti exiſtunt: & inter alios terræ & Ordinis illius Abbates non dubitantur honeſtate & religione longiùs præminere. Literaturam & honeſtatem Magiſtri Petri Manducatoris Decani Trecenſis vos non credimus ignorare. Magiſter autem Bernardus Piſanus quondam Præpoſitus eius tantæ literaturæ eſt, & ita honeſtè & laudabiliter eſt ſemper in illis partibus conuerſatus, quòd ei ab omnibus ſufficiens teſtimonium perhibetur, & maximis honoribus digniſſimus reputatur. Præterea Magiſter Girardus Puella diſcretus & literatus exiſtit, & de omnimoda eius honeſtate ab omnibus qui eum nouerunt teſtimonium perhibetur, ſicut Apoſtolica circumſpectio videre potuit & audire. Iuo quoque Rothomagenſis Eccleſiæ Archidiaconus, & Magiſter Herbertus Medecius, non minori inter alios creduntur probitate lucere, cùm & eorum ſuppetat ſcientia literarum, & ad perfectioris vitæ meritum multarum ſibi adeſſe confidamus ornamenta virtutum. Ad hæc iuxta mandatum Beatitudinis veſtræ cippiam * illam bonæ memoriæ VV. quondam Portuenſis Epiſcopi recepimus, & candelabra præcepimus nobis afferri. Significauimus etiam venerabili Fratri noſtro Pictauenſi Epiſcopo, & Alberto & Canonicis Lemouicenſibus, & quibuſdam aliis, quòd ſi aliqua ſunt de bonis ipſius Epiſcopi apud eos
B depoſita, illa nobis faciant ſine dilatione aſſignari. Et ſi negocium per nuncium congruè non poterit perfici, nos ipſi ad eos accedemus. Nos autem cùm ad pedes Sanctitatis veſtræ Domino volente venerimus, prædictam cupam & candelabra, & ſi qua alia de bonis ipſius Epiſcopi poterimus inuenire, vobis curabimus Domino auxiliante deferre. aut ſi vobis placuerit, per fidelem nuncium præmittemus.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

* cupam infra.

EPISTOLA IV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Magiſtro* GIRARDO PVELLÆ *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* LITTERATVRA tua ac probitas ac morum honeſtas nos monent propenſiùs & hortantur, vt te ſicut probum, honeſtum, & literatum virum, ſincero diligamus caritatis affectu, & ſpeciali prærogatiuâ amoris & gratiæ foueamus. Hac igitur conſideratione inducti, & perſonam tuam ſpeciali volentes dilectionis noſtræ priuilegio decorare, tibi redditus, quos in regno Theutonico in feruore ſciſmatis nullo cogente ſpontaneè dimiſiſti, de conſueta clementia & benignitate Sedis Apoſtolicæ, interuentu quoque venerabilis Fratris noſtri Maguntini Archiepiſcopi, reſtituimus. Statuentes, vt non obſit tibi ad diminutionem vel maculam famæ tuæ, nec circa promotionem tuam tibi præiudicium valeat in poſterum generare, quòd aliquandiu redditus inter ſciſmaticos noſceris tenuiſſe. Datum Laterani Idus Martij.

C

EPISTOLA V.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio Magiſtro G. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* ATTENDENTES literaturam & ſcientiam tuam, & quomodo compoſitione morum & honeſtate ſis præditus nihilominus cogitantes, cogimur communi & ſpeciali debito tuis profectibus & incrementis intendere, & multa tibi benignitate deferre. Eapropter dilecte in Domino fili, cùm ſub Magiſterio tuo multi per Dei gratiam proficiant in ſcientia literarum, auctoritate tibi Apoſtolica duximus indulgendum, vt vſque ad quadriennium, ſi Scolas rexeris, redditus tui quos habes in Anglia, nullius contradictione vel appellatione obſtante, liberè tibi, & ſine diminutione qualibet reddantur in Scolis. Ita quidem, vt nulli fas ſit tibi quicquam de illis redditibus diminuere, vel ſubtrahere, aut circa res tuas indebitam moleſtiam vel grauamen inferre. nec cogaris infra terminum ipſum Scolas dimittere, niſi alicui Eccleſiæ, in qua perſonatum vel magnum beneficium habeas, ea neceſſitas imminuerit, quòd meritò tuam ſibi debeas præſentiam & patrocinium exhibere. Datum Anagniæ VII. Idus Februarij.

Lvdovicvs VII. Ivnior.

EPISTOLA VI. A

ALexander *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio* Petro *ſancti Griſogoni Presbytero Cardinali, Apoſtolica Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Si innoteſceret cariſſimò in Chriſto filio noſtro Lvdovico illuſtri
Francorum Regi, quàm grauiter de inſolentia & temeritate Pariſienſis Epiſcopi,
qui contra mandatum noſtrum, & appellationem à te ſuper hoc ad nos interpoſitam, Archidiaconatum Eccleſiæ ſuæ, non ſine graui contemptu & iniuria noſtra,
non eſt veritus pro ſua voluntate conferre, ſanctorum Patrum inſtitutionibus &
Romanæ Eccleſiæ detractum ſit dignitati, in patientia ſicut credimus ſuſtineret
tantam & tam grauem præſumptionem debita ſeueritate puniri: nec moueretur,
ſicut commotus eſſe dicitur, ſuper eo quòd tam horrendum & deteſtabile factum
non duximus approbandum. Verùm ne latere poſſit regiam magnitudinem, quàm
grauiter in facto ipſo læſa ſit ſanctorum Patrum auctoritas, & dignitas Apoſtolicæ
Sedis, quæ in appellationibus ex maiori parte conſiſtit: volumus, & tuæ diſcretioni mandamus, quatinus præfatum Regem adeas, ſibíque plenè, prudenter, &
diligenter aperias, quàm grauiter cenſuræ ſacrorum Canonum & auctoritati Romanæ Eccleſiæ ſit detractum, ſuper eo quòd præfatus Epiſcopus poſt appellationem, quam de mandato noſtro ad nos impoſuiſſe dinoſceris, præſcriptum Archi- B
diaconatum dare præſumpſit, & quomodo ex hoc prauum & iniquum exemplum
tranſibit ad poſteros. cùm ſine læſione canonicæ ſanctionis, & derogatione iuſtitiæ, non poſſit incorrectum relinqui, quod contra appellationem à quolibet attemptatur. Hæc autem & alia diligenter proponendo, prædictum Regem à propoſito & inſtitutione ſua ſuper hoc ſtudeas ſollicitè reuocare. Sed ſi ab hoc reuocari non poterit, proponas ei ex parte noſtra, quòd ſuæ gratiſſimæ deuotionis intuitu factum ipſius Epiſcopi, quantumcumque graue nobis ſit & moleſtum, &
ſanctorum Patrum inſtitutioni contrarium, æquo animo ſuſtinemus, & Epiſcopo,
& nepoti dilecti filij noſtri Galteri Regij Camerarij offenſam iſtam duximus remittendam. nec eis occaſione huius offenſæ aliquod grauamen ſeu moleſtiam inferemus, & ſententiam, ſi qua propter hoc in ipſos lata eſt, relaxamus: & proſecutionem appellationis eis remittimus, ſi quam interpoſuiſſe noſcuntur. Ceterum,
ne nos vel dilectus filius Grat. Subdiaconus noſter tantam confuſionem videamur
& verecundiam ſuſtinere, præfato Regi ſuadeas, vt honori noſtro & eiuſdem G.
taliter in hac parte prouideat, vt dignam poſſimus indè conſolationem recipere,
& regiam prouidentiam meritò in Domino commendare. Datum Anagniæ VIII.
Idus Nouembris.

EPISTOLA VII.

ALexander *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis* Petro *ſancti* C
Griſogani Presbytero, & Hvgoni *ſancti Angeli Diacono, Cardinalibus, Apoſtolicæ Sedis Legatis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Cvm filia cariſſimi in Chriſto filij noſtri Lvdovici illuſtris Francorum Regis, quam iampridem Henricvs illuſtris Rex Anglorum filio ſuo Richardo Duci Aquitaniæ in matrimonio copulandam ſuſceperat, ad annos nubiles perueniſſe dicatur, idem Rex
Francorum videtur grauiter de nobis conqueri, quòd nobis ſicut aſſerit tolerantibus, nec ei eadem filia ſua reſtituitur, nec à præfato Duce traducitur ſicut traduci deberet. Quoniam igitur idem Francorum Rex ad horum alterum inſtat, nos
ſibi nolentes in hac parte, ſicut non debemus, deeſſe: cùm indignum ſit, abſonum,
& abſurdum, vt filia ipſius Regis tali modo debeat diutiùs detineri: diſcretioni
veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus præfatum Regem
Anglorum communiter & diuiſim ex parte noſtra & veſtra ſollicitis monitis &
hortationibus laboretis inducere, vt memoratam filiam eiuſdem Regis infra duos
menſes à prænominato Duce magnificè, ſicut decet vtrumque Regem, traduci faciat: aut eam prædicto Regi reſtituere non poſtponat. Si verò neutrum iſtorum
ad cõmonitionem veſtram infra præſcriptum terminum fecerit, in tota prouincia
Cantuarienſi, ſublato appellationis remedio, omnia diuina, præter baptiſma paruulorum, & pœnitentias morientium, donec horum alterum faciat, auctoritate

A noſtra prohibeatis officia celebrari. Et ſi nec ſic reſipuerit, totum Comitatum Pictauenſem ſimili ſententiæ ſubponatis. Porrò ſi vnus veſtrûm his exequendis noluerit, vel non potuerit intereſſe, alter veſtrûm ea nihilominus exſequatur. Datum Anagniæ XII. Kal. Iunij. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA VIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Ludunenſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato, & Suffraganeis eius, & dilectis filiis Abbatibus & vniuerſo Clero & populo per Ludunenſem Prouinciam conſtituto, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* GAVDEMVS admodum, & exultamus in Domino, quòd dilecto filio noſtro Petro tit. ſancti Griſogoni Preſbytero Cardinali, quem in prouinca veſtra & in aliis locis Legatum Sedis Apoſtolicæ conſtituimus, bonum per Dei gratiam & laudabile teſtimonium perhibetur. Honeſta ſiquidem & laudabilis conuerſatio eius, ſua probitas, & prudentia, de ipſo nos fecerant iampridem concipere, quod nunc Domino cooperante pleniùs in operis exhibitione didicimus: quia quantò nos ſicut deuotos & ſpeciales Eccleſiæ filios abundantiori caritate diligimus, tantò vobis perſonam magis modeſtam, prouidam, & diſcretam in Legatum duximus prouidendam. Licèt autem de ipſius legatione
B iampridem alias Litteras ad vos direximus, quia tamen eundem Cardinalem ſpeciali prærogatiua diligimus, & carum acceptúmque tenemus, iterata vobis ſcripta dirigimus: monentes vniuerſitatem veſtram, & præcipiendo mandantes, quatinus prædictum Cardinalem, ſicut decet tantum virum, & Legatum Apoſtolicæ Sedis, cum debito honore & reuerentia curetis recipere, & ad vocationem eius ſine contradictione qualibet accedentes, ipſius ſtatuta & monita ſuſcipiatis firmiter, & ſeruetis, ſibique ſicut Legato Apoſtolicæ Sedis honorem & reuerentiam impendatis. ita quòd ipſe vobis & aliis poſſit ſalubriter Domino cooperante proficere, & nos de fructu legationis ſuæ omnipotenti Domino debitas gratias exſoluamus. Datum Anagniæ XIV. Kal. Decembris.

EPISTOLA IX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio* PETRO *tit. ſancti Griſogoni Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVOD ſignificaſtis nobis publicè per totum Regnum Franciæ prædicari, nos cum FREDERICO Imperatore pacem feciſſe, & ex hoc cariſſimum in Chriſto filium noſtrum LVDOVICVM illuſtrem Francorum Regem in admirationem non modicam eſſe inductum, quia nullam per nos certitudinem indè habuit: mirati ſumus quomodo ille vir potens huiuſmodi ſparſit rumores per Or-
C bem, per Literas ſuas denotando nos ad vocationem eius iuiſſe, & pacem firmaſſe: cùm etſi Capitula hinc indè producta fuerint, & ſpes habeatur quòd pax debeat reformari, nullam tamen certitudinem perficiendæ pacis habemus, quia iam eam ipſi Regi ſignificaſſem, qui tantum Eccleſiæ, contulit, & ſe pariter & Regnum ſuum nobis, & fratribus noſtris plenè expoſuit. Quod quidem te volumus prædicto Regi, vt pote amatori & defenſori Eccleſiæ diligenter proponere, & quod ei ſtatim pleniùs curabimus, ſi datum fuerit deſuper quòd pax reformetur, & ſtudioſiùs inſinuare. Decæterò, licèt cariſſimo in Chriſto filio noſtro HENRICO illuſtri Anglorum Regi ſcripta noſtra direxerimus, monentes, conſulentes, & hortantes eum, vt filiam ſuam prædicto Regi ſine dilatione reſtituat, vel à filio ſuo faciat deſponſari: quia tamen prædictus Rex Angliæ aſſerit ſe paratum eſſe ad matrimonium complendum, ſi Rex Franciæ pactiones ſeruare voluerit, quas ſecum fecit: prudentiam tuam monemus & hortamur attentiùs, quatinus eundem Regem Franciæ cum omni ſtudio moneas, hortetis propenſiùs, & inducas, quòd prædicto Regi Angliæ petitiones illas compleat & obſeruet, ſi honeſtæ ſunt, & ita ſe obligauit, quòd eum dedeceat ſi eas non compleuerit. Quòd ſi fortè non potuerit ad hoc induci, Regem Angliæ cum omni inſtantia monere ſatagas, & inducere modis omnibus elabores, vt de duobus quæ diximus alterum maturiùs exſequatur, quia ſatis ei ſufficere debet vt Regi filiam reddat, ex quo ſibi interpo-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. ſitas petitiones * non ſeruat. Si autem infra quadraginta dies poſt commonitionem tuam, neutrum horum quæ dicta ſunt impleuerit, in Regnum & in terram eius omni occaſione & appellatione ceſſante interdicti ſententiam proferas. Et venerabilibus Fratribus noſtris Cantuarienſi & Burdegalenſi Archiepiſcopis, & Pictauenſi Epiſcopo ex parte noſtra præcipias, vt eandem ſententiam omni occaſione & appellatione ceſſante obſeruent, & faciant inuiolabiliter obſeruari. Volumus autem vt negocium ipſum ſecretum teneas, quouſque à Rege Anglorum certum recipias inde reſponſum: & hoc ipſum Regi Franciæ diligenter ex parte noſtra proponas: quia nec decet, nec expedit, vt ante reſponſionem Regis noſtrum publicetur mandatum. Datum Ferrariæ II. Kal. Madij. A

EPISTOLA X.

Hæc Epiſtola debet præcedere VIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabilibus Fratribus, Lugdunenſi Apoſtolicæ Sedis Legato, & Biturienſi Archiepiſcopis, & eorum Suffraganeis, & vniuerſo Clero & populo in eorum Epiſcopatibus, & in Epiſcopatu Anicienſi conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* NON latet, ſicut credimus, veſtræ diſcretionis prudentiam, quomodò nos olim dilectū filium noſtrum Petrum tit. ſancti Griſogoni Preſbyterum Cardinalem, eius probitate & prudentiâ & honeſtate penſata, in partibus Vltramontanis Legatum Sedis Apoſtolicæ conſtituimus. eam de ipſo ſpem fiduciámque tenentes, quòd per ſollicitudinem & prouidentiam eius & vos proficiens, auctore Domino, ſalutaribus inſtitutis, & Eccleſia Dei gratum ſuſcipiet incrementum. Mandamus itaque vniuerſitati veſtræ, atque præcipimus, quatinus prædictum Cardinalem ſicut Legatum Apoſtolicæ Sedis, & ſicut virum prouidum, induſtrium, & diſcretum, & carum nobis plurimum & acceptum, cum honore debito & reuerentia curetis recipere, & honeſtè tractare. & ad vocationem eius ſine contradictione qualibet accedentes, ſibi tam in appellationibus quàm in aliis ſicut Legato Apoſtolicæ Sedis omnem reuerentiam & obedientiam impendatis, & eius ſaluberrimis monitis & mandatis reuerenter, prout conuenit, pareatis. Ita quòd & ipſe nobis poſſit Domino cooperante proficere, & nos de fructu legationis ſuæ omnipotenti Domino gratias referamus. Datum Ferentin. II. Idus Aprilis. B

EPISTOLA XI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus & aliis Eccleſiarum Prælatis, & vniuerſis tam Clericis quàm laicis per Regnum Francorum conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CVM ſimus euidenter experti prudentiam, literaturam, & honeſtatem dilecti filij noſtri P. tit. ſancti Griſogoni Preſbyteri Cardinalis, ipſúmque ſicut virum litteratum, prouidum, & diſcretum, ſincerè in Domino diligamus, tantò confidentiùs ſibi committimus quæ ſunt per viros honeſtos & prouidos exſequenda, quantò de feruore ſuæ deuotionis, & de prudentia ſua pleniorem fiduciam obtinemus. Indè eſt, quòd nos eundem Cardinalem pro quibuſdam magnis & arduis negociis ſpecialiter & præcipuè ad partes veſtras duximus deſtinandum, cui auctoritatem & facultatem indulſimus corrigendi quæ corrigenda ibi inuenerit, & cauſas quæ ad eius audientiam perlatæ fuerint, decidendi. Monemus itaque vniuerſitatem veſtram attentiùs, & præcipimus, quatinus eundem Cardinalem ſicut virum litteratum, prouidum, & honeſtum, & à noſtro latere deſtinatum, qui nobis carus eſt plurimùm, & acceptus, cùm honore debito curetis recipere, & correctionem ſuam, & ea quæ prouida circumſpectione ſtatuerit, ſuſcipiatis firmiter & ſeruetis. Ita quòd ipſe in vobis feruorem conſuetæ deuotionis inueniat, & nos prudentiam ac ſinceritatem veſtram dignis in Domino laudibus commendemus. Datum Anagniæ vv. Kal. Maij. C

EPISTOLA XII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio* PETRO *ſancti Griſogoni Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.*

A *dictionem.* Ex conqueſtione dilecti filij noſtri P. Prioris de Lanariaco accepimus, quòd Abbas & Monachi Sancti Benedicti de Quintiaco ab eo de agriculturis & vineis ſuis decimas contra iuſtitiam abſtulerunt, & exindè ipſum multipliciter infeſtare præſumunt. Quoniam igitur vnicuique in iure ſuo adeſſe debemus, & ne viri religioſi iniuſtè grauentur attentiori ſtudio prouidere, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus præfatos Abbatem & Monachos cum omni ſtudio moneas, & ſi fuerit neceſſe diſtrictè compellas, vt memorato Priori præſcriptas decimas ſine moleſtia & difficultate reſtituant, & decetero exigere nulla ratione præſumant: vel in præſentia tua plenam exindè iuſtitiam appellatione remota exhibeant. Datum Ferentin. IV. Nonas Auguſti.

EPISTOLA XIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio* PETRO *tit. ſancti Griſogoni Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* ITA ſollicitè nos & attentè rogauit cariſſimus in Chriſto filius noſter LVDOVICVS illuſtris Francorum Rex pro Monaſterio ſancti Maglorij Pariſienſis, quòd iura ipſius Monaſterij præter commune debitum illæſa volumus & integra conſeruare, & te ad hoc ſollicitis exhortationibus commonere. Indè B eſt, quòd diſcretionem tuam monemus attentiùs, & mandamus, quatinus dum in terra fueris, iura præſcripti Monaſterij auctoritate Legationis qua fungeris, quantum in te eſt protegas attentiùs & defendas, & ita præſcriptum Monaſterium ſatagas in ſuis iuſticiis confouere, quòd per prouidentiam & ſollicitudinem tuam idem Monaſterium de ſui iuris integritate lætetur, & nos exindè diſcretionem & prudentiam tuam non immeritò commendare poſſimus. Datum Beneuenti III. Kalend. Ianuarij.

EPISTOLA XIV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio* PETRO *titulo ſancti Griſogoni Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVANTO maiorem locum dono diuini muneris adeptus es dignitatis, tantò debes cautiùs & circumſpectiùs ambulare, & ita te compoſitum exhibere, vt homines inueniant in te quid ſequantur, & non quid debeant remordere. Accepimus autem quòd Eccleſiam Meldenſem adhuc detines, & redditus percipis, ita quòd, ſicut nuncij venerabilis Fratris noſtri VVillelmi Senonenſis Archiepiſcopi, Apoſtolicæ Sedis Legati, retulerunt nobis, nihil ad eum de redditibus illis peruenit, & Canonici eiuſdem Eccleſiæ electionem non audent liberè celebrare. Vnde quoniam ex hoc famæ & opinioni tuæ, & honeſtati Ec- C cleſiæ plurimùm detrahitur, & nimiæ auariciæ imputatur, diſcretionem tuam monemus, conſulimus, mandamus, quatinus Archiepiſcopo & Canonicis dicas, quòd pro te non dimittant, quin eidem Eccleſiæ perſonam idoneam prouideant in Epiſcopum & Paſtorem. Tu verò in actibus & operibus tuis illam circumſpectionem & modeſtiam ſerues, quòd in conſpectu Dei & in oculis hominum exindè valeas commendabilis exiſtere, & Eccleſia Romana honoris & gloriæ recipiat incrementum. Datum Ferent. VI. Idus Septembris.

EPISTOLA XV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio* PETRO *tit. ſancti Griſogoni Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* NON ſine graui dolore & amaritudine cordis audiuimus illud horrendum & deteſtabile facinus, quod in necem bonæ memoriæ R. quondam Cameracenſis Electi nuper eſt auſu diabolico perpetratum. Vnde cùm tantum & tam graue flagitium non debeamus irrequiſitum vel impunitum relinquere, ſed potiùs ad id iudicandum nos conueniat omnem diligentiam & ſollicitudinem adhibere, diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus atque præcipimus, quatinus venerabiles Fratres noſtros Remenſem Archiepiſcopum & Suffraga-

Lvdovicvs VII. Ivnior. neos eius ſtudioſè commoneas, & diligenter inducas, vt ſicut eis dedimus in mandatis, illos qui præfatum electum tam crudeliter occiderunt, vel fecerunt occidi, & eos etiam qui ad eum occidendum vel capiendum fuerunt, publicè accenſis candelis excommunicatos denuncient, & faciant in ſingulis Eccleſiis ſuorum Epiſcopatuum denunciari: donec de tanto & tam graui exceſſu dignè Deo & Eccleſiæ ſatisfaciant, & cum Litteris eorum Apoſtolico ſe aſpectui repræſentent. Si verò id facere fortè noluerint, vel diſtulerint, tu conuocatis Epiſcopis ſuffraganeis Remenſis Eccleſiæ, & aliis Eccleſiaſticis perſonis illius Prouinciæ, publicè appellatione remota accenſis candelis illos quos diximus excommunicatos denuncies, donec ad Apoſtolicam Sedem cum Litteris tuis veniant ſatisfacturi. Datum Ferentin. v. Idus Marcij. A

EPISTOLA XVI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio* PETRO *tit. S. Griſogoni Presbytero Cardinali Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CVM bonæ memoriæ VV. quondam Portuenſis Epiſcopus candelabra XXIV. & cuppam argenteam XIV. marcarum, deauratam intus & extra, apud Lemouicenſem Eccleſiam depoſuerit: volumus & mandamus, vt per nuncium tuum prouidum & diſcretum à dilectis filiis noſtris Decano, Archidiacono, & Canonicis B eiuſdem Eccleſiæ, vel etiam ab Abbate Sancti Martialis, hæc & alia, ſi qua de bonis eiuſdem Epiſcopi apud eos ſunt, ex parte noſtra quantociùs requiri facias, recepta nobis deferas, ſi debueris ad nos citò redire, aut ſi non es ad nos quantociùs rediturus, apud dilectum filium noſtrum Abbatem Sancti Germani Pariſienſis eadem ponere non poſtponas. Nos enim eis dedimus in mandatis, vt tibi, vel certo nuncio tuo præſcriptam cuppam, candelabra, & alia, ſi qua de bonis prædicti Epiſcopi ſunt apud eos, non differant aſſignare. Datum Laterani VI. Kalend. Aprilis.

EPISTOLA XVII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio* PETRO *tituli ſancti Griſogoni Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* INNOTVIT nobis ex Litteris cariſſimi in Chriſto filij noſtri MANVELIS illuſtris Conſtantinopolitani Imperatoris, quòd ipſe in manu forti Turcorum terram ingreſſus, ciuitates & caſtra ferro & igne conſumpſit, & in medio terræ Soldani Iconij ciuitatem quandam magnam & populoſam conſtruxit, vbi Latinos & Græcos qui eam cuſtodiant poſuit, & per ciuitatem ipſam magnæ regioni Turcorum per Dei gratiam dominatur. Vſque adeò, quòd viam Sepulcri Domini viſitandi omnibus Chriſtianis tam Latinis quàm Græcis reddidit Domino faciente ſecuram. Vndè quia idem Imperator firmum votum ſe aſſerit & propoſitum gerere, ab impugnatione illius nefandæ gentis nullatenus abſtinere, donec auctore Domino contra gentem ipſam perficiat quod incœperat: nos volentes iuxta petitionem ſuam eius pium propoſitum promouere, Regibus & Principibus Orbis, & aliis fidelibus, exhortationis Apoſtolicæ Scripta direximus, vt ad confundendam gentem illam, & exaltandum nomen fidei Chriſtianæ, obtentu piæ deuotionis fideliter & diligenter intendant. Monemus itaque diſcretionem tuam attentiùs, & mandamus, quatinus tam Regem quàm Principes, Comites, & Barones, & alios Dei fideles Regni Francorum, ad hoc idem ſollicitis monitis & hortationibus labores inducere. ita quòd perſuaſio tua in operis effectu clareſcat, & nos prudentiam tuam & ſollicitudinem dignè poſſimus in Domino commendare. Datum Anagniæ IV. Kal. Februarij.

(C stands in the right margin beside the line "Sepulcri Domini viſitandi omnibus Chriſtianis tam Latinis quàm Græcis reddi-".)

EPISTOLA XVIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio* PETRO *tit. ſancti Griſogoni Presbytero Cardinali, Apoſtolicæ Sedis Legato, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* LICET mandauerimus vt hi, qui volunt docere, nihil pro Scolis

A regendis ab aliquo exigant, iuxta illud: *Veni, & audi*, Volentes tamen honeſtati Lvdovicvs VII. Ivnior.
& litteraturæ Magiſtri Petri Cancellarij Pariſienſis, quantum ſalua honeſtate poſſumus, prompta benignitate deferre, quem ſpeciali prærogatiua diligimus & volumus honorare: Diſcretioni tuæ mandamus, quatinus habito conſilio cum venerabilibus Fratribus noſtris VVillelmo Senonenſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, & H. Remenſi Archiepiſcopo, & alijs dignis & honeſtis perſonis, ſuper regimine Scolarum Pariſienſium, quod tibi viſum fuerit, ita quòd perſonam iamdicti Petri non excedat quod exindè feceris, circumſpectâ diligentiâ prouideas, atque diſponas: eam cautelam & maturitatem adhibiturus, quòd non videaris modum excedere, & illi qui Scolas rexerint non debeant immoderatè grauari. Datum Ferent. IV. Kal. Nouembris.

EPISTOLA XIX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Cariſſima in Chriſto filia B. illuſtri Francorum Reginæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVANTO tibi diuina clementia dignitatis gradum contulit altiorem, quantò etiam inter alias mundi perſonas te maiori potentiâ & nobilitate ditauit: tantò vtique ſub potenti manu Dei, à quo eſt omne datum optimum, & omne donum perfectum, Excel-
B lentiam tuam decet ampliùs humiliari, & vnicam ſponſam eius, ſacroſanctam videlicet Eccleſiam, tota mentis affectione diligere, & toto ſtudio venerari, atque ad honorem & exaltationem illorum, qui ex canonica Fratrum electione in ea Domino diſponente miniſtrant, intendere, & ad eorum confuſionem, qui eam opprimere & laniare conantur, oportet te ſollicitiùs laborare. Qualiter autem Octouianus ſciſmaticus, ſimoniacus, & manifeſtus inuaſor, poſt canonicam electionem noſtram, & poſtquam nos inuitos & renitentes, de mandato ac voluntate Fratrum, Odo Prior Diaconorum induerat, ſeipſum intruſerit, atque ipſe idem manto ſe propriis manibus operuerit, ex Litteris, quas ad Epiſcopos alióſque Eccleſiæ Prælatos per diuerſas Prouincias conſtitutos nos olim recolimus deſtinaſſe, ad notitiam tuam plenariè credimus perueniſſe. Quia igitur Eccleſia Dei multis attrita laboribus, & non modicis anguſtiata preſſuris, ope & conſilio potentum & nobilium perſonarum à multis retro temporibus non magis quàm nunc indiguit auxiliari: Excellentiam tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, vt in deuotione matris tuæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac noſtra, ſicut de te confidimus, & ſperamus, immobili firmitate conſiſtas, & ſimoniaca prauitate illius ſciſmatici atque apoſtatici omnimodò reprobata, à quo videlicet Epiſcopi, Abbates, atque alij viri religioſi, & cunctæ ferè perſonæ tam Eccleſiaſticæ quàm ſeculares, ſicut à peſte mortifera fugiunt, & ad eum nullatatione accedunt, in petra fidei, & Eccleſiæ vnitate animi tui conſtituas firmi-
C tatem, atque cariſſimum filium noſtrum LVDOVICVM illuſtrem Regem Francorum virum tuum ad hoc ipſum iugi exhortatione inducere ſtudeas, & modis omnibus exhortari. Nos enim perſonam tuam, ſicut cariſſimæ filiæ noſtræ, ſincera volumus in Chriſti viſceribus caritate diligere, & poſtulationes tuas, quantum cum Deo poſſumus, libentiùs exaudire. Datum Anagniæ Idus Nouembris.

EPISTOLA XX.

VENERABILI *Patri ſuo ſemper in Chriſto honorando, ſuus, & ſibi per omnia deuotiſſimus cum ſumma reuerentia indeficientem caritatis affectum.* QVOD cum Principibus ſedeas, & ſolium gloriæ teneas, lætatur & exultat ſpiritus meus. Lætatur, inquam, de principali conſeſſu, ſi tamen quæ Principe digna fuerint cogitaueris. Ardens quidem ille iuſtitiæ zelus tuus, quem cum ſpiritu iudicij ante omnem Deo inſpirante conceperas potentatum, in ipſo nunc potentatu tuo, & ex ipſo armaturam accepit. Principem enim, vt dicitur, conſtituerunt te, & donauerunt militiæ cingulo. Vide igitur quomodo viriliter agas, ſtes in acie fortiter, & tuum qualiter miniſterium impleas: & vt in hac vocatione tua bonum certamen certes, omnis Eccleſia noſtra, ſicut ſperat, & expectat. Ego quidem pro ſenſus mihi à Deo dati tenuitate, Excellentiæ tuæ polymitam & talarem epi-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ſtolaris eloquij veſtem variis & rhetoricatis verborum filis conſutam deſtinaſſem, ſi præ anguſtiâ tam corporis quàm temporis licuiſſet. Verùm ex præhabita corporis valitudine ſenſus etiam mei viles adhuc in horum baiuli receſſu non parum confuncti fuerant. Cuius etiam inopinata profectio & feſtina grandes materias, de quibus prudentiæ veſtræ longum deſideraui ſermonem texere, moleſta nos fecit breuitate arctari. Primò quippe de Regni veſtri & Sacerdotij ſtatu deſiderabam vos pleniùs inſtrui. Deinde qualiter communis Dominus noſter ſe habeat. Verum quod ſcribentis diligentia minus facere potuir, præſens viua voce ſupplebit breuigerulus. Quæ tamen multò ſcripſiſſem libentiùs, ſi non obſtitiſſent præfata. Vnum autem eſt, ad quod oportet vos omnem adhibere diſcretionis oculum, & iuſticiæ zelum. Vt ſcientia zelum habeat comitem, & ſcientiam zelus. Ad illos videlicet, qui Anglicanæ Eccleſiæ electi dicuntur, acutiùs & toto mentis intuitu intẽdatis neceſſe eſt. Quorum aliqui Epiſcopatum ſicut videtur deſiderantes iam ad nos profecti ſunt, vt per denominationem Principis, ne dicam electionem, ſacram à nobis & ſacramentalem vnctionem percipiant. Qui nolentes reddere Cæſari quæ Cæſaris ſunt, quærunt vt ſibi reddat Deus quæ Dei ſunt. Quid tamen hic agendum? Noſtra, Pater ſancte, conſideratio hæc. Sciatis autem quòd Rex Angliæ iunior vos ſolum poſt Deum in iſto negocio ſuam ſpem poſuit, quia plurimum confidit de vobis. Vndè & per nuncium, quem ad Curiam proximè miſſurus eſt, veſtræ Sanctitati inter ceteros, & pro ceteris, effectuoſiſſimas Litteras deſtinari præcepit. Dicatis etiam ſi placet Magiſtro Bert. quòd iamdicti Regis obtineat gratiam, & cùm tempus acceperit magnam ipſi vniuerſi laboris ſui mercedem promittat. Igitur cùm præfati electi ad Curiam venerint, ne aliquid circa eos agatur præproperè, veſtri conſilij adhibeantur vires. præfati potiùs Regis nuncius expectetur, cuius ſicut ſperatur gratiſſimus erit vobis & toti Curiæ aduentus. Spero autem, & in Domino confido, quòd iſta erit via pacis Eccleſiæ, per quam à iugo ſeruitutis liberabitur, & conſuetudines illæ prauæ, pro quibus ille glorioſus neomartyr noſter poſt exilij aſpera demum vitam martyrio finiuit, in ſanguine fuſo oblitterabuntur. Pro dilecto ſocio noſtro domno Gillone Sanctitati veſtræ affectuoſiſſimas porrigo preces, vt ipſius & meum pro ipſo votum, quod iſtorum portitor expoſiturus eſt, impleatis. Illum autem, qui omnium noſtrum eſt Paſtor, admoneatis ſi placet, vt circa me ouem ſuam iamdiu errabundam aliquod paſtoris officium impleat, & miſereatur errantis. Valeatis in æternum Pater ſancte, & mihi ſemper in Chriſto amplectende, & paruitatis noſtræ habeatis memoriam. Litteras iſtas, ſi placet, dilecto ſocio meo Magiſtro Bert. communicetis, qui mox diſcerpat perlectas.

A

B

EPISTOLA XXI.

C

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Venerabilibus Fratribus Epiſcopis, & dilectis filiis Abbatibus, & aliis Eccleſiarum Prælatis per totam Angliam extra Eboracenſem conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Ex iniuncto nobis à Deo Pontificatus officio, præter eam quæ diuerſis Eccleſiarum Prælatis in ſibi ſubditos eſt conceſſa poteſtas, quandam ſpecialem de omnibus nos oportet curam & ſollicitudinem gerere, quæ ad noſtram ſolummodo prouiſionem, vel ad eius, cui vices noſtras in his commiſerimus exequendas, noſcitur præcipuè pertinere. Proindè ſiquidem etſi de vniuerſis Dei Eccleſiis curam & ſtudium habeamus, quæ ad noſtram tamen ſpectant iuſtitiam * vbique præſentialiter exequi non valemus. venerabilis Fratris noſtri T. Cantuarienſis Archiepiſcopi prudentiam & diſcretionem, & circa vos & Eccleſiam Dei ſinceriſſimæ deuotionis affectum ſollicita conſideratione penſantes, quantò perſonam ſuam inter ceteras, quæ in partem commiſſæ nobis ſollicitudinis à Domino ſunt vocatæ, cariorem in omnibus & magis expertam habuimus; tantò præ aliis Eccleſiæ filiis ſpecialis dignitatis prærogatiuâ duximus honorandum. Et ideò diſcretionis & honeſtatis ſuæ conſtantiam attendentes, ipſum Legatum Sedis Apoſtolicæ per totam Angliam, excepto Epiſcopatu Eboracenſi, de communi conſilio Fratrum noſtrorum ſtatuimus, & ſuæ prudentiæ noſtras ibidem vices committimus exſequendas. Ita videlicet quòd in vicem noſtram & corrigenda corrigere, & quæ ſtatuenda fuerint

* al. ad noſtram tamẽ ſpectant officium.

A auctore Domino ſalubriter debeat ſtabilire. Quocirca vniuerſitati veſtræ per
Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus eidem tanquam Apoſtolicæ
Sedis Legato humiliter in omnibus obediatis, & ad eius vocationem ſine contra-
dictione aliqua venientes, ſibi in his quæ ad noſtrum ſpectant officium pleniùs re-
ſpondeatis. Ea quoque, quæ ad honorem Dei & fidelium ſuorum ſalutem ſta-
tuerit, ſuſcipientes firmiter & ſeruantes, digna ipſum reuerentia, & aſſiduis ſem-
per ſtudeatis honoribus præuenire. vt per prouidentiam & curam ipſius, & obe-
dientiam ac humilitatem ipſam, Eccleſiæ vobis commiſſæ tam ſpiritualiter quàm
temporaliter de bono in melius cooperante Domino prouehantur, & vos propter
hoc ad interminabile gaudium poſſitis feliciter peruenire. Datum Laterani
Nonas Martij.

EPISTOLA XXII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilecto filio* SIMONI *Archi-
diacono Pariſienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CVM ſis vir littera-
tus & diſcretus, te nullatenus ignorare credimus, eos grauiter excedere, & Can-
torem ſuum ſibi reddere offenſum, qui pro electione vel intronizatione alicuius
viri Eccleſiaſtici pecuniam exigere vel extorquere præſumunt: cùm id ad ſimonia-
cam prauitatem non ſit dubium pertinere. Ex parte ſiquidem dilectorum filio-
rum noſtrorum Abbatis & Fratrum Eccleſiæ ſancti Victoris Pariſienſis ad nos eſt
B querela perlata, quòd tu ab eis centum ſolidos exigere non vereris, eò quòd præ-
dictum Abbatem contra antiquam & rationabilem conſuetudinem prædictæ Ec-
cleſiæ poſt benedictionem ſuſceptam in ſedem poſuiſti. cùm id tantùm ad Prio-
rem & Subpriorem eiuſdem Eccleſiæ pertinere dicatur. Quia verò intronizatio
Abbatis, vel alicuius Eccleſiaſtici viri, libera & gratuita eſſe debet, ſicut & electio:
diſcretioni tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus pro in-
tronizatione prædicti Abbatis à Fratribus prædictæ Eccleſiæ nihil per te vel alios
exigas, & eis hac occaſione nullam moleſtiam inferas, vel grauamen. ſed ipſos li-
berè orationi vacare permittas. Quòd ſi ſecus agere præſumpſeris, & ab eorum
indebitis grauaminibus non deſtiteris, nos auctore Domino eiſdem in iure ſuo, ſi-
cut non debemus, vlla ratione non deerimus.

Huc vſque XXV. *folia Codicis MS. Quæ ſequuntur in* XXVI. *& aliis, videntur
eſſe alterius manus; licèt non minus antiqua. Interponuntur autem aliquot folia non
ſcripta.*

EPISTOLA XXIII.

AMANTISSIMO *Domino & fratri* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Fran-
C *corum excellentiſſimo,* HENRICVS *Remenſis dictus Archiepiſcopus ſalutem,
& vera dilectionis affectum.* RELATVM eſt nobis, quòd ex quo à vobis
diſceſſimus, interuenerunt quidam qui Dominum Sueſſionenſem Can-
cellarium veſtrum infidelem vobis intimauerunt: à gratiâ veſtra eum recedere fa-
cientes. Quia verò vos & dominum & fratrem & amicum habemus cariſſimum,
honorique & commodo veſtro pro poſſe noſtro prouidere debemus: omnibus
modis Sublimitati veſtræ ſupplicamus, quatenus ſuper his nulli vllatenus acquie-
ſcatis. Siquidem memoratum Cancellarium vobis fideliſſimum & credimus &
ſcimus. Ceterùm, homo veſter eſt, neque quod ſuum eſt ab eo vllatenus euellere
poſſetis, quin in vos culpa redundaret, atque ſuper hoc culpabilis haberemini.
Super hoc negocio ſollicitus ſum. timeo enim, ne ſi ab eo receſſeritis, Dei & po-
puli offenſam incurratis. Rogo, ſupplico, conſulo, ne ab eo vſpiam recedatis: at-
que à fidelibus in infideles manus vos ipſum & veſtra ponatis.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA XXIV.

R. *Dei gratia Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis & Cancellarius, dilecto amico ſuo* HVGONI *illuſtris Regis Francorum Cancellario ſalutem & ſinceram dilectionem.* CIRCA ea quæ nobis dilectus noſter Magiſter Henricus glorioſi Regis Franciæ nuncius, & Clericus tuus, nobis ex tua parte propoſuit, libenti animo operam dedimus: & quantum ſalua honeſtate licuit effecimus, vt opere complerentur. Nos enim perſonam tuam, ſicut dilecti & ſpecialis amici noſtri, ſincera caritate in Domino diligentes, ad ea quæ ad honorem & commodum tuum pertinere debeant libenter intendimus, & quantum cum Deo poſſumus laboramus. Ad hæc, prædictum Hen. amicum noſtrum, litteratum Clericum & honeſtum, quem circa negocia tua fidelem eſſe cognoſcimus ac deuotum, caritati tuæ attentiùs commendantes, rogamus plurimùm, vt eum tum pro ſua probitate, tum amore & interuentu noſtro, magis ac magis diligas, & eidem in oportunitatibus ſuis ita prouideas, quòd nos exindè gratiarum tibi debeamus exſoluere actiones: & ipſe de deuoto deuotior tibi omni tempore valeat permanere.

EPISTOLA XXV.

B

VENERABILI *Fratri & amico cariſſimo* HVGONI *Dei gratiâ Sueſſionenſi Epiſcopo, & Cancellario,* HENRICVS *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis ſalutem, & intimæ dilectionis affectum.* QVANTVM in veſtra amicitiâ confidamus, dilectionem veſtram ignorare non credimus. Ideirco fraternitatem veſtram rogamus attentiùs, vt ea quæ Britius*, & Decanus, Clerici, & fideles noſtri & amici veſtri vobis dixerunt, ſic amore noſtro effectui mancipare curetis, vt nos promptiorem & paratiorem ad negocia veſtra ſecundum voluntatem veſtram omni tempore habeatis.

* *fort. leg.* Britius Decanus & Clerici.

EPISTOLA XXVI.

HENRICVS *Remenſis dictus Archiepiſcopus cariſſimo ſuo H. venerabili Sancti Victoris Abbati, ſalutem & dilectionem in Domino.* RELATVM eſt nobis, quòd quidam interuenientes poſt receſſum noſtrum à Pariſius, Dominum Sueſſionenſem cariſſimum noſtrum à gratiâ Domini Regis recedere fecerunt. Scripſimus Domino Regi ſuper hoc negocio, ſupplicantes, conſulentes, quatenus ſuper hoc nulli acquieſcat. Veſtræ quoque dilectioni ſcribimus, vt Litteras, quas illi deſtinamus, ipſi ex parte noſtra dirigatis: & earum fidus ſitis interpres. Ceterùm, ſi in gratiam Domini Regis rediit Dominus Sueſſionenſis, ſigillúmque ſuum ei reddidit, Litteras noſtras ei non præſentes. C

EPISTOLA XXVII.

ILLVSTRISSIMO *& glorioſo Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum iuſtitiæ aſſertori, & orthodoxæ fidei defenſori magnifico,* IACOBVS *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis ſalutem, & felices ad vota ſucceſſus.* DIVINI muneris eſt, quotiens regia poteſtas, ſepoſitis ſecularis prouentus vtilitatibus, iuſtitiæ tramitem, aggreditur, & nullo errore deuiat: ſed ad id quod ſummum eſt æquitate & iuſtitiâ ſemper intendit. A primordio etenim vnctionis veſtræ in Regem, & Dauiticam humilitatem, & Salomonis ſapientiam, & Iob tolerantiam, veſtra conſecuta eſt genuina nobilitas: & quem extollere regius debuit honor, manſuetum & mitem cæleſtis gratia fecit. Vnde mater veſtra gaudet Eccleſia. Vnde nos, qui totum quod poſſumus, quod ſcimus, quod habemus, ſub veſtro dominio & voluntate ponimus, plurimùm inter ceteros mortales gratulamur: & quantò vos affectuoſiùs diligimus, tantò veſtra nos proſpera dilatant, & infortunia arctiùs anguſtant. Perlectis ſanè Maieſtatis veſtræ Litteris, licèt de ſoſpitate veſtra certificati gaudeamus, de perturbatione tamen pacis inter vos & Regem Anglicum nuper exorta, non parùm dolemus. præſertim cùm Cardina-

A lium incuriâ & aſſenſû, ſicut ex veſtrarum Litterarum tenore perpendimus, quodammodò eueniſſe veſter intelligat prouidus ſenſus. & dum procliui fuerunt ad poſtulata, offenſam veſtram incurrere non prouiderunt incauti. Ex quo igitur Dominus Apoſtolicus, ſicut veſter ſpiritualis Pater, ex intimo cordis triſtatur affectu; & tota Curia de damno & iniuria vobis illata dolet atque compatitur. cùm inter omnes Principes, quos hodie Romana Eccleſia habet deuotos, vos præcipua caritate diligat, & ampliùs ſemper honorare intendat. Verùm in inſtanti tempore quantis prematur anguſtiis, quantis quaſſetur procellis, quàm multa patiatur Eccleſiæ pace corrigenda, non eſt huius veſtræ Excellentiæ exponere. qui nobis compatientes, prout regiam veſtram decuit dignitatem, pro exaltatione & confirmatione Domini Papæ & laborem ſuſcipere, & ſtudium adhibere nullomodo poſtpoſuiſtis. Rogamus itaque & exhortamur, quatenus Litteras Apoſtolicas benignè ſuſcipientes, iuxta continentiam earum monitus, & conſilium filialiter obſeruetis. Nam licèt hoc tempore ad plenum, prout poſtulatis, imminente ſciſmatis articulo, vos exaudire non valeat; deſiderij ſui tamen eſt, oportunitate accepta, veſtræ præ ceteris Orbis terrarum Principibus ſatisfacere voluntati. Et nos nunc & ſemper pro veſtra veſtrique Regni exaltatione & commodo promptos atque deuotos ad hoc, & omnia quæ expedierint, regia petimus opinetur Maieſtas. Præterea, dilectum amicum noſtrum Guidonem, quem pro honore & exal-
B tatione veſtra ſtudioſum & ſollicitum eſſe cognouimus, Excellentiæ veſtræ attentiùs commendamus.

EPISTOLA XXVIII.

VENERABILI *Fratri & amico cariſſimo* HVGONI *Dei gratiâ Sueſſionenſi Epiſcopo*, IACOBVS *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis cum dilectione ſalutem.* LATOR præſentium O. de patrocinio noſtro valde confidens, magna precum inſtantiâ, quia ſentiebat ſe non modicum eſſe grauatum, de hoc quòd medicina in eo modum excedit; tum quia beneficio fuerat priuatus Eccleſiaſtico, tum quia fuerat paterna expoliatus hereditate, nobis plurimùm ſupplicauit, vt pro eo veſtræ ſcriberemus fraternitati. Proindè prudentiam veſtram attentiùs deprecamur, quatenus inter venerabilem Fratrem Pariſienſem Epiſcopum & ipſum ſi poteſtis componere componatis. Sin autem, eum in ſua iuſtitia manu tenere curetis, ita quòd in hoc vobis commiſſo negocio ſe grauari non ſentiat.

EPISTOLA XXIX.

LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Francorum Regi*, ALEXIVS *non ſuffragantibus meritis tit. ſancti Laurentij in Lucina Presbyter Cardinalis, ſic diſponere temporale Regnum, vt conſequi mereatur æternum.* AD reuerendam gloriam ve-
C ſtram, & obſequium veſtrum ſollicita deuotione complendum, & ſuſcepti debitum Sacerdotij, & regiæ reuerentia dignitatis ſatis mihi cauſæ hactenus exiſtebat. Nunc autem quia & Maieſtatis veſtræ apices acceſſerunt, qui paruitati meæ veſtræ ſalutationis alloquium dependerunt: accenſum eſt deſiderium, ſolidatum propoſitum, & in id omnis intentio noſtra directa, vt agendis veſtris fidelem iugiter dependeam famulatum. Optimam ſiquidem officij mei exequens actionem, ſi ei, quem ceteris Regibus præclaris intueor operibus eminere, ſuper ceteros fidelis ſemper inueniar & deuotus. Quicumque in congregatione pereuntium opum, in alienæ inuaſione iuſtitiæ, in caſura ad breue tempus gloria ſe extollat, ego in animo meo illum iudico præferendum immò & regnare illum ſolum exiſtimo, qui ſe diuinæ voluntati coaptat, & dominium ſuum ad diuinæ ordinat arbitrium bonitatis. Nam aduerſus alium dicit Dominus per Prophetam, Quantum exaltauit ſe, & in deliciis fuit, tantum date illi vincla & carceres. Quocirca paruitatem meam Maieſtati veſtræ ſubſternens, exoro ſuppliciter, vt ſi mediocritatem meam alicui negociorum veſtrorum credideritis oportunam, quod officio meo competit tanquam debitum requiratis. Dupliciter equidem volo vobis eſſe deuotus; ſicut vos dignitatem regiam video dupliciter ab aliis honorare. Si enim Dauid quantumlibet inimicum Saül, & à Domino reprobatum, reuereri non de-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. ſiit, quantùm ego ad remum Eccleſiæ de humili loco ſuſceptus, & ab extremis terræ nubes eductus, tam Catholico Regi, quem Dominus inuenit ſecundum cor ſuum, debeam eſſe fidelis: & ex atteſtatione Scripturæ, & ex meæ intelligo iudicio rationis. Et vtinam ſicut datum eſt mihi cognoſcere, ita diuinitus detur iugiter adimplere. A

EPISTOLA XXX.

LVDOVICO *inclito & venerabili Regi Francorum præcordiali amico*, IACOBVS *Dei gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis ſalutem, & intimæ dilectionis perſeuerantiam.* DVM ſummæ probitatis, ſummæque dilectionis, vos erga amicos certiſſima ratione eſſe cognoſcimus, dilectionem veſtram animoſè cupimus retinere, eámque apud nos cariſſimam iugiter habere. Inde eſt etenim, vt, quia de prudentia & dilectione veſtra valde confidimus, negotia quæ veſtra & amicorum veſtrorum ſunt, tanquam propria indeſinenter habere volumus: quæ verò noſtra & noſtrorum ſunt, vobis inſinuare non dubitamus. Proinde dilectionem veſtram modis omnibus obſecramus, quatinus latorem præſentium Elioth, quem diu conuerſantem apud nos & fideliſſimum ſeruientem habuimus, apud Dominum Regem Anglorum in ſua iuſtitia tueamini, & poſſeſſionem aui & amitæ, quæ ſua fore dignoſcitur, precibus veſtris, Litteris, vel nuncio apud eum taliter adiuuetis, vt noſtras preces apud vos ſibi profuiſſe noſcamus. B

EPISTOLA XXXI.

HENRICVS, & VVILLELMVS, & ODO, *Dei gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales, & Apoſtolicæ Sedis Legati, venerabili & dilecto Fratri* HVGONI *Dei gratiâ Rothomagenſi Archiepiſcopo, eiúſque Suffraganeis, ſalutem.* SACROSANCTA Romana Eccleſia deſideria & vota fidelium, & poſtulationes maximè Catholicorum Principum ita nouit benigna pietate ſuſcipere, & eadem conſueuit tam congrua moderatione penſare, vt nihil Euangelicis ſeu Apoſtolicis Regulis contrarium ſtatuat, vel quod illis obuiet nullius precibus vel ſupplicatione concedat. Sed ſi inſtitutis Eccleſiaſticis vel traditionibus prædicti fideles videantur quandoque poſtulare diuerſa, interuenientibus tamen certis & indubitatis cauſarum ſuffragiis, veluti vt fœdera pacis contrahantur, vel vt contracta conſeruentur, vt ad Chriſti fidem gens vel populus conuertatur: ita eorum petitioni ab Eccleſia præbetur aſſenſus, vt & ſalua ſit regula fidei Chriſtianæ, & tamen intermiſſis quandoque Eccleſiaſticis traditionibus, paci & tranquillitati conſulatur Eccleſiæ. Verùm quia de contrahendis ſponſalibus inter filium HENRICI sereniſſimi Regis Anglorum, & filiam LVDOVICI glorioſiſſimi Regis Francorum, quibus ad hæc peragenda plenitudo videbatur deeſſe ætatis, pro bono pacis & concordiæ fuerat pertractatum, & ſicut veridicorum relatione percepimus, de conſenſu amborum Regum, vt eadem ſponſalia fierent, ſi Eccleſiæ poſſent habere conſenſum, fuerat ſtabilitum: Poſtulauit à nobis prædictus Rex Anglorum, vt in eiſdem ſponſalibus contrahendis, ex parte domini Papæ & Romanæ Eccleſiæ, cuius legatione fungimur, noſtrum præberemus aſſenſum. Nos ergo pro bono pacis & concordiæ, pro quiete & tranquillitate amborum Regum, & vtriuſque Regni, pro ſtatu quoque Eccleſiarum Dei, quæ in eiſdem Regnis ſub eiſdem Regibus præcipuè pollere videntur, permittimus, & concedimus, ſecundum quod à parentibus & eiſdem Regibus condictum eſt, ipſos puerum videlicet & puellam ad inuicem deſponſari, & ſolemnitates, quæ in contrahendis coniugiis requirentur, ſi poſtulatum fuerit, à vobis concedimus exhiberi. C

EPISTOLA XXXII.

EXCELLENTISSIMO *Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico & pacifico Francorum Regi*, PETRVS *Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & veræ humilitatis obſequium.* QVOD de ore veſtro audiuimus, & certis didicimus experimentis, quod etiam nulli ferè de Regno eſt incognitum, & ſonat in ore vulgi: hoc maiorem facit nobis fidem, quia perſona veſtra perſonam noſtram ad-

A modum dilexerit, quam & plurimum extulit, & multis modis honorauit. Nuper etiam veſtra liberalitas ad dominum Papam & ad Curiam Romanam pro nobis ſcripta propria cum proprio nuncio deſtinauit, & preces multum affectuoſas effudit. Vnde vobis obnoxij eſſe debemus, & debitas gratiarum actiones exſoluere tenemur. Prudentia quoque veſtra non debet ignorare, quia & nos vice mutua vero ac puro amore vos diliximus. honorem veſtrum, & Regni, & Coronæ, quibuſcumque potuimus modis optauimus & quæſiuimus, & nomen regium ſtuduimus exaltare. Semper autem vos diligentes dileximus, & conſortium fugimus odientium, & omninò recuſauimus eorum familiaritatem. nec in aliquo vnquam credimus nos Regiam offendiſſe Majeſtatem, quam ſemper curauimus nobis retinere propitiam. & hoc ſtudium noſtrum fuit, & eſt, & erit dum vita comes fuerit. Cùm itaque ſic ad inuicem fuerimus coniuncti, nos vobis ſicut Domino cariſſimo, & vos nobis ſicut humili & deuoto amico: non poſſumus non mirari ſuper his, quæ fama volante, & vtinam mendaci audiuimus. quòd videlicet ad ſuggeſtionem vnius qualiſcumque hominis Cadurci, veſter amicus tam pius, tam rectus, tam prudens, tam conſtans, aduerſum nos tam fideles vobis & tam deuotos potuit exacerbari, vel aliquantulum commoueri. præſertim cùm neque per vos, neque per aliquem veſtrum ſuper hoc nos conueneritis, nec aliquam prætenderitis rationem iſtius commotionis. Nam adeò ſinceriter & tenerrimè vos diligebamus & diligi-

B mus, quòd amorem veſtrum, de quo pariter confidebamus, per aliquem mortalium non credebamus poſſe à nobis ſeparari. Porrò, quod de domino V V. ſororio veſtro fecimus, firmiſſimè teneatis nos feciſſe pro honore & pro amore veſtro & veſtrorum nobis conſeruando. Cadureus enim ita vehementer nos dum grauiter infirmaremur angebat, quòd nec pro amore Dei, nec pro reuerentia noſtri Ordinis, nec pro commonitione ac precibus Ebonis de Carentonio, & Abbatis ſancti Ambroſij, qui ſuper hoc vobiſcum locuti fuerant, voluit nobis inducias dare: donec conualeſceremus de infirmitate noſtra, & vobiſcum loqueremur. quod proculdubio deſiderabamus, & adhuc deſideramus. Sed quia idem Cadureus & ſui iactitant, quòd nonniſi per eum remitretis indignationem veſtram, nec etiam bonum acceſſum poſſumus ad vos habere, niſi per ipſum: timemus ad veſtram accedere præſentiam, ne fortè non hilarem, ſed grauem inueniamus faciem veſtram. Quod quidem ſi, quod abſit, contingeret, non vobis honor, ſed magnum nobis dedecus eſſet. Heu! quantus pudor eſt, quàm inæſtimabilis, ſi pro tali homine quis incurrat regiam indignationem, vel tanti Domini gratiam adipiſci mereatur? Pro tali homine placuit vobis efficere apud dominum Papam, vt grauamen illud nobis priùs inferret, quod nulli Epiſcoporum de Regno veſtro audiuimus vſque modo per vos fuiſſe illatum. Qui plus dileximus, plus grauaminis & ruboris per inquietum ſpiritum Cadurei ſuſtinuimus. Meminiſſe poteſt diſcretio veſtra, quòd cùm illum amore veſtro Canonicum feciſſemus in Eccleſia Bituricenſi, diximus

C vobis quia alios duodecim magis quàm ipſum ſolum ibi vellemus poſuiſſe. Res ipſa nunc declarat, ſi ſine ratione hoc dixerimus. Recordari quoque poteſtis, nos hoc anno vobis intimaſſe, quia Cadurcus iactitauerat ſe, quòd vel honorem in Eccleſia Bituricenſi erat in proximo habiturus, vel dilectionem veſtram nobis ablaturus. Quòd hoc dixerit, quòd hoc intenderit, per ipſum opus liquido innoteſcit. Rogamus ergo benignitatem veſtræ manſuetudinis, & pium cor veſtrum exhortamur in virtute Regis regum, & Domini dominantium: vt non inclines animum regium ad blanditias adulantium, & ad perſuaſiones perſequentium nos. nec ducat regia benignitas Sacerdotium noſtrum turbare cuius, potius eſt animos ſedare inquietos. Sed quod tam aſperè & ex inſperato factum eſt contra nos, & Eccleſiam Bituricenſem, quam ſemper pro poſſe noſtro ſtuduimus & ſtudemus augmentare & exaltare, reuocare ſi placet non dedignemini. Immò vindicandum grauiter eſſet in eum, qui tam fidelem & tam deuotum vobis auferre conatur amicum. Indubitanter quippe noſcatis, quòd obſequiis veſtris, & beneplacito veſtro prompti ſumus & parati cum omni deuotione, & erimus ſemper Domino auctore. Conſeruet vos Deus ſanum & propitium nobis, & conterat inimicos veſtros ſub pedibus veſtris.

LVDOVICVS VII IVNIOR.

Lvdovicvs VII. Ivnior.

EPISTOLA XXXIII. A

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi magnifico*, P. *eadem gratiâ Narbonenſis Archiepiſcopus ſibi per omnia deuotus perpetuæ pacis triumphum.* De Celſitudinis veſtræ notitia ac familiaritate quondam nobis à Deo conceſſa plurimum confidentes ſperamus, vt modò, quia opus eſt, Maieſtatis veſtræ protectio nobis officioſè ſubueniat. Obtineat ergo protectionis locum apud nobilitatem veſtram noſtræ deuotionis affectus, & quem olim reſpicere dignatus eſtis, modò protegere, defendere, manutenere, & in noſtris iuſtis petitionibus exaudire dignemini. Multas equidem, Domine mi Rex, patimur calamitates, & eas breui non poſſumus explicare ſermone. Inter quas vnum eſt quòd ampliùs mouet nos, quia fides Catholica in noſtra diœceſi læditur in immenſum, & beati Petri nauicula tantis hæreticorum oppreſſionibus tunditur, quòd ferè ad demerſionem periclitatur. Arripiat igitur ſtrenuitatis veſtræ dextera ſcutum fidei, & arma iuſtitiæ, & exurgat in adiutorium Domini: vt per veſtræ correctionis cenſuram ab Eccleſia noſtra omnis hæretica prauitas arceatur. Eſt & aliud, quod nihilominus mentem noſtram ſollicitat, quoniam, ſicut à ſapientibus illius Terræ didicimus, Dux Normanniæ ſua callida & ſubdola ſimulatione, & argumentoſa circa vos & Curiam veſtram circumlocutione, non oportet ſcribere nimia, vt dicitur, in veſtros argenti effuſione, fines Regni veſtri ſub occaſione Toloſæ inuadere nititur: ſperans ſibi per caudam ſimul & caput corrumpere. Ad hoc ſimiliter veſtram excitamus ſtrenuitatem, vt etiam in his veſtræ non obdormiat magnanimitatis audacia. His enim omnibus vno ad partes noſtras acceſſu prouidere poteritis, & pacem Eccleſiæ reddere, & indemnitati Regni veſtri conſulere. Nos autem ad omne bonum veſtrum, & Coronæ veſtræ ſublimationem, atque totius denique Curiæ veſtræ honorem paratos pro poſſe ſemper inuenietis. Non eſt certè ſub cœlo, quod mens noſtra tantum deſideret, quàm veſtris parere mandatis, & vobis & Curiæ veſtræ ſeruire in tempore opportuno. Cetera dicet vobis ex parte noſtra dilectus noſter Magiſter Radulphus Legatus veſter, qui multum eleganter in partibus noſtris apud omnes, de quibus nouerit expedire, nuncium veſtrum peragit. Ipſum tanquam nos audietis. Valeat, ſicut nos deſideramus, & Eccleſiæ Dei opus eſt, Regni veſtri Corona. B

EPISTOLA XXXIV.

REVERENTISSIMO *Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi illuſtriſſimo*, ERMINGARDIS *Narbonenſium Vicecomitiſſa, eius fidelis & humilis femina ſalutem, & Karoli Regis magnanimitatem.* QVIA veſtræ, ſereniſſime Domine, placuit Celſitudini, vt ad me ancillam ſuam viſitandam Legatum ſuum Magiſtrum R. & proprias Litteras delegaret, pergratum habeo, & indè grates innumeras veſtræ refero Maieſtati. De hoc verò quòd mihi mandaſtis, vt inimicorum veſtrorum conſortia fugerem, & in dilectione veſtra ſicut inceperam perſeuerarem: nobilitatem veſtram indubitanter tenere volo, quoniam cum Coronæ veſtræ hoſtibus nec fœdus inij, nec familiaritatem habitura fui. In voto gerens, vt vos ſincero affectu diligam, & me ac mea præceptis veſtris atque obſequiis pro loco & tempore exhibere ſtudeam. Toloſæ autem negocium protegere & deſidero, & cùm neceſſarium fuerit veſtris precibus non deſiſtam. Sed ſi protectionis veſtræ dextera arma & ſcutum apprehenderit, & exurget in adiutorium Toloſæ, conſtantiùs & libentiùs ſequar veſtigia armorum veſtrorum. Doleo ſiquidem non ſolùm ego, ſed & omnes compatriotæ noſtri ineffabili tabeſcunt mœſticia, quia partes noſtras, quibus Francorum Regum ſtrenuitas inſignia contulit libertatis, defectu veſtro, ne dicam culpâ, ſub alterius dominio, ad quod minimè ſpectant, deuenire videmus. Non veſtræ ſit moleſtum Altitudini, cariſſime Domine, quia ita audacter vobiſcum loqui præſumo, quia quantò Coronæ veſtræ femina ſum ſpecialior, tantò moleſtiùs fero, cùm eam à ſtatus ſui culmine video inclinari. Non enim ad ſolam Toloſam, ſed ad omnes partes noſtras à Garona vſque Rodanum, ſicut aduerſariorum veſtrorum eſt iactantia, obtinendas, ſentio feſti- C

A nari: vt membris ſub ſeruitute redactis, caput ipſum faciliùs queat labefactari. Aſſumat ergo virtutem ſtrenuitas veſtra, & in brachio forti partes noſtras ingrediatur: vt & hoſtium veſtrorum reprimatur audacia, & amicorum ſpes digna habeat ſolatia. Sicque fiet, vt tam partium noſtrarum Prælati quàm Principes, qui omnes ſi audeant vobis cupiunt famulari, cum veſtra præſentia & ſine ea Toloſam tueantur, & in ſtatum ſolitum ſtudeant reformare. Rogo itaque, & pro eodem ſupplicant cæteri, vt ad expenſarum grauamen non reſpiciatis, quia pro vna marcha centum recuperabitis, & inſuper nomen veſtrum, quod apud nos obſcuratum eſt, apud omnes exaltabitis. Si qua de his quæ dicenda ſunt prætermittimus, ea Magiſtri R. qui eſſe noſtrum & noſtrarum partium nouit, relatione addiſcetis. Valete, valeant qui vos amant. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA XXXV.

AMANTISSIMO *Domino & Patri A. Dei gratiâ ſummo Pontifici*, GVILLELMVS *eadem gratiâ Senonenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, deuotam obedientiam.* QVIA de paternitatis veſtræ ſerenitate, & Sanctitatis veſtræ copioſa vbertate, plus veſtra gratiâ quàm noſtris meritis præſumimus: idcirco quos tenerrimè diligimus, & vobis fideliſſimos extitiſſe cognoſcimus, Apoſtolatui veſtro commendare nullatenus reformidamus. tantò ampliùs nos exaudiendos fore autumantes, quantò precum inſtantia honeſtiori refulget affectu.
B Hinc eſt, quòd venerabilem Fratrem noſtrum Sueſſionenſem Epiſcopum, & illuſtris Regis Francorum Cancellarium, virum diſcretum, honeſtum, litteratum, & in negociis veſtris conſtantiſſimum, benignitati veſtræ commendamus ſicut noſmetipſos. Rogantes attentiùs, vt in omnibus, in quibus ipſum audire & ſupportare poteritis, benignè ſi placet faciatis: vt ipſe de fideli fidelior decetero exiſtat, & qui audierint, ardentiùs ad clementiæ veſtræ ſinum refugiant. Quod enim ipſi factum fuerit, tanquam nobis ipſis feceritis reputabimus. Valeat paternitas veſtra.

EPISTOLA XXXVI.

HENRICVS *Remenſis dictus Archiepiſcopus, venerabili Fratri* HVGONI *Dei gratiâ Sueßionenſi Epiſcopo ſalutem & dilectionem in Domino.* SCRIPSIMVS Domino Regi ſuper negocio veſtro, rogantes & omnimodò conſulentes, quatenus gratiam ſuam nullatenus à vobis ſubtrahat, nulliſque ſuper hoc acquieſcat. Videatis ergò ne moueamini, vel aduerſis aliquibus turbemini. Parati ſumus ad honorem & commodum veſtrum vigilanter eniti. Mittimus Abbati Sancti Victoris, vt noſtras Litteras Domino Regi præſentet, quia fidum credimus interpretem fore.

EPISTOLA XXXVII.

C VENERABILI *Patri & Domino* ALEXANDRO *ſummo & vniuerſali Pontifici, P. eadem gratiâ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac domini Regis Francorum, Eccleſiæ beati Aniani Decanus ſeruitium debitum ac deuotum.* QVANTO labore ſudauerim, vt deſtructo errore perſonæ Regni Francorum vos in Patrem & Paſtorem reciperent animarum, nouerunt domini Cardinales, qui corporeis hoc oculis conſpexerunt. Receptus itaque multo labore Cardinalium, quoniam Eccleſiarum Prælati diſſenſionis tempore congaudebant. Spoliabant enim impunè ſubditos, & impotentes ac pauperes nequiter aggrauabant. Cœperunt domini Cardinales paulatim exhortari & commonere Epiſcopos, vt per viam rectitudinis incederent, & Eccleſiæ Romanæ ſtatuta non adeò paſſim conuellerent, aut tam patenter à tramite iuſtitiæ nullatenus deuiarent. Et cùm hoc certè plus iuſto tenuiter agerent, quoniam fortè quod fecerant eos remordebat, occaſio guerræ aduenit, & orta eſt guerra inter Reges, quæ facilè ſedari non poterit, quòd non eſt qui vel de pace faciat mentionem. Epiſcopi guerram deſiderant, quoniam & guerram Romanæ Eccleſiæ in guerra Regum intelligunt augmentari. Turbatus eſt enim dominus Rex, & valdè nimis, & quia nouis adhæſit Principibus, atque iuueni-

LVDOVICI VII. IVNIOR. bus, timendum valde eſt, ne ipſius animitas immutetur. Gaudent & exultant Epiſcopi, & alij Eccleſiarum Prælati Franciæ, quòd domini Cardinales gratiam regiam amiſerunt. propter quod manus ad quælibet vilia extendere non formidant. Appellationes prætereunt & contemnunt, & ac ſi non fuerit appellatum, poſt appellationem exterminant vniuerſa. Nimis pepercit Romana Eccleſia Epiſcopis delinquentibus, & ideò vilis & contemptui nunc habetur. Reſumat itaque, Pater, vires ſuas ſancta Romana Eccleſia, & per ſemitas iuſtitiæ incedens, recto diſponat vniuerſa iudicio. Valete. A

EPISTOLA XXXVIII.

REVERENDO *Domino & fratri ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, HENRICVS *Remorum dictus Archiepiſcopus ſalutem & fraternæ dilectionis affectum.* VEHEMENTER ammiramur, & vehementiùs perturbamur in his quæ ſignificata ſunt nobis, Comitem ſcilicet Henricum ſacramenta firmiſſimáſque ſecuritates ex parte veſtra, ſicùt dicitur, Imperatori dediſſe: Quòd illum Octouianum generaliter cum Eccleſia Gallicana in Apoſtolicum deberatis recipere. A quo verò nobis hoc ſit ſignificatum, nec habemus, nec debemus vobis intimare. Litterarum autem ſuper hoc ad nos directarum continentia hæc eſt.

Epiſtola hæc eſt FRIDERICI Imp. infrà Epiſt. 6.

» INTER vniuerſas tumeſcentes tempeſtatum procellas, quibus iam diu nauicula B
» beati Petri quaſſata, & inter preſſuras diuerſas, quibus ſancta Dei Eccleſia frequen-
» ter afflicta & tribulata eſt: tandem verus ille mediator Dei & hominum homo
» Chriſtus IESVS, qui Eccleſiam ſuam velut vnicam ſponſam proprio caractere ſui
» precioſi ſanguinis inſigniuit & redemit, conſolationis gratiam, quam aſcendens
» in cœlum fidelibus ſuis repromiſit, inquiens, *Non relinquam vos orphanos, ecce ego*
» *vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*, euidentibus & mani-
» feſtis declarat indiciis. Ipſe enim ſicut ſtella matutina in medio nebulæ oriens,
» ſolita pietate Eccleſiam ſuam in tribulatione reſpexit, & ſurgens imperauit ventis
» & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Pro illa ſiquidem controuerſia, quæ in-
» ter nos & Regem Francorum pro ſciſmate Romanæ Eccleſiæ iam diu agitabatur,
» aſpirante Spiritus ſancti gratiâ, quæ facit habitare vnanimes in domo Domini,
» mediantibus hinc indè Legatis, tandem pari voluntate & vnanimi conſenſu inter
» nos conuenit. Quod videlicet cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Patribus or-
» thodoxis, ac viris religioſis, Baronibus, & vniuerſis vtriuſque Regni Principibus,
» IV. Kal. Septembris, in die videlicet Decollationis ſancti Iohannis Baptiſtæ, ſu-
» per fluuium Saonam in Epiſcopatu Biſuntino Concilium pariter generale cele-
» braturi ſumus. In quo Rex Francorum dilectus conſanguineus noſter, cum vni-
» uerſis Archiepiſcopis ſuis, Epiſcopis, & cum omnibus Regni ſui Principibus, &
» tota Gallicana Eccleſia, reuerendum Patrem noſtrum dominum Papam, ſicut per
» ſacramenta, & firmiſſimas ſecuritates prærordinatum eſt, in Apoſtolicum, & vni- C
» uerſalem ſanctæ Dei Eccleſiæ Pontificem recipiet, & debitam reuerentiam exhi-
» bebit. Verùm, quia hoc negocium tam arduum, támque ſalubre, & tam neceſſa-
» rium, vbi de reconciliatione ſanctæ Eccleſiæ, & ſalute totius Chriſtianitatis in
» commune agitur: ſine tuæ diſcretionis, ceterorúmque Principum, ac Chriſti fi-
» delium, conſummari præſentia, nec debet, nec poteſt. Exoramus te, & mone-
» mus in ea fide quam debes Imperio, & ſanctæ Dei Eccleſiæ, & animæ tuæ; quati-
» nus omni occaſione ſubmota, cum ſapientibus & magis idoneis & litteratis per-
» ſonis tuæ dioceſis, apud Biſuncium IV. die ante prædictum terminum, familiari-
» ter more Curiæ nobis occurras, ad Concilium nobiſcum proceſſurus. Ibi enim
» per gratiam Dei totum negocium domini Papæ VICT. ad gloriam Dei, & pa-
» cem & vnitatem ſanctæ Eccleſiæ, & omnimodum honorem Imperij honeſto fine
» terminabitur. Sit igitur in hoc tantæ neceſſitatis articulo circumſpecta veſtra diſ-
cretio, ne per filios tenebrarum innocentia veſtra tam animæ quàm corporis mi-
ſerabile patiatur naufragium. Valete.

A

EPISTOLA XXXIX.

VEnerabili *Patri & domino V. Dei gratiâ Piſano Archiepiſcopo, P. eadem gratiâ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Domini Regis Francorum, Eccleſiæ beati Aniani Decanus, obedientiam debitam & deuotam.* Pvtabam Pater, citiùs viuæ vocis alloquio ſanctitati veſtræ ſalutationis exhibere obſequium: ſcilicet videre corporeis oculis deſideratam vultus veſtri præſentiam, & frui veſtræ colloquio Sanctitatis. Prohibuerunt hoc domini Cardinales, nec paſſi ſunt me ad præſens recedere, quoniam vt aſſerunt mea præſentiâ indigebant. Proxima tamen feſtiuitate beati Lucæ ad vos Domino ductore perueniam, & recipietis filium in alienis partibus honore & magno beneficio Eccleſiaſtico, non ſuo merito, ſed diuino munere, ampliatum.

EPISTOLA XL.

VEnerabili *& cariſſimo Fratri Dei gratiâ Sueſſionenſi Epiſcopo, O. eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis ſalutem.* Pro latore præſentium, qui diu ſatis moleſtè tractatus eſt, dilectionem veſtram attentè rogamus, qua-
B tinus amore Dei & intuitu pietatis ipſum in cauſa ſua, quam dominus Papa diſcretioni veſtræ committit, prout cum Deo poteſtis manuteneatis, & benignè pertractetis. Sicut enim nobis videtur, dominus Pariſienſis amicus noſter ſatis moleſtè, & minus rationabiliter tractat eum. qui etiam non deberet eum duplici contritione conterere.

EPISTOLA XLI.

P. *Dei gratiâ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Domini Regis Francorum, Eccleſiæ beati Aniani Decanus, dilectis ſuis I. & T. vxori eius ſalutem.* Novi experientiâ operis, quòd me diligitis, & quòd propter me ſecuriùs Clericis Franciæ de veſtra pecunia creditis. Ego enim & pecuniam requiſiui ſæpiùs, & iam me marcam puri argenti à Priore noueritis recepiſſe. Sed & VVillelmum adeo compuli, quòd in præſentia multorum LX. ſolidos ſe compromiſit reddere, & credo quòd eos reddidit termino conſtituto. Porrò, ſi ſecurum haberem nuncium, vobis omnia citiſſimè deſtinarem. ſed nec vnum inuenire poſſum, qui ſuo velit periculo pecuniam reportare. Veniam tamen ego citò Domino ductore, & veſtra omnia reportabo fideliter.

EPISTOLA XLII.

DOmno *Abbati Sancti Benedicti, Frater B. de Claraualle ſanctam accipere bene-*
C *dictionem.* Oportet vt ex inſtanti feſtinetis ad Dominum Regem, & totam confuſionem noſtram, & quomodo proditi ſumus, ei tanquam benigno Domino noſtro pleniſſimè indicetis. & quia gaudemus ex parte, quòd negocium eius in cauſa nobis fuit huius anxietatis. Pro eo ſiquidem, quòd Domino Senonenſi conſulimus de die ſtatuenda, quod nobis benè antè promiſerat, ita confudit, ſic in nos vindicans Regis amorem. Petite etiam ab eo Litteras efficaciſſimas ſuper hoc negocio, vt dominus Papa omnimodis confirmet quod fecerunt filij obedientes, duo ſcilicet Epiſcopi, quia & ſibi gratiſſimum, & Eccleſiæ neceſſarium eſt. nec noceat, quòd ita tertius ſe ſubtraxit inobediens mandato Apoſtolico, & regalium contemptor monitorum. Qui ſi ad eum venerit, ſentiat veſtram iniuriam, & iniuriam ſingularem Regi non placere. Salutate cariſſimum noſtrum Cancellarium, & rogate vt tales ſuper hoc Litteras ſcribat, quæ & ſuum probent, & regium erga nos redolere inueniantur affectum, ſicut præſumimus de vtroque.

EPISTOLA XLIII.

REverendissimo *in Chriſto Fratri, ſocio & amico* Th. *domini Hoſtienſis Clerico, P. Dei gratiâ, & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ, ac Domini Regis Francorum, Eccleſiæ Aniani Decanus ſalutem.* Scripsi tibi ſæpiùs, & earum Litterarum re-

Ludovicus VII. Iunior.

riem videre iam longo tempore nullatenus metui. Propter quod dolerem amplius, ſi non eadem tibi quæ & mihi difficultas eſſet oppoſita, & occaſio non ſcribendi. Et quidem perditionis ſe filij opponentes, cahos inter nos poſuerunt, quòd ad vos noſtræ Litteræ, nec ad nos veſtræ poſſunt vllatenus pertranſire. Scribimus nos tamen ſæpiùs, vt de mille ſaltim vnam recipias, & habeas pro amicis materiam ſupplicandi. Robertus conſanguineus tuus, & amicus meus, à Capitulo Pariſienſi non poteſt obtinere quod de iure ipſi competit, & quod exigit ratio æquitatis. Diuiſerunt Præbendas, nec eſt ſibi aſſignata, prout fuerat ipſi in Capitulo compromiſſum. Rogat itaque vt impetres Litteras à domino Papa ad Decanum, Cantorem, & Capitulum Pariſ. quatinus ſi Robertus poterit legitimis & idoneis teſtibus probare, quòd integram ei Præbendam in villa aliqua in diuiſione Præbendarum promiſerint aſſignare, prout promiſerunt adimpleant. Petitiones alias meas, quas ad dominum Papam dirigo, vt effectu operis compleantur, per dominum Epiſcopum & per te ipſum efficias. A

EPISTOLA XLIV.

G. *Dei gratiâ Vngariæ, Dalmaciæ, Croaciæ, Ramæque Rex nobiliſſimus,* LVDOVICO *eadem gratia victorioſo Regi Franciæ, amico ſuo dilectiſſimo, indiſſolubile vinculum dilectionis.* CERTVS de amicitia & fraternitate veſtra, mitto ad vos B nuncium meum familiarem & fideliſſimum, Obertum nomine: & maioris quidem dignitatis perſonam miſiſſem, ſed ſecurum iter non patuit. Scitis enim, quoniam Imperator Alemannorum, orto in Eccleſia ſciſmate, proprium Papam ſibi elegit, & contra ſanctorum Patrum inſtituta defendit. Ego verò timens Deum, & non hominem, velut Catholicæ fidei cultor, ALEXANDRVM, quem vniuerſalis Eccleſia, & veſtræ regiæ dignitatis auctoritas confirmauit, & confirmatum recepit, ſicut per nuncios meos mandaſtis, confirmaui, recepi, & ab hoc nullo modo diſſentire propoſui. Si ergo veſtræ diſcretionis prudentia in prædicti Apoſtolici confirmatione & obedientia conſtans & ſtabilis permanere decreuit, per veſtrum magnificum nuncium mihi mandetis. Ego etenim aliquem de maioribus meis tunc vobis mittam, & per eum voluntatis meæ plenitudinem ſignificabo. Notum itaque veſtræ fraternitatis amicitiæ firmiter facio, quatinus ſi prædictus Imperator vobis aut Regno veſtro aliquid mali machinari voluerit, ego Regnum eius in manu forti deuaſtando aggrediar. Hoc idem à vobis tanquam ab amico confidenter expectans. Valete, & verbis præſentium latoris non minus quàm ſcriptis fidem adhibete.

EPISTOLA XLV.

LVDOVICO *ſuperna gratia reſpectu glorioſo Regi Francorum, O. Bobonis domini Papæ* VICT. *Seneſcalcus, ſinceræ dilectionis affectum, & deuoti ſeruicij famulatum.* C REGIÆ Maieſtati veſtræ, illuſtriſſime Rex, immenſas gratiarum actiones refero, quòd meæ humilitatis paruitatem per Stephanum fidelem veſtrum ſuæ ſalutationis gratiâ viſitare dignata eſt veſtræ ſublimitatis Excellentia. Sciat autem veſtra ſublimitas, quòd dominus meus Papa Vict. ſalua domini Imperatoris debita reuerentiâ, nullum penitus Regum vel Principum, qui in toto mundi ſpacio ſunt, in tantùm ſicut veſtram perſonam diligere, & honorare, & exaltare intendit. Quod proculdubio ipſa rerum experientia pleniſſimè cognoſcetis, cùm eius viſione atque collocutione Domino fauente perfruemini. Ego quoque meum qualecumque obſequium & fidele ſeruicium vobis offero, & cùm tempus ſuaſerit, tanta deuotionis inſtantiâ in veſtro ſeruitio, & in veſtra fidelitate me laborare promitto, quòd inter ſpeciales amicos veſtros non immeritò ſemper me debeatis habere.

EPISTOLA XLVI.

DILECTO *Domino & amico venerabili Sueſſionenſi Epiſcopo, & Regni Francorum Cancellario, R. Dei gratiâ ſancta Colonienſis Eccleſiæ Electus, & Italicæ Regni Archicancellarius, ſalutem, & intimæ dilectionis deuotum obſequium.* TOTO mentis veſtræ deſiderio ad Domini veſtri Regis Francorum honorem promouendum

A vos anhelare cognoſcimus. Quia verò nihil eſt, ex quo regalis eius dignitatis gloria magis quàm ex Imperatoriæ Maieſtatis amicitia proficere valeat, diſcretionem veſtram attentiùs rogamus, & omninò dilectioni veſtræ conſulimus, quatenus ad hoc toto annisu, totiſque viribus intendatis, atque cooperemini, vt ad Catholicæ fidei vnitatem Chriſti fidelium reſipiſcere queat vniuerſitas, & in colloquio inter dominum meum ſerenum Auguſtum, atque dominum veſtrum illuſtrem Francorum Regem habendo, ea quæ pacis ſunt & concordiæ feliciter pertractentur. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA XLVII.

FREDERICVS *Dei gratiâ Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, dilecto amico ſuo* HVGONI *venerabili Epiſcopo Sueſſionenſi, & Regis Francorum Cancellario, ſalutem cum intima & ſincera dilectione.* IN veritate audiuimus, quòd ROLLANDVS quondam Cancellarius, qui propter fideles noſtros circa Romam non habet, nec inuenit, vbi caput ſuum reclinet, periculis maris ſeipſum cum ſuis pſeudoſequacibus commiſerit, vt Terram Francigenarum intret, eámque ſciſmaticæ prauitatis errore, vtpotè manifeſtus Dei & Eccleſiæ ac Imperij inimicus, commaculet & ſpoliet: vt etiam quomodocumque corradat viginti mille libras, & amplius, vndè creditoribus ſuis debita perſoluat, quia ſub alieno ære valdè grauiter B ipſe laborat. Rogantes itaque tuam dilectionem intimo & pleno affectu monemus, quatinus prædictum ſciſmaticum, noſtrum & totius Imperij atrocem inimicum, nullo modo recipias, nec recipi ab aliquo permittas: Regique Francorum bona fide conſulas, ne ipſum, vel aliquem de ſuis pſeudo-Cardinalibus vel Nunciis recipiat. Tantum enim ac tale odium inter noſtrum Imperium & ſuum Regnum exinde poſſet oriri, quòd non de facili compeſcere poſſemus, aut ſedare.

Sequentium Epiſtolarum aliquas edidit Marq. Freherus Cõſiliarius Palatinus Tomo I. Rerum Germanic. ſed eas malè Frederico II. Imperatori & Siciliæ Regi tribuit, cùm ſint Frederici I. [illegible]

EPISTOLA XLVIII.

MANVEL *in Chriſto Deo fidelis Imperator, porphyrogenitus, regnator, fortis, excelſus, ſemper Auguſtus, & autocrator Romeân comminos, dilectiſſimo conſanguineo & amico Imperij ſui,* LVDOVICO *nobiliſſimo Regi Francorum ſalutes, & conſanguineæ dilectionis indiſſolubile vinculum.* EX quo iter, quod propter ſeruitium Domini noſtri IESV Chriſti à vobis peractum fuit, noſtræ vnanimitatis & vnionis cauſa extitit, extunc dilectionem veſtram indeletam in animo noſtro conſeruatam eſſe non hæſitatis. Quamobrem ſolliciti ſumus addiſcere de nobilitatis veſtræ proſperitatibus. Quoniam autem diuinæ prouidentiæ placuit, tam longinquam atque vetuſtam effectam parentelam noſtram & amicitiam, per aliam propinquiorem conſanguinitatem renouare, & veluti quodammodo repubeſcentem reddere, in eo quòd de nobiliſſima prole veſtra Imperium noſtrum conſor-C tem ducere decreuit, filiam videlicet R. nobiliſſimi Principis Antiocheni, vnius quippe ex honoratiſſimis Imperij noſtri Principibus, quam Imperiali diademate magnificè inſigniuimus: iuſtum eſt deinceps nos & ſcriptis & internunciis inuicem frequentiùs viſitari. Quamobrem Litteras nobilitatis veſtræ ſuſcipientes, in quibus continebatur, quoniam coadunatione Eccleſiarum, ceterarúmque nobilium perſonarum, à vobis tractatum confirmatúmque eſt, quaſi iuſtum Papam ſanctiſſimum ALEXANDRVM ſuſcipiendum eſſe, quem vos vtique quaſi Patrem ſummúmque Pontificem ſuſcepiſtis, & ideò noſtro Imperio ſcripſiſtis, quatenus ei condecentem honorem & amorem, vtpotè tali tantóque viro, exhiberet, hoc noſtrum vobis Imperium reſcribit. Antea quidem addiſcebat Imperium noſtrum de ſtatu ſapientiæ ſobrietatiſque ipſius. nunc verò tale de ſanctitate eiuſdem teſtimonium ſuſcipiens ſcripto tanti viri, qualis vos eſtis, tum præclaræ coronæ inſigniti, tum fide & virtute decorati, & conſanguinitatis propinquitate & amicitiâ Imperio noſtro obligati, credibile & receptibile teſtimonium veſtrum decernimus, & condignam reuerentiam ipſius Sanctitati exhibemus, & orationum eius participes fieri optamus. Si autem vobis placet diligentiùs de veſtræ nobilitatis & de Sanctitatis eius voluntatibus per internuncios veſtros iniunctum habentes de omnibus huiuſcemodi negocio pertinentibus loqui & audire, & operam dare his quæ locuta fuerint & confirmata noſtro Imperio inſinuare: paratam inuenient

LVDOVICVS VII. IVNIOR. tranquillitatem noſtram ad hoc peragendum. Quoniam verò non per Nuncios noſtros apicem iſtum veſtræ nobilitati porreximus, non ob aliud hoc factum fuit, niſi quia nobiliorum hominum immiſſio propter itineris difficultatem in præſenti tempore non facilis: & minorum, veſtræ nobilitati & huiuſcemodi negocij diſpenſationi indigna videbatur. Etenim non multò antè nuncius Imperij noſtri ad veſtram nobilitatem miſſus fuit poſt aliquos, quos præmiſerat. Verùm quia per Siciliam tranſire permiſſum ei non fuit, reuerſus eſt. Quapropter venerabili Archiepiſcopo Beneuentino hunc apicem, & diſpenſationis in eo contentorum ſollicitudinem committere noſtrum Imperium decreuit. quatenus aut per ſeipſum, aut per Nuncios Imperij mei illuc miſſos, ſi tamen adhuc in partibus illis habentur, aut aliter, ipſum veſtræ nobilitati oſtendat. Reſcribere autem, & renunciando mittere noſtro Imperio ea quæ veſtræ ſublimitati placent, ſi volueritis, non pigritemini. A

EPISTOLA XLIX.

ILLVSTRI *viro* LVDOVICO *Dei gratia Regi Francorum deuotiſſimo Domino ſuo, atque diligentiſſimo, R. eiuſdem permiſſione Princeps Antiochenus licèt indignus ſalutem & dilectionem.* OPPRESSIONES & paupertates huius Terræ, excellentiſſime Domine, frequenter audiſtis, & ni Deus auertat frequentiùs auditurus eſtis. Qua paupertate & anxietate ſuſtineatur, vobis linguâ nec manu dicere vel ſcribere poſſumus, quamuis benigna Dei clementia temporibus noſtris ampliata ſit. Aures quidem omnium Chriſtianorum cotidie apertæ ſunt & erectæ, per vos liberationem expectantes, & interrogantes, ſicut Iohannes in vinculis poſitus redemptionem IESV Chriſti per Nuncios ab eo interrogabat. Scientes verò cor veſtrum ad liberationem huius Terræ eſſe ſæpiùs intentum, cotidie ad Deum pro veſtra exaltatione flexis genibus orant. vt ipſe ſicut velle, ſic poſſe vobis præſtare dignetur, in manibus cuius corda Regum ſunt, vt Terra hæc per vos viſitetur, & à manibus impiorum liberetur. Ego autem de veſtris naturalibus hominibus natus & nutritus, ad iuſſum veſtrum adimplendum paratus ſum. Sunt etiam hìc duæ filiæ Principis RAIMVNDI, quæ ad nubiles annos peruenêre, facie & corpore nimis pulcherrimæ. pro quibus clementiam veſtram humiliter imploramus, quatinus eas in terra veſtra ad honorem generis earum nuptiali copula viro dare dignemini. quia in hac Terra, arduitate eiuſdem terræ, & earum conſanguinitate, eas maritare non poſſumus. Præterea veſtram exoro humiliter diſcretionem, quatinus de patrimonio meo, quod mihi & meis iniuſtè & vi, & etiam, ſicut omnibus proculdubio patet, abſtulerunt, vt ius & ratio expoſtulat, ſic deducere dignemini. Eſſe veſtrum, quod audire deſideramus, ſæpiùs nobis dilectio veſtra reſcribere dignetur. Nos autem per miſericordiam Dei ſani & incolumes ſumus. Milo de Nealphis miles & homo veſter vobis apertiſſimè eſſe huius Terræ ore narrauerit. B C

EPISTOLA L.

FREDERICVS *Dei gratiâ Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, dilecto ſuo .... Archiepiſcopo gratiam ſuam, & omne bonum.* INTER vniuerſas tumeſcentes tempeſtatum procellas, quibus iam diu nauicula beati Petri quaſſata, & inter preſſuras diuerſas, quibus ſancta Dei Eccleſia frequenter afflicta & tribulata eſt: tandem verus ille mediator Dei & hominum homo Chriſtus IESVS, qui Eccleſiam ſuam velut vnicam ſponſam proprio caractere ſui precioſi ſanguinis inſigniuit & redemit, conſolationis gratiam, quam aſcendens in cœlum fidelibus ſuis repromiſit, inquiens, *Non relinquam vos orphanos, ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi*, euidentibus & manifeſtis declarat indiciis. Ipſe enim ſicut ſtella matutina in medio nebulæ oriens, ſolita pietate Eccleſiam ſuam in tribulatione reſpexit, & ſurgens imperauit ventis & mari, & facta eſt tranquillitas magna. Pro illa ſiquidem controuerſia, quæ inter nos & Regem Francorum pro ſciſmate Romanæ Eccleſiæ iam diu agitabatur, aſpirante Spiritus ſancti gratiâ, quæ facit habitare vnanimes in domo Domini, mediantibus hinc indè Legatis, tandem pari voluntate & vnanimi conſenſu inter nos conuenit. Quòd nos videlicet cum Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Patribus or-

A thodoxis, ac viris religioſis, Baronibus, & vniuerſis vtriuſque Regni Principibus, IV. Kal. Septembris, in die videlicet Decollationis ſancti Iohannis Baptiſtæ, ſuper fluuium Saonam in Epiſcopatu Biſuntino Concilium pariter generale celebraturi ſumus. In quo Rex Francorum dilectus conſanguineus noſter, cum vniuerſis Archiepiſcopis ſuis, Epiſcopis, & cum omnibus Regni ſui Principibus, & tota Gallicana Eccleſia, reuerendum Patrem noſtrum dominum Papam, ſicut per ſacramenta, & firmiſſimas ſecuritates prærordinatum eſt, in Apoſtolicum, & vniuerſalem ſanctæ Dei Eccleſiæ Pontificem recipiet, & debitam reuerentiam exhibebit. Verùm, quia hoc negocium tam arduum, támque ſalubre, & tam neceſſarium, vbi de reconciliatione ſanctæ Eccleſiæ, & ſalute totius Chriſtianitatis in commune agitur, ſine tuæ diſcretionis, ceterorúmque Principum, ac Chriſti fidelium, conſummari præſentia nec debet, nec poteſt. Exoramus te, & monemus in ea fide quam debes Imperio, & ſanctæ Dei Eccleſiæ, & animæ tuæ; quatinus omni occaſione ſubmota, cum ſapientibus & magis idoneis & litteratis perſonis tuæ dioceſis, apud Biſuncium IV. die ante prædictum terminum, familiariter more Curiæ nobis occurras, ad Concilium nobiſcum proceſſurus. Ibi enim per gratiam Dei totum negocium domini Papæ VICT. ad gloriam Dei, & pacem & vnitatem ſanctæ Eccleſiæ, & omnimodum honorem Imperij honeſto fine terminabitur.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

B

EPISTOLA LI.

FREDERICVS *Dei gratiâ Romanorum Imperator prapotentiſsimus à Deo coronatus, magnus & pacificus, inclitus, victor, ac triumphator ſemper Auguſtus, dilecto conſanguineo ſuo* LVDOVICO *eadem gratiâ Francorum Regi glorioſo ſalutem, & intima dilectionis ſinceritatem.* POSTQVAM diuina clementia, per quam Reges regnant, & legum conditores iuſta decernunt, ad Romani Imperij nos ſublimauit gloriam, & ex pacis abundantia, quam mundus dare non poteſt, feliciter regnandi felicia nobis conceſſit tempora, deſiderio deſiderauimus faciem tuam videre, & familiaritatis tuæ perfrui dulciſſima allocutione. Sed præpedientibus magnis ac multimodis valde dilatati Imperij noſtri negociis, quod pia mente concepimus effectui mancipare non potuimus. Quia vero per Legatos tuos, & per Epiſtolam tuam, hoc ipſum æquè te optare cognouimus, & credimus, non modicè gaudemus. ſperantes in eo qui dat ſalutem Regibus, quòd ex noſtra ſalutifera collocutione, vniuerſo Orbi pacis & tranquillitatis non modicum, & Eccleſiis Dei, emergendi, reſpirandi, multiplicandi præbeatur incrementum. Sed quòd voluntatis bonæ benignum deſiderium hincindè nondum compleri potuit, nec tuæ tarditati, nec noſtræ videtur imputandum receſſioni. Nunc autem, quia in procinctu Italicæ expeditionis iam ſumus, & Principes Imperij noſtri ad eandem vnanimiter intendunt, quo in loco, quo tempore conuenire & colloqui poſſimus, incer-
C tum habemus. niſi fortè ſi completa expeditione vita comes fuerit, ſuper hoc cum Principibus noſtris diligentiſſimè ordinabimus. Volumus etiam, vt quod tu de nobis, nos de te ſperare ſemper poſſimus. Vera enim amicitia nunquam fallit.

EPISTOLA LII.

FREDERICVS *Dei gratiâ Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, dilecto conſanguineo ſuo* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem, & ſinceræ dilectionis affectum.* LITTERAS & Legatum nobilitatis tuæ qua debuimus alacritate ſuſcepimus, benignè Imperiales aures accommodantes his quæ à ſinceritate tua nobis nunciata ſunt. Placet igitur ſublimitati noſtræ, vt inter nos tanquam conſanguineos, & inter cognata Regna noſtra, deterſo totius rancoris nebulo, ſinceræ dilectionis ſplendor refulgeat, & fœdus amicitiæ, quod facit vtraque vnum, indiſſolubilem ſemper conſeruet amorem. Sanè quæcumque neceſſaria ſunt ad conſeruandam inter nos mutuæ dilectionis integritatem, cum dilecto conſanguineo noſtro fidele tuo HENRICO Comite Trecatum amicè & plenariè ordinauimus. & ſicut condictum eſt, inuiolabiliter obſeruare curabimus. Datum Papiæ poſt destructionem Mediolani II. Kal. Iunij.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA LIII.

FREDERICVS *Dei gratiâ Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, dilecto ſuo E. venerabili Lugdunenſi Archiepiſcopo, & Primati Galliarum, gratiam ſuam, & omne bonum.* IMPERIALIS noſtræ ſollicitudinis propoſitum, quòd Lugdunenſem Eccleſiam & ciuitatem à diutinis laboribus ſuis exuere, & in antiquæ dignitatis ſuæ ſtatum reformare decreuimus, pro tua fideli erga nos deuotione in pectore noſtro inceſſanter vigilat; quoad vſque Deo opitulante debitum ſortiatur effectum. Vnde propicia diuinitas, quæ piis omnium conſiliis intereſſe, & ea promouere conſueuit, congruam nobis hoc tempore oportunitatem obtulit: vt partes Burgundiæ, imò ipſam ciuitatem Lugdun. in propria Maieſtatis noſtræ perſona quantociùs adeamus, ac ruinas eius in ſtatus ſui decorem cooperante Domino erigamus. Comes ſiquidem HENRICVS Trecenſis cùm ad Curiam noſtram in Legationem Domini ſui Regis Francorum veniſſet, & reuerendum Patrem noſtrum Papam VICTOREM humili veneratione honoraſſet, ſtudioſè à nobis poſtulauit, quatenus ad colloquium inter nos & eum Regem habendum accederemus. tantúmque huic verbo inſtitit, quoad vſque vniuerſorum noſtrorum Principum conſilio colloquium indiximus IV. Kal. Septembris ad Pontem Laonæ inter Diuionem & Dolum, cum Archiepiſcopis, Abbatibus, aliiſque Cleri noſtri Prioribus illò venturi. Quia ergo tua diligens prudentia in eodem colloquio nobis plurimùm neceſſaria eſt, venerabilitati tuæ ſtudioſè mandando iniungimus, quatenus ad idem colloquium omnes ſuffraganeos tuos euoces, & cum vniuerſis Prioribus, Abbatibus, & Cleri celebritate, omni remota occaſione venias. quia nos ibidem diuina gratia promouente, ſuper Eccleſiæ Dei reſtituenda vnitate, & ſuper domini Papæ VICTORIS confirmatione, finem imponemus. Interea verò conſilium non fuit, vt militiam, prout dictum erat, tranſmitteremus: quia quæcumque ſunt in bellicis rebus agenda, ſeu diſponenda, per præſentiam noſtram conuenientiùs adimplere curabimus. Dominus quidem Papa nobiſcum aderit, & oportebit propter defectum domorum in tentoriis habitare. B

EPISTOLA LIV.

FREDERICVS *Dei gratiâ Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, fideli ſuo* MATHEO *Duci Lotharingiæ, gratiam ſuam & omne bonum.* QVONIAM in ſciſmate, quod eſt in Romana Eccleſia, vniuerſus Orbis in ſeipſum diuiſus eſt, & tota Chriſtianitas non modica turbatione concutitur, nos tota animi compaſſione ſanctæ Dei Eccleſiæ doloribus condolemus, totius conſilij & auxilij propenſiorem curam & ſollicitudinem adhibere cupientes: vt totius diſſenſionis diſcrimine ſublato, Eccleſia Dei ſicut in vnitate fidei, ita ſub vnius Paſtoris regimine in vnum ouile congregetur. Indè eſt, quòd ex conſilio Principum cum dilecto conſanguineo noſtro LVDOVICO illuſtri Rege Francorum IV. Kal. Septembris, in die videlicet Decollationis ſancti Iohannis Baptiſtæ, ſuper fluuium Saonam Concilium celebrare ſtatuimus. in quo, aſpirante Spiritu ſancto, qui facit vnanimes habitare in Domo Domini, ſperamus vt Eccleſiaſticæ pacis & vnitatis ſtatus reformetur, & dominus Papa VICTOR Apoſtolicæ Sedis gubernacula debeat obtinere. Verùm, quia hoc negocium tam arduum, támque ſalubre, & tam neceſſarium, vbi de reconciliatione ſanctæ Eccleſiæ, & ſalute totius Chriſtianitatis in commune agitur, ſine tuæ diſcretionis præſentia conſummari nec debet, nec poteſt; exorantes commonemus te in ea fide quam debes Imperio, & ſanctæ Dei Eccleſiæ, & animæ tuæ, quatinus omni occaſione ſummota apud Biſuncium I V. die ante prædictum terminum familiariter more Curiæ nobis occurras, ad Concilium nobiſcum proceſſurus. C

EPISTOLA LV.

VICTOR *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Regi Francorum ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DE nobilitatis

A ac prudentiæ tuæ ſinceritate & dilectione plenam obtinentes fiduciam, dilectos LVDOVICVS VII. IVNIOR.
filios noſtros præſentium latores, T. noſtrum Capellanum virum honeſtum, religioſum atque diſcretum, & Stephanum nobis tibique fideliſſimum, ad Regiam Maieſtatem tuam tranſmittimus. attentè monentes ac rogantes, quatinus pro beati Petri reuerentia, ac noſtræ dilectionis intuitu, eos benignè recipias: & quæ tibi ex noſtra parte dixerint, tanquam ab ore noſtro prolata firmiter & indubitanter credas. & quàm citiſſimè ſuper his quæ tibi dixerint, per eoſdem, & proprios nuncios tuos certum nobis reſponſum mittere non differas. Datum Parmæ, VIII. Kal. Iulij.

EPISTOLA LVI.

VICTOR *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *Francorum illuſtriſſimo Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DEVS omnipotens, qui eſt Rex regum, & Dominus dominantium, ideò Regna & Principatus hominibus concedit, vt cùm ſancta Eccleſia ſponſa ſua, quæ hic peregrinatur in terris, aliquam iniuriam patitur aut neceſſitatem, ipſi per poteſtatem ſibi collatam eam iuuare debeant: vt repulſa iniuriâ Deo ſuo vacare valeat, & ſecura libertate ſeruire. Hoc autem tantò plenius quiſque tenetur agere, quantò maioris dignitatis gloria decoratus eſſe dinoſcitur. Qualem te inter Reges, de quo
B ſemper gauiſi ſumus, æternus Deus effecit, cariſſime. Porrò de negocio Eccleſiæ & noſtro multa & ſæpè magnificentiæ tuæ ſcripſiſſe meminimus, ad quæ iuuanda & promouenda brachium inuictæ potentiæ tuæ libenter inuitauimus & obſecrauimus obnixè. Dediſſéſque iam diu, ſicut verè putamus, precibus noſtris effectum, niſi praui homines tuam rectiſſimam animam à ſanctis conſiliis auertiſſent. Sed opus eſt iam nunc, dilectiſſime in Domino fili, vt non omni ſpiritui credas tam de negocio Eccleſiæ & noſtro, quàm etiam tuo & Regni tui. De quibus cùm multa tibi dicere habeamus, noluimus per cartam & atramentum, ſed vt efficaciùs cautiúſque inter nos omnia gerantur. St. tam nobis quàm tibi fideliſſimum iuramento aſtrinximus, ſicque illi cuncta tibi fideliter referenda commiſimus. Ei ergo tanquam ſi nobis ore ad os loquerêris, vniuerſa quæ ſub illo iuramento dixerit adiuratus crede. ſciturus, & in nullo dubitans, quia omnia ſicut dixerit verbo, ita Domino adiuuante opere proſequente complebimus. Quod faciemus & pro antiqua dilectione, quam tibi veram certámque ſemper exhibuimus, & pro conſanguinitate quæ per dilectiſſimam nobis vxorem tuam inter nos, de quo valde gaudemus, nuper contracta feliciter exiſtit. Datum Cremonæ III. Idus Febr.

EPISTOLA LVII.

EGO LVDOVICVS *Dei gratia Francorum Rex.* AD reprimendum feruorem malignantium, & compeſcendum violentas prædonum manus, poſtu-
C lationibus Cleri, & aſſenſu Baroniæ, toti Regno pacem conſtituimus. Ea cauſâ anno incarnati Verbi MCLV. IV. Idus Iunij, Sueſſionenſe Concilium celebre 1155.
adunauimus. & affuerunt Archiepiſcopi, Remenſis, Senonenſis, & eorum Suffraganei. Item Barones, Comes Flandrenſis, Trecaſinus, & Niuernenſis, & quamplures alij. & Dux Burgundiæ. Ex quorum beneplacito ordinauimus à veniente Paſcha ad decem annos, vt omnes Eccleſiæ Regni, & earum vniuerſæ poſſeſſiones: & omnes agricolæ, armenta ſimiliter & greges, & aſſecuratis caminis, omnes vbique mercatores, & homines quicumque ſint, quamdiu parati fuerint ad iuſtitiam ſtare ante eos, per quos iuſtitiam facere debuerint, omnes omninò pacem habeant, & plenam ſecuritatem. In pleno Concilio, & coram omnibus, in verbo regio diximus, quòd pacem hanc infrangibiliter teneremus; & ſi qui eſſent violatores ordinatæ pacis, de eis ad poſſe noſtrum iuſtitiam faceremus. In pacem iſtam iurauerunt, Dux Burgundiæ, Comes Flandriæ, Comes Henricus, Comes Niuernenſis, & Comes Sueſſionenſis, & reliqua Baronia quæ aderat. Et Clerus ſimiliter, Archiepiſcopi, & Epiſcopi, & Abbates, ante ſacras reliquias, & in viſu totius Concilij, hanc ex parte ſua pacem totis viribus ſe tenere promiſerunt. & vt iuſtitia fieret de violentiis, ad poſſe ſuum ſe adiuturos promiſerunt quidem, & in ſtabilitate ſacrati oris edixerunt. Vt res latiùs audiretur, & à memoria non de-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ciderct, rei geſtæ ordinem, & pacis tenorem, monumentis Litterarum tradi, & ſigilli noſtri auctoritate præcepimus communiri. A

EPISTOLA LVIII.

EGo Rex HENRICVS aſſecurabo Regi Francorum ſicut Domino vitam ſuam & membra ſua, & terrenum honorem ſuum: ſi ipſe mihi aſſecurauerit ſicut homini & fideli ſuo vitam meam & membra mea, & terras meas quas mihi conuentionauit, de quibus homo ſuus ſum. Et pro dominio & honore & amore Domini Regis Francorum finalem finem & pacem capiam cum Comite TEOBALDO. ita quòd de querelis, quæ inter nos ſunt, mittam me in conſideratione Archiepiſcopi Remenſis, & Epiſcopi de Noione, & Comitis Flandriæ, & Comitis Saxoniæ. Et ſi hoc non placuerit, pro honore Domini Regis, mittam me in hoc quod iurabunt quatuor homines de mea parte, & quatuor de ſua parte, qui benè ſciant querelas quæ inter nos ſunt. Et poſtea, ſi ei debeo aliquid ſeruicij, faciam ei. Cetera manifeſtabo expreſſiùs viua voce.

EPISTOLA LIX.

SANCTISSIMO *Patri & Domino A. Dei gratiâ ſummo Pontifici*, LVDOVICVS *eadem gratiâ Francorum Rex ſalutem & debitam reuerentiam.* PRO negociis Regni conuenimus cum Baronibus noſtris Sueſſionis, vbi inuenimus Epiſcopum & Clericos ſuos diſcordes. quia Canonici clamabant quòd de propriis Capituli foriſfactis ſine Epiſcopo poſſunt ceſſare à diuinis. & ipſis ceſſantibus, tota villa ceſſabit. Et Epiſcopus abnegabat. Quoniam fideles & veſtri & noſtri ſunt, eos pacificare ſtuduimus tali modo, quòd Clerici in ſaiſina remanſerunt de querela, & in Capitulo ſtabunt de hoc ad iudicium Epiſcopi, quando eos ſubmonuerit, ſaluo iure vtriuſque partis. Ad hoc faciendum fuit nobiſcum Comes Henricus, & alij quamplures honorati viri. Vnde etiam appellationem quam fecerant dimiſerunt, & de reuocatione Canonici ſui, qui iam profectus erat, lenitas veſtra non miretur. B

EPISTOLA LX.

SANCTISSIMO *Patri & Domino A. Dei gratiâ ſummo Pontifici*, LVDOVICVS *eadem gratiâ Francorum Rex ſalutem & debitam reuerentiam.* SVPER Regni negociis cum Baronibus locuturi venimus Sueſſionem. Vbi inter Epiſcopum & Capitulum inuenimus diſcordiam. Clericis dicentibus, quòd inconſulto Epiſcopo, etiam cùm præſens fuerit, de propriis iniuriis poſſunt ceſſare à diuinis, & quòd tota villa ſimiliter ceſſabit per eos ex antiqua conſuetudine. Et Epiſcopus abnegabat. Quia ergo veſtri & noſtri ſunt fideles, dignum duximus paci C eorum operam dare. & in nobis ſuper querela ſe miſit pars vtraque, & illis quos nobis adiungeremus. Itaque per noſtram ſententiam Clerici remanſerunt ſaiſiti de querela, ita quòd facerent in Capitulo ante Epiſcopum iuſtitiam, ſi aliquando Epiſcopus ſuper hoc mouere voluerit quæſtionem, & Canonici ſtarent ibidem ad iudicium eius. Hoc ordine nos egiſſe, & rem proueniſſe, præſentibus Comite Henrico & aliis honoratis viris, paternitatis veſtræ nouerit diſcretio. Et ſic nobis mediantibus Canonici ab appellatione facta deſtiterunt. Valete.

EPISTOLA LXI.

EGo LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex*. LAVDABILIS eſt prouidentia in vita hominis, teſtamento conſtituere quid cuique legare velit, vnde poſtmodum pax conſeruetur in conſobrinis. Notum itaque facimus vniuerſis præſentibus & futuris, noſtro aſſenſu & conſilio Comitem Sueſſionenſem IVONEM in hunc modum de ſuis rebus diſpoſuiſſe. Qui ſane die illa, qua Comitiſſam YOLEM duxit in vxorem, dedit ei in dotem medietatem Nigellæ, & medietatem de omnibus quæ ad caſtrum Nigellæ pertinent, tam in redditibus, quàm in vineis & campis, & foriſfactis, exceptis hominiis. & inſuper Falleuiacum, &

A omnia quæ ad villam Falleuiaci pertinent, & quicquid vltra Summam tenebat. LVDOVICVS VII. IVNIOR.
& hoc concedente Comite RADVLFO, ad cuius feodum hoc totum reſpiciebat. Sed longo tempore poſt placuit Comiti vt faceret teſtamentum in vita ſua atque proſperitate, & de dote vxoris ſuæ renouanda, & de heredirare ſua aſſignanda. Doti igitur vxoris ſuæ ſuperaddidit hominia XL. militum, aſſenſu fratris ſui domini THEODERICI, & CONI nepotis ſui. cui hereditatem ſuam aſſignauit, ſi ſine herede propriæ vxoris decederet: præſente etiam & concedente Comite Radulfo. Eodem die teſtamenti ſui volens ſatisfacere vxori ſuæ pro turri Falleuiacenſi, quam in dotem receperat, manſum & firmitudinem quam Nigellæ habebat in connubium ei donauit. Heres verò in turri Falleuiacenſi ſi vellet maneret, & ille, cui cuſtodiam turris aſſignauerit, ſecuritatem faciet, quòd prædictæ conuentioni ſubiacebit. Interim verò Comes IVO, ſibi prouidens, ordinauit, & tam vxoris ſuæ, quàm heredis ſui, hominúmque ſuorum tam militum quàm burgenſium iuramento firmari fecit, quòd omne debitum ſuum poſt diſceſſum eius de omnibus quæ ad ſucceſſionem pertinent, atque Nigellam tam ex parte heredis quàm Comitiſſæ, priuſquàm manum ſuam prædictis redditibus apponant, perſolueretur; excepto Falleuiaco, & quæ ad Falleuiacum pertinent, & quæ vltra Summam ſunt, quæ in parte Comitiſſæ remanerent. Statuit etiam quòd ex parte heredis ſui dominus Theodericus frater ſuus, ſingulis annis, niſi
B Epiſcopus eſſet vel Archiepiſcopus, in Nigella centum libras obol. & XL. modios frumenti, & XX. modios auenæ, & XX. modios vini reciperet. nec in manum alienam ad damnum heredis ei ponere liceret. Inſuper ſtatutum fuit, quòd ſi neceſſe eſſet, & Domina, & heres, & de hominibus, & de bonis terræ communiter terram defenderent. Et vt ſupradicta firma eſſent & inconuulſa, heredem ſuum Conum, & fratrem ſuum Theoderieum, fiduciare & iurare fecit. Hoc idem fiduciauit & iurauit Comitiſſa abſolutè, & pater ſuus & frater iurauerunt, quòd hoc pro poſſe ſuo teneri facerent. Milites etiam & burgenſes totius territorij Nigellæ oſtagij ſunt per ſacramentum huius conuentionis tenendæ. hac conditione ſi Comitiſſa in heredem, vel heres in Comitiſſam inſurgeret, ille in quem alter inſurgeret ſi oſtagios ſubmoneret, aut infra XV. dies ei cui iniuria illata eſſet emendari facerent, aut donec emendatum eſſet parti eius adhærerent, & poſtquàm emendatum eſſet ad priſtinum ſtatum redirent. Hoc ſiquidem factum conſilio & aſſenſu noſtro, & Archiepiſcopi Remenſis Samſonis, & Nouiomenſis Epiſcopi Balduini, & Radulfi Comitis Viromandiæ, qui nobiſcum indè oſtagij ſunt. Quod vt ratum ſit in poſterum, ſigillo noſtro confirmari, & nominis noſtri karactere ſignari præcepimus. Actum publicè Pariſ. anno Dominicæ Incarnationis MCLVII. Aſtantibus in Palatio noſtro, quorum ſubſcripta ſunt nomina & ſigna. 1157.
Signum Comitis Theobaldi Dapiferi noſtri, S. Guidonis Buticularij, S. Mathei Camerarij, S. Mathei Conſtabularij. Data per manum Hugonis Cancel-
C larij.

EPISTOLA LXII.

NOTVM ſit omnibus, quòd Pariſius anno Domini MCLVII. Comes de Mellento honorem totum de Gornaeo aſſecurauit Regi contra omnes homines ad paruam vim & magnam, ipſi, & cuicumque Balliuo, qui de parte Regis venire cognoſceretur. ita quòd homines terræ cum Rege irent, ſed ipſa nocte redirent, niſi pro amore plus remanerent. Et ſi Rex malum faceret Comiti in terra de Mellento, terra de Gornaeo & totus honor pacem haberent. Sed ſi de eadem terra vellet Rex exheredare Comitem, aut heres heredem, tunc homines terræ Gornaei eſſent cum Comite. Proinde ſi quis forifaceret hominibus eiuſdem honoris, & ipſi ſtare vellent ad iuſtitiam per Regem: contra eum quicumque recuſaret, hominibus de Gornaco Rex eſſet adiutor. Has conuentiones de parte Regis iurauit Guido Buticularius. De parte Comitis, Radulfus de Combellis, Raginaudus de Pompona, Guillelmus de Garlanda, Drogo de Bri, Adam de Claci.

 A

EPISTOLA LXIII.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* HVGONI *cariſsimi filij noſtri* LVDOVICI *Regis Francorum Cancellario, & Atrebatenſis Eccleſiæ Archidiacono, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* SI rationabilibus filiorum noſtrorum petitionibus facili aſſenſu concurrimus, & eos ſuper collatis ſibi Eccleſiaſticis beneficiis noſtro patrocinio communimus, officij noſtri debitam exequimur actionem, & Eccleſiaſticis vtilitatibus efficaciter prouidemus. Tanto enim quiſque de ſui executione officij poterit & fructuoſiùs cogitare, quanto prauorum temeritati ad ſuam infeſtationem omnem aditum viderint attentiùs interclusum. Eapropter, dilecte in Domino fili HVGO, paci & quieti tuæ in poſterum prouidere volentes, maiorem Archidiaconatum Atrebatenſis Eccleſiæ, cum omnibus ad eum pertinentibus, à venerabili Fratre noſtro GODEFRIDO eius Eccleſiæ Epiſcopo rationabili tibi prouiſione conceſſum, auctoritate tibi Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti pagina communimus. Nulli ergo hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem id attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani XII. Kal. Februar. B

EPISTOLA LXIV.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri T. Epiſcopo, & dilectis filiis C. Decano, & vniuerſo Capitulo Pariſienſis Eccleſiæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* GRATVM & acceptum habemus, & dilectionem veſtram de prouiſione illorum, quæ ad promouendas vtilitates Eccleſiaſticas pertinent, non modicum commendamus, quòd dilecto filio noſtro HVGONI cariſſimi filij noſtri LVDOVICI Francorum Regis Cancellario Præbendæ ſuæ redditus in veſtra Eccleſia conceſſiſtis. Vnde nos conceſſionem ipſam ratam habentes, & auctoritate Apoſtolica confirmantes, per præſentia vobis ſcripta mandamus, quatinus redditus ipſos ei vbicumque fuerit faciatis integrè aſſignari. Vt & ipſe vobis, & Eccleſiæ veſtræ indè ſemper exiſtat obnoxius, & nos petitiones veſtras libentiùs admittere debeamus. Datum Beneuenti XIII. Kal. Februar.

EPISTOLA LXV.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* HVGONI *cariſſimi filij noſtri* LVDOVICI *illuſtris Francorum Regis Cancellario ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* ILLIVS deuotionis & ſinceritatis intuitu, quam circa ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & nos ipſos, à multis retroactis temporibus noſceris habuiſſe, pro tuæ quoque honeſtate & probitate perſonæ, maiorem Archidiaconatum, Fratre noſtro G. Atrebatenſi Epiſcopo ipſum priùs ſpondente, abſque omni conditione, & alicuius pacti obligatione, tibi nos recolimus olim in Atrebatenſi Eccleſia poſtmodum contuliſſe. Ipſe autem Atrebatenſis Epiſcopus contra puritatem Epiſcopalem, & nimis ſecundum hominem ambulans, impedimentum tibi volens ſuper hac conceſſione præſtare, te iuramento ſicut dicitur obligauit, quòd cùm ſibi placeret, Cancellariam abſque contradictionis obſtaculo reſignares. Vnde quoniam tam illicitum iuramentum nulla debet firmitate conſtare, ab ipſius iuramenti debito auctoritate Sedis Apoſtolicæ te abſoluimus, & conditiones in eiuſdem Archidiaconatus collatione contra præceptum noſtrum poſitas, irritas modis omnibus eſſe cenſemus. Datum Laterani v. Idus Maij. C

EPISTOLA LXVI.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri Pariſienſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVONIAM de deuotione & fidei ſin-

A ceritate, quam erga ſacroſanctam Romanam Eccleſiam & nos ipſos habere dinoſceris, plenam fiduciam obtinemus, fraternitatem tuam pro his qui nobis cari ſunt & accepti rogare non dubitamus. Quantò autem dilectus filius noſter HVGO cariſſimi filij noſtri illuſtris Francorum Regis Cancellarius, matri tuæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ & nobis ipſis deuotus ſit & fidelis, quantum pro ipſius honore ſollicitus permaneat & attentus, & nos ipſi cognoſcimus, & prudentiam tuam non credimus ignorare. Indè eſt quòd illum fraternitati tuæ duximus plurimum commendandum, rogantes attentiùs, quatinus pro beati Petri & noſtrarum reuerentia Litterarum primum perſonatum vel honorem qui in tua vacabit Eccleſia ei concedas. vt & ipſe noſtras ſibi preces ſentiat fructuoſas, & nos de noſtrarum precum admiſſione gratiarum tibi debeamus exſoluere actiones. Datum Laterani Kalend. Nouembr. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA LXVII.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Decano & vniuerſo Capitulo Eccleſiæ ſanctæ Crucis Aurelianis ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* MIRAMVR plurimum, & aduerſum vos non poſſumus non moueri, quòd cùm olim vobis dederimus in mandatis, vt licèt dilectus filius noſter HVGO cariſſimi filij
B noſtri LVDOVICI illuſtris Francorum Regis Cancellarius in Eccleſia veſtra non eſſet aſſiduus, nihilominus tamen integritatem Præbendæ ſuæ abſque contradictione aliqua obtineret. Vos autem non ſolùm mandatum noſtrum in hac parte non curaſtis effectui mancipare, verumetiam quod deterius eſt, in noſtrum, & Apoſtolicæ Sedis contemptum, cùm priùs integram habuiſſet, poſtmodum ei medietatem ſicut dicitur ſubtraxiſtis. Vndè niſi Apoſtolicæ Sedis conſueta benignitas noſtrum animum mitigaret, manus beati Petri graues in vos vſque adeò ſentiretis, quòd in contemptum noſtrum non præſumeretis vlteriùs tale aliquid attemptare. Ne igitur de merito veſtræ maliciæ cogamur in vos animaduerſione grauiſſima vindicare, vniuerſitati veſtræ per iterata ſcripta præcipiendo mandamus, & mandando præcipimus, quatinus ita integram ei Præbendam, licèt abſens fuerit, decetero concedatis, tanquam ſi aſſiduus in ipſa Eccleſia deſeruiret. Quicquid verò ei exindè hactenus eſt ſubtractum, infra XX. dies poſt ſuſceptionem præſentium Litterarum, omni occaſione & excuſatione poſtpoſita, eidem ſtudeatis in integrum reſtituere. Datum Laterani VI. Idus Maij.

EPISTOLA LXVIII.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* HVGONI *Cancellario illuſtris Regis Francorum, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DE tua deuo-
C tione atque induſtria plenam fiduciam obtinentes, ad exequenda quæ maiori affectu cupimus operis exſecutione compleri, tuam prudentiam confidentiùs excitamus. Sicut tua nouit diſcretio, Compendienſe Monaſterium, in quo de nouo Religio eſt inſtituta, multis turbinum procellis concutitur, & prauorum incurſionibus moleſtatur. & adeò quòd, ſicut nobis ſuggeritur, dilectus filius noſter Abbas eiuſdem loci propter quaſdam falſas ſuggeſtiones à cariſſimi filij noſtri LVDOVICI Regis Francorum credatur gratiâ declinaſſe. Ac per hoc induſtriæ tuæ præſentium ſignificatione mandamus, quatinus in gratiam ſupradicti filij noſtri eundem Abbatem pro poſſe tuo reſtituas, & gratum ei, & commiſſæ ſibi Eccleſiæ, ſtudeas conſilium & vtile miniſtrare. Datum Laterani XII. Kal. Ianuar.

EPISTOLA LXIX.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri ...... Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* ILLIVS deuotionis & ſinceritatis intuitu, quam dilectus filius noſter HVGO cariſſimi filij noſtri LVDOVICI illuſtris Francorum Regis Cancellarius circa ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, & nos ipſos, à multis retroactis temporibus noſcitur habuiſſe, pro ipſius quoque honeſtate & probitate perſonæ, maiorem Archidiaconatum te etiam ei priùs

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ſpondente, abſque omni conditione, & alicuius pacti obligatione, eidem nos reſ- A colimus olim in Attebatenſi Eccleſia poſtmodum conruliſſe. Tu verò contra puritatem Epiſcopalem, & nimis ſecundum hominem ambulans, impedimentum ei volens ſuper hac conceſſione præſtare, ipſum iuramento ſicut dicitur obligaſti, quòd cùm tibi placeret, Cancellariam abſque contradictionis obſtaculo reſignaret. Vnde quoniam tam illicitum iuramentum nulla debet firmitate conſtare, prædictum filium noſtrum Cancellarium ab ipſius iuramenti debito auctoritate Apoſtolicæ Sedis abſoluimus, & conditiones in eiuſdem Archidiaconatus collatione contra præceptum noſtrum poſitas, irritas modis omnibus eſſe cenſemus. fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandantes, quatenus eum decetero ad obſeruationem præſtiti iuramenti cogere nulla ratione præſumas. Datum Laterani v. Idus Maij.

EPISTOLA LXX.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri ...... Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTVS filius noſter HVGO cariſſimi filij noſtri Regis Francorum Cancellarius directa nobis inſinuatione monſtrauit, quòd altare de Aſlues à bonæ memoriæ M. prædeceſſore tuo canonicè ſibi conceſſum, quod etiam in tempore prælationis tuæ quietè dicitur tenuiſſe, ſine rationabili cauſa, & nullo interueniente iudicio, ei abſtuliſti. Vnde quanto B idem Cancellarius ampliùs maiori eſt deuotione & fidelitate ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ & nobis ipſis aſtrictus, tantò magis ſua iura nos conuenit attentiùs illibata & integra conſeruare. Fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus ſi ita eſt, altare ipſum omni dilatione & appellatione remota, memorato filio noſtro reſtituas. Datum Later. Kal. Nouembr.

EPISTOLA LXXI.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri ...... Atrebatenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTVS filius noſter HVGO cariſſimi filij noſtri LVDOVICI illuſtris Francorum Regis Cancellarius transmiſſa nobis relatione monſtrauit, ſe altare quoddam in Atrebatenſi Epiſcopatu ex dono Aluiſi bonæ memoriæ Atrebatenſis quondam Epiſcopi habuiſſe: & vſque ad illud tempus, quo inueſtituram maioris Archidiaconatus in Eccleſia tua de mandato noſtro fuerat ſuſcepturus, aſſerit ſe idem altare quietè ac pacificè poſſediſſe. Imminente verò die, quo de ipſo Archidiaconatu debebat iuxta mandatum noſtrum, ſicut diximus, inueſtiri: tu, prout nobis ſuggeritur, niſi eodem altari tibi primitus reſtituto, inueſtituram ei facere noluiſti, & taliter ab eo ipſum altare diceris extorſiſſe. Quia verò huiuſmodi circumuentio rationi contraria eſt, & à Pontificali officio penitus aliena, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & mandando præcipimus: quatinus ſi res ita ſe habet, ipſum C altare iamdicto filio noſtro HVGONI Cancellario infra XL. dies poſt horum ſuſceptionem omni appellatione ceſſante reſtituas. Quod ſi tu facere fortè diſtuleris, venerabili Fratri noſtro Remenſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato à nobis datum eſſe noueris in mandatis, vt ipſe hoc vice noſtra non differat effectui mancipare. Datum Laterani v. Idus Maij.

EPISTOLA LXXII.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri ...... Remenſi Archiepiſcopo Apoſtolicæ Sedis Legato ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTVS filius noſter HVGO cariſſimi noſtri LVDOVICI illuſtris Francorum Regis Cancellarius tranſmiſſa nobis relatione monſtrauit, ſe altare quoddam in Atrebatenſi Epiſcopatu ex dono Aluiſi bonæ memoriæ Atrebatenſis quondam Epiſcopi habuiſſe, & vſque ad illud tempus quo inueſtituram maioris Archidiaconatus in Atrebatenſi Eccleſia de mandato noſtro fuerat ſuſcepturus, aſſerit ſe idem altare quietè ac pacificè poſſediſſe. Imminente verò die, quo de ipſo Archidiaconatu debebat iuxta mandatum noſtrum, ſicut diximus, inueſtiri, Frater noſter

A noſter Atrebatenſis, pro vt nobis ſuggeritur, niſi eodem altari ſibi primitus reſtituto, inueſtituram ei facere noluit. & taliter ab eo ipſum altare dicitur extorſiſſe. Quia verò huiuſmodi circumuentio rationi contraria eſt, & à Pontificali officio penitus aliena, eidem Epiſcopo dedimus in mandatis, vt ſi res ita ſe habet, ipſum altare iamdicto filio noſtro HVGONI Cancellario infra XL. dies poſt harum ſuſceptionem omni appellatione ceſſante reſtituat. Quod ſi ipſe facere fortè diſtulerit, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus tu ipſe vice noſtra, omni appellatione & occaſione ceſſante, hoc non differas effectui mancipare. Datum Laterani v. Idus Maij.

EPISTOLA LXXIII.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio* HVGONI *illuſtris Regis Francorum Cancellario ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVOD ad pacem & concordiam inter cariſſimos filios noſtros LVDOVICVM illuſtrem Regem Francorum, & HENRICVM illuſtrem Regem Anglorum pro poſſe tuo, ſicut nobis dicitur, ſollicitus extitiſti, & ſtudium ad hoc effectui mancipandum, & vigilantem operam impendiſti, tantò ampliùs gratum & acceptum habemus, & animi tui prudentiam in hac parte tantò attentiùs commendamus, quantò magis B ipſa pax atque concordia Deo eſt & hominibus grata, & tam præſentibus quàm poſteris profutura. Accepimus ſiquidem & ex dilecti filij noſtri Henrici nuncij prædicti filij noſtri Regis Franciæ relatione, & litterarum ſuarum tenore concepimus, tantam inter eos ſtudio & diligentiâ tua vnitatem per Dei gratiam eſſe, & vinculum caritatis, tantam etiam pacem & tantam interueniſſe concordiam; vt nihil alternæ amicitiæ fœdus infringere, nihil amoris firmitatem aliquatenus valeat diſturbare. Vnde nos lætitiam tantò maiorem concipimus, & cum Deo & Angelis eius tantò ampliùs exultamus, quantò magis amicitiam ipſam vtrique parti neceſſariam eſſe cognoſcimus, & multam exindè vtilitatem, multum fructum conſpicimus prouenire. Eapropter omnipotenti Deo, à quo bona cuncta procedunt, & in cuius manu Regum corda conſiſtunt, immenſas gratiarum referimus actiones. qui diſcordantia quondam vota, & diſpares voluntates, ita per ſuam miſericordiam voluit eſſe coniuncta, vt nihil iam in ipſis poſſit reperiri diuerſum. ſed idem velint, & idem ſentire pariter videantur. Nos verò, qui pacis & concordiæ bonum inter omnes eſſe, plurimum optare debemus, diuinam clementiam aſſiduis precibus exoramus, vt pacem firmam inter eos conſeruare dignetur, & perpetuam vnitatem. Adhæc, iamdictum filium noſtrum Henricum, litteratum quidem Clericum & honeſtum, quem circa negocia tua fidelem ſatis eſſe cognoſcimus ac deuotum, dilectioni tuæ propenſiùs commendantes, rogamus plurimùm, vt eum pro beati Petri ac noſtra reuerentia de caro habens cariorem, & eidem in C oportunitatibus ſuis ita pietaris intuitu, & noſtro interuentu prouideas, quòd & ipſe preces noſtras apud te ſibi ſentiat fructuoſas, & nos exindè deuotioni tuæ gratiarum debeamus exſoluere actiones. Datum Laterani II. Nonas Nouembris.

EPISTOLA LXXIV.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DE religioſorum virorum præſidio, & veneratione ſacrorum locorum, non oportet nos te longis ſermonibus ammonere. Satis enim ad hoc animum tuum omni commonitione ceſſante, ignis ille, quem Dominus mittere venit in terram, accendit. ita vt inter vniuerſos Principes Orbis nullus ſit, qui ſuper hoc in conſpectu totius Eccleſiæ commendabilior habeatur. Sanè licèt potentiæ tuæ præſidium ad omnes Eccleſias in Regno tuo conſtituras extendas, Vizeliacenſi tamen Eccleſiæ tantò te cupimus attentiùs exhibere, quantò & ad ius beati Petri ſpecialiùs pertinet, & ex perfidia ſuorum burgenſium maiores ſuſtinet moleſtias & preſſuras. Nec enim ignorat tua prudentia, qualiter ab aliquot annis aduerſus dilectum filium noſtrum P. Vizeliacenſem Abbatem fauore Niuernenſis Comitis conſpirati, diripere bona Eccleſiæ, & ipſum quoque Abbatem exindè expellere præſumpſerunt. Vndè & à corpore Domini, quod eſt Eccleſia, fieri meruerunt extorres. Nuper

LVDOVICVS VII. IVNIOR. etiam in ipſam Eccleſiam facto impetu irrumpentes, fregerunt portas, luſtrauerunt officinas, effuderunt vinum, diripuerunt veſtes Monachorum, abſtulerunt ornamenta ſacrarij, & in ipſos etiam Monachos & famulos domus violentas manus auſu temerario extenderunt. Porrò, quoniam illorum nequitia Eccleſiaſtici ſeueritate iudicij nondum potuit coherceri, cohibitionem tuæ manus expectat, & vigore tuo indiget emendari quod ſub æquitate cenſuræ canonicæ manſit hactenus incorrectum. Magnificentiam itaque tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, atque in peccatorum tibi remiſſionem iniungimus, quatinus iuſtitiæ zelo ſuccenſus, & afflictione ſupradicti Monaſterij, ac noſtris exhortationibus prouocatus, in manu valida Vizeliacum accedas, & burgenſes adiurare Communiam quam fecerunt, & ad fidelitatem atque ſubiectionem dilecti filij noſtri P. Vizeliacenſis Abbatis tanquam domini ſui humiliter redire compellas. Ablata etiam eos integrè reſtituere, & irrogata damna facias reſarcire: atque in illos, qui huius nequitiæ caput exiſtunt, tantam vltionem exerceas, vt qui eis ſucceſſerint conſideratione vltionis eorum caput contra dominum ſuum erigere, ac ſimilem perfidiam in Sanctuarium Domini committere non attemptent. Datum Sutrij XII. Kal. Iunij. A

EPISTOLA LXXV.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* VENIENTES ad Apoſtolicam Sedem dilecti filij noſtri L. & G. Aurelianenſes Canonici taliter ſe in ea cauſa, pro qua venerant, habuerunt, vt nec in verbo te, vel dilectum filium noſtrum PHILIPPVM Archidiaconum fratrem tuum, videantur aliquatenus offendiſſe. Vnde magnificentiam tuam per Apoſtolica ſcripta monemus, quatinus ſi nuncij eiuſdem filij noſtri, aut quilibet alius auribus tuis ſiniſtrum aliquid de ipſis intimare voluerit, ſuggeſtionibus ipſius nullatenus acquieſcas. Sed ſicut vir diſcretus & ſapiens iniquas delationes, & inuidioſa dicta confutes. Datum Romæ apud Sanctum Petrum VII. Idus Maij. B

EPISTOLA LXXVI.

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* SATIS laudabiliter & fructuoſè de Chriſtiano nomine propagando in terris, & æternæ beatitudinis præmio tibi cumulando in cœlis, tua videtur magnificentia cogitare: dum ad dilatandos terminos populi Chriſtiani, ad paganorum barbariem debellandam, & ad gentes apoſtatrices, & quæ Catholicæ fidei refugiunt, nec recipiunt veritatem, Chriſtianorum iugo & ditioni ſubdendas, ſimul cum cariſſimo filio noſtro HENRICO illuſtri Anglorum Rege in Hiſpaniam properare diſponis, & ſtudes aſſiduè, vt opus hoc felicem exitum ſortiatur, exercitum, & quæ ſunt itineri neceſſaria congregare. Atque ad id conuenientius exſequendum, matris tuæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ conſilium exigis & fauorem. Quod quidem propoſitum tanto magis gratum acceptúmque tenemus, & amplius ſicut commendandum eſt commendamus: quantò de ſinceriori caritatis radice talem intentionem, & votum tam laudabile credimus proceſſiſſe, ac de maiori ardore fidei & Religionis amore propoſitum & deſiderium tuum principium acceperunt. Verùm cùm Excellentia tua & conſilij maturitate ſit prouida, & luce ſapientiæ illuſtrata, in ordine ipſius facti plurimum videtur eſſe feſtina. Vndè & multos attonitos reddidit, & ſuſpenſos: cùm omne bonum, quod ſuo tempore & competenti ordine exercetur, æterno Conditori placitum habeatur modis omnibus & acceptum. Aliter autem non poteſt gratum eius exiſtere voluntati. Quod vtique vt magis euidenter appareat, & vt ſit quod proponimus paulò amplius manifeſtum, aliquid exempli gratiâ duximus non inutiliter ſupponendum. Corpus ſiquidem Chriſti conficere, & in ara Dominica hoſtiam immolare, bonum, immò & ſalutiferum eſſe, nemo qui rectè ſapit ignorat. Ceterùm ſi tempore ſuo & horis immolatum non fuerit conſtitutis, iam illud reſeruatur ad pœnam quod expectabatur ad gloriam, & qui extra tempus immolat conſtitutum, C

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A indè ſibi damnationem dolebit infligi, vnde ſi conſtituto tempore immolaſſet, meritum ſibi gauderet & præmium augmentari. Accedit ad hoc, quòd alienam Terram intrare nec prouidum videtur eſſe, nec tutum, niſi à Principibus & à populo Terræ priùs conſilium requiratur. Tu verò, ſicut accepimus, inconſulta Eccleſia & Principibus Terræ illius, accedere illuc & feſtinare diſponis. cùm hoc nulla deberes ratione tentare, niſi cognita per Principes Terræ neceſſitate, & ab eis priùs eſſes exindè requiſitus. Vnde quia nos honorem & incrementum tuum tota mentis intentione diligimus, & nihil tale te aggredi niſi rationabili cauſâ exigente vellemus: ſublimitati tuæ præſentibus Litteris ſuademus, vt priùs neceſſitatem Terræ per Principes illius Regni inſpicias, & conſideres, & tam illius Eccleſiæ quàm Principum, & populi voluntatem diligenter inquiras, & ab eis conſilium ſicut decet accipias. Quo facto, ſi & neceſſitatem Terræ videris imminere, & Eccleſiæ conſilium fuerit, ipſi etiam Terræ Principes tuæ ſublimitatis auxilium poſtulauerint, & conſilium dederint; iuxta poſtulationem & conſultum eorum poteris poſtea in facto ipſo procedere, & laudabile votum tuum diuino comitante præſidio adimplere. Aliter tamen timendum eſſet, ne iter tuum infroctuoſum exiſteret, & ne ad deſideratum non poſſet exitum peruenire. Ipſi verò Principes & populus Terræ in tanto apparatu tuo, ſi fortè neceſſitas non incumberet, grauarentur, & nos ipſi leues in hoc facto poſſemus multipliciter apparere. Debet enim ſerenitatis tuæ celſitudo recolere, & ad memoriam reuocare, qualiter

B alio tempore, cùm tam CONRADVS bonæ memoriæ quondam Rex Romanorum, quàm tu ipſe, inconſulto populo Terræ, Hieroſolymitanum iter minus cautè aggreſſi eſtis, ſperatum fructum, & optatum commodum non perceperitis: & quantum Eccleſiæ Dei & vniuerſo ferrè populo Chriſtiano detrimentum exindè prouenerit & iactura. Sanctæ quoque Romanæ Eccleſiæ, quia vobis ſuper hoc conſilium præſtiterat & fauorem, in ipſo facto fuit non modicum derogatum: & omnes aduerſus ipſam ex multa indignatione clamabant, dicentes eam auctricem tanti periculi extitiſſe. Cùm igitur hæc omnia nobis ſollicitè cogitantibus occurrerent formidanda, nos ammonitionem & exhortationem Apoſtolicam ad populum Regni tui, ſecundum quod venerabilis Frater noſter Ebroicenſis Epiſcopus nobis ex tua parte propoſuit, duximus differendam. Attendentes quoniam quod differtur ad tempus, penitus non aufertur. Sed tunc tandem exhortatorias & cōmonitorias Litteras in peccatorum remiſſionem iuxta deſiderium gloriæ tuæ auctore Domino tranſmittemus: cùm de conſilio & poſtulatione tam Principum quàm populi Terræ illius, ſicut ſuperiùs dictum eſt, volueris iter arripere, & conceptum in animo votum neceſſitatis tempore, cùm fortè, modò aliqua neceſſitas non immineat, diſcretè ac laudabiliter diſpoſueris adimpere. Litteras autem, in quibus Regnum tuum ſub beati Petri & noſtra protectione ſuſcepimus, his qui Regnum ipſum vſque ad reditum tuum præſumerent impugnare, iram &

C indignationem Apoſtolicam proponentes; ſecundum petitionem regiæ dignitatis vt ad præſens duximus concedendas. Nos enim te etiam reticente, & à nobis nullatenus exigente, pro illius feruore dilectionis, quam erga tuam ſublimitatem habemus, quicquid honoris & exaltationis tibi & Regno tuo exhibere poſſemus, prompto animo curaremus efficere, & operibus adimplere. Sanè diſcretio tua & noſtram diſſuaſionem, quam rationabiliter credimus nos feciſſe, prouida deliberatione conſideret, atque alia, per quæ ad illud iter tam feſtinanter aſpiras, inſpiciat & attendat. & illud tandem tibi conſilium ſuper negocio ipſo eligas, quod magis de iudicio rationis cognoueris eligendum. Deceterò ea quæ memoratus Frater noſter Epiſcopus ex noſtra parte Regiæ propoſuerit dignitati, velut ſi ab ore noſtro procederent, abſque vlla hæſitatione ſuſcipias: & ipſius verbis, tanquam ſi contingeret nos ea proferre, fidem non dubites adhibere. Ipſe namque iniunctam ſibi legationem ita prudenter fuit & ſollicitè exſecutus, quòd omne illud à nobis ſtudio ſuæ probitatis & diſcretionis obtinuit, quicquid per ſollicitam & prouidam vigilantiam deberet quilibet alius obtinere. Datum Laterani XII. Kal. Martij.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA LXXVII. A

ADRIANVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei. Dilectis filiis, Decano, Cantori, & vniuerſo Capitulo Pariſienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* ECCLESIASTICAS perſonas, quas ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ deuotiores eſſe cognoſcimus, & ad eius obſequium eſſe promptiores inſpicimus, oportet nos ſpeciali quadam prærogatiua diligere: & honorem eis debitum exhibentes, ipſas debemus Eccleſiaſticis beneficiis prout expedire cognoſcimus, ampliare. Dilectus ſiquidem filius noſter HVGO carisſimi filij noſtri LVDOVICI illuſtris Francorum Regis Cancellarius, quanto nobis ſit vinculo deuotionis aſtrictus, & pro commodo atque honore matris ſuæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, vbicumque neceſſitas exigit, quàm fideliter ſe opponat, & de ipſius ſtudeat incremento tractare, nos ipſi ad plenum nouimus, & diſcretionem veſtram id ipſum credimus non latere. Indè vtique eſt, quòd nos eum ſincera caritate in Domino diligentes, ipſum quibus modis cum Deo poſſumus, intendimus honorare. & noſtri propoſiti eſt, eidem in oportunitatibus ſuis vtiliter prouidere. De omni itaque veſtri deuotione plurimùm confidentes, vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & mandando præcipimus; quatinus Præpoſituram, quæ in Pariſienſi Eccleſia, & domos quæ in clauſtro eiuſdem Eccleſiæ dehinc primùm vacauerint, ei, omni contentione & appellatione ſepoſita, concedatis, & conceſſas ipſum permittatis quietè & abſque B vlla moleſtia poſſidere. Datum Laterani v. Idus Maij.

EPISTOLA LXXVIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri* HVGONI *Sueſſionenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CVM inter te & Capitulum tuum grauis eſſet hac occaſione cōtrouerſia ſuborta, quòd te illas duas Præbendas, quas Gerbertus quondam ipſius Eccleſiæ Cantor tenebat, Capitulum non pateretur libere ordinare: aſſerens vnam earum ad Cantoriæ officium pertinere. De conſenſu & beneplacito vtriuſque partis talis inter vos compoſitio interceſſit, quòd vna earum Præbendarum liberè per te ordinata, alteram dilecto filio noſtro R. Cantori eiuſdem Eccleſiæ propter officium Cantoriæ conceſſiſti in vita ſua tenendam. ea quidem conditione inſerta, quòd poſtquàm idem R. Cantor eſſe deſierit, tu vel ſucceſſores tui Præbendam ipſam facultatem habeatis tanquam vnam de ceteris Præbendis cui volueritis aſſignare. Quapropter compoſitionem ipſam ratam habentes, eam, ſicut in autentico ſcripto exindè facto continetur, auctoritate Apoſtolica confirmamus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Statuentes, vt nulli omninò hominum liceat hanc paginam noſtræ confirmationis infringere, vel ei aliquatenus contraire. Si quis autem C hoc attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Senonis XII. Kal. Ianuar.

EPISTOLA LXXIX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri .... Sueſſionenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* EX conqueſtione Odonis Sacerdotis latoris præſentium accepimus, quòd cùm venerabilis Frater noſter Pariſienſis Epiſcopus eum ſuper quodam crimine conueniſſet, & ipſum officio ac beneficio priuaſſet, ad facultates ſuas per ſe ac miniſteriales ſuos duriùs extendit. Vndè quoniam ei ſæpiùs ad nos clamanti volumus in ſuo iure adeſſe, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus memoratum Epiſcopum diligenter conuenias, vt vel ablata vniuerſa præfato Sacerdoti reſtituat, vel cum eo ſuper his pacificè amicabilitérque componat, aut in tua præſentia eidem exhibeat iuſtitiæ complementum. Et ideò cùm exindè fueris requiſitus, vtramque partem ante tuam præſentiam conuoces, & rationibus hinc indè auditis diligenter & cognitis, eandem cauſam appellatione remota infra viginti dies poſt harum ſuſceptionem iuſticiâ mediante decidas. Datum Turonis, VI. Idus Iunij.

A

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA LXXX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri H.... Sueſſionenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* VNIVERSOS Eccleſiæ filios, & præcipuè Fratres noſtros Epiſcopos, quos in fide Catholica & deuotione ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ feruere cognoſcimus, ſincera nos in Domino conuenit caritate diligere, & ipſos tantò vberiùs confouere, quantò & conſtancia fidei, & bonæ opinionis odore abundantiùs redolere noſcuntur. Veniens autem ad nos dilectus filius noſter P. Eccleſiæ beati Aniani Decanus, ſicut iam ſæpiùs, ita & nunc, quòd in fide Catholica ferueas, & quòd matri tuæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſincera deuotione adhæreas, nobis inſinuare curauit. Quod quia & nos ipſa experientiâ operis iam olim didiciſſe meminimus, gratum habemus admodum & acceptum. Inde vtique eſt, quòd fraternitatem tuam ſincera in Domino caritate diligimus, & collatam tibi dignitatem à Domino & honores conſeruare cupimus, & augere. Ceterùm ſuper his quæ nobis idem filius noſter retulit, de hoc videlicet quòd circa cariſſimum in Chriſto filium noſtrum LVDOVICVM illuſtrem Francorum Regem habere dinoſceris, ſollicitudinem pariter nos habere noueris & cautelam. nec quiſquam volente Domino ad hoc nos inducere poterit, quòd collata tibi dignitas ſeu officium per nos minui debeat vel auferri. Sed potiùs augere volentes, conſilium tibi & auxilium in quibus honeſtè poterimus, libenti animo curabimus impertiri: vt & deuotionis tuæ integritas meritum habeat, & recipiat præmium quod magnis Sacerdotibus & iuſticiæ cultoribus promiſſum eſt. Datum Bituricis IV. Nonas Septembris.

B

EPISTOLA LXXXI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri* HVGONI *Sueſſionenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVÆ à Sede Apoſtolica alicui indulgentur, inconuulſa debent ſeruari, nec illis temeritate aliqua eſt obuiandum. Vnde quoniam quæ per Priuilegia Romanæ Eccleſiæ Abbati & Fratribus S. Martini Sparnacenſis noſcuntur fuiſſe conceſſa, volumus inuiolabiliter obſeruari: per Apoſtolica tibi ſcripta mandamus, quatinus ſecundum tenorem Priuilegiorum, quæ à Sede Apoſtolica ſunt Eccleſiæ prædicti Abbatis indulta, in Eccleſia ſancti Martini de Montefelici, ad ius & diſpoſitionem eiuſdem Abbatis ſpecialiter, ſicut dicitur, pertinente, vni de Fratribus ſuis curam animarum committas. prouiſurus attentiùs, ne contra tenorem eorumdem Priuilegiorum aliquid facere vlla ratione præſumas. Datum Preneſtæ II. Kal. Iulij.

C

EPISTOLA LXXXII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri* HVGONI *Sueſſionenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* VENIENS ad nos dilectus filius noſter Magiſter P. Eccleſiæ beati Aniani Decanus, inter cetera laudabilia quæ de tua prudentia nobis expoſuit, quòd ipſum pro beati Petri & noſtra reuerentia diligas & honores, ſtuduit intimare. Quod tantò ampliùs nobis gratum eſſe noueris & acceptum, quantò & ipſum ampliori affectu caritatis diligimus: & vt ab his, qui ſacroſanctam Romanam Eccleſiam & nos ipſos diligunt, honoretur, propenſiùs exoptamus. Eundem itaque filium noſtrum ad commiſſam ſibi Eccleſiam cum plenitudine gratiæ Sedis Apoſtolicæ remittentes, fraternitati tuæ duximus attentiùs commendandum. Rogantes, quatinus ipſum ita diligas & honores, quòd vberes tibi gratiarum actiones propter hoc exſoluere debeamus. Datum apud Montempeſſulanum II. Idus Iulij.

ad

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA LXXXIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri* HVGONI *Sueßionenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTVS filius noſter Rain. Saleſberienſis Archidiaconus Pariſius ſe moram habiturum diſpoſuit, & ibi ſtudio litterarum ad præſens vacare. Quia verò pro ſua probitate nobis carus eſt plurimum & acceptus, eum fraternitati tuæ, de qua plenam fiduciam obtinemus, propenſiùs commendamus. Rogantes attentiùs, quatinus pro reuerentia beati Petri ac noſtra, conſideratione quoque ſuæ deuotionis, ipſum oculo clementiori reſpicias, diligas, & honores, ſibique oportunum conſilium, ſi quando opus habuerit, conferas & fauorem. Ita quòd noſtras preces ſibi ſentiat profuturas, & nos quoque tuæ ſollicitudini gratias vberes exſoluamus. Datum Senonis VII. Kalend. Auguſti.

EPISTOLA LXXXIV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri Sueßionenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVONIAM de Hoſpitali quodam, vnde cariſſimum in Chriſto filium noſtrum LVDOVICVM illuſtrem Francorum Regem rogauimus, rei veritas nobis non liquet, cùm de re incerta certum dare conſilium non poſſimus: eiuſdem Regis magnificentiam per ſcripta noſtra rogauimus, quatinus ſi Hoſpitale præſcriptum ad ius Compendienſis Monaſterij conſtiterit pertinere, prædictis Abbati ac Fratribus eiuſdem Monaſterij pro reuerentia beati Petri ac noſtra, ipſum liberè habere permittat. Si verò ad prædictum Regem ſpectare dinoſcitur, dummodo in hoc Regia dignitas minimè offendatur, & alteri non debeat exindè iniuria irrogari: illud nihilominus memoratis Abbati ac Fratribus pietatis intuitu, & noſtrarum precum interuentu, concedat. Indè eſt quòd fraternitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus plurimùm, & attentiùs commonemus, quatinus noſtræ intercuentionis obtentu, & prædictorum Fratrum religionis intuitu, apud memoratum filium noſtrum Regem partes tuas ſollicitè interponas, vt preces noſtræ effectum vtilem conſequantur, & nos deuotionem tuam debeamus exindè non immeritò commendare, & vberrimas gratiarum actiones referre. Datum Senonis III. Idus Auguſti. B

EPISTOLA LXXXV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri Sueßionenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* SICVT meminiſſe poſſumus, dilectioni tuæ, quam erga ſacroſanctam Eccleſiam deuotam nouimus, vtpotè illius qui in fidei Catholicæ vnitate ſemper perſeuerare ſtuduit, quòd ad partes Franciæ pro negociis & agendis vniuerſalis Eccleſiæ, atque vtilitate ac pace Regni diſpoſuerimus pertranſire, Apoſtolicis Litteris olim inſinuare decreuimus. Confidentes in Domino, quòd prudentiæ tuæ auxilio, & aliorum qui Eccleſiam Chriſti diligunt, ſtatus ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ, at totius Regni poſſet in melius reformari. Sanè cariſſimi in Chriſto filij noſtri LVDOVICI illuſtris Francorum Regis veſtigia laudabiliter proſecutus, ſemper Romanam Eccleſiam & perſonam noſtram, atque in hoc beatum Petrum, in cuius cathedra licèt immeriti reſidemus, præcipuè hoc perſecutionis tempore honoraſti: ſpem tuam figens in eum qui dixit Apoſtolis, & in eis primitiuæ Eccleſiæ, *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad conſummationem ſeculi*, nulliſque tempeſtatum fluctibus, nullis perſuaſionibus vel blandiciis tua potuit deuotio inclinari, quo minus viâ regia pergeres, & ambulares ſemitam quæ ducit ad cœleſtis patriæ claritatem. Vnde poſtquàm Domino ducente ad Montempeſſulanum, in quo magnificè & honorificè à Clero & populo recepti fuimus, veniſſemus, venerabilem Fratrem noſtrum B. Portuenſem Epiſcopum, & dilectum filium noſtrum I. Diaconum Cardinalem, honeſtos vtique viros atque prudentes, ad eundem cariſſimum filium noſtrum LVDOVICVM illuſtrem Francorum Regem pro vtilitate Eccleſiæ ac pace Regni mittere C

A diſpoſueramus. Poſtea verò per dilectum filium noſtrum O. ſancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconum Cardinalem ad nos redeuntem, ſtatum terræ illius plenius agnoſcentes, mutato conſilio venerabiles Fratres noſtros Henricum Remenſem Archiepiſcopum, Lingonenſem & Siluanectenſem Epiſcopos, ad prædictum Regem duximus deſtinandos. Et ideò fraternitatem tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus ipſis apud memoratum Regem ita cures in negociis noſtris diligenter aſſiſtere, quòd beati Petri Apoſtolorum Principis & noſtram, atque totius Romanæ Eccleſiæ poſſis ampliorem gratiam promereri. Nos enim perſonam tuam exaltare, inquantum cum Deo poſſumus, & honorare intendimus, & habere te inter dilectos beati Petri filios iugiter cariorem. Datum apud Montempeſſulanum II. Kal. Maij. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA LXXXVI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri H. Sueſſionenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* FIDEI ac deuotionis tuæ conſtantiam attendentes, & qualiter te pro vnica matre tua ſacroſancta Romana Eccleſia, contra ſciſmaticam prauitatem murum inexpugnabilem oppoſueris, interna conſideratione penſantes: te tanquam cariſſimum Fratrem noſtrum ſincera in
B Domino caritate diligimus, & puræ affectionis brachiis amplexamur, atque ad ea tractanda, quæ in exaltationem noſtram & Eccleſiæ poſſint commodum redundare, ſollicitudinem tuam fiducialiter inuitamus. Credimus enim, & ſine dubitatione confidimus, quod ex illo ſinceræ deuotionis affectu, quem circa ipſam vniuerſalem Eccleſiam, & ſpecialiter circa perſonam noſtram concepiſſe dinoſceris, multiplex nobis commodum, & eidem Eccleſiæ auctore Domino plurimum paries incrementum. Indè eſt quòd tuæ fraternitatis prudentiam cum omni fiducia per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus cariſſimum in Chriſto filium noſtrum LVDOVICVM illuſtrem Francorum Regem cum omni ſtudeas diligentia commonere, vt in fide ac deuotione, quam ſemper circa Eccleſiam Dei, & præſertim in hoc tempore demonſtrauit, conſtans & firmus exiſtat, & ad exaltationem ſanctæ matris Eccleſiæ ac noſtram, tanquam Princeps Catholicus, & Rex Chriſtianiſſimus, vigilanter intendat. Specialiter autem ſuper eo quod diſpoſuit cum FREDERICO dicto Imperatore ſe colloquium habiturum, cum diligentiùs ammonere non differas, vt quia credimus & timemus colloquium illud tam Eccleſiæ Dei ac nobis ipſis, quàm etiam eidem Regi ac Regno ſuo multipliciter fieri poſſe damnoſum, ab eo abſtineat, & tale penitus propoſitum derelinquat. Datum Mimate IX. Kal. Auguſti.

EPISTOLA LXXXVII.

C

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVANTVM illuſtres & magnifici proaui & progenitores tui Reges Francorum ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ deuoti ſemper & obedientes extiterint, quanta ei commoda & deuotionis obſequia exhibuerint, nos ex multis ac magnificis vtilitatibus, quæ per eos ſanctæ Dei eccleſiæ prouenerunt, manifeſtè cognouimus, & Fratres noſtri, qui diutiùs ſunt in Romana Eccleſia conuerſati, idipſum pleniùs agnouerunt. Tu verò progenitorum tuorum laudabilis imitator exiſtens, vt ita paternarum virtutum ſicut & Regni heredem te veraciter exhiberes, ad eorum exemplum ſingularem & vnicam matrem tuam ſacroſanctam Romanam Eccleſiam, ex quo Excellentiæ tuæ Regnum à Deo commiſſum eſt gubernandum, propenſiùs dilexiſti: in preſſuris & neceſſitatibus ſuis ei fideliter aſtitiſti. & nihil vnquam fuit, quod à deuotione & ſubuentione ipſius Regium potuerit animum reuocare. Illo ſiquidem FREDERICO, qui pro ſui officij debito Aduocatus Eccleſiæ ac defenſor deberet exiſtere, aduerſus eam crudeliter ſæuiente: tu, ſicut Princeps Chriſtianiſſimus, eam diligis & honoras, & ipſam ſincero venereris affectu. Quæ vtique in omni tribulatione ſua, tam apud prædeceſſores tuos, quàm apud teipſum, & optatæ portum quietis obtinuit, & refugium ſemper oportunum inuenit. Galli-

LUDOVICUS VII. IUNIOR. cana quoque Eccleſia inter omnes alias Orbis Eccleſias, quæcumque aliæ proue- A nientibus ſcandalis in tribulatione mutaſſent, numquam à Catholicæ matris Eccleſiæ vnitate receſſit, numquam ab eius ſubiectione & reuerentia ſe ſubtraxit. ſed tanquam deuotiſſima filia firma ſemper & ſtabilis in eius deuotione permanſit. Vnde ipſa mater omnium & magiſtra Romana Eccleſia progenitores tuos & teipſum inter ceteros Orbis Principes, Gallicanam quoque Eccleſiam, ſpeciali & ſingulari prærogatiua dilexit: ad honorem, incrementum, & exaltationem veſtram intendit: & in omnibus, in quibus ſecundum Deum potuit, veſtræ ſatisfaciens voluntati, perſonas veſtras propenſiùs honorauit. Nullum ſiquidem in toto Orbe terrarum Principem eſſe credimus, quem anteceſſores noſtri, & nos ipſi ampliori affectione diligere teneamur, & cui magis à nobis ſit quàm tuæ Celſitudini deferendum. Firmiter namque in cordis armario retinemus, & tam ex publica fama, quàm ex Archiepiſcoporum & Epiſcoporum Regni tui, & dilectorum filiorum noſtrorum Hen. VV. & Odonis Cardinalium, quos pro neceſſitate Eccleſiæ, pro honore quoque & vtilitate Regni & tuâ ad partes illas deſtinauimus, tranſmiſſa relatione cognouimus, qualiter ſicut tu ipſe hac vice nobis propriis Litteris innuiſti, ad receptionem noſtram, quicquid alij facerent, regium animum ab ipſo principio efficaciter induxiſti. & alij ſunt exemplo tuo ad illud idem vehementiùs prouocati, & in noſtra deuotione ſucceſi. Vnde & ab omnium conditore, cuius gratiâ tuum propoſitum ita laudabiliter direxiſti, præmium indeficiens tua Ex- B cellentia obtinebit: & nos ipſi, quantum gratia diuina permiſerit, ſerenitati tuæ curabimus pro tanta deuotione vtiliter reſpondere. Proinde ſicut de proſperitate tua, & commiſſi tibi Regni, interna affectione gaudemus; ita & de aduerſitate, ſi quando, quod Deus auertat, accideret, doleremus plurimum, & vehementiùs grauaremur. Propoſitum ſiquidem, & promptam admodum voluntatem habemus, paci & quieti tuæ, & Regni tuæ gubernationi commiſſi, libenter intendere. Super his autem, quæ nobis propriis Litteris tua Excellentia indicauit, ſollicitè apud nos deliberabimus, & cum Fratribus noſtris tractabimus, & quicquid ad honorem Dei, Romanæ Eccleſiæ, & tuum, viderimus pertinere, curabimus libenter efficere. De quibus vtique per dilectum filium noſtrum Fratrem Guidonem Maioriſmonaſterij Monachum, ſerenitati tuæ pleniùs auctore Deo viua voce in proximo reſpondere curabimus. Ad hæc venerabilem Fratrem noſtrum M. Aurelianenſem Epiſcopum, pro quo nos Regia Celſitudo ſatis affectuosè rogauit, licèt quidam ſiniſtra de eo in noſtris auribus ſuſurrauerunt, etſi certum apud nos eſſet quòd læſionem nobis aliquam intuliſſet, amore tamen & interuentu tuo ſinceera volumus affectione diligere, & eum ſicut cariſſimum Fratrem noſtrum, quantum cum Deo poſſumus, intendimus honorare, & in ſuis poſtulationibus libentiùs exaudire. Datum Anagniæ xvi. Kal. Febr.

EPISTOLA LXXXVIII. C

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DECET clementiam Regiæ dignitatis Eccleſias & Eccleſiaſticas perſonas ſincera caritate diligere, ac eas in iure ſuo manutenere pariter ac fouere. Indè eſt quòd Ferrarienſem Eccleſiam, quæ ad ius ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ſpecialiter pertinet, & Fratres inibi ad Dei ſeruicium commorantes, Celſitudini tuæ attentiùs commendamus. Rogantes plurimùm, quatinus pietatis intuitu, & pro reuerentia beati Petri ac noſtra, eoſdem Fratres & Eccleſiam ipſam diligas, manuteneas ac defendas: & eorum iura à prauorum incurſibus integra eis & illibata conſerues. Datum Ianuæ v. Idus Febr.

EPISTOLA LXXXIX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* FIRMA ſpes, & plena fiducia, quam de tuæ Maieſtatis excellentia in omnibus obtinemus, inducit nos modis omnibus & hortatur, vt ſtatum vnicæ matris tuæ ſacroſanctæ

A Romanæ Eccleſiæ ac noſtrum tanrò tibi libentiùs exponamus, quantò Celſitudinem tuam circa eam & nos ipſos ſollicitam magis exiſtere noſcimus & intentam. Vt igitur ſtatus Eccleſiæ Serenitati tuæ plenius valeat innoteſcere, aliquem vel aliquos Fratrum noſtrorum Cardinalium, qui nobiſcum ſunt, ad partes tuas in proximo diſpoſuimus auctore Domino deſtinare. In præſentiarum verò ſublimitatem tuam nolumus ignorare, quòd ad Montempeſſulanum ducente Domino applicantes, à dilectis filiis noſtris Comite Sancti Egidij, & VV. de Montepeſſulano honorificè ibi fuimus & deuotè ſuſcepti, & tam nos quàm Fratres noſtri ibidem per Dei gratiam ſani & incolumes commoramur. Ibi etiam dilectum filium noſtrum Trincauillum, & nobilem mulierem Herm. de Narbona, atque plures alios illius regionis Barones ad nos venientes recepimus, & tam ab ipſis quàm à ceteris circumpoſitis Dei fidelibus deuotè colimur, & celebriter honoramur. Datum apud Montempeſſulanum XII. Kal. Madij. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA XC.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimæ in Christo filiæ illuſtri Francorum Reginæ ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* VIVIT in ſacroſancta Romana Eccleſia glorioſa tuorum progenitorum memoria, qui quàm
B deuoti & feruentes in obſequio beati Petri ſemper extiterint, beneficia prædictæ Eccleſiæ ab eiſdem pleniſſimè collata declarant. Vnde nos ea ſemper præ oculis cordis ſine aliquâ obliuione tenentes, gratias omnipotenti Deo inceſſanter exſoluimus, qui talem illorum nobis reſeruauit heredem: de cuius magnificentia ſacroſancta Romana Eccleſia maiora etiam beneficia præſtolatur. Inde eſt quòd ſublimitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus ſupernæ diuinitatis intuitu talem te circa Eccleſiam Dei & nos ipſos ſtudeas exhibere, vt eos quibus clariſſimi ſanguinis poſteritate ſuccedis, laudabili etiam fidei & deuotionis exemplo auctore Domino probabiliter imitêris. Studeas igitur & labores, cariſſimum in Chriſto filium noſtrum LVDOVICVM illuſtrem Francorum Regem, virum & dominum tuum, ita in deuotione beati Petri ac noſtra fouere propenſiùs, & ſollicitè confirmare: vt illa ſinceritatis affectio, quam eum circa nos & Eccleſiam Dei gerere nullatenus dubitamus, de bono in melius parte confortata proficiat, & ſe de die in diem ſicut confidimus ad vlteriora producat. Specialiter autem prudentiæ tuæ volumus innoteſcat, quòd cùm venerabilem Fratrem noſtrum B. Portuenſem Epiſcopum, & I. ſanctæ Mariæ in Coſmydyn Diaconum Cardinalem ad prædictum Regem pro negociis Eccleſiæ deſtinare diſpoſuerimus, poſtea ſtatum terræ illius ex relatione dilecti filij noſtri O. ſancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis ad nos redeuntis pleniùs cognoſcentes, & ei carum admodum eſſe percipientes, mutato conſilio
C venerabiles Fratres noſtros Henricum Remenſem Archiepiſcopum, Lingonenſem & Siluanectenſem Epiſcopos, dilectum etiam filium noſtrum Abbatem Grandis-ſiluæ ad regiæ dignitatis præſentiam duximus deſtinandos. Vndè magnificentiam tuam modis quibus poſſumus ſollicitè commonemus, vt prædictum Regem inducere ſtudeas, & propenſiùs exhortari, vt quod ab eis ſibi fuerit ex parte noſtra propoſitum credat indubitanter, & benignè ſuſcipiat, & illud ſicut de eo ſperamus vtili complemento perficere non poſtponat. Datum apud Montempeſſulanum II. Kal. Madij.

EPISTOLA XCI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* LITTERAS Celſitudinis tuæ tanto benigniori animo, & maiori mentis alacritate ſuſcepimus, quòtiens eas tranſmittere te contigit, & in ipſis aliquid poſtulare, quantò Excellentiam tuam ſinceriori affectione diligimus, & quantò pro multa & ampla deuotione circa ſacroſanctam Romanam Eccleſiam & perſonam noſtram à tua Serenitate exhibita, petitiones tuas cogimur ampliùs exaudire. Sancta ſiquidem & reuerenda Romana Eccleſia per ſinceriſſimum tuæ deuotionis feruorem, in hac

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

neceſſitate tantum emolumentum & exaltationem, tantúmve eſt commodum A conſecuta, quòd tam in te, quàm in omni poſteritate tua, à noſtra ſucceſſorúmque noſtrorum memoria nulla poſſit obliuione deleri, & ab animo noſtro nulla temporis diuturnitate conuelli. Inde vtique fuit, quòd Litteras ſuper negocio Flauiniacenſis Eccleſiæ à tua nobis Excellentia deſtinatas multo gaudio & animi iocunditate ſuſcepimus, & preces tuas, quæ in eiſdem continebantur, quantum cum Deo potuimus curauimus exaudire. Venerabilibus ſiquidem Fratribus noſtris H. Beluacenſi, & M. Pariſienſi Epiſcopis cauſam ipſam commiſimus audiendam, & remoto appellationis obſtaculo fine canonico terminandam. Eapropter ſerenitatem tuam rogamus & volumus eſſe ſollicitam, vt ſi aliquis quo minus prolata ſuper eadem cauſa ſententia obſeruetur, voluerit impedire, eum omninò prohibeas. & ne hoc præſumat, ex conceſſa tibi deſuper poteſtate compellas. Datum Terrac. III. Kal. Decembr.

EPISTOLA XCII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* LITTERAS, quas nobis pro venerabili Fratre noſtro Eduenſi Epiſcopo tua (celſitudo tranſmiſit, debita benignitate ſuſcepimus, & iuxta earum tenorem prædicto Epiſcopo ex officij noſtri debito, & tuæ ſublimitatis obtentu, honorem & B affectionem libenter impendimus. Cauſa verò, quæ inter eum & Abbatem Flauiniacenſem vertebatur, diutiùs ſub noſtro examine ventilata, cùm idem Epiſcopus contra ipſum Abbatem teſtes de ſpontanea Abbatiæ abrenunciatione produxiſſet, Abbas abrenunciationem ipſam non ſponte, ſed coactum ſe feciſſe affirmans, & ſuper hoc teſtes ſe producere poſſe aſſerens, in ipſos etiam teſtes Epiſcopi aliquid ſe habere nihilominus allegabat. Verùm quia id continuò proſequi non valebat, inducias à nobis ad hoc exſequendum inſtantiùs poſtulauit. Vnde quia eas ſibi ſicut non debuimus, ita nec potuimus de iure aliquatenus denegare. nolentes aliquem in iure ſuo, præſertim ſub noſtro examine, quodlibet præiudicium ſuſtinere. Hinc ad octauas Sancti Michaëlis de communi Fratrum noſtrorum conſilio inducias ei duximus indulgendas: vt tunc ad præſentiam noſtram ita redeat tam ſuper his, quàm ſuper Capitulis illis, quæ ſibi fuerant in præſentia dilecti filij noſtri VV. ſancti Petri ad vincula Preſbyteri Cardinalis obiecta ſufficienter instructus, quòd pleniùs de cauſa cognoſcere, eámque poſſimus annuente Domino iuſtitia mediante finire. Interea verò ne caſtrum Flauiniacum ipſi Flauiniacenſi Eccleſiæ, & ſerenitati tuæ, atque prædicto Epiſcopo, valeat aliquatenus deperire, memoratum Abbatem fecimus in præſentia noſtra iurare, ſicut ex ſcripto ipſius ſacramenti, quod tibi tranſmittimus, poteris intueri: vt caſtrum ipſum in manibus tuis, vel certi nuncij à te delegati reſignet. libera tamen interim ſibi Abbatiæ amminiſtratione tam in temporalibus quàm in ſpiritualibus reſeruata. Cùm enim C idem caſtrum ad honorem & ditionem Regni tui reſpicere videatur, multò dignius duximus ipſum per Regiæ magnificentiæ gubernationem ſeruari, quàm alicui alij cuſtodiendum committi. Indè eſt quòd ſerenitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus prædictum caſtrum, libera tamen Abbati adminiſtratione prout diximus reſeruata, recipere non poſtponas, & ipſum vſque ad cauſæ terminum ita facias præſtante Domino cuſtodiri, quòd nec Epiſcopo, nec Abbati, aliqua indè valeat iniuria vel incommodum prouenire. Nos enim eis dedimus in mandatis, vt infra tempus iſtud nulla alter alterum ratione impugnet, & qui capti fuerant, liberè hinc indè permittantur abire. Extranei quoque excommunicati ab eodem caſtro diſcedant. Vt autem hæc omnia diligentiùs curet Regia Celſitudo complere, dilectum filium Stephanum Subdiaconum noſtrum, virum vtique honeſtum & litteratum, quem carum admodum acceptúmque tenemus, cum ſupradicto Epiſcopo iuxta petitionem ſuam ad tuam præſentiam duximus deſtinandum. Sublimitatem tuam rogantes attentiùs, quatinus tam eum quàm ipſum Epiſcopum pro reuerentia beati Petri ac noſtra regiá benignitate recipias, honeſtè tractes, & ea quæ ſublimitati tuæ ex parte noſtra ſuggeſſerint, ita indubitanter credas, quaſi ab ore noſtro tuæ fuerint Celſitudini declarata. Datum apud Montempeſſulanum II. Non. Iun.

A

EPISTOLA XCIII.

LVDOVICVS VII, IVNIOR.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVAM promptæ deuotionis affectibus Dei Eccleſiam & nos ipſos ſpecialiter amplectaris, quàm ſinceræ caritatis brachiis vnicam Chriſti ſponſam inter ceteros Catholicos Principes foueas ac defendas, beneficia plurima per te nobis collata declarant, & Regiæ ſerenitatis fides inuictiſſima manifeſtat. Non enim poteſt, nec vnquam poterit ab Apoſtolicæ Sedis memoria quantolibet ſucceſſu temporis aboleri, quomodo te ab ipſo noſtræ promotionis exordio pro domo Iſraël murum inexpugnabilem conſtitueris, quomodo fluctuantem Petri nauiculam fidei anchorâ, & prudentiæ tuæ remis, firmam in media rexeris tempeſtate. Indè eſt quòd te tanquam Catholicum Principem, & verè Chriſtianiſſimum Regem, ſinceta in Chriſti viſceribus affectione diligimus, honori & exaltationi tuæ libenter intendimus, & pro conſeruanda tuæ Celſitudinis gloria omnipotentem Dominum deuotis iugiter precibus exoramus. Litteras igitur, quas per dilectos filios noſtros T. Abbatem Sancti Germani, & B. familiarem Clericum tuum, viros quidem induſtrios ac diſcretos, & tuæ Celſitudini deuotiſſimos, Regia nobis Serenitas deſtinauit, B debita benignitate recepimus: & indè tam nos quàm Fratres noſtri ingenti ſumus hilaritate gauiſi. Vnde tam ex ipſis Litteris, quàm prædictorum relatione, tua voluntate pleniùs intellecta, nos quoque voluntatem noſtram per eoſdem tibi duximus exponendam. vt quod dilectus filius noſter Abbas Grandis-ſiluæ quem ad tuam Excellentiam miſeramus, quo caſu neſcimus omiſerat, per iſtos valeat tuæ Sublimitatis auribus intimari. Paramus etiam in continenti duos de Fratribus noſtris, quos inter alios Fratres noſtros caros ſatis & acceptos habemus, ad præſentiam tuæ Celſitudinis deſtinare. Per quos vtique & ſtatum Eccleſiæ, & voluntatem noſtram pleniùs tibi curabimus indicare, & tuam verſa vice Domino auctore ſciemus, ſicut illius vtique Principis, de quo pleniſſimam ad honorem & exaltationem Eccleſiæ Dei fiduciam obtinemus: vt per te ſcilicet ad tranquillitatis portum veniat & ſalutis. Regiam itaque clementiam præſentium ſignificatione rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus cùm ante conſpectum Regiæ Maieſtatis eos contigerit præſentari, ipſos pro reuerentia beati Petri ac noſtra benignè recipias, honeſtè tractes, & his quæ tibi ad honorem Dei, & tam Eccleſiæ quàm Regni tui commodum & exaltationem ex parte noſtra proponent, aſſenſum præbeas, & vtilem largiatis effectum. Ita quòd indè ab æterno Rege indeficientis præmij remunerationem accipere, & Sedis Apoſtolicæ gratiam perpetuò debeas tibi tuiſque poſteris pleniùs in omnibus ampliare. Datum apud Montempeſſulanum VI. Idus Iulij.

C

EPISTOLA XCIV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* SICVT meminiſſe poſſumus, Excellentiæ tuæ, quam erga ſacroſanctam Romanam Eccleſiam deuotiſſimam nouimus, tanquam illius vtique qui inter reliquos mundi Principes in fidei Catholicæ vnitate perſeuerare præcipuè ſtuduit, & ſtetuere: quòd ad Terram & commiſſum magnificentiæ tuę Regnum pro negociis & agendis vniuerſalis Eccleſiæ, atque pro pace Regni & vtilitate diſpoſuerimus pertranſire, Apoſtolicis Litteris olim inſinuare ſtuduimus. Sperantes & confidentes in Domino, quòd præcipuè magnificentiæ atque prudentiæ tuæ conſilio & auxilio, ac aliorum qui Eccleſiam Dei diligunt, ſtatus matris tuæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ poſſet in melius reformari, & ad pacis bonum reduci, quæ ſunt orta diſcordia perturbata. Sanè prædeceſſorum tuorum Catholicorum Regum veſtigia laudabiliter proſecutus, ſemper Romanam Eccleſiam, & perſonam noſtram, atque in hoc beatum Petrum, in cuius cathedra licèt immeriti reſidemus, præcipuè hoc perſecutionis tempore, honoraſti, anchoram ſpei tuæ immobiliter figens in eum, qui dixit Apoſtolis, & in eis primitiuæ Eccleſiæ, *Ecce ego vobiſcum ſum vſque ad*

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

conſummationem ſeculi, nulliſque tempeſtatum fluctibus, nullis perſuaſionibus vel blandiciis, tua potuit fidei ſinceritas inclinari, quo minus regia viâ Rex glorioſe incederes, & ambulares ſemitam quæ ducit ad cœleſtis patriæ claritatem. Vnde poſtquam Domino ducente ad Montempeſſulanum, in quo magnificè ac honorificè à Clero & populo recepti fuimus, veniſſemus, venerabilem Fratrem noſtrum B. Portuenſem Epiſcopum, & dilectum filium noſtrum I. Diaconum Cardinalem Eccleſiæ ſanctæ Mariæ in Coſmidin ad tuam præſentiam mittere diſpoſueramus. Poſtea verò ex relatione dilecti filij noſtri O. ſancti Nicolai in Carcere Tulliano Diaconi Cardinalis ad Sedem Apoſtolicam redeuntis, de ſtatu terræ illius pleniùs cognoſcentes; murato conſilio venerabiles Fratres noſtros Henricum Remenſem Archiepiſcopum, & Lingonenſem & Siluanectenſem Epiſcopos ad te duximus delegandos. Rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, quatinus eos clementer & benignè recipias, & his quæ prudentiæ regiæ, vna cum dilecto filio noſtro Abbate Grandis-ſiluæ, ex parte noſtra inſinuare ſtuduerint, fidem adhibeas, tanquam ab ore noſtro diſcretioni tuæ fuerint intimata. & ea ſicut de tua ſublimitate confidimus, vtili ſtudeas effectui mancipare. Decetero, quòd nobilis vir RAIMVNDVS Comes Sancti Egidij magnificè nobis occurrit, & ſe ac terram ſuam nobis expoſuit, & nos, atque in perſona noſtra beatum Petrum Apoſtolorum Principem veneratione debita ſtuduit honorare, vberes gratias ſublimitati tuæ perſoluimus, & tempore oportuno ipſi pro debito noſtri officij, quantum cum Deo poterimus ſtudebimus reſpondere. Datum apud Montempeſſulanum II. Kal. Madij.

EPISTOLA XCV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVAM acerbæ & irrationabilis ſeueritatis inſtantiâ ille Frater noſter Aurelianenſis Epiſcopus dilectos filios noſtros Letoldum, M. Capellanum, & Adam, Aurelianenſes Canonicos fuerit hactenus perſecutus, & nos ex multiplicata eorum querela cognoſcimus, & regia Excellentia ſicut credimus non ignorat. Eos enim pro ſua recuperanda iuſtitia iam ex longo tempore ſæpiùs appellando à propriis finibus exulare coëgit, & ipſos ad nos venientes, vel in noſtra præſentia conſtitutos bonis propriis iniuſtè prorſus & irrationabiliter ſpoliauit. Cùmque ſuper hoc noſtra ſæpè ſcripta receperit, eis omninò ſpretis atque contemptis, neque illis iuxta mandarum noſtrum ablata reddere, nec iuſtitiæ voluit plenitudinem exhibere. cùm nuncij ſui, quos ad nos propter hoc aliquando deſtinauit, potiùs ad fruſtratorias dilationes poſtulandas intenti, quàm ad iuſtitiam venerint exhibendam inſtructi. Et ſic præfati Canonici pro ſua iuſtitia diutiùs exulare compulſi, nos ſunt ex longo tempore terrâ marique ſecuti. Vndè niſi tuæ ſublimitatis prece placati eius noluiſſemus contumaciâ Sedis Apoſtolicæ manſuetudine tolerare. Potuimus enim eum atque debuimus iuxta rigorem Canonum ſatis grauiter vindicare. Hactenus igitur eius inobedientiam tuarum precum intuitu cum omni patientia ſubportantes, nuper ſibi per iterata ſcripta mandauimus, quòd vel prædictis Canonicis vniuerſa ablata cum integritate reſtituat, vel in proximo feſto ſancti Lucæ ad præſentiam noſtram per ſe vel ſufficientem reſponſalem plenariè illis ſuper his omnibus reſponſurus accedat. Alioquin ex tunc nec iſtorum iuſtitiam eſſe patiemur aliquatenus diminutam, nec illius contumaciam actore Domino præteribimus impunitam. Datum apud Montempeſſulanum II. Idus Iulij.

EPISTOLA XCVI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTVM filium noſtrum Magiſtrum I. Clericum tuum, qui multo feruore deuotionum & ſinceritate fidei circa honorem & exaltationem tuam exuberare videtur, cùm ab Excellentia tua pro verbo pacis ad nos fuerit ſpecialiter deſtinatus, cum certo verbo pace ad te remitrimus. Licèt autem propter hoc magnum & honorificum Nuncium tuæ propoſuiſſemus ſerenitati tranſmittere, quem ſcimus

præ

A præ cunctis mortalibus Eccleſiæ ac nobis in noſtræ perſecutionis tempore vtiliſſimum & fructuoſiſſimum extitiſſe, cui etiam poſt Deum aſcribimus quicquid Eccleſiæ ac nobis proſperitatis, honoris, & gloriæ accidit: Attendentes tamen & conſiderantes deuotionem & fidem ac laudabile propoſitum prædicti Clerici tui per eum tibi tanquam filio cariſſimo & Chriſtianiſſimo Regi felices pacis ſucceſſus ſignificamus. Noſcat itaque magnitudinis tuæ ſerenitas, quòd cariſſimus in Chriſto filius noſter FREDERICVS illuſtris Rom. Imperator cum Principibus ſuis, quos ſecum habebat, & Eccleſiaſticis maximè, diuina tactus intrinſecus gratiâ, & cœleſtis benedictionis imbre perfuſus, vanitatis errorem prorſus depoſuit, & ad obedientiam Eccleſiæ ac noſtram humilians ſe in conſpectu Dei, & in oculis hominum, humiliter & deuotè ſicut decuit rediit, & beato Petro in nobis illam reuerentiam & honorem exhibuit, qnem anteceſſores eius noſtris conſueuerunt anteceſſoribus exhibere, & de cetero ſe firmiter & immobilitet exhibitutum promiſit. Super quo vtique, Altiſſimo, à quo omne bonum procedit, laudes deuotiſſimas agimus, & conſequenter tibi & Regno tuo gratias multimodas reddimus: per cuius auxilium & potentiam, præeunte cœleſti gratiâ, nos ad tantum & deſiderabile bonum perueniſſe non dubitamus. Rogamus itaque Excellentiam tuam, monemus & exhortamur in Domino, quatenus vnam cum Regno tuo reuerentiam & deuotionem, quam matri tuæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ in nobis exhibuiſti, decetero firmiter & conſtanter exhibeas, & ita honori eius & exaltationi feruenter inrendas, quòd ex hoc Regnum valeas adipiſci cœleſte, & tibi pleniùs conſeruare terrenum. indubitatam ſpem & fiduciam obtinens, quòd fides & deuotio nullo vnquam tempore à noſtra elabi memoriâ poterit, quam tu & Regnum ruum Eccleſiæ ac nobis in tantæ neceſſitatis articulo magnanimiter exhibuiſtis. Imò decetero te & Regnum tuum fructuoſiùs & efficaciùs fouete, actore Domino, & amplexari curabimus. Datum Venet. in Riuoalto II. Kal. Auguſti. B

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA XCVII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus Fratribus G. Senonenſi Archiepiſcopo, & Suffraganeis ſuis, & dilectis filiis Abbatibus in Senonenſi prouincia conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CVM per auxilium, potentiam, & fauotem, cariſſimi in Chriſto filij noſtri LVDOVICI illuſtris Francorum Regis, & Regni ſui, ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ac nobis recognoſcamus glorioſa & magnifica beneficia ptoueniſſe: dignum eſt, & conſentaneum rationi, vt illi, & vobis, quorum auxiliis potenter ſumus in neceſſitatibus noſtris adiuti, proſperos & felices pacis ſucceſſus ſignificemus: indubitata veritate tenentes, quòd poſt Deum idem Rex ſimul cum Regno ſuo cooperatus eſt honori & exaltationi Eccleſiæ, & ei magnum contulit incrementum. Quod quidē ſicut verbo recognoſcimus, ita opere & ſermone omni tēpore auctote Domino recognoſcimus. C Notum ſit autem ſollicitudini veſtræ, quòd catiſſimus in Chriſto filius noſter FREDERICVS illuſtris Romanorum Impetator per inſpirationem diuinæ gratiæ depoſito vanitatis errote ad viam veritatis conuerſus, ad obedientiam Eccleſiæ & noſtram reuerenter & deuotè ſicut decuit rediit, & illam beato Petro in nobis reuerentiam & deuotionem exhibuit, quam anteceſſores eius noſttis conſueuerunt anteceſſoribus exhibere. Super quo vtique laudes Altiſſimo agimus, & conſequenter Regi & Regno gratias copioſas referimus, de eo quòd Eccleſiam & nos ipſos in tribulationibus & perſecutionibus noſtris nequaquam deſeruit: ſed vſque in finem magnificè iuuit, atque defendit. Monemus itaque dilectionem veſtram & hortamut attentiùs, quatinus Eccleſiæ & nobis in proſperitatibus congaudentes, in deuotione beati Petri & noſtra firmiter, ſicut hactenus petſtitiſtis, perſeueretis, & Regem, vt in eodem cum Regno ſuo perſiſtat, monere propenſiùs & inducere ſtudeatis. Datum Venetiis in Riuo alto, VI. Kal. Auguſti.

In Codice MS. ſunt hic aliquot folia non ſcripta, deinde Epiſtolæ ſequentes.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA XCVIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CONSIDERANTIBVS nobis eximia gloriæ tuæ præconia, nihil facile videtur occurrere, quod tanta commendatione dignum exiſtat, & tam ſecurum de ſempiterna retributione poſſit efficere, quàm quòd ſincera deuotione Religionem diligere comprobaris, & ad eam in Regno tuo plantandam, iuxta quod regiæ conuenit officio dignitatis libenter intendis. Vtinam qui ſunt in ordine Sacerdotum, ad inſtitutionem & conſeruationem Religionis eo animo & curâ præcederent, quo fauor regius ad defenſionis auxilium ſequeretur. Credimus enim, quia ita per Regnum tuum totius ſtatus Eccleſiæ ſe haberet, quòd & nomen Domini honoraretur in omnibus, & turbæ fidelium populorum in via vitæ duces plurimos inuenirent. Nunc autem dormitantibus Sacerdotibus, quos aliorum cuſtodiæ oportet intendere, tepeſcit in multis locis ſacra Religio: & vt cuiuſdam verbis vtamur, Pro molli viola & purpureo narciſco, infelix lolium & ſteriles dominantur auenæ. Hoc ſanè in Eccleſia ſancti Victoris non modicum dolemus accidere, quæ cùm olim in Religione floreret, ita nunc, quod triſtes dicimus, in ſuæ profeſſionis aſſeritur obſeruantiâ tepuiſſe: vt quæ multis manum in via ſalutis errantibus B porrigebat, nunc auxilio alieno indigeat, & non inueniat qui ſubleuet eam. Nec tamen ex eo perhibetur accidere, quòd non ſint ibi plures, qui & notitiam Religionis habeant & amorem. ſed quibuſdam cum ſuo capite membris languentibus, in eadem Eccleſia feruor Religionis noſcitur tepuiſſe. Nos autem, cùm iamdudum ad nos ſuper eorum tepiditate relatio peruenerit plurimorum, diſtulimus hactenus aurem apponere, & neceſſariam adhibere tam graui valetudini medicinam. expectantes quòd aliquando reducerent oculos ad ſeipſos, & de reformanda Religione ſtudioſiùs cogitarent. Capite verò quæ ad emendationem ſuorum & ſubditorum pertinent negligentiùs exequente, nos iam tandem executioni eorum quæ dicta ſunt oportet intendere: & ſi verus ſit rumor, qui totiens aures noſtras aſperſit, quia in propria perſona non poſſumus, per alios inuenire. Ita quidem, vt ſi vera comparuerint quæ dicuntur, per eoſdem dilatione ſepoſita, medicina quam viderint neceſſariam apponatur. Venerabilibus ergo Fratribus noſtris N. vices noſtras in hoc negocio prævidimus committendas, qui quantò pleniorem & faciliorem huius rei potuerint habere noticiam, tantò cum minori grauamine ſalutis remedia prouidebunt. Quia verò magnificentiæ tuæ ad cumulum mercedis accedet, ſi per illorum inſtantiam fauore regio imminente prædictæ ſtatus Eccleſiæ dirigatur, Celſitudinem tuam monemus & exhortamur in Domino, quatenus ad executionem huius negocij fauorem tuum impendas, & nullam patiaris conditionem apponi, quominus ibi quæ prædicti viri ſtatuenda viderint ſtatuantur. Ne ſi fortè diutiùs medicina tardauerit, & diſſimulantibus nobis languor cœperit aggrauari, ſenſus etiam C doloris intercedat, & cum multa difficultate poſtmodum vix redeat ad ſalutem.

EPISTOLA XCIX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus Fratribus VV. Senonenſi Archiepiſcopo, Apoſtolicæ Sedis Legato, & S. Meldenſi Epiſcopo, & dilecto filio Abbati Vallis-ſecretæ, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CREBRA iamdudum ſuggeſtio ſuper ſtatu Eccleſiæ ſancti Victoris noſtrum pulſauit auditum, & timemus nos in extremo examine ſeueriùs iudicandos, ſi ad inquirenda & corrigenda quæ ſuggeruntur tardi fuerimus aut remiſſi: dicente Scriptura, *Maledictus qui prohibet gladium ſuum ab omni ſanguine.* Olim ſanè ad doctrinam ſalutis, quæ de loco illo fluebat, & bonæ conuerſationis odorem, quo eadem flagrabat Eccleſia, in multis Eccleſiis & praua in directa, & aſpera conuertebantur in vias planas. & erat verè puteus aquarum viuentium, de quo arentia corda multorum ad extinguendum mundanorum deſideriorum æſtum vitæ potum haurirent. Nunc autem, vt dicitur, dormitante paulatim cuſtodia prouiſoris, & refrigeſcente in capite Religionis amore, ad partem quoque membrorum quidam ſe lethalis torpor effudit.

A & factum eſt ibi quod de quodam dicitur per Prophetam: *Comederunt alieni robur eius, & neſciuit. ſed & cani effuſi ſunt in ea, & ipſe ignorauit.* Nec hoc tamen dicimus, quòd non credamus ibi & ſapientes & religioſos viros plurimos inueniri, qui multis eſſe poſſunt odor vitæ in vitam. Sed non eſt facile, cum multa quoque vi remigum dirigi nauem ad portum, ſi rector qui clauum tenet imperitus fuerit aut remiſſus. Iccirco, ne fortè contingat illi quod de ſeipſo lamentabatur Propheta, dicens: *Amici mei & proximi mei aduerſum me appropinquauerunt, & qui iuxta me erant à longè ſteterunt.* quia in propria perſona eandem Eccleſiam viſitare non poſſumus, ei viſitationis officium decreuimus dependendum. Per Apoſtolica vobis ſcripta mandantes, quatinus illuc accedentes, de ſtatu eius, & de actibus Abbatis & Fratrum, maturitate ac diligentiâ qua conuenit inquiratis. & quicquid ibi cognoueritis corrigendum, vice noſtra taliter corrigatis, vt & Religio ibi per ſtudium veſtrum ex gratia diuina refloreat, & nos de diſſolutione tantæ Domus non teneamur in die iudicij reddere rationem. Si videritis autem, quòd niſi per amotionem vnius aut plurium perſonarum ſtatus Eccleſiæ reformari non poſſit, nec in hoc parcat gladius veſter. ſed plenam à nobis auctoritatem accipite, appellatione remota, quæ euellenda fuerint euellendi, & quæ plantanda fuerint Domino auctore plantandi. Nos enim ita per vos apud Deum volumus excuſabiles inueniri, vt non ſit qui à nobis de ſpirituali eiuſdem Eccleſiæ detrimento B in extremo examine requiratur. Si autem his exequendis vos tres non poteritis intereſſe, duo veſtrûm non minus hæc quæ dicta ſunt maturiùs exequantur. Datum Tuſcul. Kal. Febr.

EPISTOLA C.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Abbati & Canonicis ſancti Victoris Pariſ. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* IAMDVDVM ad nos de ſtatu veſtro peruenit, quod requiri diſtrictiùs, & corrigi oportebat. Nos autem, quia Eccleſia veſtra longo tempore per Dei gratiam religione floruit & ſcientiâ, ita vt in odore vnguentorum veſtrorum multi concurrerint, & in lumine veſtro viderint lumen, expectauimus hactenus, ſi tandem per voſmetipſos rediretis ad vos, & de medio veſtri diſſenſionis & ſcandali materiam tolleretis. Ceterùm, quia in expectatione noſtra non tam correctionem aliquam ſubſequi, quàm infirmitatem veſtram aggrauari, conſpicimus, dignum duximus ad Eccleſiam veſtram perſonas aliquas deſtinare: venerabiles ſcilicet Fratres noſtros VV. Senonenſem Archiepiſcopum, Apoſtolicæ Sedis Legatum, & S. Meldenſem Epiſcopum, & dilectum filium N. Abbatem Vallis-ſecretæ. qui quomodo ſe habeat ſtatus veſter inquirant, & quæ corrigenda cognouerint appellatione remota corrigant, & emendent. Quocirca per Apoſtolica vobis ſcripta præcipiendo mandamus, quatinus expoſitis eis cùm ad vos venerint, quæ neceſſitas & emendatio veC ſtra poſcit exponi, quæ inter vos ipſi, vel duo eorum, aut de reformanda Ordinis diſciplina, aut de perſonis ſi res exegerit amouendis, ſtatuendum eſſe cognouerint, ſuſcipiatis humiliter, & firmiter obſeruetis. Datum Tuſcul. Kal. Febr.

EPISTOLA CI.

DILECTIS *& diligendis ſemper in Chriſto Fratribus, VV. Dei gratiâ Senonenſi Apoſtolicæ Sedis Legato, & S. Bituricenſi Archiepiſcopis,* ALEXIVS *tit. S. Laurentij in Lucina, & The. tit. ſancti Vitalis, dignatione diuina Presbyteri Cardinales, Apoſtolicæ Sedis Legati, cum iuſtitia parere in conſpectu Dei.* INVETERATIS in via ſeculi peccatoribus, & ad viam ſalutis per auſteriores obſeruantias reuocandis, vtiliter & prouidè conſulitur, ſi peccandi oportunitas adimatur. De Fratre E. quondam Sancti Victoris Abbate, quomodo carnem ſuam crucifixerit cum vitiis & concupiſcentiis, quàm diligens etiam de ſalute ſubiectorum ſuorum extiterit, non oportet nos veſtris auribus intimare. Vos enim pleniùs noſtis, qui effodiſtis parietem, & latentia intus reptilia conſpexiſtis. Nunc autem, vt dicitur, quod timuerunt Fratres in amotione ipſius, niſi prudentia veſtra occurrat, euenit eis: & quod verebantur accidit. Locum enim illum, in quem ad tempus eum vos mittere dicebatis, donec videlicet ordinaretur Eccleſia, retinere laborat: & qui ſi

Lvdovicvs VII. Ivnior.

rectè ſaperet locum ſibi deberet eligere, in quò laborc manuum, afflictione cor- A
poris, & voluntaria paupertate ſatisfaceret Domino Deo ſuo; locum potiùs habe-
re deſiderat, in quo tranſgreſſionibus tranſgreſſiones accumulet, & epuletur co-
tidie ſplendidè cum illo diuite purpurato. Non eſſet hoc bonorum, ſicut credi-
mus, medicorum, qui & reſtrictione cibi, & oporrunitate loci, ſalubrem proui-
dere debent languentibus medicinam. Vndè caritatem veſtram monemus & ex-
hortamur in Domino, quatenus opponatis ad hoc Pontificalem ſollicitudinem, &
ne in peſtifera ille voluntate præualeat, ſtudioſiùs peragatis, ne ſanguis illius in
die Iudicij de manu veſtra requiratur, ſi & in dieta, & in aliis, quæ inuitis etiam
interdum à bonis medicis inferuntur, ſalubriter ei non fuerit prouiſione veſtra
conſultum. Valete.

EPISTOLA CII.

ALexivs *dignatione diuina tit. ſancti Laurentij in Lucina, & Tho. tit. ſancti Vi-
talis, Presbyteri Cardinales, Apoſtolicæ Sedis Legati. Dilecto in Chriſto Fratri G.
Abbati Sancti Victoris, exerceri ſemper in iuſtificationibus Dei.* Scribimvs Fra-
tribus noſtris Senonenſi & Bituricenſi Archiepiſcopis, ſicut vobis & Eccleſiæ ve-
ſtræ credimus expedire. Sanè in honore vobis impoſito, & gaudemus ſuper eo
quod factum eſt, quoniam ad ſalutem multorum auxiliante Domino prouenire
ſperamus, & lætamur. Difficultatem prouiſionis impoſitæ attenditis, & timetis. B
Vtinam hoc religio veſtra ſemper attendat, & cum timore ac tremore conſideret,
cui & vndè in die Iudicij oporteat rationem reddere. Credimus enim, quia non
facilè locus dabitur negligentiæ, ſi hoc ſedulò fuerit in animo veſtro verſatum.
Fuerit anteceſſor veſter, ſint & alij multi de magnarum domorum conſtructione
ſolliciti. vos qui electi eſtis à Domino, & veniendo ad Religionem talia dimiſiſtis
in ſeculo, ſedete ad pedes Iesv cum Maria, & audite verbum ex ore ipſius, quod
commiſſis vobis ouibus, & aliis qui ad vos venerint, proponere debeatis: ne ſi
fortè terrenis ædificiis conſtruendis decreueritis inſiſtendum, Euangelicum illud
valeatis audire: Omnes ædificationes iſtæ deſtruentur, & nec lapis ſuper lapidem
relinquetur. Porrò & nos bona ſpe, quam de veſtra religione concepimus, & te-
ſtimonio piæ veſtræ conuerſationis inducti; & perſonam veſtram in viſceribus cari-
tatis habere proponimus, & negocia commiſſæ vobis Eccleſiæ in timore Dei liben-
ter volumus promouere.

EPISTOLA CIII.

VV. *Dei gratiâ Senonenſis Archiepiſcopus, M. Pariſienſi Epiſcopo ſalutem.* In quan-
tam & quàm pernicioſam Frater E. quondam Abbas ſancti Victoris ex in-
ordinatis actibus ſuis Eccleſiam & Fratres vniuerſos, qui tam religione quàm lit-
teratura præ ceteris præminere dinoſcuntur, adduxerit confuſionem, veſtra nouit
pleniùs circumſpectio. Qui cùm Sanctos, qui ſecum erant, pro viribus impugna- C
uerit, & ſanctitatem perſecutus fuerit, ea per Dei gratiam ſibi amputata nocendi
Facultate, nondum vt accepimus quærit nomen Domini: ſed adhuc manus eius
extincta eſt, & cùm internam & æternam non poſſit ſubuertere diſciplinam, variis
& innumeris exteriorum tentationum generibus eorum nititur perturbare quie-
tem. Proindè cùm theſaurum Eccleſiæ adhuc occultare contendat, fraternitati
veſtræ præſentium auctoritate iteratò mandamus, quatinus ad Eccleſiam omni
morâ ſemota accedentes, ſub teſtimonio dilecti filij noſtri G. Abbatis & Fratrum
memoratæ Eccleſiæ, enthecas & repoſitoriola prætaxati Er. ſcrutari curetis, & ca-
licem aureum, & alia quæ ad ius Eccleſiæ beati Victoris ſpectantia ibidem inuene-
ritis, Abbati & Fratribus aſſignetis. Depoſitum verò Archiepiſcopi Daciæ in loco
reponatis in Eccleſia maiori. Si verò memoratus Er. prædicta exhibere detrecta-
uerit, nihilominus vaſe iniquitatis & mammonæ confracto, quæ prædiximus exe-
cutioni mandetis.

EPISTOLA CIV.

ALexander *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Capitulo ſancti Satyri
ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Eos, qui relictis vanitatibus & munda-
nis illecebris, in arctiori vitâ deuouerint Domino famulari, ſumma curâ & dili-

A gentiâ vigilare oportet iugiter, & intendere, qualiter aſſumptæ Religionis habitus moribus & vitæ concordet, & propoſitum ſuum firmum & immobile conſeruetur: ne ſuper arenam, ſed potiùs ſuper firmam petram Domini videantur fundaſſe. Indè eſt, quòd caritatem veſtram monemus, mandamus, atque præcipimus, quatinus dilecto filio noſtro Abbati veſtro omnimodam obedientiam & reuerentiam deuotè & humiliter impendentes, circa cultum religionis & honeſtatis, & Canonici Ordinis obſeruantiam; ſicut olim bonæ memoriæ Radulfi quondam Abbatis veſtri, feruenter & vnanimiter intendatis: & conſuetudines illas probatas, quæ in diebus eiuſdem Abbatis ſalubri & rationabili prouidentiâ in Monaſterio veſtro inſtitutæ fuerint pariter & ſeruatæ, præſertim in carnalis eſus abſtinentia extra clauſtrum, ſicut in clauſtro, nullatenus violare temptetis. Si quis autem veſtrûm contra eaſdem inſtitutiones temerè venire temptauerit, vſque ad ſatisfactionem congruam eum eidem ſententiæ ſubiacere decernimus, quam prædictus Abbas in eorumdem tranſgreſſores rationabiliter noſcitur ſtatuiſſe. Ad hæc, auctoritate vobis præſentium firmiter inhibemus, quòd in Capitulo nullus veſtrûm pro euitanda diſciplina in vocem appellationis prorumpat. & ſi pro tali cauſa duxerit appellandum, appellationem ipſam nullius momenti eſſe cenſemus, quominus ſecundum veſtri Ordinis inſtituta regulari diſciplinæ ſubdatur. Datum Beneuenti.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

B

EPISTOLA CV.

ALEXIVS *dignatione diuina tit. ſancti Laurentij in Lucina, & The. tit. ſancti Vitalis, Presbyteri Cardinales, Apoſtolicæ Sedis Legati. Dilecto in Chriſto Fratri G. oculos habere ſemper ad Dominum.* CREDIMVS Dominum Papam præſentia & obſequio tuo opus habere. Mandamus igitur, & ex parte domini Papæ in virtute obedientiæ tibi præcipimus, quatinus ſuſceptis his Litteris, ad præſentiam noſtram accedere non omittas. Quod & ſi te alia cauſa non traheret, ex ſola conſideratione viſionis noſtræ te credimus ad hoc ſine difficultate aliqua inducendum. Videris ne te inobedientiæ, aut minoris erga nos affectionis arguere valeamus.

EPISTOLA CVI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Canonicis Eccleſiæ ſancti Victoris Pariſ. ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVANTO Eccleſia veſtra maiori hactenus religione floruit, & ampliori refulſit gloriâ meritorum; tantò audita reformatione ipſius, lætati ſumus ampliùs & gauiſi, & de ipſius commodo & profectu exhilarati. Audiuimus ſanè, quòd venerabilibus Fratribus noſtris Bituricenſi & Senonenſi Archiepiſcopis cooperantibus, & ad hoc iuxta
C mandati noſtri tenorem toto ſtudio laborantibus, Eccleſia veſtra in ſtatum & gradum ſit priſtinum reformata: & Ern. quondam Abbate veſtro ſpontaneè in præſentia dilectorum noſtrorum A. tit. ſancti Laurentij in Lucina, & T. tit. ſancti Vitalis, Presbyterorum Cardinalium, Apoſtolicæ Sedis Legatorum, amminiſtrationi cedente, cuius culpa ſtatus eius fuerat in parte non modica deformatus, perſonam idoneam, honeſtam, & litteratam in Abbatem veſtrum communiter elegiſtis, & prouidere vobis curaſtis vnanimiter in Paſtorem. Nos verò, quibus conuenit rationabilibus votis atque ſtatutis gratuitum præſtare fauorem, & incrementa deſiderare virtutum, electionem veſtram, & abrenunciationem illius, de communi Fratrum noſtrorum conſilio ratam & firmam habemus & confirmamus. Vniuerſitatem veſtram monentes, atque mandantes, quatinus Abbati veſtro quem elegiſtis debitam reuerentiam & obedientiam impendatis, & ita vos ſibi deuotos & humiles exhibere curetis, quòd per obedientiam veſtram, & prouidentiam illius, ordo Religionis & honeſtatis in Eccleſia veſtra refloreat, & pleniùs valeat auxiliante Domino conſeruari. Datum Tuſculani III. Idus Aprilis.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CVII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio G. Abbati ſancti Victoris ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* INTELLECTO & cognito, quòd cum ERNISIO quondam Abbate Eccleſiæ, cui præeſſe dinoſceris, libera & ſpontanea voluntate amminiſtrationi cedente, Fratres ipſius Eccleſiæ te ſibi elegiſſent communi voto & deſiderio in Abbatem, tantò indè magis lætamur atque gaudemus, quanto de ipſius Eccleſiæ turbatione dolebamus ampliùs, & pro eius ſtatu maiori anxietate & ſollicitudine vrgebamur. Vndè quia decet te ſollicitè attendere, quantæ religionis & honeſtatis Eccleſia, ad quam es Domino prouidente vocatus, hactenus extiterit, & quomodo ibi rigor regularis diſciplinæ viguerit, diſcretionem tuam monemus atque mandamus, quatenus iniunctæ tibi amminiſtrationi prudenter & conſtanter intendas, & ita commiſſum tibi officium ad honorem Dei & ædificationem tuam, & eorum qui tibi commendati ſunt, cum auxilio cœleſtis gratiæ efficaciter & diligenter exerceas, quòd ibi per prudentiam & ſollicitudinem tuam Religionis ordo ſemper refloreat, & de die in diem magis ac magis ſuſcipiat incrementum. Nos enim te & eandem Eccleſiam diligere volumus & fouere, & vobis cùm fuerit oportunum Apoſtolicæ defenſionis patrocinium miniſtrare. Datum Tuſculani III. Idus Aprilis. B

EPISTOLA CVIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CVM dilectum noſtrum Priorem Hoſpitalis Domus, quæ apud Cerel. ſita eſt, ad noſtram nuper præſentiam vocauerimus, eum in Angliam pro quibuſdam Eccleſiæ negociis tranſmiſſuri: preces à tua Sublimitate directas accepimus, vt ei ad hoc inducias præberemus. Quia verò graue nobis cognoſcimus & damnoſum, ſi hoc iter eius diutiùs differatur, rogamus attentiùs Serenitatem tuam, quatenus eidem Priori ad aggrediendum quod ſibi iniunximus iter licentiam largiaris. Datum Senonis v. Idus Nouembris.

EPISTOLA CIX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* ILLOS tuam decet magnificentiam pia protectione defendere pariter & fouere, qui tollentes crucem ſancta & venerabilia loca, quæ Dominus corporali præſentiâ illuſtrauit, viſitare diſponunt, & ibi contra inimicos Crucis Chriſti Domino militare. Veniens autem ad noſtri Apoſtolatus præſentiam P. miles lator præſentium, votum ſuum nobis propoſuit, & ſe velle Hieroſolymam ire conſtanter aſſeruit. C Verùm quia vxore ſua circa eum ſe turpiter & inhoneſtè habente, & ſe ob perpetrati ſceleris culpam ab eo abſentante, iſte paternam hereditatem ſine ipſius conniuentia nec vendere poteſt, nec pignori obligare, diſpoſitum iter nullatenus valet adimplere. Sed quoniam vxor thorum maritalem, ſicut dicitur, per adulterium commaculauit, dummodò iſte velit continenter viuere, ad eam non cogitur vlla ratione redire, Serenitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, & exhortamur in Domino, quatinus ſi ita eſt, diuini amoris intuitu liberum ei facias, vt ipſi poſſeſſiones ſuas vendere cui voluerit licitum ſit, vel pignori obligare: & his, quibus vendiderit, ſeu pignori obligauerit, nullam patiaris ſuper hoc iniuriam vel moleſtiam indebitè irrogari. Datum Turonis x. Kal. Ianuar.

EPISTOLA CX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* EXPOSCIT tuæ Celſitudinis pia deuotio, his ſemper intendere, quæ ad commodum indigen-

A tium Clericorum non eſt dubium pertinere. Peruenit autem vſque ad nos, quòd Iohannes Baril. R. Sacerdoti domum quandam & vineas, quas iure hereditario poſſidebat, auſu temerario abſtulit, & eas ſibi reddere contradicit. Vnde magnificentiam tuam rogamus, & tanquam in Chriſto cariſſimum Eccleſiæ filium attentiùs exhortamur, quatinus ſi ita eſt, ita faciat tuæ diſcretionis ſublimitas præfato Sacerdoti in præſentia tua, vel alterius de quo plenariè poſſis confidere, iuſtitiæ plenitudinem exhiberi, vt idem Sacerdos ius ſuum ſe gaudeat fuiſſe plenariè conſecutum. Datum Senonis xvi. Kal. Aprilis. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CXI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri Sueſſionenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* LATORIS præſentium A. à Hieroſolymis redientis nobis nuper relatio patefecit, quòd timore VVa. Abbatis ſui perterritus Dorbacenſe Monaſterium, in quo monaſticum habitum ſe aſſerit ſuſcepiſſe, irregulariter dereliquit. Poſtea verò ab Abbate ſuo licentiâ, ſicut dicitur, impetrata, terram quam Dominus corporaliter viſitauit, intuitu deuotionis petiuit, & per nos rediens, Apoſtolicæ Sedis implorauit auxilium. Ideóque fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinus Abbatem iam-
B dicti Monaſterij diligenter commoneas & inſtanter, vt memoratum A. diſciplinâ ſecundum Regulam beati Benedicti & conſuetudinem Ordinis eiuſdem Monaſterij ſeruata, in Monaſterium ſuum recipiat, & paterna illum caritate pertractet. Datum Anagniæ VII. Kal. Maij.

EPISTOLA CXII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVIA de regiæ ſublimitatis induſtria exiſtimatio ſemper talis procedit, vt ſupernæ contemplationis amore circa conſeruationem Eccleſiarum ſedulam operam & curam probêris impendere, piam ſollicitudinem tuam commendamus in Domino, qui te volumus & deſideramus ſemper circa pia opera exercitari, & ſicut Regem Chriſtianiſſimum in omnibus tuis bonis actibus proſperari. Indè eſt, quòd ad tuæ magnitudinis notitiam volumus peruenire, nos ex tenore Litterarum venerabilium Fratrum noſtrorum Turonenſis Archiepiſcopi, & Andegauenſis Epiſcopi, & dilecti filij noſtri Abbatis Maioris-monaſterij euidentiùs accepiſſe, quia Prior Caſtrifortis, & alij ſocij eius in accuſatione dilecti filij noſtri Burgulienſis Abbatis viri quidem religioſi & Deum timentis, penitus defecerunt, & omninò ſunt mendaces reperti, & propterea excommunicationis vin-
C culo innodati. Ceterùm, quoniam prædictus Prior bona Eccleſiæ ipſius loci diſſipare præſumit, & illicita inuaſione auferre, Celſitudinem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino: quatinus pietatis intuitu, & pro reuerentia beati Petri ac noſtra, res & iura Burgulienſis Eccleſiæ protegas, manuteneas, & conſerues, & præfatum Priorem nulla ratione foueas, ſed ipſum tanquam excommunicatum attentiùs euites. Dominum quoque Caſtrifortis, qui res Eccleſiæ ſancti Chriſtophori ſua violentiâ dicitur inuaſiſſe, ad ablata omnia eidem Eccleſiæ reſtituenda, & ne deinceps talia contra præfatam Eccleſiam attemptare præſumat, vel ſæpedictum Priorem fouere, commiſſa tibi deſuper poteſtate compellas. Datum Senonis VIII. Idus Decembris.

EPISTOLA CXIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* REDIENS ad nos dilectus filius P. Subdiaconus noſter diligenti nobis narratione propoſuit, quomodo Sublimitatis tuæ clementia eum honorificè & decenter ſuſcepit, & omnem illi honorem & gratiam, quam magnificum & Chriſtianiſſimum Principem decuit, ob Dei & noſtri reuerentiam exhibere curauit. Qualiter etiam ea quæ

Lvdovicvs VII. Iunior.

regiæ magnificentiæ ex parte noſtra propoſuit, cum omni manſuetudine & diligentia tuæ ſinceriſſimæ benignitatis affectio exaudiuit. Dilectum autem filium noſtrum nobilem virum Hugonem Baronem tuum, per quem nobis Excellentia tua reſpondit, debita benignitate ſuſcepimus, & eius verbis promptam diligentiam adhibentes, conſilium tuum gratum omnimodis & acceptum habemus. Veruntamen in hoc circa nos & Eccleſiam Dei admirandæ tuæ deuotionis ſinceritas euidenter comparuit, qui ob reuerentiam Dei & honorem beati Petri, ac noſtrum, vni de Clericis noſtris tantam gratiam exhibuiſtis. Indè ſiquidem eſt quòd nos tam ſuper his quàm ſuper aliis nobis & noſtris multipliciter à Celſitudine tua collatis, omnimodas ſinceritati tuæ gratiarum referimus actiones: magnificentiæ tuæ præſentium ſignificatione notum fieri cupientes, quòd quàm citiùs cum opportunitate fieri poſſet, præſentiam tuam vellemus & conſilium ſuper his, quæ nobis ſignificaſti, libenter habere. Datum Senonis Idibus Ianuarij. A

EPISTOLA CXIV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DESIDERIVM & affectum tuum, quem circa obſequium superni Conditoris, ob tuorum peccatorum veniam obtinendam regia magnificentia habere dinoſcitur, B gratum admodum & acceptum habemus, & eum digniſſimis in Domino laudibus commendamus. Accepimus autem ex Litteris tuis, regiæ Celſitudini per alia ſcripta non fuiſſe expreſſum, vtrum in Quarantenis ſexta feriâ illam relaxationem, quam in ſexta feria aliorum temporum tibi fecimus, debeas obſeruare. Vndè nos eandem relaxationem taliter duximus diſtinguendam, ſcilicet vt in Quadrageſima, quæ dicitur beati Martini, vſque ad Aduentum Domini, in ſexta feria vno ferculo piſcium, & vino temperatè ſumpto vtaris. In Aduentu verò & in maiori Quadrageſima conſuetam abſtinentiam ſemper ſexta feriâ obſeruabis. Si autem debilitas corporis non poterit abſque graui detrimento illam abſtinentiam ſuſtinere, volumus, & per Apoſtolica ſcripta magnificentiæ tuæ præcipimus, vt in his ſicut in aliis temporibus, ſexta feriâ vno ferculo piſcium, & vino modicè ſumpto vtaris. Conſulimus etiam Serenitati tuæ, & ſuademus, vt ſecundum conſilium dilecti filij noſtri Capellani tui, eleemoſynas tuas temporibus ipſis debeas augere. Nouerit autem regia ſublimitas, Quadrageſimam ab octauis omnium Sanctorum, & non antea, inchoari. Datum Senonis XIII. Kal. Septembris.

EPISTOLA CXV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio nobili viro Theubaldo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* RELIGIOSA loca, & honeſtas perſonas tantò nobilitatem tuam conuenit artiori caritate diligere, quantò eas noueris C feruentiori ſtudio religioſæ conuerſationis ſeruitio Conditoris inſiſtere, & ad ipſius gratiam promerendam ex bonis operibus inſudare. Pro Eccleſia itaque Bonæuallis, & dilecto filio noſtro VValtero, quem Fratres eiuſdem loci, alio renuntiante oneri prædictæ Eccleſiæ, in Abbatem ſuum vnanimiter & concorditer elegerunt, & pro eiſdem Fratribus Nobilitatem tuam rogamus attentiùs, quatinus pro reuerentia beati Petri ac noſtra, Eccleſiam ipſam & prænominatum Abbatem & Fratres diligas, manuteneas, & à prauorum impetu eoſdem protegas viriliter & defendas. ita quòd ab omnipotenti Domino merearis exindè præmium æternæ retributionis percipere, & gratiam Apoſtolicæ Sedis omni tempore obtinere. Datum Bituricis III. Kal. Maij.

EPISTOLA CXVI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* AD tuæ ſublimitatis notitiam accepimus perueniſſe, quomodo Comites Aluerniæ, ac Vicecomes de Polenniaco, villam Briuatenſem, quæ tua eſſe dinoſcitur, irreue-

A renter aggreſſi, ipſam Briuatenſem Eccleſiam, quæ ad ius beati Petri ac noſtrum ſpecialiter pertinet & tutelam, depopulari non ceſſant. & domum Decani nequiter obſidentes, eam machinis quoad poſſunt expugnant. Vnde nos tantam audaciam relinquere non valentes aliquatenus incorrectam, iuxta officij noſtri debitum, tam eos quàm Præpoſitum & Abbatem Briuatenſem, qui eos induxerunt, per noſtras ſatagimus Litteras ab huius iniquitatis auſu damnabili reuocare. in propoſito & voluntate habentes, vt niſi ſecundum noſtra monita reſipuerint, quantum ad officium noſtrum pertinet, tam in eos quàm in terras eorum grauiter vindicemus. Vnde magnificentiam tuam rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus tu ipſe ad id corrigendum viriliter accingaris: & niſi reſipuerint, ad vindicandum in eos ſtudeas omnimodis & labores. Datum Pariſ. XIII. Kal. Aprilis.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CXVII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* LAVDABILIS propoſitum pietatis, quod circa ſanctam Dei Eccleſiam tam in capite quàm in membris Regia Serenitas exhibet, attendentes, Monaſterium beati Maximini, & Abbatem ac Fratres diuinis ibidem obſequiis mancipatos, ſollicitè

B olim tuæ commendauimus Maieſtati: rogantes, vt idem Monaſterium conſueta pietate diligeres, & ab iniquorum incurſu regiæ magnificentiæ munimine defenſares. Quod vtique benè hactenus, iuxta beneplacitum Dei, preces ac monita noſtra, te adimpleſſe ſcientes, gratum id admodum acceptúmque tenemus, & Celſitudini tuæ gratias exindè vberrimas exhibemus. Firmam ſpem fiduciámque tenentes, quòd tibi exindè & honor augebitur terrenæ gloriæ, ac poteſtatis in terris, & ab æterno remuneratore iuſtorum immarceſſibilis palma conferetur in cœlis. Verùm, quia ſicut accepimus, & auribus noſtris inſonuit, quidam Aurelianenſis ciuis, Theobaldus ſcilicet Morini, præfatum Monaſterium pecuniæ indebitè repetitione fatigat, O. de Beſtiſi, & M. vidua Monaſterium ipſum nimis repentina debitorum exactione moleſtant, ſublimitatem tuam iteratò rogamus, & exhortamur in Domino, quatinus eiuſdem Monaſterij paupertates atque miſerias ſolita benignitate reſpicias: & ſecundum quod de iuſtitia fuerit, prædictum indebitæ pecuniæ petitorem regia compellas auctoritate deſiſtere; & eos qui ſubitæ repetitioni debitorum inſiſtunt, quantum cum bona voluntate fieri poterit, oportunitatem facias idonei temporis expectare. vt indè & à Deo præmium, & à nobis debeas actiones recipere gratiarum. Datum Senonis VI. Kal. Decembris.

EPISTOLA CXVIII.

C ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTI filij noſtri tam Decanus quàm Subdecanus, & Archidiaconus, cum magna parte Canonicorum Carnotenſis Eccleſiæ, in noſtra pariter præſentia conſtituti, nobis plenariè expoſuerunt, quàm incautè & inconſultè in facto electionis ipſius Eccleſiæ proceſſerunt. Vnde nos & aduerſitatibus eiuſdem Eccleſiæ compatientes, & opinione eorum, quæ hac occaſione plurimum eſt denigrata, integritatem ſuam recuperare aptantes, ipſos ad pacis & concordiæ bonum cum omni diligentia ſumus hortati, eóſque monuimus, vt vnanimiter in vnum conueniant, & Eccleſiæ ſuæ ſalubriter ſtudeant prouidere. & ad hoc vtiliter conſummandum vſque ad proximas octauas Epiphaniæ eis terminum duximus indulgendum. Quapropter Regiæ Serenitatis induſtriam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur attentiùs, quatinus memoratos Canonicos viua voce ac Litteris ſuper hoc ipſo ſollicitè & ſtudioſiùs exhorteris, & ad id efficiendum regium eis fauorem & auxilium efficaciter ſubminiſtres. vt præfata Eccleſia te ſibi patrocinante optata conſolatione fruatur, & vitali valeat prouiſione gaudere. Datum Senonis VIII. Idus Octobris.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CXIX. A

ALEXANDER *Episcopus seruus seruorum Dei, cariſsimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* COGNITA olim tuæ Celſitudinis voluntate, quòd de Hoſpitali illo apud Compendium conſtituto, vndè ſerenitatem tuam nos ſæpiùs rogaſſe meminimus, per viros religioſos veritatem diligentiùs inueſtigari volebas, vtrum ad Compendienſe Monaſterium pertineret: id venerabilibus Fratribus noſtris Nouiomenſi, & Siluanectenſi Epiſcopis, de quorum honeſtate & prudentia nullatenus dubitamus, nec Excellentiam tuam credimus in aliquo dubitare, commiſimus inquirendum. Qui vtique ad locum ipſum pariter accedentes, ſicut ex Litteris illorum, quas regiæ ſublimitati tranſmittimus, potes euidenter agnoſcere, veritatem inquirere ſtuduerunt, & ſicut eædem Litteræ continent inuenerunt. Indè ſiquidem eſt quòd magnificentiam tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatenus earumdem Litterarum tenore diligenter inſpecto, ſicut expedire cognoueris, & tuæ fuerit beneplacitum voluntati: ita de memorato Hoſpitali efficias & diſponas, vt de terreno Regno ad cœleſte tranſmigrans, ab illo bonorum omnium remuneratore æternæ felicitatis præmium valeas obtinere, & nos ipſi ſerenitati tuæ gratias debeamus propter hoc vberrimas exhibere. Datum Senonis VII. Idus Octobris. B

EPISTOLA CXX.

ALEXANDER *Episcopus seruus seruorum Dei, cariſsimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* EXCELLENTIÆ tuæ Litteris debita benignitate ſuſceptis, preces, quas per eas nobis regia Celſitudo porrexit, clementer admiſimus: vtpote qui in propoſito ſemper & voluntate habemus, preces tuas libenter admittere, téque in illis quantumcumque cum Deo poſſumus exaudire. Illud tamen nobis honeſtius ſuper eo negocio viſum eſſe cognoſcas, vt venerabili Fratri noſtro H. Remenſi Archiepiſcopo deprecatorias Litteras, ſicut ex Reſcripto earum videre poteris, mitteremus, rogantes vt interuentu noſtro, & tui honoris obtentu, interdictum illud relaxet, donec cauſa illa in Curia eius, vel etiam Beluacenſis Epiſcopi finem debitum ſortiatur. Quòd ſi ipſe idem interdictum relaxare noluerit, & id non multum ſibi graue fore nobis reſponderit, nos in eodem negocio iuxta preces tuæ ſollicitudinis procedemus. Aliter enim minus honeſtum eſſet, vt ſententiam à tanto viro canonicè promulgatam ſine eius conſcientia facilè ſolueremus. Si verò vſque adeò de ipſo fratre noſtro confidis, & negocium ipſum plurimum in animo tuo ſedet, poteris iterum nobis tuam voluntatem reſcribere. & nos deſiderium tuum curabimus auctore Domino efficaciter adimplere. Datum Pariſ. VII. Idus Martij. C

EPISTOLA CXXI.

ALEXANDER *Episcopus seruus seruorum Dei, cariſsimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* ILLAM ſinceriſſimam regiæ Serenitatis affectionem, quam circa Eccleſias Dei multimodis habere dignoſceris, magnificis in Domino laudibus commendamus, votiuis cordis affectibus exoptantes, vt ipſa immaculata Dei ſponſa viro ſuo Chriſto te valeat in æterna beatitudine præſentare, quam in terris innumeris deuotionis indiciis, ſicut Rex Catholicus, & Chriſtianiſſimus Princeps, noſceris feruentiùs honoraſſe. Ex Litteris autem Excellentiæ tuæ nuper accepimus, quòd negocium illius Hoſpitalis Compendienſis, vndè ſæpiùs regiæ Celſitudini ſcripſimus, noſtro arbitrio reliquiſti, & quod exindè ſtatueremus magnitudinem tuam ratum & firmum habere, Litteris aſſeueraſti. Vnde quoniam præſcriptum Hoſpitale receptioni pauperum perpetuò deputatum, ſicut ex ſcripto venerabilium Fratrum noſtrorum B. Nouiomenſis, & Siluanectenſis Epiſcoporum, quibus hoc inquirendum commiſimus, nobis innotuit, ſæpiùs Compendienſis Eccleſiæ Ca-

A nonicos procuratores habebat. Nos attendentes quòd Monaſteria & alia religioſa loca Hoſpitales Domos ad receptiones pauperum habere ſolebant, & de regia clementia, quæ, ſicut diximus, Eccleſiam Dei diligere & ampliare cõſueuit, & diſpoſitionem ipſius noſtro reliquit arbitrio, plurimum confidentes, ipſum Hoſpitale Compendienſi Monaſterio Apoſtolici ſcripti munimine duximus confirmandum. ita quidem quòd vſibus pauperum deputatum, ad diſpoſitionem & curam dilectorum filiorum noſtrorum Abbatis & Fratrum eiuſdẽ loci debeat in perpetuum ſine omni inquietudine pertinere. Quocirca Serenitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus pietatis intuitu, & pro reuerentia beati Petri ac noſtra memorato Monaſterio idem Hoſpitale tuo pariter ſublimitatis ſcripto confirmes; ne ipſis exindè aliqua valeat in poſterum quæſtio ſuboriri. Si verò quilibet eoſdem ſuper hoc moleſtare vel perturbare præſumpſerit, tu eos à præſumptione huiuſmodi poteſtate regia non differas coërcere: vt æternæ felicitatis præmium propter hoc conſequi merearis, & nos ipſi magnificentiæ tuæ copioſas exindè gratias referamus. Datum Senonis XIII. Kal. Nouembris.

EPISTOLA CXXII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri H. Sueſſionenſi*
B *Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* ILLA deuotionis integritas & affectio caritatis, quam circa ſacroſanctam Romanam Eccleſiam & perſonam noſtram credimus te habere, non modicam nobis fiduciam præſtat, vt in neceſſitatibus noſtris à te conſilium debeamus & auxilium poſtulare, & imminentia nobis negocia tibi fiducialiter aperire. Qualiter autem ille tyrannus & vehemens perſecutor Eccleſiæ, FREDERICVS videlicet, vniuerſalem omnium matrem ſacroſanctam Romanam Eccleſiam perſequatur, eámque ſine cauſa opprimat & infeſtet, ad diſcretionis tuæ notitiam non ambigimus perueniſſe. Qui vtique tanquam leo rapiens & rugiens, poſitus in inſidiis, aditus viarum ita per ſatellites barbariæ feritatis obſtruxit, quòd illi iam non valeant vſque ad nos tranſire, à quibus Romana Eccleſia in neceſſitatibus ſuis oportuna recipere ſuffragia conſueuit. Vnde cùm eadem Romana Eccleſia multis oppreſſionibus anguſtata ſit his temporibus & afflicta, & magnis atque innumeris penè debitis aggrauata, ad eius onera ſupportanda, & ad neceſſitates quas patitur releuandas, tantò ſtudioſiùs exurgere te oportet, & efficaciùs laborare, quantò ampliùs eadem mater Eccleſia de tua deuotione & fidei ſinceritate confidit. In tanto itaque neceſſitatis articulo conſtituti, de præterita quidem ſubuentione tibi gratias exſoluentes, caritatem tuam rogamus plurimum, monemus, & exhortamur attentiùs, vt ad mentem reuocans, quot & quanta grauamina & anguſtias Romana Eccleſia pro ſua & omnium Eccleſiarum libertate tuenda hoc tempore patiatur, conſiderans etiam quid
C membra capiti debeant, ad ſubuentionem Eccleſiæ, & ad ſoluenda debita, quibus premitur, manum adhuc liberalitatis extendas, & nobis tuæ conſolationis auxilium in tanto articulo, ſi abſque graui detrimento Eccleſiæ tuæ fieri poterit, largiaris. Beneficia ſiquidem & obſequia quæ in neceſſitate præſtantur, conſueuerunt ſemper recipientibus exiſtere gratiora. Abbates quoque & alios Eccleſiarum Prælatos in tuo Epiſcopatu conſtitutos ad hoc idem cum omni diligentia exhorteris. In quocumque autem te nobis contigerit ſubuenire, illud dilecto filio noſtro latori præſentium te volumus aſſignare, & nobis idipſum Litteris tuis ſignifices. Datum Anagniæ XIII. Kal. Martij.

EPISTOLA CXXIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CONSVEVIT ſemper egregiæ clementia pietatis oppreſſorum & pauperum miſereri, & circa eorum miſeriam pro affectu animi commoueri. ſciens ſcriptum eſſe: *Beatus qui intelligit ſuper egenum & pauperem.* Ea igitur conſideratione inducti, & huius pauperis M. præſentium latoris lacrimabili prece deuicti, qui moleſtias & iniurias ſuper poſſeſſionibus ſuis à quibuſdam hominibus tuis potentioribus ſe queritur

LVDOVICVS VII. IVNIOR. ſuſtinere, regiam Excellentiam & conſuetam pietatem tuam rogamus attentiùs, A quatinus pro amore Dei, & obtentu iuſtitiæ, & noſtro interuentu, eum ab aduerſariis ſuis, à quibus ſe opprimi aſſerit & grauari, ita regia protectione defendas, & immunem ab eorum facias læſione, quod ab eo, qui cùm diues eſſet, ad liberandum nos noſtram ſubiit paupertatem, æternum indè præmium debeas expectare. Datum Turonis XIV. Kal. Februarij.

EPISTOLA CXXIV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DECET regiam Excellentiam his diligenti curâ intendere, per quæ in Regno tuo ſub regiæ defenſionis munimine exiſtentes ſuam valeant iuſticiam firmiter obtinere. Quocirca ſerenitatem tuam rogamus attentiùs, quatinus cauſam, quæ inter Adam & Gregorium fratrem ſuum ſuper quadam domo vertitur, quæ ad tuum dominium, ſicut dicitur, ſpectat, diligenter audias, vel alij, qui neutri parti debeat eſſe ſuſpectus, iuxta tuæ dignationis arbitrium cauſam ipſam audiendam, & fine debito terminandam committas. Datum Senonis IV. Idus Nouembris.

EPISTOLA CXXV. B

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri H. Sueſſionenſi Epiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* VENERABILIS Frater noſter Siluanectenſis Epiſcopus ſuis nobis Litteris intimauit, quòd Gil. & Hauguidis vxor eius parrochiani tui quaſdam terras & vineas ipſius Epiſcopi per violentiam detinere præſumunt, & eas cum fructibus indè perceptis eidem Epiſcopo reddere contradicunt. Cúmque præfatus Epiſcopus ſæpiùs eos propter hoc ſubmonuiſſet, vt in Curia ſua ſibi iuſtitiæ plenitudinem exhiberent, ipſi tamen id facere noluerunt. Vnde quoniam eidem Epiſcopo in iure ſuo nulla ratione deeſſe poſſumus, vel debemus, fraternitati tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quatinùs ſi cognoueris memoratum G. & Hauguidem vxorem eius debere in Curia ſua præfato Epiſcopo ſuper hoc reſpondere, ipſos ad plenam iuſtitiam in præſentia eiuſdem Epiſcopi ſibi ſuper hoc exhibendam, moneas inſtanter, & diſtrictè compellas. Alioquin eos in præſentia venerabilis Fratris B. Beluacenſis Epiſcopi ſufficienter ſuper hoc ſæpedicto Epiſcopo reſpondere cohereeas, & appellatione remota iuſtitiæ plenitudinem exhibere. Si verò id facere fortè contempſerint, eos Eccleſiaſtica cenſura percellas. Datum Senonis VIII. Idus Octobris.

EPISTOLA CXXVI. C

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DVM in mente reuoluimus, & ad memoriam reuocamus, qualiter cauſâ Dei & amore iuſtitiæ, ob reuerentiam quoque beati Petri Apoſtolorum Principis cauſam Eccleſiæ tanquam propriam aſſumpſiſti, & eam ſicut Rex Catholicus & Princeps Chriſtianiſſimus in augmentum & exaltationem ipſius præ aliis Orbis Principibus promouiſti; in hanc intentionem & animi voluntatem adducimur, vt in qualibet cauſa eiuſdem Eccleſiæ, quæ alicuius momenti ſit, abſque Serenitatis tuæ conſilio & auxilio, cùm id habere valemus, nullatenus procedamus. Credentes, immò & certa veritate tenentes, te non ſecus quàm nos ipſos vel quemlibet fratrum noſtrorum ſolius ſuperni conditoris obtentu, ad honorem & incrementum Eccleſiæ ſollicitum ac feruentem exiſtere, atque ad exaltationem ipſius intento ſtudio laborare. Inde eſt quòd receptis nuper Litteris à nunciis cariſſimi filij noſtri illuſtris Conſtantinopolitani Imperatoris, qui ad Sanctum Egidium applicuerunt, quas vtiq; regiæ ſerenitati duximus tranſmittendas, in quibus ſiquidem cõtinetur, quòd ex parte eiuſdem Imperatoris quædam dictu accommoda, & ad vtilitatem reſpicientia, nobis tantum & Excellentiæ tuæ deferunt proponenda, dilectos filios P. Capellanum, & fratrem H. Helemoſynarium noſtrum, Excellentiæ tuæ fideles admodum

A admodum ac deuotos, regiæ Celſitudini deſtinamus, per quos quædam ſuper eodem negocio, quæ non duximus Littetis committenda, tuæ Serenitati proponimus, & ſuper quibus tuum conſilium expectamus: rogantes attentiùs, quatinus eos regia pietate ſuſcipiens, benignè audias, & conſilium tuum ſuper his quæ tibi propoſuerint per eoſdem nobis Litteris tuis aperias. Aliquos etiam à latere tuo cum prædictis filiis noſtris ad memoratos Imperatoris Nuncios, qui ſecurum eis per terram tuam vſque ad tuam & noſtram præſentiam debeant præſtare ducatum, noſtro interuentu tranſmittas. Datum apud Dolenſe Monaſterium Idibus Iulij.

EPISTOLA CXXVII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* VENIENS ad nos dilectus filius noſter Abbas ſancti Vincentij Siluanectenſis, cum Celſitudinis tuæ Literis apud nos diligenter inſtitit, vt illi Cameracenſi Epiſcopo, quem contra honorem Eccleſiæ & ſalutem ipſius, & vtinam non veſtram! diutiùs expectauimus, adhuc inducias præberemus. Ipſe verò, ſicut credimus, & vtinam rei veritas aliter ſe haberet! non de neceſſitate aliqua, ſed vt
B errorem ſuum ſub clementiæ tuæ, & venerabilis Fratris noſtri HENRICI Remenſis Archiepiſcopi protectione valeat obumbrare, huiuſmodi per vos occaſiones prætendit. Nos autem non pecuniam, ſed animam ſuam quærentes, & tuæ Serenitatis obtentu, & conſideratione iamdicti Fratris noſtri, precibus ac petitionibus, niſi contra Deum manifeſtè veniremus, annuere volentes, eundem Epiſcopum vſque ad ſecundam Dominicam proximæ Quadrageſimæ adhuc duximus expectandum. ita quidem, quòd niſi illum, aut Nuncium, vel Litteras eius de reuerſione ipſius & certa promiſſione in præſcripto termino receperimus, eundem extunc omni dilatione remota, publicè excommunicabimus, & à corpore Chriſti, quod eſt Eccleſia, ſequeſtrabimus. Quocirca magnificentiam tuam præſentium ſignificatione rogamus, ne tua ſublimitas aliquibus precibus nos ampliùs ſuper facto iſto conueniat. Rogamus etiam Excellentiam tuam, vt ſicut per dilectum filium noſtrum Abbatem ſancti Germani te rogauimus, ita efficias. Credimus enim quòd hoc ad honorem tuum denuò ſpectabit. Datum Senonis VI. Kal. Febr.

EPISTOLA CXXVIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DI-
C LECTVM filium noſtrum Abbatem ſancti Benedicti ſuper Ligerim cum tuæ magnificentiæ Litteris ad nos venientem qua debuimus animi benignitate recepimus, & obtentu precum tuarum, quibus quantumcumque cum Deo poſſumus, promptam ſemper volumus diligentiam adhibere, ſuæque religionis & honeſtatis intuitu ipſum affectuoſiùs honorare curauimus, & in ſuis petitionibus efficaciter exaudire. Eum itaque cum plenitudine amoris & gratiæ noſtræ ad propria redeuntem, regiæ Serenitati propenſiùs commendamus: per Apoſtolica ſcripta monentes, rogantes, & exhortantes in Domino, quatinus amore diuinæ miſerationis, & pro reuerentia beati Petri ac noſtra, conſideratione quoque religionis & probitatis ipſius, eundem Abbatem, & Fratres ſuos, & idem Monaſterium clementi ſemper benignitate reſpicias, diligas, manuteneas, & honores. & tam eos quàm iura ipſius Monaſterij à prauorum incurſione regia protectione defendas. ita quòd ab omnipotenti Domino præmium æternæ beatitudinis exindè recipias, & nos Regiæ Maieſtati copioſas debeamus gratias exhibere. Datum Bituricis VII. Idus Auguſti.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CXXIX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* SICVT per ſeruientem tuum, & etiam per Litteras noſtras nuper regiæ Celſitudini denotauimus, alter Nunciorum cariſſimi in Chriſto filij noſtri illuſtris Conſtantinopolitani Imperatoris, qui nunc ad partes iſtas accedit, nos & te vellet habere præſentes, vt illud ſecretum verbum communiter nobis proponeret, ſicut ex mandato eiuſdem Imperatoris ſe aſſerit accepiſſe. Vnde & voluntatis ipſius erat, vt te ſimul nobiſcum apud Bituricas inueniret. Nos verò conſiderantes, quòd honori tuæ Celſitudinis expediret, cõſilium noſtrum ſuper hoc tam per Nuncium tuum quàm per Litteras noſtras regiæ magnificentiæ expoſuimus: proponentes honorificentius eſſe, quòd priuſquàm nos conueniremus in vnum, præfatus Imperatoris Nuncius ad præſentiam tuæ Sublimitatis accederet. ne ſi fortè ad nos hac occaſione venires, ei occurrere quodammodò videreris. Ex quo verò ipſe ad te venerit, ſi conſilij tui ſit, vt nos ſimul tecum debeamus ſuper hoc habere ſermonem, in vnum poterimus vbi tibi viſum fuerit conuenire. Nos igitur cupientes in omnibus quæ cum Deo poſſumus tuæ Maieſtati deferre, volumus vt priuſquàm ad nos iamdictus Nuncius veniat, ad præſentiam regiæ Serenitatis accedat. Vnde Excellentiam tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus attentiùs, quatinus eum ad tuam præſentiam venientem honeſtè recipias, & conſueta benignitate pertractes, & verba quæ tuæ propoſuerit Maieſtati ea qua debes deliberatione conſideres & attendas. Si autem viſum tibi fuerit, aliquid nobis eſſe ſignificandum, poteris cùm tibi placuerit indicare. Datum Bituricis VIII. Kal. Septembris. B

EPISTOLA CXXX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri Galtero Epiſcopo, & dilecto filio Roberto Archidiacono Lingonenſi, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* ADMONET nos paſtoralis ſollicitudo propenſiùs, & hortatur, illas Eccleſiaſticas perſonas diligere, & earum commodis & incrementis ſtudioſiùs aſpirare, quos in deuotione Eccleſiæ ac noſtra cognoſcimus feruentiùs permanere. Quocirca rogamus diſcretionem veſtram, monemus, atque mandamus, quatinus dilecto filio noſtro Petro venerabilis Fratris noſtri Hugonis Sueſſionenſis Epiſcopi conſanguineo, Eccleſiam de Sarrinia, quam ei, ſicut Litteræ veſtræ teſtificantur, canonicè conceſſiſtis, defendere viriliter & conſeruare curetis: & eum per idoneum & honeſtum procuratorem ſuum eandem Eccleſiam quietè faciatis & liberè poſſidere. Nec à clerico vel laico inquietudinem ſibi ſuper hoc aliquam permittatis iniuſtè inferri. immò potiùs iuxta teſtimoniũ Litterarum veſtrarum ei præſcriptam Eccleſiam defendatis, vt ipſe deuotus debeat exindè vobis & obnoxius exiſtere, & nos poſſimus prudentiam veſtram ſuper hoc commendare. Datum Senonis II. Idus Martij. C

EPISTOLA CXXXI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTVM filium noſtrum C. Archidiaconum Bituricenſem Clericum tuum, quem nobiſcum de regia ſerenitate conſiſi huc vſque retinuimus, ad te duximus remittendum. & ipſum Excellentiæ tuæ attentiùs commendantes, magnificentiam tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus atque monemus, quatinus pro reuerentia beati Petri ac noſtra, & illius deuotionis ac fidelitatis obtentu, quem circa regiam Celſitudinem multipliciter gerit, diligere ac manutenere intendas, & in ſua iuſtitia de conſueta clementia confouere. Ad hoc, quoniam te ſicut cariſſimum & ſpecialem Eccleſiæ filium, & Catholicum Principem ac Regem Chriſtianiſſimum, de ſtatu Eccleſiæ & noſtro ſollicitum & ſtudioſum exiſtere minimè dubitamus, & de nouis illis, quæ de Alemannia nuper venerunt, mœſtitiam aliquam concepiſſe: magnitudinem tuam rogamus atque monemus, quatinus à Domino

A confortatus, ſperes plenius & confidas, quòd ea quæ ille perſecutor Eccleſiæ, qui cum ipſa ſimulatam ſemper pacem quæſiuit, aduerſus illam, & in detrimentum eius prouenire credit, in ſui ipſius verecundiam & erubeſcentiam proculdubiò redundabunt. Sicut enim pro certo accepimus, & dilectus filius noſter Maguntinus electus Serenitati tuæ poterit plenius intimare, de tota terra ſua nonniſi tres abſolutum iuramentum præſtare potuit cohercere. Alij ſiquidem multi ſine ipſius licentia diſceſſerunt, & illi, qui cum conditione iurarunt, iam ſunt à conditione appoſita abſoluti. Cetera prænominatus Archidiaconus ſublimitati tuæ viua voce latiùs explicabit. Datum apud Anicium II. Kal. Iulij.

EPISTOLA CXXXII.

ALEXANDER *Episcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVALITER venerabilis in Chriſto Frater noſter Thomas Cantuarienſis Archiepiſcopus pro tuenda Eccleſiæ libertate & deuotione noſtra à ſede propria decreuerit potius exulare, quàm in detrimentum noſtrum & iacturam Eccleſiæ vllatenus conſentire: ad quãtas etiam neceſſitates ipſum cum aliis prudentibus & diſcretis viris, qui eum etiam in aduerſitate tam laudabiliter quàm fideliter imitantur, ſi, quod Deus auertat, diu perſecutio durauerit, oporteat deuenire, tua ſatis Excellentia recognoſcit.
B Vndè, licèt regiam magnitudinem ad opera pietatis ita nouerimus ſemper eſſe intentam, vt etiam ceſſantibus noſtris precibus, his qui pro Deo & iuſtitia & vnitate Catholica perſecutionem ſuſtinent, ſola pietate monitus auxilium conferas & ſolamen. quod etiam in ipſo fratre noſtro iam maximè experti ſumus: tamen regiam magnitudinem ſollicitis in Domino precibus exoramus, monemus, & exhortamur attentiùs, quatinus obtentu diuinæ pietatis, & pro reuerentia beati Petri ac noſtra: conſiderato etiam, quòd reddita nobis & ſibi à Deo pace, plurimum obſequij & honoris per eum tuæ poterit Excellentiæ prouenire, ſi quem Epiſcopatum aut Abbatiam in Regno tuo interim vacare contigerit, ſibi ad ſuſtentationem ſui & ſuorum, donec pax de cœlo nobis deſiderata donetur, regia liberalitas faciat aſſignari. Ex hoc enim & Deum te credimus indubitanter habere debere propitium, & nos ipſos in hoc tibi ſatis reddes obnoxios. Datum apud Montempeſſulanum VIII. Idus Auguſti.

EPISTOLA CXXXIII.

ALEXANDER *Episcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* LITTERAS Sublimitatis tuæ debita benignitate ſuſcepimus, ſicut Chriſtianiſſimi Regis;
C & illius Principis, quem tota in Domino caritate diligimus; & cuius honori & commodis in omnibus quæ cum Deo poſſumus aſpiramus. Vnde licèt de ſuperabundanti fuerit, quòd pro venerabili Fratre noſtro P. Bituricenſi Archiepiſcopo preces nobis ſollicitas porrexiſti, cùm nos eum ſolo ſuæ honeſtatis ac probitatis intuitu, affectione ſinceriſſima diligamus, & commodis eius & commiſſæ ſibi Eccleſiæ libenter prouidere velimus; ipſas tamen tuæ Celſitudinis preces clementer admiſimus. voluntatem & propoſitum aſſumentes, circa eundem Archiepiſcopum, tam interuentu tuo, quàm ſuæ ſicut diximus probitatis obtentu, vtilem in omnibus prouidentiam gerere, & iuſticiam ſuam tam in cauſa quam modo habet, quàm in aliis omnibus integram ſibi auctore Domino conſeruare. Dilectum quoque filium noſtrum Magiſtrum R. beati Germani Decanum, quem tua nobis Serenitas commendauit, benignè recepimus, atque à nobis interuentu tuo efficaciter obtinuit quod rationabiliter poſtulauit. Datum Senonis II. Non. Februarij.

EPISTOLA CXXXIV.

ALEXANDER *Episcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DI-

LVDOVICVI VII. IVNIOR. LECTVM filium Fratrem F. familiarem noſtrum ad regiam Celſitudinem deſtinamus, per quem Excellentiæ tuæ quædam viua voce proponimus, quæ non duximus litterarum fidei commendare. Inde eſt quòd Serenitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus quæ tibi ex parte noſtra proponet, diligenter audias, & ea quantumcumque cum honore tuo, ac Regni tuæ gubernationi commiſſi fieri poterit, effectui ſtudeas mancipare. & quid indè facere diſpoſueris, nobis per eundem, ſicut magnificentiæ tuæ viſum fuerit, ſignifices. Datum Senonis II. Kal. Ianuar. A

EPISTOLA CXXXV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* ILLA deuotiſſima Excellentiæ tuæ ſinceritas, & ſinceriſſima deuotio, in omnibus quæ ad honorem ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ pertinent, tantum ſemper feruorem internæ affectionis oſtendit, vt verus eius filius, verus protector, & quodammodo eius baiulus exiſtere videaris. Ita quòd nullus in Orbe Princeps exiſtat, cui adeò ſicut Celſitudini tuæ profectus & exaltatio eiuſdem Eccleſiæ his temporibus aſcribatur. Vnde nos omnipotenti Domino, cuius intuitu & amore ad hæc facienda regium animum induxiſti, gratiarum non ceſſamus actiones exſoluere, & eius clementiam aſſiduis interceſſionibus exorare: vt qui te ita dignum ſolatium, & neceſſarium valde refugium vnicæ Sponſæ ſuæ in hæc tempora reſeruauit, ipſe te ſibi longo tempore conſeruet incolumem, & ita regnare tibi concedat in terris, vt poſt torrenum hoc, indeficiens regnum conſequaris in cœlis. Accepimus ſiquidem, & veraciter intelleximus tam ex tuarum Litterarum tenore, quàm ex relatione dilecti filij noſtri B. Nuncij tui, quòd audito à Nunciis cariſſimi filij noſtri illuſtris Conſtantinopolitani Imperatoris, de honore & reuerentia ab eodem Imperatore nobis & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ exhibenda, tam tu, quàm Barones tui, qui conſilio interfuerant, intuitu habitæ circa nos deuotionis lætitiam non modicam concepiſtis. iudicantes eos decetero ſuper aliis quæ attulerant negociis audiendos. nec aliàs iudicaſtis eorum verba à conſueta clementia tuæ manſuetudinis audienda. Super quo regiæ Serenitati vberrimas gratiarum actiones ſicut dignum eſt exſoluentes, & Excellentiam tuam in hoc, ſicut & in omnibus aliis, quæ ad honorem Eccleſiæ pertinent, plurimum in Domino commendantes, rogamus aſſiduè, vt ille miſericors & miſerator Dominus tibi in æterna iuſtorum remuneratione retribuat, cuius obtentu & gratiâ tam benignum & tam clementem animum circa nos & Eccleſiam aſſumpſiſti. Decetero noſſe volumus Excellentiam tuam, quòd nos prædictis Nunciis iuxta conſilium Fratrum noſtrorum formato reſponſo, & eis propoſito, quicquid ipſis à nobis reſponſum fuerit, tibi ſicut ſereniſſimo Principi, & ei de quo non aliam quàm de nobis ipſis vel Fratribus fiduciam obtinemus, Litteris noſtris curabimus pleniùs intimare. Datum Senonis XVII. Kal. Nouembris. B C

EPISTOLA CXXXVI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CVM ad officium noſtrum ſpecialiter pertinere noſcatur, perſonas religioſas, & præſertim Magiſtros Eccleſiarum, promptâ caritate diligere, & eis in omnibus vtiliter prouidere, gaudio gaudemus, & gratum admodum accepimúſque tenemus, quòd ita ad hoc tuam quoque mentem cœleſtis ignis feruor accendit, vt nos ipſos ad id tuis ſtudeas precibus prudenter inducere, & noſtram aliquando ſollicitudinem præuenire. Preces itaque, quas nobis per dilectum filium noſtrum R. Priorem ſancti Medardi regia Celſitudo porrexit, benignè ſuſcepimus: voluntatem & propoſitum aſſumentes, eum, pro quo rogaſti, feruentiori caritate tam ex officij noſtri debito quàm tuarum precum obtentu diligere, & ei quantùm cum Deo poterimus vtiliter prouidere. Rogamus autem Serenitatem tuam, quatinus, ſicut eum nobis commendare curaſti, ita & tu eum habeas commendatum,

A ſibíque ſi opus fuerit tutamen & præſidium conferas oportunum. Datum Senonis VIII. Idus Nouembris.

EPISTOLA CXXXVII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVORVMDAM nobis eſt relatione ſuggeſtum, quòd cùm Iterius miles de Malonido Senonis perueniſſet, & inimicum ſuum, quem ibi caſu repperit, nudato gladio fuiſſet aggreſſus, burgenſes eiuſdem ciuitatis ei ſubitò reſtiterunt. Et cùm ille fugiſſet, quendam ſocium eius, Gaufridum videlicet militem de Molinons, qui, ſicut accepimus, nihil in hoc deliquerat, remoratum pauliſper in eadem ciuitate ceperunt, eúmque detinent, & pro te dimittere non præſumunt. Miles autem, qui à prædicto Iterio ita fuerat hoſtiliter impetitus, aſſerit omnimodis & affirmat, quòd nullatenus eum iſte qui captus habetur offenderat, & hunc prædictum ſocium ſuum eum non præſciuerat, ſicut aſſerit, & ſe iurare promittit, aliquatenus offenſurum. Vnde, quoniam indignum eſſe videtur, vt hic, cui etiam ab eo qui iniuriam pertulit, & etiam à Præpoſito tuo, innocentiæ teſtimonium perhibetur, pœna non merita puniatur; rogamus Serenitatem tuam, & exhortamur in Domi-
B no, quatinus eundem G. ſecundum conſuetam regiæ clementiæ pietatem, quæ ſicut nocentes potenter deprimere, ita etiam innoxios indemnes conſueuit illæſóſque ſeruare, liberum facias abſolutúmque dimitti. niſi aliquid commiſiſſe probabitur, quod regiæ fuerit contrarium Maieſtati. Datum Senonis XVII. Kal. Nouembris.

EPISTOLA CXXXVIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVOD Nicolaus Turonenſis, homo regiæ Maieſtatis, pro eo quòd F. Eccleſiæ beati Martini Turonenſis Canonicus contra compoſitionem, quæ de mandato piæ recordationis Patris & prædeceſſoris noſtris EVGENII Papæ inter eos facta fuerat, & præſtito corporali ſacramento firmata, violentiam ſibi enormem intulerat, ad Sedem Apoſtolicam tanquam ad ſingulare præſidium acceſſit: non eo intuitu hoc fecit, quòd crederet magnificentiam regiæ ſublimitatis offendere, ſed vt de pace ſibi temerè violata, apud Romanam Eccleſiam, cuius auctoritate facta fuerat, & religione iuramenti munita, plenam iuſtitiam obtineret. Sic enim ſacrorum Canonum ſanxit auctoritas, & Imperatores qui anteceſſores tui fuerunt, & Reges Francorum, in ſuis inſtitutionibus hoc ipſum ſanxerunt, quòd hi quibus à Clericis iniuria irrogatur, eos apud Eccleſiaſticos Iudices debeant ſolummodò con-
C uenire. Idipſum præſertim ſuper his, quorum iniuria infra ſacros Ordines peragitur, de conſuetudine Regni tui vſque ad hæc tempora accepimus obſeruatum. Indè vtique fuit, quòd prædictus Nicolaus non credens excellentiam tuæ Celſitudinis minuere, nec iuri vel conſuetudini Regni tui in aliquo obuiare, pro violatione pacis fauore Apoſtolicæ Sedis firmatæ, nobis ſuam querimoniam præſentauit. Nos verò non attendentes hoc ad diminutionem honoris & exaltationis tuæ vlla ratione accedere, nec credentes dignitati & magnificentiæ tuæ in aliquo derogare, qui volumus ſemper honorem & gloriam exaltationis tuæ augere multipliciter, & ardenti deſiderio conſeruare, cauſam ipſam venerabili Fratri noſtro Cenomanenſi Epiſcopo, viro religioſo, prouido, & diſcreto, & illius Eccleſiæ Canonico, commiſimus terminandam. Qui vtique quantum ratio dictabat, in eadem cauſa proceſſit, & eam fine debito terminauit. Et ideò, ſicut per alia ſcripta, ita præſentibus Litteris ſereniſſimam Clementiam tuam attentè rogamus, quatinus ſolita pietate, quæ pauperes & minus potentes in eorum conſueuit iuſticiis miſericorditer confouere, prædictum N. reſpicias. & eum non patiaris grauamen indebitum ſuſtinere. Datum Senonis Idib. Auguſti.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CXXXIX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVÆDAM grauia, & admodum difficilia Eccleſiæ Dei ac nobis, & tibi etiam & Regno, niſi meliori fuerint mutata conſilio, & quæ, ſi prouidè attendantur, & ſtudioſiùs caueantur, & in melius immutentur, vtilia plurimùm & accepta tam Eccleſiæ quàm nobis, & ad honorem tuum & Regni pertinentia, per dilectum filium P. Subdiaconum noſtrum Excellentiæ tuæ duximus intimanda. per Apoſtolica ſcripta rogantes regiam Serenitatem, atque monentes, quatinus eis per ipſum auditis pleniùs & cognitis, ea meliori ſtudeas conſilio commutare, & ſalubriter præcauere. ita quòd ad honorem Dei & Eccleſiæ, & vtilitatem Regni & tuam debeant redundare. Datum Senonis v. Non. Octobris.

EPISTOLA CXL.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVANTO gloriam & exaltationem tui magnifici nominis ampliari ſemper & dilatari optamus, tantò ea, vnde gratiam omnipotentis Domini conſequi valeas, & ſalutem animæ promereri, regiæ Serenitati duximus libentiùs ſuggerenda. Vnde ſuſceptis precibus dilectorum filiorum noſtrorum Abbatis & Fratrum Ferrarienſis Monaſterij, cui à tua magnificentia affectuoſiùs rogati munus conſecrationis dependimus, pro eodem Monaſterio regiam Serenitatem rogamus attentiùs, quatinus pro reuerentia beati Petri ac noſtra, ſi ad honeſtatem ipſorum Fratrum, & ad meliorationem ipſius Monaſterij hoc videris pertinere, in anniuerſario die conſecrationis eius nundinas ibi conſtituas. Quibus conſtitutis, Principibus, Baronibus, & ceteris de Regno tuo, auctoritate regia prohibeas, vt his qui ad nundinas ipſas gratiâ promerendæ remiſſionis, quam ibi annuatim conſtituimus, vel intuitu negotiandi acceſſerint, ſi quis iniuriam, ſeu violentiam, vel damnum aliquod inferre præſumat, digna pœna eum cenſeas puniendum. Datum Senonis VIII. Idus Nouembris. B

EPISTOLA CXLI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* ILLE affectus, quem circa regiam magnificentiam affluentiori gerimus caritate, inducit nos propenſiùs & hortatur, ea tuæ Serenitati ſuggerere, quæ ad honorem Dei, & ſalutem animæ tuæ, & etiam conſeruationem Regni noſcimus potiſſimum pertinere. C Cùm enim opus pietatis ſit, & æternæ felicitatis gloriâ dignum, ſanctas Dei Eccleſias, & religioſas perſonas diligere, & piæ protectionis munimine confouere, illas Eccleſias tuæ Celſitudini conuenit propenſiori curâ & diligentiâ reſpicere, & earum iura clementiori bonitate tueri, quæ ab ipſa fundatione ſui à tua magnificentia & glorioſorum patrum tuorum non modica beneficia percepêre. Inde eſt quòd Compendienſe Monaſterium, & Abbatem ac Fratres diuinis ibidem obſequiis mãcipatos, tantò attentiùs tuæ magnitudini commendamus, quantò idem Monaſterium ad ius beati Petri ſpecialiùs reſpicit & tutelam, & regiæ tuitioni ampliori noſcitur prouiſione commiſſum. per Apoſtolica ſcripta rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, atque in peccatorum remiſſionem tibi iniungentes, quatinus obtentu diuinæ miſerationis, & ob veniam delictorum tuorum, prædictum Monaſterium, & ibidem Deo ſeruientes diligas, manuteneas, & honores: atque iura ſua contra prauorum inſidias protectione ſolita tueatis. Specialiter tamen tuam clementiam rogamus, vt Hoſpitalem Domum, quæ ad ius ipſius Monaſterij pertinet, à dilectis filiis noſtris Abbate & Fratribus eiuſdem loci non permittas vlla ratione turbari, vel aliquatenus impediri, quominus illius Hoſpitalis, quæ ipſi Eccleſiæ, ſicut tua diſcretio nouit, vtilis eſt admodum & neceſſaria, liberam adminiſtrationem poſſint habere. Ita quòd præmium æternæ

A retributionis indè recipias, & ipſi Fratres inclytæ ſublimitatis tuæ fauote temporaliter freti feruentiùs poſſint Religioni aſſumptæ inſiſtere, & ipſum Monaſterium tam ſpiritualibus quàm temporalibus incrementis Domino auxiliante augere. Datum IV. Idus Septembris. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CXLII.

ALEXANDER Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio LVDOVICO illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. CVM ex multis aliis ſuper deuotiſſima ſinceritate à te nobis exhibita regiam Excellentiam poſſimus & velimus multipliciter commendare, in hoc etiam quòd nuper ad petitionem noſtram pro præſtanda ſecuritate Nunciis cariſſimi filij noſtri illuſtris Conſtantinopolitani Imperatoris proprium Nuncium deſtinaſti; Celſitudinem Regiæ Maieſtatis non immeritò commendamus, & copioſas exindè magnificentiæ tuæ gratiarum exſoluimus actiones. Nouerit autem Excellentia tua, quòd altero Nunciorum illorum vrgente inualitudine apud Sanctum Egidium remorante, alter ad præſentiam noſtram accedit. Quia verò quoddam verbum ſecretum nobis & tibi tantùm habet proponere, ſicut ex Litteris nobis olim ab eiſdem Nunciis deſtinatis, quas tibi tranſmiſimus, agnoſcere potuiſti: voluntatis il-B lius eſt, ſi tuæ placitum fuerit Maieſtati, quòd in aliquo loco præſentes ſimus, vt verbum illud à prædicto Nuncio pariter audiamus. Sanè prædictus Nuncius tuus tibi pleniùs illius voluntatem exponet. Nos verò, licèt præſentiam tuam tam pro hoc quàm pro aliis negociis libenter habere vellemus, tamen tuum erit cum familiaribus & conſiliariis tuis deliberare, qualiter ſuper hoc tibi ſit procedendum, & quid in hoc facto honori & Excellentiæ tuæ debeat conuenire, & ſecundum quod honori tuo noueris expedire, procedas. Quicquid autem ſuper hoc prouideris faciendum, tam nobis quàm præfato Nuncio Litteris tuis ſtudeas celeriter indicare. Datum Bituricis XIII. Kal. Septembris.

EPISTOLA CXLIII.

ALEXANDER Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio LVDOVICO illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. DVM adhuc Pariſius præſentes eſſemus, firmiter nos ſublimitati tuæ propoſuiſſe recolimus, quòd nihil vnquam vellemus ſcienter efficere, quod contra honorem deberet regiæ Celſitudinis prouenire. Vnde licèt nuper Comitem Aluerniæ in noſtra præſentia poſitum abſoluerimus, eam tamen ſuper hoc cautelam habuimus, vt benè crederemus nos noſtro & tuo pariter honori conſulere, & etiam Briuatenſi Eccleſiæ vtiliter prouidere. Non enim priùs meruità nobis abſolui quàm C tactis ſacroſanctis Euangeliis corporale præſtiterit ſacramentum, quòd tam ſuper reſtituenda filia viro ſuo, quàm etiam ſuper corrigenda iniuria Eccleſiæ Briuatenſi illata, noſtrum deberet ſuſcipere firmiter & ſeruare mandatum. Vndè continuò ſibi ſub illius ſacramenti diſtrictione mandauimus, vt filiam ſuam viro, cui eam abſtulerat, redderet, & vniuerſa bona Briuatenſis Eccleſiæ, quæ vel ad eum, vel ad homines eius deuenerant, reſignaret. Accedit ad hæc, quòd præfatus Comes non per ſe principaliter prædictam Briuatenſem Eccleſiam aggreſſum fuiſſe, ſed in ſubſidium nepotis ſui ſe iuiſſe dicebat, quem nos nec adhuc abſoluimus, nec etiam deinceps antequam plenariè ſatisfaciat eum vel eius complices abſoluemus. In ea enim, ſicut diximus, voluntate, in eo ſumus propoſito ſolidati, vt ſuper his, quæ grauia tibi cognoſcimus, te inconſulto nullatenus procedamus. Quòd ſi aliquando inſcienter contra id aliquid faceremus, non pigebit nos congrua in melius diſcretione reducere quæ tanto Principi nouerimus diſplicere. Datum Turonis IV. Idus Iunij.

EPISTOLA CXLIX.

ALEXANDER Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio LVDOVICO illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem. LITTE-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. ras Excellentiæ tuæ tantò iocundiori & benigniori mente ſuſcepimus, & earum tenorem cognouimus, quantò eas de putiori conſtantia & feruentiori animi deuotione liquidiùs intelleximus proceſſiſſe. Nos enim illa memoriali & collaudanda regiæ Serenitatis firma & plena deuotione, qua ſacroſancta Romana Eccleſia de die in diem grande augmentum ſuſcipit & vberrimum, diligentiùs conſiderata, promptum animum & feruentem voluntatem habemus, te ſicut Regem Catholicum & Principem Chriſtianiſſimum toto cordis affectu diligere, honori & exaltationi tuæ, & Regni tui, affectatis proceſſibus cotidie aſpirare, & tuis petitionibus ſaluâ conſcientiâ commodum complementum libentiùs impertiri. Vnde ad regiam poſtulationem tuam, nobilem virum Odonem Burgundiæ Ducem attentè rogauimus, atque mandauimus, vt caſtrum Flauiniacum, quod illicitè vſurpauit, & detinet per violentiam occupatum, tuæ Celſitudini, vel Eduenſi Epiſcopo reſignet. alioquin ſententiam, quam idem Epiſcopus in eum & Terram ſuam propter hoc canonicè promulgauerit, ratam habebimus; & ipſam à venerabilibus Fratribus Lingonenſi & Cabilonenſi Epiſcopis mandauimus ratam haberi, & irrefragabiliter obſeruari. Datum apud Dolum x. Kal. Octobr. A

EPISTOLA CL.

Alexander *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* Lvdovico *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* Avdito per venerabiles Fratres noſtros Archiepiſcopos & Epiſcopos, qui tecum illi colloquio, quod cum Frederico dicto Imperatore conſtitueras, interfuerunt, quantas moleſtias & grauamina in colloquio illo ſuſtinueris: cognito etiam poſt diſceſſum eorum inuenta iniquitate & doloſitate prædicti F. & Conſiliariorum eius, qui nitebantur fidei tuæ Serenitatem modis omnibus deprauare. quantam mentis conſtantiam, & ſpiritum fortitudinis indueris, quòd malueris & decreueris te murum ferreum, & præſidium inexpugnabile pro Domo Domini opponere, & vſque ad effuſionem ſanguinis decertare, quàm ab vnitate Eccleſiæ recedere, & tantæ malitiæ conſentire: Omnipotenti Domino, qui te per ineffabilem gratiam ſuam tam fortem, tam inuictum pro immaculata ſponſa ſua, ſancta videlicet Eccleſia, quam precioſiſſimo ſanguine ſuo redimi voluit & honorari, contra prauorum conſilia inſtituit defenſorem: & tibi ipſi, qui ſpretâ omni mundanâ potentiâ ſolum Deum attendiſti, quantaſcumque poſſumus & debemus gratiarum exſoluimus actiones. omnipotentem Deum deuota cordis meditatione & ſedulis precibus exorantes, vt te & Regnum tuum conſeruet & protegat per tempora longiora, & de inimicis tuis & Eccleſiæ victoriam tibi conferat & triumphum. Et ideò ad gloriam tui nominis ampliandam, & ad vigorem fortitudinis inſerendum, cariſſimo in Chriſto filio noſtro Henrico illuſtri Anglorum Regi per venerabiles Fratres noſtros Eboracenſem Archiepiſcopum, Ebroicenſem & Lexouienſem Epiſcopos, & alios inclytos Nuncios ſuos, attentè ſuggerere ſtuduimus, & eius animum modis omnibus inducere & exhortari, vt tibi tanquam domino ſuo vires & auxilium præſtet, & regiæ Serenitati ſtudeat in omnibus & per omnia deſeruire. Ipſe verò noſtris exhortationibus lætatus plurimum, & gauiſus, & ex prudentia animi quid tibi debeat ſtudioſiùs attendens, dilectum filium noſtrum nobilem virum R. de Sancto Valerico, & alios ſtrenuos & caros Nuncios ad tuam Excellentiam deſtinauit, per quos ſe & terram ſuam, & totas vires quas habet, ad honorem & fidelitatem & exaltationem Regni tui expoſuit. Et vt hæc de præſtando vires & auxilium tuæ induſtriæ proponeremus, nobis mandauit: & ſi opus eſſet, pro his omnibus confidentiùs nos fideiuſſores tibi conſtitueremus. Nos verò deuotionem & puritatem ipſius, qua circa te & nos ipſos feruere dinoſcitur, diligentiùs attendentes, & deſiderantes plurimum tam per eum quàm per alios magnificos viros tuam potentiam augeri, & in omnibus ampliari: volentes quoque tam per nos, quàm per alios deuotos Eccleſiæ filios tibi tanquam cariſſimo filio noſtro vires & auxilium efficaciter miniſtrare, & tam temporaliter quàm ſpiritualiter vim & opem tibi conferre, pro eo ſi neceſſe fuerit cum tota fiducia nos fideiuſſores conſtituimus. Vnde rogamus excellentiſſimam Serenitatem tuam, & propenſiùs exhortamur, quatinus prædictos Nuncios, ſicut decet

A tam induſtrium & prudentem Regem, inclita benignitate recipias, & in omnibus ſtudeas honorare, atque prædicto Regi pro tantæ affectionis & fidelitatis oblatione magnificas gratias exhibere, & inclitum animum tuum pro his erga eum promptâ beniuolentiâ mitigate. Nos enim præfatum Regem, quem in proxima tertia feria ad noſtram præſentiam expectamus, ſicut ſemper fecimus, ad honorem & fidelitatem tuam, & profectum Regni tui inducere curabimus, & modis omnibus exhortari. Hæc itaque per dilectum filium P. Capellanum & Subdiaconum noſtrum præſentium latorem tuæ Celſitudini pleniùs duximus intimanda. Datum apud Dolum xv. Kal. Octobris.

EPISTOLA CLI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* EXVBERANS circa nos & Eccleſiam Dei regiæ deuotionis & ſinceritatis affectio in ea fiducia mentem noſtram conſtituit, vt de te tanquam vnico poſt Deum Eccleſiæ defenſore, omni dubitatione poſtpoſita confidamus. De tua magnificentia firmiſſimè præſumentes, quòd numquam matri tuæ Romanæ Eccleſiæ aliqua velis occaſione deficere, qui præcipuus inter Orbis Principes tanquam iuſtitiæ rector B & veritatis amator eius cœpiſti cauſam viriliter adiuuare. Vnde in negociis ipſius & noſtris tantò fiducialiùs ad regiæ prudentiæ conſilium, auxiliúmque recurrimus, quantò expreſſiùs tuæ deuotionis fideique conſtantiam noſtræ mentis oculis quaſi coram poſitam intuemur. Huius igitur certitudine ſecuritatis inducti, venerabilem Fratrem noſtrum B. Portuenſem Epiſcopum, virum vtique induſtrium & diſcretum, pro Eccleſiæ negociis ad regiam præſentiam duximus deſtinandum. eligentes potius voluntatem noſtram ad te referendam illi committere, quàm eam Excellentiæ tuæ præſentibus Litteris intimare. Quocirca ſublimitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus prædictum fratrem noſtrum, quem carum inter ceteros acceptúmque tenemus, benignè recipias. ita ſibi in his quæ Regiæ Maieſtati ex noſtra parte proponet, efficacem præbiturus aſſenſum, quòd ſpes noſtra, quæ de tua poſt Deum, ſicut diximus, ſublimitate dependet, vtilem in his ſortiatur effectum, & plenius ſumat in aliis incrementum. Si enim ea quæ ab eo tuæ fuerint propoſita Maieſtati efficaciter fuerint Domino volente completa, tantò magis id nobis gratum erit in omnibus & acceptum, quantò ex his mater tua ſacroſancta Romana Eccleſia maioris accipiet pacis & proſperitatis augmentum. Datum Turonis IV. Nonas Nouembr.

EPISTOLA CLII.

C ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTOS filios noſtros Barbadorum & militem qui cum eo venit ad præſentiam noſtram à tua Celſitudine deſtinatos, debita curauimus benignitate recipere, eíſque ſuper his quæ nobis ex tua parte propoſuerunt ſufficienter ſtuduimus ad ſingula reſpondere. Quare autem ſuper his Litteras Serenitati tuæ non tranſmiſerimus, prædicti magnificentiæ tuæ Nuncij viua tibi voce poterunt intimare. Præterea, licèt per venerabilem Fratrem noſtrum Mauricium Pariſienſem Epiſcopum tam de celebratione Concilij, quàm de noſtro ad partes illas aduentu tibi nos ſignificaſſe credamus, dubitantes tamen ne fortè ad notitiam tuam nondum plenariè ipſius Epiſcopi relatione peruenerit, illud eiſdem iniunximus tuæ Serenitatis auribus referendum. Quod ergo ipſi exinde tuæ Sublimitati retulerint, de propoſito noſtro procedere minimè poteris dubitare. Datum Turonis VI. Idus Decembris.

EPISTOLA CLIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DVM multitudinem beneficiorum, quæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ac nobis ipſis

LVDOVICVS VII. IVNIOR. regia Serenitas ſemper, & in hoc præcipuè turbationis tempore placida mente exhibuit, attenta meditatione penſamus: dum conſideramus etiam quàm liberaliter & quàm deuotè te pariter & Regnum tuum ad obſequium beati Petri & beneplacitum noſtrum expoſuiſti: ſi honorem, incrementum, & exaltationem tuam & ipſius Regni non totis affectibus diligeremus, & tibi tanquam Chriſtianiſſimo Regi & Catholico Principi non ſtuderemus in omnibus, quantum cum Deo & iuſtitia poſſumus, feruenti animoſitate deferre, & Deum, cuius intuitu cauſam Eccleſiæ ſuſcepiſti magnanimiter defendendam, grauiter timeremus offendere, & à noſtri quoque officij debito videremur penitus declinare. Litteris itaque Celſitudinis tuæ quanta decuit hilaritate animi & mentis iocunditate ſuſceptis, & illius deuotionis feruore, quem circa profectum Eccleſiæ ac noſtrum intima tui pectoris gerunt, pleniùs nobis ex ipſarum Litterarum ſerie declarato, regiæ ſuper hoc ſublimitati deuotiores compellimur gratias agere, & tuis commodis & incrementis feruentiùs aſpirare. Præſertim cùm Litteras noſtras, ſicut Nuncij noſtri & Clericorum tuorum relatione didicimus, deuotione promptiſſima recepiſſes. Vnde præſentium ſignificatione tua Celſitudo cognoſcat, quòd nos à quodam Abbate, qui de partibus Burgundiæ venit, ſatis euidentem certitudinem obtinuimus, quòd cùm ab R. quondam Cancellario F. dicti Imperatoris complures operarij iam fuiſſent conducti, & de ipſius mandato in confinio Regni tui ſicut dicitur operari cœpiſſent, dilectus filius noſter nobilis vir Comes Forenſis animoſitatem & fortitudinem induens, coſdem operarios audacter de loco eiecit, & eis & aliis qui hæc attemptarent acriter comminatus, eorum mentibus non minimum terrorem incuſſit. Verùm, quoniam prædictus Cancellarius nequaquam à ſua malitia desiſtens, pecuniam multam reliquit, vt quod prauè intendit ad effectum perducat, tua intereſt, habito conſilio Baronum, & prudentum virorum Regni tui, factum ipſum ne vltra procedat prorſus deſtruere, & iniquorum malignitatem penitus impedire. Nos enim prompti admodum & parati ſuper hoc conſilium & auxilium impendere, Lugdunenſi Electo dedimus firmiter in mandatis, vt huic rei nulla ratione aſſentiat, ſed eam quantum poterit ſatagat diſturbare. Datum Senonis III. Kal. Auguſti. A B

EPISTOLA CLIV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTVM filium noſtrum VV. Carnotenſem Electum ad noſtram præſentiam venientem, tum magnificentiæ tuæ obtentu, tum totius ſanguinis ſui reſpectu, & ſuæ honeſtatis ac probitatis intuitu, paterna benignitate ſuſcepimus, & ipſum dum apud nos fuit, prout decuit, honeſtè ac benignè tractantes, in ſuis petitionibus prompto animo curauimus exaudire. Eum itaque cum amoris noſtri & gratiæ plenitudine ad propria remittentes, licèt de ſuperabundanti quodam modo videatur, regiæ Excellentiæ propenſiùs commendantes, Serenitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur attentiùs, quatinus ipſum pro reuerentia beati Petri ac noſtra, & ſuæ nobilitatis ac deuotionis intuitu, diligere, manutenere propenſiùs, & honorare intendas, & in iuſtitia ſua & commiſſæ ſibi Eccleſiæ attentiùs confouere: vt ipſe idem circa regiam magnificentiam deuotior omni tempore & fidelior debeat apparere, & nos quoque Excellentiæ tuæ teneamur propter hoc gratiarum actiones vberrimas exhibere. Rogamus ad hæc Celſitudinem tuam, & in Domino commonemus, quatinus cauſam Eccleſiæ, quam velut propriam ſuſcepiſti tuendam, manutenere ſatagas, & viriliter defenſare, & ad exaltationem & incrementum Eccleſiæ, ſicut hactenus magnanimiter feciſſe dinoſceris, ſtudium & operam conſtanter impendas, & ad hoc ſicut Rex Chriſtianiſſimus, & magnificus Princeps, modis omnibus elabores. Nec te F. dicti Imperatoris mandata vlla ratione commoueant, vel qualibet occaſione perturbent. Confidas enim in Domino, & in potentia virtutis eius, quòd Eccleſiæ ſuæ in proximo pacem & tranquillitatem reſtituet, & tam tu quàm ceteri Eccleſiæ fideles, immenſæ iocunditatis lætitiâ perfruemini. Datum apud Montempeſſulanum XIV. Kal. Septembris. C

A

EPISTOLA CLV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* AB excellentis Serenitatis tuæ memoria non credimus excidiſſe, quàm deuota precum inſtantiâ tua nos clementia curauit inducere, vt illud flagitioſum facinus, quod Monachi Eccleſiæ ſancti Maximini de Abbate ſuo inſtigante diabolo perpetrarunt, vltione digniſſima punire, & eidem Eccleſiæ ſtuderemus de perſona idonea vtiliter prouidère. Vnde nos precibus regiæ pietatis, & ex noſtri officij debito, tantum exceſſum, prout vidimus expedire, ſollicitè punientes, eos, quos huiuſmodi ſcelus tetigerat, per varia & diuerſa Monaſteria retrudi fecimus, & mandauimus firmiùs cuſtodiri. & de regia demum bonitate confiſi, viros idoneos admodum & religioſos de honeſta & religioſa Domo aſſumpſimus, & eos in præfata Eccleſia ad Religionem ibi auctore Domino reformandam inſtituere curauimus. Quos ſiquidem ita credimus vtiles & conuenientes, quòd ipſam Eccleſiam, ſi regia pietas dignata fuerit ipſos fouere, & à prauorum incurſu defendere, tam ſpiritualibus quàm temporalibus incrementis ampliabunt, & ad maiora concedente Domino promouebunt. Indè eſt quòd regiam Serenitatem rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, atque in peccatorum remiſſionem tibi iniungimus, quatinus supernæ prouidentiæ obtentu, & pro reuerentia beati Petri, & pro animæ tuæ ſalute, ſupradictam Eccleſiam, & Fratres inibi ad Dei ſeruitium conſtitûtos, clementiori oculo reſpicias, & à moleſtiis & iniuriis, quas illi Monachi fugitiui per propinquos & fautores ſuos eis infligunt, ipſam Eccleſiam viriliter liberare intendas. Specialiter tamen Her. de Cingiaco, & Rob. Berigerum, qui eoſdem Fratres variis grauaminibus & vexationibus pulſant, potenter capi faciat, & ad eadem loca retruſos artiùs cuſtodiri, ita quòd decetero nihil valeant per ſe vel fautores ſuos contra eandem Eccleſiam machinari. Poſtulamus etiam Celſitudinem tuam, vt illos burgenſes tuos, quibus poſſeſſiones ſæpedictæ Eccleſiæ ſunt pignori obligatæ, diſtrictè compellas, ab exactione vſurarum omninò deſiſtere, & fructus perceptos, vel ſaltem percipiendos, deductis indè expenſis, in ſortem vlteriùs computare. Licèt enim iuxta inſtitutiones ſanctorum Patrum omnis vſura & ſuperabundantia exigi omnimodis prohibeantur, remiſſiùs tamen hi punientur, qui minus huiuſmodi lucris intendunt. Datum Bituricis Kal. Septembris.

B

EPISTOLA CLVI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CVM dilectus filius noſter Trenorcienſis Abbas pro alleuiatione Eccleſiæ ſuæ, quæ multis oneribus coartatur, ad regiæ ſublimitatis elementiam poſtulaturus conſilium acceſſiſſet, indè tandem præſentiam noſtram adiit, aſſerens te cum Apoſtolicæ Sedis fauore ſuper facto ipſo velle procedere, & noſtri beneplaciti conſilio acquieſcere. In quo ſiquidem, & in omnibus aliis, incliram regiæ deuotionis virtutem diligentiùs attendentes, & eam deuotiſſimis in Domino laudibus commendantes, ſicut ſæpè iam fecimus, ſuper augmento & conſeruatione præſcriptæ Eccleſiæ cum Fratribus noſtris ſtudioſè ac ſollicitè deliberare curauimus. & ad eius onera & debita releuanda nulla via certior nobis apparuit, quàm vt Fratres per diuerſa Monaſteria diuidantur, & quinque vel quatuor ibidem relictis, in debitorum ſolutionem redditus cedant. Vnde regiam pietatem rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, atque in peccatorum veniam tibi iniungimus, quatinus superni Conditoris intuitu, & pro remedio animæ tuæ, Fratres prænominatæ Eccleſiæ per Regni tui Monaſteria facias recipi, & ad tempus eis neceſſaria prouideri. Et quoniam ita nobis viſum eſt, & Abbas conſenſit, vt duo de Fratribus, & duo burgenſes diſcreti & fideles viri ad hoc aſſumantur, iuramento aſtricti quòd fideliter & ſine fraude debeant redditus ipſos colligere, & in debitorum ſolutionem expendere: nihilominus ſollicitamus Celſitudinem tuam, vt Eccleſiam ipſam, & burgum, & omnia bona ſua ſub regia cuſtodia & protectione ſuſcipias,

C

LVDOVICVS VII. IVNIOR. & Nuncios tuos propter hoc ſpecialiter ad locum ipſum tranſmittas. Nos enim, quantum ad officium noſtrum ſpectat, & præfatam Eccleſiam, & res ad eam pertinentes, ſimul cum burgo eius, ſub noſtra tuitione ſuſcipimus, & noſtrum cum tuis Nunciis, ſi opus fuerit, illuc deſtinare ſtudebimus. coram quibus hæc, quæ ſuprà dicta ſunt, debeant commodiùs ordinari. Ne autem præſentes redditus poſſint ad manus plurium deuenire, ſuggerimus magnificentiæ tuæ, vt hæc ſub maturitate exſecutioni mandare intendas. ita quòd à Deo exindè præmium poſſis in æterna retributione iuſtorum recipere, & gloriam ſempiternam feliciter adipiſci; & Monaſterium à debitorum onere ſic valeat iuuante Domino liberari. Datum Senonis VIII. Idus Auguſti. A

EPISTOLA CLVII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTVS filius noſter VV. Morimundenſis Monachus præſentium lator, quem olim pro Eccleſiæ negociis in Regnum Teutonicum in multo labore ac periculo deſtinauimus, ad nos per Dei gratiam ſanus incolumiſque reuerſus, tam nobis quàm Excellentiæ tuæ Litteras dilecti filij noſtri nobilis viri Ducis VVelfonis fideliſſimè reportauit. Vnde nunc eum ad tuæ ſublimitatis præſentiam cum eiſdem Litteris deſtinantes, rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus eum & Litteras ipſas pro reuerentia beati Petri ac noſtra, & prædicti Ducis obtentu, regia benignitate recipias, & in eo quod ex relatione ipſius iuxta earumdem Litterarum tenorem cognoueris, ſecundum quod videris expedire procedas. Doleaſe Monaſterium v. Kal. Auguſti. B

EPISTOLA CLVIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVONIAM regiæ pietatis clementiam his cognoſcimus quæ Deo beneplacita ſunt, & profectum pariunt animarum, tota mentis affectione intendere; idcirco magnificentiam tuam ad ea quæ ad concordiæ & pacis bonum pertineant, cum omni fiducia decreuimus inuitare. Dilectus ſiquidem filius noſter Simon Senonenſis Canonicus nobis viua voce propoſuit, quòd A. & O. de Bri cum P. de Glazi grauem guerram & diſcordiam habeant, & niſi regia ſublimitas inter eos mediatrix extiterit, ad pacis reconciliationem ſuum non poſſunt animum mitigare. Vnde quoniam tantò tuta extimatur ſubiectorum conditio, quantò ampliùs ſub æquitate regnantis deſiderabilis pax & tranquillitas cuſtoditur; Celſitudinem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus pietatis intuitu, & pro reuerentia beati Petri ac noſtra, ad pacem & concordiam inter ſupradictos viros reformandam ſollicitè ac diligenter labores, & ad hoc partes tuas efficaciter interponas. Datum Senonis v. Non Martias. C

EPISTOLA CLIX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei; cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* PERVENIT ad audientiam noſtram, magnificentiæ tuæ fuiſſe ſuggeſtum, quòd nulla ratione freti, ſed de propria voluntate, ac motu animi, dilectum filium noſtrum R. quondam Eccleſiæ beati Aniani Cantorem, officio ac beneficio Cantorio priuauimus. Vnde regia volumus magnitudo indubitata veritate cognoſcat, quòd de rigore iuſticiæ, & de conſilio omnium Fratrum noſtrorum, qui præſentes erant, & non de aliquo impetu animi, eundem R. ab honore illo depoſuimus. circa quem pietatis & miſericordiæ manſuetudine mori, ſibi Præbendam & Præpoſituram in eadem beati Aniani Eccleſia dimiſimus, & famæ integritatem ſibi conſetuauimus. Quapropter regiam Serenitatem rogamus, quatinus pro honore illo ei reſtituendo nos tuis precibus nulla ratione ſollicites, nec aliorum ſuper hoc preces exaudias. Datum apud Clarummontem VII. Kal. Iulij.

EPIST.

A

EPISTOLA CLX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Christo filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* A memoria noſtra non excidit, qualiter olim ad ſuggeſtionem noſtram & fratrum noſtrorum, cariſſimo in Chriſto filio noſtro illuſtri Conſtantinopolitano Imperatori tuæ Sublimitatis Litteras deſtinaſti, quas vtique ille, ſicut ex Litteris, quas venerabili Fratri noſtro Henrico Beneuentano Archiepiſcopo deſtinauit, agnouimus, debita benignitate ſuſcepit, & per nuncium eiuſdem Archiepiſcopi, quoniam difficile ſibi proprium nuncium ita ſubitò deſtinare, Litteras ſuas tuæ Serenitati tranſmittit. Nos autem Litteras ipſas per eundem Archiepiſcopi nuncium latorem præſentium tuæ Celſitudini deſtinamus. Datum Senonis VII. Kal. Februarij.

EPISTOLA CLXI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVONIAM Regnum Siciliæ ad ius & proprietatem beati Petri ſpecialiter ſpectat, & nos conuenit de ſtatu & conſeruatione ipſius ſollicitos & ſtudioſos exiſtere, regiæ Serenitatis induſtriam poſtulamus, quatinus conſilium & viduitatem tuam cariſſimo in
B Chriſto filio noſtro VVILLELMO illuſtri Siciliæ Regi Litteris tuis prudenter aperias. eum attentiùs ammonens & exhortans, vt quia inimici eius ſe præparant, & totam intentionem ſuam ad hoc dirigunt, quòd poſſint terram illius intrare, & ipſum crebris vexationibus fatigare, taliter ſe & terram ſuam præmuniat, & ſibi ſtudeat præcauere, quòd machinationes atque inſidiæ inimicorum non valeant eum lædere, vel in aliquo iacturam ſeu detrimentum inferre. Decetero venerabilem Fratrem noſtrum Tropeienſem Epiſcopum, qui ad Epiſcopatum ſuum in terra eiuſdem Regis exiſtentem deſiderat remeare, Regiæ Serenitati attentiùs commendamus, per Apoſtolica ſcripta rogantes, quatinus eum pro reuerentia beati Petri & noſtra benignè recipias, & ipſum Litteris deprecatoriis ita affectuoſè præfato Regi commendes, quòd ex commendatione tua idem Epiſcopus carior habeatur, & magis acceptus, & nos exindè Celſitudini tuæ gratias exſoluere debeamus. Datum Senonis IV. Idus Octobris.

EPISTOLA CLXII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTVS filius noſter Abbas ſanctæ Genouefæ, qui ſicut nouus Paſtor & diligens procurator circa Eccleſiæ ſuæ commoda ſatagit omnimodis & intendit, tranſmiſſa no-
C bis inſinuatione monſtrauit, quòd dilectus filius noſter G. nobilis vir Buticularius tuus ſub obtentu cuiuſdam conſuetudinis, quam in omnibus ſe aſſerit Abbatiis regalibus obtinere, quædam ab eo exigit, quæ prædictus Abbas ab Eccleſia illa debere nullatenus recognoſcit. Vnde quoniam Celſitudinis tuæ ſerenitas conſueuit Eccleſiarum libertates illæſas & integras conſeruare, clementiam tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinus ſi ita eſt, eandem Eccleſiam noua & indebita exactione grauari non ſinas, & prædictum Buticularium tuum ab hac intentione reuoces omnimodis & reducas. Datum Senonis XIV. Kal. Ian.

EPISTOLA CLXIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CVM in proxima ſecunda feria quæ præteriit ſimul Pariſius loqueremur, verbum Serenitati tuæ nos meminimus propoſuiſſe, quòd cuidam Clerico noſtro viro honeſto & litterato, & omnibus bonis ſuis pro fidelitate noſtra & deuotione Eccleſiæ ſpoliato, quendam Archidiaconatum Carnotenſem concederemus. Vnde & tu nobis, ſi benè meminimus, reſpondiſti, quòd conſilium ſuper hoc haberes. ſed nec nos à te poſtea ſuper hoc reſponſum quæſiuimus, nec tu deinceps aliquid nobis exindè

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

reſpondiſti. Eapropter præſentia ſcripta Celſitudini regiæ deſtinamus, Serenitatem tuam, ſicut viua voce nos feciſſe meminimus, ita etiam horum ſignificatione rogantes attentiùs, & monentes, quatenus ſicut de tuæ ſinceriſſimæ deuotionis circa nos & Eccleſiam Dei puritate confidimus, nobis per latorem præſentium ita efficaciter ſtudeas reſpondere, quòd nos magnificentiæ regiæ vberrimas exindè gratias exſoluamus, & ipſe idem Sublimitati tuæ propter hoc fidelis omni tempore & deuotus exiſtere teneatur. Datum apud Sanctum Benedictum ſuper Ligerim VII. Kal. Maij. A

EPISTOLA CLXIV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Magiſtro Hoſpitalis Domus, quæ Hieroſolymis ſita eſt, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* EA quæ ad honorem tuum, & commiſſæ tibi Domus commodum pertinere cognoſcimus, libenter tibi ſuggerimus, & paterna ſollicitudine ſuademus. Peruenit autem ad audiẽtiam noſtram, quòd cùm dilectus filius noſter Petrus dictus Alamannus Prior Hoſpitalis Domus ſancti Iohannis Conſtantinopoleos ibidem in ſeruicio Dei, ad honorem quoque & commodum cariſſimi in Chriſto filij noſtri Conſtantinopolitani Imperatoris non modico fuerit tempore commoratus, tu eum contra voluntatem & beneplacitum eiuſdem Imperatoris ab ipſo Prioratu retrahere, & ad tuam velis præſentiam reuocare. Vnde quoniam tam Romana Eccleſia, quàm etiã Principes ſeculares viros religioſos de Domibus diuerſis aſſumere, & eos in ſuo ſunt ſoliti obſequio retinere, vnde etiam ipſis locis eorum multa conſueuerunt commoda prouenire: rogamus prudentiam tuam, & exhortamur in Domino, quatinus pro reuerentia beati Petri ac noſtra, & futuræ vtilitatis obtentu, maximè cùm ſuper hoc præfati Imperatoris preces ſuſceperis, eundem Priorem ad obſequium eius in præfato Prioratu dimittas, nec eum ad te redire compellas. Datum Senonis V. Idus Nouembris. B

EPISTOLA CLXV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVONIAM non ſemper iuxta deſiderium noſtrum tuæ Sublimitatis habere præſentiam poſſumus, vt tibi viua voce quæ volumus exponamus, neceſſarium eſt vt aliquando voluntatis noſtræ tenorem per aliquem Fratrum noſtrorum regiæ Celſitudini curemus exprimere, & tuum ſuper eo reſponſum per certum nuncium vel Litteras expectare. Ad præſens autem, quoniam nullam de Fratribus noſtris Cardinalibus à nobis potuimus abſque difficultate dimittere, per venerabilem Fratrem Meldenſem Epiſcopum, & dilectum filium noſtrum P. Sancti Aniani Aurelianenſis Decanum, quædam tibi decreuimus intimare, quæ & audire diligenter te volumus, & ſuper his per eundem Decanum regiæ Serenitatis reſponſum pariter & conſilium exoptamus. Ad hæc Excellentiæ tuæ volumus innoteſcat, quòd niſi aliqua neceſſaria cauſa conſilium nos mutare compellat, diſpoſuimus in proximo Bituricas Domino volente tranſire, & ibi aliquanto tempore permanere. Vnde magnificentiam tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus, monemus, & exhortamur in Domino, quatinùs homines illius loci diligenter admoneas, vt liberum acceſſum vniuerſis, qui illuc cum neceſſariis voluerint venire, concedant, & nobis & Curiæ noſtræ debitam reuerentiam & honorem impendant. Datum Turonis III. Idus Iunij. C

EPISTOLA CLXVI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* AFFECTVM & compaſſionem, quam circa incrementum & releuationem debitorum Trenorcienſis Eccleſiæ tua inclita magnificentia gerit, ex Litteris regiæ Serenitatis nobis tranſmiſſis comperimus, & quòd triginta Fratribus ipſius loci te promiſiſti neceſſaria liberaliter prouiſurum, gratum admodum & acceptum habemus, & Regiæ Maieſtati vberes exindè gratiarum referimus actiones. Placuiſſet autem nobis, ſi nuncium tua prudentia tranſmiſiſſet, qui pariter eſſet cum nuncio noſtro ad præfatum Monaſterium acceſſurus. Verumtamen nos ſecundum quod regia Excellentia no-

A bis ſignificauit, in facto ipſo diligenter procedere Domino adiuuante curabimus, & attentam prouidentiam adhibere. Datum Senonis xv. Kal. Septembris. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CLXVII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* AD noſtri officij ſollicitudinem ſpectat, oppreſſis & neceſſitatem patientibus opem conferre, & apud eos pro ipſis interuenire; in quibus pietatis opera & miſericordiæ viſcera cognoſcimus abundare. Ad regiæ autem Serenitatis notitiam peruenire optamus, quòd dilectus filius noſter nobilis vir Florius de Camebotta, qui vnus de maioribus Baronibus Calabriæ habebatur, cariſſimi in Chriſto filij noſtri VV. illuſtris Regis Siciliæ iram & indignationem incurrit, & de tota terra ipſius, ſicut dicitur, coactus eſt exulare. Hac ſiquidem occaſione ſuſcepta, quòd cùm nobis per religioſam & honeſtam perſonam ſæpè fuiſſet ſuggeſtum, quòd quidam de terra ſua eidem Regi inſidias præpararent, & aduerſus eum molirentur proditionis peccatum committere, nos venerabili Fratri noſtro Capuano Archiepiſcopo, quem magis inter alios Regi deuotum & fidelem cognoſcebamus, ſecundò ſcripta noſtra direximus, vt præfatum Regem ſuper hoc præmuniret & B redderet cautiorem. Cúmque id ſibi per iamdictum F. nepotem ſuum ſignificaſſet, ille non credens quòd ex parte noſtra hoc diceret, ſed vt homines ſuos faceret ipſi ſuſpectos, eum de terra coëgit recedere, & ad partes Hieroſolymitanas tranſire. Verùm, quoniam nouimus Celſitudinem tuam circa opera miſericordiæ intentam exiſtere, & oppreſſos in ſuis tribulationibus pietate ſolita & clementiâ conſolare, pro ſupradicto F. Excellentiæ tuæ preces affectuoſas porrigimus, rogantes, monentes, & exhortantes attentiùs, quatinus cùm nullus Rex vel Princeps ſit, cui prædictum Regem maiorem quàm tibi reuerentiam & deuotionem exhibere credamus; pietatis intuitu, & pro reuerentia beati Petri ac noſtra eidem Regi Litteras tuæ magnificentiæ dirigas, in quibus eum ſtudeas cum multa attentione rogare, quòd ei tuæ interuentionis & amoris obtentu iram & indignationem remittat, & eum in gratiam ſuam reducens, ſibi terram reſtituat, & ibi tam eum quàm vxorem & filios patiatur liberè permanere. Nihilominus etiam illuſtri Conſtantinopolitano Imp. preces porrigas, & roges attentè, quòd ſæpedictum F. circa ſe habeat, & donec in terra ſua poſſit eſſe ſecurè ipſi pro tuo amore benefacere ac ſubuenire intendat. Ideò autem rogamus, vt Imperatori etiam Litteras pro eo deprecatorias dirigas, quòd ſi fortè, quod non credimus, preces noſtras & tuas præfatus Rex non exaudierit, iſte ad eundem Imperatorem poſſit habere recurſum, & tuis precibus optata apud eum beneficia inuenire. Datum Senonis XIV. Kal. Martias.

EPISTOLA CLXVIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* DILECTI filij noſtri Præpoſitus, Decanus, & Abbas, & aliæ quædam perſonæ Briuatenſis Eccleſiæ ad nos accedentes, in noſtra ſunt præſentia conſtituti. Sed nos cùm velimus inter eos pacem & concordiam reformare, videtur nobis, & quaſi certitudinem obtinemus, quòd nulla ratione id poſſumus efficere, niſi ita de domo Decani & de aliis diſponatur, ſicut nos tuæ Celſitudini propoſuimus, & tu ipſe, prout benè recolimus, conceſſiſti. Verùm, quoniam R. ſeruiens tuus nobis propoſuit, quòd tuum ſuper hoc conſilium immutaueris, & nos neque in hoc neque in aliis tuam volumus Serenitatem offendere; regiam Excellentiam rogamus attentiùs, atque conſulimus, vt à primo conſilio, quod tibi ſuper hoc propoſuimus, & quod tibi ipſi placuit, non recedas. Alioquin & theſaurus Eccleſiæ dilapidabitur & conſumetur, & Eccleſia ipſa ferè in nihilum redigetur, & tandem nos & te ſera pœnitentiâ pœnitebit. Quiequid igitur ſuper hoc tuæ Serenitati placuerit, nobis per latorem præſentium Litteris tuis in continenti reſcribas. Datum Senonis x. Kal. Nouembris.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CLXIX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* CONQVESTI nobis ſunt dilecti filij noſtri Prior & Fratres Sanctæ Mariæ de Porta Sancti Leonis, quòd dilectus filius noſter nobilis vir PETRVS Frater tuus quendam eorum hominem cepit, cui equum & octo boues abſtulit, & hominem ipſum dimittere, vel ablata ſibi reddere contradicit. Vndè quoniam noſtra intereſt curam & ſollicitudinem gerere, ne ſanctæ Dei Eccleſiæ potentum virorum impetu aliquod debeant incommodum ſuſtinere, Sublimitatem tuam per Apoſtolica ſcripta rogamus & exhortamur in Domino, quatinus amore iuſtitiæ, & pro reuerentia beati Petri ac noſtra, & hominem illum dimitti, & ablata ei facias cum integritate reſtitui. Datum Senonis xv. Kal. Nouembris.

EPISTOLA CLXX.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* APOSTOLICÆ amminiſtrationis cura omnibus ſacris locis prouidere compellimur, & præſertim eis quibus intendere nos tuæ Sublimitatis excellentia exhortatur. Huius igitur conſiderationis intuitu prouocati, Monachos Sancti Maximini, quos vitæ turpioris conuerſatio, & ſui Abbatis interemptio infamabant, per diuerſa Monaſteria diuiſimus, & ad petitionem tuam inſtituere ibidem alios Domino auctore curauimus. Quos tuæ Sublimitati duximus commendandos, rogantes attentiùs, quatinus pro reuerentia beati Petri ac noſtra eos manuteneas, diligas, & honores, & eos in iuſtitia ſua foueas, protegas, & defendas, & A. Præpoſitum de Mecho, & matrem eius & ſororem diſtrictè compellas, vt frumentum & alia plura, quæ apud eos Henricus eiuſdem Monaſterij Monachus depoſuit, ei reſtituant, aut in præſentia tua iuſtitiæ complementum exhibeant. Datum apud Dolenſe Monaſterium v. Idus Iulij. B

EPISTOLA CLXXI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* LITTERAS Excellentiæ tuæ quanta decuit animi benignitate ſuſcepimus, & quod nobis eiſdem Litteris innuiſti, gratum admodum & acceptum habemus, & hoc iuxta poſtulationem tuam effectui mancipare curabimus. Datum Senonis VIII. Kal. Octobris. C

EPISTOLA CLXXII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVOD tam fiducialiter Sublimitati tuæ ſacras Eccleſias commendamus, ex illa noueris conſideratione procedere, qua te circa ea quæ Dei ſunt feruentiùs cognoſcimus inſudare. Indè eſt quòd Compendienſe Monaſterium, & dilectos filios noſtros A. Abbatem & Fratres diuinis obſequiis ex inſtitutione Patris & prædeceſſoris noſtri ſanctæ recordationis EVGENII Papæ, aſſenſu & voluntate tua, ſicut Chriſtianiſſimi Regis, & Religionem amantis & defendentis, facta, inibi mancipatos clementiæ tuæ duximus commendandos: per Apoſtolica ſcripta Regiam Maieſtatem rogantes, monentes, & exhortantes in Domino, quatinus eos pro reuerentia beati Petri ac noſtra, & ſuæ religionis obtentu, diligas, manuteneas, & honores, nec aliquorum iniuriis eos infeſtari permittas. ſed ita in iuſticiis ſuis foueas iugiter & defendas, quòd ipſi preces noſtras ſibi ſentiant profuiſſe, & tu ab omnipotenti Deo ac nobis ipſis gratias debeas multiplices expectare. Datum Turonis VIII. Idus Nouembris.

A

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CLXXIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* AD regię Sublimitatis notitiam credimus perueniſſe, quomodo nos, cùm in partibus illis eſſemus, dilecta in Chriſto filia noſtra nobilis mulier ER. de Narbona multimodis honorare & ſeruire curauit, & deuotionem, quam circa nos & Eccleſiam laudabiliter gerit, multiplici rerum effectu ſtuduit comprobare. Vnde tam nos quàm Fratres noſtri eam ſicut cariſſimam & ſpecialem Eccleſiæ filiam ſincera volumus caritate diligere, & in his quæ cum Deo & iuſtitia poſſumus ſuis petitionibus noſtrum animum inclinare. Eam itaque, quam tibi deuotiſſimam, & omninò fidelem credimus, regiæ Serenitati attentiùs commendamus, per Apoſtolica ſcripta rogantes plurimùm, quatinus pro reuerentia beati Petri ac noſtra, & intuitu fidelitatis & probitatis ipſius, eam ſicut propriam fidelem tuam diligas, manuteneas, & honores, & rationabiles preces ſuas ſolita benignitate admittas. ita quòd nos exindè Celſitudini tuæ vberrimas gratias referamus, & ipſa de deuota deuotior, & de fideli fidelior tibi valeat omni tempore permanere. Datum Senonis III. Nonas Aprilis.

B

EPISTOLA CLXXIV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* FRANBVS Eccleſiæ ſancti Martini Turonenſis Canonicus, & Nicolaus burgenſis, ad noſtram præſentiam venientes, varias aduerſus ſe querelas propoſuerunt. Conquerebatur etenim iamdictus burgenſis, quòd idem F. multas iniurias ſibi & grauamina intuliſſet: & compoſitionem, quæ de mandato piæ recordationis Patris & prædeceſſoris noſtri EVGENII Papæ olim facta fuerat, & corporali ſacramento præſtito firmata, auſu temerario violaſſet. Cùm autem nos querelam eiuſdem N. ſuper damnis datis, venerabili Fratri noſtro Cenomanenſi Epiſcopo, viro religioſo, prouido, & diſcreto, & eiuſdem Eccleſiæ Canonico, commiſerimus fine debito terminandam, ipſe tanquam diligens inquiſitor iuſtitiæ, cognitis rationibus vtriuſque, ſententiam pronunciauit, licèt nondum ſit exſecutioni mandata. Verùm, quoniam regiæ Sublimitatis clementia vtrique tertiam diem poſt Kalend. Auguſti aſſignauit, qua ſe debeant tuo conſpectui præſentare, nos Serenitati tuæ in omnibus, in quibus cum Deo & iuſtitia poſſumus, cupienti animo volentes ſemper deferre, eos ad tuam præſentiam deſtinamus. rogantes attentiùs, quatinus pro eo quòd prædictus N. auctoritate Apoſtolicæ Sedis ſuum

C

voluit negocium diffiniri, non ægrè ferat Serenitas tua, non habeat vlla ratione moleſtum, nec factum Epiſcopi in irritum aliquomodo contendat, neque iſte hac occaſione ſui ſentiat iuris defectum. Cùm enim aliis cauſam ipſam nolentes mittere, eam præfato commiſerimus finiendam, pro eo quòd vir litteratus eſt, & honorem illius Eccleſiæ non tanquam extraneus, ſed ſicut proprius Canonicus eius, toto deſiderio diligit: in contemptum eius plurimum redundaret, ſi id quod auctoritate noſtra fretus rationabiliter diffiniuit, tua Excellentia in irritum reuocaret. De cetero, ſi ſuper iniuriis illatis pacificè & amicabiliter inter eos compoſueris, nobis gratum facies & acceptum. Datum Senonis Kal. Auguſti.

EPISTOLA CLXXV.

INNOCENTIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto in Chriſto filio Hugoni Atrebatenſi Archidiacono ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* APOSTOLICÆ Sedis clementia deuotos & humiles filios ex aſſuetæ pietatis officio propenſiùs nouit diligere, & ſuæ protectionis munimine confouere. Eapropter dilecte in Domino fili, deuotionem tuam erga beatum Petrum & nos ipſos attendentes, te in ſpecialem filium Apoſtolicæ Sedis aſſumimus, & perſonam tuam cum bonis tam Eccleſiaſticis quàm mundanis, quæ in præſentiarum iuſtè & canonicè poſſides,

Hæc Epiſt. eſt INNOCENTII II.

LVDOVICI VII. IVNIOR. aut in futurum rationabilibus modis Deo propitio poteris adipiſci, ſub beati Petri **A** & noſtra protectione ſuſcipimus, & præſentis ſcripti patrocinio communimus. Statuentes, vt ſi te grauatum in aliquo eſſe perſenſeris, liberè tibi Sedem Apoſtolicam liceat appellare. Nulli ergo hominum fas ſit perſonam tuam vel bona temerè perturbare, ſeu quibuſlibet moleſtiis fatigare. Si quis autem id attemptare præſumpſerit, indignationem omnipotentis Dei, & beatorum Petri & Pauli Apoſtolorum eius ſe nouerit incurſurum. Datum Laterani XVII. Kal. Maij.

EPISTOLA CLXXXVI.

EXCELLENTISSIMO *Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico & pacifico Francorum Regi*, PETRVS *Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter*, *& B. Niuernenſis Epiſcopus, ſalutem & veræ humilitatis obſequium.* REGIÆ Celſitudinis mandatum ſequentes, ſæpiùs laborauimus pro negotio Eccleſiæ ſancti Portiani, & tandem non ſine labore ac tædio effecimus, quòd Burgenſes quingentas libras ſine vſuris accommodabunt Eccleſiæ ad perſoluendum illud debitum quod debetur ad vſuras. Monachi verò de proprio ſuo cum adiutorio ſeruientium ſuorum reddent ducentas quinquaginta libras. Siquidem Burgenſes habebunt quoſdam redditus illius Eccleſiæ ſibi aſſignatos, quos recipient pro accommodata pecunia, computantes in ſortem quicquid emolumenti **B** exindè proueniet, quouſque rem ſuam cum integritate perceperint. Loca verò, quorum redditus percipere debent, propriis vocabulis duximus exprimenda. Lochee cum appendicus ſuis, Montaurum, Soiſtias, Marrillec, Boec. & quidquid Sanctus Portianus in locis iſtis habet. Clauſum quoque qui eſt iuxta domum Bernardi Magnificat, & pratum de Liurac. Nos autem ad Burgenſium poſtulationem, Monachis concedentibus, ſibi de rebus iſtis veſtram debemus impetrare confirmationem. De ſeptingentis quinquaginta libris, quas prænotauimus, perſoluendis, ſecuritates accepimus ab vtraque parte, à Monachis ſcilicet & ſeruientibus ſuis, & à Burgenſibus. Sed quia non poterant in præſentiarum perſolui, diem ad perſoluendum competentem dedimus vtrique parti ſecunda feria poſt feſtum Decollationis beati Iohannis Baptiſtæ. Et tunc dominus Archimbaudus de Borbonio ex conſilio noſtro apud Sanctum Portianum diſpoſuit adeſſe: & ſi aliqui eorum à promiſſo declinauerint, ex parte veſtra eos compellere debet ad perficiendum quod promiſerũt. Cùm veſtræ placeat Sublimitati, neceſſe eſt aliquem de ſeruientibus veſtris intereſſe, qui Burgenſes, ſi qui fortè rebelles extiterint, promiſſionem ſuam obſeruare compellat: & hoc optant & petunt ipſi Burgenſes. De Eccleſia verò interiùs ordinanda, viſum eſt nobis quòd modo fieri competenter non poſſit, donec promiſſa pecunia perſoluta ſit. Ideóque ad ipſam ordinandam aſſignauimus alteram diem, ſcilicet in octauis beatæ Mariæ menſe Septembri. Decet ergo magnificentiam veſtram, vt redditus illos, qui Burgenſibus pro accommodata pecunia ſunt aſſignati, ipſis per Literas veſtras, ſicut nos promiſimus, confirmetis, & ab Epiſcopo Claromontenſi, & Abbate Trinorcienſi confirmari faciatis, & in manu accipiatis, ne inferatur eis iniuria ſuper redditibus iſtis: & nos eandem faciemus confirmationem. Neceſſe eſt etiam, vt interim Abbati Trinorcienſi **C** mandetis, quatinus die illa, quam pro ordinanda Eccleſia ſtatuimus, vel ipſe veniat apud Sanctum Portianum, vel cum nuntio veſtro tales nuntios mittere non poſtponat, per quos Monachos illos, quorum nomina ſubſcripta ſunt, ab Eccleſia illa remoueat, & ad Monaſterium ſuum reducat. In primis igitur remoueat ipſum Priorem, & alterum ſubſtituat idoneum & honeſtum. Remoueat etiam Humbaudum Monachum, Barrerium, Goderum, & nepotem ſuum Gannatum, Franconem, VVillelmum Bechet, Chambonium, Stephanum de Monte-rotundo, Petrum de la Foleria, Bernardum de Capellis, & Bonetum Aparcet. Quibus in Eccleſia ſancti Portiani morantibus, eidem Eccleſiæ, ſicut audiuimus, poterit nullatenus prouideri: tum quia inutiles ſunt, immò pernitioſi; tum quia redditus, quos modo percipiunt, tanto Conuentui non ſufficiunt. Viginti namque & ſeptem ſunt. Nobis autem videtur quòd de remotione Prioris & Monachorum ſecretum debeat haberi, donec fiat, quoniam illi Eccleſiæ poſſet exindè incommodum proue-

A nire. Nec enim Monachi nouerunt hoc, nec etiam Sy. ſeruientem veſtrum cre-
dimus hoc nouiſſe. Conſeruet vos Deus ſanum & incolumem.

EPISTOLA CLXXVII.

EXCELLENTISSIMO *Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico & paci-
fico Francorum Regi*, PETRVS *Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem &
vera humilitatis obſequium.* DE benignitate veſtræ Maieſtatis non pro meritis no-
ſtris, ſed pro ſola liberalitate veſtra præſumentes, ſtatum noſtrum, & incumben-
tia nobis negotia vobis neceſſarium duximus inſinuare, veſtrum in illis auxilium
& conſilium ſperantes, & fiducialiter expectantes. Senonis in Curia domini Pa-
pæ conſtituti, cauſam pro Eccleſia Bituricenſi contra Dolenſes Monachos agita-
mus, qui nobis noſtra tollere conantur, & nos & Eccleſiam Bituricenſem, quæ
veſtra eſt, vexare & turbare non verentur, eius omnimodam dignitatem minuere
nitentes. Contra quos licèt iuſtitia noſtra nobis debeat ſuffragari, non dubitamus
tamen quin ope veſtra in hoc negotio plurimùm indigeamus. Vnde quia & nos
& Eccleſia Bituricenſis veſtri ſumus, honor noſter veſter eſt; & noſtra vtilitas, ve-
ſtra: noſtrum quoque detrimentum, & diminutio dignitatis Eccleſiæ Bituricenſis,
veſtræ Coronæ decori nullatenus poteſt non imputari: veſtram eum omni humi-
B litate manſuetudinem exoramus vt domino Papæ & Cardinalibus pro nobis, &
pro Eccleſia veſtra cum tanta diligentia ſcribere dignemini, quatinus ipſi ſentiant
vobis placere ſi nobis & Eccleſiæ noſtræ ius illibatum conſeruauerint, & honorem
exhibuerint competentem. Sentiant nihilominus, ſi aliter fecerint, non modicum
veſtræ Regiæ Maieſtati diſplicere. Didicimus enim ab his qui Curiam perfectè
nouerunt, quia niſi apertiùs veſtram ei voluntatem expreſſeritis, veſtratum pre-
cum non ſentiemus effectum. Lator præſentium VVillelmus fidelis noſter &
veſter, hæc & alia vobis latiùs explicabit. Petimus ergo vt ei credatis. Conſer-
uet vos Deus per tempora multa, & conterat inimicos veſtros ſub pedibus veſtris.

EPISTOLA CLXXVIII.

EXCELLENTISSIMO *Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico & paci-
fico Francorum Regi*, PETRVS *Bituricenſis Eccleſiæ humillimus Miniſter, ſalu-
tem & vera humilitatis obſequium.* DECANVS Briuatenſis & Abbas Sancti Ger-
mani per nos tranſitum facientes, intimauerunt nobis contumelias, damna, &
iniurias à Præpoſito & Abbate Briuatenſi per violentiam Comitum Aluernenſium
eidem Decano, & quibuſdam aliis, qui de veſtra poſt Deum protectione confide-
bant, irreuerenter illatas ſuper deſtructione domuum, & rerum ſuarum ſubtractio-
ne, ſuper deprædatione terrarum ſuarum, & hominum interfectione: rogantes,
C vt ſuper hoc veſtræ ſcriberemus Celſitudini. Quia igitur veſtrum in omnibus ho-
norem, & per omnia deſideramus, & nihil vnquam vobis ſcienter intendimus in-
ſinuare quod Regiam non deceat Maieſtatem, pro præfato Decano preces Sere-
nitati veſtræ porrigimus, vt eum benignè, ſi placet, ſuſcipiatis, & iniuſtis petitio-
nibus ſuis exaudiatis.

EPISTOLA CLXXIX.

EXCELLENTISSIMO *Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico & paci-
fico Francorum Regi*, PETRVS *Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem &
vera humilitatis obſequium.* DOMINVS Hoſtienſis Epiſcopus ſignificauit nobis,
& rogauit vt nuntium ſuum cum Literis ſuis ad vos vſque perduci faceremus. Nos
autem plurimum lætamur, quia occaſionem inuenimus viſitandi Celſitudinem
veſtram per Literas noſtras. Audiuimus etenim quòd vndecumque tranſitis, om-
nes inimici veſtri per Dei gratiam ſubiiciuntur pedibus veſtris, & quòd omnia
proſperè vobis ſuccedunt. Vnde laudamus Dominum, & non modica lætitia
exultamus. Et quoniam eorum quæ audiuimus per Literas veſtras optamus effi-
ci certiores, rogamus attentiùs vt per latorem præſentium nobis expectantibus
ſcripta veſtræ ſtrenuitatis tranſmittentes, certos nos efficere dignemini de ſta-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. tu veſtro & veſtrorum, quem Dominus noſter lætum ſemper faciat & proſperum. A

EPISTOLA CLXXX.

EXCELLENTISSIMO *Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ magno & pacifico Francorum Regi*, PETRVS *Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & veræ humilitatis obſequium.* MANDASTIS nobis, quòd ſi Gimo de Maduno feciſſet nobis ſecuritates, quas debet facere de caſtello ſuo, & reddidiſſet pertas hominum veſtrorum, caſtellum ſuum ſibi redderemus. Vnde volumus vos ſcire, quia præſente Ebone de Carentonio, & aliis Baronibus præſentibus, & ſeruientibus veſtris Bituricenſibus, tam ipſe Gimo quàm filius eius Robertus, & alij homines ſui tam milites quàm ſeruientes, immò etiam burgenſes de Maduno, multo maiorem ſecuritatem nobis de caſtro fecerunt, quàm de iure debuerunt, & quàm anteceſſoribus noſtris vnquam fecerunt. Pertas quoque hominum veſtrorum ex maxima parte emendauit. Sed vnus eſt apud Sanctam Tauretam, cum quo libenter concordaſſet, ſi modum pacis congruum inuenire potuiſſet. Sed quia non potuit, vult ſe mittere in hominibus & ſeruientibus veſtris, qui nouerunt qualiter illa res acta fuerit. Ideóque dulcedinem veſtram duximus attentiùs exorandam, quatenus vel iuxta cognitionem ſeruientium veſtrorum, & aliorum, ſi placet, qui rei veritatem non ignorant, vel ſaltim iuſtitia mediante, faciatis rem ipſam in proximo ad finem peruenire. Gimo namque pauper eſt, & omni ferè conſilio, & auxilio, & conſolatione deſtitutus, & non ceſſat clamare, & mendicare poſt nos. Quapropter eius miſeriæ compatientes, miſericordem pietatem veſtram obnixè rogamus, vt in eum miſericorditer agatis. Conſeruet vos Deus, & conterat inimicos veſtros ſub pedibus veſtris. B

EPISTOLA CLXXXI.

DILECTO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtriſſimo Regi Francorum*, THOMAS *Cantuarienſis Eccleſiæ Miniſter humilis ſalutem & vtriuſque vitæ beatitudinem.* SVSCEPTIS & lectis veſtræ Sublimitatis Literis, manifeſta percepimus veſtræ liberalitatis & dilectionis erga nos indicia. Quamquam, vt verum fateamur, ad obtinendum quæ ſponte offertis, merita non præceſſerint: ſcimus quidem, & certi ſumus, quòd propriæ ingenuitatis veſtræ ductu, plurimum nos dilexiſtis. Ipſe, qui omnium bonorum eſt retributor, vobis retribuat, & nos quidem pro facultate noſtra parati ſumus & ſecundùm Deum, & ſecundùm homines, omnibus quibus poterimus obſequiis veſtræ benignitati reſpondere. Verùm, cùm ſemper veſtram experti ſimus in nobis liberalitatem, nunc tandem eam pleniorem & gratiorem comperimus, cùm nos in deſolatione noſtra per Literas veſtras viſitare dignati fuiſtis; & nobis, ſi oportuiſſet, veſtræ conſolationis refugium expoſuiſtis. In verbo iſto adquiſiiſtis vobis ſi quid reſiduum erat cordis noſtri, & totum illud vobis obnoxium reddidiſtis, & ſpem noſtram roboraſtis. Non eſt enim homo mortalis, præter Dominum meum Regem Angliæ, in quo magis confidamus, quàm in vobis, de bono & honore & ſubſidio, ſi nobis oportuerit, licèt nunquam meruerimus. Veruntamen inter Dominum meum Regem & nos verbum actitatum eſt de pace, & ſperamus quòd Deus inclinabit animum eius, & auertet iras eius à nobis. Vos autem, ſi vobis placet, ſi contigerit cum eo loqui, arguite eum, quod ipſe vnquam credidit aliquid ſiniſtrum de homine, qui tantum & tam fideliter ei ſeruiuit, & qui eum ſemper vero affectu dilexit, & cui ipſe tantum honorem contulit. Vos autem, cariſſime Domine, imperate nobis ſi quid vnquam ad honorem veſtrum & placitum facere poſſimus, quia non eſt homo in mundo qui libentiùs illud faceret quàm nos. Valete. C

EPISTOLA CLXXXII.

AMANTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi*, THOMAS *eadem gratiâ Cantuarienſis Eccleſiæ Miniſter humilis ſalutem ab eo qui dat ſalutem Regibus.* CONSIDERANTIBVS nobis ex accidentibus

A ſtatum veſtrum, & Regni veſtri tempore veſtro præ aliis felicis, magis ac magis in dies videtur retributor omnium bonorum Deus proſperare vias & actus veſtros, dans etiam vobis ſemper per magnam miſericordiã ſuam de inimicis veſtris triumphate & vincere. Nec mirum, quia diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. Et ecce, Domine in Chriſto cariſſime, fidelis veſter Abbas Pontiniacenſis promotus eſt communi aſſenſu Cleri & populi in Archiepiſcopum Lugdunenſis Eccleſiæ, conſecratúſque à domino Papa die Dominica ante inſtans feſtum beati Laurentij apud Montempeſſulanum. De quo profectò confidimus per gratiam Dei, tanquam de cariſſimo amico noſtro, quia ipſe tum pro amore veſtro, tum pro noſtro, ſemper quoad vixerit fidelis vobis erit, ciuitatémque ſuam, & partes illas, ſicut iuſtum eſt, vobis & Regno veſtro pro viribus ſubiiciet & ſubiugabit. Benè valete in Chriſto, cariſſime. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CLXXXIII.

DOMINO *ſuo* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi*, THOMAS *Cantuarienſis Eccleſiæ Miniſter humilis ſalutem & cum obſequio dilectionem.* AD veſtræ Serenitatis notitiam credimus peruenisse, inter Clerum & Barones Angliæ occaſione quarumdam conſuetudinum Regis & Regni coram Domino Rege ſubortam fuiſſe contentionem.
B Cúmque magna in nos & Coëpiſcopos noſtros eorum hac occaſione ſuccreſceret indignatio, tandem Deo propitiante ita inter nos compoſuimus, quòd pax vtrinque reformata eſt: & Domini Regis gratiâ, qui ob hanc cauſam aduerſus nos aliquantulum motus fuerat, nobis in integrum reſtituta. Præterea peccatis noſtris exigentibus maiorem in nos Domini Regis indignationem excitauit fama quædam, quæ nos eum apud dominum Papam & vos diffamaſſe nuntiauit, & Eccleſiæ ſanctæ perſecutorem & oppreſſorem impiè confinxit. Quod Domine, Sublimitati veſtræ ſatis notum eſt, ſi hoc de Domino noſtro Rege vobis mandauimus, & ſicut noſtis precamur vt noſtram & noſtrorum innocentiam erga Dominum Regem diligenter excuſetis. Quia neque nos iſta de Domino noſtro diximus, neque ſi aliqui fortè dixerunt, auctoritatem eis præſtamus. Quia neque verum eſt eum talem eſſe, neque videtur dici potuiſſe. Hoc etiam vos ſcire volumus, quòd Dominus Rex quantumcumque motus fuerit, non minùs perſonis Eccleſiaſticis honorem & reuerentiam exhibuit, nec occaſione huius indignationis in perſonas ipſas vel Eccleſiaſticas poſſeſſiones manum miſit. Si quid aliud vobis, Domine, nuntiatum eſt, à veritate ſciatis alienum, & ſicut ſuprà dictum eſt, inter Dominum Regem & Clerum ſuum, nullam, Deo gratias, ſupereſſe diſcordiam: ſed ſopita omnium controuerſia, pacem ex integro reformatam. Valete.

EPISTOLA CLXXXIV.

C DOMINO *& amico ſuo G. Dei gratiâ venerabili Portuenſi Epiſcopo*, HVGO *Sueſſionenſis dictus Epiſcopus ſalutem & plurimam dilectionem.* PETRVM conſanguineum noſtrum, & Clericum veſtrum, qui mitum ſemper erga vos habuit affectum, veſtræ commendamus benignitati, rogantes vt amore noſtro in iuſtis petitionibus ſuis benignè eum audiatis, & erga dominum Papam iuuetis. Valc.

EPISTOLA CLXXXV.

DOMINO *ſuo cariſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ ſereniſſimo Francorum Regi*, HVGO *Eccleſiæ Sueſſionenſis humilis Miniſter*, *& T. de Giſortio ſalutem & fidele obſequium.* COLLOQVIVM habuimus cum Epiſcopo Ebroicenſe, & aliis Normannis, & cepimus cum eis diem in quo debemus obſides recredere, proximam diem Mercurij poſt octauas Sancti Andreæ apud Pontiſeram, & nominauimus eis plegios. Cùm autem ipſi dicerent ſe adducturos aut illos, aut alios qui idonei forent, reſpondimus quòd non acciperemus niſi illos. Audiuimus autem, quòd Rex Angliæ non transfretabit huc, donec poſt Paſcha, & quod Comites Aluerniæ ſunt in Normannia. Vale. Sunt & quædam alia quæ nolumus mandare per litteras, quæ viua voce dicemus vobis.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CLXXXVI.

DOMINO ſuo cariſſimo LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum illuſtriſſimo Regi, H. eadem gratiâ Sueſſionenſis Epiſcopus ſalutem & voluntarium ſeruitium.* A vobis diſcedentes venimus vſque Biſtiſiacum, vbi audiuimus quòd dominus Archiepiſcopus veſtri gratiâ Eccleſiæ Sueſſionenſi reddidit celebrare res diuinas. Dominus Petrefontis Cono, quando huc miſimus, nihil adhuc fecerat nobiſcum, ſed ſpem habemus de eo. Sicut autem vobis diximus, huc mittimus, & nobis, ſi placet, veſtram ſignificate voluntatem. Valete.

EPISTOLA CLXXXVII.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi, H. eadem gratiâ Sueſſionenſis Epiſcopus & ſuus Clericus ſalutem & promptum famulatum.* POSTQVAM venimus Sueſſonis, habuimus multa facere: ſiquidem & res familiares diſſipatas inuenimus, & de diuerſis partibus diuerſa ad nos relata ſunt negotia. Pro huiuſmodi, ex quo à vobis diſceſſimus, nullam pauſam capientes vehementer defatigati, ad ſummam animi noſtri ægritudinem accepimus rumorem de infante, vnde dolor penetrauit ad animam noſtram. Sed nunc per Dei gratiam verſa res eſt in melius. Multum autem vellemus eſſe veſtrum cognoſcere, & quid agatis, ſi etiam in proximo debearis propinquare verſus partes noſtras, & venire verſus Compendium. Hæc ſi placet, noſtræ ſollicitudini mandare dignemini. Valete. B

EPISTOLA CLXXXVIII.

REVERENDO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico Regi Francorum, H. Senonenſis Eccleſiæ Miniſter humilis, totúſque eiuſdem Eccleſiæ Conuentus ſalutem & dilectionem.* NOS veſtri ſumus, & quicquid poſſumus eſt ad arbitrium veſtrum; & cùm aliqua nobis inferrur violentia, ad vos ſicut ad Dominum noſtrum recurrere nos oportet ad clamorem. Vicecomes Senonenſis & Guarinus filius eius, qui nunc incipit dominari, auferunt nobis & Eccleſiæ Senonenſi nemus noſtrum: & grieriam requirit, & vſurpare vult ſibi Guarinus quod nunquam habuit in nemoribus noſtris, vel Eccleſiæ noſtræ: & Maiorem noſtrum de Pontibus, qui iura noſtra nouit, & manutenet, exagitat, & per nemora poſuit ei inſidias ad occidendum, ſicut ipſe nobis conqueſtus eſt. Propterea mittimus eum ad vos, vt Regia Maieſtas præcipiat quòd noua conſuetudo in terram Eccleſiæ non inducatur, & ſi quid rationis in hoc potuerit reclamare, parati ſumus ad iuſtitiam vel in præſentia veſtræ, aut in Capitulo noſtro. Valeat Maieſtas Regia. C

EPISTOLA CLXXXIX.

REVERENDO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico Regi Francorum, H. Senonenſis Eccleſiæ Miniſter humilis ſalutem & ſeruitium.* SCIRE volumus magnificentiam veſtram, quoniam multoties laborauimus pro reformatione pacis inter Epiſcopum Autiſſiodorenſem, & Comitem Niuernenſem, ſuper querelis illis de quibus inter ſe ad inuicem diſcordabant. Verùm, cùm nuper ad vltimum Autiſſiodori veniſſemus pro eadem controuerſia pacificanda, & Comes præſto fuiſſet, propoſuit Epiſcopus quaſdam querelas ſuas, & Eccleſiæ ſuæ, vt eaſdem Comes faceret emendari: denuntians vt primò faceret ei fidelitatem ſuam, ſicut eam fecerant anteceſſores ſui Comites ſibi, & anteceſſoribus ſuis Epiſcopis. Porrò Comes nec querelas voluit emendare, nec facere fidelitatem, ſed nec ſtare voluit iudicio ſi eam facere, vel querelas emendare deberet, nec ne. Inſuper etiam appellauit Comes ad xv. dies poſt Paſcha. Interim nulla facta recredentia ablatorum, & vt ſicut credimus & Epiſcopo & Eccleſiis inferat peiora, & manum ſuam licentiùs aggrauet & in rebus & in hominibus eorum. Epiſcopus veſter eſt, & damnum eius vtique veſtrum eſt. Eccleſiæ quoque ſub veſtra

A conſiſtunt protectione, & vos eaſdem ex poteſtate vobis à Deo collata defenſare habetis. Quocirca rogamus magnificentiam veſtram, ſupplicant etiam & Epiſcopus, & Eccleſiæ, quæ in multa oppreſſione ſunt, quatinus pro Dei amote in hoc tale conſilium apponatis, quod & Epiſcopus, & Eccleſiæ de patrocinio veſtro gaudeant & exultent, nec vnquam liceat homini tyrannico more in rebus Eccleſiarum debaccari. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CXC.

EXCELLENTI *& præclaro Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, H. Sueßion. humilis Miniſter ſalutem & proſperitatem.* CONVENIMVS ad diem nominatum Epiſcopus Beluacenſis, & Comes Bellimontis, T. de Giſortio, & ego, vna cum illis, & aliis multis ex parte veſtra. Ex altera parte fuerunt Epiſcopus Ebroicenſis, R. de Sancto VValtrico, G. filius Haimonis, R. de Homet, & multi alij. Propoſuimus eis reſponſum veſtrum, ſicut veſtri Barones dederant vobis in conſilio, quòd ipſi mandarent Comitibus Aluerniæ vt venirent antè & loco & tempore conuenienti, & nos libenter recederemus. Ipſi è contrario reſponderunt, quoniam non poterant facere quòd Comites venirent, quia nos tenebamus eos in priſona, & in oſtagiis. Nos autem diximus quòd ita faceremus, nihil amplius habentes ex mandato veſtro. Iterum petierunt à nobis, quòd
B nos mandaremus Comites ex veſtra parte, & ipſi ſimiliter mandarent eos ex ſua parte. Et habito conſilio noſtro ſuper hoc, quæſiuimus ab eis quòd darent nobis breuem reſpectum, donec veſtrum habuiſſemus conſilium. Reſponderunt nobis, quòd nullum reſpectum darent; ſed neque dediſſent vobis quando fuerunt Pariſius, niſi coniuraſſetis eos per fidem Regis Angliæ. Alia negotia & nos & ipſi vtrinque diligenter vſque ad nigram noctem tractauimus multa. In craſtinum miſerunt ad nos vt alium diem acciperemus pro terminandis aliis, & nos miſimus Giſortium vt dies nominaretur, ſed nondum redierant illi quos miſimus, quando ſcripſimus vobis iſta. Vt autem animus veſter in nullo ſollicitus eſſet, iſta Serenitati veſtræ breuiter mandaui, & cùm præſens ero, vberiùs ſingula exponam. Res quidem tota ad honorem veſtrum acta eſt & deducta.

EPISTOLA CXCI.

REVERENDO *Domino & fratri* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi glorioſiſſimo, H. diuina miſeratione Remorum Archiepiſcopus ſalutem & vtriuſque vitæ felicitatem.* INSINVATVM eſt nobis, quòd apud Beſtiſiacum in inſtanti colloquium habiturus eſtis. Quia verò nuperrimè nuntios Comitis Flandriæ in reditu noſtro Sueſſionis habuimus, quærentes nobis loqui de quibuſdam negotiis familiaribus, rogauimus Sublimitatem veſtram quatinus vtrum loco prænominato
C colloquium habiturus ſitis, vel vbi vobiſcum cum præfatis loqui poſſimus nuntiis, nobis quantocius ſignificare dignemini.

EPISTOLA CXCII.

REVERENDO *Domino ſuo & amantiſſimo Fratri* LVDOVICO *Dei gratiâ venerando Regi Francorum, H. eadem gratiâ Remorum Archiepiſcopus, ab eo ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* CARITATIS intuitu ducente cor meum, Sublimitatem veſtram rogare multorum precibus cogor. Credunt enim homines preces noſtras in conſpectu veſtro eſſe acceptabiles, & eorum quæ iuſtè poſcimus facilè poſſe conſequi effectum. Eſt quidam miles Ebrardus nomine de Brueren, cognatus dilecti filij noſtri Abbatis Sancti Dionyſij Remenſis, & fidelis veſtri: pro quo Serenitatem animi veſtri obnixè rogamus, quatinus eum, vt dicit, paratum ſubire iudicium Curiæ veſtræ benignè ſuſcipiatis, aut quia miſericordia ſuperexaltat iudicio, ſi quid deliquit, amore Dei & noſtri ei miſericorditer condonetis. Sicut enim Regiam decet Maieſtatem iuſtitiæ rigor, ita quandóque decentiſſimum eſt miſericordiæ habenas relaxare. In Domino etenim Saluatore noſtro, quem ſequi deſideratis, miſerationes eius ſuper omnia opera eius laudantur.

Lvdovicvs VII. Ivnior.

EPISTOLA CXCIII. A

REVERENDO *Domino & fratri* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi
piiſſimo, H. diuina miſeratione Remenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & vtriuſ-
que vitæ felicitatem.* A Flaüiaco regreſſi, cùm nec dum præ nimia proprij corporis
inualetudine poſſemus equirare, tamen in lectica deuecti Pariſius adiuimus. Quò
peruenientes, adeò defeſſi & propulſi fuimus, quòd in acuram iterum decidimus,
de qua cœleſtis medici viſitante nos miſericordia liberati conualeſcimus. Ideó-
que ſignificamus Regiæ Maieſtati veſtræ, vt quem de nobis habuiſtis à vobis effu-
gato timore, nulli ſiniſtrè ſuper hoc nuntianti credatis: proculdubiò ſcientes quòd
nil mali præter corporis debilitatem patimur. Nullum vobis nuntium voluimus
dirigere, quouſque liberati fuimus ab ea qua detinebamur infirmitate.

EPISTOLA CXCIV.

AMANTISSIMO *Domino & fratri* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum
excellentiſſimo, H. Remenſis dictus Archiepiſcopus ſalutem & veræ dilectionis affe-
ctum.* HIS qui ad vos ex parte Cathalaunenſis Eccleſiæ delegati fuerant, quia
benignè reſpondiſtis, ex Literis veſtris intelleximus. Inſuper quòd eis conſulere B
voluiſtis, vt effectus ſui negotij de noſtro penderet conſilio. Et ſi contra hæc ali
quid molitentur, vos modis omnibus elaboraturum promiſiſtis, vt eorum fieret ir-
rita molitio. Super his omnibus veſtræ plurimas gratias agimus Sublimitati, cuius
honori & commodo pro poſſe noſtro parati ſumus inuigilate. Veſtrum enim eſt
quicquid ſumus & poſſumus.

EPISTOLA CXCV.

REVERENDO *Domino & fratri* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi
piiſſimo,* HENRICVS *diuina miſeratione Remenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſa-
lutem, & vtriuſque vitæ felicitatem.* COMES de Roceio GVISCHARDVS veſter
conſanguineus veſtram adiit præſentiam. Rogamus pro ipſo & cum ipſo Regiæ
Maieſtatis veſtræ clementiam, quatinus in iuſtis petitionibus eum miſericorditer
exaudiatis. Scientes ipſum in omnibus obſequi paratum voluntati veſtræ, & Ab-
bati Fuſniac. de querela ſua ſatisfeciſſe, ſicut nobis inſiuuauit.

EPISTOLA CXCVI.

REVERENDO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico Regi Franco-
rum,* HVGO *Senonenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & ſeruitium.* Ex G
præcepto domini Papæ venimus Autiſſiodorum, vt de querelis, quæ erant inter
Epiſcopum Autiſſiodorenſem & Comitem Niuernenſem, vel concordia, vel iu-
dicio terminaremus, omni appellatione ceſſante. Quæſiuimus pacem, & non ve-
nit. Cúmque querelæ vtriuſque ab vtraque parte propoſitæ eſſent, & à nobis ple-
niùs intellectæ, obrulimus & Epiſcopo & Comiti, vtrum vellent audire iudicium.
Epiſcopus ſe paratiſſimum eſſe aſſeruit. Comes autem reſpondit quia non audi-
ret iudicium noſtrum, niſi iudicaremus ſecundùm conſuetudinem Eccleſiæ Se-
nonenſis, & non ſecundùm iudicium Romanæ Eccleſiæ: & indè appellauit ad do-
minum Papam, cùm ei beneficium appellationis omninò fuiſſet negatum. Su-
perſedimus, donec ſuper hoc haberemus conſilium domini Papæ. Ad veſtram
pertinet Maieſtatem, vt ſcribatis affectuoſiùs domino Papæ, ne permittat ampliùs
vexari Epiſcopum à tribulatione malorum & dolore, ne Eccleſia Autiſſiodoren-
ſis, & Eccleſiæ quæ ad eum pertinent, ſi iuſtitia indè facta non fuerit, penitus de-
ſtruantur, & conterantur vſque ad internecionem. Valeat Maieſtas Regis.

EPIST.

A

EPISTOLA CXCVII.

LVDOVICO *Francorum Regi nobiliſſimo, H. Dei gratiâ Senonenſis Archiepiſcopus ſalutem.* IDEO vos diuina clementia ad Regni regimen prouexit, quatinus vobis ſubiectos ab infeſtantibus defendatis, præcipuéque Eccleſiarum paci aſſiduè ſtudearis,& in eis Deo famulantibus nullam oppreſſionem vel iniuriam impunè inferri permittatis. Dignum eſt ſiquidem, vt eas quas anteceſſores veſtri libertates Eccleſiis contulerunt, integras & illæſas ob amorem Dei conſeruari faciatis, & maximè eas quas pater veſter bonæ memoriæ Rex LVDOVICVS, vóſque ſcriptis & ſigillis veſtris confirmaſtis. Notificamus ſiquidem Sublimitati veſtræ, quòd Theobaudus Senonenſis Præpoſitus Eccleſiam beati Petri Viui, & in ea Deo famulantes, plus quàm alij qui antea fuerunt Præpoſiti, vt nobis eiuſdem Monaſterij Abbas dixit, iniuſtè vexando moleſtat. Nuper enim contigit, quòd eius mandato boues cuiuſdam hominis Sancti Petri in terra eiuſdem Eccleſiæ iniuſtè capti fuerunt. Vnde quia eadem Eccleſia ſub veſtra protectione eſt, nóſque eam priuilegio veſtro ſufficientiſſimè munitam ſcientes, eiúſque libertatem ſuper hoc infractam eſſe cognoſcentes, ob clamorem venerabilis Girardi præfatæ Eccleſiæ Abbatis, eundem Præpoſitum conuenimus, & vt rectitudinem eidem Abbati de illata iniuria faceret monuimus. quod ipſe facere contempſit.

B Præterea negotiatores, qui ex iure & conſuetudine in burgo Sancti Petri hoſpitari debent, ſcriptum veſtrum negligentes, infra vrbem ſæpiùs hoſpitantur. Inſuper poſternam, quam nuper in foro eiuſdem vrbis fieri præcepiſti, Eccleſiæ præfatæ aliiſque Eccleſiis valde inutilem & noxiam eſſe cognouimus. Rogamus itaque Sublimitatem veſtram, vt iuxta tenorem priuilegij veſtri iamdictæ Eccleſiæ libertatem pro amore Dei & noſtri in omnibus ex integro illæſam conſeruetis, & Præpoſito veſtro vt de illata iniuria Abbati rectitudinem faciat præcipiatis. Nos enim huc vſque pro amore veſtro ſuper hoc ei pepercimus, ſed amodo parcere non poterimus. Valete.

EPISTOLA CXCVIII.

REVERENDO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico Regi Francorum*, HVGO *Senonenſis Eccleſiæ Miniſter humilis ſalutem & ſeruitium.* MVLTOTIENS ſcripſimus Serenitati veſtræ, & rogauimus pro Eccleſia Sancti Petri de Miliduno, quæ veſtra eſt ad beneplacitum veſtrum, vt pro Dei amore in pace ei habere faceretis eleemoſynam vnam, quam calumniatur & aufert violenter Hugo Rufus de Samoſio, frater Dominæ Auelinæ de Herici, quæ fecit eleemoſynam illam. Indè quidem excommunicatus eſt, pro eo quòd ſuper hoc noluit

C ante nos venire ad rationem. Sed & per mandatum veſtrum apud Miliduhum conuenerunt coram militibus terræ, & prædictus Hugo nec pacem nec compoſitionem voluit facere. Fecimus de eo quod debuimus, & nunc iterum obſecramus, quatinus Regia Maieſtas ſic militem illum cogat, quòd Eccleſia vel quod ſuum eſt habeat in pace, vel rationem habeat ante nos ad diem. De cetero iterum & iterum ſcripſiſtis mihi pro Galrero de Ebro, vt eum abſolueremus. Verumtamen non excommunicauimus eum, ſed eſt Eccleſiæ noſtræ conſuetudo, vt quem per ſe præcipit excommunicari non poſſimus abſoluere niſi ex Canonicorum aſſenſu. Decanus quoque Aurelianenſis, & dominus Simon de Miliaco, fecerunt eum excommunicari pro grandi violentia, quam fecit in terra Eccleſiæ. Valeat Excellentia veſtra.

EPISTOLA CXCIX.

REVERENDO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico Regi Francorum, H. Senonenſis Eccleſiæ Miniſter humilis ſalutem & reuerentiam.* DE latore præſentium Preſbytero, qui Stampis conſecutus eſt quendam latronem, qui furto abſtulerat pecuniam Eccleſiæ Baiocenſis, hoc vobis Domino noſtro teſtificamur, quòd Garſilius de Stampis, ſicut ex teſtimonio Decani Stampenſis & alio-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ſum Preſbyterorum habemus, Preſbyterum ipſum poſuit in captione ſua, & vinculis alligauit, & in contumeliam Sacerdotalis Ordinis eum ſatis ignominioſè tractauit, pro eo quòd illum comprobare volebat latronem, quem ipſe Garſilius manutenebat: & tantam ei intulit violentiam, quòd Preſbyter vrgente neceſſitate eundem latronem quietum clamauit. Nos itaque malefactorem illum Garſilium ante nos ſubmoneri fecimus pro tanto ſacrilegio. ſed venire contempſit. Porrò laudauimus Preſbytero, vt Regiæ inniteretur Maieſtati, & per vos conſequeretur ius ſuum: obſecrantes vt adeò diſtrictam ei faciatis iuſtitiam, quòd Epiſcopus poſſit quod ſuum eſt rehabere, & Ordo Sacerdotalis in Preſbytero contumelioſè tractato per manum veſtram glorioſiùs exaltetur. Valeat Maieſtas Regia. A

EPISTOLA CC.

REVERENDO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico Regi Francorum*, HVGO *Senonenſis Eccleſiæ Miniſter humilis ſalutem & ſeruitium.* OSTENDIMVS Maieſtati veſtræ, imò grauiter conquerimur de Eurardo Diuino Præpoſito veſtro de Bria, qui latori præſentium Preſbytero noſtro de Magnis-puteis violenter aufert meſſionem ſuam, & ita exagitat eum quòd nec eſſe in villa, nec cantare in Eccleſia ſua poteſt. Inſuper & vxor eiuſdem Præpoſiti, ſicut aſſerit ipſe Preſbyter, arcam eius, quæ in Monaſterio erat, fregit, & ceram & candelas altaris aſportauit. Preſbyter paratus erat omnem ei iuſtitiam exhibere ante nos, ſi quid rationis haberet aduerſus eum, & nos Preſbyterum ipſum bonum audiuimus habere teſtimonium. Rogamus itaque & obſecramus, vt Preſbytero faciatis habere meſſionem ſuam, & in Eccleſia ſua in pace deſeruire: quoniam propriè gladius vobis à Domino commiſſus habet & Preſbyteros, & Eccleſiam Dei defenſare. Præterea & ipſe Præpoſitus cuidam alij Preſbytero noſtro de Dontilli multam intulit violentiam, & meſſionem eius combuſſit, & quidam ſeruiens eiuſdem Præpoſiti ipſo præſente violentas manus in Preſbyterum miſit, cúmque ſatis contumelioſè tractauit. Huiuſcemodi opera nefanda omninò perſonam veſtram grauare debent, quoniam tyrannico more crudelitatem ſuam exercet in Preſbyteros, nec eſt qui defenſet eos, niſi vos ſolus. Volebamus eum inicere in ſententiam excommunicationis, & terram pariter. ſed diſtulimus vſquequo innotuiſſet verbum Maieſtati veſtræ. Valeat Serenitas veſtra. B

EPISTOLA CCI.

DOMINO *ſuo dilectiſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Regi Francorum*, HVGO *ſuus & Rothom. Archiepiſcopus, ſalutem, honorem, & proſperitatem.* MANET in memoria noſtra, quòd rogauimus nobilitatem veſtram de mercato conſtituendo apud Gozengres, & veſtra regia magnificentia dixit inquirendum ne inde impedimentum oriretur vicinis mercatis de Vilcaſſino. Nunc autem ab inquirentibus nobis relatum eſt, quòd in die Lunæ fieri poteſt abſque impedimento vicinitatis. Vnde & hoc fieri à veſtra nobilitate poſtulamus, ſi vobis placet. Conſeruet vobis Deus vitam & ſalutem per tempora longa. C

EPISTOLA CCII.

DOMINO *ſuo cariſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Regi Francorum*, *H. ſuus & Rothom. Archiepiſcopus ſalutem, honorem, & proſperitatem.* NOVIT Deus quòd in omnibus Synodis, Eccleſiarum conſecrationibus, conuentibus, Miſſis, memoriam veſtri facimus in orationibus noſtris, quoniam vos plurimum diligimus. Quoniam autem vobis placuit vt nobis ſignificaretis vbi & quando debeamus ad vos venire, precamur vt vſque in diem Mercurij nos expectetis. Det vobis Deus vitam per tempora longa. Amen.

EPISTOLA CCIII.

DOMINO *ſuo cariſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi*, *H. ſuus & Rothomagenſis Archiepiſcopus ſalutem, honorem, & proſperitatem.* ABBATIA Sancti Martini de Pontiſata à principio ſuæ fundationis poſt Dominationis veſtræ Principatum ad Rothomagenſem Eccleſiam, & ad eius Archiepiſcopum pertinet ſingulariter in Abbatis electione, & conſecratione, & in omni alio iure. Nunc autem Monachi Cluniacenſes neſcio qua noua adinuentione eam ſibi in ſubiectionem vendicare nituntur. Vnde veſtræ regiæ Sublimitati humiliter ſupplicamus, quàtinus eandem Eccleſiam, quæ veſtra eſt, in ſua libertate conſeruari præcipiatis, in ea videlicet qua nos tenuimus, & prædeceſſores noſtri tempore veſtro & veſtrorum anteceſſorum. Conſeruet vobis Deus vitam & ſalutem per tempora longa.

EPISTOLA CCIV.

ILLVSTRI *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, MANASSES *Aurelianenſis Eccleſiæ Miniſter humilis ſe ipſum quantulus eſt.* NOSCAT, Domine, veſtra Sublimitas, quia die proxima Lunæ multa conuitia intulit ſeruientibus Odonis Belel Rembaudus de Hiemuilla, & manu armata eiecit eos de terra ipſius. Similiter & filium ipſius Belel tranſacta die Martis cum armis proſecutus eſt, comminans eum vbicumque inuenerit occidere. Quapropter Serenitatem veſtram omnimodis flagitamus, vt Literas veſtras ſupradicto R. mittatis, & homines noſtros vt in pace dimittat præcipiatis. Nos enim in Curia noſtra parati ſumus ſicuti vis & ratio poſtulauerit de ſupradictis hominibus ipſi R. ſatisfacere. Valeat Sublimitas veſtra.

B

EPISTOLA CCV.

ILLVSTRI *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, *M. Domini miſericordia Aurelianenſis Eccleſia Miniſter humilis ſalutem cum ſincera deuotionis affectu.* SINCERITATEM veſtram obnixè poſtulamus, vt libertatem Eccleſiæ veſtræ, quam pietas veſtra ſolita eſt ſemper defendere, detrimentum pati non patiatur. Nunquam enim homines noſtros in Curia veſtra ſemouiſtis*. Et ideò pareat benignitas veſtra nobis, & dignitatem Eccleſiæ Aurelianenſis, remiſſis in Curia noſtra, quæ veſtra eſt, hominibus noſtris, ſeruare dignemini. Valeat Sublimitas veſtra.

* *for.* ſubmonuiſtis.

C

EPISTOLA CCVI.

SERENISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, *M. Aurelianenſis Eccleſiæ Miniſter humilis, & Iohannes Sanctæ Crucis Decanus, ſalutem & debitum obſequium.* NOVERIT regia dignitas, quoniam inſtanti die Mercurij duellum debet Stampis deduci inter R. de Faueriis cognatum & dilectum noſtrum, & alterum ſimiliter cognatum noſtrum. Quòd niſi Regiæ poteſtatis mandato contradictum fuerit, timemus ne indè maximum damnum proueniat. Indè eſt, quòd veſtram obnixè rogamus Maieſtatem, vt inſtanti die Martis illud ex parte regia alia die aſſignetur, nobiſque dies aſſignationis innotetur. Nos verò die notato adſiſtentes, Domino auxiliante, ad honorem regium, & noſtrorum, vt decet, cognatorum liberationem, prout poterimus pacem reformabimus. Valeat regia dignitas.

Lvdovicvs VII. Ivnior.

A

EPISTOLA CCVII.

SERENISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, M. Aurelianenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem & debitum obſequium.* AVDIVIMVS quia quidam de Boeleto homines ſuper Decano Sanctæ Crucis adclamationem facientes, eò quòd duos homines granearum, vt audiuimus, inflammatores, quorum vnus Sanctæ Crucis eſt homo, alter cui reſpiciat ignoramus, in terra Sancti Euurtij cauſa refugij in quadam cripta recluſos ceperit, veſtram adierunt præſentiam. Sed ne aliter vobis rem quàm acta ſit inſinuent, Sublimitati veſtræ mandamus, quòd eos reddere vel recredere paratus ad veſtram præſentiam inuitauit, ita tamen ſi plegios darent, Curiæ veſtræ iuſtitiam exequendi de cetero. Sciatis quia He. de Linais parati fuimus omnia ſua recredere, ſi plegios noſtræ Curiæ iuſtitiam exequendi daret. Valeat Sublimitas veſtra.

EPISTOLA CCVIII.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico Francorum Regi*, IOS. *Turonenſis humilis Miniſter ſalutem & ab eo ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* SICVT ex Canonicis Eccleſiæ beati Martini, & eis qui tunc in Capitulo aſtabant, accepimus, quòd de quibuſdam querelis, quæ aduerſus Decanum fidelem noſtrum Theſaurarius & pars eius habebant, Decanus obtulit ſe ſtare iudicio Capituli, & Capituli iudicio emendare, quia nullius iuris eſt dum aliquis Canonicorum Eccleſiæ iudicio Capituli ſtare noluerit, quod ſuper eum vacet Eccleſia à diuinis. Theſaurarius verò & pars eius illud repudiauerunt. Vnde ad veſtram Decanus appellauit audientiam, quoniam ea quæ in querela erant ad feodum veſtrum pertinebant. Licèt igitur mandatum veſtrum Theſaurarius præſentialiter & pars eius acceperint: licèt etiam Decanus fideliſſimus veſter in Capitulum venerit, & ibidem ſe ad omnem iuſtitiam obtulerit, ſicut ab iis qui interfuerunt didicimus, mandatum veſtrum, glorioſe Rex noſter, non eſt mandatum executioni. Volunt enim priùs inueſtiri à Decano, aut iure aut iniuria, quàm auditum ſit an debeant inueſtiri. Supplicantes igitur Regiæ Maieſtati, de qua plenè confidimus, rogamus & petimus, quatinus in manu Regia, & ſicut Abbas eiuſdem Eccleſiæ, Theſaurario obnixè præcipiatis, & Capitulo, quòd ſuum Eccleſiæ reſtituant ſeruitium, & deinde in Capitulo à Decano accipiant iuſtitiam. Quod niſi effectui voluerint mancipare, quid agendum extiterit, quid veſtro honori conueniat, regiam non credimus excellentiam ignorare. Valeat Regnum veſtrum. B

C

EPISTOLA CCIX.

DVLCISSIMO *Patri & Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Regi Francorum*, IOS. *Turonenſis Eccleſiæ Miniſter indignus, ab eo ſalutari qui dat ſalutem Regibus.* QVOD cum tanta precum inſtantia ſæpenumerò aures pietatis veſtræ pulſamus, grauis neceſſitas nos compellit, adeo quòd niſi nos inuincibilis altercatio negotiorum detineret, nihil eſt quod adeò ferueat in pectore noſtro quàm fauorabilem aſpectum veſtræ dulcedinis viſitare; plurimùm confidentes, quòd noſtri doloris anguſtias veſtræ pietatis liniret affectus. Ab illis enim, qui nos ſpecialiter intuitu veſtro deberent defendere propenſiùs ac tueri, tanquam de vobis hæc haberent, grauamur inſtantiùs & turbamur. Occaſione etenim cuiuſdam burgi, quem ex patris veſtri & veſtra donatione ſibi vendicare contendunt, in Eccleſia beati Petri Puellaris iura noſtra nobis auferre nituntur: cùm nec veſtro, nec patris veſtri priuilegio, nec viua voce valeant hoc probare, quòd aliquid de iure noſtro niſi violenter debeant obtinere. Veſtram itaque Excellentiam, à cuius largitione, & ſub cuius ſolius patrocinio noſtra ſunt omnia, attentiùs exo-

A tamus, iteratò ſupplicantes, quatinus amicis veſtris dominis Cardinalibus & LVDOVICVS VII. IVNIOR.
domino Papæ ſi placeret ſignificaretis, quòd nihil penitus de iure Archiepiſco-
pi, & maximè in ſpiritualibus, quæ ad vos pertinere non poſſunt, eis conceſ-
ſiſtis, nec concedere potuiſtis. Iteratò rogantes, vt nos, qui in graui multitu-
dine hic moramur & expenſis, veſtro ſaltem intuitu iudicio vel concordia quam-
citiùs expedirent. Quantam etenim de vobis confidere debemus, merita rerum
potiùs quàm verborum expoſitio manifeſtat. Valeat & duret in longum nobis
& Eccleſiæ veſtræ veſtra proſperitas.

EPISTOLA CCX.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Fran-
corum Regi, Ioſ. Turonenſis humilis Miniſter, ab eo ſaluari qui dat ſalutem Re-
gibus.* AD regale ſubſidium, vbi nunquam ſpes noſtra confunditur, totiens
recurrimus, glorioſe Rex noſter, quotiens aut Regni, aut honoris noſtri præ-
ſentimus læſionem. Migrauit nuper à ſeculo Abbas Sancti Iuliani Turonenſis,
cuius Monaſterium de Regali veſtro eſt & noſtro fundatum penitus, & nos Abba-
tiam ipſam à vobis ſpecialiter habemus, nullúmque habent præter me Aduoca-
tum, & ad nos ſicut ad Principem ſuum debent de electione ſua intendere. Ve-
B runtamen de æmulis noſtris quidam auribus Monachorum inſtillant aliter, ve-
ſtræ dignitati & noſtræ quod ſui eſt dominij derogantes. Animaduertite igitur,
Princeps noſter, ne quod veſtrum eſt ad alterius tranſeat principarum. Mona-
chis illis regali præcepto firmiter iniungite, quòd ſicut à fundatione Eccleſiæ ſuæ
in omnibus Abbatum electionibus Turonenſi Archiepiſcopo ſemper intende-
runt, ita modo intendant, nihílque noui immutare præſumant. Quòd ſi veſtro
mandato non adquieuerint, omnia veſtra, ſicut decet Regem, eis interdicatis Re-
galia, vt & alij qui ad huiuſmodi ſcelus aſpirauerunt, de conſimili terreantur.
Petimus etiam ſupplicantes, quòd ſuper facto iſto domino Papæ Literas veſtras
dirigatis, ſicut latores præſentium poſtulauerunt: quorum verbis tanquam fide-
lium veſtrorum vos fidem adhibere ſupplicamus.

EPISTOLA CCXI.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Fran-
corum Regi*, IOSC. *Turonenſis humilis Miniſter ſalutem, & ab eo ſaluari qui
dat ſalutem Regibus.* NON ſine magna admiratione, glorioſe Rex noſter, poſ-
ſumus præterire, quòd Priori Caſtri-fortis, & quibuſdam complicibus eius Mo-
nachis nullius momenti aures ſuas inclinauerit veſtra Sublimitas. Abſit, quæ-
ſumus, quòd per tales perſonas regia diſcretio ampliùs ſeducatur. Volumus
C namque vos nouiſſe, quòd cauſa, quam aduerſus Abbatem ſuum virum proba-
tiſſimæ opinionis arripere præſumpſerant, dominus Papa nobis, & Andegauenſi
Epiſcopo, & Abbati Maioris Monaſterij, commiſit audiendam, & fine canoni-
co terminandam. Conuenimus igitur nos, quibus cauſa fuerat delegata, ad Bur-
gulienſe Monaſterium, ibique die aſſignato præfatum Priorem de vita Abbatis,
& ſuper hoc quod ei imponebat, inquiſiuimus. At ipſe non habuit quid mutiret,
ſed proſtratus ad pedes noſtros miſericordiam poſtulauit. Quia igitur vniuerſi
eiuſdem Monaſterij Monachi in Priorem præfatum & complices eius vltionem
conclamabant vnanimiter, præſertim cùm & Prioris illius, & aliorum qui facie-
bant cum eo, defectus eſſet in propatulo: à proprio Monaſterio tam Priorem,
quàm Monachos exterminauimus in perpetuo, & eos quouſque Literas proſcri-
ptionis ſuæ, quam meruerant, à nobis reciperent, anathemate innodauimus. Si
veſtro vlteriùs apparuerint in conſpectu, auertite faciem veſtram ab eis, quoniam
malignus ſpiritus eſt in ore ipſorum. Valeat Regnum veſtrum.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCXII.

A

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi, Ioſ. Turonenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem ab eo qui dat ſalutem Regibus.* QVAM propitia, quàm benigna Regia nobis ſemper extiterit Excellentia, beneficiorum frequentia facienre vix aut ſcimus aut poſſumus recordari. Illud autem, glorioſe Rex noſter, duco celerius memorandum, quòd nuper cùm in cauſa eſſemus domino Papæ pro nobis regia ſcripta direxiſtis, & per vos factum eſt vt labor noſter celerem conſequeretur effectum. Enimuerò cauſa noſtra fuit terminata iudicio, & ratione cogente ius noſtrum Apoſtolica recognouit auctoritas, & nobis noſtra adiudicata eſt poſſeſſio, & priuilegio confirmata. Veruntamen cùm executioni debuiſſet Apoſtolica mandari ſententia, cùm ad Eccleſiam Sancti Petri ex mandato domini Papæ, ſecundum quod iudicatum fuerat, accederemus; Canonici beati Martini aduerſum nos inſurgentes, caſtri veſtri & parrochiæ noſtræ nobis portas clauſerunt. Quantus dolor, quanta ſit amaritudo, quanta ſit nobis illata iniuria, animi perturbatio enarrare non permittit. Nuntius noſter Canonicus Eccleſiæ Turonenſis plenius declarabit. Verbis ipſius auris veſtra manſuetam rogo ſe exhibeat, & tanquam nobis illi credat, cuius in ore verba noſtra poſuimus. Valeat Regnum veſtrum. B

EPISTOLA CCXIII.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *magnifico Regi Francorum, A. Autiſſiodorenſis dictus Epiſcopus ſalutem & deuotum per omnia ſeruitium.* NON miretur Regia Maieſtas, quòd ſuperueniente neceſſitate aures veſtræ magnificentiæ totiens inquietamus, totiens crebris infeſtationibus agitari, ſub vmbra alarum veſtrarum fugere compellimur. Adhuc enim manus Comitis extenta, nec auertit indignationem ſuam ab Eccleſia. Tendit arcum ſuum adhuc ſpirans minarum, omnia pro voluntate quærens diſponere, omnia ſubiicere ſub pedibus ſuis. Verùm alij circumquaque vicini, eius exemplo ducti, non dicam ad hoc ab eo inducti, ſed eius gratiæ obtentu, & amoris occaſione inuenta calumnias mouent. Plura de caſamento ſuo eſſe contendunr, quibus quoniam non pro voluntate ſua ſatisfacimus, cuncta diripete, & cùm iam multa rapuerint, maiora inferre de die in diem minantur. Cùm autem non ſit qui audeat ſe murum pro domo Dei opponere, nec ſit qui adiuuet niſi Dominus meus Rex: rogamus magnificentiam veſtram, de qua non minimum adiutorij ſperamus, cui de facili eſt eunctis ſilentium imperare, vt aliquem de veſtris nobis tranſmittatis, qui Varziacum, & Apogniacum, aliámque terram noſtram cuſtodiat, & tueatur. Comes enim nondum fidelitatem mihi fecit, ſed nec facturum ſe promittit. Et niſi Dominus qui imperat ventis & mari nobis manum adiutorij ſui porrexerit, plures nobis inferri moleſtias in futurum ſperamus. C

EPISTOLA CCXIV.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *magnifico Regi Francorum, A. Autiſſiodorenſis dictus Epiſcopus ſalutem & deuotum ſeruitium.* FREQVENTER annunciatum eſt Celſitudini veſtræ de vexatione, qua Comes Niuernenſis Eccleſiam Sancti Stephani Autiſſiodorenſis, aliáſque Eccleſias ad eam pertinentes affligit, & vehementer opprimit. & credo quia compatimini. Qualiter autem ego & ipſe ante dominum Papam conuenerimus, quid verò ibi actum fuerit, quo modo etiam Comes ſe ibi habuerit, geſtus, inceſſus ad terrorem prætenderit, & cum indignatione receſſerit, Dominus Niuernenſis viua voce vobis plenius intimabit. Ceterùm, terra noſtra veſtra eſt, & in veſtra protectione & poteſtate conſiſtit, & ſeruientes veſtri deputati ſunt ad cuſtodiendam terram. Rogamus proindè magnificentiam veſtram, vt Comitem Niuernenſem, ſicut ſcitis, & ſicut expedit, conueniatis, ne in res noſtras, immò veſtras, violenter audeat manus extendere, & damnum aliquod inferre. Ceterùm de domino Bituricenſi, qui multum fidelis,

A & maior columna Eccleſiæ in Regno veſtro, vos plurimum rogamus, vt tantum virum ſicut decet regiam dignitatem veſtram more ſolito benignè ſupportetis, ne de eius grauamine Epiſcopi Regni veſtri ſcandalizentur, imò de veſtræ benignitatis exhibitione in ipſum ab omnibus nobis condignæ gratiarum actiones referantur. Si quis autem de eo aduerſi aliquid ſuſurrauerit, pro religionis ſuæ reuerentia non omni verbo credatis. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCXV.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *excellentiſſimo Regi Francorum*, *A. Autiſſiodorenſis dictus Epiſcopus, ſic regnare vt Regi ſummo valeat placere.* Sublimitati veſtræ gratias agimus de eo quòd nuntium noſtrum, qui ierat Senonas nuntiare vobis mala quæ Dominus de Firmitate terræ noſtræ inferre non deſinit, benignè ſuſcepiſtis, & pacem ſicut Regiam decebat Maieſtatem nobis de cetero conſeruari mandaſtis. Porrò propter frequentes incurſiones guerrarom, quæ à longo tempore terram noſtram vexare conſueuerunt, ita eam innumeris perſecutionibus huc vſque conſtat opprimi, vt penè nihil in ea remanſerit, ipſamque ad paupertatem & inopiam redigi conſtiterit. Nunc verò Apogniacum & terram contiguam Dominus de Firmitate & ſui ita vexant, & opprimunt, vt homines B noſtri ad culturam terræ egredi non audeant. Nam poſt mandatum veſtrum, quod ei de conſeruanda nobiſcum pace feciſtis, noſtram præſumpſit rapere prædam. His igitur conſilium apponite. Nam ſi eorum malignitas impunita remanſerit, nihil præter culturas terræ & vineas forſitan nobis remanebit.

EPISTOLA CCXVI.

DOMINO *ſuo naturali* LVDOVICO *illuſtri & glorioſo Francorum Regi*, *G. Dei gratiâ Lingonenſis vocatus Epiſcopus ſalutem, & debitæ fidelitatis ſeruitium.* QVONIAM ex officio mihi incumbit vicem vnicuique rependere, & honorare à quibus ſum honoratus: non ignorans ego quòd patrem & prædeceſſorem meum dominum venerabilem Godefridum debeam propenſiùs diligere & reuereri, peto à veſtra Sublimitate vt quinquaginta libras Turonenſis monetæ, & vnam vini karratam, quam ſibi retinuit in vita ſua ab Epiſcopo Lingonenſi annuatim reddendam ſtatutis terminis, eidem poſt noſtram confirmationem, quam ſuper hoc redditu habet, vos quoque confirmare dignemini.

EPISTOLA CCXVII.

C CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi*, *G. Lingonenſis dictus Epiſcopus ſalutem & cum honore debito fidele obſequium.* NOVERIT veſtra Serenitas, quòd innumeris aduerſitatibus ex longo Lingonenſis agitetur Eccleſia. Cùm autem de eiuſdem ſublimatione Eccleſiæ & reſtauratione propenſiori cura ſollicitaremur, accidit, proh dolor! quòd dominus Rainaudus de Montiſſalione à filiis cuiuſdam militis eiuſdem caſtri noctu traditoriè multatus ſit. Quod qualiter factum ſit, præſentium lator vobis ſi placet pleniùs reſerabit. Indè profectò, nec immeritò, terra noſtra dolore afficitur, perpetuiſque diffamatur opprobriis. Exortum eſt proinde magnum & honeroſum negotium, quod niſi in manu forti brachióque extento poterit ſedari. Parentes namque prædicti R. quorum pars in Imperio, pars in veſtro morantur Regno, nos in cauſam trahunt, tutelam à nobis requirentes ſuper hoc quod in prædicto caſtro dominus R. obtinebat. Eſt & dominus Hugo de Acellis, ſatis, vt credimus, notus vobis, qui nihilominus in eodem caſtro medietarem hereditario iure conatur habere. Inſultantes igitur ij hinc & indè nos de die in diem circumueniunt, & in quantum poſſunt per ſe & per amicos ſuos nos inquietare minantur. His itaque & quibuſlibet aliis impliciti negotiis, ad diem quam nobis apud Beſtiſiacum ſuper querela de Couulenz præfixeratis, minimè poſſumus expectare. Contramandamus igitur vobis hunc diem, & alium nobis aſſignari petimus, & talem, ad quem aliquantulum tantis expediti negotiis attendere valeamus. Nec tamen

LVDOVICVS VII. IVNIOR. prætereundum cenſemus, quòd Dominus Apoſtolicus ſuper hâc eadem querela A in præſentia ſua conqueſtione facta, ad Domini Autiſſiodorenſis audientiam reſponſuros nos mittit & ſatisfacturos. Denique diem à Domino Autiſſiodorenſi nobis aſſignatum contramandauimus, æſtimantes & credentes nos in præſentia ſua propter hoc nequaquam conuenire debere niſi ſcitu & mandato veſtro, cùm ſupradictum Couulenz de regali veſtro teneamus. Rogamus prò eo veſtram attentiùs Maieſtatem, vt ſuper hoc beneplacitum veſtrum nobis reſcribi præcipiatis, quia ad voluntatem veſtram & mandatum omnimodè ſtare volumus. Rogamus nihilominus, vt quod nuncius noſter ex parte noſtra vobis dixerit, benignè ſuſcipiatis, & credatis. & quod vobis placuerit per ipſum nobis remandate.

EPISTOLA CCXVIII.

DOMINO *ſuo naturali* LVDOVICO *illuſtri & glorioſo Dei gratia Francorum Regi*, *G. Lingonenſis Electus ſalutem & fidelis obſequij ſubiectionem.* MAIESTATI veſtræ deuotas refero gratias per honorem, quem mihi in perſonis ad vos à nobis tranſmiſſis liberaliter exhibuiſtis. Cùm enim veſter eſſe debeam naturaliter, nunc tantò deuotior & vobis & veſtris exiſtam, quanto plus vobis per Dei gratiam appropinquaui, de fideli factus fidelior. Vtinam iuxta Literarum veſtrarum monita profectui Eccleſiæ, quæ me vocauit, deſeruire & ſciam & valeam. B Nam velle adiacet mihi, ſi habuero vt ſpero veſtræ Serenitatis auxilium. De cetero nuntius veſter Abbas Sanctæ Columbæ Clericis noſtris ex parte veſtra diem denominauit pro negotio Hugonis Brecenſis. Verùm in Sabbato eandem præcedente, quia nuntius veſter præfixit Dominicam, ex mandato Apoſtolico Diaconatus Ordinem ab Epiſcopo Eduenſi recipere me oportet: & ideo ad illum diem venire non poſſum. Attamen tempore opportuno ſicut mihi mandaſtis diſcretè de pace me intromittam, quantum cum honore Dei & Eccleſiæ noſtræ poterit fieri. Noſtis autem vos quid in noſtra Eccleſia facere poſſit, magiſque ad veſtram pertinet Maieſtatem quàm ad me vel ad alium, Eccleſiam quæ veſtra eſt ab indignis oppreſſionibus releuando tueri.

EPISTOLA CCXIX.

REVERENDO *Domino ſuo* LVDOVICO *magnifico Regi Francorum*, *A. Dei gratiâ Autiſſiodorenſis Epiſcopus ſalutem & ſeruitium.* TERTIA dieante Purificationem dies aſſignata extitit inter me & Comitem Niuernenſem in præſentia Domini Senonenſis. Ad ipſum verò diem Dominus Trecenſis, Abbas Sanctæ Columbæ Senonenſis, & multi alij prudentes viri conuenerunt, qui eorum quæ tractanda erant mediatores extiterunt. Porrò requiſiui ab eo, vt mihi fidelitatem faceret ſicut fecerat pater ſuus: quam ſe debere planè negauit, cùm multi aſſiſterent parati probare patrem ſuum fidelitatem mihi feciſſe. Quorum probatione C repudiata iudicio ſtare noluit ſi eorum probatio eſſet recipienda: ſed nec damna Eccleſiæ noſtræ, aliarúmque Eccleſiarum teſtituere. Cùm autem diceret de rebus Eccleſiarum nihil ſe habere, cùm multi parati eſſent probare eum plura habuiſſe, eorum probationem refutauit, & ad quindecim dies poſt Paſcha appellauit.

EPISTOLA CCXX.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, *G. Cathalaunenſis Epiſcopus ſalutem & fidele ſeruitium.* GRATIAS refero Sublimitati veſtræ, quòd & me benignè recepiſtis, & illa Burgenſium noſtrorum doloſa fraternitas diſſipata eſt. Et dum venirem ad vos, afferens Literas Capituli Cathalaunenſis datas mihi ex conſilio quatuor Archidiaconorum, Decani, & Præcentoris, Iohannis Capellani, & aliorum de Capitulo: iterum illi mihi ita fideles Archidiaconi, inſtinctu Vicedomini, & comminationibus Burgenſium, coëgerunt Decanum hominem ſenem & iam ferè delirum, contraria ſcribere. Sanè illæ Literæ, quas ego ad vos attuli, ſub teſtimonio Decani Remenſis & Magiſtri Fulconis, quos Dominus Archiepiſcopus ad eos miſerat, mihi con-

A ceſſæ fuerunt. Iterum illi Archidiaconi inconſultò Capitulo ſeduxerunt Decanum, ſicut accepi, vt pro Matheo ſcriberet, nulla quidem Literis veſtris exhibita reuerentia. ſed neque hoc abſque expectatione magni muneris faciunt. Vnde Maieſtati veſtræ ſupplico, vt Capitulo auctoritate regia prohibeatis, ne Matheum aliquo modo pro ſeruiente habeant, vel retineant. Et ſi fortè aliqui aliquid contra nos vobis ſuggeſſerint, non credatis, neque recipiatis, donec ego præſens venerim, qui ſtatim ad mandatum veſtrum venire paratus ſum. Valete. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCXXI.

PRæclaro *ac ſublimi Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, G. Cathalaunenſis humilis Epiſcopus ſalutem & fidele ſeruitium.* POSVIT me veſtra clementia in Sede Cathalaunenſi: & vtinam inter illos eſſem, qui intelligerent quid homo Domino ſuo debeat! Quidam homo domini Girardi de Catalauno deprehenſus fuit in furto. rogauit me Girardus, & multa prece inſtitit, vt ego hominem illum ſibi redderem. Non potui ei negare, præſertim & quia nouiter intrauerám, & quia ligius homo meus rogabat me. Reddidi eum, ea tamen conditione quòd nunquam de cetero ciuitatem Cathalaunenſem intraret; & ſi fortè poſtea intrarer, corporalis iuſtitia de eo fieret, neque Girardus ampliùs B pro eo me rogaret. Villam etiam in hunc modum foriurauit. Accidit poſtea, quòd villam intrauit. Captus eſt à iuſtitiis meis, in vinculis, in ceppo coniectus. Veneram ad colloquium ex mandato veſtro. Et dum eſſem apud vos, Girardus conſilio & auxilio Vicedomini, eo etiam præſente, domum in qua fur tenebatur, & vincula, & ceppum fregit, & hominem liberauit. Timens autem aduentum meum, præmuniuit ſe militibus, & ſeruientibus. Intrauit Eccleſiam Sancti Germani; poſuit in ea armatos ſeruientes, & ad defenſionem ſuam tecta Eccleſiæ rupit, & turrim muniuit. Me autem à vobis redeunte, & ciuitatem intrante, hæc nuntiata ſunt mihi. In craſtinum Girardus per nuntios ſuos diffiduciauit me. Poſui burgenſes ciuitatis ad rationem. Reſponderunt mihi, quòd libenter iuuarent me, eo quòd iniuria Girardi manifeſta eſſet. Sanè quia imparatus eram, & res in arcto erat, exiuide ciuitate, vt milites citò congregarem. Veni ad amicos meos, qui cum multa militum frequentia venire cœperunt. Frater verò meus deſtructionem regionis imminere videns, ſollicitè pacem quærere curauit. Inſtitit mihi maximè, vt pati intenderem. Modus pacis hic eſt. Eccleſia, quam armis impleuerat, vacuata fuit, & mihi reddita. Pepigit etiam, quòd hominem illum in ceppo reponeret, ſi poſſet habere, vel iuraret quòd non poſſet habere, & tunc quantum valeret hominis redemptio mihi daret. Iurauit quidam miles pro eo, quia hominem rehabere non poterat, & ideo redemptio mihi reddita fuit. Hæc ſcripſi Serenitati veſtræ, vt ſciatis quàm iniquè homines mei egerint aduerſum me, dum C eſſem in ſeruitio veſtro. Sed omnia quæ acta ſunt, conſilio fratris mei & amicorum meorum feci. Quæ autem vobis ſcribo, lator præſentium vobis pleniùs intimabit. Valete.

EPISTOLA CCXXII.

ILLVSTRI *Domino ſuo cariſſimo* LVDOVICO *magnifico Regi Francorum*, *A. Antiſſiodorenſis dictus Epiſcopus, ſic regnare vt Regi Regum valeas placere.* SERENITATI veſtræ & regiæ magnificentiæ quantas poſſumus gratias referimus, pro vigili cura & ſollicitudine quam erga noſtram Eccleſiam, imò veſtram, exhibuiſtis in rebus illius conſeruandis & manutenendis. & omnes qui audierunt lætati ſunt, & Deum in vobis & de vobis glorificauerunt. Veniens itaque nuntius veſter diem me conſtituiſſe mihi & Comiti aſſignauit. quem lætus ſuſcipiens, ad illum ire omni occaſione remota paratus fui. Verùm priuſquàm ille veniret, Comes Niuernenſis Literas ſuas ad Capitulum Ciſtercienſe direxerat. quibus perſpectis, dominus & venerabilis Godefridus quondam Lingonenſis Epiſcopus, Dominus Pontiniac. & Dominus Clareuallenſis Abbates, diem conſtituerunt mihi & Comiti, cupientes inter nos & Comitem pacem reformare. Cùm igitur ego & turba virorum probabilium & religioſorum ad diem conueniſſemus, Comes ea quæ ad

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

pacem ſunt ſatis benignè ſe libenter facere ſignificauit; & dicto domini G. quondam Lingonenſis Epiſcopi, Pontin. & Clareuall. Abbatum ſtare ſe ſpopondit. Compellentibus verò cunctis, & laudantibus vt totam cauſam in dicto illorum poneremus, diſtulimus, donec priùs conſilium veſtrum & voluntatem ſuper hoc haberemus. Significate igitur nobis quid vobis placuerit. Nam ſecundum conſilium veſtrum & voluntatem, parati ſumus in hoc negotio agere. A

EPISTOLA CCXXIII.

DOMINO *ſuo cariſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi, B. eiuſdem miſeratione Nouiomenſis qualiſcumque Epiſcopus vocatus, quicquid poteſt amoris & obſequij cum deuotis orationibus.* GRATIAS multas reddit paruitas noſtra Sublimitati veſtræ, pro eo quod Comiti Flandrenſi vobis placuit pro nobis ſcribere, & quia ipſe Comes ex mandato veſtro damna multa fecit mihi reſtaurare, & adhuc quod nondum profectum eſt benè promittit conſummare. Non ſolum hoc tenet obnoxium vobis, ſed benigniras gratiæ veſtræ, quam in omnibus negotiis meis ſemper mihi exhibuiſtis. Nunc autem, Domine, de verbo illo quod tractatum eſt ante vos in Quadrageſima Nouiomi, ſuper femina illa quam damo, quia capitalis eſſe debet Epiſcopi: vnde vos conſilio Curiæ veſtræ rationabiliter conſideraſtis, quòd ſi haberem hominem qui de matre vel auia ipſius ad opus Epiſcopi capitale recepiſſet, mihi remaneret, ſi non eſſet qui pro ea plus facere vellet: pedibus veſtris obuolutus obnixè precor, vt vnum à latere veſtro qui interfuit verbo ad diem belli, quod indè iam ſumptum eſt, die Martis poſt feſtum Sancti Iacobi pro liberalitate veſtra mittere dignemini, qui loco veſtri videat & audiat ne ius Epiſcopi violentiâ Communiæ periclitetur, & iuſtitia etiam ipſorum Burgenſium in nullo grauetur. Timeo enim multitudinem populi. De Buticularic, vt ipſum mittatis præcipuè volo vos exorare. Etiam precor idipſum per latorem præſentium. B

EPISTOLA CCXXIV.

LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi Domino ſuo & amico ſingulari, E. eadem gratiâ Lundun. Archiepiſcopus, in oratione & obſequio ſeipſum, & in præſenti proſperari, in futuro beari.* VERI amoris eſt proprium, vt quod eſt amici credat ſuum. Nec enim timetur repulſa vbi dilectio non dubitatur vera. Hinc eſt quòd generoſitatis veſtræ aures pulſare præſumimus, quotiês noſtræ paruitati neceſſarium ſentimus. Nouerit itaque veſtra diſcretio, quòd multimoda veſtra veſtræúmque liberalitate illectus & præuentus, iam vobiſcum ſum dimidius, gratiáque Dei proſperante diſpono & deſidero in breui ſubſequi totus, ibique quod ſupereſt vitæ expendere in redemptione præteritæ culpæ. Propterea etiam Fratri Emiſio quondam Sancti Victoris Abbati quadringentas marcas triginta minus puri argenti C
pondere Trecenſi, vtpote fideli amico, depoſitas commiſi. iámque teſtamento præparato, quomodo & quibus diſtribui deberent, ſi morte præuentus ipſe non venirem. Sed iam nimis verum experior illud antiquum prouerbium, *Nuſquam tuta fides.* Vix enim pro me commiſſa diſtribueret, ſi iam obiſſem. qui nuntiis meis iam tertiò miſſis & fruſtratis mihi adhuc viuenti & repetenti negare non erubeſcit. Igitur magnificentiam veſtram quamquam immeritam obnixè petimus, quatinus patrocinante nobis veſtra potentia à præfati hominis liberemur inopinata & inuerecunda malitia. Porrò inſuper timemus, ne nobilis Regni veſtri gloriam maculet, ſi auditum fuerit apud exteras nationes ſic deliquiſſe in amicum dulcis Galliæ Abbates. Ceterùm cùm meo iuſſu vel permiſſu nil cuiquam indè præſtiterit, obſecro vt ſicut de veſtra Maieſtate confidimus, ſic nos in præſenti negotio iuuari per vos ſentiamus.

EPISTOLA CCXXV.

EXCELLENTISSIMO *Principi & Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum piiſſimo, A. Siluanectenſis Eccleſia qualiſcumque Miniſter ſalutem & orationes.* MEMINISSE poteſt Sublimitas veſtra, quòd cùm apud Siluanectum

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A in Capella noſtra vobiſcum loqueremur, de domino Bartholomæo, quem captum tenetis, mentionem fecimus, & vt ipſius, amore Dei & honore ſanctorum dierum, miſericordiam haberetis, veſtram benignitatem rogauimus. Vos autem reſpondiſtis nobis, vt ſuper hoc conſilium quæreremus, & ne indè damnum aliquod ſeu crimen euenire poſſet prouideremus. Nos igitur ſuper hoc cum Iuriſprudentibus communicato conſilio, Domino ſcilicet Epiſcopo Beluacenſi, eiúſque Archidiacono Iohanne, Abbatibus quoque Sancti Quintini Beluacenſis, de Freſmont, de Prato, de Alneto, & Sancti Vincentij Siluanectenſis, conſiderauimus, & ipſi laudauerunt, vt idem B. antequam de carcere exeat Crucem accipiat, atque Ieroſolymam iturum, ſéque ibidem per annum integrum demoraturum, atque in proximo Natali Domini iter arrepturum iureiurando promittat. Iurabit etiam vt nec ante, nec poſt reditum de Ieroſolyma aliquid vnquam per rapinam capiat. Quod ſi fortè iuſiurandum tranſgreſſus aliquid rapuerit, dominus Hugo de Vilers cum fratribus ſuis ſe redditurum, aut ſe aut vnum de filiis ſuis, vobis ſe vbicumque vobis placuerit traditurum iurabit. Hæc omnia præſentium lator Philippus frater eius cum ipſo in præſentia veſtra iurabit. Hunc igitur ſupplicamus pietati veſtræ, quatinus amore Dei & noſtri quod ſtatutum eſt ſuſcipiatis, & prædictum B. hac conditione & pacto dimittatis. Valete.

B

EPISTOLA CCXXVI.

GLORIOSO *Regi Francorum* LVDOVICO *Domino ſuo cariſſimo, P. Papienſis Eccleſiæ dictus Epiſcopus, poſt terrenum Regnum cæleſte feliciter adipiſci.* MAGNI animi eſt, & de virtute gloriantis, ſublimes ad votum ſuum Poteſtates inclinare. Suſpicantur id de me homines, & vt poſſim apud Deum promeruiſſe, & apud vos. Et ego quidem dum conſcientiæ iudicium conſulo, aut rari, aut nullius mihi boni conſcius, quod poſſum & Deo totum, & veſtræ liberalitati aſcribo, qui de me creditis fortaſſe maiora quàm in me ſentiam ipſe. Quidam Burgundiæ Eccleſiaſtici viri, qui vltimam Eccleſiis ſuis, niſi citò manum auxilij porrigatis, cladem perſentiunt imminere, multis me precibus rogauerunt, vt veſtræ ſuper hoc ſcriberem Sublimitati. Ego quidem tacentibus ipſis tanti mali immanitate perſpecta id facere debueram, ſed nunc ſanior facto ratio acceſſit. Diuinum munus, & bonorum omnium votis acclamandum confitemur, viriis vos iudicem datum, moribus fundatorem. Sentiunt hoc qui prope, ſentiant vtinam & qui longè ſunt. Quemadmodum præſentia veſtri multis materia eſt ad virtutes, ſic longa abſentia quibuſdam ad vitia incrementum. Sic parti corporis alteri conſulere, vt altera periculis exponatur, indiſcretæ conſiderationis eſt ratio. Nam per illam, cuius cura aut rara, aut nulla eſt, paulatim ad ſaniorem mala obrepere poterunt. Ad hoc vos Regem à Deo conſtitutum conſiderate, vt & pauperibus
C pax, & ſua Eccleſiis dignitas conſeruetur. Burgundia iſta inter nequam & perditos homines omninò deperit. Conſulite obſecro Eccleſiæ Dei, quæ nemine prohibente ad diripiendum raptoribus expoſita eſt. Placeat Serenitati vſque ad aduentum mittere huc aliquem de Epiſcopis aut Proceribus veſtris, qui nobiſcum & perſonis Eccleſiaſticis & Baronibus conuocatis pacem reformet & terræ & Eccleſiis. Scribite etiam ſuper hoc Comiti Cabilonenſi, Comiti Gerardo, domino Huberto de Bello-ioco, & Dalmacio de Luzeio.

EPISTOLA CCXXVII.

LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Francorum Regi, P. eadem gratiâ Narbonenſis Eccleſiæ humilis Miniſter proſperitatem & vitam.* QVIA veniendi ad vos Dominum meum Regem non eſt nobis data facultas, ita dolemus ſicut maximum inde patimur detrimentum. Vnde & fuit & eſt nobis ſemper in voluntate, vt quàm citiùs poterimus, & Dominus donauerit, auctoritatis veſtræ regiæ faciem adeamus. Mittimus interim ſtrenuitatis veſtræ Celſitudini dilectum noſtrum Bremundum Narbonenſis Eccleſiæ Cantorem, rogantes multum vt veſtri gratiâ & noſtro intuitu eum benignè recipiatis, & in his quæ ex parte noſtra vobis dixerit benigniùs exaudiatis, & per eum ſi veſtra iuſſerit pietas veſtræ Serenitatis apices

LVDOVICVS VII. IVNIOR. nobis tranſmittatis. In quibus quid de nobis vobis placuerit ſignificare poteritis. A Rogo itaque, ſi placet, vt Præceptum Regium, quod anteceſſori noſtro feciſtis, nobis innouari faciatis. Valeat in æternum imperium veſtrum.

EPISTOLA CCXXVIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ glorioſo Francorum Regi, A. eadem gratiâ Helenenſis Epiſcopus ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum.* GLORIOSÆ recordationis prædeceſſores veſtri perennem memoriæ ſuæ titulum nobis reliquerunt, Eccleſiam noſtram expulſis Agarenis in priſtinum ſtatum reformando, & eam ex fiſcis regalibus augmentando. Vnde & omni eorum poſteritati obnoxij effecti, grates ipſas quas & patres noſtri in veſtros effuderunt, nos quoque & in vos refundimus: Eccleſiam Helenenſem, & omnia noſtra veſtræ regali magnificentiæ exponentes. Specialiter tamen ſi quid ex partibus noſtris vobis placuerit, quod regiam deceat aut lætificet mentem, lætiſſimo cordis ſinu iuſſum amplectemur, & regium votum efficaciter implebimus. De cetero, Serenitati veſtræ non minimas referimus gra-tes, quòd præſentium latorem A. de Mataplana conſanguineum noſtrum tranſactis annis benè ſuſcepiſtis, & veſtræ liberalitatis gratiâ reſpexiſtis. Nos quoque in eundem modum non ſolùm veſtræ, vt diximus, regali Excellentiæ, ſed etiam omnibus Curiæ veſtræ deuotis ac familiaribus obſequi nos paratos gratanter B enuntiamus. Valeat & vigeat regalis dignitas veſtra in Domino.

EPISTOLA CCXXIX.

GLORIOSISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *illuſtri Dei gratiâ Francorum Regi, D. eadem gratiâ ſanctæ Lugdunenſis Eccleſiæ Electus humilis ſalutem & deuotum obſequium.* VBERES Deo & Sublimitati veſtræ referimus gratiarum actiones, quòd humilitatem noſtram ſcripto vel nuntio dignata eſt viſitare, ratúmque volumus habeatis nos & noſtros obſequio & honori veſtro pro poſſe noſtro indubitanter accinctos. De reliquo itaque ſolitam miſericordiæ veſtræ pietatem quantò deuotiùs poſſumus exoramus, quatinus diuinæ caritatis intuitu prædictæ matri noſtræ ſanctæ Lugdunenſi Eccleſiæ grauiter laboranti miſereamini, & eiuſdem diutinis oppreſſionibus ſummæ diſcretionis veſtræ conſilio dignemini ſubuenire. Nulli verò adulatori credatur, ſi quis fortè deuotionem noſtram erga vos attemptauerit obfuſcare.

EPISTOLA CCXXX.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi, G. Cenomanenſis humilis Miniſter ſalutem & obſequium.* SI talento quod C nobis à Deo datū eſt fideliter vti volumus, cùm res aut tempus exigit, veritati teſtimonium perhibere debemus. Cauſam quæ inter Magiſtrum Hugonem de Marſon Clericum veſtrum & amicum noſtrum, & Oliuerum nepotem domini Guillelmi filij Hamonis agitabatur, Epiſcopo Andegauenſi & nobis dominus Papa commiſit audiendam, & fine debito terminandam. Itaque vtraque parte in noſtra præſentia Turoni conſtituta, Magiſter H. ab Oliuerio reſtitutionem damnorum, quæ plurima O. ſibi in Præpoſitura, quam donatione veſtra tenebat, per violentiam intulerat, ſibi fieri poſtulabat, præſertim cùm in Capitulo beati Martini & in Curia veſtra ſæpè iuſtitiam ei obtuliſſet. Et licèt hoc publica fama teſtaretur, dicebat ſe ſuper hoc teſtes ſufficientes & idoneos habere. E contrario O. dicebat de Præpoſitura & damnis tranſactionem factam fuiſſe in præſentia Domini Turonenſis: talem ſcilicet, quòd ſingulis annis debebat ei dare Magiſter H. centum ſolidos, & magnam partem pratorum quæ Turon. habebat, & aquam quæ fluit ſecus prata, & hoc repetebat O. à Magiſtro H. Fatebatur Magiſter H. quòd ſe ſubieciſſet arbitrio Domini Turonenſis, ſed coactus & inuitus, vtpote qui per violentiam domini Guillelmi filij Haimonis Seneſcalli Regis Anglorum redditibus omnibus Præpoſituræ ſuæ ſpoliatus eſſet. Inſuper dicebat quòd O. poſtea abſoluerat eum à pacto illo liberè & quietè. Quod quidem O. negabat. Cùm

itaque

A itaque in craſtinum vterque teſtes ſuos eſſet productutus, Magiſter H. manè facto in præſentia noſtra conqueſtus eſt, quòd teſtes ſui territi minis Præpoſiti Turonenſis venire ante nos non audebant. Dicebat enim fuiſſe eis interdictum ex parte Seneſcalli, ne in vrbem intrarent. quod ſiquidem à multis & magnis viris accepimus. Habito itaque conſilio cum ſapientibus viris, coactus non ſpontaneus arbitrio noſtro ſe ſubiecit. Decreuimus itaque, quòd per ſingulos annos daret Oliuerio c. ſolidos Andegauenſium. & ab impetitione de pratis & de aqua cum abſoluimus, potiùs ei ad tempus conſulentes, quàm iuſtitiam ſectantes. Veſtrum eſt, Rex venerande, donum veſtrum tueri, & quod à Clerico veſtro per violentiam eſt extortum, auctoritate domini Papæ in irritum reducere. Valete.

EPISTOLA CCXXXI.

EXCELLENTISSIMO *Principi & Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum piiſsimo, A. Siluanectenſis Eccleſiæ qualiſcumque Miniſter ſalutem & orationes.* ISTE præſentium lator Monachus eſt de quadam Ciſtercienſis Ordinis Abbatia, quæ dicitur Pratea. cui multotiens veſtra contuliſtis beneficia. Fratres verò eiuſdem loci poſt multas, quas pro Chriſto in victu & veſtitu paſſi ſunt, neceſſitates, nouum cœperunt ædificare Monaſterium: non in ſe, ſed
B in Chriſti pietate & miſericordia confidentes. quod nullatenus ſine veſtris & aliorum fidelium beneficiis poterit conſummari. Vnde veſtræ ſupplicamus pietati, quatinus amore Dei & noſtri, ſi vobis viſum fuerit, ad ipſius Eccleſiæ conſtructionem aliquod beneficium impendatis. Hoc etenim Chriſto credimus gratum, atque ſaluti animæ veſtræ admodum profuturum. Valete.

EPISTOLA CCXXXII.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, P. Eccleſiæ Cabilonenſis humilis Miniſter ſalutem & obſequiorum deuotionem.* EX Litteris dignationis veſtræ animaduertimus Serenitatem veſtram erga nos fore turbatam, ex ea videlicet cauſa, qua vobis ſuggeſtum eſt nuncios veſtros non ea qua decuit à nobis veneratione ſuſceptos. Interroget Dominus meus Dominum Niuernenſem, qualiter à nobis ſuſceptus, qualiter tractatus ſit: ſi quid, quod ad eius obſequium, & ad veſtrum honorem pertineret, prætermiſi: ſi quid, vnde veſtram indignationem incurrere debuiſſem, admiſi. Porrò clientis veſtri querimonia, qua ratione nobis imputetur, cùm nullam ſibi factam probare poſſit iniuriam, vel aliquid vnde de nobis iuſtè conqueri poſſit? Non ſuſpicetur Dominus meus de ſeruo ſuo quicquam indignum, quia ad omnem voluntatem veſtram, ad omne ſeruicium, pro modo poſſibilitatis meæ ſum paratus.
C Proindè, Regiæ Maieſtatis veſtræ genibus prouolutus ſupplex flagito, quatinus dulcedinem gratiæ veſtræ nobis benignè indulgeatis, & laborem præſentiam veſtram adeundi clementer nobis remittatis. Pareite ærati & debilitati noſtræ, & paupertati Eccleſiæ noſtræ, imò veſtræ, quæ in his diebus vltra ſolitum diſſenſionibus & bellis apud nos omnia vaſtantibus periculis multis expoſita, numquàm magis quàm nunc præſentiâ noſtra indiguit. Si pro nobis iſta omnia non ſatisfaciunt, placeat ſaltem clementiæ veſtræ, vt nobis opportuniore temporè diem ſtatuatis, aut cauſam iſtam Domino Eduenſi ſiue Ciſtercienſi committatis.

EPISTOLA CCXXXIII.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Regi Francorum, Arnulfus Lexouienſis Eccleſiæ humilis Miniſter, ſalutem & deuotum cum omni deuotione obſequium.* LÆTIFICAVIT animam meam lator præſentium gaudio diu deſiderato, gaudio quod tam nos quàm ceteri fideles Regni Francorum longis ſuſpirauimus deſideriis, & nunc crebris exultationibus ſuſcipimus adimpletum. Viſitauit Deus plebem ſuam, totique Regno Francorum miſericordiæ ſuæ viſcera patefecit:

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

dum & certum vobis heredem inſtituit, & iuſtum vniuerſis Regni Francorum Primatibus Dominum ordinauit. Nullus enim erit adeò ſuperbus aut contumax, qui illi debitum famulatum detrectet impendere, quem de carne veſtra ad Regni nouerit gubernacula procreatum. Conſeruet omnipotens Deus perſonam veſtram, Regnum ſtabiliat, ſobolémque veſtram vobis & nobis in tempora multiplicet longiora. Ceterùm pro latore præſentium Bernardo ſupplicamus, quatinus ad id quod Dominus ſuus ei legauerat obtinendum noſtras ſibi preces ſentiat profuturas. A

EPISTOLA CCXXXIV.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei prouidentiâ Regi Francorum, N. Bellicenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, ſic terrenum Regnum regere, vt in cœlis cum Sanctis valeat regnare.* Ex quo, illuſtriſſime Rex, veſtræ Serenitatis ſublimitas paruitatem Cartuſienſis Domus, ſuam nobis præſentiam exhibendo, viſitare dignata eſt; in armariolo noſtri pectoris ea qua potuimus dilectione ſuſcepimus. Tunc enim, vt ita dicamus, noſtris viſceribus incorporatus eſtis, verùm nec facilè eruemini. Nunc quoque Dei voluntate neſcio aut diſponente, aut permittente, Eccleſiæ Bellicenſi qualiſcumque deſtinatus Epiſcopus, noſtris orationibus veſtri memoriam habentes, preces pro vobis & Regni ſtabilitate ad Deum fundimus. Proindè magnificentiæ veſtræ ſuggerimus, vt humanis fauoribus plus quàm vobis non credatis, miſericordiam & iudicium, benignitatem & manſuetudinem, ac conſimilia imitemini. quæ ſcilicet inſignia ſunt regiæ dignitatis. De cetero Maieſtati veſtræ ſupplicamus, quatenus euidam nepoti noſtro carnali Pariſius ſtudenti, pro Dei & noſtri amore, vnde ſuſtentari, & ſapientiæ intendere poſſit, ſubuenire dignemini. Valete. B

EPISTOLA CCXXXV.

MAGNIFICO *ac glorioſiſſimo Francorum Regi* LVDOVICO *Domino ſuo, I. Magalonenſis Eccleſia humilis Miniſter, & eiuſdem Eccleſiæ totus Conuentus, fidelium orationum munus, & ſic Regnum gubernare terrenum, vt perhennem coronam & gloriam mereatur habere in cœlis.* MAGNAS agimus gratias Sublimitati veſtræ, glorioſiſſime Domine, quòd nuncios noſtros hoc anno ad vos venientes benignè & liberaliter ſuſcepiſtis. Ob quam cauſam de fidelibus & deuotis fideliores & deuotiores vobis & Regno veſtro nos reddidiſtis, & ad veſtrum ſeruicium promptiores. Indè eſt quòd præſentium latores Fratres noſtros Archidiaconum & Sacriſtam, & Priorem de Lunello, cum multa ſpe & fiducia ad veſtram præſentiam miſimus: rogantes vt eos benignè ſuſcipiatis, & in ſuis petitionibus exaudiatis, & vt domino Papæ, ſi præſens eſt, ore ad os, aut ſi abſens, veſtris Litteris in eum, quem ipſi vobis expoſuerint, modum, pro veſtra Magalonenſi Eccleſia preces porrigatis. C

EPISTOLA CCXXXVI.

SERENISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *diuina diſpenſatione illuſtriſſimo Francorum Regi, G. Cenomanenſis Miniſter humilis debiti famulatus obſequium, & ſaluari ab eo qui dat ſalutem Regibus.* VESTRAM credimus non latere magnificentiam, quanta mala, quàm multiplicem grauium damnorum ſeriem à G. Goëti paſſa ſit Eccleſia noſtra, qui ab terra noſtra prædam abducens, homines noſtros ad inopiæ miſeriam, terram quoque in miſeram deſolationem redegit. Nos nimirum & Eccleſia noſtra multis laboribus & expenſis à domino Papa ſuper hoc iuſtitiam quærentes, cùm in ſubſidium prædicti G. partes veſtras interponeretis, licèt idem G. in præſentia domini Papæ iniuriam illam cognouiſſet, iuſtitiam tamen noſtram nullatenus aſſequi potuimus. Verumtamen cùm de parte veſtra Magiſter Hugo de Marſone nobis ſignificauerit, vobis non diſplicere, imò potius gratum eſſe ſi in iuſtitia illa quærenda procederemus, & quòd etiam pro no-

A bis domino Papæ ſcriberetis ſuper negocio iſto, nos & Eccleſia noſtra indè multiplicium gratiarum actiones liberalitati veſtræ, quæ Eccleſiis attentiùs prouidere conſueuit, meritò referentes, piam manſuetudinem veſtram profuſis lacrimis quantum poſſumus exorare intendimus: quatinus ſicut partium veſtrarum interpoſitione dilata eſt iuſtitia noſtra, ita ſit beneplacitum veſtrum pro nobis ad dominum Papam interueniendo, gratiæ veſtræ meritum nobis tantò attentiùs proficere, quantò nouerit diſcretio nobis priùs nocuiſſe. & ſuper hoc domino Papæ diligentiùs ſcribere dignetur Sublimitas veſtra. Valete. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCXXXVI.

DOMINO *ſuo cariſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ glorioſo Francorum Regi*, STEPHANVS *Matiſconenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, deuotum in omnibus & per omnia famulatum.* IN tribulationibus, quæ inuenerunt nos nimis, nullum nobis pater refugium ad vos. Si à clamore noſtro aurem veſtræ pietatis velitis auertere, & diſſimulare dolores noſtros, nihil iam remedij nobis ſupereſſe videmus, quin extrema Eccleſiæ noſtræ pernicies immineat. Aliarum calamitates veſtræ exponere pietati, & longum eſſet, & fortaſſis oneroſum. Sufficit vnicuique miſeria ſua. Inter omnes ſanè anguſtias, quas noſtra per longum iam tempus ſuſti-
B net inceſſanter, id quoque ei ad cumulum malorum accedit, quòd hominum ſuorum nemini tutè viuere licèt, cùm & viuere ſaltim vix liceat. Habebat inter alios quendam magnarum facultatum & opum, ſibique perutilem, cui timore Comitis GERARDI ſua ipſius domus iam ferè per duos continuos annos pro carcere fuit. Qui, ne fortè dum aliquo caſu eum egredi contingeret, in inſidias incideret præparatas, Lugdunum nocturnus aufugit. Quia igitur Eccleſiaſtici rigoris cenſura nos tyrannum coërcere oportet, cùm tamen nec Deum timeat, nec homines reuereatur; rogamus vt duos de veſtris, quorum alter in Epiſcopio, alter in quadam villa noſtra ad tutelam ponatur, huc tranſmittere dignemini, qui & rerum noſtrarum, & ciuitatis veſtræ curam habeant. Credimus enim, quòd in nunciis Maieſtati Regiæ aut timore, aut pudore deferet. Nos interim donec immanis huius beluæ ferocitas quoquomodo coërceatur, ciuitate cedemus. Decetero, audemus conſulere, vt aliquos de Epiſcopis vel Proceribus veſtris ad partes iſtas dirigatis, qui & Eccleſiis quæ penè deſolatæ ſunt, & terræ quæ deſerta eſt, conſulant & prouideant., conuocent Barones, pacémque reforment. Alioquin niſi tantæ peſti citiùs occurratur, ſerpens latiùs malum totum corpus inuadet.

EPISTOLA CCXXXVII.

G DOMINO *ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, *A. Mimatenſis Epiſcopus ſalutem & ſeruicium.* DOLOREM animi mei nec linguâ, nec Carta deſcribere valeo. ſed tamen breuiter quod ad rem pertinet comprehendo. Audiat me cœlum, audiat terra, audiat me Dominus meus Rex, ad quem ſicut ad iudicem ſpecialem confugio, vt faciat iudicium & iuſtitiam in terra de his qui Regnum ſuum inaudita proditione corruperunt, & me vſquequaque vſque ad mortem ſine cauſa perſecuti ſunt. Meminit, vt credo, dignatio veſtra, qua deuotione tempore pacis meæ, quando hoſtis vel aduerſarius nullo modo apparere auſus fuerat, me, meáque, Epiſcopatum, terrámque paternam, in manus veſtras benè fideliterque indidi, & ipſam fidem ſine aliqua reprehenſione ſeruare ſtudui. Nunc autem inſurrexerunt in me homines iniqui, filij iniquitatis, & quod mihi dolor eſt dicere, frater meus, & quidam peruerſi cum eo, terram meam, immò veſtram fraudulenter & proditoriè, vt audietis, inuaſerunt. Nam ea die qua Magiſter Radulfus à veſtra Curia ad nos peruenit, ego fratrem meum in pace recepi, & caſtra quædam terrámque ſimul ei commendaui, vndè mihi hominium & fidelitatem fecit, iuramentúmque præſtitit, quòd me meáque fideliter ſeruaret, & mihi in omnibus & per omnia obediret. Indè vt fratrem tractaui, militémque feci, & honeſtè mecum habui. Qui in fraude nefandorum cœtu ſecum congregato, à me & à menſa mea recedens, duo ex caſtris meis fraudulenter occu-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

pauit, & adhuc tenet. Nec mirum ſi ſic egit, qui non legitimè genitus contra me illicitè agere præſumpſit. Hinc ad vos clamorem facio, & vt non tam mea quàm veſtra quæratis exopto. Magiſtrum etiam Radulfum mitto, & vt eum tanquam me audiatis, & quæ dixerit credatis & faciatis, precor & obnixè exoro. Licèt enim neceſſarium ſit mihi auxilium veſtrum, tamen pro veſtro honore & gloria magis laboro, quàm pro mea vtilitate. Credite ergo Magiſtro Radulfo ſicuti mihi, quia verè veniſſem, niſi turbata fuiſſet terra. Miſi verò eum vt vices meas compleat, quia & vobis & mihi fidelis eſt. A

EPISTOLA CCXXXVIII.

DILECTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi; B. Dei miſericordia Beluacenſis Eccleſiæ Miniſter humilis ſalutem, & promptum in omnibus obſequium.* BELVACENSIS Eccleſia pro querela ſatis vili in lachrymis & mœrore poſita eſt, & quæ ieiunij & afflictionis tempore diuino cultui omninò intendere deberet, diuina celebrare officia minimè poteſt. Proindè veſtram in quantum poſſumus deprecamur clementiam, quatinus pietatis inſtinctu cum Domino Remenſi loquamini, & ſic concordes efficiamini, vt Eccleſiam, quæ diu fleuit, cantare liceat, ad laudem & gloriam nominis Dei. Valete. B

EPISTOLA CCXXXIX.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi*, ST. *Dei patientia Redonenſis Epiſcopus ab eo ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* SI pacis & concordiæ amatores diligendi ſunt & fouendi, iuxta illud Euangelicum, *Beati pacifici*, ſeminatores diſcordiæ & inimici veritatis execrandi ſunt & deteſtandi, iuxta illud Salomonis, quòd *illum deteſtatur anima Dei, qui ſeminat inter Fratres diſcordias*, & *virum doloſum abominatur Dominus.* Ad vocationem Domini Turonenſis ad tranſactam feſtiuitatem beati Martini Turonis venientes, tranſitum habuimus per Burgulium. Ibique Abbas illius Abbatiæ plurimis aſſumptis ſecum Fratribus, viris ſcilicet honeſtis & religioſis, conqueſtionem ſuam de falſis Fratribus ſuis, Priore ſcilicet Caſtri-fortis & complicibus ſuis nobis monſtrans, nos caritatiuè viſitauit. Audita ſiquidem de falſis interpretibus conqueſtione, audiuimus etiam ab honeſtis & religioſis viris, Abbatis ſui modum & honeſtatem vitæ. Teſtati ſunt autem, quod iamdudum nouimus, eum eſſe virum bonæ opinionis, conſummatæ religionis, & probatæ honeſtatis: bonum Domui ſuæ prouiſorem & diſpenſatorem, caritatiuum, hoſpitalem, veritatis amatorem, & quòd falſi interpretes, qui ad pedes venerant veſtræ Sublimitatis, ſiniſtra quædam de eo vobis intemptantes falſi teſtes erant, & teſtis falſus non erit impunitus. Hoc idem audiuimus ab ore Domini Turonenſis, & Abbatis Maioris-Monaſterij, qui ad diſcuſſionem cauſæ illius in Capitulo Burgulij conuenerant. Hoc vobis veraciter atteſtamur, & teſtimonium noſtrum verum eſt. Valeat Regnum veſtrum. C

EPISTOLA CCXL.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum, B. Beluacenſis Epiſcopus ſalutem & promptum in omnibus obſequium.* PETRVS de Gerboredo in præſentia veſtra per treugas requiſiuit quemdam hominem, quem Sagalo de Miliaco ceperat, dicens quòd de dominio & cuſtodia ſua erat. Sagalo reſpondit, quòd hominem reddere nolebat, quia de feudo ſuo erat. Statutum eſt à Curia veſtra, quòd Petro & Sagalone præſentibus, homo ille ante nos adduceretur, & cuius dominio ſe cognoſceret, audiretur. Sic factum eſt. Homo itaque diligenter à nobis diſquiſitus, ſine aliqua coactione cognouit quòd de cuſtodia & dominio Petri eſt. Diximus itaque Sagaloni, quòd eum Petro per plegium redderet. Qui reſpondit, quòd cùm homo ille de feodo ſuo eſſet, illum non redderet, niſi iudicium Curiæ noſtræ illud diceret. Nos autem intelligentes à Curia veſtra dictum eſſe, quòd homo ille Petro per plegium redderetur, ſi domi-

A nio ipſius ſe cognoſceret, non præſumpſimus ſuper hoc iudicium facere. Sed in hoc Curia noſtra conuenit, quòd homo ille pro ſe plegios daret vſque dum conſilium veſtrum ſuper hoc audiremus. Sagalo autem acquieſcere noluit. Veſtrum eſt prouidere, quid indè faciendum ſit.

EPISTOLA CCXLI.

VENERABILI *Domino & amico* LVDOVICO *Dei gratiâ ſereniſſimo Francorum Regi*, RAI. *Viuar. Epiſcopus, & Comitis Toloſani auunculus, ſalutem, pacem, & gaudium.* PRO Eccleſia Tornuc. Maieſtati veſtræ modis omnibus ſupplicamus, vt miſericordes oculos ſuper eam inclinare dignemini, quoniam ſpecialiter iſtius Eccleſiæ deſtructio regiæ dignitatis eſt non modica diminutio. Quòd ſi Abbas Torn. qui Monachis ſuis inconſultis diſceſſit, Abbatiæ renuntiare voluerit, oportet vos ſollicitum eſſe ne libera eis impediatur electio.

EPISTOLA CCXLII.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum*, *B. Beluacenſis Epiſcopus ſalutem & promptum in omnibus obſequium.* B QVANTAS poſſumus Celſitudini veſtræ gratias referimus ſuper eo quòd dilectionem veſtram ſemper erga nos immobilem experti ſumus, & quia fructus ipſius de die in diem vberiores ſentimus. & hoc enim magnum vobis eſt, quòd ſeruientes veſtros ad negotia noſtra pro voluntate noſtra paratos habemus. Indè eſt quòd in labore, quem propter honorem & incrementum Eccleſiæ noſtræ ſuſcepimus, ſpem certam conſummationis ex veſtri benignitate conſilij & auxilij concepimus. De cetero mandamus dilectioni veſtræ, quòd de negocio quodam noſtro Gauterio ſeruienti veſtro credatis, ſicut & nobis faceretis.

EPISTOLA CCXLIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi*, *P. Hebrardi Abbas Sancti Germani, ſuæ Celſitudinis Clericus, cum eo regnare cuius Regni non eſt finis.* MAIESTATIS veſtræ clementiam, ô bone Rex, non ignorare volo, me ad laudem, & honorem, & augmentum Coronæ veſtræ, pro ſenſus mei capacitate, ex quo vos vidi omnimodis inuigilaſſe. In tantum quòd pro aduentu veſtro in Aruerniam, ferè omnium Baronum Aruernorum odium incurri. Et vt ego vobis prædixi, quando apud Briuatam à nobis diſceſſiſtis, quantumcumque potuere damnum mihi & meis machinati ſunt. Illud autem Maieſtatem veſtram ſcire cupio, quòd propter diſcordiam Briuatenſis Eccleſiæ, & captus, & vſque ad mortem C vulneratus, & in carcere & compedibus poſitus fui. De quo carcere nullo modo euadere poſſum, niſi Briuatenſis Eccleſia pacem integram habuerit. Et ecce maximo pecuniæ pretio promiſſo, datis obſidibus & fideiuſſoribus, nepote etiam meo ſub eodem carcere incluſo, ad tempus à vinculis reſoluor: interpoſito fidei ſacramento, me ad eumdem carcerem reuerſurum, niſi mihi pietas veſtra ſuccurrerit, & Eccleſiæ Briuatenſi pacem præſtiterit. Hanc à Domino meo Rege ſpecialiter exploro, hanc votis omnibus ſuſpiro. Per hanc enim me poſſe liberari ſpero & credo. Ad vos iam veniſſem, ſed pondere cathenarum grauatus, & compedum conſtrictione afflictus, exoptatam Domini mei Regis præſentiam adire non poſſum. Vix enim à lecto adhuc ſurgere, aut equitare adhuc poſſum. De cetero autem præſentium latores pietatis veſtræ clementia benignè ſuſcipiat, & me in tot & tantis aduerſitatibus poſitum miſericorditer reſpiciat.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CCXLIV.

MAGNIFICO *& illuſtriſſimo viro* LVDOVICO *glorioſiſſimo Francorum Regi, VV. Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis ſalutem cum ſinceræ deuotionis affectu.* QVANTO de regiæ benignitatis fauore pleniorem in omnibus ſpem & fiduciam obtinemus, tantò ea quæ ad cultum Dei, & gloriam nominis veſtri augendam ſpectare noſcuntur, veſtræ magnitudini libentiùs ſuggerere cupimus & ſuadere. Nouerit autèm Sublimitas veſtra, dilectum & ſpecialem amicum noſtrum, & veſtræ quoque magnificentiæ fideliſſimum, Magiſtrum Her. domini Papæ Subdiaconum & Notarium, ad profectum & meliorationem illius pauperis Eccleſiæ Sancti Iohannis Euangeliſtæ, quæ iuxta Palarium veſtrum apud Bituricum ſita eſt, intuitu caritatis intendere, & ſtudioſiùs aſpirare. Vnde nos ad honeſtam petitionem ipſius veſtram Sereniſſimam pietatem rogamus, vt obtentu ſupetni amoris ea quæ prædictus amicus noſter, & Excellentiæ veſtræ fidelis, ad opus eiuſdem Eccleſiæ iam conquiſiuit, vel quæ inantea tam ipſe, quàm Fratres ipſius loci, Deo propitio, poterunt ibidem adipiſci, Regia Maieſtas protegere ſemper & defenſare dignetur: & venerabili viro eiuſdem loci Priori R. nomine latori præſentium Litteras protectionis & confirmationis veſtræ ſuper rebus acquiſitis & acquirendis miſericorditer indulgere, vt indè cumulus æternæ mercedis vobis accreſcat, & nos debeamus ex hoc ad ſeruitium veſtrum feruentiùs incitari. Hoc ipſum quoque Præpoſito & hominibus veſtris in locis illis manentibus veſtris Litteris placeat vobis mandare. B

EPISTOLA CCXLV.

GLORIOSISSIMO *atque illuſtriſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ poſt Deum vnico defenſori,* IACOBVS *eiuſdem Eccleſiæ Diaconus Cardinalis per omnia ſuus continuam cum ſalute victoriam.* DEVOTIONE, nec minus fidelitate, qua Maieſtati veſtræ aſtringimur, ſæpiùs pro his quos vobis fideles eſſe cognoſcimus, apud Serenitatem veſtram preces deponere compellimur. Pro latore itaque præſentium Cantore de Pitueris, vt Eccleſiæ beati Aniani preces, vnà & aſſenſum veſtrum de Præbenda deſtineris, quoniam iam eum ſicut ſperamus recipere parata eſt, ſupplicamus.

EPISTOLA CCXLVI.

LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico atque clementiſſimo Francorum Regi,* IAC. *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis ſalutem & continuæ felicitatis gaudium.* QVANTÆ ſit nobilitatis & prudentiæ Hirmeng. Narbonenſis Vicecomitiſſa, mulier nobilis & diſcreta, veſtram non latet induſtriam. Quæ cùm omni tempore ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ fuerit deuotiſſima, hoc tamen tempore tantam domino Papæ & ſuis omnibus deuotionem exhibuit, quantam IESV CHRISTI Vicario dèbuit exhibere. Nobis, cùm in Hiſpaniam proficiſceremur, & etiam indè reuerteremur, tanquam perſonæ domini Papæ reuerentiam exhibuit. Vnde ei ſemper debitores exiſtemus. Pro qua itaque veſtræ benignitati quantum poſſumus affectuoſas preces porrigentes, obſecramus, quatenus domini Papæ precibus & noſtris annuentes, iam ſicut fidelem veſtram velitis propenſiùs diligere, & manutenere, & in ſuis petitionibus exaudire. C

EPISTOLA CCXLVII.

ILLVSTRISSIMO *ac verè Catholico Principi* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, VV. eadem gratiâ tituli Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis ſalutem & vera dilectionis obſequium.* SICVT fidei veſtræ claritas, & deuotionis virtus inter ceteros mundi Principes inuenitur ſplendeſcere, & ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Matri veſtræ plura & maiora per vos noſcuntur iuuamina contri-

A buta: ita propoſiti noſtri fuit, & erit omni tempore, niſi à vobis ſine cauſa abiiciamur, perſonam veſtram, & honorem præ ceteris Principibus diligere, ſeruitiúmque noſtrum vobis affectuoſiùs exhibere. Miramur autem plurimùm, ſi apud tantæ religionis Principem detractorum linguæ inueniantur adeò præualere, vt nobis, ſeu alicui fidelium veſtrorum, nulla interpellatione adhibita, gratiam veſtram inueniantur ſubtrahere. Indè eſt quòd venerabilem virum Abbatem de Fontè-Maur. Excellentiæ veſtræ dirigimus, modis quibuſcumque poſſumus ſupplicantes, quatenus iudicium quod nobis Senonis exhibuiſtis ad memoriam reuocando, ita eum in his quæ vobis ex parte noſtra dixerit, benignè audire & exaudire velitis: ne maliuolorum falſa & iniqua perſuaſione, gratiâ veſtra, quam adeò deſideramus, inueniamur defraudari. Excuſationem ſiquidem, quam per eum offerimus, per nos ipſos monſtrabimus eſſe veriſſimam, ſi benignitas veſtra prouidere voluerit vt id facere valeamus. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCXLVIII.

GLORIOSISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum illuſtriſſimo, ſuus fidelis dilector* IAC. *ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinalis ſalutem cum vera dilectionis affectu.* QVANTO veſtram dilectionem præ ceteris Fratribus noſtris nobis inhærere creditur, tantò ampliùs noſtrum honorem conſeruare debetis. Dominus Cadulcus audito aduentu domini Papæ apud Bituricum affuturo, multa prece, multáque ſupplicatione ſupplicauit, vt domos ſuas me ad hoſpitandum reciperem. quod cùm primùm ſæpè renuerem, tandem conceſſi. Modò autem huic promiſſo contradicens, in dedecus noſtrum eaſdem domos alij vult præſtare. Quod grauiſſimè ferentes, ſupplicamus vt amore noſtri dominum Cadulcum ad priſtinum promiſſum reducatis. De cetero, quoniam honori veſtro & Domini Aurel. competere nouimus, conſulimus & precamur, vt pro fratre Mareſcoto Archidiacono & Clerico veſtro totiens hoc anno vexato dominum Papam rogetis, vt eum à priſtinis querelis abſoluat, & in integra pace dimittat. Valete.

B

EPISTOLA CCXLIX.

LVDOVICO *Dei gratiâ clementiſſimo atque inuictiſſimo Francorum Regi*, HENRICVS *Piſanus*, & IOHANNES *Neapolitanus, Presbyteri*, & IAC. *Diaconus, ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinales ſalutem, & quicquid ſeruitij poſſumus.* AD preces venerabilis Fratris noſtri, & fidelis veſtri Abbatis Sancti Germani de Pratis, ad Eccleſiam ſanctæ Columbæ accedentes Monachos eiuſdem Eccleſiæ ad concordiam in Domino attentiùs monuimus, & vt communi voto ſibi honeſtam & idoneam perſonam in Abbatem eligerent, propenſiùs hortati ſumus. Qui omnes, vt de ipſorum potuimus voluntate perpendere, conueniunt in Salonem Sacerdotem, quem dicunt honeſtum, & ſibi, ſuæque Eccleſiæ vtilem fore. Non tamen publicè nominauerunt. Rogamus igitur, vt voluntatem veſtram nobis indè ſignificetis. Nos enim parati erimus ad complementum voluntatis veſtræ, ſicut nobis eam ſignificaueritis intendere, & honorem veſtrum in omnibus conſeruabimus.

C

EPISTOLA CCL.

LVDOVICO *diuina fauente clementia ſereniſſimo Francorum Regi*, HVB. *eadem gratiâ Hoſtienſis Epiſcopus ſalutem, & interni cordis affectum.* QVONIAM honorem & exaltationem Regni veſtri ſincera cordis affectione diligimus, cùm aliquid audimus quod ad commodum veſtrum credimus redundare, illud læto animo & libenti benignitati veſtræ ſignificamus. Nuper enim quidam nuntius ex parte Piſanorum ad præſentiam domini Papæ veniens nobis inſinuauit, quòd proximis præteritis diebus ab iiſdem Piſanis ad Regem Siciliæ delegatus quandam nauim maximam, in qua erant Nuncij Imperatoris Conſtantinopolitani, Meſſanæ vidit. Qui, cùm ab eis Rex Siciliæ cauſam aduentus ſui ſciſcitaretur, reſponderunt quoniam ab Imperatore ad Francorum Regem cum multis & maximis muneribus mittebantur. Quibus Rex decem galeas tribuit, vt eos ſecurè vſque

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ad Montem-Peſſulanum conducerent. Idem nuntius iam nauem illam ad Mon- A
tem-Peſſulanum applicuiſſe credebat. Cùm verò nobis talia retulit, fabuloſam
eſſe credidimus. Sed poſtmodum ſic eſſe de manu in manum fidem dedit, addens
quòd in præſentia Piſanorum ſuper ſancta Euangelia iurauerit, ſe & nauem &
nuntios, & decem galeas quæ eos conducerent, de poſtu Meſſanenſi recedentes
vidiſſe, & à pluribus hominibus illius patriæ quòd ſic erat affirmari veraciter audi-
uiſſe. Hæc ideo Serenitati veſtræ ſignificauimus tempeſtiuè, vt prudentia veſtræ
diſcretionis præuideat, vtrum nuntios ad Montem-Peſſulanum propter hoc mit-
tere debeat. Si autem indè aliquid magnificentia veſtra priùs audierit, cum ſtatu
proſperitatis veſtræ, nobis, qui ardentes proſperos ſucceſſus veſtros audire deſide-
ramus, ſignificare dignemini.

EPISTOLA CCLI.

LVDOVICO *glorioſiſſimo Dei gratiâ Francorum Regi*, A. *Migmatenſis Epi-
ſcopus*, & ALEXIVS *tituli Sancti Laurentij in Lucina Miniſter inutilis, ab eo
protegi & ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* CONVENIENTIBVS ante nos Præ-
poſito & Decano Briuatenſis Eccleſiæ cum partibus ſuis, ſecuritates ab eis pri-
mùm exegimus, quibus, ſicut coram Domino Rege promiſerant, noſtro ſtare iu-
dicio vel arbitrio cogerentur. Cùm autem aliarum ſecuritatum æqua oportuni- B
tas vtrinque non eſſet, iuramenti religione cum aliquantis ſuorum ſine vlla ex-
ceptione promiſerunt hinc indè, atque ad eundum & remanendum quocumque
vellemus ſe ipſos obſides tradiderunt, quòd quicquid inter eos vel arbitrio, vel
iudicio dictaremus, opere proſequente complerent. His ita peractis, ſeorſum ego
Albertus eos ammonui, vt à quibuſdam prauis conſuetudinibus, quæ inter eos
per negligentiorem curam contra Deum & ſacros Canones inoleuerant, omninò
recederent, & fidem nobis huius rei facerent iuramento. In conferendis etenim
beneficiis ex licentia & inſtitutione Capituli aliquanta pecunia poterat à perſo-
nis exquiri. quæ ſymoniam liquidò continebant. Eccleſia pro minima cauſa ad
vocem cuiuſlibet laici, ſiue Clerici, à diuinis ſuſpendebatur officiis. Honores at-
que Præbendæ quibus volebant quaſi hereditario iure videbantur conferri. Et
alia plura ibi fiebant, quæ contra eos Omnipotentis iram proculdubio incitabant.
Sanè Præpoſitus & pars eius mandatum noſtrum in his humiliter ſuſceperunt.
Decanus verò cum ſuis in quibuſdam mandato noſtro ſe ſtare velle, in aliis plu-
rium conſilio ſe indigere dixerunt. Poſt hæc verò ad querelas cœpimus inueſti-
gandas inſiſtere, & primùm de theſauro Eccleſiæ, de domo Decani, & quibuſ-
dam honoribus in diſſentione collatis agi præcepimus, eò quòd alia faciliùs differ-
ri poſſent poſtea, vel componi. Cùm hæc igitur tractarentur, & nos aliis velle-
mus intendere, Decanus procedens in medium, ad domini Papæ audientiam ap-
pellauit: dicens, nolle ſe in his niſi coram eo, aut coram Domino Rege, proce- C
dere. Quo audito, ab iniunctæ curſu ſubſtitimus actionis.

EPISTOLA CCLII.

EXCELLENTISSIMO *viro Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Fran-
corum Regi*, HVB. *eadem gratiâ Hoſtienſis Epiſcopus ſalutem & ſinceræ dilectio-
nis perſeuerantiam.* MAGNIFICENTIÆ veſtræ notum fieri volumus, quia ca-
riſſimus Frater & amicus noſter Hen. Beneuent. Archiepiſcopus Literas, quas ei
direxiſtis, ſicut ex tenore Literarum ſuarum apertiùs ſcire poteritis, cum exulta-
tione recepit: & eas, quas Imperatori Conſtantinopolitano miſiſtis, pro reueren-
tia domini Papæ & veſtra, & amore noſtro, per proprium nuntium latorem præ-
ſentium ſcilicet direxit. Illas quoque, quas idem Imperator vobis remittit, per
eundem nuntium veſtræ Serenitati tranſmittit. Vnde magnificentiam veſtram
attentiùs exoramus, quatinus inſpectis Literis, quas præſentium lator vobis præ-
ſentat, quicquid eis vobis reſpondere placuerit, eum, vt cum peregrinis, qui mo-
do requirunt Sepulchrum Domini, redire valeat, velociter & ſine dilatione ex-
pedire dignemini. Petitionem veſtram & noſtram Deus exaudiat, & deſiderium
quod habemus de vobis nos in proximo videre faciat.

A

EPISTOLA CCLIII.

ILLVSTRISSIMO *Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Chriſtianiſſimo Regi*, IOHANNES *Neapolitanus indignus Presbyter ſalutem, & votiuis ſemper pollere ſucceſſibus.* PRÆSENTIVM lator F. nobilis homo eſt, filius ſororis germanæ amiciſſimi & fideliſſimi veſtri Al. Archiepiſcopi Capuani, nobis quoque ſatis proximo conſanguinitatis gradu coniunctus, qui donec terram ſuam habuit, vnus de maioribus Calabriæ Baronibus computabatur. Hunc autem Rex Siciliæ occaſione domini Papæ, ſicut ex ipſius relatione pleniùs concipietis, de terra ſua eiecit. Rogamus igitur clementiam veſtram, quatinus pro reuerentia domini Papæ, noſtra etiam ac domini Iacinti, qui pro ipſo vobis ſcribit, interuentu, oculo miſericordiæ reſpiciatis eum, & in ſuis ipſum petitionibus exaudiatis.

EPISTOLA CCLIV.

ILLVSTRI *Hibernorum Regi.* LITERIS Sublimitatis tuæ debita benignitate ſuſceptis, fidem & deuotionem, quam te ſicut Catholicum Principem, & Chriſtianiſſimum Regem, circa beatum Petrum & nos ipſos firmiter exhibere co-
B gnouimus, gratam admodum acceptámque tenemus, tuámque ſuper hoc Celſitudinem dignis in Domino laudibus commendamus. Vberrimas Serenitati tuæ gratias exſoluentes, quòd dilectum filium O. Subdiaconum noſtrum olim ad partes illas pro vocatione Concilij deſtinatum regia curaſti benignitate recipere, & ſicut te & ipſum decuit propenſiùs honorare. Vnde nos conſideratione tuæ fidei ac puritatis inducti, in ea ſumus voluntate ac propoſito ſtabiliti, vt iuſtas petitiones tuas clementer velimus ſemper admittere, & in his quæ cum Deo poterimus, honori & gloriæ tuæ Celſitudinis aſpirare. Ad præſens autem Excellentiæ tuæ volumus innoteſcat, quòd dilectum filium noſtrum Abbatem Melli-fontis, quem tua nobis Serenitas commendauit, benignè recepimus, & eum in iuſtis petitionibus ſuis efficaciter curauimus exaudire. Rogamus itaque magnificentiam tuam, & exhortamur in Domino, quatinus in vnitate Catholica & deuotione matris tuæ ſacroſanctæ Romanæ Eccleſiæ ac noſtra firmus & immobilis perſeueres, vt indè & præmium poſſis æternæ retributionis accipere, & gratiam Apoſtolicæ Sedis ac noſtram pleniorem omni tempore debeas obtinere.

EPISTOLA CCLV.

LVDOVICO *Dei gratiâ inuictiſſimo ac piiſſimo Francorum Regi*, IAC. *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis ſalutem & perpetuæ proſperitatis*
C *tranquillitatem.* QVIA hodie diuinitatis clementia præ ceteris mundi Principibvs Eccleſiarum vos conſtituit defenſorem, idcirco pro religioſis perſonis protectione & auxilio potentiæ veſtræ indigentibus Serenitati veſtræ preces confidenter porrigimus. Indè eſt quòd pro Fratribus Sancti Satyri, quos nobilis vir Comes St. grauiter perſequitur, veſtram modis quibus poſſumus obſecramus in Domino magnificentiam: quatinus pietatis intuitu, tam per vos, quàm per illuſtrem Comitem Henr. in cuius poteſtate præfatus nobilis vir Com. S. eſſe dinoſcitur, eum diligenter monere ſtudeatis, vt prænominatis Canonicis ita ſatisfaciat, vt ipſe ab infamia quam indè contraxit auctore Domino liberetur, & illi qui magnæ ſunt religionis in omni pace in Eccleſia ſua tam pro vobis, quàm pro vniuerſa Eccleſia Dei ſacrificium Deo in odorem ſuauitatis poſſint offerre.

EPISTOLA CCLVI.

IN *nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, amen.* EGO LVDOVICVS Dei gratia Francorum Rex. A longo tempore fuit vnicum & irremediabile totius Regni deſiderium, vt ſua benignitate & miſericordia largiretur Deus prolem de nobis, quæ in ſceptris poſt nos ageret, & Regnum moderari poſſet. Et nos quoque inflammauerat ardor iſte, vt procuraret Deus nobis ſobolem melioris ſexus, qui ter-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. riti eramus multitudine filiarum. Idcirco cùm nobis apparuit deſideratus hæres, A
lætitia & gaudio repleti Altiſſimo exſoluimus gratias, & pro inæſtimabili gaudio,
quod per omnes medullas & cordis & corporis recepimus de audito rumore, nuntium remunerare curauimus. Itaque notum facimus vniuerſis præſentibus pariter & futuris, quòd Ogerio ſeruienti Reginæ, qui nobis annuntiare feſtinauit natum nobis eſſe filium, pro admirabili gaudio deſiderati rumoris, ipſi & hæredibus ſuis ſingulis annis ad feſtum Sancti Remigij in grangia noſtra de Goneſſa tres modios frumenti donauimus, & pro immobili firmitate donum iſtud conſcribi, & ſigillo noſtro corroborari præcepimus, ſubter inſcripto nominis noſtri karactere.
1165. Actum publicè Pariſius anno incarnati Verbi MCLXV. aſtantibus in Palatio noſtro, quorum nomina ſubtitulata ſunt & ſigna. Signum Comitis Theob. Dapiferi noſtri, S. Guidonis Buticularij, S. Matthei Camerarij, S. Radulfi Conſtabularij.

EPISTOLA CCLVII.

DOMINO *& amico vnico* IACOBO *Dei gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali cum dilectione ſalutem.* ACCEPIMVS vos veniſſe Compendium ad Dominum Regem. veniſſemus ad vos, ſed ſerus fuit nuntius, qui veſtrum nobis nuntiauit aduentum. Inſuper de veſtro aduentu non benè certi eramus. Propter hoc Dominus Rex in inſtanti debet venire Sueſſionis, vbi illum expectamus Peti- B
mus autem, & cum multa precum inſtantia rogamus vos vt amicum ſingularem & fideliſſimum, quatinus Sueſſionis veniatis. Vos enim videre, & veſtro frui colloquio plurimum optamus, & vos compendioſiore via Senonis redire non poteſtis.

EPISTOLA CCLVIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Francorum Regi*, HVB. *eadem gratiâ Hoſtienſis Epiſcopus ſalutem, & puræ dilectionis perſeuerantiam.* LITERAS Excellentiæ veſtræ, quas pro venerabili Fratre & amico noſtro A. Abbate S. Benedicti ſupra Ligerim nobis direxiſtis, gratanter recepimus: & ſicut rerum effectus indicat, quod pro eo mandaſtis, ſine dilatione effectui mancipare curauimus. Scientes quia quicquid pro honore magnificentiæ veſtræ facere poſſumus, libentiùs quàm pro aliquo mundano Principe effectui mancipamus. Vnde Serenitatem veſtram verſa vice attentiùs exoramus, quatinus prædictum Abbatem, ſicut eum nobis commendaſtis, & Eccleſiam ſuam pro amore noſtro diligaris, & manuteneatis, & ita ab incurſibus eam infeſtantium tueamini, quòd ipſe vobis & Eccleſia fidelior exiſtere valeat, & noſtras ſibi partes ſentiat profuiſſe, & pro eo nobis gratias debeat exhibere. Licèt ſciamus quòd eum abſque commendatione noſtra libenter manutenebitis, eum tamen vobis libenti animo commendamus.
C

EPISTOLA CCLIX.

Similis eſt ſuprà VV. Cardinalis Ep CCXLIV.

MAGNIFICO *& illuſtriſſimo viro* LVDOVICO *glorioſiſſimo Francorum Regi*, HENRICVS *ſanctorum Nerei & Achillei Presbyter Cardinalis ſalutem cum ſinceræ deuotionis affectu.* QVANTO de regiæ benignitatis fauore pleniorem in omnibus ſpem & fiduciam obtinemus, tantò ea quæ ad cultum Dei, & gloriam nominis veſtri augendam ſpectare noſcuntur, veſtræ magnitudini libentiùs ſuggerere cupimus & ſuadere. Nouerit autem Sublimitas veſtra, dilectum & ſpecialem amicum noſtrum, & veſtræ quoque magnificentiæ fideliſſimum, Magiſtrum Herm. domini Papæ Subdiaconum & Notarium, ad profectum & meliorationem illius pauperis Eccleſiæ S. Iohannis Euangeliſtæ, quæ iuxta Palatium veſtrum apud Bituricum ſita eſt, intuitu caritatis intendere, & ſtudioſiùs aſpirare. Vnde nos ad honeſtam petitionem ipſius, veſtram ſereniſſimam pietatem rogamus, vt obtentu superni amoris ea quæ prædictus amicus noſter, & Excellentiæ veſtræ fidelis, ad opus eiuſdem Eccleſiæ iam acquiſiuit, vel quæ inantea tam ipſe quàm Fratres ipſius loci Deo propitio poterunt ibidem adipiſci, regia poteſtas protegere ſemper & defenſare dignetur: & venerabili viro eiuſdem loci Priori R. nomine latori præſentium Literas protectionis & confirmationis veſtræ ſuper re-

A bus acquiſitis & acquirendis miſericorditer indulgere, vt indè cumulus æternæ mercedis vobis accreſcat, & nos debeamus ex hoc ad ſeruitium veſtrum feruentiùs incitari. Hoc ipſum quoque Præpoſito & hominibus veſtris in locis illis manentibus veſtris Literis placeat vobis mandare.

EPISTOLA CCLX.

EXCELLENTISSIMO *viro præcordiali amico ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi*, HVB. *eadem gratiâ Hoſtienſis Epiſcopus ſalutem & omnem felicitatem.* LITERAS veſtras cum omni hilaritate & deuotione ſuſcepimus, & earum continentiam tantò libentiùs executioni mandare ſtudemus, quantò ampliùs per omnia clementiæ veſtræ placere optamus. Licèt enim viſcera ventri commendare non ſit neceſſe, quia venerabilis Fratris noſtri P. Bituricenſis Archiepiſcopi negotia ſpeciali ſingularitate propria reputamus, tamen in his, & in aliis omnibus quæ vobis placitura nouerimus pro poſſe noſtro ad beneplacitum & voluntatem veſtram prompti penitus & parati exiſtimus.

EPISTOLA CCLXI.

B IAC. *Dei gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, kariſſimis amicis ſuis C. Bituricen. Archidiac. & Barbedor, ſalutem & perpetuam dilectionem.* VESTRÆ dilectioni omnimodas preces porrigimus, quatinus præſentium latores Burgulien. Monachos benignè recipiatis, & in quibus veſtro auxilio apud Dominum Regem indiguerint, eis tanquam noſtræ perſonæ illud exhibeatis. Intimetis etiam Domino Regi, quòd ita ſumus certi de religione Abbatis eorum, quòd non credimus aliquem Monachum in Ordine nigrorum Monachorum eo religioſiorem.

EPISTOLA CCLXII.

LVDOVICO *Dei gratiâ inuictiſſimo Francorum Regi*, IAC. *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, ſalutem & continuam tranquillitatem.* CLEMENTIÆ veſtræ Nobilitas conſueuit nobilibus viris compati, & in eorum aduerſitatibus ſuffragari. Eapropter benignitati veſtræ confidenter preces porrigimus, quatinus F. præſentium latorem nobilem virum, qui in terra Regis Siciliæ magnas habuit diuitias, benignè recipiatis, & in petitione ſua clementer exaudire dignemini. Ipſe enim Domino ſuo exiſtimauit gratum ſeruitium impendere, à quo pro beneficio ſupplicium recepit. Et nouerit veſtra Sublimitas, quòd iſte eſt nepos venerabilis Fratris noſtri Capuani Archiepiſcopi fidelis veſtri.

C EPISTOLA CCLXIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ inuictiſſimo Francorum Regi*, IAC. *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, ſalutem & continuam proſperitatem.* CVM cognoſcimus aliquos vobis fideles, veſtræ Celſitudini eos non dubitamus commendare. Quapropter Clementiæ veſtræ pro G. Cantore Nouiomenſi nepote venerabilis Fratris noſtri Epiſcopi Nouiomenſis affectuoſas preces porrigimus, quatinus eum, qui vt nouimus vobis valde fidelis eſt, noſtro interuentu, & ſuæ probitatis & fidelitatis intuitu, carum & acceptum habeatis.

EPISTOLA CCLXIV.

GLORIOSISSIMO *atque illuſtriſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, IAC. *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis eius amicus ſpecialiſſimus ſalutem, & ſemper ad vota ſucceſſus.* DE hoc quod veſtra nobilis benignitas voluntatem ſuam familiariter, & præcipuè pro noſtra propria perſona, nobis aperit, plurimum gaudemus. Noſtrum enim ſanguinem non ſolùm pro vobis, verùm & pro veſtris amicis exponeremus. & vtinam vobis ſuccedat quod noſter animus optat? Medicinam verò, quam veſtra magnitudo dignata eſt poſtulare,

LVDOVICVS VII. IVNIOR. meliorem quam habuimus vobis dirigimus. Zuccarum roſatum præteriti anni,& A zuccarum violatum præteriti anni, quæ multum contra calorem epatis valent.

EPISTOLA CCLXV.

SERENISSIMO *ac verè Catholico* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, VV. eadem gratiâ tituli Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis ſalutem,& totius proſperitatis augmentum.* QVONIAM inter ceteros mundi Principes ſpecialiùs vobis diuina clementia noſcitur attributum, Eccleſias & religioſa loca diligere, eorúmque iura regali auctoritate tueri: idcirco Excellentiam veſtram duximus exorandam, quatinus erga Eccleſiam Sancti Satyri, quæ tanta religionis claritate noſcitur præfulſiſſe,& nunc Comitis Stephani violentia, excluſo Canonicorum Conuentu, in quemdam ſolitudinis horrorem cernitur fore redacta, conſueta moueamini pietate, atque ad deliberationem eius, prout decet Regiam Maieſtatem, zelo rectitudinis velitis accingi. Siquidem inter cetera quæ Regnorum ſtatum roborant & extollunt, ſicut ex ſacræ lectionis continentia edocemur, Religioſorum orationes altiora præſidia & ſublimiora noſcuntur eiſdem Regnis conferre iuuamina.

EPISTOLA CCLXVI.

B

LVDOVICO *Dei gratiâ clementiſſimo atque magnifico Francorum Regi,* IAC. *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis ſalutem, & perpetuæ felicitatis tranquillitatem.* SICVT perſonam veſtram præ ceteris mundi Principibus diligimus, ita cùm veſtræ excellentiæ Literis viſitamur, vt ſecundum ipſarum tenorem Sublimitati veſtræ ſatisfacere poſſimus, attentiſſimè ſolliciti ſumus, parati illos diligere, quos vos cognoſcimus amare. Precibus itaque veſtræ Serenitatis præcipuè inclinati, ad dilectum venerabilem Fratrem noſtrum Bituricenſem Archiepiſcopum ita ducti ſumus, vt eum propenſiori caritate amplexemur, in quantum poſſumus ipſum honorantes. Præterea quomodo ſuper negotiis latoris præſentium, quem veſtris nobis Literis commendaſtis, ſolliciti fuerimus, ipſius relatione liquidò veſtra poterit diſcretio perpendere.

EPISTOLA CCLXVII.

LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi,* HVB. *eadem gratiâ Hoſtienſis Epiſcopus ſalutem, & intima dilectionis perſeuerantiam.* INTER illa quæ laudabiliter facere conſueuiſtis, dilecti filij noſtri G. Nouiomenſis Cantoris relatione didicimus, quòd ei dare Præbendam in Eccleſia Attrebatenſi veſtra liberalitate feciſtis. Pro quo Excellentiæ veſtræ gratias immenſas referimus, attentiùs exorantes, quatinus ſicut cœpiſtis eum diligere & honorare, & ſub tutela veſtra inter C Clericos veſtros numerare dignemini, vt ipſe de fideli magnificentiæ veſtræ fidelior exiſtere valeat, & noſtras preces ſibi ſentiat profuiſſe. Eum ſiquidem pro auunculo ſuo affectuosè diligimus, quem honeſtum eſſe virum & religioſum credimus.

EPISTOLA CCLXVIII.

ILLVSTRISSIMO *& in omnibus collaudando Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Chriſtianiſſimo Regi, I. Neapolitanus indignus Presbyter Cardinalis ſalutem, & in omni proſperitate gaudere.* PROPOSITVM noſtræ mentis eſt, & in animo noſtro firmiter ſtabilitum; Excellentiam veſtram cum omni ſinceritate ſemper diligere, & ad ea quæ Serenitati veſtræ placere nouerimus ſtudiorum noſtrorum diligentiam propenſiùs adhibere. Itaque licèt merito dilectionis, quam in perſonam Domini Bituricenſis habemus, ad negotiorum ſuorum exſecutionem attentiùs accingamur, intuitu tamen dilectionis veſtræ, & ob reuerentiam precum, quas pro ipſo gratia veſtra nobis porrexit, eidem in iuſtitia ſua erimus promptiores, & ad cauſæ ſuæ proſecutionem tantò ampliùs dabimus operam, quantò id Sublimitati veſtræ cognoſcimus plurimum complacere.

EPIST.

A

EPISTOLA CCLXIX.

CARISSIMO *& ſpeciali amico ſuo P. venerabilis viri Hugonis Sueſſionenſis Epiſcopi nepoti* HERM. *ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus & Notarius ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum.* QVONIAM de veſtræ liberalitatis abundantia confidimus plurimum, & ſperamus, pro his quos in neceſſitate poſitos eſſe cognoſcimus fiducialiùs dilectioni veſtræ honeſtas preces porrigimus. Inde eſt ſiquidem, quòd pro E. Clerico latore præſentium, qui multa inopia & paupertate laborat, veſtram diſcretionem precibus attentis exoro, vt diuini amoris obtentu, & meæ interuentionis intuitu, apud memoratum Epiſcopum interueniatis: vt in aliquo beneficio Eccleſiaſtico ei prouideat, vnde vitam ſuam ducere valeat, & matrem quam habet pauperem ſuſtentare, ita quòd à Deo præmium exindè poſſitis acquirere, & ego ad honorem veſtrum promptior ac magis paratus debeam inueniri.

EPISTOLA CCLXX.

B CARISSIMO *Domino & amico ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi, H. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, ſeipſum totum & quicquid poteſt.* PRO eo quòd domino Papæ, & domino Iohanni Neapolitano contemplatione cariſſimi amici noſtri Domini Cantoris per Epiſcopum Aurelianenſem nuper mandaſtis, vberes Serenitati veſtræ verbo grarias agimus, obſequio vberiores acturi. De Eboracenſ. & aliorum ad nos venienrium relatione accepimus, præfatum amicum noſtrum ad vos veniſſe, atque ibidem in Domo Templariorum ſeu Hoſpitalium vobiſcum locutum fuiſſe. Verùm quoniam hoc ſcire plurimùm & nobis, & ipſi præcipuè expedit, rogamus attentiùs Excellentiam veſtram, quatinus id ſi verum eſt, nobis ſi placet quantocius ſignificetis. Si autem verum non eſt, id domino Papæ & Cardinalibus falsò ſuggeſtum eſſe, eiſdem Literis veſtris ſignificare dignemini. Teſte Deo loquimur, quia ex hoc maximè credimus Regem Angliæ aduerſus eundem amicum noſtrum tam grauiter, tam irremediabiliter eſſe turbatum, quòd in anguſtiis ſuis auxilium & patrocinium veſtrum auſus eſt poſtulare. Et hæc eſt præcipua cauſa, quare inimici ſui hæc, ſiue vera ſint, ſiue falſa, libenter prædicant, & quæ Serenitatem veſtram & religionem, excepto omni timore hominum, ſibi reddere debet adiutricem, & omni ratione propitiam. Valete.

EPISTOLA CCLXXI.

C LVDOVICO *Dei gratiâ inclyto & illuſtriſſimo Francorum Regi,* HVB. *eadem gratiâ Hoſtienſis Epiſcopus, cum glorioſi triumphi felicitate ſalutem.* A præſentia nuper veſtræ Celſitudinis redeuntes, & ſublimes veſtræ Maieſtatis affatus firmiter, ſicut decuit, in memoriam retinentes, curauimus omnimodis honori veſtro diligenter intendere, & ea quæ veſtræ ſunt placitura clementiæ promptiſſima in omnibus ſollicitudine promouere. His dediti ſemper penitus & intenti, quæ Regiæ nouerimus beneplacita Maieſtati. Specialiter autem ſuperni conditoris clementiam precibus deuotiſſimis exoramus, vt perſonam veſtram ſicut Chriſtianiſſimi Regis & Catholici Principis ſua propitius pietate reſpiciat, & omnia vobis proſpera, omnia denique profutura concedat: vt quod in eius nomine amore iuſtitiæ fideliter geritis, felicis conſummationis exitu eo auctore perficere valeatis. Vt autem & ſtatus veſtri qualiras, & totius expeditionis veſtræ nobis innoteſcerent deſiderati ſucceſſus, diſpoſueramus illuc proprium curſorem noſtrum cum omni attentione rranſmittere, qui veſtri triumphi gloriam diligenter inueſtigandam nobis poſſet, prout cupimus, reuelare. Verùm quia præſentium lator, nuncius videlicet venerabilis Fratris noſtri Ioſ. Turonenſis Archiepiſcopi ad veſtræ Sublimitatis præſentiam properabat, hæc ſibi ſcripta duximus

LVDOVICVS VII. IVNIOR. committenda, regiam exorantes obnixiùs pietatem, vt quicquid felicitatis & gloriæ circa vos & exercitum veſtrum ex diſpenſatione diuini muneris agitur, veſtris nobis apicibus intimetur. Ad hæc ſuper negotio præfati Archiepiſcopi ſollicitus admodum preces regiæ Serenitati porrigimus, rogantes plurimùm, & attentiùs exhortantes, vt gratiæ veſtræ dulcedinem circa ſe interuentu noſtro ſentiat pleniorem. A

EPISTOLA CCLXXII.

LVDOVICO *Dei gratiâ clementiſſimo Francorum Regi*, IAC. *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, ſalutem & perpetuam tranquillitatem.* VESTRÆ Sublimitatis dignitas requirit, vt ea quæ à vobis & per vos fiunt ſtabilem obtineant firmitatem. Igitur cùm veſtræ conſtet Excellentiæ, quòd quicquid dominus Papa fecit de C. Bituric. Archidiacono Clerico veſtro, totum veſtri fecit intuitu, & ad veſtrum interuentum: ſummoperè Regia Maieſtas efficere debet, vt quod tam ſolemniter factum eſt immobile perſiſtat. Intantum enim dominus Papa in eo proceſſit, quòd illud ſine ſuo & Romanæ Eccleſiæ dedecore & veſtro non poſſet immutari. Vnde firmus in primo propoſito perſeuerat, nec aliquis poterit eum ab eo remouere. Rogamus igitur ſtabilitatem Sublimitatis veſtræ, & conſulimus, vt ſicut dominus Papa veſtrum reſpexit honorem, & voluntatem adimpleuit, ita eius & Romanæ Eccleſiæ honorem ac veſtrum conſeruare in hoc facto velitis. Ipſe quoque in obſequio domini Papæ veſtrum honorem ſapienter conſeruans, ei gratum exhibet ſeruitium & honorem B

EPISTOLA CCLXXIII.

ILLVSTRI *Francorum Regi, H. Piſanus ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, ſalutem & debitam dilectionem.* LICET cum Literis domini Papæ noſtræ ſuperfluæ videantur: tamen quia præſentium lator Clericus noſter Adam ci-dit nos aliquid poſſe apud vos, humiliter noſtras requiſiuit Literas & impetrauit. Retulit enim ſe de iuſtitia veſtra & veritate ſua confidentem in quodam placito, quod inter iſtum & quemdam Fratrem ſuum in Curia Domini Abbatis Sancti Dionyſij ſuper quadam domo vertebatur, veſtram Curiam appellaſſe. Qui cùm ad veſtram Curiam veniſſet, vt nobis relatum eſt, quia maioribus eratis negotiis occupatus, quemdam virum Vrricum Troſſe-Vauche veſtro loco miſiſtis, vt ex verbis vtriuſque iudicium procedere feſtinaret. Abbas verò prædictum famulum veſtrum noluit intereſſe iudicio, imò prohibuit. Quod autem miſerabilius eſt, ſuis omninò rationibus in verborum recitatione prætermiſſis, veſtro etiam, vt præſentium lator aſſerit, reclamante nuntio, non ex verbis iſtius pauperis, ſed ex quibus voluerunt illius Abbatis complices, præcipitauere iudicium. Vnde pauperis iſtius compatientes incommodis, veſtram volumus miſericordiam exorari, quatinus amore Dei & noſtro domini Papæ precibus & noſtris ammonitus, veritate cognita, pauperis iſtius labori finem miſericorditer imponatis. C

EPISTOLA CCLXXIV.

LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum*, IAC. *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis ſalutem, & continua pacis tranquillitatem.* CARITATIS officium exigit, vt cùm ſe oportunitas offert, bona quæ in viris religioſis cognoſcimus nullatenus taceamus: quatinus eorum honeſtatis odor latè diffuſus, plures ad exemplum bonæ actionis inuitet, & detrahentium vultum confundat. vt ſecundum Apoſtolum, aliis ſit odor vitæ in vitam, & aliis, ſcilicet prauis, ſit odor mortis in mortem. Quocirca de honeſtate & religione venerabilis in Chriſto Fratris noſtri Burgulienſis Abbatis manifeſtis & multimodis indiciis certificati, apud veſtram Sublimitatem teſtimonium ei confidenter perhibemus. Et vt per exteriora opera veſtræ induſtriæ liqueat, quanta ſit in

A eius mente religio, Eccleſiæ ſibi commiſſæ reſtauratio tam in temporalibus quàm ſpiritualibus, ſicut omnes finitimos oculata fide certificauit, ita & vobis certiſſimum poteſt experimentum monſtrare. Si quidem cùm prædicta Eccleſia incuriâ Paſtoris ad tantam deueniſſet inopiam, quòd non ſolùm corporalis panis, verùmetiam ſpiritualis in ea miſerabiliter defeciſſet; & pondere alieni æris preſſa iaceret, ſub iſtius regimine vtroque pane referta præ ceteris conuicinis Eccleſiis abundat in temporalibus, & ſancta pollet religione. Ipſe verò Abbas toto mentis affectu Chriſto adhærens virtutum operibus ita reſplendet, quòd Monachi, quibus præeſt, ipſum quaſi Patrem venerantes, honeſtatis merito ſe inferiores eo reputant, & eius ſanctitatem indeſinenter prædicant. Vnde conſtituti in præſentia venerabilium Fratrum noſtrorum Turonenſis Archiepiſcopi, & Abbatis Maioris-Monaſterij, quibus dominus Papa mandauit vt de vita ipſius Abbatis diligenter quærerent, adiurati ab Archiepiſcopo & Abbate in virtute Spiritus ſancti, ſeparatim, & communiter, Abbatem ſuum perfecta ſanctitate pollere confeſſi ſunt. Quapropter quidam peruerſi Fratres, videlicet ille, qui fuit Prior Caſtri-fortis, & complices eius viri quidam pernicioſi, qui ſpiritu nequam agitati tam apud dominum Papam, quàm apud vos, ſuum Abbatem niſi ſunt diffamare, à prædictis iudicibus ſuæ nequitiæ merito ſunt condemnati, & excommunicationis vinculo innodati. Ipſi etiam confeſſi ſunt, quòd propter mendacia B illa, quæ in ſuum Abbatem confixerant, digni eſſent abſciſione linguarum. Poſtea verò ad priſtinam malitiam, ſicut viri dæmoniaci, & à conſortio Fratrum excluſi, reuertentes, per dominum Caſtri-fortis Eccleſiam quam ibi habet Burgulienſe Monaſterium expoliari fecerunt. Quia igitur ſententiam in eos latam dominus Papa ratam habet, vobis, cui datus eſt gladius ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum, affectuoſiſſimas preces porrigimus, quatinus nominatum Abbatem ſicut virum religioſum & iuſtum diligentes, & eius Eccleſiam defendentes, prædictum dominum Caſtri-fortis regia poteſtate cogatis, vt res ablatas Eccleſiæ Caſtri-fortis ex integro reſtituat, & illos excommunicatos manutenere ampliùs non præſumat. Hoc enim ſecura conſcientiâ veſtræ Magnitudini ſuadere poſſumus, quia tantam certitudinem de religione ſæpedicti Abbatis habemus, quòd ſi in eo non eſt radicata religio, ipſam non credamus in alio habitare. Credimus enim, quòd religioſiores Abbates Ordinis nigrorum Monachorum ſunt, ipſe, & Abbas Maioris-Monaſterij.

LVDOVICI VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCLXXV.

LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtriſſimo atque inuictiſſimo Francorum Regi*, IAC. *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, ſalutem, & continuam cum triumpho de inimicis victoriam.* COGNOSCENTES quòd Excellentiæ veC ſtræ diſplicuerit, quòd dominus Papa Comitem Aruerniæ à vinculo excommunicationis abſoluerit, valde triſtati ſumus. Siquidem dictum eſt nobis, quòd Magnitudini veſtræ ſuggeſtum ſit, quia dominus Papa hoc in detrimentum & Coronæ veſtræ diminutionem fecerit. Quod nullatenus credere debetis, quoniam, vt certum tenemus, dominus Papa omnibus modis ad honorem veſtrum intendit, & exaltationem Coronæ veſtræ deſiderat, nec etiam vbi nos eſſemus, aliquid quod ad Coronæ veſtræ diminutionem pertineret fieri poſſet. quoniam vt nouit ille qui corda ſcrutatur & renes, non viuit inter mortales, cuius honorem tantùm deſideremus ſicuti veſtrum. Nam ſi neceſſarium eſſet, non tantùm noſtra pro vobis expenderemus, ſed etiam nos & noſtros morti exponeremus. Elegimus vos de inter ceteros mortales vnicum & ſpecialem amicum, de quo poſt Deum magis quàm de aliquo alio confidimus. Et nouerit Serenitas veſtra, quoniam quando dictus Comes poſtulabat abſolutionem, abſque aliqua conditione iurauit tactis ſacroſanctis Euangeliis, quòd quicquid præciperet ei dominus Papa ſuper negotio vxoris filij Ber. de Mercur, & ſuper damnis illatis Eccleſiæ Briuatenſi, & ſuper pedagio, obſeruaret. & ita ſecundum Romanæ Eccleſiæ conſuetudinem abſolutus eſt. Facta autem abſolutione, dominus Papa ei dedit in mandatis, vt infra quindecim dies reſtitueret vxorem B. de Mercur, & ea quæ de rebus ablatis

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

Briuatenſis Eccleſiæ, & Canonicis, & eorum hominibus habere poſſet, infra xxx. A dies plenariè reſtitueret. Ab exactione verò pedagij ceſſaret, donec dominus Papa meliùs rei veritatem indè cognoſceret.

EPISTOLA CCLXXVI.

LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri & magnifico Francorum Regi*, HVB. *eadem gratiâ Hoſtienſis Epiſcopus ſalutem, & tam præſentis quàm futuræ felicitatis augmentum.* Ex quo didicimus, quòd venerabilia & religioſa loca, atque perſonas, ſicut Chriſtianiſſimus Princeps pia deuotione reueremini, atque fouetis: tantò ſecuriùs veſtræ Serenitati pro eis, cùm expedit, ſupplicando ſcribimus, quantò ampliùs ad eorum defenſionem atque fauorem veſtram clementiam promptam & attentam eſſe cognoſcimus. Quia itaque Eccleſia Sancti Satyri, in qua gratiſſima Deo Canonicorum Religio fulget, vſque adeò per Comitem Steph. ſicut dicitur, eſt attrita atque deſtructa, quòd Canonici cum Abbate ſuo exindè ſunt eiecti, & bona omnia ferè erepta atque ablata: magnificentiam veſtram attentiùs exoramus, quatinus iuxta à Deo vobis collatam pro ſalute & animæ veſtræ remedio ſecundum rationabilem præſentium latoris ſuggeſtionem efficiatis, vt ipſe St. à iamdictæ Eccleſiæ & Fratrum in ea commorantium perſecutione deſiſtat, damna reſtituat, & de illatis iniuriis ita per vos ſatisfaciat, vt prædictorum B religioſorum Fratrum aſſiduis orationibus ipſe glorioſus Martyr pro vobis ad Deum ſtudioſus interceſſor exiſtat, & idem bonorum omnium remunerator Deus vos perpetuo diademate coronet.

EPISTOLA CCLXXVII.

ILLVSTRI *Domino & Abbati ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi magnifico*, *B. Decanus*, *G. Theſaurarius*, *totúmque beati Martini Capitulum*, *ſalutem ab eo per quem Reges regnant.* MAIESTATI veſtræ gratias agimus, quoniam ſollicitus eſtis de pace & bono Eccleſiæ beati Martini, quæ ſpecialiter veſtra eſt, vtporè de largitate & munificentia Patrum veſtrorum fundata. Cedet autem ad Coronæ veſtræ integritatem conſeruandam non minimum, ſi eius ſpeciale membrum, Eccleſiam ſcilicet beati Martini, quæ inter ceteras Regni veſtri Eccleſias generoſum tollit apicem, vobis conſeruaueritis, & in ſtatu & dignitate ſua confoueritis. Præſentium itaque latorem Celſitudini veſtræ mittimus, vt ſicut per Magiſtrum H. de Marſone nobis mandauiſtis, quod de negotio noſtro inueniſtis per Clericum noſtrum & veſtrum nobis ſignificare dignemini, in hoc & aliis ve- C ſtro paratis obſecundare conſilio. Valete.

EPISTOLA CCLXXVIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ nobiliſſimo Francorum Regi*, *Frater L. Eccleſiæ Sancti Petri Cathal. vocatus Abbas*, *& eiuſdem loci Congregatio tota*, *ſalutem*, *ſeruitium*, *& orationes*, QVIA pro multiplici negotiorum diuerſitate regiam veſtram non poſſum adire præſentiam, in nouiſſimis meis longa preſſus inualitudine, veſtram rogamus benignitatem: quatinus cauſa Dei internuntiorum noſtrorum precibus obtemperanter intendatis, & in eorum petitione vocem noſtram exaudiri noueritis. Solita enim beniuolentia veſtra circa cultum Eccleſiarum ſpem noſtram confirmat, vt iudicij veſtri ſententiam nulla varietate mutari credamus: & quod à vobis actum & ſtabilitum eſt inuiolabile perpetuò conſeruari faciatis. Valete.

EPISTOLA CCLXXIX.

GLORIOSO *& magnifico Regi Francorum* LVDOVICO *Domino ſuo cariſſimo*, *Frater* ST. *humilis Cluniacenſis Abbas*, *gloria & honore in perpetuum coronari.* QVO affectu vos ſemper dilexerim, quámque fidelis & deuotus vobis & Coronæ veſtræ fuerim, maximè ex quo aſſumptus fui ad regimen Cluniacenſis Eccleſiæ, ipſe ſatis, ſi placuit, cognouiſſe hactenus potuiſtis. Indè eſt quòd non ſemel & ſcriptis & viua voce Celſitudini veſtræ ſuggeſſi, vt terræ noſtræ, quæ finibus Imperij collimitatur, citò conſuleretis: eò quod à patribus illis, ſi res & tempora mutarentur, plurima Regno poſſet imminere pernicies. Ex quo id veſtræ Maieſtati aur ſcripſi aut dixi, multiplicata ſunt mala in terra. Caſtellani & milites terræ feruntur quique in alteros, ſed inſanias & mala eorum ſolæ luunt Eccleſiæ, ſoli pauperes ſentiunt. Quid ſibi iam inuicem rapiant non habent, ſed Eccleſiæ prædæ eorum, & pauperes eſca. Incendiis, rapinis, cædibus, conſumuntur, deuaſtantur, fœdantur omnia. Ad hæc mala, Teutonicorum, quos Brabantiones vocant, immaniſſima peſtis acceſſit, qui rabidarum more ferarum ſanguinem ſitientes, loca omnia peruagantur, à quibus quiſquam vix tutus eſſe poteſt. Date veniam ſi durius aliquid dixero. Ex quo Terræ huius, cui maledixit Dominus, non Principes, ſed fures ſimul inutiles facti ſunt, ex quo à planta pedis vſque ad verticem non eſt in eis ſanitas, niſi tantæ cladi citiùs occurratis, timere poteſtis ne pauperum ſuorum ſanguinem Deus de manu veſtra requirat. Eſt aliud quod ad partes noſtras veſter aduentus nobis & toti Regno perneceſſarius fecit. Electionem Domini Drogonis Archidiaconi Lugdunenſis dominus Papa rationabilibus & certis ex cauſis de nouo caſſauit. Et cùm veſtri ſint, & Comes Forenſis, & dominus Humbertus de Belloioco, & plurima pars Clericorum Eccleſiæ Coronæ veſtræ faueant, ad bonum & honorem veſtrum & Regni, reſtitui res poſſet in melius. Quod minus habent Literæ, kariſſimi Fratres noſtri domnus R. & domnus Sy. quos ad vos miſimus, meliùs aperient.

B

EPISTOLA CCLXXX.

LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Regi Francorum dilectiſſimo Domino ſuo*, *F. Sancti Memmij Cathalaunenſis dictus Abbas ſalutem & proſperitatis euentum.* QVOD ſcribere vobis audemus magna præſumptio eſt, & veſtræ Maieſtatis indignationem non immeritò poteſt prouocare. Verumtamen, quamuis ſimus inter Clericos & amicos veſtros minimi, amor magnus eſt quo perſonam veſtram & Coronam veſtri capitis amplexamur. Non igitur ſcribentis ſtatum, ſed affectum; non perſonæ qualitatem, ſed caritatem attendatis. Ciuitas Cathalaunenſis, & tota regio adiacens, in tanta neceſſitate ſuper abſentia veſtra ſtupet & miratur, & ſicut æger expectans medicum dilationem deplorat medicinæ. Mittitis nuntios veſtros, ipſi quidem veniunt, ſed parum proficiunt, & recedentes nonnulli ſubſannatione proſequuntur. Ecce omnes clamant, vniuerſi dicunt, Vbi eſt Dominus noſter Rex? quando veniet Dominus noſter Rex? Ecce dati ſumus in deprædationem, tanquam non habentes Dominum. Quoniam igitur non eſt qui faciat bonum, non eſt qui faciat pacem, rumpite moras, & aliis negotiis veſtris dilatione ad præſens indulta, ad prædictam ciuitatem veſtram feſtinate, & ſedata tempeſtate, & rebus ad tranquillam reductis, ad negotia veſtra cum feſtinatione & gloria poteritis reuerti. Multa alia diceremus, quæ ſcripto volumus commendare, ſi nobis loquendi vobiſcum copia præſtaretur. De cetero R. latorem præſentium ſeruientem noſtrum ad vos mittimus, rogantes quatinus ſuper negotiis noſtris more ſolito, & benignitate conſueta, amore Dei & noſtri eum exaudiatis. Valete.

C

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCLXXXI. A

EXCELLENTISSIMO *Regi Francorum ac Domino* LVDOVICO, *Tciodor. Abbas vbique ſuus, ab eo ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* SÆPE apud Maieſtatem veſtram de illatis iniuriis tam à Comite Montis-Ferrandi, quàm ab eius hominibus conqueſti ſumus. Sed & nunc deſolationem noſtram nihilominus vobis notificando, & conquerendo, deſignamus. ferro & incendio omnis terra noſtra captiuatur. Sed non ob aliud eorum guerram patimur, niſi quia quæ veſtra ſunt eis in pace non relinquimus. Nos quoque maius periculum eredimus incurrere, ſi Coronam regiam diminuere patiamur, quàm ſi aduerſariorum perſecutionem vſque ad rerum omnium noſtrarum amiſſionem toleremus. Supplicamus itaque veſtræ Maieſtati, vt de eetero ſalua paee veſtra Corona regia à nullo diminuatur, & Yciodorenſem Ecelesiam, quæ ad eam ſpectat, præcipuè totis viribus defendatis.

EPISTOLA CCLXXXII.

ILLVSTRISSIMO *Francorum Regi* LVDOVICO, *Frater M. Sancti Mariani Autiſsiodorenſis Abbas ſalutem & orationes.* QVONIAM magnificentiam decet regalem pauperum Chriſti penuriam ſubleuare, idcirco interueniente domno Bernardo piæ memoriæ Clareuallenſi Abbate, placuit Serenitati veſtræ dare nobis locum quendam in foreſta quæ dicitur Orta in poteſtate Præpoſiti veſtri Senonenſis. Ibi ſororibus noſtris Deo ſeruientibus clauſtrum iuxta morem Ordinis noſtri conſtruximus. At quoniam regalis prouidentia veſtra iuxta prædictum locum Villam nouam ædificare cœpit, petente pro vobis Abbate Sanctæ Columbæ, necnon & Præpoſito Senonenſi, quibuſdámque aliis Miniſtris veſtris, de eo ipſo quod nobis dederatis, & de aliis etiam quæ ex labore noſtro ac propriis ſumptibus acquiſieramus, quantum petierunt benignè conceſſimus, Maieſtate duntaxat veſtra pro hac ipſa re nobis aliud largiente. Nunc vero Nouæ-villæ Præpoſitus aliam etiam terram, præter eam quam priùs conceſſeramus, auferre molitur. Veſtram igitur exoramus clementiam, quatinus Præpoſito Senonenſi, ceteriſque qui hoc negotium tractauerunt præcipiatis, vt ſuper terram veniant, & ablata nobis reſtituant, aut Præpoſito illius villæ ex parte veſtra præcipiant, ne quid ædificetur in terra illa, pro qua conquerimur, donec in partibus iſtis veniatis, & rei huius veritatem à veſtris hominibus cognoſcatis. B

EPISTOLA CCLXXXIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum, P. Prior Vallis Sanctæ Mariæ, & Frater Vmbertus cum ceteris Fratribus, ſalutem & orationes.* CVM omnes vniuerſaliter diligere debeamus, præcepto & exemplo illius qui pro omnibus mortuus eſt, quadam tamen neceſſitate eis videmur aſtringi, quorum beneficio in Dei ſuſtentamur ſeruitio. Anicienſis Eccleſia peroſque noſtrûm à pueritia erudiuit, omnibus plerumque ſolatia pietatis impendit, ideóque eius moleſtiis compatimur vt matris, vt nutricis. De veſtra itaque benignitate, & eiuſdem Eccleſiæ iuſtitiâ confiſi, veſtram pro ea imploramus clementiam, vt eius libertatem tueri dignemini paterna pietate, & regali vigore. Super quo eò ſecuriùs veſtram Celſitudinem imploramus, quò id ad honorem veſtræ Coronæ pertinere non dubitamus. Præterea rogamus humiliter pro dilecto patrono noſtro Caturcenſi Epiſcopo, quòd vbi Deus dederit facultatem, optatam paeem reſtituere ſatagatis. Valete, & nos pro vobis orantes dignemini diligere. C

EPISTOLA CCLXXXIV.

ILLVSTRI *& glorioſo Regi Francorum* LVDOVICO *Domino noſtro, Fr.* ST. *humilis Cluniac. Abbas ſalutem in Domino, & deuotum obſequium.* SCRIPTVM eſt, quia *honor Regis iudicium diligit.* Sanè ad honorem veſtrum & gloriam perti-

A net iudicare in iuſtitia & veritate, & in negotiis maximè Eccleſiaſticis rationem attendere, non perſonas, & in cauſa Dei Deum potiùs reuereri quàm homines. Benè audiſſe vos credimus, qualiter amicus noſter Dominus Comes Niuernenſis penè in ipſis ianuis Eccleſiæ de Caritate molitur reædificare antiquas ruinas caſtri illius, quod olim Marchia dicebatur, & nouas ibi ſtructuras erigere. Quod opus quàm damnoſum ſit illi Eccleſiæ, & quantorum incõmodorum occaſio, Serenitas veſtra facilè poteſt aduertere. Prohibeat igitur hoc fieri Dominus meus Rex, & ſi placet caueat ne Reginam cœli, quæ illius nobilis loci cuſtos & aduocatrix eſt, indè, quod Deus auertat, iratam ſentiat, vnde eam propitiam poterat promereri. Dicimus hoc propterea, quia de nutu veſtro & arbitrio pendet, illud exitiale opus ſicut poſſe permittere vt fiat, ſic poſſe omninò reſiſtere, & prohibere ne fiat.

EPISTOLA CCLXXXV.

REVERENDO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi magnifico, B. Eccleſiæ beati Martini Decanus, ab eo ſaluari qui Regibus dat ſalutem.* ECCLESIA beati Martini ſub ea tempeſtate modò titubat, vt quos fouit, quos olim locupletauit, eius ſubditi & alumni Burgenſes Caſtri-noui eius impugnent rebelles, & ingrati libertatem & dominationem, præſertim Nic. Frummaudi, qui B Præpoſiti noſtri F. fugiens & vilipendens diſtrictionem, multa ignominioſa egit ſuperbè in Eccleſiam noſtram, quæ in veſtram ſi altiùs inſpiciatis retorquentur Maieſtatem. Quod enim Frammaudus de domo quam audiſtis fecit, iuſtè fecit, & iuſſu Capituli fecit, quia Nicolaus ille contumaciter agebat. Rogamus igitur Maieſtatem veſtram, vt honorem & ius beati Martini in hac parte valde læſum, imò magis veſtrum, vt regiam decet fortitudinem, ſuſtentetis & defenſare dignemini. Valete.

EPISTOLA CCLXXXVI.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum, B. Dei patientiâ Beluacenſis Eccleſiæ Miniſter indignus ſalutem & promptum in omnibus obſequium.* DOMINVS Ingerrannus de Trie vult facere firmitatem apud Batnou, ſicut audiuimus, & multam etiam in diebus adduci & coadunari fecit materiam. Firmitas ibidem antiquitus facta fuit: ſed quoniam ad perniciem veſtræ ciuitatis conſtructa erat, pater veſter bonæ memoriæ Rex LVDOVICVS eam deſtruxit, & quòd deinceps firmitas ibi non fieret iuramento firmauit. Prætereа Papa CALIXTVS auunculus veſter illud ſub anathemate interdixit. Multi ſunt in ciuitate noſtra, qui & iuramentum patris veſtri, & ſententiam excommunicationis à Papa CALIXTO ſuper hoc promulgatam au- C dierunt. Vnde veſtram, de qua plenè confidimus, deprecamur dilectionem, vt Ingerranno & Drogoni ſocero eius præcipiatis, quòd in loco prædicto nihil ædificent, vſque dum nos & illos veſtra in præſentia ſuper hoc audiatis.

EPISTOLA CCLXXXVII.

SERENISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Regi Francorum*, IOHANNES *dictus Magalonenſis Epiſcopus ſalutem & ſeruitium.* CVM ea quæ ad honorem & dignitatem veſtram ſpectant in aliquo deperire ſentiam, non eſt mirum ſi mihi, qui Coronæ Regni veſtri fidelis eſſe debeo, multùm diſpliceat. Indè eſt quòd benignitati veſtræ ſcribere dignum duxi, pro eo quòd Berengarius de Podio Soriguerio in ſtrata publica, qua itur à Narbona Biterris, noua pedagia accepit, nec indè vult ſtare iuſtitiæ Ermengardæ Vicecomitiſſæ Narbonenſis, in cuius terra hoc facit. Cúmque ſuper hoc Literæ veſtræ ei porrectæ fuiſſent, me videntе, & Domino Abbate Sancti Ægidij, necnon & Domino Biterrenſi Epiſcopo, & multis aliis, eas nec ſuſcipere nec audire voluit. Immò, quod ſine lachrymis & mœrore dicere nequeo, ſigillum regium cum Literis turpiter & inhoneſtè in terra proiecit. Quæ omnia in iniuriam Regni redundare videntur. Vnde Maieſtati veſtræ ſupplicando, quantas poſſum preces porrigo: humiliter deprecan-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. do, quatinus vobis & prædictæ Viccecomitiſſæ taliter in hoc facto prouideatis, vt A ipſa ius ſuum conſequi poſſit, & prædictus Berengarius, & eius ſimiles, talia de cetero attentare non præſumant.

EPISTOLA CCLXXXVIII.

LVDOVICO *excellentiſſimo Dei gratiâ Francorum Regi Domino ſuo ſpeciali, humilis Fratrum Eccleſiæ Compendienſis Conuentus ſalutem & orationum ſuffragia.* SERENITATIS veſtræ pedibus proſtrati ſuppliciter imploramus, quatinus ad precem noſtræ humilitatis aures veſtræ pietatis inclinetis. Nos enim veſtra nouella plantatio ſumus. Et quia non omnibus placemus, latratus canum, hoc eſt apertè nobis maledicentium, & ſibilos ſerpentium, hoc eſt occultè detrahentium, ſæpiùs toleramus: tamen fidei anchoram tenentes, per hoc mundanum pelagus, vbi ſunt reptilia quorum non eſt numerus, ad portum ſalutis indeſinenter tendimus. Quapropter de veſtra confiſi bonitate humili prece depoſcimus, quatinus hoſpitalem pauperum Domum de Compendio, cuius dominium aliqua ex parte prauorum conſilio & ſuggeſtione amiſimus, tam pro Deo, quàm pro anima dilecti veſtri Domini A. Camerarij, cuius anniuerſarium proximo faciemus Sabbato, in ipſius anniuerſarij die nobis ex integro reſtituatis: vt ſi fortè malorum inſtinctu in Concilio quo illam amiſimus peccauit, ab auctore omnium Deo, veſtra B reſtitutione, & noſtræ paruitatis interceſſione, atque abſolutione illi dimittatur. Teſtis enim nobis Deus exiſtit, quoniam de ore noſtro multotiens ſubtraximus ea quæ in præfata domo poſuimus, & ad inſtaurationem eius tam in agricultura quàm aliis reditibus pro poſſe noſtro laborauimus, infirmóſque & pauperes, cùm eis deeſſent neceſſaria, & de domo habere non poſſent, de proprio noſtro ſuſtentauímus, & adhuc ſuſtentamus. Quam ergo anteceſſores noſtri Clerici, & nos in pace tenuimus, rogamus vt veſtra benignitas nobis reſtituat, tam pro prece domini Papæ, qui vobis indè Literas ſuas miſit, quàm pro remedio animæ domini A. dilecti veſtri, & maximè pro pauperum miſeria & afflictione, qui deſtructionem eiuſdem Domus, & ſui miſeriam atque inopiam aſſidua deflent querimonia & ploratione. Valeat Serenitas veſtra.

EPISTOLA CCLXXXIX.

DOMINO *ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ piiſſimo Francorum Regi, A. Tom. Eccleſiæ Prior, & vniuerſus ſimul Conuentus, quicquid in hoc ſeculo felicius, & in futuro glorioſius.* DIV eſt, quòd Eccleſia noſtra capite languido grauaminum patitur incommoda, & niſi Regia manus ſubueniat vltra non adiiciet vt reſurgat. Duobus præcipuè malis affligitur, immoderato ſcilicet debitorum grauamine, & paſtoris deſolatione. Nam nobis inconſultis diſcedens, quid acturus ſit ignora- C mus. Rogamus igitur Regiam Maieſtatem veſtram, qui poſt Deum nullum alium præter vos ſperamus ſolatium, vt ad dominum Papam pro nobis clametis, & legatis noſtris prout neceſſe fuerit ſubueniatis, Eccleſiæque veſtræ penitus deſtructæ conſilij & auxilij manum celeriùs porrigatis.

EPISTOLA CCXC.

LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum dilectiſſimo Domino ſuo, I. Sancti Memmij Cathalaunenſis dictus Abbas ſalutem & totum cordis affectum.* LITERAS veſtras G. electus Cathalaunenſis de manu noſtra ſuſcepit, quarum tenore perſpecto & perlecto conſtantiſſimè aſſeruit, quàm modis omnibus placeat ei, vt quòd poſtulatis effectui mancipetur. Sed & addidit, quòd ad eum de dandis Præbendis nihil in hoc ſtatu ſuo ſpectat, niſi quantum ad aliquem de Concanonicis ſuis. De cetero Literas veſtras primas & ſecundas Decanus Eccleſiæ Cathalaunenſis in Capitulo ſuſcepit. Quidam autem de Canonicis eiuſdem Eccleſiæ petitionibus Literarum veſtrarum benignè acceſſerunt, quidam verò more ſuo litibus & controuerſiis aſſueti, doloſè ſubterfugia quærentes quæ non expediunt prætenderunt: illud ſcilicet quòd nondum Epiſcopum habent, illud etiam aliud

A quòd nepos noſter, cui veſtra gratia Præbendam conceſſiſtis, vſque ad ætatem tantum ſeptem annorum excreuerit. Vos autem ſcitis, & oculis ſæpiſſimè vidiſtis, quoniam his, qui minoris erant ætatis in Eccleſiis Regni veſtri, ſine ætatis calumnia Præbendæ multotiens datæ ſunt. Sed & nos oculis noſtris vidimus, quòd nepoti G. Archidiaconi, cùm nondum eſſet aut ſex, aut quinque annorum, dominus Boſo Cathalaunenſis Epiſcopus aſſenſu totius Capituli Præbendam, quam adhuc habet, dedit. Rogamus igitur dilectionem veſtram, vt quod benè incœpiſtis benè perficiatis: & cùm planè & perſpicuè malitioſam Canonicorum duplicitatem intelligatis, quod veſtrum eſt, & honori veſtro expedit, prædictum nepotem noſtrum amore Dei, & noſtri, de Præbenda, quæ vacat, inueſtiri faciatis. Illud autem ſalua pace veſtra ſecurè dicimus, quoniam niſi ſine dilatione quod dicimus feceritis, & noſtrum erit dedecus, & honor veſter detrimentum pariter patietur. Vniuerſi mirantur, vniuerſi obſtupeſcunt ſuper hoc quod rogatis & ſupplicatis pro eo quod noſtrum eſt, & abſque precibus & ſupplicationibus, ſola auctoritate veſtra facere poteſtis & debetis. Non expedit iuri & potentiæ ſuæ derogate, & quod quis in manu tenet ab alio poſtulare. Reſtat igitur hoc ſolum, vt Literis veſtris Fratri veſtro domino Remenſi, excluſa omni ambiguitate, occaſione, & dilatione ſignificetis, quatinus prædictum nepotem noſtrum de prædicta Præbenda inueſtiat: cùm nec electus poſſit, nec Diaconus precibus veſtris voluerit eum inueſtire. Valete. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

B

EPISTOLA CCXCI.

REVERENDISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi illuſtriſſimo, Fr. R. pauperum S. Euurcy Aurelianenſis Miniſter humilis ſalutem.*

SERENITATEM veſtram, dulciſſime Domine, tot & tantis querimoniis fatigare non minimum pertimeſcimus. Sed quia neceſſitas vrget intolerabilis, & ex benignitate veſtra noſtrum pendet refugium, de manſuetudine veſtra præſumentes, adhuc pietati veſtræ preces porrigimus: rogantes quatinus ſolita protectionis bonitate nos & homines noſtros contra Præpoſitos veſtros, qui nos iniutioſè infeſtare non deſiſtunt, manuteneatis. De Præpoſito de Eute præcipuè in inſtanti coram Sublimitate veſtra conquerimur, qui boues cuiuſdam ſeruientis noſtri de Boëleto abſque eo quòd aliquatenus querimoniam nobis, vel alicui Fratrum noſtrorum, de eo feciſſet, violenter abſtraxit. Iubeat igitur veſtra Serenitas, vt quod iniuſtè & violenter ablatum eſt iuſtè reſtituatur. Petimus nihilominus, vt in mentem veniat quod Præpoſitis veſtris videlicet de Curciaco, de Eure, de Gaſtineis, pro nobis ſcripſiſtis, vt nullatenus homines noſtros infeſtare, vel in cauſam trahere præſumerent, antequam nobis rei cauſam monſtrarent. Placeat itaque pietati veſtræ, vt decretum & mandatum veſtrum, quod ſemel ſtatuiſtis, fixum & firmum in poſterum teneatur. Aliter tam iniurioſa infeſtatio finem non habebit, quam nos de cetero ſine graui moleſtia pati non poterimus. Valete.

C

EPISTOLA CCXCII.

DILECTO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum, G. eadem gratiâ Lingonenſis Epiſcopus quicquid ſalutis poteſt & obſequij.*

QVALITER Comes Henricus tempore prædeceſſoris noſtri erga Lingonenſem Eccleſiam ſe habuerit, omnibus qui in circuitu noſtro ſunt, ſatis notum eſt, & ad veſtram credimus audientiam perueniſſe. Adhuc verò in propoſito ſuo perſeuerans, nos & Eccleſiam noſtram inquietare non deſiſtit, terras & poſſeſſiones noſtras violenter ſibi vſurpans. Nuper enim quandam villam noſtram Geurcolis deprędatus eſt, & Raimaudum de Monſaujun; qui homo noſter ligius erat, de proprio caſamento noſtro, villa ſcilicet de Coun, recepit in hominem. Quod quàm inhoneſtum ei, & Eccleſiæ noſtræ damnoſum ſit, veſtra ſatis poteſt perpendere diſcretio. Audiuimus ſiquidem prædictum Comitem cum legatis illius perfidi Rainaudi ad vos venturum, & ne falſis ſuggeſtionibus ſuis Maieſtatem veſtram præuenirent, per præſentium latorem diſcretionem veſtram voluimus præmunite. Sciatis autem rem ita eſſe vt dicimus, & ſi aliter vobis intimauerint, tan-

Lvdovicvs VII. Ivnior.

quam perſidis & mendacibus non credaris. Præſentium laror, cui ſecurè credere A
poteſtis, negorium noſtrum pleniùs vobis exponer.

EPISTOLA CCXCIII.

LVDOVICO *illuſtri & glorioſo Francorum Regi Chriſtianiſſimo, humilis Epiſcoporum & Abbatum Conuentus apud Ciſtercium congregatus ſalutem, & deuotiſſimas orationes in Domino.* NÒVIT pleniùs humiliras noſtra de veſtra Serenitate, quanto ſtudio noſtram adiuuerit pauperratem, vt in Regno veſtro quieram acturi vitam ab inſtitutis noſtris à nullo impediremur. Eapropter tanquam excellentiſſimo Principi notificamus emendanda, quæ de nouo à quibuſdam in noſtri detrimentum Ordinis actitantur. Cùm enim ab inirio noſtri Ordinis ſtarutum ſit, & ſub excommunicatione graui prohibirum, ne quis in Domibus noſtris, vel grangiis hoſpitatus, comedat carnes, Comes Robertus frarer veſter hoc forſitan neſciens ſæpiùs agit. Vnde & Fratres noſtri turbantur, & eum offendere, & peccatum incurrere, & noſtram lædere paruitatem ſciaris. Eapropter Maieſtatem veſtram flexis genibus imploramus, vt pro amore Dei & huic ſuadere dignemini, vt à ralibus abſtinere cauſa Dei & veſtri debear: quoniam non deſunt ei honeſtiora hoſpitia, quàm apud grangias de Pruliaco, & aliarum Domorum noſtrarum. nec deber ei graue videri quod ram de leui corrigere poreſt, ne & alij eius exemplo B
ralia faciant.

EPISTOLA CCXCIV.

LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi cariſſimo Domino ſuo, G. Andegauenſis Eccleſiæ humilis Miniſter ſalutem, & cum ſincera dilectione obſequium.* PRO cerro ſciaris, me per omnia veſtrum eſſe, & ad obſequium veſtrum in omnibus quæcumque vobis placerenr ſecundum Deum pararum, quoniam iam diu eſt quòd vos toto cordis affectu cœpi diligere. Cererùm vlrra æſtimarionem miratus ſum, quòd vt audiui quibuſdam Monachis de Burgolio, immò de inimicis, qui conrra dominum Abbarem ſuum controuerſari nitunrur; vos qui Chriſti Domini eſtis, & totius religionis honor & ſpeculum, aſſenſum veſtrum præbuiſſe dicimini. Neſcio verò ſi cuius opinionis Abbas ſit ignoratis, cùm manifeſtum ſit non ſolùm nobis, ſed omnibus viris honeſtis & religioſis, in quanta miſeria Eccleſia Burgolienſis permanebar anrequam A. Abbas diſpenſaror eius à Deo deſtinarerur. Nam retroactis temporibus per diſcordiam Monachorum & Abbatum domus eorum vaſtaræ eranr, rerræ incultæ, homines eorum oppreſſi, Eccleſia diſcooperta, & amiſſis ornamenris ſuis per fœnerarorum grauamina, flebilis & mœſta iacebar. Nunc verò per A. Abbatem omnia reſtaurara ſunr & reſtitura, nec vnquam, vr ab omnibus dicitur, ſe meliùs habuir Eccleſia. Namque ipſe vir iuſtus & prudens eſt, vr credimus, & bonus ædificaror ad opus Dei, & in magna religione & carirare modò ſe habet Eccleſia. Indè verò eſt quòd Sublimiratem C
veſtram arrentiùs exoro & obſecro, vr ſi illi falſi Frarres aur alij Abbarem deinceps lædere remprauerint, non eos audiaris: ſed poriùs eos à vobis penirus excludatis, ne forrè parricipes peccatorum ſuorum, quod abſir, efficiamini. Nam religio Abbaris caritas, & abſtinentia, & carnis ſuæ macerario, & cerera bona, quæ de illo dicuntur, tam à populo Dei, quàm ab honeſtis viris torius rerræ noſtræ, laudatur, & exrollirur. Valere.

EPISTOLA CCXCV.

ILLVSTRISSIMO *Domino noſtro* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum, Fr.* ST. *humilis Cluniacenſis Abbas, gloria & honore in perpetuum coronari.* NON meum meritum, ſed innara vobis liberalitas & graria, quam in oculis veſtris me inueniſſe glorior, hanc mihi fiduciam conferunt, vr in meis & Eccleſiæ Cluniacenſis neceſſitaribus, quæ profectò eædem ſunr, ad vos ranquam ad ſingulare confugium ſecuriùs recurram. Indè eſt quòd latorem præſenrium ad veſtram clemenriam pro inſtanribus negotiis deſtinaui, rogans & ſupplicans, quarinus benignum & efficacem in ſuis, immò veſtris peritionibus, ei præbeatis auditum.

A

EPISTOLA CCXCVI.

CARISSIMO *& ſpeciali Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum, Capituli Claromontenſis Conuentus ſalutem & fidele obſequium.* ECCLESIÆ Briuatenſis, quæ loci affinitate & vnanimi dilectione noſtræ Eccleſiæ coniuncta eſt, damna compatimur. Ideóque maximè condolemus, quòd à ſuis domeſticis ſuſtinet detrimenta. Præpoſitus enim & Abbas illius Eccleſiæ ſubdola conſpiratione aduerſus Decanum inſurrexerunt, & vt conceptam nequitiam faciliùs poſſent explere, Aruernorum Comites ſui ſceleris ſocios coniunxerunt. Congregata autem iniquorum maxima multitudine, tamdiu domum præfati Decani expugnauerunt, donec eam vi capientes diruerent. Nihil illi veſtræ Maieſtatis proclamatio profuit, nec Legatorum veſtrorum præſentia. Hæc autem ſuper tanto exceſſu præcipua dicitur eſſe cauſa, quòd ſæpedictus Decanus ſe pro Eccleſia Claromontenſi murum oppoſuit, & auxilium, & defenſionem maximam nobis contulit. Obnixè igitur Maieſtatem deprecamur, ne tantum ſcelus impunitum relinquere velitis, quatinus Regiæ Maieſtati honor accreſcat, & deinceps ſceleratorum comprimatur audacia.

B

EPISTOLA CCXCVII.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ ſereniſſimo Regi Francorum, Claromontenſis Capituli Conuentus ſalutem & deuotam fidelitatem.* IN veſtræ Serenitatis & pietatis luce oculos noſtros ex toto defiximus, quoniam poſt Deum ibi miſericordiam & iuſtitiam inuenimus. Sed hoſtis antiquus per ſuæ nequitiæ miniſtros, verſutiæ fraudibus Eccleſiam Claromontenſen inquietare minimè deſiſtit. Hinc eſt, quòd domino S. Pantifici noſtro Literas Maieſtatis veſtræ oſtendimus, & de ſuſcipiendo VVillelmi Comitis Palatio viua voce admonuimus. Sed ecce, dum ſuſcipiendi tempus diſtulit, prædicti Comitis vxor Palatium ingreſſa milites & clientelam ſuam ibidem introduxit. Iam ſub ſpecie habitationis & commorandi inimicos familiares, & ad nocendum promptiſſimos habemus. Iam ex parte Regis Anglorum nobis in aperto minantur, ruinam ciuitatis & Eccleſiæ verbis amariſſimis ſignificantes. Iam quod regiæ dignitatis & de fiſco Regis Francorum eſt, Regis Anglorum feudum eſſe impudenter aſſerunt, aduentum veſtrum & protectionem veſtram nobis improperantes. Supplicamus igitur reuerendæ Maieſtati veſtræ, & omnixè rogamus, quatinus ſuper his nobis conſulere dignemini.

EPISTOLA CCXCVIII.

C

GLORIOSO *Regi Francorum* LVDOVICO *Domino noſtro cariſſimo, Fr.* ST. *humilis Cluniacenſis Abbas æternæ vitæ adipiſci immarceſſibilem gloriam & coronam.* SVMMVS ille rerum diſpenſator, cuius æternitati nihil aut præteritum, aut præſens, aut futurum eſt, cuius abyſſus iudiciorum incomprehenſibilis, ad hoc & Eccleſiam Cluniacenſem & ceteras, quæ in Regno veſtro magnæ hactenus & religionis & nominis fuerunt, conſtituit, non vt beatitudini ſuæ, quæ plena & ſumma eſt, aliquid ad perfectionis accederet cumulum, cùm ſolus ipſe præter creaturam omnem, quam condidit, ſufficiens ſibi ſit in gloria ſua: ſed vt per illas acceſſum nobis faceret ad ſe, & quicquid in illas beneficiorum effunderetis, ad centuplicatum vobis lucrum accederet, qui quanto nexibus ſeculi impliciti tenemini, tantò amplius explicari, & ad liberas euadere opus habetis. Et quoniam quicquid in hoc mundo radices altiùs fixiſſe videtur, citiùs multotiens euaneſcit, altiori proculdubio & ſalubriori Creatoris noſtri conſilio, qui ne temporalibes innitamur, vtque ſpem noſtram figamus alibi, quæque viſibilia, & illa etiam quæ magna in conſpectu hominum videntur, collabi in ſe ipſis conſtituit. Non mirum ſi Cluniacenſis quoque Eccleſia tum peccatis noſtris exigentibus, tum malitia temporum faciente, à ſtatu illo quo fuerat longè alia nunc apparet. Benè ſanè in tanto rerum diſcrimine ſibi contigiſſe gloriatur, quòd bonum Regem, & qui propter ſublimitatis terrenæ faſtum hominem ſe eſſe meminit, habere digna ha-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. bita eſt. Vnde ſecurè eadem Eccleſia per dominum Priorem, & domnum Sym. A de Smaanta, & ſe vobis exponit, & ſuas pietati veſtræ porrigit preces. Intendite igitur ſuper eam, & miſeremini eius, & audite preces illius in ipſis: quoniam etſi non plenè ſufficiens eſt ad reſpondendum beneficiis veſtris temporaliter, eſt tamen ſpiritualiter. Habet enim cui dicat, Benè reſponde pro me. Miſeremini igitur noſtri, ſi placet, & quicquid ad horum petitionem nobis contuleritis, ſciatis & nos, & Eccleſiam vobis obligari, donec ſoluatur in integrum.

EPISTOLA CCXCIX.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ glorioſiſſimo Regi Francorum, vniuerſus Lugdunenſis Eccleſiæ Conuentus humilis ſalutem, & debitæ ſubiectionis deuotum obſequium.* NOVERIT Sublimitatis veſtræ diſcretio, quòd paſtorali ſollicitudine deſtituta Lugdunenſis Eccleſia conuocatis Suffraganeis ſuis & aliis religioſis perſonis, ſancti Spiritus inuocata gratia, pari voto & communi omnium conſenſu, dominum Drogonem eiuſdem Eccleſiæ Archidiaconum in Paſtorem ſibi elegit & Dominum, Romanæ Eccleſiæ deuotum filium. Cuius electionem ratam faciens ſummus Pontifex ſcripti ſui munimine roborauit. Eius induſtria pro pace Eccleſiæ noſtræ plurimùm deſudauit, plurimùm profuit. Accenſi verò prauitatis odiis quidam ex Fratribus noſtris, qui ſenario clauduntur numero, quos tanquam filios vterinos Lugdunenſis Eccleſia tenerè dilexit & fouit, conſpirantes in vnum coniurauerunt aduerſus Dominum & Electum ſuum: in tantam prorumpentes inſaniam, vt nobis inconſultis, immò penitùs ignorantibus, extra ſedem propriam ad alterius electionem, contra ſacros Canones & vniuerſalis Eccleſiæ conſuetudinem conuolarent. Præſertim altero præſidente, quem nec reatus ſui confeſſio propria deiecit, nec Ordo iudiciarius legitimè conuictum condemnauit, nec tam Catholicæ electioni ſicut falsò aſſeuerant reſignauit. Eapropter Excellentiæ veſtræ pedibus prouoluti Maieſtatem veſtram humiliùs exoramus, quatinus honoris & ſeruitij vobis per partes noſtras iter dirigentibus, à nobis in eadem voluntate perſeuerantibus exhibiti, non immemores, diutinis Eccleſiæ noſtræ laboribus miſericorditer compatiendo, ipſam à conſpiratoribus huiuſmodi inquietari non permittatis, & honorem ipſius illibatum conſeruare dignemini. Conſeruet vos Dominus ſanum & incolumem, Chriſtianiſſime Princeps. B

EPISTOLA CCC.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi glorioſiſſimo, D. Lugdunenſis dictus Electus, ſalutem & fidele ſeruitium.* PARI voto & communi conſenſu tam Cleri quàm populi, non ambitioſè, licèt indigni, in Lugdunenſi Eccleſia electi fuimus. Sed quid ex poſt facto contigerit, vnde cedere debeamus, nullis rationibus iuris comprehendere valemus. Nos namque neque conuictos, neque confeſſos, neque electionis reſignatores, aliquorum falſis perſuaſionibus, iuſtiſſime Rex, credatis. Abbas autem quondam Pontiniacenſis ad vocationem quorumdam conſpiratorum, qui hoſtibus publicis & manifeſtis Eccleſiæ noſtræ adhæſerant, qui ſex numero tantùm comprehenduntur, ſupplantationibus ſuis ſe fecit execrari. Clementiam itaque veſtram, benigniſſime Rex, flexis genibus exoramus, vt hoc tam enormi facto iuri noſtro non derogetis. Nos enim ſeruitio & honori veſtro paratos ſemper inuenietis. Conſeruet vos Deus ſanum & incolumem, Chriſtianiſſime Princeps. C

EPISTOLA CCCI.

ILLVSTRISSIMO *atque piiſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum, humilis ac deuotus ſibi Sancti Martini Plenipedenſis Cœnobij Conuentus, ab eo ſaluari qui vniuerſos bonæ voluntatis prouehit in ſalutem.* DIVINA diſpoſitio ad hoc in ſede iuſtitiæ regiam erexit poteſtatem, vt pia moderatione ſubditis prouideat, & Eccleſiarum perturbatoribus omnimò reſiſtat. Quod quidem pietatis noſtræ deuotio ſemper aſſequi ſtuduit, ſicut & fama loquitur, & actio teſtatur. Ideo maiore

A iore quadam fiducia clementiæ veſtræ pedibus aduoluti, lachrymis & precibus poſtulamus, quatinus Eccleſiæ Plenipodienſi (quæ veſtra eſt) pacem, & rerum ſuarum incolumitatem ſeruari integram iubeatis. Ecce etenim peruerſæ mentis homines, & iuſtitiæ perturbatores, contra tenorem Regij Priuilegij minuere vel auferre nituntur conſuetudines & res quas regia prædeceſſorum veſtrorum munificentia, & ipſa veſtra liberalitas eidem Eccleſiæ noſtræ contulit. Sicut enim maximè prædeceſſorum veſtrorum, & veſtris beneficiis inſtituitur, ita protectioni ac defenſioni veſtræ potiùs innititur. LVDOVICI VII. IVNIORIS

EPISTOLA CCCII.

LVDOVICO *Dei gratiâ piiſſimo Regi Francorum, G. Scala Dei, & alij Abbates F. Vaſconiæ, regnare feliciter in Chriſto & hic, & in futuro.* VESTRAM Excellentiam ſcire volumus, poſtulantes etiam à vobis gratias referri hominibus Toloſæ, quoniam per veſtrum mandatum omni diligentia ſolliciti fuerunt inueſtigare, qualiter nobis reſtitui poſſet olim ablata pecunia, pro qua ſemel & iterum iampridem ſcripſeratis eis ad noſtram ſimul & Capituli Ciſtercij petitionem. Per eorum namque operam tentus in cauſa, & multimoda ratione conuictus R. Tercag reſtitutionis iudicio in eum cadente, pro pecunia nobis iure ſoluenda dedit obſidem militem quemdam in manibus B. Vicarij, ſimul & Capituli Toloſæ. Qui
B diu in vinculis apud B. moratus, tandem ſine noſtro, & vt aiunt, ſine Capituli conſilio aliter abire dimiſſus eſt, nulla nobis facta reſtitutione. Vnde nos quaſſo labore, fatigatis amicis, multiſque factis expenſis, in priorem peiore decidimus errorem, pro reſtitutione nuſquam reſponſum inuenientes: longè facti per eos ab adepta iuſtitia, per quos veſtro rogatu nos eam adeptos fuiſſe gauiſi fruſtra fueramus. Sed quoniam nobis in nullo alio ſpes ſupereſt reſtitutionis, ad veſtram beniuolentiam multis precibus ſupplicantes recurrimus, vt per eam quam Ordini ſemper exhibuiſtis dilectionem, bonam indè vobis apud Deum theſaurizantes mercedem, adhuc ſemel ſcribere pro huiuſmodi reſtitutione non grauemini, miſſo vno quolibet de pueris veſtris hominibus Toloſæ, ſimul & ſorori veſtræ, qui eis ſcripto & viua voce altiùs oſtendant de veſtra voluntate. Certum eſt enim nobis, quoniam ſi fortè pro hac re quaſi commotum veſtrum intellexerint animum, & nos ita omninò eſſe curæ vobis, ſtatim omne diuortium fiet manifeſtum, & ita abſque cauſæ retractatione reſtitui nobis omnia per veſtram operam arbitramur. Valete. Saluum & incolumem vos ſeruet Omnipotens omni tempore.

EPISTOLA CCCIII.

ILLVSTRISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum,*
C *Fr. St. humilis Cluniacenſis Abbas, in illo qui dat ſalutem Regibus veſtram & perpetuam ſalutem.* EPISCOPVS Matiſconenſis dignum eſt vt in conſpectu Serenitatis veſtræ, cuius honor iudicium diligit, gratiam inueniat, tum quoniam Eccleſia ſua eum vobis affectuosè commendauit, tum quoniam honeſtas eius & prudentia honori ad quem aſſumptus eſt optimè & conuenire & reſpondere videntur. Quòd autem Maieſtatem veſtram nec dum adiit, nec ipſa paupertas quæ ad excuſationem eius ſatis per ſe poſſet ſufficere, nec aliud aliquid in cauſa eſt, niſi hoc tantum quòd tota terra noſtra perditæ mentis hominibus tanquam pro voto libera in alterutrum data poteſtate ſæuiendi, varia & multiplici ſæuit tempeſtate bellorum, & non ſine ingenti periculo eſt in turbine tanto alicui ſenſato domum ſuam relinquere. De pietatis igitur regiæ liberalitate procedet, has omnes importunitates benignè conſiderare, & ſuſtinere aduentum ipſius, donec eatur ad Concilium: vt vno itinere vtrumque negotium, Dei & veſtra gratia opitulante, implere ſufficiat. Si coram Domino meo loquor audaciùs quàm debeam, veſtræ id potiùs indulgentiæ, quæ tantam mihi ante conſpectum ſuum fiduciam contulit, quàm arrogantiæ meæ aſcribi dignum eſt. Et quamuis in precibus exceſſerim modum, ſi tamen exceſſi; dabit audaciæ veniam pietas.

LVDOVICI VII. IVNIOR. A

EPISTOLA CCCIV.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Regi Francorum, A. Nemauſenſis Eccleſiæ ſeruus fideliter ei ſeruire, cui ſeruire regnare eſt.* PLACVIT Excellentiæ veſtræ præcipere B. de Anduſia, & Comiti Melgorienſi, vt ab exactione noui pedatici, quod iuxta Aleſtum accipiebant, ceſſarent. Vnde B. de Anduſia, vtpote homo ſapiens & diſcretus, & per omnia veſtræ cupiens parere voluntati, prædictum pedaticum pro parte ſua ceſſare fecit, quouſque, iterúmque Comes non deſiſtebat, auctoritate nuntij veſtri illud recuperauit. Tandem verò perpendens, & contra cœleſtis Regis, & contra veſtram hoc eſſe voluntatem, antequam moreretur prorſus & in perpetuum illud dereliquit. Comes verò regium contemnens præceptum, neque tunc ceſſauit, & adhuc in eadem malitia perſeuerat. Vnde quia veſtrum eſt has & alias iniuſtitias à Regno veſtro propellere, veſtram humiliter deprecor Sublimitatem, vt ſub interminatione iræ & indignationis veſtræ ei iterum per Literas veſtras præcipiatis, vt ab hac iniuſta ſtomitate deſiſtat. R. etiam Comiti ſororio veſtro ſub debito fidelitatis & amicitiæ mandetis, vt ab hac iniquitate eum, qui nuper poteſtati & dominio eius ſe ſubdidit, ceſſare faciat, nec ei aliquando ſuper hac re auxilium vel conſilium præbeat, imò potiùs ad hoc aduerſarius & inimicus exiſtat. Domino etiam Papæ perſuadeatis, vt ſententiam excommunicationis, quæ in perſona eius poſita eſt, ſuper totam terram eius propriam vel communem extendat, itaut ibi vel vbicumque ipſe fuerit, nullum diuinum celebretur officium, & vt præcipiat Epiſcopo Mimatenſi, Magalonenſi, Vzeticenſi, & mihi, vt hanc ſententiam in Epiſcopatibus noſtris obſeruari faciamus. B

EPISTOLA CCCV.

SVO *cariſſimo & ſpeciali amico P. venerabilis viri Hug. Sueſſionenſis Epiſcopi, & illuſtris Francorum Regis Cancellarij nepoti, Her. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus & Notarius ſalutem & ſinceræ dilectionis affectum.* SICVT ad honorem & profectum veſtrum ardenti ſemper deſiderio intendere cupio, & ſollicitè laborare, ſic veſtram prudentiam ſuper his quæ volo effectui mancipari cum tota fiducia ſollicitare diſpono. Nouiter autem dilectio veſtra me circa vtilitatem & incrementum Eccleſiæ beati Iohannis Euangeliſtæ, quæ iuxta Palatium illuſtriſſimi Regis Francorum ſita eſt, ſuperni conditoris amore intendere, & vt ea quæ ibidem ad opus eiuſdem Eccleſiæ iam emi, vel quæ ego aut Fratres inibi commorantes præſtante Domino poterimus acquirere, ſub protectione atque tutela prædicti Regis integra & illibata conſiſtant, Literis meis, & quorundam Cardinalium Dominum Regem attentiſſimè flagitaui. Vt autem deſideratum apud ipſum Regem preces meæ ſortiantur effectum, veſtram diligentiam propenſiùs rogo, quatenus mei amoris intuitu venerabilem virum R. eiuſdem loci Priorem ad regiæ protectionis & confirmationis Literas faciliùs impetrandas apud auunculum veſtrum, & Dominum Regem taliter adiuuetis, vt ipſe veſtro patrocinio fretus efficaciter quod quærit ſollicitudine veſtra obtineat, & ego deuotus valeam vobis ex hoc & magis obnoxius omni tempore permanere. C

EPISTOLA CCCVI.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Francorum Regi, Fr. G. quondam Lingonenſis Epiſcopus minimum id quod poteſt in Domino.* GRATIAS ago dignationi veſtræ, quòd meæ paruitati ſcribere dignum duxiſtis. Quod enim domino Remenſi fratri veſtro & nobis in præſentia veſtra conſtitutis vos domino Papæ ſignificaturum per Literas dixiſtis, non ſufficit, maximè quia veſtra me vt indè loquerer ſuſcitauit per Literas dignatio, ſi recolitis, & confirmauit verbo: promittens non deeſſe veſtrum mihi conſilium & auxilium,

A cùm ad hoc inciperem aperire os meum. Sic autem ad hoc veſtra me Excellentia induxit. Decet igitur magnificentiam veſtram, vt de hac re apertiùs ſolito domino Papæ ſcribatis, ſicut ſciris verbum hoc iam per Franciam haberi, & per multorum ora ad contemptum Eccleſiæ Dei & Ordinis ignominioſè diuulgari. Securè autem poteſtis ſcribere, quia Abbates nobis dixerunt Literas veſtras priores domino Papæ non fuiſſe monſtratas.

EPISTOLA CCCVII.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, Venerabilibus terra noſtra Archiepiſcopis, & Epiſcopis, Abbatibus, & Clericis totius Regni, ſalutem & gratiam veſtram.* ECCLESIA Sanctæ Mariæ Siluanectenſis nimia corruens antiquitate innouatur à fundamentis, & vſque adeò inſigne incœperunt opus, quòd ſine caritate fidelium Chriſti & eleemoſynis nunquam poterit conſummari. Etenim tenuiſſimæ eſt ſubſtantiæ Eccleſia, & anguſtis artata finibus, & ob hoc neceſſe habet ad veſtra confugere ſubſidia. Vnde mandamus vobis omnibus atque precamur, vt pro honore Dei, & beatæ Virginis, cuius eſt Eccleſia, portitores præſentium cum ſanctuario & reliquiis Eccleſiæ euntes, & fideliter laborantes, honorificè ſuſcipiatis, & in Eccleſiis parrochialibus recipi cum Literis noſtris ſigil-
B latis, & à Preſbyteris veſtris honorati præcipiatis. Data per manum Hugonis Cancellarij.

EPISTOLA CCCVIII.

GLORIOSISSIMO *ac Chriſtianiſſimo Regi Francorum Dei gratiâ* LVDOVICO, *P. Caſades humilis Abbas, & totus eiuſdem Eccleſiæ Conuentus, Regi Regum placere, & in æternum cum illo regnare.* DE ineffabili affectione cordis, quam erga perſonam noſtram ſpecialiter, & erga res ad ius beati Rotberti pertinentes, vos ſemper tam verbo quàm opere demonſtraſtis, & ſine intermiſſione demonſtratis habere, Deo & vobis grates quantas poſſumus referimus. Hoc autem notum vobis facimus, quia in Sacrificiis, Pſalmis, Canticis, Hymnis ſpiritualibus, quæ inceſſanter Deo offerimus, veſtri ſemper memoriam agimus. Duplex eſt etenim ratio, tum quia Dominus, tum quia Frater eſtis, qua ad hæc agenda vobis tenemur. Eadem duplici ratione ſi placet & vos tenemini, vt nobis tanquam Dominus prouideatis, & tanquam Fratribus in tribulationibus compatiamini. Eapropter nos & totus Conuentus Eccleſiæ noſtræ vobis tanquam Domino ſupplicamus, & tanquam Fratrem exhortamur, vt de noua, & in Regno veſtro hactenus noſtris inaudita temporibus nequitia, quam Dalmatius Freſcher circa quemdam Fratrem noſtrum non vobis vt credimus ignotum Betnardum, qui
C Prior fuit de Cepei, ipſum in vinculis & in carcere detrudendo, operatus eſt, nobis, vt veſtram decet Maieſtatem, iuſtitiam faciatis, & Raimundo Comiti Sancti Ægidij, quatinus prædictum Monachum liberet, & ſibi cuncta ablata reſtituere faciat, ſcribatis. Ad hoc enim à Deo Princeps conſtitutus eſtis, vt veſtro metu humana cohercea tur audacia, & nocendi facultas.

EPISTOLA CCCIX.

EXCELLENTISSIMO *& venerabili Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, Claromontenſis Eccleſiæ totus Canonicorum Conuentus ſalutem, & vsque vitæ ſoſpitatem.* INSPIRANTE diuina gratia Regiæ Maieſtatis curam cum maxima diſcretione ſuper Claromontenſem Eccleſiam vos præbuiſſe conſulendo & auxiliando nouimus, atque ab inimicorum manibus & à perſecutorum rabie fere eripuiſſe. Vnde genibus flexis maximas grates ſupplicando referimus. Detrimento autem regiæ Coronæ in Aruernia propter Comitum periuria, ærumniſque veſtræ Eccleſiæ nobis imminentibus, quemadmodum filius ad patrem, lapſus ad ſubleuatorem meritò concurrimus. Noſcat igitur tantæ ſublimitatis, tantæque nobilitatis perſona, Comites Aruerniæ per manum veſtrorum, Regiſque

LVDOVICVS VII IVNIOR.

Angliæ multum iuraſſe, nunquam ſe ampliùs pedagium accipere, qui teuera craſtina die poſt ſacramentum, nondum nuntiis veſtris Regíſque Angliæ ab Aruernia tecedentibus, ambo Comites dupliciter quàm leuare ſolebant à pedagio leuauetunt. A Cùm verò quidam viator eadem die extimans tam veſtri ſecuritate, quàm Comitum iureiurando pet viam ſecurè tranſire pedagium denegaret, nec citò perſoluere vellet, muruis vulneribus ſæuientes VVillelmi maioris natu Comiris atque filij eins R. ipſum hominem ad mortem vulnerauerunt, necnon, vt aiunt, ipſemet inrerfuit. Præterea cùm R. Comes à ptæſentia nuntiorum veſtrorum, & à ſacramenro ſe ſubduceret, ne quod eius parer iurauerat iuraret, VV. Comes iterum infra quindecim dies filium ſum R. illud idem quod ipſe iurauerar fote iuraturum iurauit, nec ad diem ſibi, nec poſt diem ſibi aſſignatum iurare fecit. Vnde, iuſtiſſime Rex, clementiam veſtram humiliter imploramus, quarinus ſuper hoc, ſupérque alias Eccleſiæ noſtræ querimonias, quoniam ducentas libras ille malignus Comes, quas ſub treugis veſtris nobis abſtulit, nec perſoluit, nec terram Eccleſiæ dimiſit, nec munitionem ſuper Claromontem nouam dirui fecit, nec multas alias querelas adaptauit, iuſtitiæ manum regaliter extendere non dedignemini. Quod ſi non feceritis, dominium veſtrum in Aruernia amiſeritis, atque Eccleſiam veſtram Claromontenſem, quam vos parérque veſter à Comirum tyrannide liberaſtis, ſub ſeruitutis iugo redigere non ceſſabunt.

EPISTOLA CCCX. B

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, G. Cathalaunenſis Electus, & G. de Iunuilla frater eius, ſalutem & ſinceræ dulcedinis obſequium.* SVPER libera, imò piiſſima voluntate, quam Dei amore, & ſolo pietatis intuitu, nobis & negotio noſtro geritis, Regiæ Maieſtati veſtræ grarias agimus. Poſtquam verò, mi Domine, à vobis nouiſſimè receſſimus, de domino noſtro Remenſi fratre veſtro, quòd vt vobis in proximo loqueretur, iter arripuetar, acc epimus. Pietati itaque veſtræ supplieanres humiliter depoſcimus, vt quod de eius voluntate & conſilio circa negotium noſtrum, quod veſtrum eſt, accepiſtis; de die etiam, quam nobis dediſtis, ſi immora permaneat, ſi vobis placet, nobis ſignificare dignemini. Nos verò bonæ voluntati veſtræ per omnia & in omnibus obedire parati ſumus. Valete.

EPISTOLA CCCXI.

REVERENDISSIMO *Domino ſuo & Patri* LVDOVICO *ſummo Regi, A. Mimatenſis Eccleſiæ qualiſcumque Miniſter ſalutem & debitam reuerentiam cum humilitate.* INTER Eccleſiam Anicienſem, & Vicecomitem de Polonnac pax facta eſt. Pax vero illa non eſt pax, imò exemplum pernitioſum, & Eccleſiæ Dei C commune periculum. Epiſcopus Anicienſis, vt dignum erat & iuſtum, Vicecomitem excommunicauerat pro pedarico & rapina, quam iniuſtè in ſtrata publica capiebat. Nunc verò Eccleſia Anicienſis & Vicecomes in vnum conuenerunt, & ralirer vmbra pacis facta eſt inrer illos, vt pedaticum & rapina inter eos diuidatur, & Eccleſia ſit particeps rapinæ pro qua Vicecomitem excommunicauerat: & lucri cauſa cæcata laudat in ſe quod in Vicecomite damnauerat. Sic factum eſt, & diſpoſuerunt ad vos mittere nunrios, vt hoc factum confirmetis. Cùm ipſi aut negligant, aut ignorent legem, diſpoſuerunt temptare vt defenſor legis deſtruat legem. Confundere volunt ordinem: volunt enim vt malum ſit bonum, & bonum ſit malum. Volunt vt Templum matris Dei, quæ debet eſſe aſylum miſerorum, ſit ſpelunca latronum. Qui ſunt conſtituti flere pro populo, & peccata populi comedunt, de lachrymis populi gaudere diſpoſuerunt, & de rapina volunt replere ſua marſupia. Super his iudicet Dominus Rex, & videat quoniam cogitationes eorum vanæ ſunt. Valeat Dominus meus, & viuat, & bona tempora habeat, & memor ſit ſerui ſui.

A

EPISTOLA CCCXII.

AMANTISSIMO *in Chriſto Patri & Domino* ALEXANDRO *Dei gratiâ ſummo Pontifici, Aurelianenſes Canonici debitam reuerentiam cum ſincera obedientia.*

COMMVNIS Pater, quem conſtituit Dominus ſuper familiam ſuam, quem fecit Principem populi ſui Rex regum & Dominus dominantium, vt prouideat ſubditis in miſericordia, & miſerationibus, à grauamine filiorum non debet intuitum paternæ pietatis amittere. Seruorum iniuria redundat in Dominum; nec Patrem diligit qui perſequitur filios. Apoſtolatus veſtri nos & ſeruos & filios conſtituit ſumma Diuinitas, & inter labores & preſſuras ſub vmbra alarum veſtrarum viuimus inter gentes, & ab vberibus conſolationis veſtræ refoueri deſideramus, & refici. Et ſicut onus graue grauatæ ſunt ſuper nos Aurelianenſis Epiſcopi manus, nec eſt reſpirandi locus, niſi computreſcat iugum à facie olei, & de ſede miſericordiæ ſcintilla veritatis exurgat, quæ inſultantis inimici conſumat inſaniam in ſpiritu iudicij, & ſpiritu ardoris. Odit perſonam veſtram, cauſæ veſtræ inſultat, legatos veſtros perſequitur, ſuper fideles veſtros frendet dentibus, & tabeſcit; minis, damnis, iniuriis, quos poteſt afficit per ſe; quos non poteſt, pretio conducta poteſtate ducit in exterminium, & in omnibus his non auerſus furor eius, ſed
B adhuc manus eius extenta, nec ſuum credit ad victoriam perueniſſe iudicium, niſi vna pariter eum filiis complicet in ruina. Superbia eſt quæ trahit eum & malitia, nec ſumptus habet ad perficiendum, quia poteſtatis fauorem non habet, niſi quantum muneribus aut pollicitationibus adquiſiuit: & facilè tranſit gratia, quam non affectus, ſed munera pepererunt. Appellauimus ad præſentiam veſtram, nec prodeſt nobis Apoſtolicæ Sedis reuerentia. Omnia diſponit ad libitum; & ſi quos patitur ſuæ voluntatis aduerſarios, indignatur & maledicit quàm malè. Licere ſibi exiſtimans quicquid libet, nec officium Pontificis exercens, ſed tyranni. Diſtribuit honores immeritis, ab Eccleſia remouet innocentes. Præbendas dimidiat contra morem, qui dies & actus ſuos dimidiare debuerat, & mala præterita recogitare in amaritudine animæ ſuæ. quorum triſtis inſania totam ferè Galliam infecit, & faciem deuenuſtauit Eccleſiæ. Iam enim & per eum & propter eum famoſa illa nobilis Aurelianenſis Eccleſia, honeſtatis ſedes, ſcientiæ domicilium, iuſtitiæ locus, atrium diſciplinæ, facta eſt ſpelunca latronum, & infra Simonis Petri retia non cohærens, Simonem Magum vlnis ambitionis amplectitur, & à tramite veritatis per vanitatis miniſtrum publicè in contrarium retrocedit, & efficitur tanquam panis ſubcinericius qui non reuerſatur. Prouideat igitur, beatiſſime Pater, laboranti Eccleſiæ veſtra dignatio, prouideat & nobis, qui pro appellatione ad vos facta, qui pro fidelitate vobis & veſtris exhibita, damnum ſuſtinemus & exilium: & ſic oculis prouidentiæ veſtræ iudicium præparet ad ruinam, vt poteſtas impio
C minuatur, qui Sedis Apoſtolicæ poteſtatem quantum in ſe eſt minuere non veretur, & Apoſtolatus veſtri diſpoſitionibus obuiare. Formido venerando inimica eſt propoſito, & dubia tempora iuſtitiæ certitudinem euacuare non debent. Sed agendum eſt modis omnibus vt ſanctificetur gladius Petri in beſtia tam crudeli. Euaginetur in zelo mucro Domini, qui veritate limatus eſt vt fulgeat; iudicio exacutus, vt victimas cædat. Si meretur ſterilitas abici, quomodo in agro Dei noxij germinis ſubſiſtet iniqua plantatio? Apertæ ſunt catharactæ cœli, vt credimus, & de cœleſtibus ſtillat indignatio, & Apoſtolicæ manus fortitudinem induantur, vt denudetur iniquitatis fundamentum vſque ad collum, & finem iniquitas ſortiatur, quem in die ſuæ promotionis ſermo diuinus ei prognoſtica ſignificatione propoſuit. Aperto enim, ſicut moris eſt, ſuper eum Euangeliorum libro, ſermo qui primus occurrit ſic erat: *Adoleſcens autem relicta ſindone, nudus profugit ab eis.* Memini ego Letoldus cùm eſſem apud vos quiddam dixiſſe ridiculè, quod ad rem pertinet, & finem bonæ conſummationis expectat pro veſtræ miniſterio poteſtatis, quod tale eſt. Vir bone, Rollande, vir prudens, vir venerande, ... mande ſcelus hoc vlciſcere grande. Prouideat itaque veſtra pietas, & mandate præcipiendo Aurelianenſi Epiſcopo, vt quicquid poſt appellationem nobis abſtulit, ſine diminutione reſtituat: cùm parati ſimus in præſentia quorumlibet Legatorum veſtrorum aut veſtra ipſi debitam & plenariam iuſtitiam exhibere.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CCCXIII.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, Fr. R. dictus Abbas Vallis-clara, totúſque eiuſdem Eccleſiæ Conuentus ſalutem & orationes quas poſſunt.* ANTE pedes clementiæ veſtræ ſæpenumerò depoſuimus lachrymabilem querimoniam ſuper domino VViſchardo Comite de Roceio, qui quotidianis afflictionibus Eccleſiam noſtram opprimere non deſiſtit. Terras Eccleſiæ noſtræ violenter & abſque iudicio eripuit, tranſitum nobis per terram ſuam prohibet. VVionagia quæ nunquam dedimus, nec dare debemus, à nobis exigit: eleemoſynas, quas Pater eius Eccleſiæ noſtræ iampridem contulit, irritas habet. Seruientes ſui permiſſione, immò præceptione ipſius, grangias noſtras cum violentia intrant, ſeras frangunt, animalia noſtra abducunt, annonam, & ceteram ſupellectilem pro libitu ſuo aſportant: Conuerſos, & famulos noſtros ſpoliant, verberant, & vulnerant. Super his omnibus per Dominos noſtros Archiepiſcopum Remenſem & Epiſcopum Laudunenſem ſubmonitus, & commonitus eſt vt reſipiſceret, & non reſipuit: excommunicatus eſt, & contemnit. Veſtra etiam benignitas pro nobis ſeruis veſtris ter vel amplius per Literas, & per proprium nuntium veſtrum, etiam propius per vos ipſum ore ad os conuenire, & commonere eum dignata eſt: & neque ſic ſe correxit, imò deterior poſtmodum effectus eſt, adeò vt in facie nobis exprobrando diceret: Modò veniat Rex, & liberet vos de manibus meis, ſi poteſt. Dicit etiam coram omnibus, quòd neque propter vos, neque propter ipſum Deum ceſſabit, donec aut penitus nos deſtruxerimus eum, aut ipſe omninò deleuerit nos de terra. Ad Deum tamen, & ad vos, Domine, quem ſub Deo aduocatum habemus, ſunt oculi noſtri, ne pereamus: quia niſi in proximo veniat ſuper nos, & ſubueniat miſericordia veſtra, ante faciem eius ſubſiſtere non poterimus. Valeat dignationis veſtræ Excellentia. B

EPISTOLA CCCXIV.

PIISSIMO *Regi Francorum* LVDOVICO *dilecto & illuſtri Domino, P. Dei miſeratione Eccleſiæ Sancti Remigij humilis Miniſter, temporali felicitate felicitatem promereri ſempiternam.* MANDASTIS mihi palefridum, qui ad opus veſtri faceret. talem ſanè nullum habeo, ſed habere quàm citiùs potero non differam, nec diſſimulabo. Quòd ſi fortè non potero talem inuenire qui veſtra dignus gratia videatur, hoc ipſum vobis remandare, & alio genere ſeruitij recompenſare, vſque ad feſtum Sancti Andreæ ſollicitus ero. Sciatis enim, quòd ad ſeruiendum vobis maior mihi ſemper fuit, & adhuc eſt animus, quàm facultas. Miror autem quo animo acceperitis ſeruitia quæ vobis præterito anno exhibui, quippe cùm necdum reſcire potuerim, nec adhuc mihi innotuerit vos ſcire, vel gratum habere quòd vobis miſerim copiam quatuor marcarum, & Domino noſtro rhedam trium equorum occaſione veſtri ſeruitij & cauſa commodauerim, quos nunquam rehabui. Valeat Excellentia veſtra. C

EPISTOLA CCCXV.

LVDOVICO *præpotentiſſimo Domino Dei gratiâ Francorum Regi glorioſiſſimo*, GIBERTVS *Chriſti pauperum ſeruus, & Dei pietate Hoſpitalis Hieruſalem Magiſter, ſalutem cum omni Conuentu Fratrum, & ſeipſum in Chriſto.* NOTITIA noſtræ infirmitatis benè agnouit, Domine pie Rex, res & poſſeſſiones, quas peregrini ſancto deſiderio iter Hieruſalem arripientes cauſa videndi ſanctam Chriſti Reſurrectionem, ſub vmbra manus veſtræ ſaluas & illæſas conſiſtere voluerunt. Idcirco Altitudini veſtræ ſupplicamus, quatinus de quibuſdam malefactoribus, qui terram cuiuſdam probi viri, videlicet Guillelmi de Donperre, incendio eorum peruerſitate cremauerunt, ipſo Hieruſalem permanente, talem indè iuſtitiam placeat facere, quòd alius qui audierit ampliùs non præſumat conſimile. Valete.

A

EPISTOLA CCCXVI.

EXCELLENTISSIMO *Dei gratiâ Regi Francorum* LVDOVICO *Domino ſuo, B. beati Martini Turonenſis Decanus fidelis ſuus ſalutem & debitæ ſubiectionis obſequium.* QVONIAM de protectione veſtra plurimum confido, vtpote de qua tota ſpes & fiducia mea pendet, idcirco ad veſtri ſolatium præſidij, quotienſcumque mihi opus eſt, ſecuriùs & confidentiùs confugio. Noſcat igitur diſcretio veſtra, quòd Theſaurarius noſter eum parte Capituli noſtri, Clericis Cableiæ, & vniuerſo populo per legatum Capituli mittere diſpoſuerunt Literas, vt Præpoſito Cableiæ de rebus ad Præpoſituram pertinentibus nullatenus reſponderent. Sed quoniam Literæ illæ per legatum Capituli non erant dirigendæ, voluntati eorum iuſtè obuiaui. volens per meum nuntium eaſdem Literas mittere, vtpote qui hoc habeo ex feodo veſtro, & dignitate Decanatus, dare honorem Præpoſituræ; & veſtire & deueſtire Præpoſitos. Super hoc itaque cauſa mei, & ad meum dedecus, à diuino ceſſare præſumpſerunt officio. Veſtram itaque Celſitudinem exoro, vt eis per Literas veſtras ſignificetis, vt ab illa ceſſatione diſiſtant. Paratus enim ſum in veſtram deuenire præſentiam, & quod irrationabiliter ceſſauerint, rationabiliter paratus ſum oſtendere. Si verò præfatus Theſaurarius ſe vobis præ-
B ſentauerit; benignitatem veſtram imploro, vt ipſius verbis aſſenſum non præbeatis, donec à vobis die ſtatuta ego & ipſæ præſentiæ veſtræ nos offeramus: quia tunc certus ſum oſtendere, quòd magis in eum quàm in me redundanda eſt iniuria, & culpa transferenda.

EPISTOLA CCCXVII.

LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi, VV. de Bellomonte Briuatenſis Eccleſiæ Canonicus ſalutem.* CLEMENTIAM veſtram, ô bone Rex, ſcire volo, quia poſt treugas, quas apud Bituricas mihi ex parte Decani Briuatenſis, & B. de Mercorio, & S. de Pauliaco, qui eorum ſcelerum particeps eſt, dediſtis, me poſtquam à vobis diſceſſi, craſtina die poſtquam Briuatam veni, in cimiterio beatæ Mariæ S. de Pauliaco incautum & ex improuiſo cum enſe ſuo ferè vſque ad mortem vulnerauit. Vnde clementiam veſtram humiliter imploro, quatinus mihi debitam iuſtitiam ſuper tanti ſacrilegij præſumptione faciatis. Dilatet Dominus Imperium veſtrum.

EPISTOLA CCCXVIII.

LVDOVICO *illuſtri Dei gratiâ Francorum Regi, Fr. G. dictus Abbas Ciſtercij,*
C *omniſque Conuentus Epiſcoporum & Abbatum ibidem congregatorum, ſalutem cum omni precum inſtantia.* SI veſtra decorari præſentia noſtra Congregatio mereretur, ſuprema nobis inſtaret ſolemnitas. ſingulari lætitia pariter lætaremur. Sed quia nunc iſtud defuit, non paruum nobis gaudium præſtitit veſtra ſalutario, Literarúmque veſtrarum dignatio. Quippe cùm in vobis Eccleſia ſancta à Deo ſibi paratum reppererit refugium, magnum munimen, & inexpugnabile patrocinium. Hac de cauſa etſi magnum gaudium ſit in terris, incomparabiliter maius celebrari non hæſitamus in cœlis. Et nos quas poſſumus pro vobis Deo referimus gratias, qui aliis excæcatis, & in errore derelictis, lucem veritatis vobis dedit non ſolùm agnoſcere, ſed etiam diligere, amplecti, contueri. Nunc autem Serenitati veſtræ humiliter preces offerimus pro Abbatia de Curia Dei, quam pater veſter fundauit, Maieſtas veſtra benignè ſemper fouit & cuſtodiuit. In cuius ruinam dominus VV. Hoſtiarius veſter quamdam domum ædificat. Nam ſi tam prope domum Curiæ Dei Domus Religioſorum fiat, peremptio eius eſt. Quod ne fiat, veſtra ſuppliciter obſecramus in hoc prouideat ſollicitudo. Si quid verò noſtra valet exiguitas apud Deum, omninò veſtrum eſt. Et vbi veſtri memores exiſtimus, vt diuina vos pietas in bono conſeruet, prout poſſumus Domino preces offerimus. Valete.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCCXIX. A

AMANTISSIMO *Patri & Domino dignè reuerendo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi*, IOS. *Turonenſis Eccleſiæ Miniſter humilis ſeipſum, & ab eo ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* QVANTVM illuſtres veſtri progenitores & proaui magnifici Reges Francorum Eccleſiæ Dei deuoti ſempet extiterint & fideles, quanta ei commoda & deuotionis obſequia exhibuerint, nos ex multis vtilitatibus & magnis, quæ per eos prouenerunt, manifeſtè cognouimus. Nouit & hoc tota pleniùs Gallicana Eccleſia, nouerunt & omnes qui iuſtitiam colunt, & diligunt veritatem. Vos itaque progenitorum veſtrorum laudabilis imitator, & paternarum virtutum verus ſucceſſor & heres, ad eorum exemplum ſingularem & vnicam matrem Eccleſiam Dei, ex quo Regnum veſtræ commiſſum eſt Excellentiæ, gubernandum propenſiùs dilexiſtis, & in tribulationibus ſuis fideliter aſſiſtendo, nihil eſt vnquam quod à deuotione ipſius, & ſubuentione regium potuerit animum retardare. Vnde nos videremur totius humanitaris obliti, niſi veſtro & Regni veſtri honori, augmento, & promotioni eſſemus ſolliciti omni tempore digniſſimè reſpondere, & pro tam ardenti feruore caritatis, veſtræ voluntati ſemper intendere curaremus. Cùm igitur ad honorificentiam Regiæ Maieſtatis & officium ſpectet, Eccleſias & Eccleſiaſticas venerari perſonas, & peruerſis ad iniuſta erumpentibus aditum inhibere, veſtræ benignitaris clementiam, quam in hac parte feruentem inuenimus & deuotam, pro dilectiſſimo filio noſtro Am. venerabili Abbate Burgulienſi, ſecurè duximus exorandam: vt ſi quis auctor iniuriarum, & peruerſitatis executor aliquid ſiniſtrum, vel honeſtati contrarium de ipſo in auribus veſtræ Celſitudinis, quod abſit, intimare præſumpſerit, in conſpectu veſtræ Maieſtatis tanquam organum falſitatis obmuteſcat, & infra Sanctuarium pectoris veſtri ſermones detractatorum in ſeruum IESV CHRISTI nullam inueniant occaſionem malignandi. Super hoc enim Deum, qui videt in abſcondito, teſtem habemus, quia ſecundùm quod humana fragilitas nobis ſcire permittit, prænominatus filius noſter Abbas apud Deum & homines illæſæ opinionis eſt; vitæ & conuerſationis integerrimæ. Qui cùm ad huiuſmodi cogeretur oneris dignitatem, & Monaſterium in extremis ferè palpitans expiraret, bona ipſius per incuriam quorumdam alienata reuocans plurimum dilatauit, & tanquam pius Pater vtriuſque hominis hinc indè pia pabula vitæ ſubminiſtrans, iuxta beati Benedicti Regulam in ſpiritualibus ordinem reformauit. Inſuper in omnibus noſtris oportunitatibus, omni tempore feruens extitit, & deuotus. & in his quæ ad honorem veſtrum pertinere noſcuntur, eius dilectio nunquam apparuit otioſa. Valeat, & duret in longum nobis & Eccleſiæ ſuæ vita veſtra.

(B)

EPISTOLA CCCXX. C

DOMINO *ſuo cariſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum, Fr. G. Pont. dictus Abbas ſalutem & omnimodam in Chriſto proſperitatem.* VESTRÆ pietatis excellentia fiduciam nobis ingerit, qua pro benefactoribus & amicis noſtris Maieſtatem veſtram interpellare præſumimus. Hinc eſt quòd pro benefactore non ſolùm noſtro, ſed & totius Ordinis noſtri, Clarembaudo ſcilicet Cathalaunenſi, preces noſtras alia vice veſtri gratia ſuſcepiſtis, & ex parte effectui mancipaſtis. Verùm quia præfatus amicus noſter, pro cuius liberatione pietati veſtræ ſupplicauimus, nondum ex toto liberatus eſt, preces precibus addere cogimur, quatinus eum diuinæ miſerationis intuitu, & noſtræ ſupplicationis interuentu liberare dignemini. Valeat in Domino veſtra Maieſtas.

EPISTOLA CCCXXI.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum, G. Cathalaunenſis Eccleſiæ Electus, ab illo ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* SVPER beneficiis & libera voluntate, & honore quem mihi & generi meo exhibuiſtis, Sublimitati veſtræ quaſcumque poſſum gratias refero. Hoc enim ſolo pie-

A tatis & miſericordiæ veſtræ intuitu actum eſt, non ex meo, vel ex aliquo parentum meorum merito. Quid igitur retribuam pro beneficio mihi tam miſericorditer collato? Vnum eſt proculdubiò, me per omnia & in omnibus veſtrum eſſe, me & meos vobis obedire paratos indubitanter aſſero. Quia igitur ſpes & refugium meum in Dei miſericordia & veſtro conſilio eſt, pietatem veſtram attentiùs exoro, quatinus amore Dei iram Domini mei Remenſis, quam grauiter fero, apud quem etiam præ filiis hominum gratia Dei plurimùm poteſtis, mitigare noſtro in negotio dignemini. Teſtor enim Deum, apud quem non eſt locus mendacij, quòd ei ſicut & vobis, quem ſpecialiùs diligo, ſeruire & obedire per omnia deſiderio magno deſidero. Valete. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCCXXII.

LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi, VV. Briuatenſis Eccleſia Præpoſitus, & B. Abbas, & totus Conuentus, cum eo regnare cuius Regni non eſt finis.* AD aures veſtræ Regiæ Maieſtatis, ô bone Rex, multotiens peruenit, & etiam in præſentia veſtri perſæpè ventilatum eſt, quàm nequiter Decanus noſter intolerabili animi ſui nequitiâ Briuatenſem Eccleſiam, & villam quæ veſtra eſt, deſtruxit, & quomodo in præſentia veſtri promiſit apud Bituricas ſe ſtare arbitrio amicorum ſuorum & noſtrorum. quod modò prorſus ipſe recuſat. Immò Comitem
B Rutenenſem, & VV. Aruernorum Comitem, & Robertum filium eius, cum innumera multitudine militum & Baſelonum ad deſtruendam Briuatenſem villam, quæ veſtra eſt, in proximo adducere machinatur, ipſe & frater ſuus Beraldus. Vnde clementiæ veſtræ ſupplicamus, quatinus & coronam quam Beraldus de Mercorio retinet, quæ pro certo redempta eſt, & texta aurea quæ Decanus habet, nobis reddi faciatis, & prædictis Comitibus, & Beraldo de Meteorio, & Decano ſi placet mandetis, ne villam quæ veſtra eſt infeſtent, aut ſuper eam cum exercitu veniant. Nos enim parati ſumus per manum veſtram, aut per manum domini Papæ facere & accipere ab eis quicquid iuſtitia dictauerit. quod omninò Decanus recuſat. Dilatet Dominus Imperium veſtrum. Quod autem Simon cliens noſter de nobis vobis dixerit, pro vero habeatis.

EPISTOLA CCCXXIII.

VENERABILI *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum potentiſſimo, G. Autiſsiod. Eccleſia Præpoſitus, VV. Decanus, & vniuerſum Capitulum, ſalutem & deuotum ſeruitium.* NOS & maior pars Capituli noſtri ex præcepto domini Papæ ante dominum Senonenſem Archiepiſcopum conueneramus pro querelis, quas erga Niuernenſem Comitem habebamus. Interim nuntiatum eſt nobis,
C quòd ſeruientes ſui ex mandato ſuo Brebentiones ſuos in quadam parte terræ noſtræ iacere fecerunt, in qua nec ipſe, nec anteceſſores ſui iuſtitiam, nec omninò aliquid iuris habuerunt: ſed de regia pendet Corona, & ſub patrocinio veſtro ſe huc vſque tutam fuiſſe lætatur. Eapropter nobilitati veſtræ ſupplicare cogimur, vt Comiti ſcribatis, quatinus hoc emendari faciat; & totam terram, quæ vtique veſtra eſt, in tutela & defenſione veſtra accipiatis. Valete.

EPISTOLA CCCXXIV.

REVERENDO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico Regi Francorum, Senonenſis Eccleſia Miniſter humilis ſalutem & ſeruitium.* QVOTIENS importunis prauorum hominum oppreſſionibus impellimur, totiens nos recurrere neceſſe eſt ad vos Principem & Regem noſtrum, qui gladium habetis à Domino ad expugnandum inimicos Eccleſiæ Dei. Latorem præſentium pauperem Presbyterum de Sancto Germano, quem Paganus miles, & Bobertus, & Andreas Raueris, ſeruientes veſtri, Adam etiam Saſnus, modis quibuſcumque poſſunt aggrauant, eo quòd pro minuta decima excommunicati ſunt, mittimus ad miſericordiam veſtram: obſecrantes vt eum ſtare faciatis in pace in villa eadem, quoniam ei minantur de corpore ſuo, ita quòd Presbyter non audet remanere in villa: & præ-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

dam ſuam, quam violenter ei abſtulerunt, fracta domo ſua in atrio, ei reddi præ- A cipiatis. Aliter Preſbyter non auderet remanere in villa, niſi ſub cuſtodia veſtra & conductu. Et ſi aliquid cauſæ haberent in Preſbyterum, haberemus eum ad iuſtitiam ante vos, ſi vobis placeret, vel ante nos. Præterea Præpoſitus veſter de Moreto R. nuper cepit prædam Gauteri Preſbyteri noſtri de Oe, qui Decanus noſter fuit de Miliduno, pro eo quòd de quibuſdam hominibus veſtris acceperit emendationem iuſtitiæ, dum eſſet Decanus. Credo quòd non videtur Serenitati veſtræ quòd ſit iuſta cauſa, vt propter hoc deberet capi præda Preſbyteri, quoniam ante nos nullam eis defendebat iuſtitiam exhibere. Indè etiam rogamus, vt prædam reſtitui faciatis, & Preſbyter paratus eſt vel ante vos, vel ante nos iuſtitiam exhibere. Valeat Serenitas veſtra.

EPISTOLA CCCXXV.

DOMINO *ſuo reuerendo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum, B. Cathalaunenſis Eccleſiæ dictus Decanus, cum vniuerſitate Capituli ſinceram dilectionis & reuerentiæ integritatem.* DE veſtræ clementiæ magnitudine plurimùm præſumentes, Regiam Maieſtatem, quod non deceret, coacti, & variis iniuriis prouocati, ſollicitare compellimur. Et cùm calamitatum numerus, moléſque immenſa, de omnibus veſtram miſericordiam expectantes; quia tamen familiaris plus B nocet inimicus, quædam nuper illata, multóque ceteris grauiora veſtræ dignitati notificare curauimus. G. igitur iunior de Iuinuilla nepos Domini noſtri Epiſcopi, de quo nihil tale ſperauimus, qui etſi non pro Dei, vel veſtra, ſaltim pro amicorum ſuorum reuerentia & honore Eccleſiæ noſtræ deferre, imò & plus aliis eandem tueri & fouere deberet, domum Canonici noſtri violauit, hominem veſtrum vinctum & captiuum abduxit. Super hoc iuſtitiam expetimus, ſed huc vſque nil actum eſt. Ad hoc aliud appoſuit. Homines enim noſtros tam in villis noſtris, quàm alibi conſtitutos, multis infeſtat exactionibus. ita ut iam eis erga ipſum ſumma redemptionis plus quinquaginta libris conſtiterit. His & ſimilibus grauati ad vos confugimus, ſuppliciter rogantes vt Eccleſiam noſtram ſolitæ pietatis compaſſione reſpicere dignemini. Præterea pro homine & ſeruiente noſtro M. veſtræ Excellentiæ preces offerimus, qui in quantum cognouimus iniuſtè grauatus, cùm ſemper iuſtitiæ aſtare paratus fuerit: & ne falſis ſuaſionibus aduerſus ipſum veſtra commoueatur Serenitas, veritatem ab ipſo ſub probabili aſſertione cognoſcere poteritis. Valete in Domino.

EPISTOLA CCCXXVI.

EXCELLENTISSIMO *Domino* LVDOVICO *Francorum Regi, humilis Caſa Dei Conuentus a Domino perpetuam pacem.* SÆPISSIME ad aures veſtras peruenit, quantas perſecutiones à Roc. de Pollemniaco paſſi ſumus, quanta ma- G la & damna nobis intulit. Adhuc perſequi, & multo maiora, quàm ea quæ vobis relata ſunt, inferre non ceſſat. Noſtra ſolito more aufert, ingreſſum & egreſſum armata manu prohibet, & quod nequius eſt, non ſolùm membra, ſed caput noſtrum dominum Abbatem, & eos qui cum ipſo erant, aſſultare auſus eſt, & eum gladiis in fugam conuertit. in tantum vt vnum de ſociis exequitaret, & mulam ſibi auferret, & alium vſque ad mortem vulneraret. Ad tantam ergo inopiam nos deuenire coëgit, quòd panem in refectorio multotiens habere non poſſimus. Ligna ſiquidem propriis dorſibus nos deferre longè à Monaſterio noſtro ferè dimidia leuca oportet. Si omnia quæ ab ipſo patimur ſcribere vellemus, timemus ne veſtræ magnitudini faſtidium generarent. Ea verò quæ ſcriptis intimare omittimus, ore proprio præſentium latores vobis poterunt narrare. Eapropter lacrymabilibus precibus proſtrati ad pedes clementiæ veſtræ, clamamus per Deum & eius ſanctam Genitricem, vt noſtri miſereamini. Famuli quidem veſtri ſumus. Poſt Deum protectorem, defenſorem præter vos non habemus. Notum pro certo vobis ſit, quòd niſi pia prouidentia veſtra nobis ſubuenerit, neceſſe eſt nobis Monaſterium relinquere, & hoſtiatim victum adquirere. Prouideat igitur veſtra diſcretio quid nobis expediat. Credimus enim quòd firmam pacem Deo propitio nobis nunc dare valetis.

A

EPISTOLA CCCXXVII.

ILLVSTRISSIMO *Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, Fr. G. Claræuallis dictus Abbas ſuas & Fratrum ſuorum orationes in Domino.* FIDVCIAM nobis præbet experientia veſtræ benignitatis pro pauperibus vobis & indigentibus ſupplicandi. Quin etiam iniunxit nobis dominus noſter Epiſcopus Lingonenſis, vt pro præſentium latore, cuius ei tanquam prope manenti neceſſitas magis innotuit, ſupplicemus veſtræ liberalitati. Credimus etiam quòd non ingratum ſit miſericordiam diligenti pro exigenda miſeratione rogari, præſertim cùm non lateat veſtram Serenitatem, eleemoſynam omnem conferre magis præſtanti quàm accipienti.

EPISTOLA CCCXXVIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi, VV. Briuatenſis Eccleſia Præpoſitus, & B. Abbas, & totum Capitulum, & Burgenſes, cum eo regnare qui regnat in perpetuum.* MAIESTATIS veſtræ Celſitudini, ô bone Rex, iam notificauimus, & adhuc notificamus, nos voluntate & mandato veſtro iuraſſe ſuprà ſacroſanctas reliquias per manum Domini A. Cardinalis, & Domini Mimatenſis ſine
B omni exceptione, de controuerſia quæ eſt inter nos & Decanum, facere Decano & ſuis quod iuſtitia dictaret, aut prout voluntas eorum expeteret. Decanus verò ex parte ſua pro ſe & pro ſuis ſe idem nobis facturum eodem modo iurauit. Tandem cauſa controuerſiæ in præſentia illorum vtrinque ventilata & cognita, cùm nos & facere & recipere quod iuſtitia dictaret ſperauimus; Decanus ſpreto ſacramento, quod in præſentia veſtra, & in præſentia illorum duorum ſine omni retentione fecerat, Curiam domini Papæ appellauit. Poſtea verò nobis volentibus & quærentibus conſilio R. clientis veſtri, vt nobis treugas firmas per manum ipſius daret, omninò repudiauit. Imò grauiora & peiora prioribus comminatus eſt, & ita quòd homines ſui homines noſtros ceperunt, & in compedibus poſuerunt, & adhuc captos tenent, & etiam ea quæ nobis hoc anno abſtulerat, & in domo Decaniæ repoſuerat, annonam ſcilicet & vina, & alia multa, nobis cernentibus, de villa noſtra aſportat, & in caſtris ſuis recondit. Nos autem amore & timore veſtro, ſibi prohibere nolumus. Vnde clementiæ veſtræ humiliter ſupplicamus, quatinus ſuper hoc nobis conſulatis. Dilatet Dominus Imperium veſtrum.

EPISTOLA CCCXXIX.

C GLORIOSISSIMO *Francorum Regi Domino* LVDOVICO, *Fr.* ST. *humilis Cluniacenſis Abbas ſalutem in illo qui dat ſalutem Regibus.* TEMERITATI fortaſſis aſcribent illi, qui non de iudicio, ſed de ſui animi leuitate aliorum metiuntur affectus, quòd tam frequentes veſtræ Serenitati Literas dirigo. Sed ego nec aliorum iudicia timeo, nec formido ſententias, vbi ipſam, etiam ſi videbitur vobis, importunitatem meam de pietate dilectionis atque affectu deſcendere ſentio. Amor enim quod ſentit aut vix, aut nullatenus nouit diſſimulare. Et vt tam frequens, neſcio an importunus in ſcribendo vobis ſim, veſtra mihi contulit pietas. Vtrum autem quæ ſuggero bona ſint & neceſſaria vobis & Regno, veſtrum erit conſiderare. Scio, nec aliqua mihi ineſt dubietas, quin totam veſtram intentionem, totum ſtudium ſit, vt Eccleſiæ Dei, vt pauperibus Chriſti ſalus & pax integra conſeruetur. Sentiunt hoc qui propè ſunt. vtinam ſentiant & qui longe! Fallunt & falluntur, qui corporum tantùm vobis curam commiſſam putant. Commiſſa eſt & animarum. Nolumus in hac parte demulcere vos. Credite nobis, non cum ſolis Eccleſiarum Rectoribus ſummus ille omnium Rector rationem poſiturus eſt. Poſiturus eſt & cum Regibus. Conſiderate totum Regnum veſtrum quaſi quoddam integrum corpus. Quid prodeſt in eodem corpore ſic partis alterius prouideri ſaluti, quòd altera morbo depereat? Quaſdem plerumque latiùs videmus ſerpere lues, & dum minùs mala cauentur, ex inſperato ſana putridis vitiari. Non ſola Francia de Regno veſtro eſt, licèt ſibi nomen Re-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. gis ſpecialiùs retinuerit. Eſt & Burgundia veſtra. Nihil magis illi quàm iſti debetis. Illa, quoniam ſibi viciniòr eſtis, tanto maiori gaudet otio, quanto pace longiore lætatur. Hæc è conuerſo terra eſt cui maledixit Dominus, terra quæ difficile dictu vtrum ipſa potiùs habitatores ſuos, quàm à ſuis habitatoribus deuoretur. Satis hactenus in ſe colliſa erat, ſatiſque detrita. Emerſit nunc in ea quædam immaniſſima peſtis, gens potiùs beſtias repræſentans quàm homines: pauca quidem numero, ſed feritate immanis. Vix enim quadringenti ſunt. Hij de Imperio nuper egreſſi fines noſtros nemine reſiſtente peruagantur: non ſexui, non ætati, non conditioni alicui, non denique Eccleſiæ, non caſtro aut villæ parcentes. Dubitamus vtrum aſtu inimici hominis, & ingreſſus Regni, & hominum vires atque animos explorare cupientis, id factum ſit. Quid enim multitudo poterit, cùm tantum potuerit paucitas? Audiuimus ſanè ad partes iſtas vos venire propoſuiſſe. Terra, ſicut diximus, pauperrima eſt, iam deficientibus in ea à multis annis victualibus. Si mihi veſtra Celſitudo credere dignaretur, videretur ſanioris conſilij, vt aliquos de Epiſcopis & Proceribus veſtris huc præmitteretis, qui ſtatum terræ conſiderarent, qui ordinarent res, loquerentur Principibus, pacificarent patriam. Agerent cum ipſis vice veſtra, vt turbatores pacis & refugas anathematis ſubderent maledicto. Et ita diſpoſitis rebus aduentus veſter melior videretur. Hoc ſi bonum ducitis, ſi placet, fiat. Sin ſecus, non ſuccenſeatur amici conſilio, quod de pietate & dilectione proceſſit.

EPISTOLA CCCXXX.

EXCELLENTISSIMO *Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico & pacifico Francorum Regi, P. Bituricenſis Eccleſiæ humilis Miniſter, ſalutem & veræ humilitatis obſequium.* DE affectione regiæ manſuetudinis, quam domino Papæ & Cardinalibus pro Eccleſia Bituricenſi, & pro nobis, qui veſtri ſumus, exhibuiſtis, grates agimus veſtræ Celſitudini, non quidem quantas debemus, ſed quales ad præſens poſſumus. Nam ab ore ipſius domini Papæ accepimus, quòd diu Literas tam affectuoſas à vobis non acceperit, & ab ipſo nuntio noſtro, quem per gratiam veſtram benignè audiſtis, veſtram erga nos & Bituricenſem Eccleſiam cognouimus benignitatem. Vnde licèt & nos veſtri ſimus, & Eccleſia Bituricenſis veſtra ſit, & modis omnibus veſtro prompta ſeruitio; ſola tamen benignitate iſta, quam nunc oſtendiſtis, magis debitores & magis obnoxij conſtituimur veſtræ Sublimitati. Precamur autem, & humiliter ſupplicamus, vt ſi quando Senonis aliquem nuntium miſeritis, vel domino Papæ ſcripta veſtra, dum nos ibi moramur, deſtinaueritis, non ſit vobis onerosum domino Papæ iterum effundere pro nobis & pro Eccleſia veſtra, quatinus cognoſcat veſtram liberalitatem, noſtri reminiſci; vobiſque placere, ſi Bituricenſis Eccleſia ius ſuum per veſtram interceſſionem valeat adipiſci. Per inſtantiam enim precum, & iterationem ſcriptorum vobis eſſe cordi videbitur, ſi eadem Eccleſia, quæ veſtra eſt, iuris ſui & honoris integritatem conſequatur. Conſeruet vos Dominus ſanum & incolumem per tempora multa, & inimicos veſtros velociter conterat ſub pedibus veſtris.

EPISTOLA CCCXXXI.

GLORIOSISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi ſereniſſimo, M. Tuſculanus Epiſcopus, ab illo ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* CREDIMVS Excellentiam veſtram à paruitate noſtra Literas accepiſſe, in quibus ſi diligenter aſpexiſtis, quantæ deuotionis & fidei circa vos & Regnum veſtrum ſimus, perpendere potuiſtis. Statum Imperij, & quæ de propoſito Imperatoris perſenſimus, diſcretioni veſtræ per præſentia ſcripta intimare diſpoſueramus. Sed quoniam S. latorem præſentium vobis & Coronæ veſtræ fideliſſimum cognouimus, fidei eius & deuotioni ea quæ de ordinatione Imperij intendimus, vobis reuelanda commiſimus.

A

EPISTOLA CCCXXXII.

LVDOVICO *Dei gratiâ glorioſo Regi Francorum Domino ſuo, Guichardus Decanus, Rainaudus de Vergé Cantor, & totus Matiſc. Conuentus, ſalutem & ſubiectionem.* SÆPENVMERO Excellentiæ veſtræ conqueſti ſumus ſuper iniuriis, quas G. Comes nobis inferre conſueuit. Scripſiſtis ei ſuper his, & inſuper eum commonuiſtis, vt ab hac temeritate ſe compeſceret. Sed ille neque Deum, neque Regiam Maieſtatem reueritus, poſt preces veſtras mala ſemper malis addere non formidauit, & peiora minatur: ſcilicet vt breuius dicamus, villæ noſtræ interitum. Et niſi regia manus nobis ſubuenerit, nunc procul dubio cernimus aduenisſe ciuitatis noſtræ exitium. Parauit enim ingentem militiam, cui reſiſtere non valemus, vnde locum noſtrum deſtruere diſponit. Supplicamus igitur veſtræ pietati, vt eius inſolentiam comprimatis, & ab eius tyrannide nos liberare feſtinetis. Spem in alium non habemus, niſi in vos, qui totis precibus flagitamus, vt periculum noſtrum quod inſtat releuare citiùs ſatagatis.

EPISTOLA CCCXXXIII.

B DOMINO *ſuo ſereniſſimo* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi*, HV. *Decanus, & Lingonenſis Eccleſiæ Conuentus, ſalutem & debitam ſubiectionis reuerentiam.* VENIENS ad partes noſtras Abbas Sanctæ Columbæ, domino noſtro venerabili G. quondam Epiſcopo Literas attulit, quarum tenor hic erat, vt ei crederet tanquam vobis. Porrò idem Abbas pro cauſa Hugonis Brec. diem ex parte veſtra denominauit, ſcilicet Dominica qua cantatur, *Iſti ſunt dies.* Verùm perſonæ noſtræ redeuntes à Curia veſtra, nihil ſe ſuper hac die à vobis audiſſe aſſeruerunt. Cùm igitur ad præſens multis implicati ſimus negotiis, incongruum nobis videtur ad rem minus certam hoc iter arripere. Maximè verò iure nos petimus excuſatos haberi, quòd Electus noſter ex mandato Apoſtolico Sabbato ante præfatam Dominicam ab Epiſcopo Eduenſi Diaconatum eſt recepturus. Cùm igitur abſque conſilio & præſentia eius quidquam agere nec debeamus, nec valeamus, euidenter videtis nos non poſſe venire.

EPISTOLA CCCXXXIV.

REVERENTISSIMO *Domino & Abbati ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, B. Decanus, G. Theſaurarius, totúmque Eccleſia beati Martini Turon. Capitulum, ab eo ſaluari per quem Reges regnant.* CVM de munifica donatione, & eleemoſyna patrum veſtrorum locupletata ſit Eccleſia beati Martini, inter ceteras Regni veſtri generoſum tollit apicem: vobis Domino, Patri, Patrono & auctori ſuo ſpecialiter adhærens, vt membrum capiti ſuo. Verùm inuidia, quæ nunquam quieta eſt, quæ liuore & malitia ſua intabeſcit, eam in partibus ſuis perſequitur & fatigat: minimè attendens, quòd qui membrum contriſtatur, offendit & caput. Cùm enim Comes Niuernenſium in villa noſtra Cableiæ aliquem hominum noſtrorum alicuius facultatis & opulentiæ cognouerit, ipſum ſtatim dicit iure ſeruitutis eſſe ſuum, cùm ſciat rem nobis eſſe difficilem cum ipſo cauſam agere, quia via nobis longinqua ſit & ſumptuoſa, cùm nec quiſquam noſtrum contra ipſum ius noſtrum audeat perhibere. Rogamus igitur Regiam Maieſtatem veſtram, quatinus pro amore beati Martini ipſum vt fidelem & hominem veſtrum moneatis, vt parcat rebus beati Martini, & hominibus Cableiæ quæ veſtra eſt, quoniam Reges & Imperatores prædeceſſores veſtri inter ceteras poſſeſſiones aliorum omni praua conſuetudine immunem & exactione eſſe voluerunt, & egregia libertate priuilegiauerunt. Quæ cùm inuidiam multorum moueat, veſtrum eſt eam protegere & tutari. Valete.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CCCXXXV.

LVDOVICO *illuſtri & glorioſo Francorum Regi Domino & amico ſuo cariſſimo,* H V. *Dei gratiâ VVintonienſis Eccleſia Miniſter, ſalutem & omne bonum.* QVOD inter nos mutuum amorem à longo tempore recognoſcitis, & ex accidentibus firmiùs radicatum dicitis, quantas poſſumus Excellentiæ veſtræ grates referimus. Quantis verò preſſuris & laboribus affligimur, per præſentium latorem Petrum de Meliduno ſeruientem veſtrum cognoſcere poteritis, in quibus neceſſe eſt vt manum conſilij & auxilij veſtri mihi benignè porrigatis. Et quoniam Rex Angliæ, ſicut nobis dictum eſt, modo habet gratiam & amorem veſtrum, ipſe etiam Rex, vt dicitur, in proximo transfretare diſponit: rogamus Excellentiam veſtram, de qua plurimum confidimus, quatinus vel præſentem illum ſi ad vos venerit, vel abſentem ſi ad vos non venerit, per Literas & nuntium veſtrum conueniatis, vt cauſa viſitandi vos & neptem meam det mihi licentiam transfretandi.

EPISTOLA CCCXXXVI.

EXCELLENTISSIMO *& omnium veneratione digno* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum piiſſimo, Fratres Cartuſia vtinam pauperes ſpiritu, poſt temporalem ad æternam peruenire Coronam.* IN tantum, Domine Rex, de clementia & bonitate veſtra confidimus, quòd in anguſtiis noſtris ad vos poſt Deùm certum refugium nos inuenire credamus. Quidam ſciſmaticus olim Gratianopolitanus Epiſcopus crudeliſſimus perſequutor domini Papæ Alexandri pro viribus ſuis extitit, & adhuc in eodem perſeuerat. Hic matrem veſtram prædictam Eccleſiam multis iniuriis & damnis affligit, & nobilem atque honeſtum Epiſcopum, quem dominus Papa conſecrauit, & eidem Eccleſiæ præfecit, cum quibuſdam aliis ſciſmaticis perſequi non deſiſtit. Et quoniam credimus diſpoſitione diuina eueniſſe, vt Terra illa & Comitatus ille ad veſtrum nepotem vertatur, videtur nobis & multis aliis quòd eidem terræ pacem & quietem prouidere debeatis. Rogat igitur, & humiliter obſecrat prædicandam Excellentiam veſtram qualiſcumque paruitas noſtra, quatinus ſuper hoc Comitem Sancti Egidij conuenire non dedignemini: prudenter, ſollerter, atque inſtanter inſinuando illi, vt dominum Epiſcopum noſtrum, & Eccleſiam ſibi commiſſam condigno honore teneat, & more boni Principis contra impugnantes ſcutum protectionis ſemper opponat. Teneritimum filium veſtrum, quem vobis & terræ ſuæ dedit Dominus, proficere faciat Deus & Dominus noſter, ſapientia, ætate, & gratia. Valete. B

EPISTOLA CCCXXXVII.

C

DOMINO *ſuo cariſſimo illuſtri Regi Francorum* LVDOVICO, *Clericus eius deuotus Laurentius Rothomagenſis Eccleſia vocatus Archidiaconus, & promptum in omnibus pro poſſe ſeruitium.* VOCAVIT Dominus de ſeculo amicum veſtrum Rothomagenſem Archiepiſcopum, fide & bonis operibus plenum: quem, vt credimus, apud Deum pro vobis & amicis ſuis efficaciùs confidimus patrocinari, quantò liberior ſpiritus eius efficitur pondere carnis. De cetero, ſciat veſtra Sublimitas, quoniam homo iſte, pro quo Dominæ Imperatrici ſcribere placuit, recuſat omnem iuſtitiam coram hominibus veſtris de Pariſius, & de Beluaco, oblatam ſibi tenendam, niſi planè habuerit querelam ſuam totam ſicut exigit. Præcepit inſuper Domina Imperatrix, quòd tantum ei fieret de iuſtitia pro honore veſtro, quantum poſſet fieri ditiori & ſublimiori burgenſium de tota terra noſtra: ita etiam quòd homines & mercatores terræ veſtræ, qui inuenirentur Rothomagi, intereſſent cauſæ ſuæ, & viderent, & teſtarentur quòd fieret ei de iuſtitia tantum quantum ex iure poſſet fieri.

A EPISTOLA CCCXXXVIII.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A*gratiâ Dei Romanæ Eccleſiæ ſummo Pontifici*, HVGO *Eccleſiæ beatæ Mariæ Andriunopoleos Abbas licèt indignus, necnon & Petrus Sancti Iohannis Conſtantinopoleos Hoſpitalis Prior, obedientiam & obedientiæ obſequium.* CVM non ſolùm Sanctitatis veſtræ fama, imò & cooperatrix Chriſti gratia, vniuerſos ſanctæ fidei cultores cogat, & te iure venerari vt patrem, & per omnia veſtris obtemperare præceptis: nos & debitæ ſubiectionis caritate, & veſtræ famæ bono odore excitati, in remotis regionibus inter extraneos ad Eccleſiæ firmitatem, & veſtræ dignitatis honorem deſudamus: ne peſtis præſens Orientalem inficiat Eccleſiam, aut in noſtro tempore vacillans titubet Eccleſia, vel veſtræ dignitatis inter Orientales adnichiletur reuerentia. Sciat igitur Sanctitas veſtra, nos apud beatum Egidium poſt ſex menſium, à Ianuarij ſcilicet principio ad Iulij initium, tam regionum, quàm marium continua & innumerabilia pericula, in expeditione ſancti & ſemper auguſti Domini noſtri Imperatoris, & veſtræ dignitatis Legatione, aduentaſſe. Sed fatigatione corporum, & diuerſarum incurſione aduerſitatum attriti, longioris viæ iter abſque noſtrarum virium defectu aggredi non valemus. Vnde ſanctitatem veſtram obnixè flagiramus, vt laboris noſtri ægritudini compatiendo, quid & qualiter ſit agendum nobis inſinuetis. Habemus enim quædam perſonæ veſtræ
B dictu accommoda, & ad vtilitatem reſpicientia, quæ non licet alteri niſi veſtræ Sanctitati intimare, & nobiliſſimo Regi Franciæ. Valete.

EPISTOLA CCCXXXIX.

ILLVSTRI *Francorum Regi* LVDOVICO *Domino ſuo verè dilecto & benefactori præcipuo, Fr. R. Maioris-Manaſterij humilis Miniſter fideles orationes.* DE præcepto domini Papæ nuper apud Burgulium cum domino Turonenſi, & Epiſcopo Andegauenſi, quos ipſe dominus Papa ibi miſerat, vt ſi ea quæ per famam ventilata erant de venerabile Fratre noſtro eiuſdem loci Abbate inquirerent, fuimus, & ea quæ per Miniſtros ſuos mendaciis excogitatis diabolus aduerſus innocentem & ſimplicem virum machinauerat, falſa penitus diligenti inquiſitione reperimus: atque eos qui talia in Patrem & Paſtorem animarum ſuarum tam inconſultè iactauerant, mediante æquitatis cenſura à corpore Eccleſiæ illius tam prædicti Domini quàm ego Apoſtolica fulti auctoritate ſeparauimus, & Ciſtercienſi Ordini deputauimus. Si autem ad præſentiam Serenitatis veſtræ, ipſi qui malignitatis ſtudio adhærentes, nec ipſi iuſtitiæ pepercerunt, acceſſerint, & quidquam ſuper hoc reclamauerint, excommunicatos eos vobis denuntiamus, quia caput & ſignifer eorum Prior videlicet Caſtri-fortis Ciſtercienſem Ordinem de Burgulio pulſus prælegit, & nos eum illuc ſub anathematis interminatione miſimus, nuſquam
C diuortium ei indulgentes. Pro prædicto ſiquidem venerabili Abbate teſtimonium in veritate ferimus, quia nullus Fratrum ſuorum, ſicut ab eis accepimus, vnquam de eo religioni contraria vſque ad tempus iſtud nec vidit nec audiuit: Regiæ Maieſtati veſtræ ſupplicando, quatinus eum ſicut honeſtum virum, & totius patriæ magnum luminarium diligatis, & nuntios ſuos preces eorum admittendo benignè ſuſcipiatis. Valete.

EPISTOLA CCCXL.

VENERABILI *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi nobiliſſimo*, HVGO *ſuus & Rothomagenſis Sacerdos, ſalutem, honorem, & gloriam.* CONQVESTI ſunt apud nos Canonici noſtri & veſtri beati Melloni de Pontiſara ſuper Hulduino Concanonico ſuo, qui iure Capituli ipſorum contempto Præpoſitum eorum de VVadencurt ante ſe venire ſummonuit, eique quinquaginta ſolidos violenter abſtulit. Super hoc nobilitatem veſtram rogamus attentiùs, quatinus hoc emendare Hulduinum cogat dignitas veſtra, & ne prædictam villam de VVadencurt ipſe vel alij inquietare præſumant, regia cenſura prohibeat. Rogamus etiam, vt res eorum, quas contra iuſtitiam ſaiſierunt, Hugo Malus-vicinus, & VValterus de Pleiz, & Drogo de Curceles, eis liberè & quietè reddi faciatis. Conſeruet vos Dominus Eccleſiæ ſuæ per tempora longa.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CCCXLI.

EXcellentiſſimo *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, *B. Eccleſiæ beati Martini Decanus*, *ſalutem*, *& deuotum ſubiectionis obſequium.* IVXTA mandatum veſtrum domos Nicolai Frammaudi occupantes & vxori & familiæ eius interdiximus; vt cùm Nicolaus rediret in domum ſuam, nullatenus receptaretur. Ipſe verò reuerſus, ſpreto mandato veſtro, in domum quam interdixeramus receptatus eſt. Præterea, vinum quod erat in quadam terra beati Martini extra caſtrum nouum cepimus, ſed poſtea ſaluam cautionem de trecentis ſolidis ſuſcipientes pro vino, vinum amicis eius reliquimus. Conſilium ergo meum eſt, & Maieſtati veſtræ id expedit, ſic iſtum grauare, vt alij qui iamdiu inſoluerunt perterreſiant, & vt mandetis mihi & Theſaurario & Capitulo, vt iterum domum capiamus, & ipſum Nicolaum cum tota familia ſua eliminemus, & illos trecentos ſolidos vobis mittamus. Sed tamen hoc ita abſconditum habeatis, vt ex proprio conſilio veſtro, non ex meo id facere videamini: propter dominum Papam, qui Nicolaum in hac parte & contra vos, & contra Eccleſiam noſtram fouet & ſuſtentat. De cetero, cum omni humilitate vos deprecor, vt negotij mei erga dominum Guillelmum memor ſitis. In vobis enim poſt Deum vnicum meum refugium eſt, & quod feci in honorem veſtrum, in diuturnum non debet mihi cedere detrimentum. Valete. B

EPISTOLA CCCXLII.

DOMINO *ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum*, *A. Mimatenſis Epiſcopus ſalutem & debitum honorem.* EXCELLENTIÆ veſtræ immenſas gratias refero, quia dignatio veſtra ſemper recordatur ſerui ſui inter niues habitantis, & noſtra negotia quaſi propria benignè aſſumitis. Et verè noſtra veſtra ſunt, Domine, quoniam veſtrum & diligo, & augmentari deſidero: itaut & me pro veſtra gloria ponere ſi placuerit non dubitem. Ceterùm quæ dicenda ſunt per Magiſtrum R. fidelem veſtrum vobis ſuggero, & vt eum tanquam me audiatis, exoro. Dignus eſt enim audiri à vobis & diligi, quia vos diligit in veritate.

EPISTOLA CCCXLIII.

PRÆPOSITO, *Decano*, *& Archidiacono*, *& vniuerſo Capitulo Autiſſiodorenſi.* INVITAT nos officij noſtri debitum, & hortatur, vt illis perſonis diligentiùs intendamus, quas in deuotione feruere cognoſcimus, & in ſeruitio Eccleſiæ promptiores. Indè eſt, quòd de ſinceritate veſtra certam ſpem fiduciámque tenentes, pro dilecto filio noſtro Magiſtro P. Concanonico veſtro, quem pro eo quòd nobis gratus & deuotus exiſtit earum & acceptum habemus, deuotioni veſtræ preces affectuoſas porrigimus: per Apoſtolica ſcripta rogantes pleniùs, quòd pro reuerentia beati Petri ac noſtra, & intuitu cariſſimi in Chriſto filij noſtri LVDOVICI illuſtris Francorum Regis, cuius ſeruitio inſiſtit, ei beneficium Præbendæ ſuæ, quam in Eccleſia veſtra poſſidet, vſque ad triennium, vel ſaltem vſque biennium, concedatis. Ita quòd ipſe de deuoto deuotior vobis poſſit exiſtere, & nos exinde debeamus deuotioni veſtræ gratias vberrimas exhibere. C

EPISTOLA CCCXLIV.

LVDOVICO *excellentiſſimo Regi Francorum*, *P. Syluæ-Maioris humilis Miniſter*, *totúſque Conuentus*, *ſic regnare in ſeculo vt placeat ei qui regnat in cælo.* IN omni negotiorum noſtrorum vtilitate recurſum ad dulcedinem bonitatis veſtræ fiducialiter ſemper habemus. Caritas quippe & iuſtitia hoc faciunt, quæ penes magnificentiam ſummopere locum obtinere noſcuntur. Hinc eſt, quòd Excellentiam veſtram humili prece depoſcimus, quatinus pactum quod Fratres noſtri de Semeio pro anguſtia temporis, & pro quibuſdam nouis acquiſitionibus magnis debitis aſtricti, cum domino Arueco Morini Canonico ſanctæ Crucis aſ-

A ſenſu noſtro facere compulſi ſunt, ſicut in Literis noſtro ſigillo munitis continetur, veſtri etiam Priuilegij auctoritate confirmare dignemini. Vt robore veſtræ tuitionis præfata pactio ſic rata permaneat, vt poſt deceſſum prædicti viri ad nos ſine alicuius contradictione reuertatur. Præterea Fratrem Rainardum, cui nouam ædificationem in Eccleſia Sancti Ioannis de Breis commiſimus, ſicut ſpecialiter veſtrum, magnitudini veſtræ commendamus: rogantes vt ei conſilij & auxilij veſtri manum porrigatis, quatinus locus ille nouiter inceptus per ipſum faciente veſtra dignatione augmentum accipiat. Incolumitatem veſtram Filius Virginis per longa tempora conſeruet, vt ſub veſtra dulci protectione diutiùs gaudeat Eccleſia. Valete.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCCXLV.

LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi, Brinatenſis Eccleſia Capitulum & Burgenſes, cum eo regnare qui regnat in perpetuum.* CLEMENTIÆ veſtræ, ô bone Rex, notum facere volumus, nos nullum alium præter Deum & vos defenſorem habere. Maieſtatem verò veſtram latere non credimus, nos arrogantia & malitia noſtri Decani ad ſummam miſeriam perueniſſe. Eccleſiam enim theſauro ſpoliauit, & villam ferè totam combuſſit. Quid enim voluntatis Decanus
B habeat vos prorſus ignoratis. Decanus enim caſtellum ſupra Decaniam ædificauit, vt vobis & nobis dominium villæ auferret, & ſibi vendicaret. Conſuetudo enim Mercorienſium eſt, vt vbicumque pedem figere potuerint, totum ſibi vendicent: ſicuti fecerunt de quadam Abbatia quæ Baſilla dicitur, & ad ius Comitis Aruernorum conſanguinei veſtri ſpectat, quam ſibi ex toto abſtulerunt. Vnde Maieſtati veſtræ humiliter ſupplicamus, quatenus tantæ cladi, ſi placet, finem imponatis. Sciatis enim nos nullomodo cum Decano pacem poſſe habere, quouſque ædificium Decaniæ, quod factum eſt contra conſuetudinem Eccleſiæ, ad priſtinum ſtatum redigatur. Conquetimur etiam de corona data à Domino Carolo Rege anteceſſore veſtro in ſignum libertatis Eccleſiæ, quæ propter pecuniam vobis à nobis promiſſam in vadimonio poſita fuit, quòd pecunia ſolura eam nullomodo habere poſſumus. Conquerimur etiam ſuper Berttando Ebrardi, qui caſtrum quoddam iuxta villam noſtram conſilio & auxilio Decani, nobis contradicentibus, in ſtrata ædificauit, vnde teloneum inconſuetum à tranſeuntibus accipit. Conquerimur etiam quòd mercatores, qui per noſtram villam tranſire ſolebant, nullomodo Comitibus prohibentibus tranſire audent. Vnde Celſitudinem veſtram humiliter imploramus, & ante pedes veſtræ clementiæ quamuis abſentes procumbimus: quatinus nobis vt bonus Princeps conſulatis, & tanta mala ad honorem veſtri, & vtilitatem noſtram terminari faciatis. Dilatet Dominus Imperium veſtrum, & magnificet vos ſuper omnes Reges.

C

EPISTOLA CCCXLVI.

LVDOVICO *per Dei gratiam Francorum Regi glorioſiſſimo*, AMALRICVS *per eandem Hieroſolymorum Rex ſalutem.* VESTRÆ credimus innotuiſſe Serenitati, cariſſime, multorum ex relatione veridica, quoniam poſtquam peccatis noſtris exigentibus Princeps Antiochenus à Turcis captus fuit, & omnes ſui aut captiuitate, aut morte perditi & peſſumdati ſunt: ex improuiſo ſuperuenit repentinus interitus. A ſeculo etenim inauditus terræ motus caſtella, turres, municipia, omnia ferè tam in montanis, quàm in planis, tam in Antiochia, quàm in omnibus ei adiacentibus tum in planis, tum in montanis ſolo adæquauit, & innumerabilem, proh dolor! Chriſtianorum vtriuſque ſexus multitudinem morti improuiſæ addixit & extinxit, & vt veriùs dicamus, terra tenus abſorbuit. Ad cumulum autem miſeriæ, & in ſummam deſolationis omnimodæ, viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, eheu! ille Rex inclytus & egregius, clypeus & fortitudo, poſt Deum, Eccleſiæ Orientalis, & præcipuè Regni Ieruſalem vnica & irrefragabilis ſpes, & fiducia ſalutaris,

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

veſter veſtrique Regni præcordialis, noſtérque Dominus & frater, Rex Chriſtia- A
niſſimus Balduinus. Cuius idcò ineonſolabilior & vehementior eſt tranſitus do-
lor, & deſolatio, quòd Deo auctore, in ipſo, & per ipſum, omnium vniuerſitas
Chriſtiana habebat promptum adiutorium, & contra ſingula infeſtantia ſufficien-
tiam. Indè, indè eſt nimirum dilectiſſime, quòd veſtræ Maieſtati tanquam linea-
menta de capite pendentia inelinantes, ſuſtentamentum noſtrum, & fidei deificæ
baſem æneam, inexpugnabilémque ciuitatem, Serenitatem veſtram fore in Chri-
ſto cognoſcimus, & humilitatem noſtram veſtram eſſe curam peculiarem in Do-
mino profitemur. Quæ ergo vel quanta fuerit veræ earitatis abundantia & per-
fectio in piæ memoriæ amico veſtro Rege Ieruſalem prætaxato, Dei pro cauſa, &
illius inuictiſſimo amore, in noſtra nunc omnibus appareat, & Eccleſiæ Orienta-
lis deſolatione. Sicut enim de prædeceſſorum veſtrorum & totius proſapiæ veſtræ
piiſſima intentione veriſſimè didicit ſanctitas vobis innata, ex more & propoſito
laudabili ſemper conſueuit Regnum cui præeſtis in Domino ciuitatem ſanctam,
& regionem ei vniuerſam adiacentem, & vniuerſos fidei Catholicæ charactere in-
ſignitos protegere, fouere, manutenere, & corroborare. Si itaque ſpiritus con-
ſilij Serenitati veſtræ magnificæ inſpirauit, velle iterum ad maiorem coronam
veſtri viſitare locum vbi ſteterunt pedes Domini corporaliter, modò inſtanter ſal-
tem in hac Chriſtianitatis magna neceſſitate & anxietate multimoda venire non
denegetis, non differatis. In veſtra ſanctitate enim omnium vota conueniunt, & B
pro nutu veſtro, & amico Imperio, nos & Regnum noſtrum totum conſudabimus
dignè Deo. De cetero veſtræ commendamus paternitati præſentium latorem
magnæ honeſtatis virum, & venerabilem Mamiſtriæ Archipræſulem, ad omnia
benè agenda ſtrenuum, quatinus eum benignè recipiatis, & ei ſicut ori noſtro
credatis. Illi enim, ne epiſtolarem excederemus breuitatem, ſecreta noſtra vt vo-
bis viua voce ediſſerat, commiſimus. Valete.

EPISTOLA CCCXLVII.

A *Dei gratiâ ſanctæ Reſurrectionis Eccleſiæ Patriarcha, cariſſimo filio* LVDOVI-
CO *eadem gratiâ illuſtri Francorum Regi ſalutem, & cunctorum hoſtium trium-
phum.* QVONIAM paterni Regni ſolium conſcendere vos fecit diuina diſpen-
ſatio, pro gratia vobis collata diuinam interpellamus clementiam ante paſſionem
& reſurrectionem Dei & Domini noſtri IESV CHRISTI, vt idem Deus &
Dominus noſter vitam veſtram proſperè prolonget ac foueat, & poſt huius vitæ
terminum vitam vobis tribuat ſempiternam. Quia verò ſub veſtra tutela paupe-
res Chriſti quietè conuerſari & fructificare cognoſcimus, & filiis noſtris pauperi-
bus Leproſis, qui extra muros Ieruſalem perpetuo infirmitatis ſuæ detinentur &
damnati ſunt carcere, de quorum cruciatu & ardore non tantum dicere poſſumus,
quantum oculis veſtris vidiſtis: Sublimitatem veſtram rogamus attentiùs, com- C
mendantes vobis latorem præſentium eorumdem pauperum fratrum, quem Ex-
cellentiæ veſtræ pro ſua neceſſitate tranſmittunt: quatinus ea audita, prout vobis
viſum fuerit, & Deus vobis inſpirauerit, eorumdem neceſſitati, qui humani aſ-
pectus, & humanæ prorſus lætitiæ ſunt expertes, occurrere dignemini. Vt pro
his, & pro aliis beneficiis à remuneratore bonorum omnium Deo & in præſenti
victoriam, & poſt peractam temporalis Regni adminiſtrationem æternæ beatitu-
dinis accipere mereamini portionem. In præfato ſiquidem loco ex diuerſis
mundi partibus infirmorum & pauperum Dei circumfluit multitudo; & quo-
niam ad ſuſtentandam eorum miſerabilem & inopem vitam multa eis ſunt neceſ-
ſaria, & multorum euidenter indigent auxiliis; Orientis Eccleſia multis tribula-
tionibus & paganorum incurſionibus oppreſſa eis ex toto in neceſſitatibus ſubue-
nire non poteſt. Vnde benefactores eorum vniuerſos omnium orationum & be-
neficiorum noſtrorum, & eorum maximè quæ in ſancta ciuitate Ieruſalem fiunt,
& de cetero fient, participes & conſortes facimus.

A

EPISTOLA CCCXLVIII.

A*Dei gratiâ ſanctæ Reſurrectionis Eccleſiæ Patriarcha, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *eadem gratiâ Galliæ Regi victorioſo & illuſtri, ab eo ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* SINCERA qua vos amplectimur veræ caritatis dilectio, & debita Patriarchalis officij quæ nobis incumbit ſollicitudo, nos compellit & ammonet Eccleſiis noſtris prouidere, & in quibus ſecundum Deum poſſumus totius Chriſtianitatis profectibus & vtilitatibus inuigilare. In medio ſiquidem nationis prauæ & peruerſæ poſiti, ab infidelium tyrannide ſingulis ferè diebus impugnamur, & aſſiduas inimicorum Chriſtiani nominis inſidias & pericula ſuſtinemus. Quantò igitur maiora & viciniora nobis imminent pericula, tantò magis nos prouidos eſſe & ſollicitos oportet, & ab illis conſilium & auxilium quærere, qui & abundant & conferre nouerunt, & dare conſueuerunt. Habemus autem in finibus Patriarchatus noſtri, in ciuitate Panedenſi, quæ dicitur Belinas, Eccleſiam quandam tam reueranda veneratioue antiquitatis antiquæ celebrem, quàm multis & multorum miraculorum inſignibus decoratam & exaltatam. Quæ ſcilicet Eccleſia in illo loco Cæſareæ Philippi olim fundata fuit, in quo primùm & ſolùm Chriſtus filius Dei viui à Petro Apoſtolorum vertice per fidei rectæ confeſſionem
B manifeſtiſſimè prædicatus & declaratus eſt, cùm præ omnibus, & pro omnibus proclamanc: *Tu es Chriſtus filius Dei viui.* In quo etiam loco huius beatæ confeſſionis retributionem audire ex ore Dominico ſibi dicente, *Tu es Petrus, & ſuper hanc petram ædificabò Eccleſiam meam*, & claues Regni cœlorum, poteſtatémque ligandi atque ſoluendi recipere ipſe promeruit. Hæc igitur Eccleſia quondam tam inclyta, & omni veneratione & obſequio digna, à Turcis Chriſtiani nominis inimicis nunc ferè euerſa: & peccatis noſtris exigentibus, tam illuſtris olim, tam præclara ciuitas, quæ noſtræ Ieruſalem propugnaculum & antemurale à cunctis fidelibus eſſe dinoſcitur, nomen inane duntaxat remanet. Etenim in ſpurciſſimæ gentilitatis ſita confinio, & barbara feroeitate ipſius impugnata, & aſſidua captiuitate, & morte filiorum ſuorum optimis quibúſque deſtituitur, & minorata ſingulis diebus ferè periclitatur. Nouiſſimè autem temporibus noſtris ſuſcitauit Deus ſpiritum ſerui ſui I. venerabilis Fratris noſtri, in eadem ciuitate de nouo ordinari & conſtituti Epiſcopi, qui multo corporis labore, multa rerum ſuarum impenſa, eandem Eccleſiam ad priſtinum ſtatum reuocare cupiens, per varia pericula maris & terræ tranſitum faciens, ad genua caritatis veſtræ tandem elapſus eſt: vt calamitatem & mendicitatem tantæ & tam reuerentiſſimæ Eccleſiæ vobis inſinuet, & condonationes & relaxationes, quas conſilio venerabilium Fratrum noſtrorum Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum quoque & Priorum, ad tantam Eccleſiam releuandam fecimus, vobis oſtendat. Eapropter regalem Ma-
C ieſtatem veſtram aſſiduis precibus humiliter exoramus, quatinus venerabilem Fratrem noſtrum prædictæ ciuitatis Epiſcopum, quem honeſtas & probitas ipſius ſatis commendat, Dei gratiâ & noſtra reuerentiâ benignè recipiatis & honoretis, & in ſuis iuſtis petitionibus eundem miſericorditer exaudiatis. Valete.

EPISTOLA CCCXLIX.

DOMINO *ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, RAIMVNDVS *Dux Narbonæ, Comes Tholoſæ, & Marchio Prouinciæ, debitæ fidelitatis obſequium.* PRO negotio, ſuper quo Legati Imperatoris Conſtantinopolitani, cum noſtris, ad honorem Regni veſtri, ſicut credimus vobiſcũ conuenerunt, Legatos noſtros cum Legatis domini A. ſummi Pontificis ad Græcorũ Imperatorem tranſmiſimus. Porrò diſcretioni veſtræ placuit Legatos veſtros ab itinere ad veſtram præſentiam euocare. Vnde qui in omnibus veſtri conſilij prouidentiam nobis ducem præfiximus, & veſtram ſequentes auctoritatem Legatis Græcorum nos obligauimus; precamur iterum, quoniam iam ſera eſſet pœnitentia, Excellentiam veſtram Regiam, vt tales Legatos ad Imperatorem Conſtantinopolitanum mittatis, per quos negotium ſperatum ad gloriam & ſecuritatem Regni veſtri Deo propitio ad effectum valeat perduci, & ad nos optata commoda peruenire. Interuentu namque & in-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ſtantia diſcretorum & fidelium Legatorum conſueuerunt magna & ardua nego- A
tia optatum & proſperum finem ſortiri. Valete.

EPISTOLA CCCL.

LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Francorum Regi, R. de Balneo de numero fidelium Domini E. Conſtantinopolitani Imperatoris ſemper Auguſti, ſincera fidelitatu obſequium.* LEGATIONIS negotium, ſuper quo Adrianopolitanus Abbas, & Prior Hoſpitalis Conſtantinopolitani cum Legatis Domini R. Sancti Egidij Comitis veſtram viſitauere præſentiam, mihi cum eis pariter tanquam Imperij fideliſſimo à Domino meo E. inclyto & ſancto Imperatore iniunctum fuit. Proindè, quia ipſi apparatu meo & prouidentia iam ad Dominum meum Imperatorem marino itinere redire cœperunt, fidelitatis debito, quam vobis exhibere tanquam Domino deſidero, confidenter conſulendo rogo, & rogando conſulo, vt Legatos veſtros & Literas ad Dominum meum E. Imperatorem ſanctum ſine cunctatione & mora mittatis. Scio enim quia fraterno amore & germana caritate perſonam veſtram, honorem Regni veſtri, & gloriam diligit, & indiſſolubili vinculo & germano conſortio vobis ſociari & vniri exoptat. Viuat & valeat per multa tempora Sublimitas veſtra, & me inter fideles Regni veſtri numerare dignetur. B

EPISTOLA CCCLI.

LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum illuſtriſſimo, à priſcis iam temporibus ſibi dilectiſſimo,* AMALRICVS *eadem gratiam Hieroſolymorum Rex ſalutem & veri amoris indicium.* QVONIAM à longè retrò temporibus terram ſanctam Hieruſalem, Regnique Hieroſolymitani exaltationem cordi vobis fuiſſe nouimus, piam Serenitatis veſtræ dilectionem humiliter exoramus; vt quod diu geſtatis in corde adimplere curetis opere, & prædictæ terræ ſubſidium prouidere mente ſollicita ſtudeatis, & negotij illius, pro quo venerabilis Archiepiſcopus Mamiſtranus Galliarum partibus deſtinatus eſt, memores ſitis, quoniam in inſtanti pluſquam lingua queat exprimi, neceſſe eſt fieri. Præterea ex quo Mamiſtranus Archiepiſcopus à nobis diſceſſit, fertur quotidie Imperatorem aduenire. Qui ſtatim cùm venerit, verentur omnes Orientales vna nobiſcum abſque omni dubio ipſum illam habere, quoniam in tanta debilitate proſtrata ſuccumbit. Quòd niſi aliunde ſibi venerit auxilium, eandem Antiochiam Turcis aut Græcis cedere indubitanter neceſſe eſt. Mente igitur deuota, corde ſollicito, curſu concito, Imperatorem illum, de quo magis timemus, præuenire ſtudeatis, quia non in terram alienam, verùm in eam, quæ in omnibus, & per omnia vobis erit expoſita, venietis: & tam nos, quàm omnes alij, iuſſionibus veſtris obtemperabimus. C

EPISTOLA CCCLII.

LVDOVICO *diuina gratiâ illuſtriſſimo Francorum Regi, B de Blanc. pauperis Militiæ Templi Magiſter dictus, cum vniuerſo eiuſdem militiæ Conuentu, omnimodũ cum debita reuerentia famulatũ in Domino.* ORIENTALIS Regni perturbationem & graues euentus intextos infortuniis ſcripto vobis intimare operæpretium duximus, cùm proſperorum nuntiandi facultas vniuerſaliter ferè nobis denegetur. Ne verò Maieſtatem veſtram prolixa improperiorum noſtrorum relatione amaricare videamur, capitulatim vobis ea ſcribere inuicti compellimur. Ecce perſecutores veritatis ac fidei inſpecta anguſtiarum noſtrarum multitudine, inſoliti furoris audaciâ aduerſum nos armantur. Ipſos namque R. Principis Antiochiæ exaltat captiuitas, cædéſque ſuorum & magnatum Principatus factæ in Principis captione. Hinc ab eis terra depopulata ipſos lætificat, hinc nutu diuino noſtrorum exigente mole peccaminum, terræmotu diſſipatæ munitiones, euerſa caſtella quamplurima, innumerique quos dirutorum murorum colliſio oppreſſit, multiplicato eorum furore aduerſum nos, multò acrius ſolitò accendit. Ecce iterum prædicta grauia multo grauiora ac flebiliora flebilibus nouiſſimè ſubſecuta ſunt. Rex namque Bald. qui omni vitæ ſuæ tempore murus ſtetit inexpugnabilis pro domo Iſraël, na-

A turæ perſoluens debitum viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt, ſcilicet damnum diebus noſtris incomparabile. Hæc & his ſimilia Eccleſiæ perſecutores attendentes ab extremis eorum finibus in vnum conuenerunt, quaſi vir vnus aduerſus Sanctuarium Dei, delere de terra memoriam noſtram. Eccleſiámque fidelium, quod abſit, infinitæ eorum multitudinis oppreſſione deprauare conantur. Super hoc Dei ac veſtrum auxilium, conſilium, & ſubſidium ingemiſcentes poſtulamus. Regnum etenim Hieroſolymitanum, licèt plurimum propriis viribus deſtitutum ſit, neceſſe tamen eſt quatinus Antiochiæ Principatui omninò deſolato manum conſolationis extendat, viréſque quas, vt ita dicam, non habet viriliter largiatur. Sed quid egenti præſtare poterit, qui egeſtate afflictus in ſe ipſo anguſtiatur? Oppreſſionem igitur Orientalis Regni & Eccleſiæ ipſa conſcientia veſtra diligenter inſpiciat, in Paſſionis, Reſurrectioniſq; loci ſubſidium inflammetur. Otamus obſecrando quod poſſumus, quod ipſi quærimus Dominicæ à vobis impetret locus Reſurrectionis. Singula improperiorum noſtrorum, attenuationis noſtræ, elationis inimicorum, Paſſionis ac Reſurrectionis Chriſti malorum vobis ſcribere numeroſitas impedit. Quæ nos latorum præſentium ſcilicet Fratrum noſtrorum relationi fideliter commendauimus, ac ſub eorum teſtimonio reſeruari dignum credidimus.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCCLIII.

B LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtriſſimo Francorum Regi, B. Domus Templi Magiſter dictus quamuis indignus, cum eiuſdem Domus Conuentu, ſeruitium cum dilectione.* NOBILITATI veſtræ notum fieri volumus, quòd dominus Guillelmus de Deoper poſtquam ad Orientales partes transfretauit, vt Dominicum viſitaret Sepulchrum, ceteráque Oratoria circuiret, quidam eius vicini ſuam terram crudeliter inuaſerunt, igne eam peſſimè deuaſtantes. Vnde Serenitatem veſtram modis omnibus deprecamur, quatinus hoc quantum ad vos pertinet fieri non permittatis, ſed vltionem in eos qui hoc præſumunt faciatis: vt ceteri veſtram iuſtitiam audientes, tantum ſcelus vlteriùs committere non attemptent. Magnum ſiquidem detrimentum in hoc poterit Orientalis Eccleſia ſuſtinere, quia multi ſic ſua perdere meruentes transfrerare dubitabunt. Maieſtati veſtræ grates indeſinenter exſoluimus de beneficio nobis & Fratribus noſtris à vobis impenſo.

EPISTOLA CCCLIV.

ILLVSTRISSIMO *atque excellentiſſimo Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum benigniſſimo,* GIBERTVS *eadem gratiâ Sanctæ Hoſpitalis Hieruſalem Cuſtos licèt indignus, cum omni Fratrum Conuentu ſalutem, & ſanctarum orationum Hieruſalem æternam participationem.* INTER cetera caritatis opera, quibus
C ad regna fit aſcenſus cœleſtia, eleemoſyna præcipuè ſummum locum obtinet: omni tam veteris quàm noui Teſtamenti pagina verum ſuper hoc perhibente teſtimonium. Huius itaque deuotionis intuitu, Regális veſtræ Maieſtatis magnificentia Spiritu ſancto diuinitus illuſtrata, ſanctiſſimam Domum pauperum Hoſpitalis Hieruſalem placentem Deo, & per omnia acceptabilem, deuotè diligere, manutenere, veſtrarúmque beneficiis eleemoſynarum larga manu ditare, ac recreare ſemper conſueuit. Super quo non eſt dubium, quin propter ſincerum veſtræ benignitatis affectum, quem ſpecialiter pro regno cœlorum adipiſcendò erga Deum, & erga omnia quæ ſibi pertinent, in toto Regno veſtro conſiſtentia, caritatiuè exhibetis, tot barbaræ gentes, tantæque diuerſorum populorum nationes, veſtræ de die in diem ſubiungentur ditioni. Dignum enim & iuſtum eſſe iudicamus, vt qui Deum diligit, eiúſque mandatis puro corde obtemperare nititur, in bonis, & de bonis Domini gaudeat, teneat, atque victorioſè poſſideat. Si enim protoplaſtus Adam, quia inobediens fuit voci Dominicæ, mundum cum omnibus in eo creaturis manentibus aduerſarium atque contrarium ſibi habere promeruit: ita ſi aliquis fidelis voluntati Domini benè obediens aliquando inuenitur, quod raro contingit, tam mundum, quàm omnia mundana beneplacito ſuo debet habere ſubiecta, & ſine omni obſtaculo inuenire parata. Vt igitur diuinæ bonitatis clementia, ſine cuius nutu nihil boni fieri poteſt, hæc prædicta vo-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. bis, Rex illuſtriſſime, iuxta veſtri affectum animi concedere dignetur, Deum ſemper præ oculis habete, & ea quæ Dei ſunt in Regno veſtro ſalua & ſecura cuſtodite: & præcipuè & ſpecialiter Domum ſanctorum pauperum Hoſpitalis Hieruſalem, in qua verè Chriſtus in membris ſuis ſuſcipitur, ſicut veſtris aſpexiſtis oculis, diuerſiſque modis ſeruitur, ſolito veſtræ pietatis more diligite, manutenete, & ab hoſtili manu tanquam bonus patronus protegendo defendite: vt beatorum precibus & intermiſſione pauperum, quibus Regnum cœlorum à Chriſto traditum eſt, in præſenti proſperitatem mentis & corporis, pacem in Regno veſtro, & tranquillitatem, de hoſtibus triumphum, & poſt huius vitæ tranſitum ſtolam immortalitatis cum eiſdem pauperibus in regno cœlorum feliciter adipiſci mereamini. Amen. A

EPISTOLA CCCLV.

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi glorioſiſſimo, ſummo & incomparabili viro dilectiſſimo ſuo, A. gratiâ eiuſdem Hieroſolymorum Rex ſalutem & dilectionem.* LACRYMABILEM & luctuoſum de Domino ac fratre noſtro inclyto Rege B. rumorem, heu! heu! vobis per præſentia ſcripta intimamus, denuntiantes vobis quoniam in die Scholaſticæ virginis vocatione diuina migrauit ad ſuperos. Verumtamen nos Regno ipſius, quod nobis hereditario iure obueniebat, nunc potimur, & ſine omni impedimento, atque in bona omnium hominum noſtrorum voluntate in ſolio Regni noſtri conſolidati ſumus. Quia verò, illuſtriſſime, tota Chriſtianitas in Oriente vehementer attrita, & grauius ſolito oppreſſa, nimium laborat tum ex infortunio R. illuſtris quondam Principis Antiocheni, qui vt vos iamdudum audiſſe arbitramur, rediens ab expeditione captus fuit, cæſis aut captis ferè omnibus illis qui in comitatu ipſius erant, tum & ex terræmotu, qui in præterito Auguſto totius Principatus Antiocheni caſtella, turres, & municipia ferè omnia funditus euertit, ſolóque coæquauit. Rogamus ſerenitatem Celſitudinis veſtræ, vt pro terra illa, quam Dominus ſua corporali præſentia viſitare, illuſtrare, & conſecrare dignatus eſt, quam etiam, vt liquidò conſtat, Regnum veſtrum ſpurcitiis infidelium potenter eripuit, & cultui diuino vendicauit, ſollicitus ſitis. Et dum licet atque vacat, notum faciatis omnibus quo animo, quo cordis affectu, qua intima ſinceritate Dominicum Sepulchrum, hucuſque dilexiſtis. Scitote namque quoniam ab initio, vt à præſentium latoribus certiùs audire poteritis, conſilio quidem veſtro & feſtino auxilio, tantum opus, nec conſimile fuit. Et ſi vobis in mentem veniret Dominicum Sepulchrum adire, non in terram alienam, verùm in meam, quæ tota veſtra eſt, & erit tempore quidem noſtro vobis expoſita, proculdubio veniretis. Nos enim vt tantum támque ſublimem Dominum vos modis omnibus honorare, diligere, & omnia, quæ noſtri iuris aut ſunt, aut fuerunt*. Data ad fontem Sephotiæ VI. Idus Aprilis. B

* *Deeſt aliquid.* C

EPISTOLA CCCLVI.

LVDOVICO *Dei gratiâ glorioſiſſimo Francorum Regi, & Domino ſuo excellenti,* B. DE BLANCAFORT *pauperis Militiæ Templi Miniſter humilis, & totius Fratrum ſuorum Conuentus, orationum munus cum ſalute.* IN venerandæ Celſitudinis veſtræ præſentia ſæpenumerò relatum credimus, qualiter, quandiu, & qua intentione ſub ſalutiferæ Crucis vexillo, & cum Domino Rege militauerimus in Egypto. Si enim ſceleratiſſimus ille Noredinus interueniente Syraconis audacia Regno Babyloniorum, vt affectabat, potiretur, multiplicatis viribus tanrus incumberet Chriſti regno, vt per pyraticam clauſo mari periculoſum etiam fugæ locum non concederet timidis & ignauis. Ea enim erat intentionum ſuarum ſumma, eáque gratiâ miſerat in Babylonem Syraconem, vt infinitam Babyloniorum multitudinem vel vi dominationis, vel ſimulatæ pacis aſtutiâ ſecum aſciſceret, & in abolitionem Chriſtiani nominis duo potentiſſima Regna, Babylonis ſcilicet & Damaſci, fœderaret in inuicem. Verùm reſpexit nos deſuper diuina clementia, deditque cultoribus ſuis Chriſtus noſter non incruentam de infidelitate victoriam. Suprà memoratus etenim Turcus, quem adipiſcendi Regni gratia miſſum præſignauimus, Berbeſium validiſſimam ciuitatem Egypti, quam etiam obfirma-

A uerat & munierat triginta millibus bellatorum, in triumphalis tandem ligni virtute coactus eſt reddere ſeruis Crucis, & non ſine magno ſuorum detrimento pulſus eſt à patria. Quamquidem, triduo ampliùs tardante ſuccurſu, nullo erat contradicente in dominium poſſeſſurus. Nos autem poſt hæc omnia reuertentes, inuenimus pro peccatis noſtris Terram ſanctam ſatis ac deſuper deſolatam, Paneadémque ciuitatem, qua non erat in toto Regno munitior, furto ſublatam, & redditam Turcis per manus proditorum. Antiochiam quoque miſeram ac miſerabilem, euerſionem ſui iam proximam, & ſtragem ſuorum inenarrabilem inſolabilibus lachrymis deplorantem. De qua quidem iam non eſt dubium, quin aut in Græcorum, aut in Turcorum manus veniat, & in proximo, niſi ei diuina miſeratio, veſtráque ſuperexcellens immenſitas ſuccurſum prouiderit feſtinatum. Neque enim poteſt Rex noſter A. magnus licèt Deo gratias, ac magnificus, ad defenſionem Antiochiæ, & Tripolis, Hieruſalem, & Babylonis, quæ ſeruit cum filiis ſuis, & cui potiſſimum metuendum eſt, quadriperritum agmen ingerere: quas omnes poteſt Noradinus vno & eodem tempore, ſi velit, ſuperabundantibus canum ſuorum copiis infeſtare. Proinde nouerit magnitudo veſtra, dilectum fratrem noſtrum, famulúmque & amicum veſtrum, fratrem Heuſtercanem pro exhoneratione & relaxatione ſua cogente corporis infirmitate totiens ſupplicaſſe, vt iam non poſſemus ei ſalua pietate contradicere. Mittimus igitur in loco eius
B præſentium latorem fratrem VValterum, virum prudentem & diſcretum, gemina quoque ingenuitate, & auorum ſcilicet & morum, benè conſpicuum, quem & nos his præſentibus tanquam præſentialiter vobis, & mandato veſtro committimus & ſubmittimus, & quaſi manu ad manum tradimus. Rogantes vt ipſum Dei amore & noſtro, in agendis noſtris, quæ & veſtra ſunt, veſtra ope fulciatis, & benigno fauore veſtro tanquam famulum veſtrum proprium in omnibus & per omnia ſuſtentetis. Nam & ipſe, ſicut diuturna eius conuerſatione pleniùs cognoſcetis, eſt etiam per ſe honorati digniſſimus.

EPISTOLA CCCLVII.

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi ſanctiſſimo, Domino & amico ſuo in Chriſto, Frater G. Fulcherij domorum pauperis Militiæ Templi Procurator indignus ſalutem, mittere rem ſi quis qua caret ipſe poteſt.* ANTIOCHENÆ terræ deſolationem, Hieroſolymorum turbatum Regnum, graues euentus, importunos caſus, Chriſtianitatis plagas continuas, lugubres vobis intimare compellimur. Cùm proſpera nuntiandi deſit facultas, importunitatis tamen, & improperij noſtri ſingula vobis ſcribere malorum numeroſitas impedit, dum vix aut nunquam proſpera nobis eueniant. Prætermiſſa igitur tanti infortunij multitudine, graues noſtros euentus vobis reuelare ſatagimus, cùm linguam loquentis lachrymæ deſolationis
C impediant. Anni autem iſtius menſe Iulio contigit Regem noſtrum A. & Magiſtrum noſtrum, ceteróſque Terræ Sanctæ Proceres fines Babyloniorum intraſſe, & Syraconem Noradini Coneſtabulum, qui ad partes illas declinauerat, vt eas ſibi vendicaret, in Berbeſio obſediſſe. Ipſo menſe finem dante, & ſequente iam intrante, fixerunt ibi tentoria. Quo audito, Noradinus indignatus, animo & mente confuſus, eadem tempeſtate Literis & Legatis ſuis omnes partes quæ nomen ipſius audierant & tremebant contraxit, & caſtellum, quod dicitur Harenc, & in finibus Antiochiæ & Alapiæ ſitum eſt, contumaci ſuperbia obſedit. Applicatis machinis & petrariis ſuis, tot & tantis vulneribus obſeſſos inuaſerunt, vt ferè cibariis & aqua carentes ampliùs tolerare non valebant. Cùm autem hæc ita agerentur, Princeps Buemundus, qui Antiochiæ præſidebat, curam noui Principatus ſui viriliter agens, Comite Tripolitano, & domino Toroſio, Ducéque Marmiſtenſi, & de Fratribus noſtris quampluribus ſibi acceerſitis, fratres & homines ſuos tanquam bonus Mathatiæ filius ſuccurrere propoſuit. Tantos etenim milites, Turcopolos, & pedites coadunauit, quòd nunquam noſtris in temporibus ab illis partibus tam pulchra coadunatio fidelium aduerſus infideles armata proceſſerat. Factum eſt autem dum aduerſus Crucis inimicos duodecimo die exeunte Auguſto armati procederent, eos in primo conflictu fugauerunt, ſed in multitudine gentium confiſi, & plurimum reſiſtentes noſtros ſuſtinuerunt, & diſconficerunt,

LVDOVICVS VII, IVNIOR.

Principem & Comitem ceperunt, licèt multi eorum corruiſſent in gladio. Quid vltra? victoriam habuerunt, ſed cruentam. Præterea huc atque illuc per terram diſcurrentes, Harenc ceperunt, & Antiochiam obſederunt. Non eſt enim qui eorum immanitati reſiſtat. De ſexcentis militibus, & duodecim millibus peditum, vix pauci qui nuntiarent euaſere. Eleuatum igitur cornu inimicorum noſtrorum, humiliata eſt in laboribus virtus noſtra. Supplices etenim flexis genibus coram caritatis veſtræ pedibus prouoluti, à liberalitate veſtra auxilium poſtulamus, & expectamus. Interpellet vos ipſa conſcientia veſtra, moueat vos ſinceræ caritatis affectus, redemptionis noſtræ locus, Terra ſancta, vrbs fortitudinis, Eccleſia primitiua. Semel ac ſæpiùs vobis talia mandauimus. Nunc autem impenſiùs, ac impreſſiùs. Nobis equidem orationes ac rogare, vobis autem operationes ac rogata perficere diuina gratia præſtitit. A

EPISTOLA CCCLVIII.

LVDOVICO *per Dei gratiam Francorum Regi excellentiſſimo, Patri in Chriſto cariſſimo, A. per eandem Hieroſolymorum Rex ſalutem, & ab eo qui omnium Regum eſt Rex, regi.* QVONIAM ex Regia Maieſtate vos poſſe ſcimus & ex deuotione piæ voluntatis vos deſiderare non ambigimus, omnibus neceſſitatem patientibus auxilij veſtri interuentionem proficere: idcirco per præſentia ſcripta deflendam omnibus Chriſtianorum, qui in Terra ſancta Hieruſalem ſunt, erectis Turcorum cornibus, depreſſionem, Sublimitati veſtræ, licèt eam iam fortè audieritis, exponere dignum duximus. Nobis apud Egyptum cum Syracuino dimicantibus, & per virtutem Dominicæ Crucis indè eum maximè ſi ibi permanſiſſet vniuerſitati Chriſtianitatis nociturum expellentibus, factum eſt vt Comes Tripolitanus, & Princeps Antiochenus, cum multo exercitu ad liberãdum caſtellum prope Antiochiam ſitum nomine Haring, quod Noradinus cum innumera multitudine obſederat, irent, & auxilio diuino hoſtibus eorum aduentui cedentibus liberarent. Accidit autem, vt dum præfati, Princeps ſcilicet & Comes, non contenti tanto Dei beneficio ſuperbè hoſtes ad loca naturaliter muniriſſima inſequerentur, ipſos ab hoſtibus capi, & omnem ferè eorum exercitum partim capi, partim occidi. Additus eſt præterea huic dolor dolori. Nam traditorum manus præfato Noradino, cùm adhuc in Egypto eſſemus, Panudium, quod vulgo Belinas dicitur, tradiderunt. Sic itaque quaſi in anguſtiæ pendulo ſancta laborans Terra, veſtrum & veſtrorum potiſſimum, quod ſibi efficaciſſimum fore ſperamus, nobiſcum implorat auxilium. Valete. Datum Antiochiæ II. Id. Ian. B

EPISTOLA CCCLIX.

EXCELLENTISSIMO *Regi Francorum, H. non nunc, ſed quondam Prior de Monte Tabor, licèt indignus, ſalutem, intimaque dilectionis effectum cum ſalute in Chriſto.* QVONIAM ſubiecti vniuſcuiuſque eſt Domino ſuo ſtatus & ſeriem habitudinis ſuæ Literis declarare, idcircò mea Epiſtola, quamuis magna interſit locorum diſtantia, prætulit ad veſtras poſſe venire manus. & nihil eſt de quo lætior eſſe queam, quàm ſi vſq; ad veſtri præſentiam Deo concedente ſuperuenerit. Cõſiderato à minimo etiam veſtræ Curiæ Clerico, ſciatis me in Curia Domini Imperatoris Conſtantinopolis præ omnibus ſuis familiaribus primatum tenere, ibiq; quoniam veſtrorum minimis præſentialiter nequeo famulari, cum omnium affluentia bonorum plurimum egere. Et indè eſt quòd flexo capite veſtram imploro beniuolentiam, vt Imperatori Conſtantinopolitano veſtras Literas mittere dignemini, quatinus ad vos vt ad meum cariſſimum Dominum omni occaſione remota me venire dimittat: & ſi vnquam aliquod ſeruitium, quod vobis placeret, fecerim, modo maximè appareat. G. etiam, & R. de Merlo, mei videlicet propinqui, flexis genibus veſtræ beniuolentiæ integritatem expoſtulant, vt quod vobis Literis meis manifeſtatur facere non dedignemini. Et inſuper veſtri nominis Excellentiam efflagito, vt huic baiulo quàm citiùs poterit ad me reuerſuro, non tamen pro mei merito, ſed pro veſtri clementia, manu aliquantulum larga ſubuenire faciatis. Valete. C

EPIST.

A

EPISTOLA CCCLX.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ILLVSTRISSIMO *Dei gratiâ* LVDOVICO *Regi Francorum*, *P. Frater Hieroſolymitani Hoſpitalis & Prior Eccleſia beati Iohannis Conſtantinopoleos, nuntiúſque ſanctiſſimi Imperatoris E. vtriuſque vita felicitatem.* NOSCAT Celſitudo veſtra, Domine reuerentiſſime, quòd ex parte Domini Imperatoris ad vos propriè miſſi ſumus, & ex præcepto Imperiali habemus, quatinus veſtram citiùs quàm domini Papæ viſitemus præſentiam. Quapropter veſtram obnixè deprecamur benignitatem, quatinus velitis ac præcipiatis, vt ſecundum diſpoſitionem Domini Imperatoris hoc implere valeamus abſque ſcandalo Domini Apoſtolici, quia nuntius eius nobiſcum eſt, & ad Curiam illius nos primitus ire compellit. Quod nullatenus, donec veſtram viderimus Maieſtatem, faceremus. Valeat diu Celſitudo veſtra.

EPISTOLA CCCLXI.

Eadem cum Epiſtola CCCLII. præter inſcriptionem.

LVDOVICO *Dei gratiâ piiſſimo Regi Francorum, magnifico ac ſemper illuſtri,* B. DE BLANCESFORT *cum debitæ ſubiectionis obſequio de Syon Hieruſalem contemplari quam ſuſpirat.* ORIENTALIS Regni perturbationem, graues euentus intextos infortuniis ſcripto vobis intimare operæpretium duximus, cùm proſperorum nuntiandi facultas vniuerſaliter ferè nobis denegetur. Ne verò Maieſtatem veſtram prolixa improperiorum noſtrorum relatione amaricare videamur, capitulatim vobis ea ſcribere inuiti compellimur. Ecce perſecutores veritatis ac fidei inſpecta anguſtiarum noſtrarum multitudine inſoliti furoris audaciâ aduerſum nos armantur. Ipſos namque R. Principis Antiochiæ exaltat captiuitas, cædéſque ſuorum, & Magnatum Principatus factæ in Principis captione. Hinc ab eis terra depopulata ipſos lætificat. Hinc nutu diuino noſtrorum exigente mole peccaminum, terræmotu diſſipatæ munitiones, euerſa caſtella quamplurima, innumeríque, quos dirutorum murorum colliſio oppreſſit, multiplicato eorum furore aduerſum nos ſolito multò acriùs accendit. Ecce iterum prædicta grauia multò grauiora ac flebiliora flebilibus nouiſſimè ſubſecuta ſunt. Rex namque B. qui omni vitæ ſuæ tempore murus ſtetit inexpugnabilis pro domo Iſraël, naturæ perſoluens debitum viam vniuerſæ carnis ingreſſus eſt. Scilicet damnum diebus noſtris incompatabile. Hæc & his ſimilia Eccleſiæ perſecutores attendentes, ab extremis eorum finibus in vnum conueniunt, quaſi vir vnus aduerſus Sanctuarium Dei, delere de terra memoriam noſtram, Eccleſiámque fidelium, quod abſit, infinitæ eorum multitudinis oppreſſione deprauare conantur. Super hæc Dei ac veſtrum auxilium, conſilium ac ſubſidium ingemiſcentes poſtulamus. Regnum etenim Hieroſolymitanum, licèt plurimùm propriis viribus deſtitutum ſit, neceſſe tamen eſt, quatinus Antiochiæ Principatui omninò deſolato manum conſolationis extendat, viréſque, quas, vt ita dicam, non habet, viriliter largiatur. Sed quid egenti præſtare poterit, qui egeſtate afflictus in ſeipſo anguſtiatur? Oppreſſionem igitur Orientalis Regni & Eccleſiæ ipſa conſcientia veſtra diligenter inſpiciat, in Paſſionis Reſurrectioniſque loci ſubſidium diuinitus inflammetur. Oramus obſecrando quod poſſumus, quod ipſi quærimus Dominicæ à vobis locus impetret Reſurrectionis. Singula improperiorum noſtrorum, attenuationis noſtræ, elationis inimicorum, Paſſionis ac Reſurrectionis Chriſti, malorum vobis ſcribere numeroſitas impedit, quæ nos latorum præſentium, ſcilicet Fratrum noſtrorum, relationi fideliter commendauimus, ac ſub eorum teſtimonio reſeruari dignum credidimus.

B

C

EPISTOLA CCCLXII.

INVICTISSIMO *Dei gratiâ* LVDOVICO *Francorum piiſſimo Regi, A. eadem gratiâ ſancta Dominica Reſurrectionis Eccleſia Patriarcha, vna cum N. Priore, & vniuerſo Canonicorum inibi Deo famulantium Conuentu, ſalutem & debitas orationes in Chriſto.* PIÆ Celſitudinis veſtræ bonitas, & manſuetudo, fama loquente, vt experti ſumus, nobis veraciter innotuit, quòd in cauſa ſeruorum Dei ſtudioſè

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

concurrat, & religioſis viris ſinceritatis ſuæ ſolatia copioſè ſubminiſtret. In primis igitur liberalitati veſtræ immenſas gratiarum actiones perſoluimus: quia, ſicut multorum relatione ſuſcepimus, res Dominici Sepulchri, cuius ſerui ſumus licèt indigni, amoris reſpectu diuini vbique inquantum poteſtis augere non deſiſtitis. In his ergo quæ ad Deum ſunt ante ſacroſancta loca Paſſionis & Reſurrectionis Dominicæ iugiter pro vobis exiſtentes, fraternitatis noſtræ ac beneficiorum noſtrorum vos conſortem ſtatuentes, dilectum Fratrem, & Canonicum noſtrum S. latorem præſentium benignitati veſtræ propenſiùs commendamus. Humiliter rogando, quatenus ei ob reuerentiam glorioſiſſimi Sepulchri in quibus indiguerit auxilium veſtrum largiri dignemini, & tam eum, quàm res ſibi commiſſas ſuo veſtra Sublimitas fauore manutenere dignetur. Inſuper veſtræ probitatis Excellentiam obnixè deprecamur, quatinus prædicto S. Canonico Hoſpitale quoddam, vel alium quemlibet locum, ſub protectione alatum veſtrarum, vbi ad honorem Dominicæ Reſurrectionis refugium habere poſſimus, pro ſalute animæ veſtræ, omniúmque nobilium parentum veſtrorum concedere dignemini. Valeat tantus Rex fortiſſimus. A

EPISTOLA CCCLXIII.

EXCELLENTISSIMO *atque magnifico Regi Franciæ* LVDOVICO, HVGO *Dei gratiâ Sanctæ Mariæ Adrianopoleos Abbas, & Petrus Prior Sancti Iohannis Conſtantinopoleos, eius fideliſſimi, ſalutem, & in regimine ſibi commiſſo placere ſummo Rectori.* NON lateat perſonæ veſtræ magnitudinis, Pater reuerentiſſime, quia ſi importunitas temporis non ſic nos conſtringeret, nos egreſſi eſſemus ex partibus Prouinciæ. Sed ſciatis in rei veritate, quoniam galeæ paratæ ſunt apud Narbonam, & propter rumorem nolumus vt veniant apud Sanctum Egidium, quia nolumus vt omnibus pareat iter noſtrum. Nunc verò noſcat magnitudo veſtræ Maieſtatis, Pater reuerentiſſime, quià multum contriſtati ſumus, quia vidimus nuntios veſtros ſine Literis ad Regem Siciliæ. Quia vos benè ſcitis, quoniam nos ituri & reuerſuri ſumus per ipſum, cum pecunia: & per aliam viam ire, nec reuerti poſſumus. Et iſtud negotium eſt Regis Siciliæ, ſicuti Imperatoris & veſtri, & benè ſcimus quia vos diligitis eum. Vnde rogamus perſonam veſtræ magnitudinis, vt per nuntios veſtros dirigatis ei Literas tales, quòd ſint honorabiles veſtro Regno & ſibi, & ſic credat Legatis veſtris quaſi vos loqueretis cum ipſo. & ſi placet veſtræ magnitudini mittite nobis Literas quàm citiùs poteritis, vt nobiſcum poſſimus differre per præſentium latorem Literarum, & nec vnum diem moram faciat vobiſcum. Valeat Celſitudo veſtra ſanctiſſima. B

EPISTOLA CCCLXIV.

LVDOVICO *per Dei gratiam Francorum Regi ſereniſſimo, patri & amico ſuo cariſſimo,* AMALRICVS *per eandem Hieroſolymorum Rex ſalutem.* DE veſtræ paternitatis clementia, & Regno veſtro, ſpecialiter ſperat ſibi auxilium & conſilium Orientalis Eccleſiæ toti Chriſtianitati lugubris miſeria. Indè eſt nimirum, quòd de innata vobis benignitate plurimum confiſi, pro omnibus Terræ ſanctæ deuotis veſtræ ſupplicamus paternitati: præcipuè pro Fratribus Templi veſtram exoramus Maieſtatem, quatinus ſolito more illos commendatos habeatis continuè, qui cotidie moriuntur pro diuino ſeruitio, & per quos poſſumus ſi quid poſſumus. In illis enim tota ſumma poſt Deum conſiſtit omnium eorum, quæ ſano fiunt conſilio in partibus Orientis. Vnde quicquid eis fecerit Regia veſtra Maieſtas, & muniflua dextera pietatis, noſtræ perſonæ idipſum maximè æſtimetis vos impendiſſe. Valete. C

EPISTOLA CCCLXV.

LVDOVICO *Dei gratiâ inclyto & venerabili Regi Francorum Domino ſuo cariſſimo,* BERTR. DE BLANCAFORT *eadem gratiâ Militiæ Templi Magiſter*

A *dictus, de Regno ad Regnum feliciter transferri.* QVOT & quanta nobis & prædeceſſoribus noſtris de munificentiæ veſtræ largitate collata ſint beneficia, ſi per ſingula proſequi temptabimus, nec Litera poterit, nec lingua ſufficere. Nam cùm ab ineunti ætate veſtra liberalitas circa Domus noſtræ propagationem laborioſa deuotione ſtuduerit, adhuc Deo gratias in eodem ſuo tenore perdurat: Deo propitio, & vita comite in poſterum duratura. Et vt retroacta tempora replicemus, raro vel nunquam inuenietur ſancta deuotio deſtitiſſe, quin ſemper aut ſua nobis propenſiùs ingereret, aut aliena benigni ſui fauoris aſſertione noſtris vſibus applicaret. Pro quibus omnibus reuerentia etiam & honorificentia Fratri G. Fulcherij à vobis exhibita, quia grates condignas referre non poſſumus, referendas illi ſoli committimus, qui quod oculus non vidit, nec auris audiuit, in æterna recompenſaturus eſt claritate. Idem namque Fr. G. Fulch. in vniuerſitatis veſtræ præſentia genibus prouolutus, veſtram circa ſe ſtudioſitatem tantis extulit præconiis, vt penè citra credulitatem, & ſupra ammirationem fieret vniuerſis. Vnde & hîc & vbique nos & noſtra omnia veſtræ ſupponimus & exponimus voluntati. De cetero ſuper oppreſſione ſanctæ Terræ, & maximè Antiochiæ, quid loquemur? ad quos ibimus? quos implorabimus? Vobis enim totiens dictum eſt, vt ſit facilius repulſam ex tædio, quàm ex pietate lachrymas promereri. Antiochiæ tamen res adeò confractæ, & ad tantam redactæ ſunt paupertatem, vt ad eam recipiendam
B in ſuam collectis vndique copiis venire velit, & accingatur Imperator. Quippe? ea namque per tot infortuniorum gradus ad hanc ſeruitutum perducta eſt ſummam, vt immanitati Græcorum ſeu Turcorum ad primum concurſum pateat expoſita. Adhuc tamen ad vos reſpicit miſera mater & Apoſtolica Sedes Antiochena, amaritudine & mœrore confecta. Valete.

EPISTOLA CCCLXVI.

LVDOVICO *per Dei gratiam Francorum Regi glorioſiſſimo, & amico ſuo sereniſſimo*, AMALRICVS *per eandem Hieruſalem Rex ſalutem.* QVONIAM veſtram perſonam & Regnum veſtrum diligimus, & vobis ſeruire parati ſumus, & ſpecialiter de vobis & de Regno veſtro ſperamus, ſucceſſus noſtros veſtræ notificare Maieſtati dignum duximus. Sciat ergo veſtra Excellentia, quòd intrauimus Egyptum cum gente quam habere potuimus. Terram enim noſtram pro poſſe noſtro munitam pro Noredino reliquimus, qui omnes quos potuit euocauerat à Baldac & ab Euphrate, & ab omnibus terminis eorum. Ante ciuitatem verò Egypti nobiliſſimam, quæ dicitur Bulbeis, congreſſi fuimus cum Egyptiis, turmis vtrinque diſpoſitis, & fronte ad frontem locatis. Deus autem, cuius non eſt victoria in multitudine, multitudinem inimicorum ſuorum conuertit in fugam; & infinitis morti datis, de melioribus & maioribus terræ multis captis, in campo il-
C lo pernoctauimus. In craſtino autem ciuitatem prænominatam aſſiluimus mirabiliter, & niſi per interpoſitionem fluminis paradiſi, qui ex improuiſo nobis ſuperuenit, ſicut ſingulis annis ſolitus eſt, impediremur, ſicut ſperamus vrbs illa vel caperetur, vel redderetur. Si igitur ex ſolito nos virtus veſtra magnifica adiuuare voluerit, Deo dante, ex leui poterit Egyptus ſanctæ Crucis caractere inſigniri. Valete.

EPISTOLA CCCLXVII.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Regi Galliæ*, *P. gratiâ Dei Ruth. Eccleſiæ humilis Miniſter ſeipſum & ſua omnia.* CVM iuxta tenorem Literarum veſtrarum Serenitatis veſtræ præſentiam adire ea qua oportebat ſollicitudine & diligentia pararemus, itaut iam in ipſo itineris procinctu eſſemus, ſubitò diuulgatum eſt ſatellitum Regis Angliæ, militum videlicet & ſagittariorum, atque pedeſtrium, armatam multitudinem aduenisse. Qui terras circa nos poſitas deuaſtantes, fines quoque territorij noſtri inuadere diſponebant. Quocirca conſilium fuit atque voluntas noſtri Comitis Ruth. & virorum terræ noſtræ, vt Comes ipſe ante conſpectum veſtræ Celſitudinis veniens vices noſtras apud vos

LVDOVICVS VII IVNIOR.

ſuppleret: nos verò infra territorium remanentes quantum poſſemus pro ipſo & pro nobis illud ab hoſtibus tueremur. Tanta ergo communis vtilitatis neceſſitate detenti precamur, ne noſtram abſentiam moleſtè accipiatis. Vbicumque etenim ſimus veſtri ſumus, & vos fideliter diligere, veſtræque voluntati in omnibus parere ſemper operam dabimus. De cetero magnificentiæ veſtræ pro eodem noſtto Comite Ruth. multimodas grates referimus. In noſtra namque amicitia adeo deuotus, & in obſeruantia pacis eſt adeo ſollicitus, vt filius noſter & pater totius pattiæ meritò dicatur. Precamur autem veſtri culminis dignitatem, quatinus eum veſtris exhortationibus animetis, vt in eo quod benè cœpit vſque in finem indeficiens perſeueret. A

EPISTOLA CCCLXVIII.

DOMINO *ſuo reuerentiſſimo, nobiliſſimo Regi Francorum, Fr. Euſt. Caniſ. omne gaudium.* EXCELLENTIAM veſtram latere nolumus, quoniam iuſſioni veſtræ diligenter obtemperantes Philippo Comiti Flandriæ explicauimus de verbo illo, quod Frogetius illum dixiſſe vobis inſinuauit: videlicet quòd vos adiuuaret contra omnes homines, excepto ſolo corpore Regis Angliæ. Cui verbo ipſe ſic obicit, vt in Literis ſuis vobis tranſmiſſis, quas nobilitati veſtræ vnà cum noſtris præſentamus, petcipere poteſtis. Valete in Domino. B

EPISTOLA CCCLXIX.

Eadem ferè eſt cũ Epiſt. CCCLVI.

LVDOVICO *Dei gratiâ glorioſiſſimo Regi Francorum ac Domino ſuo per omnia reuerendo, B. eadem gratiâ Militiæ Templi Magiſter dictus, regnum ſine fine manſurum.* IN venerandæ Celſitatis veſtræ præſentia, Domine mi Rex, ſæpenumerò credimus recitatum qualiter, qua intentione, & quandiu cum Domino Rege, & ſub ſalutiferæ Crucis vexillo militauimus in Egypto. Si enim ſceleratiſſimus ille Noradinus interueniente Syraconis audacia, Regno Babylon. vt affectabar, potiretur, qui nunc etiam vix tepellitur à nobis, multiplicatis viribus tantus incumberet, vt per pyraticam clauſo mari periculoſum etiam fugæ locum non concederet timidis & ignauis. Ea ſiquidem erat intentionum ſuarum ſumma, eáque gratia miſerat in Babyl. Syraconem, vr infinitam multitudinem vel vi dominationis, vel ſimulatæ pacis aſtutia ſecum aſciſceret, & in abolitionem Chriſtiani nominis duo potentiſſima Regna fœderaret inuicem. Verùm reſpexit nos deſuper diuina clementia, conceſsitque Chriſtus cultoribus ſuis, licèt non incruentam, de infidelitate victoriam. Suprà memoratus namque Syracon reddita tandem nobis Berbeſio validiſſima ciuitate, quam obfirmatam munierat triginta millibus bellatorum, (iam enim quarta patriæ pars illi adhærendo timore magis quàm amote fauebat) in triumphalis tamen Crucis ligni virtute coactus non ſine multo ſuorum detrimento pulſus eſt à patria: quam quidem triduo ampliùs tardanre ſuccurſu, nullo reſiſtente, fuerat in dominium poſſeſſurus. Nos autem poſtea reuertentes, inuenimus pro peccatis noſtris ſanctam Terram ſatis & ſuper deſolatam, Paneadémque ciuitatem, qua non erat in toto Regno munitior, furtiua ſubreptione Turcis redditam per manus proditorum. Antiochiam quoque miſeram & miſerabilem, infelices ſuorum caſus euerſionémque ſui, niſi Deus auertat, iam proximam inſolabilibus lachrymis deplorantem. De qua quidem iam nihil eſt dubitabile quin in Turcorum, aut in Græcorum manus veniat; & in proximo, niſi ei diuina miſeratio, veſtræque perſpicuitas Excellenriæ ſuccurſum prouiderit feſtinatum. Non enim poteſt Rex noſter magnus licèt ac magnificus Hieroſolymitano, Tripolitano quoque, & Antiocheno regimini ſolus ſufficere. Et nos quoque in eorum quæ loquimur fidem ad vos de Optimatibus huius terræ miſiſſemus, niſi quia poſt ſancti Andreæ feſtum non erant procellis committendi. Valete, & mementote noſtri, qui & veſtri memores exiſtimus inceſſanter. Conſeruet Deus & vos & Regnum veſtrum in tranquillitate pacis, & mittat vobis in cor vt ſanctæ Terræ conſilium & auxilium præbeatur. C

A EPISTOLA CCCLXX. Lvdovicvs VII. Ivnior.

LVDOVICO *Dei gratiâ glorioſiſſimo Regi Francorum Domino ſuo cariſſimo, Fr.* GAVFREDVS FVLCHERII *Hieroſolymitanæ domus Templi Præceptor ſalutem.* SICVT extincta parum fideliter incendia maiore tandem flamma reuiuiſcunt, ſic diſconfectus à noſtris paulò antè Noradinus tranſiit ipſe Eufraten Perſâſque ac Turcomannos, Niniuitas etiam, & quicquid gentium ab extremis vſque finibus ſuſcitat in ſui pudoris vltionem. Collectâque multitudine tam inæſtimabili, Herennium oppidum cœpit in Antiochenis finibus obſidere. Quod intuens bonæ indolis adoleſcens noſter Boamundus iam Princeps, & magnum illum genitorem ſuum per omnia referens, tantæ multitudini non formidat occurrere. Et dum eis in paterna virtute congreditur, occulto Dei iudicio deuictus captiuatur. Quódque ſine lachrymis dicere non debemus, ipſe & Comes Tripolitanus cum Duce Mamiſtræ, dominóque Vgone de Leziniaco,& aliis quamplurimis, Alapiam ducti incarcerantur. Reliquus autem exercitus, magnus licèt ac metuendus, cæſus aut captiuatus ferè totus. Sed & de Fratribus noſtris ceciderunt in ore gladij ſexaginta milites fortiſſimi, præter Fratres clientes & Turcopolos. nec niſi ſeptem tantùm euaſere periculum. Antiochia ſiquidem amiſſis bellatoribus ſuis à primo ad vltimum tota patet. Quippe cùm in omnibus finibus eius nihil prorſus eſt reliquum,
B præter ſolum corpus miſeræ ciuitatis, de qua etiam timetur, vtpote quæ armorum, virorum & victualium coarctatur penuria. neque enim habet ſufficientia per duos menſes cibaria. Quódque nondum data eſt in poteſtatem, ſolus poſt Deum fecit & facit Patriarcha, qui ad tempus ſequeſtrata Patriarchali dignitate munit oppida, diuidit eſcas, largitur donatiua, nec dubitat etiam de vita periclitari pro patria. Sed quid indè? Suſtinebit vtique, ſuſtinebit Turcos: ſed Imperatori Conſtantinopolitano, qui venit, non poterit reſiſtere omni humano auxilio deſtitutus. Rex enim noſter, quem ſua gratia conſeruet Omnipotens, ſub ſanctæ Crucis vexillo profectus in Egyptum cum ſuis, & cum altera parte Fratrum noſtrorum, à prima die Auguſti tenet incluſum in Herbeſio * ciuitate vſurpantem ſibi Regnum Babyloniæ Comeſtabulum Noradini Syraconem. Et nos quidem in Hieroſolymis pauciſſimi, tanta eſt Turcorum, & vt veriùs dicam ſpurcorum infinitas, non ſumus ab infeſtatione, & impugnatione ſecuri. Videtis ergo ſecuritatem noſtram, videtis quàm diſſimulaueritis, aut tardè credideritis, vt ſoletis. Niſi antequam reſiduum Chriſtianitatis conſumatur ſuccurſum præbueritis, metuendum eſt ne cùm volueritis non poſſitis. Accingantur itaque qui Dei ſunt, & qui Chriſtiano nomine cenſentur, veniant patris ſui Regnum, & libertatis noſtræ patriam liberare, ne patrum noſtrorum ſanguine viriliter comparata periclitetur turpiter & irremediabiliter in manus filiorum. Ne expectetis hinc alios nuntios, quia Rege & Magiſtro abſentibus non audemus, non audemus dimittere probos homines in hoc arcto.

* ſup. Berbeſio.

C

EPISTOLA CCCLXXI.

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi nobiliſſimo Domino ſuo*, B. RAIMVNDI *quondam Antiochiæ Principis filius eius homo & famulus, ab eo qui dat ſalutem Regibus.* QVONIAM, ſereniſſime Regum & Domine, de veſtræ magnitudinis clementia non modicam fiduciam habemus, pietatis veſtræ genibus proſtrati totis viſceribus mentis inuoluimur: quatinus Orientalium patrium ac maximè Antiochenarum frequens ac lachrymabilis miſeria atque deuaſtatio Altitudinis veſtræ viſcera commoueat, vt veſtro auxilio atque conſilio in eius manibus ſpes noſtra atq; refugium ex omni parte ſpectat, ac ſingulariter conſtat. Quod quidem ſuſpitanti animo cotidie præſtolamur, dicentes: Quando veniet? putas durabo? Terra noſtra iam in arcto poſita, & nos ab inimicorum Crucis Chriſti faucibus erepti Deo vero laudes referamus, & vos in cœleſtibus ab ipſo Deo coronemini. Nos enim niſi Dei auxilio & veſtro in proximo ſubleuemur, cum patria noſtra & gente omnes in miſeriam ac funus lachrymabile iam labimur. Securis namque ad radicem arboris poſita eſt. Proh dolor! quantum dedecus erit omni populo & vobis, ſi terram iſtam, terram quidem tanta effuſione ſanguinis parentum veſtrorum tanta ſiti & fame adquiſitam, à nefanda gente violari permittat ac deſtrui? Scitis equidem, Domine,

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

vt credo, ac ſatis audiſtis, quæ & qualia damna in finibus Antiochiæ in tranſacto anno acciderint, tum videlicet in captione Principis, & aliorum virorum, qui cum eo erant, & in tanta populi Chriſtiani deprædatione, atque exterminatione, tum etiam in tanta munitionum, igne, ferro, deſtructione, atq; extirpatione, tum etiam tanto terræmotu, tali, ac inaudito, qui ferè omnes munitiones Antiocheni Principatus, & omnia caſtra ſolo tenus euertit. Sed de his ad præſens prætermitto. Ceterùm autem, quæ vobis hic præſentium lator, vir quidem magnæ religionis ac bonæ vitæ, ex parte noſtra dixerit, fideliter credatis. A

EPISTOLA CCCLXXII.

LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum cariſſimo Domino ſuo, Fr. G. Fulcherij eadem gratia Militiæ Templi conſeruus humilis ſalutem.* BENEFICIA & honores paruitati meæ à vobis exhibitos dignis laudibus attollere, aut recompenſationibus adæquare qui valeat? Solus Deus, qui vobis ſua gratia in æterna beatitudine dignetur retribuere. Ego autem Deo gratias, ſanus & incolumis Acon appuli, Magiſtróque & Fratribus primùm ex veſtra parte ſalutatis, quantam mihi honorificentiam pro Dei amore, eorúmque reuerentia, exhibueratis, expreſſi. Illi autem ſuper hoc vobis gratias agentes, ſeque & ſua veſtræ Celſitudini commendantes, orationum ſuarum vobis & pro vobis offerunt inſtantiam. Mihi autem famulo veſtro non credatis elapſum, quod ab ore veſtro cùm à vobis recederem accepiſſe me gaudeo. B Dixiſtis enim mihi, vt ex parte veſtra loca ſancta ſalutarem, & in viſitando ea memoriam veſtri facerem in ſingulis. Cuius rei non immemor, hunc anulum, quem vobis mitto, per ſancta loca circumferens, & ſingulis applicans, in memoriam veſtri ſingulis impoſui. Pro cuius rei reuerentia, precor vt anulum cuſtodiatis & habeatis. Valete, valete iterum & iterum cum mei memoria.

EPISTOLA CCCLXXIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ Regi excellentiſſimo Francorum*, BERTRANNVS *Militiæ Templi Miniſter humilis ſalutem, & in Chriſto regnare.* AD aures veſtræ Sublimitatis perueniſſe non dubitamus, quo timore afflictus Dominus noſter Rex Amalricus communi conſilio Chriſtianitatis contra Sarracenum, quem Noradinus cum multo exercitu ad Regnum Babyloniæ direxerat ſibi ſubiugandum, cum pretioſo ſanctæ Crucis ſigno perrexerit, & qualiter redierit. Niſi enim tanta exigiſſet noſtris promerentibus culpis terræ Antiochiæ turbatio & deſolatio, præſidio Dominicæ Crucis Dominus Rex velle ſuum de inimico feciſſet. Sed audita incommoda Antiochiæ vt conſilio prouidit, indè receſſit. Putabat enim prædictus aduerſarius Babylonicum Regnum ſuo dominio ſubiacere, & Chriſtum colentibus ingreſſum ad Ieruſalem terra marique impedire. Nam Deus, qui ſuos nouit vbique cuſtodire, longe conſilium ipſius iniquum aliter diſpoſuit. Tanta autem, sereniſſime Rex, ſunt vtriuſque patriæ, Antiochiæ ſcilicet & Hieroſolymitanæ, incommoda, quòd C præ nimietate ſui noluimus vobis ſcripto ſignificare. Denique veſtræ eximiæ dignitati hunc præſentium latorem fratrem Galterium honeſtum & in negotiis Dei ſollicitum dirigimus, qui in negotiis ipſis permanſit, & initium finémque vidit. Ipſe verò veſtræ Sanctitati placita ſuper hoc referabit. Quæ enim Sublimitati veſtræ dixerit confidenter, attendatis tanquam noſtro ex ore prolata. Et ignoſcat veſtra Excellentia, quoniam oculi totius Chriſtianitatis Orientis poſt Dominum in vos reſpiciunt, vt à tantis malis, dum tempus inſtat oportunum, per vos eripiatur.

EPISTOLA CCCLXXIV.

LVDOVICO *glorioſiſſimo Regi Francorum ac dilecto conſanguineo ſuo, VV. Dei gratiâ Dux Spoleti, Marchio Tuſciæ, Princeps Sardiniæ ac Corſicæ, & Dominus totius Domus Comitiſſæ Matildis, debitum ſeruitium cum dilectione perpetua.* REGIÆ magnificentiæ veſtræ vberrimas referimus grates pro exhibita domino ac Patri noſtro Alexandro Papæ reuerentia ac cura. Hoc quia diuina vobis inſpirauit affectio, ac propria induſtria, pro noſtro admonitus ſeruitio perficite, donec tranſeat iniquitas. Speramus autem Eccleſiæ Dei pacem citiùs reformandam, & veſtri laboris in hoc ipſo deuotionem perpetuò à Deo remunerandam. Præſentium latorem attentiùs dilectioni veſtræ commendamus.

A

EPISTOLA CCCLXXV.

CARISSIMO *& excellentiſſimo Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum*, GOCERANNVS GROSSVS. *ſalutem & debitum obſequium.* QVAMVIS veſtræ Maiſtatis pręſentiam, vtpote in extremis Regni veſtri poſitus, non ſæpiùs video, tamen veſtræ reuerentiæ diligentiam memori pectore infixam aſſiduè teneo: & audita veræ proſperitatis famâ omninò gaudeo, & ad omnia à vobis imperata prout poſſum obedire paratus maneo. Dominationem itaque veſtram, de qua admodum confido, obnixè implorans expoſtulo, vt honeſtæ petitioni meæ Excellentia veſtra condeſcendat, & voluntati meæ effectus veſter adquieſcat. In Eccleſia equidem Matiſconenſi, quæ veſtræ tutelæ ſubiecta eſt, honor cuiuſdam Archidiaconatus vacat, pro quo veſtræ dignitatis beniuolentiam humiliter exoro, vt Epiſcopo eiuſdem loci ſcribatis, & precando diligenter mandetis, quatinus eum cuidam nepoti meo eiuſdem Eccleſiæ Canonico, literis, & vita, & moribus ſatis honeſto, amore Dei & veſtri concedat.

EPISTOLA CCCLXXVI.

GLORIOSO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, *Comes* ROTHERICVS *ſalutem, victoriam, & pacem.* SINGVLARITATIS veſtræ opinio, benignitatis & æquitatis fama, vſque ad remotas partes Orbis diffuſa, alios ad amorem & dominium veſtrum inuitant. Me verò non iam fama, ſed res ipſa experimento mihi cognita & probata, & beneficia multipliciter mihi collata, præ aliis Regibus terræ ad diligendum & vobis ſeruiendum totum innectunt. Indè eſt, quòd ſecurè Excellentiæ veſtræ aliquid de ſtatu meo ſignificare diſpoſui. Poſtquam itaque à vobis diſceſſi, & in Hiſpaniam veni, à Rege F. tam de rebus mihi iure debitis, quàm de aliis nihil penitus conſecutus ſum. Sed in Portugalia ſub illuſtri Rege A. caſtella, honores, & diuitias magnas ſum adeptus. Cetera verò præcordiali amico meo G. venerabili Epiſcopo Vlixbonenſi vobis explicanda commiſi, cui ſuper his quæ ex parte mea vobis dixerit tanquã mihi credatis. Valeat Sublimitas veſtra in Domino.

B

EPISTOLA CCCLXXVII.

GLORIOSISSIMO *& victorioſiſſimo Dei gratiâ Francorum Regi* LVDOVICO, *B. Dux Burgundiæ cum deuotiſſimo ſeruitio fideliſſimam dilectionem.* PROBATISSIMÆ & indefeſſæ fidei veſtræ & benignitatis, quam omnibus tam alienis quàm conſanguineis ſecundum regalem munificentiam veſtram exhibere conſueuiſtis, nos quoque immunes nequaquam exiſtere, eo quòd de eodem ſanguine, ſi veſtra Excellentia non dedignatur, deſcendimus, plurimum confidimus: nos quoque per omnia prout voluntas veſtra nobis iniunxerit ſeruire vobis & obſequi abſque omni exceptione parati ſumus. Proinde ſuper hoc quod Imperator noſter, ſecundus verò Eccleſiarum legúmque deſtructor, vobis Regnóque veſtro ex faſtu ſuæ animaduerſionis tam minaces terrores incutere molitur, ſi quandóque, quod abſit, minas ſuas ad effectum perducere voluerit, veſtra nouerit ſerenitas, & certiſſimè ſciat, nos cum omnibus amicis & fidelibus noſtris, necnon eum aliquibus etiam maioribus Teutonicis Principibus, quotum plures pro noſtro amore, vel ex conſanguinitatis debito, plures etiam ex Imperatoris odio fautores habebimus, veſtræ parti conſilio & auxilio, prout diſcretio veſtra dictauerit, deuotiſſimos eſſe & paratiſſimos. Nacta igitur oportunitate, dilectiſſimum fratrem noſtrum Radulfum non qualitercumque, ſed canonica electione, quod vos latere non credimus, in Archiepiſcopatu Maguntino inueſtitum, ſed à præfato Imperatore noſtro, qui ob noſtri generis odium alium ſuperintruſit, valde aggrauatum, gratiæ veſtræ manutenendum tranſmittimus & committimus: plurimum deprecantes, vt in omnibus negotiis ipſius & apud domnum Papam Alexandrum, & vbique prodeſſe velitis, vt quandoque per veſtram & Apoſtolicam auctoritatem reſtitutus & ſtabilitus, nos & ipſe cum omni parentela noſtra, & amicis, tantis beneficiis veſtris condignè reſpondere poſſimus, & eo deuotiùs quantò vos in ipſius auxilio benigniorem exhibueritis. De cetero verò quicquid idem frater noſter vobis viua voce ex perſona noſtra retulerit, nobiſcum ratum & firmum abſque omni ambiguitate noueritis.

C

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CCCLXXVIII.

DILECTISSIMO *ſuo Domino* LVDOVICO *Regi Francorum*, *Ra. de Arl. ſalutem & debitum obſequium.* VESTRÆ Celſitudini nobilitatis notificamus, quòd Vicecomes Pul. à nobis de argento reſpectum quæſiuit vſque ad quindecim dies poſt feſtiuitatem beatæ Mariæ Auguſti, dicens & promittens mihi in bona fide, vt quicquid de peſagiis poſſit adquirere indè debitum argentum ſolueret. Inſuper ipſe Vicecomes voluit, & mecum concordauit, vt noſtri homines cum ſuis hominibus peſagia ſeruarent, ne aliqua fraus de peſagiis mihi fieret. Sed recepta ſunt peſagia, & ego argentum debitum ab illo poſtulo, & ille indignatur ſoluere mihi, niſi tali pacto vt ego illi ſoluam totum argentum quod vobis debet ſoluere pro LX. marc. Sed ego nolo, & amodo hoc totum ſit in veſtro conſpectu, & ſciatis quòd Vicecomes nec dictum ſeruat, nec obſides qui mihi pro argento ſupradicto erant fidem ſeruant. Valete.

EPISTOLA CCCLXXIX.

REGI *Franciæ* LVDOVICO *Dei gratiâ Lantgrauius deuotum ſeruitium cum ſincera dilectione.* QVOD hactenus nullam veſtri notitiam habuimus, ſatis moleſtè ferimus. Super quod Maieſtati veſtræ deinceps ſeruitiis noſtris tam iocoſis quàm ſeriis notificari volumus, & veſtræ voluntati ſuper omnia reſpondere cupimus. Filios enim meos omnes Literas diſcere propoſui, vt qui maioris ingenij, necnon maioris inter eos notaretur diſcretionis, in ſtudio perſeueraret. Ex his verò duos ad præſens nobilitati veſtræ mittere propoſui, vt veſtro iuuamine, necnon veſtra defenſione, Pariſius ſtabiliùs poſſent locari: ita tamen vt ſalua pace veſtra pro diſcordia, quæ eſt inter vos & Imperatorem, hoc ſecurè peragere poſſim. Sicut enim abſque medio hamus & capit & capitur, tali modo ſcimus quòd quicquid ſuper hoc nobis mandaueritis, illud omni dubio remoto aggredi audemus, quia non hoc immutabitis. B

EPISTOLA CCCLXXX.

FRATRI *ſuo dilectiſſimo Tomæ*, *Frater ſuus deſolatiſſimus, & hominum quorumuis miſerrimus Andreas ſalutem, & quicquid ſibi proſperitatis optat accedere.* FRATER chariſſime, mihi valdè volubilis, omnique incertior verni flamine facta eſt rota fortunæ, quæ me nunc ad ſtatum meliorem reductum in infimas ſummæ calamitatis partes detruſit. Hæc paulò antè mihi facie arridebat ſereniori, nunc vultu lugubri in me inuecta etiam ſpem viuendi mihi ſubtraxit. Væ! væ huiuſmodi belluæ! cui tam violentum dominium, cui tanta in nos ſæuiendi facultas permittitur. C Mallem quidem mihi ſupremos dies imminere, quàm hanc tam grauiter in me corruiſſe.

EPISTOLA CCCLXXXI.

GLORIOSO *Francorum Regi* LVDOVICO *Domino & conſanguineo ſuo* R. DE BALGIACO *ſalutem.* MAIESTATI veſtræ, cui & natura, & antiqua familiaritas me coniunxit, labores meos & neceſſitatem exponere dignum duxi, & veſtræ pietatis auxilium ſummis precibus implorare. Girardus Comes Matiſconenſis, cui multa beneficia & auxilia contuleram, & cuius filiam ad opus filij mei ſuſceperam, oblitus affinitatis, oblitus beneficiorum, oblitus etiam iuriſiurandi quo mihi obnoxius eſt, cum fratre ſuo Stephano, & Ymberto de Belloioco, ſuper terram meam cum magno exercitu venit, & eam igne & gladio vaſtauit, & quod grauius eſt, filium meum Vlricum cum multis captiuum duxit. Poſtremo, quòd me omninò exheredent minantur, & gloriantur hij omnes, cum Archiepiſcopo Lugdunenſi. Confugio igitur ad vos ſicut ad Dominum & amicum meum, rogans humiliter vt ad me eripiendum feſtinetis, & filium meum requiratis. Si enim vel filium reddideritis, vel prædictum Comitem G. & Ymbertum de Belloioco ad iuſtitiam mihi exhibueritis, paratus ſum pro impenſis veſtris plenariè vobis ad

A placitum veſtrum ſatisfacere, & ſuper hoc ſi vobis placuerit vel apud Eduam, vel apud Verziliacum, vel in quo vobis placuerit loco, vobis occurram, vel per nuntios veſtros, ſi eos dirigere volueritis, ſatisfaciam. Si autem neceſſe fuerit me ad vos ire, treugas inter nos conſtituite.

EPISTOLA CCCLXXXII.

DOMINO *ſuo venerabili* LVDOVICO *Regi Galliæ*, A. DE BORBONIO *ſalutem & obſequium.* QVANTA mala Comes Aluerniæ Eccleſiæ Claromontanæ & Canonicis illius intulit, quantas etiam iniurias Eccleſia de Mozac ab ipſo perpeſſa fuerit, longum eſt enumerare, & ex parte veſtra non ignorat prudentia. Præterea domum Decani Briuatenſis, quam Clerico veſtro Cadurco ipſe Decanus reddiderat, ad deſpectum veſtrum deiecit & diruit. Eapropter vobis mandamus, quatinus prædictum Decanum, & Abbatem Sancti Germani, honeſtos videlicèt viros, honeſtè ſuſcipiatis, & illis credatis. Nouiſtis autem quòd prædictus Comes & vobis & veſtris ſemper fuit contrarius. Verumtamen pedagia quædam accipit in Aluernia, quæ nullus antea habuit, & propter quæ mercatores antiquum tranſitum perdiderùnt.

B

EPISTOLA CCCLXXXIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi Domino ſuo & patri cariſſimo*, HENRICVS *Trecenſis Comes ſalutem.* SVPER hoc quod mihi ſignificaſtis, videlicet quòd Giſortium ad colloquium veniam, rem quæ ibi tractabitur adcò grandem eſſe exiſtimo, quòd ſuper hoc vobis ſine conſilio reſpondere non poſſum ad præſens. Verùm Baronibus meis, quos penes me non habebam, mandaui, vt ad me veniant in inſtanti Paſcha: & tunc habebo conſilium cum eis, & vtrum ad prædictum colloquium venturus ſim vel non, die Iouis feſtorum Paſchalium per proprium nuntium meum vobis renuntiabo. Valete.

EPISTOLA CCCLXXXIV.

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi Domino & patri ſuo dilectiſſimo*, THEOBALDVS *Bleſenſis Comes, Franciæ Seneſcallus, ſalutem, & id quod eſt, & quicquid poteſt.* DILECTIONI veſtræ notum facio, quàm præſumptuosè Gaufridus Præpoſitus voluit ſe ſublimare in Epiſcopum. Summo manè, antequam ſepeliretur Epiſcopus qui deceſſerat, venit in Eccleſiam beatæ Mariæ cum illis qui ei in hac re fauebant, & ſe ab iis fecit eligi in Epiſcopum, Decano abſente, & hoc penitus ignorante, qui primam vocem habet in electione, & quibuſdam etiam

C aliis Canonicis abſentibus. Decanus ſperabat quòd priùs Epiſcopus ſepeliretur, & poſtea omnes inſimul conuenirent, & ad vos more ſolito nuntios deſtinarent pro danda eis à vobis eligendi licentia. quod non fecerunt, vt audiui, & in hoc contra vos egerunt. Sed res ſi voluntas veſtra fuerit, benè poterit emendari, & ipſi in hoc benè corrigendi ſunt. Decanus poſtea audito hoc quod ſui feſtinanter, & ita incompoſitè, & ita inordinatè fecerant, intrauit Eccleſiam cum quibuſdam Canonicis, & Guillelmum fratrem meum in Epiſcopum elegerunt. Gaufridus nuntios ſuos ad vos miſit. Vnde dilectioni veſtræ multa precum inſtantia ſupplico, quòd electioni de ipſo factæ nullum aſſenſum præbeatis, donec vobiſcum ſuper hoc ſermonem habeam. De cetero Comes Henricus ad nuptias meas non veniet, quod ſimiliter vobis notum facio. Valete.

EPISTOLA CCCLXXXV.

LVDOVICO *Regi Francorum cariſſimo Domino ſuo*, *R. de Sancto VValarico fidelis ſuus ſalutem.* MANDASTIS per quemdam Monachum de Sancto Ricario, per quem vobis Literas meas miſeram, quòd quæreret à me quid eſſet, quod vobis mandaueram. In primis ſcitote de operibus de Gerberroi, factum nihil eſſe de omnibus his quæ imperatis. De Comitibus autem Aluerniæ ſciatis, quòd ipſi

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

dicunt quòd non audent de vobis conqueri, dum caſtella eorum, & obſides teneatis. Vnde precor vos, quòd ſuper hoc bonum conſilium capiatis, & quod vos decet indè faciatis. Regnum enim Angliæ, & totum poſſe Regis Angliæ veſtrum eſt. Si autem inter vos, quod nolit Deus, ira hoc tempore exorta fuerit, terra Hieruſalem detrimentum patietur. Per latorem præſentium mando vobis quædam, quæ ſcribere non poſſum. In Angliam me pergere ſciatis facturum quicquid honeſtum vobis & Regi Angliæ fuerit. Si quid mihi mandare velletis, pro poſſe meo adimplere laborarem. Valete. A

EPISTOLA CCCLXXXVI.

LVDOVICO *Regi Francorum Domino ſuo cariſſimo*, VVILLELMVS DE IPRE *ſalutem & dilectionem cum ſeruitio fideli.* VOS, Domine venerande, ad memoriam reuocare deſidero, quòd maxima liberalitate commotus in Flandriam veniſtis, & tantum dulcibus precibus veſtris, & ammonitionibus erga me & Comitem Flandriæ feciſtis, quod Philippum filium meum, quem tam carum ſola liberalitate veſtra habuiſtis, in ſaiſina & inueſtitura terræ meæ, ſcilicet hereditatis ſuæ, poſt dies meos poſuiſtis. Quia ergo ipſum Philippum tanta pietate veſtra dilexiſtis, precor & requiro miſericordiam veſtram, quatinus hunc Robertum fratrem ſuum loco ſui diligatis, & manutenearis, & tantùm liberalitate veſtra faciatis, quatinus in ſaiſina & inueſtitura ſit terræ meæ poſt dies meos, antequam Comes Theod. Hieruſalem pergat. Mihi enim fit intelligi, quòd Comes Theod. & filius ſuus terram illam à manibus ipſius Roberti auferre nituntur. Sciatis etiam, Domine cariſſime, quòd de illo Roberto magnam eleemoſynam & liberalitatem facere poteritis. Quia in Deo ſolo & in vobis ſua eſt fiducia, & ipſe talis eſt, quòd poteſt & debet per omnia veſtro paratus eſſe ſeruitio. Valete. B

EPISTOLA CCCLXXXVII.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & promptum in omnibus obſequium.* GRATIAS quantas poſſumus veſtræ benignitati referimus, quoniam licèt merita noſtra non præceſſerint, vos ad negotia noſtra ſemper paratum inuenimus. Sciatis quòd in reditu à colloquio veſtro quidam armiger de ſocietate Comitis Flandrenſis in ciuitate noſtra nimis crudeliter noctu fuit occiſus. Illos, qui huius facinoris arguuntur, coram præſentium latore in cauſam traximus: ſed nondum rem finiuimus. Præterea molendina quædam ad ciuium noſtrorum vtilitatem plurimam, & crementum noſtrum, in ciuitate noſtra facere propoſuimus. Sed Telonearius in parentela ſua confidens prohibet nobis ne illa faciamus, licèt ante nos, & etiam ante vos iuſtitiam ſuper hoc ei obtulerimus. Vnde veſtram quanta poſſumus inſtantia deprecamur dilectionem, quatinus præſentium latorem, qui omnibus his interfuit, ad nos remittatis, & aliquanto tempore ipſum nobiſcum manere permittatis, & per eum, & per Literas veſtras Teloneario & aliis, qui iuſto operi noſtro contradixerunt, iuſtitiam de nobis offeratis. Et ſi aliqui iuſtitiam de nobis in præſentia veſtra contempſerint accipere, eos veſtros eſſe inimicos denuntietis. C

EPISTOLA CCCLXXXVIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum Domino ſuo*, VVILLELMVS DE DOMPERRA *ſuus in omnibus ſalutem & obſequium.* VENERANDÆ dignitati veſtræ notum facio, quòd Siniſcalcus de Chaalons, & Matheus de Capas, & Hugo Letard fideiuſſerunt Magiſtro Pontiardo fratri Odonis tx. & x. libras de Chaalongis vice & iuſſu Pontificis fratris mei, ſicut illi qui receptores erant ſuarum rerum. Vnde Celſitudinem veſtram exoro & exhortor in Domino, vt eas reddi faciatis. Ego enim fideiuſſioni iſti interfui, méque præſente & teſte facta eſt. Valete.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A
EPISTOLA CCCLXXXIX.

DOMINO *ſuo præ ceteris dilecto ſuus ſalutem.* SCIATIS quòd Comes Flandriæ fuit in Anglia, & ibi conqueſtus eſt de vobis Regi Angliæ, quòd ei auferetis terram Rad. Comitis de Peruna: & Regem Angliæ precatus eſt, quòd eum omni modo adiuuet ad illam terram perquirendam, & ipſe Rex pollicitus eſt ei adiutorium pro omni poſſe ſuo. Nunc autem reuerſus citra mare eſt Comes Flandriæ, qui pro omni poſſe ſuo vobis malum machinari temptabit. Precor igitur, dilectiſſime, cuius bonum & honorem præ omnibus deſidero, quòd præuideatis ne ipſe Rex & ſui adiutores vos debilem in verbo vel in opere inueniant. Quia ſi inuenerint vobis magnum nociuum facient. Vobis autem naturaliter omne bonum & honorem debeo, damnum tuum ſcienter celare nequeo. Sciatis etiam quòd Rex Angliæ nihil boni mihi meditatur, neque aliquod bonum erga illum inuenire poſſum. Non quia aliquo modo aliquid mali metuerim. Nunc autem, ſi placet, Literis veſtris mihi beneplacitum veſtrum ſuper his remandate.

EPISTOLA CCCXC.

B GLORIOSISSIMO *Regi Francorum* LVDOVICO R. DE BALGIACO *ſeipſum & ſua.* QVOD veſtræ Maieſtatis Literas Vmb. de Belloioco pro filij mei liberatione, licèt nihil profuerint, miſiſtis, grates vobis refero. Rurſus verò ad vos quaſi vnicam poſt Deum ſpem meam confugio, & vt cariſſimum Dominum & conſobrinum ſupplex exoro, quatinus mei miſereamini, & ad filium meum liberandum operam detis. Pro certo namque ſcio, quia ſi benè eum volueritis liberare, poteritis. Placeat itaque dignitati veſtræ in partibus noſtris venire, quia valde neceſſarius eſt aduentus veſter tam Eccleſiis quàm mihi. Et ne vos retardent impenſæ, quia plenè vobis pro voluntate veſtra reſtituam, & omnia caſtella mea, quæ à nullo teneo, à vobis accipiam, & tam ego quàm omnia mea veſtra erunt. Noueritis quoque Comitem G. & Humb. de Belloioco mihi iuratos fidem rupiſſe. quod ante veſtram præſentiam paratus ſum probare.

EPISTOLA CCCXCI.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Regi Francorum*, VV. DE SABRANO *Conſtabularius eius deuotus miles, parcere ſubiectis & debellare ſuperbos.* QVONIAM veſtrum eſt nouas pedaticorum exactiones, & alias iniuſtitias à Regno veſtro propellere, veſtram ſupplex exoro Sublimitatem, vt Comiti Melgorienſi ſub interminatione iræ, etiam indignationis veſtræ, præcipiatis, vt pedaricum quod iuxta Aleſtum accipit ipſe (nam B. de Anduſia pro parte ſua illud dereliquit) prorſus dimittat. Nam quanta iniuſtitia, quámque commune
C malum ſit, non eſt opus veſtræ ſuggerere diſcretioni. R. etiam Comiti ſororio veſtro ſub debito fidelitatis & amicitiæ mandetis, vt ab hac iniquitate eum, qui nuper poteſtati & dominio eius ſe ſubdidit, ceſſare faciat, nec ei aliquando ſuper hac re auxilium vel conſilium præbeat, immò potiùs ad hoc aduerſarius & inimicus exiſtat. Domino etiam Papæ perſuadeatis, vt ſententiam excommunicationis, quæ in perſonam eius poſita eſt, ſuper totam terram eius propriam vel communem extendat, itaut vbicumque ipſe fuerit nullum diuinum celebretur officium, & vt præcipiat Epiſcopis Nemauſenſi, Mimatenſi, Magalonenſi, & Vzecienſi, vt hanc ſententiam in Epiſcopatibus ſuis obſeruari faciant. Et quia longum eſſet Literis exprimere quæ ſuper his verbis ſuggerenda eſſent, præſenti nuntio tanquam nobis per omnia credite.

EPISTOLA CCCXCII.

DILECTISSIMO *& principali Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum*, HVGO BERZIACENSIS *per omnia ſibi ſubiectus miles ſalutem & diligens obſequium.* LONGO terrarum interuallo diſiunctus veſtram Excellentiam nec videre, nec alloqui valeo: tamen quantum poſſum de veſtræ po-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. teſtatis proſpetitate gaudens exulto, & ad obediendum in quibuſcumque poſſum vestris præceptis paratus exiſto. Veſtræ itaque diligentiæ beniuolenciam humiliter depoſco, quatinus Epiſcopo Matiſcenſi mandetis, & ponderoſis precibus ſeribatis, vt honorem Archidiaconatus, qui in Eccleſia ſua & veſtra vacat, cuidam filio meo eiuſdem loci Canonico Literis & moribus ſatis informato, amore Dei & veſtri remota omni occaſione concedat. In hac enim petitione ex obediente obedientiſſimum facietis, & ex amico amiciſſimum compatabitis. A

EPISTOLA CCCXCIII.

SVo *reuerendo Domino* LVDOVICO *Regi Francorum*, VV. MONTISFERRATI MARCHIO *fidele ſeruitium*. DE veſtris Literis, quas mihi miſiſtis, & de ſumma atque honorabili filij mei receptione Deo & vobis gratias referimus, & de hoc quod filio meo feciſtis bene feciſtis. Quia ego, & vxor mea, & filij mei, homines quoque mei, ac terra noſtra, in veſtra diſpoſitione & volunrate ſumus. Et quoniam noſtet nuntius ad vos venire tantum eſt moratus, magna Domini Impetatoris negotia fuerunt impedimento; de quibus per miſericordiam Dei melius omnium ſuorum Procerum ei ſeruiuimus, & in tantum quòd modò cùm in Teutonica terra cum vxore ſua reuertatur, vnicum filium ſuum nobis ad cuſtodiendum derelinquit, & hoc quod nobis de veſtro ſeruitio præcipere placuerit per Ottonem noſtrum militem mihi notificate. Sciatis enim in veritate, me omnia veſtra adimplere. Inſuper veſtram Excellentiam rogamus, vt Henricum mei filij ſocium, & domini Marcualdi fratrem, tanquam meum filium & etiam magis honorificè teneatis. B

EPISTOLA CCCXCIV.

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi inuictiſſimo ſemper auguſto*, *VVido filius Mainfredi*, *& Manfredus filius Pizi*, *ſui per omnia fideliſſimi ſerpros*, *& ſi quid ſunt*, *id totum quod ſunt*. IDEO Regibus debitus & indebitus honor impenditur, debitum & indebitum obſequium exhibetur, quia etiam quod ſibi à ſubiectis & obnoxiatis iure offertur, cumulatiori ſolet retributione Regia Celſitudo penſare. Si quando igitur parentes noſtri vel nos obſequium veſtræ Serenitati condignum exhibuimus, id nouimus quaſi in theſauro veſtræ liberalitatis reconditum nulla poſſe obliuione deleri: potiùs id credimus quaſi vnicum noſtræ calamitatis ſolatium nobis & noſtro ſanguini diligenter cuſtodiri. Patrimonia ſiquidem noſtra quanta fluctuatione, quantáve tyrannide nunc opprimantur, veſtram Regiam Celſitudinem nequaquam latere credimus. Etenim vſque adeò graſſantis tyrannidis inualuit perſecutio, vt nec etiam parentibus noſtris viris Eccleſiaſticis fidem Romanæ Eccleſiæ, & beatiſſimi Papæ Alexandri obedientiam ſeruantibus ſubuenire, nec aliquid ſubminiſtrare audeamus. Proinde nepotem noſtrum nomine Al. Cletieum literatum, & omni boneſtate conſpicuum, Pariſius quaſi ad Catholicæ fidei arcem feſtinantem, veſtræ Serenitati committimus, commendamus: rogantes, & obnixè ſupplicantes, quatinus Dei amore & noſtro præſtiti etiam aliquando obſequij intuitu ei in ſuis neceſſitatibus ita regia liberalitate prouideatis, vt exinde & Deum remuneratorem habeatis, & nos noſtrique genetis omnes vobis compatetis debitores. C

EPISTOLA CCCXCV.

REVERENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, GVIGO *Lugdunenſium atque Forenſium Comes ſalutem & debitam in omnibus fidelitatem*. MIROR plurimum, Domine mi Rex, cùm veſter ſim, cùm à vobis aptatus ſim in militem, cùm pater meus ſub cura & tutela veſtra me dimiſerit, cùm ad vos tota terra mea pertineat, quòd de veſtro in Aruerniam aduentu nihil mihi mandaſtis. Ego tamen iàm vobiſcum in exercitu veſtro eſſem, niſi Comes Girardus & Lugdunenſes ſciſmatici cum armata manu in terram meam veniſſent. Venerunt autem non ſolùm vt me, ſi potuerint, exheredent, verùm etiam vt

Comi-

A Comitatum meum, qui de Corona veſtra eſt, ad Imperium Teutonici transferant. Hoc autem ſi fecerint, ad maiorem veſtri contemptum ante oculos veſtros, & inter manus veſtras facient. Nunc ergo, Domine mi Rex, honori veſtro, & euaſioni meæ veſtra Maieſtas prouideat. Precor ergo, vt præſentium latorem de meo in omnibus negotio ſicut me ipſum, ſi placet, credatis, & creditum exaudiatis. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCCXCVII.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Regi Francorum*, BREMVNDVS DE VZECIO *eius deuotus miles, parcere ſubiectis, & debellare ſuperbos*. QVONIAM veſtrum eſt nouas pedaticorum exactiones, & alias iniuſtitias à Regno veſtro propellere, veſtram ſupplex exoro Sublimitatem, vt Comiti Melgorienſi ſub intimatione iræ & indignationis veſtræ præcipiatis, vt pedaticum quod iuxta Aleſtum accipit, ipſe (nam B. de Anduſia pro parte ſua illud dereliquit) prorſus dimittat. Nam quanta iniuſtitia, quámque commune malum ſit, non eſt opus veſtræ ſuggerere diſcretioni. R. etiam Comiti ſororio veſtro ſub debito fidelitatis & amicitiæ mandetis, vt ab hac iniquitate eum, qui nuper poteſtati & dominio eius ſe ſubdidit, ceſſare faciat, nec ei aliquando ſuper hac re auxilium vel conſilium præbeat: immò potiùs ad hoc aduerſarius & inimicus exiſtat.
B Domino etiam Papæ perſuadeatis, vt ſententiam excommunicationis, quæ in perſonam eius poſita eſt, ſuper totam Terram eius propriam vel communem extendat, itaut vbi vel vbicumque ipſe fuerit nullum diuinum celebretur officium, & vt præcipiat Epiſcopo Nemauſenſi, Mimatenſi, Magalonenſi, Vzeticenſi, vt hanc ſententiam in Epiſcopatibus ſuis obſeruari faciant.

EPISTOLA CCCXCVIII.

LVDOVICO *Regi Galliæ vt Domino ſuo*, R. DE SANCTO VVALERICO *ſalutem*. SVGGERIMVS diſcretioni veſtræ, ſicut iam ſæpiùs fecimus, quòd Abbatia Sancti Ricarij de Pontiuo, quæ veſtra eſt, intus & exteriùs deſtruitur: intus in miſerrima conuerſatione Monachorum, exteriùs venditione, inuadiatione, & deuaſtatione omnium ferè poſſeſſionum. Sciatis quòd niſi ad præſens veſtra prouidentia ei ſubuenerit, ita per pigritiem & mollitiem cordis Abbatis ad nihilum redigetur, vt ampliùs ei ſicut ſperamus ſubueniri non poterit. De incontinentia corporis ipſius Abbatis nihil conquerimur, ſed quia Monachos ſuos regulariter & ordinatè viuere facere, & exteriora ſicut oporteret, non poteſt regere. Quapropter precamur vos, vt hunc Monachum veſtrum & amicum noſtrum, quem ad vos mittimus, benignè ſuſcipiatis, & quæ vobis dixerit de emendatione Eccleſiæ veſtræ clementer audiatis.
C

EPISTOLA CCCXCIX.

LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum cariſſimo Domino ſuo & patri*, HENRICVS *Trec. Comes ſalutem & dilectionem*. PRO Hugone hoſpite meo Senonenſi, qui veſtri reuerentiâ & honore veſtro ſatis diligenter multotiens mihi deſeruiuit, paternitatis veſtræ benignitatem obnixè deprecor, quatinus amore Dei & mei iram, quam aduerſus eum habetis, & forefactum quod nunc ab eo exigitis, noſtri gratia ſibi condonetis, vt cùm veſtram videro præſentiam, Maieſtati veſtræ gratias indè referam. Quod niſi ad præſens facere vobis placuerit, in bono reſpectu prætermittatis, donec vobiſcum indè loquar. Valete.

EPISTOLA CCCC.

REVERENDO *Francorum Regi dilecto ſuo & conſanguineo*, STEPHANVS *Comes Burgundiæ totius ſalutis indicia*. QVODDAM Cœnobium Regni veſtri nomine Gondricort à diuerſis raptoribus depopulatum in tutela ſuſcepi, & in ipſa paupertate in Abbatiam prouehi conſenſi, vt maior reuerentia deinceps de-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

beat adhiberi. Huius itaque Abbas Cœnobij cum ſignis meis dignitati veſtræ ſtudet præſentari, obſecrans inopiam ſuam auxilio veſtro releuari. Nobilitas igitur veſtra prouideat, & conſanguinitas moneat vt ſigna mea detuliſſe proſit. Valete. A

EPISTOLA CCCCI.

EXCELLENTISSIMO *Regi Francorum* LVDOVICO, *H. Dei gratiâ Dux Bauuariæ atque Saxoniæ, intimum ſeruitium cum ſereniſſima dilectione.* DOMINE, & vos & omnia quæ penes vos ſunt penitus ad velle Dei ſtare, & omni proſperitate & virtute florere, intimo corde adoptamus, & nos ad omne præceptum veſtrum ſemper paratos eſſe certum habetote. Idque rogo de nobis exiſtimate, quod de intimo & fideliſſimo amico veſtro. Excellentiæ veſtræ ingentes gratiarum actiones referimus, quoniam fideliſſimi noſtri filium, quem per præſentem portitorem literarum dilecti Maieſtati veſtræ transmiſimus, vti decuit virtutem veſtram, & elementer accepiſtis, & clementiùs hactenus tenuiſtis. Vnde vt verum fatear, perhennem in corde meo pepigiſtis manſionem. Rogo igitur Excellentiam veſtram ſub reſpectu totius ſeruitij noſtri, & bona memoria intimæ amicitiæ, vt ſi quid in omni ditione mea eſt quod Excellentiæ veſtræ placeat, ipſe imperetis: & ſi quos habetis pueros, quos vel Terram noſtram, vel linguam addiſcere vultis, nobis tranſmittatis, in quibus hilarè & habundè vobis oſtendemus, quàm B gratam acceperimus virtutis veſtræ beniuolentiam. Igitur quæ bono iam celebrata ſunt ſtudio, optimo rogo peragantur exitu, & iam præfatum puerum, & præſentem nuntium noſtrum, omni occaſione poſthabita, per Regnum veſtrum auctoritate veſtra conduci præcipientes, eos nobis tranſmittatis.

EPISTOLA CCCCII.

SERENISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum*, *G. Comes Matiſconenſis ſalutem & fidelitatem.* PLACVIT dignationi veſtræ mittere ad noſtras partes nuntios veſtros pro Matiſconenſi Eccleſia. Vidi eos libenter & audiui, & paratus fui ad honorem veſtri, ſtare ad conſilium eorum de omnibus querelis quas habebant, vel ſe habere dicebant aduerſum Clericos eiuſdem Eccleſiæ, licèt ego poſſem de eis & grauiùs & iuſtiùs conqueri. Præterea in præſentia nuntiorum veſtrorum dedi & firmaui treugas ipſis Canonicis, vt ſecuri eſſent de me etiam ſeptem dies vltra, poſtquam contra mandaſſem eis. Pro his & aliis quibuſdam magnis negotiis mitto ad Sublimitatem veſtram præſentium latorem Magiſtrum Rad. Ipſi ſi placet credite ſicut mihi de his quæ ex mea parte dixerit vobis, quia vera & certa erunt verba ipſius.

EPISTOLA CCCCIII. C

LVDOVICO *excellentiſſimo Regi Francorum*, HVMBERTVS BELLIIOCI *fideliſſimus ſuus atque in omnibus obediens ſalutem & debitam ſubiectionem.* QVONIAM Celſitudini veſtræ ad nos Literas dirigere placuit, & animus noſter non minimo gaudio repletus eſt, & ſtatus noſter in melius ex eo alteratus eſt. Nos itaque & totam Terram noſtram ex debita ſubiectione voluntati veſtræ ac mandatis veſtris exponimus. Vnde præ aliis Regum & Principum præceptis veſtris obedire volentes, petitionem veſtram factam de domino Lugdunenſi Archiepiſcopo, vt debitam obedientiam ac reuerentiam exibeamus, vt decet, læti recipimus. Nondum tamen eum vidimus, nondum Terram noſtram intrauit. Verùm in breui cum eo colloquia habituri voluntati ſuæ ita ſatisfaciemus, vt per proprium nuntium Maieſtati veſtræ lætiſſimas referat grates. Interim, venerande Domine, clementiam veſtram humiliter imploramus, quatinus linguæ prauorum adulatoriæ locum nobis nocendi erga vos non inueniant.

A

EPISTOLA CCCCIV.

GLORIOSO *Dei gratiâ* LVDOVICO *Regi Francorum excellentiſſimo Domino & cognato ſuo*, LVDOVICVS *Comes de Los debitum ſeruitium*. DEBITVM Excellentiæ veſtræ ſeruitium meum eſt, quod rariùs exhibeo quàm affectus meæ voluntatis & ius ſanguinis poſtulat. Miror enim inter multa negotia veſtra, quæ ſæpiùs in Regno noſtri Imperatoris à Legatis veſtris tractantur, quare noſtræ ſollicitudini nulla eorum aliquando committitur: cùm & affectus & effectus pertinacia nobis non deeſſet, veſtræ vtilitati & commodo ſeruire in ludicris & rebus ſerioſis. Cognatus enim veſter ſum, ſicut non ſupremus, ita non vltimus in dignitate veſtri honoris ſtatum ſupra omnium hominum deſiderans. Profecturus Hieroſolymam opem viaticam à largitate veſtra poſtulaui, quam veſtrorum negotiorum ſollicitudo impediuit. Nunc reuerſus exceperunt mala temporis & patriæ, guerræ plurimæ inimicorum, & amicorum diſſenſiones. Vnde deprecatam habeam veſtram bonitatem, quatinus mittatis mihi loricam bonam & galeam amplam per veſtrum nuntium, quoniam huiuſmodi meo corpori commoda infra vniuerſam regionem noſtram non inueniuntur. Latorem præſentium, qui de patria & gente mea eſt, pro mea petitione in gratia veſtra commendatus recipiat.

B

EPISTOLA CCCCV.

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi Domino ſuo ac patri cariſſimo*, HENRICVS *Trec. Comes ſalutem & ſeruitium*. IMPERATOR Alemanniæ nuntios ſuos mihi tranſmiſit, & duo paria Literarum, quas vobis ad videndum mittere decreui. De cetero ſciatis, quòd Comes Niuernenſis diei veſtro adeſſe non poterit apud Autiſſiodorum, niſi ipſi à vobis præmandatum ſit. Vadit enim in expeditionem longinquam. Ego itaque laudarem, ſi vobis placeret, & ſi vobis ipſo opus ſit, vt quantociùs eum ad diem veſtrum ſubmoneretis. Valete.

EPISTOLA CCCCVI.

LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum cariſſimo Domino ſuo*, *R. Viromandorum Comes ſalutem & dilectionem*. EPISCOPVS Nouiomenſis, de quo iam ſæpè in præſentia veſtra conqueſtus ſum, non deſiſtens ab incœpto ſuo exheredationem toto poſſe ſuo quærit. Et ſicut alia vice ſcripſi vobis, Eccleſiam Sancti Quintini, quæ tutelæ meæ attinet, ſibi ſubdere, & electionem Decani prorſus caſſare intendit. Qui ſi turpem paſſus fuerit repulſam, totum in me dedecus redundabit. Vnde recurro ad vos, ſicut ad dominum & patrem meum, in quo poſt
C Deum totam ſpem meam poſui: rogans obnixiùs quàm poſſum, vt causâ Dei & mei amore ad hoc detis operam, quòd dies appellationis vſque ad Quadrageſimam differatur, & indè Literas veſtras ad dominum Papam per nuntium meum dirigatis: ita quidem quòd prædicta Eccleſia & Decanus in nullo ſuper hoc turbentur, neque detrimentum patiantur. Interim Domino annuente de his & aliis negotiis meis loquar vobiſcum. Ego I. Comes Sueſſ. Sublimitatis veſtræ liberalitati ſupplico, vt quoniam Comes R. exheredationem & dedecus ſuper hoc poteſt incurrere, erga dominum Papam ipſum Comitem iuuetis, & cum ſumma cura manuteneatis.

EPISTOLA CCCCVII.

DILECTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi*, HVGO DE MARSON *fidelis ſuus ſalutem & perpetuum obſequium*. DE negotio illo, quod Celſitudo veſtra auribus meis dignata eſt committere, cum domino Cenomanenſi locutus ſum, quod ſibi plurimùm gratú fuit, & exindè vobis multiplices agit gratiarum actiones. Porrò ipſe vel per ſe, vel per nuntium ſuum in proximo, veſtram, Deo volente, aditurus eſt præſentiam: ibi, ſicut mecum diſpoſuiſtis, executurus. Pro negotio Framaudi veſtram attentiùs exoro magnificentiam, vt ad laudem & gloriam nominis veſtri eum manuteneatis, & contra burgen-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. ſem, qui vobis contumax eſt & rebellis, apud dominum Papam eum iuuetis. Valeat Celſitudo veſtra in perpetuum. A

EPISTOLA CCCCVIII.

REVERENDO *Domino ſuo* LVDOVICO *Regi Francorum, M. Comitiſſa Boloniæ ſalutem & ſeruitium.* PRÆSENTIÆ veſtræ innoteſcat, Henricum Regem Angliæ ad Imperatorem ſuos nuntios legaſſe. Certum enim eſt illum communiter impetraſſe quod voluit. Imperator autem ſe adeò Regi exhibuit beniuolum, vt cum nuntiis ſuis redeuntibus ſuos ad eum mittere non pigritatus ſit. Quod feciſſe duxit optimum, ne prædictus Rex illum aduerſus vos in ſubſidio eſſe deuotum dubitaret. Nuntij equidem redeuntes per meam Terram tranſierunt, & ego eis locuta fui, & benè ex verbis eorum attendi quòd Rex Angliæ malum veſtrum perquirere noctè diéque non ceſſat. Quare dilectioni veſtræ mandare duxi congruum, & vos præmunire attendi neceſſarium, vt conſilium cum veſtris ſapientibus ineatis, & quod aptius inuenietur faciatis, ne fraudulenti Regis impetuoſa præſumptio vobis moleſtiam violenter conferat. Valete.

EPISTOLA CCCCIX.

B

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex fideli ſuo T. de Giſortio ſalutem.* EGO & Comes Teb. debemus loqui de verbo quod eſt inter Milonem de Liuis & nepotem ſuum, vbi & vos eſſe oportet. Mandamus ergo vobis, vt poſtpoſita occaſione die Sabbati poſt Cineres manè ſitis apud Totiacum in Bealſa. Valete.

EPISTOLA CCCCX.

LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico Francorum Regi reuerentiſſimo, & ſpeciali Domino ſuo, Frummaudus ſuus in omnibus ſalutem & debitum deuotionis obſequium.* NOVERIT magnitudo veſtra per burgenſes Caſtrinoui, & maximè per Nicolaum Frummaudi, qui damnum meum, & detrimentum Eccleſiæ noſtræ volunt, ſuggeſtum eſſe nuntiis Regis Anglorum, ſicut & ego ipſe, & Gaucherius ab Hugone de Cleriis audiuimus, quòd Clerici beati Martini, qui ad vos venerant, & maximè ego, de Rege Anglorum vobis malè locuti fueramus. Sed quicquid mihi minetur, veſter ſum, veſter fidelis ero, in veſtrum promptus & deuotus obſequium ſemper manebo. Valete.

EPISTOLA CCCCXI.

ILLVSTRI *& magnifico Dei gratiâ Francorum Regi, Io. Pe. Gra. & ceteri de Domo Petri Leonis Rom. Conſules, ſinceræ dilectionis plenum obſequium.* NON excidit à memoria noſtra, quantum in puritate cordis, & integritate dilectionis, anteceſſores noſtri circa exaltationem prædeceſſorum veſtrorum & Regni veſtri profectum ac gloriam feruentiores ſemper extiterint, & in præſtandis per omnia ſuis obſequiis parati hactenus eſſe ſtuduerint. Cuius inextinguibilis amoris connexio in nobis tantò ampliùs viget, ac vberiùs permanet, quantò glorioſiùs perſonam veſtram cognoſcimus vbique in laudibus attolli, & nomen gloriæ veſtræ excellentiùs prædicari. Indè eſt itaque, quòd Excellentiæ veſtræ fiducialiùs ſcribimus, gratiarum actiones quantum poſſumus ſuppliciter perſoluentes, quòd in tempore opportunitatis Eccleſiam Dei conſeruaſtis, & Vicarium beati Petri Patrem noſtrum, Paſtorem & dominum Alexandrum debitâ reuerentiâ ſuſcipere ita conſtantiſſimè voluiſtis, vt fama nominis veſtri & gloria per hoc plurimum creuerit, & per vniuerſum Orbem diffuſiùs laudabiliter diuulgetur. Gloriæ igitur veſtræ quicquid ſumus & poſſumus reuerenter offerimus, attentiùs deprecantes, vt obſequia noſtra in ſeruitiis veſtris depoſcere, & pro noſtris viribus ſuſcipere dignetur Sublimitas veſtra, & in defenſione Eccleſiæ Dei, & prædicti Domini noſtri, ſicut laudabiliter cœpiſtis laudabiliùs perſiſtatis: vt per hoc & Regni veſtri quietem, & æterni gloriam percipere à Domino Deo debeatis. C

Lvdovicvs VII. Iunior.

A

EPISTOLA CCCCXII.

LVDOVICO *magnifico Dei gratiâ Francorum Regi Domino ſuo pracordialiſſimo, ac præ ceteris omnibus excellentiſſimo, R. eadem gratiâ Dux Narbonæ, Comes Toloſæ, Marchio Prouinciæ, ab eo ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* VIDIMVS, Domine, Literas veſtras, quarum tenorem explicauimus, ſcilicet die ſtatuto apud Caſtrum Sarracenum perreximus, ibíque cum ingenti parte ſapientum virorum Angliæ ſuper treuia data colloquium habuimus. Quam ipſi intelligẽtes huiuſcemodi datam ſpreuerunt, niſi Trinquauillus, nécnon & Rex Aragonenſis filius Comitis Barchinoniæ in præfata treuia nominatim ponerentur. Trinquauillus nempe homo noſter eſt, nec eſt de Regis Anglorum iure, vt per illum treuiam ſibi demus, aut per illum dare dimittamus. Semper cum illo militauimus, nec per aliquem deſeruimus, nec etiam in iamdudum acceptis ceteris treuiis Trinquauillus, neque Comes Barchinonenſis poſiti fuerunt. Tamen nos voluntati virorum Regis Angliæ ſatisfacere volentes, vt in expetienda treuia nuntium ſuum cum noſtro apud vos dirigerent eos ammonuimus. Quod & ipſi agere neglexerunt. Nimirum nos præcepta veſtra tranſgredi verentes, hominibus Regis Anglorum vſque dum reiteratam ſeriem treuiæ præſentis nobis declaretis, non infringemus. Nos ſiquidem in veſtra
B poteſtate ſumus, in vobis poſt Deum omnis noſtra pendet fiducia, ac ſecundum præpollentis animi veſtri voluntatem nos ſemper habebimus. Præterea Regiam Maieſtatem veſtram, venerande Domine, ignorare non credimus, hoc ſcilicet quòd vltra præparatum ius in manu veſtra terram noſtram amittimus; non noſtram, immò potiùs veſtram. Ego namque veſter proprius ſuum, & mea omnia veſtra ſunt. Igitur ſupplices ac proni clementiam veſtram exoramus, ne longo temporis ſpatio ſi placuerit nos ſtare exheredatos patiamini. Valete.

EPISTOLA CCCCXIII.

NOBILISSIMO *Domino meo & venerabiliſſimo conſobrino* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, GVILLELMVS *Montiſpeſſulani Dominus ſalutem, ſéque ipſum, & ſua.* ME & mea mandato & beneplacito veſtro offero in omnibus & per omnia, facturum cum diligentia voluntatem veſtram. Berengarius de Podio Sureguerio miles quidam de partibus noſtris intendit negare E. Narbonenſi Vicecomitiſſæ ius ſuum, & poſſeſſiones quas de manu ſua habet & tenet, & parentes eius de Dominæ E. anteceſſoribus viſi ſunt habere, & tenere, & auctoritate veſtra in his ipſi reſiſtere intendit. Comites & Barones de Regno veſtro, qui ſuas habent poſſeſſiones de benigniſſima manu veſtra, ab ipſorum ſubiectis auxilio vel conſilio veſtro aliquo modo, ſi placet, immorari non debent. Eapropter ve-
G ſtram humiliter deprecor Maieſtatem, quòd ſi dictus B. de Podio Sureguerio veſtram adierit præſentiam, non concedatur ei ius Dominæ ſuæ auferre. Nam error & perſecutio nimia, quod abſit, in Regno veſtro propter hoc poſſet oriri. Valeat Maieſtas veſtra.

EPISTOLA CCCCXIV.

LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum magnifico Domino ſuo diligendo & amplectendo, commune Conſilium vrbis Toloſæ & ſuburbij, ſpiritum conſilij cum ſpiritu fortitudinis.* NON pigeat tuam prudentem Celſitudinem, cariſſime Domine, quia ſæpè tibi ſcribimus. Cùm quid audiuimus, quod nobis ſiniſtrum videtur, ad te poſt Deum, vtpote Dominum bonum & defenſorem, & liberatorem, currimus. De tua, Domine, beniuolentia plurimum confidimus. Literis mandaſti, quatinus tuæ benignitati ſcriberemus, ſi quidquam audiremus aduerſi quod tuam lateret ſagacitatem. Accepimus ab amicis, quòd Rex Angliæ hoc anno venire parat in nos. Tu verò, Domine, quia vicinior es, citiùs ſcire potes, & nos qui tui ſumus certificare, ne hoſtili dolo facilè poſſimus opprimi. Poſt Deum tua potentia ſpes nobis eſt. Promiſſa tua nos lætificant, cùm nobis in mentem redeunt. De ſorore tua Domina noſtra Deo & tibi grates referimus. Valete, & omnipotens Dominus vos & Regnum veſtrum in tempora longiora conſeruet.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CCCCXV.

GLORIOSISSIMO *ac piiſſimo Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, Commune Conſilium vrbis Toloſæ, & ſuburby, & vniuerſi à minimo vſque ad maiorem, à ſummo Deo ſaluari, qui dat ſalutem Regibus.* AVDITVM eſt in Terra noſtra concelebri ſermone verbum hoc; quod factum eſt de vobis à Domino, de filio quem miſericors Deus per gratiam ſuam vobis dare, & nos in eius ortu viſitare dignatus eſt. Vnde in vniuerſis finibus noſtris tam Clerus quàm populus æquo animo laudes debitas omnipotenti Deo refert, & ei preces porrigit, vt Deus eum vobis & nobis in tempora longiora conſeruet. Sacratiſſimas Literas veſtras nuper accepimus, quarum tenore perſpecto, & iuſſis veſtris obtemperantes, mittimus Regiæ Maieſtati veſtræ quatuor viros honeſtos de Capitulo noſtro, ſcilicet Raimundum Capiſcol. & Guillelmum de Sancto Iohanne, & Iohannem Signarium, & Stephanum Miniſtrum Eccleſiæ Sancti Petri coquinarum. Quibus omnes ciues noſtri & ſuburbani, vtpotè viris ſacramento vniuerſo populo noſtro aſtrictis fidem adhibentes, ſe & conſilium ſuum commiſerunt. Hij enim iurato promiſerunt, ſalua fidelitate domini noſtri Comitis, & ſereniſſimæ dominæ noſtræ Comitiſſæ, & Eccleſiarum, iura eorum illæſa ſeruare, & Toloſam, & quæ ad eam pertinent, pro poſſe & ſcire ſuo diligenter & cum magna cautela tractare. Quibus firmiter credite tanquam ori omnium noſtrum. Quin etiam cum iſtis duos honorabiles viros, videlicet Petrum de Roaxis, & Guillelmum Raimundi nomine, Serenitati veſtræ mittimus, qui ſunt de noſtro Conſilio: quorum perſonas & probitatem ſatis nouiſtis vt credimus. Item regiam pietatem veſtram ſupplici prece obſecramus, vt nepotibus veſtris dominis noſtris conſilium & auxilium veſtrum impendatis, & eos, & nos qui veſtri ſumus, ab aduerſariis noſtris, ſi placet, defendatis, & Dominam ſororem veſtram ſine mora nobis remittatis. Valete. B

EPISTOLA CCCCXVI.

PRÆCLARO *ac magnifico Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, Commune Conſilium vrbis Toloſæ & ſuburby, ab eo ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* SACRATISSIMAS Literas veſtras nuper vidimus. Vnde gratias omnipotenti Deo agimus, qui vos nobis veſtræ ditioni ſubiectis condeſcendere fecit. Ita quòd per veſtræ ſereniſſimæ Maieſtatis ſcripta humilitatem noſtram viſitaſtis, laboribus noſtris & imminentibus periculis more paterno prouidetis. Proinde benignam Celſitudinem veſtram exoramus, vt ſemper ſi vobis placuerit noſtri reminiſcamini, & dominum noſtrum Comitem, & ſereniſſimam dominam noſtram Reginam ſororem veſtram, & nos qui veſtri ſumus foueatis, & prout ipſa res poſtulat, nobis conſulatis. Valete. C

EPISTOLA CCCCXVII.

SENATORES *Vrbis vrbium illuſtri & prudenti viro* LVDOVICO *Francorum Regi amico eorum cariſſimo ſalutem & dilectionem.* SVPER benignitate veſtræ Regiæ Maieſtatis ac liberalitatis nos noſtrique ciues valde confidentes, nobiles ciues noſtros Clericos cauſa liberalium ſtudiorum in terram veſtræ ditioni ſubditam ſumma ſpe dirigimus. Inter quos quemdam generoſum ciuem noſtrum Iohannem Felicis apud Pariſium literali ſtudio commorantem, quem honeſtum ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Clericum ſcimus, veſtræ regiæ benignitati valde commendamus. Precantes nimiùm veſtram liberalitatem, vt ei pro noſtro & vrbis amore, in his quæ eum oportet honorem & auxilium conferatis: quoniam à nobis ſuiſque optimis conſanguineis, quibus in vrbe plurimum pollet, veſtri fideles in Romana patria dignam vicem, & congrua, ſi oportuerit, recipient præmia, vobiſque laudes & grates magnas referemus. Miſſa IV. die Ian. Indict. XII.

A

EPISTOLA CCCCXVIII.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

ILLVSTRISSIMO *& glorioſo Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum ſemper triumphatori, O. & C. Fraiapanes Romanorum Conſules, ſuique deuotiſſimi milites, ſalutem, & proſperis ad vota pollere ſucceſſibus.* INTER ceteros mundi Catholicos Principes, feliciſſimæ memoriæ prædeceſſorum veſtrorum Regum fides & deuotio plurimum commendatur, qua circa ſanctam Romanam Eccleſiam in maximis periculis, quæ ſibi frequenter euenêre, conſtantiſſimi ad auxilium, & ad obſequium promptiſſimi ſunt reperti. De quorum radice geminam attrahens nobilitatem atque induſtriam, orthodoxæ fidei religionem tanquam ſtrenuiſſimus gubernator & Rex iuſtitiæ diligitis, defenditis, & exaltatis. Quod licèt à primordio Regni veſtri cum ſumma diligentia feceritis, hoc tamen tempeſtatis tempore, quæ per Octou. & ipſius complices filios ſuperbiæ, vaſa iræ apta in interitum, nouiter exorta eſt, tantò clariùs enituit, quantò inſpirante ſancti Spiritus gratia ſciſmaticam prauitatem confutantes, inter primos Orbis terrarum Reges primus audito nomine domini Papæ Alexandri verè beati Petri ſucceſſoris & Vicarij; eum in partem ſummum, & vniuerſalem Pontificem elegeritis: & ad tantum bonum per Gallicanas confirmandum Regiones, ſicut ex Literis Legatorum,
B qui ad eas partes tranſmiſſi fuerant, recognouimus, regia præſtita auctoritate Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & religioſarum perſonarum vndique eſt Concilium conuocatum. In quo cùm diutiùs ſub veſtra præſentia à Catholicis & ſciſmaticis de Canonica domini Papæ Alexandri electione, & hæretici Oct. intruſione, nuntiis diſputatum fuiſſet, & ſciſmaticæ partis nequitia, & Symoniaca ambitio declarata eſſet: ab omnibus orthodoxis, ſicut Serenitati veſtræ notiſſimum eſt, dominus Papa Alexander in ſummum Pontificem & verè Apoſtolicum approbatus eſt atque ſuſceptus. De quo Deo & Eccleſiæ ſeruitio exhibito ipſe remunerator omnium bonorum Deus & Sedes Apoſtolica dignam vobis veſtriſque hæredibus hîc & in futurum remunerationem præſtabunt, & gloria veſtri nominis ſuper conſtantia hac & ſanctitate à generatione in generationem non delebitur, & Romanorum Pontificum qui pro tempore erunt prouidentia ad veſtri, veſtrique Regni exaltationem ſemper erit intenta. Non enim IESVS, qui nunc in naui dormit, diu Petri nauiculam in fluctibus patietur eſſe: quæ licèt quatiatur procellis, ad lapidem allidi non poteſt. Confidimus ſanè, quòd de proximo pax reddita erit Eccleſiæ, quia qui potens eſt Dominus cum temptatione faciet prouentum, vt laborantes valeant ſuſtinere. Iam Orientalis nomen Alexandri nouit & ſuſcepit Eccleſia, & ad ipſius obedientiam parata exiſtit. Occidentalis autem regio quanta benignitate, & quàm deuota ſubiectione eundem in propria perſona iam receperit, tantò Excellentiæ veſtræ notius eſt, quantò vobis quaſi totum cor-
C pus Eccleſiæ Romanæ propinquius eſt, & quæque aguntur ad regiam notitiam faciliùs poſſunt peruenire. Verùm, ſi qua, quod abſit, dubitationis titillatio per ſuggeſtionem & calliditatem alicuius iniqui veſtram ſuper ordinationem domini Papæ mouerit mentem, prudentiæ veſtræ erit prudentes & ſtrenuos viros de latere veſtro ad vrbem dirigere, qui cognitam veritatem veſtræ Maieſtati ſignificent, & mendacia Oct. qui vos ſibi obedire fautoribus ſuis ſcripſit valeant confutare, & Literis veſtris de obedientia & receptione domini Papæ Alexandri Romanũ Clerum & populum certificare, qui non modicum turbatus eſt, eo quòd prænominatus ſerpens tortuoſus Oct. ipſis ſcribere non erubuit, vos in partem ipſius ceſſiſſe, & per Comitem etiam Henricum id Imperatori iuramento firmaſſe. Quod quia longè à vero eſt, decet veſtram regiam clementiam, temeritatem ipſius abdicare, & fallaciam, qua fideles Eccleſiæ turbare intendit, omnibus operire. Præterea veterum noſtrorum ſeruantes conſuetudinem, nos ad veſtrum ſeruitium deuotiſſimos exhibemus: optantes vt honor veſter creſcat, & gloria multiplicetur, dilatetur potentia, & religio veſtra, quæ ab ipſa cœpit adoleſcentia, circa Deum & Eccleſiam, & Eccleſiaſticas perſonas, dignum ſuſcipiat incrementum. Valeat Sublimitas veſtra, & de ſtatu Eccleſiæ in iuſtitia ſentiat petimus & veritate.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CCCCXIX.

DOMINO LVDOVICO *illuſtriſſimo Francorum Regi, Iordanus Petri Leonis Conſul Romanorum ſalutem & perpetuam amicitiam.* QVIA plurimum de veſtra probitate confidimus, vos quantum poſſumus rogamus pro quodam diſcipulo dilectiſſimo noſtro conſanguineo, qui eſt ordinatus Romanæ Curiæ, nomine Ioanne Felicis, qui Pariſius in ſcholis moratur, vt amore noſtro & ſeruitio eum diligatis & manuteneatis, vt vobis debitores magni ſeruitij ſemper ſimus.

EPISTOLA CCCCXX.

ILLVSTRISSIMO *& glorioſo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum, P. & G. Romanorum Conſules commendationem & fidele ſeruitium.* VENIENS ad vrbem cariſſimus conſanguineus noſter N. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiaconus cum Literis domini Papæ, qua gloria, qua deuotione dominum Papam ſuſceperitis, & quotidie honoretis, ampliſſimè Clero & populo ſignificauit. Vnde Serenitati veſtræ vniuerſa Eccleſia gratias agit, poſtulans & exorans, vt Dominus omnipotens hanc fidem & bonam voluntatem vobis augeat, & vitam veſtram ſeruet incolumem. Præterea mihi & amicis ſuis, omnibúſque conſanguineis honorem à Magnificentia veſtra exhibitum frequenter expoſuit, & ad veſtrum ſeruitium, ſi locus ad tempus dabit opportunitatem, ſuo intuitu nos paratos eſſe rogauit. Vnde gratias vobis agimus, & noſtrum ſeruitium offerimus: poſtulantes, vt de dilecto magis dilectum habeatis, & domino Papæ, ſi placet, eum dignemini commendare. B

EPISTOLA CCCCXXI.

GLORIOSISSIMO *Patri ac Domino* LVDOVICO *Regi Francorum, P. Vicecomes Pod. ſalutem, & perhenne gaudium.* VESTRÆ paternitatis diſcretioni, cariſſime Pater, notifico, quòd omnia quæ vobis promiſi atque conueni, & R. Comiti, & Comiti Tib. & quæ ſunt noſtri placiti, ſecundum poſſe meum compleui. Ita quòd ſeptem milites, qui debent eſſe obſides, illi reddidi cui iuſſiſti, ſcilicet Abbati de Seguerutra *. Sed hoc reſtat, quòd ſex filios nobilium virorum vobis non miſi, quia certè non potui, quia cum conſilio inimicorum meorum electi & nominati fuerunt. Nam duo ex illis non ſunt mei nec per fœuum, nec per hominium, quamuis ſint ex mea progenie. Alij verò duo ſunt pueri adhuc manentes in cunabulis. Reliqui autem duo dum fuerunt prompti & parati cum nuntio Comitis Niuernenſis ad vos venire, venerunt vehementer mei inimici, ſcilicet Clerici Pod. ad illorum parentes dixerunt, quòd ſi mitterent filios nunquam amplius eos recuperarent nec viderent. Et ideò Altitudinis veſtræ humilitatem humiliter imploro, vt iuſſum veſtrum erga me non imputetis, quia vltra poſſe nihil. Sed ad conſtitutum diem Deo annuente veniam, & ibi habebo quos potero, ſupradictos filios: ſin autem, alios cum pari recompenſatione. C

EPISTOLA CCCCXXII.

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Regi Francorum*, VV. DE MONTEPESSVLANO *eius conſanguineus & deuotus miles, gaudium & lætitiam ſine defectione.* PLACVIT Excellentiæ veſtræ, vt Bernardo de Anduſia, & Comiti Melgorienſi præciperetis, vt ab exactione noui pedatici, quod iuxta Aleſtum accipiebant, ceſſarent. Vnde B. de Anduſia, vtpote homo ſapiens & diſcretus, & per omnia veſtræ cupiens parere voluntati, prædictum pedaticum pro parte ſua ceſſare fecit, quouſque iterum, quia Comes non deſiſtebat, auctoritate nuntij veſtri illud recuperauit. Tandem verò perpendens, & contra cœleſtis Regis, & contra veſtram hoc eſſe voluntatem, prorſus & in perpetuum dereliquit. Nuper verò Monachus factus, feliciter migrauit à ſeculo, & reliquit heredem paruulum P. B. quem ratione conſanguinitatis, & diuturnæ amicitiæ, ſub tutela mea dereliquit, qui ſemper vobis fidelis & deuotus erit, & veſtræ per omnia promptus

A patere voluntati. Vnde neceſſe eſt, vt eum & Terram eius ſub cura & protectione veſtra recipiatis. Præfatus ſiquidem Comes regium contèmnens præceptum, neque tunc ceſſauit, & adhuc in eadem malitia perſeuerat. Vnde quia veſtrum eſt has & alias iniuſtitias à Regno veſtro propellere, veſtram humiliter deprecor Sublimitatem, vt ſub interminatione indignationis veſtræ ei iterum per Literas veſtras mandetis, vt ab hac iniuſta nouitate deſiſtat. R. etiam Comiti ſororio veſtro ſub debito fidelitatis & amicitiæ mandetis, vt ab hac iniquitate eum, qui nuper poteſtati & dominio eius ſe ſubdidit, ceſſare faciat, nec aliquando ſuper hac re auxilium vel conſilium præbeat, imò potiùs ad hoc aduerſarius & inimicus exiſtat. Domino etiam Papæ perſuadeatis, vt ſententiam excommunicationis, quæ in perſonas eius poſita eſt, ſuper totam Terram eius propriam vel communem extendat: itaut vbi vel vbicumque ipſe fuerit nullum diuinum celebretur officium, & vt præcipiat Epiſcopis Nemauſenſi, Mimatenſi, Magalonenſi, Vzeticenſi, vt hanc ſententiam in Epiſcopatibus ſuis obſeruari faciant. Et quia longum eſſet Literis exprimere quæ ſuper his verbis ſuggerenda eſſent, præſenti nuntio tanquam nobis per omnia credite.

EPISTOLA CCCCXXIII.

B GLORIOSO *& magnifico Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, Iohannes Petri Leonis, & P. Ouic. ac Grat. Omnipotentis gratiâ Romanorum Conſules, ſalutem & ſolium Regni per multos annos feliciter gubernare.* AMOREM, quem veſtra regia Domus ex ipſa antiquitate cum noſtris anteceſſoribus habuit, ad memoriam reducentes, & liberalitatem veſtram multis & veriſſimis relationibus cognoſcentes, plurimum ſiquidem de magnitudine veſtra confidentes facit, & pro conſanguineis noſtris vos rogare minimè dubitamus, optantes aliquid facere quod in conſpectu veſtræ Serenitatis gratum & dulce habeatur. Sanè nihil eſt vnquam quod nos magis agere delectet, quàm veſtris voluntatibus obedire, & pro vobis tanquam pro cariſſimo Domino modis quibus poſſumus facere. Hac igitur ſpe certi in Regnum veſtrum quemdam cariſſimum filium noſtrum Ouic. nomine in Literarum ſtudio Pariſius moraturum direximus. Pro quo Magnitudinem veſtram attentè rogamus, quatinus noſtro amore & interuentu eum taliter commendatum, ſi placet, habeatis, vt vobis & veſtro Regno omni tempore tam nos quàm noſtri omnes conſanguinei fideles eſſe valeamus, & in negotiis veſtris, cùm expedire videbimus, meritò ſtudere poſſimus.

EPISTOLA CCCCXXIV.

C LVDOVICO *Dei omnipotentis nutu Regi Franciæ nobiliſſimo, viro per omnia ſapienti & inluſtri, VV. eodem nutu Montisferrati Marchio, quicquid ſuo fidelis, & amicus Domino.* PRO meritis veſtra gratuita & inclita bonitate non meritis noſtris à vobis nobis & filio noſtro collatis, Deo omnipotenti & vobis gratias referimus, & quantaſcumque poſſumus & valemus grates. Et licèt longa terrarum ſpatia prohibeant nobis, prout deſideramus & optamus, veſtris intereſſe obſequiis, & pro certo agnoſcamus nobilitatem veſtram in temporalibus noſtris minimè indigere ſubſidiis: in veritate tamen cognoſcat bonitas veſtra, nos per omnia prout tempus exegerit, & voluntas veſtra fuerit, ſemper paratos fuiſſe, & eſſe veſtris obtemperare, & obſecundare imperiis. Quapropter ſi cordi veſtro inſidet, & vobis placet aliqua, quæ ad honorem & ſeruitium veſtrum ſpectent, Literis vel verbis nobis ſignificare, per præſentium latorem, Patrem noſtrum, virum valde religioſum & honeſtum, & Abbatem domus noſtræ, Sanctæ videlicet Mariæ de Locedio, fideliſſimè, & omni dubitatione poſtpoſita, mandare curate. Rogamus inſuper nobilitatem veſtram, vt verbis eius & conſiliis adquieſcatis, & ſic his quæ ab ipſo fuerint prolata, maximè de pace & concordia ſanctæ Eccleſiæ, fidem & amicitiam veſtram applicetis, ac ſi ab ore meo ipſa audiretis: & tantò vtique certiùs & ſecuriùs, quantò per Dei gratiam in veritate ac religione præ nobis eſt confirmatus.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CCCCXXV.

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi Domino ſuo dilectiſſimo, vrbani ac ſuburbani Toloſæ conſilium & auxilium.* QVAS gratias tuæ Maieſtati reddamus, nec cor concipere, nec lingua promere valet. Protexiſti enim nos à conuentu malignantium, & à multitudine regiæ iniquitatis. Cœptis igitur tuis tua non deſit potens benignitas, & vſque ad finem tua nobis dirigatur defenſio. Poſt Deum namque liberationis noſtræ ſpes eſt tua protectio. In te poſt Deum totam ſpem noſtram collocamus. Quid autem, cariſſime Domine, recenter nobis acciderit, per præſentem ſcripturam tuam beniuolentiam certiorari volumus. Burdegalenſis ſiquidem Archiepiſcopus non militans Chriſto, ſed Regi Angliæ, equitauit penè vſque ad portas Toloſæ, quantum eſt iactus lapidis, & Toloſanum territorium populatus eſt. Caſtella diruit, & complanauit: Eccleſiis Chriſti non pepercit. Multas etiam deinde quas potuit tanquam incendiarius & nefarius igne conſumpſit. De vrbanis & ſuburbanis noſtris quoſdam cepit, quoſdam gladio peremit. Dominus noſter Comes diu eſt quòd nobiſcum non fuit. Vnde tuam benignam Celſitudinem ſupplices exoramus, quatinus Toloſam, quæ tua eſt, & nos qui tui ſumus, & terram quæ tua eſt, & de tuo Regno, vlteriùs non patiaris deleri. Si tuum autem nobis defuerit conſilium, in proximo Terra noſtra habebitur inſtar deſerti. Valete. B

EPISTOLA CCCCXXVI.

LVDOVICO *ſummo Dei gratiâ Regi Francorum amico ac Domino ſuo dilectiſſimo,* R. TRENCAVELLVS *Biterrenſis Vicecomes ſalutem & debitæ ſeruitutis obſequium.* ILLA deuotionis integritas, & dilectionis affectio, quam circa perſonam meam credimus vos habere, non modicam nobis fiduciam præſtat, vt in neceſſitatibus meis à vobis conſilium debeam & auxilium poſtulare, & imminentia mihi negotia vobis fiducialiter aperire. Non multo autem temporis tranſacto, conſiderans quid membra capiti debeant, amore veſtri cum domino R. Toloſano Comite pacem & concordiam feci. Et poſtea Comiti vel Dominæ Reginæ in eorum negotiis in quantum potui ſubuenire non diſtuli. In tanto itaque familiaritatis articulo conſtitutus, manſuetudinis veſtræ diſcretionem obnixè deprecari non vereor, quatinus hunc militem meum nobilem & diſcretum virum præſentium latorem nomine P. R. à me etiam valde dilectum, & ſuper omnes in conſilio & familiaritate mea poſitum, de omnibus quæ ex parte mea vobis retulerit credatis, & amore mei, ſi placuerit, diligatis.

EPISTOLA CCCCXXVII. C

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi venerabili Domino ſuo, R. eadem gratiâ Dux Narbonæ, Comes Toloſæ, Marchio Prouinciæ, ſalutem & debitæ fidelitatis obſequium.* DOMINATIONEM veſtram, venerande mi Domine, humiliter imploramus, quatinus militem iſtum præſentium latorem nomine Berengarium, qui homo veſter ligius eſt, & amicus noſter familiaris, gratiâ veſtri & amore noſtri benignè ſuſcipiatis, & ſuper his quæ à vobis petierit conſilium & auxilium ſibi præbeatis. Sciatis enim quòd ipſe pro nobis multos habet inimicos, & in quantum ipſe poteſt in omnibus nobis fauet. Vnde ſi placet, veſtrum pro nobis ſentiat iuuamen. Valete.

EPISTOLA CCCCXXVIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi Domino ſuo, VV. Montisferrati Marchio fidele ſeruitium.* VESTRA benignitas noſcat, Domine cariſſime, de veſtra gloria ac de honore me multum gaudere; & ſi aliquid eſt obſequij, in quo valeamus præbere ſolamen, firmiter præcipiatis. Et quoniam Odonem noſtrum militem in præſentiarum non miſi, minimè mireris, quia per nuntios quos in Conſtantinopolim miſi, & in Alamania, quos expecto redire, remanſit. Sed ſciatis quòd

A Ottonem noſtrum certum nuntium in Quadrageſima vobis mittere non dilatabo, per quem totam noſtram voluntatem vobis pandere non dubitamus. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCCCXXIX.

LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum, H. de Mereuilla, & T. Mar. homines & nuntij veſtri ſalutem & fidele ſeruitium.* NOTVM etenim auctoritati veſtræ fieri volumus, quatinus nos in eadem die à vobis propoſito apud Sanctum Egidium venimus. Noſcat item auctoritas veſtra, nos cum Abbate Andropolenſi ſuper impoſito negotio & itinere noſtro eum ſæpiſſimè ſubmonentes ſermonem tenuiſſe, qui ad ſermonis finem nos ibi vſque ad Epiphaniam Domini pro certo manſuros, reſponſum dedit. Itaque impoſiti negotij vlla dilatio in nobis affuiſſe ne dubitetis. Præmiſſis verò addimus, quoniam nos moram facientes ad honorem tui vt in tanto negotio oportet nobis impendere. Vnde Excellentiam veſtram deprecamur, vt quod tanto operi honeſtum ſit vobis & nobis prouideatis. Præterea vobis mandamus, quatinus vos omni occaſione remota Literas veſtras ad Regem Siciliæ ſuper hoc opere mittatis. Valete.

EPISTOLA CCCCXXX.

B VENERABILISSIMO *Domino meo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum*, GVILLELMVS *Montiſpeſſulani Dominus miles eius deuotiſſimus ſalutem cum ſincera dilectionis affectione.* BENEDICTVS Dominus, qui vos Dominum meum Regno Francorum præeſſe voluit, & iuſtitiam, pietatem, miſericordiámque veſtram in Orbe terrarum aperuit, & notam fecit. Vnde ego fideliſſimus veſter gaudeo, & Deo gratias reddo. Obedientiæ & ſeruitio veſtro me ſubiciens in neceſſitatibus & negotiis meis, parentúmque & amicorum meorum, ad veſtrum de ſolito recurro patrocinium. Ego verò interfui placito, quod Domina E. Narb. Vicecomitiſſa habuit cum B. de Podio Suriguerio. Dum verò cauſa tractabatur, ex parte veſtri dicto B. oblatæ ſunt Literæ de pedatico, quas contempſit, & accipere noluit. Sequenter in eius gremio ſunt poſitæ, & ipſe contemptibiliter Literas benignitatis veſtræ eiecit in terram, quas videre vllo modo nōluit, & refutauit in præſentia Baronum & Epiſcoporum, & multorum aliorum. Eapropter humiliter votis omnibus veſtram deprecor Maieſtatem, quatinus in hoc, & in aliis negotiis, quæ legati viua voce verbo tenus benignitati veſtræ demonſtrauerint, dictam Dominam E. exheredari non patiamini: & cognoſcat, ſi placet, Domina E. iuſtitiam & pietatem veſtram, & quòd preces meæ apud vos ei fuerunt præſidio. Legatos, quos Maieſtati veſtræ dirigit Domina Vicecomitiſſa, benignè, ſi placet, recipiatis, & in petitionibus ſuis amore mei, & precibus, ſi placet, ſatisfaciatis.

C EPISTOLA CCCCXXXI.

ILLVSTRISSIMO *& glorioſiſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum ſemper triumphatori, Rectores Romanæ fraternitatis ſalutem & orationem in Domino.* INTER ceteros mundi Catholicos Principes feliciſſimæ memoriæ prædeceſſorum veſtrorum Regum fides & deuotio plurimum commendatur. Quocirca ſanctam Romanam Eccleſiam in maximis periculis, quæ ſibi frequenter euenêre, conſtantiſſimi ad auxilium & obſequium promptiſſimi ſunt reperti. Ex quorum radice geminam attrahens nobilitatem atque induſtriam, orthodoxæ fidei religionem tanquam ſtrenuiſſimus gubernator, & Rex iuſtitiæ, diligitis, defenditis, & exaltatis. Quod licèt à primordio Regni veſtri cum ſumma diligentia feceritis, hoc tamen tempeſtatis tempore, quæ per Octauianum & ipſius complices filios ſuperbiæ, vaſa iræ apta in interitum, nouiter exorta eſt, tantò clariùs enituit, quantò inſpirante ſancti Spiritus gratia, ſciſmaticam prauitatem confutantes inter primos Orbis terrarum Reges & Principes, primus audito nomine domini Papæ Alexandri verè beati Petri ſucceſſoris & Vicarij, eum in Patrem ſummum & vniuerſalem Pontificem elegeritis, & ad tantum bonum per Gallicanas confirmandum regiones, ſicut ex Literis Legatorum, qui ad eas partes tranſmiſſi fuerant, recognoui- Similis eſt Epiſtola CI. ſuſum Rom. quæ habetur ſuprà.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

mus, regia præſtira auctoritate Archiepiſcoporum, Epiſcoporum, Abbatum, & religioſarum perſonarum, vndique eſt Concilium conuocatum. In quo cùm diutiùs ſub veſtra præſentia à Catholicis & ſciſmaticis de Canonica domini Papæ Alexandri electione, & hæretici Octauiani intruſione nuntiis diſputatum fuiſſet, & ſciſmaticæ partis nequitia, & ſimoniaca ambitio declarata eſſet ab omnibus orthodoxis, ſicut Serenitati veſtræ notiſſimum eſt: dominus Papa Alexander in ſummum Ponrificem & verè Apoſtolicum approbatus eſt, atque ſuſceptus. De quo Deo & Eccleſiæ ſeruitio exhibito ipſe remunerator omnium bonorum Deus, & Sedes Apoſtolica dignam vobis veſtríſque heredibus hîc & in futurum remunerationem præſtabunt, & gloria veſtri nominis ſuper conſtanria hac & ſanctitate à generatione in generationem non delebitur: & Romanorum Pontificum, qui pro tempore erunt, prouidentia, ad veſtri veſtríque Regni exaltationem ſemper erit intenta. Non enim IESVS, qui nunc in naui dormit, diu Petri nauiculam in fluctibus patietur eſſe: quæ licèt quariarur procellis, ad lapidem allidi non poteſt. Confidimus ſanè quòd de proximo pax reddita erit Eccleſiæ, quia qui potens eſt Dominus cum temptatione faciet prouentum, vt labantes valeat ſuſtinere. Iam Orientalis nomen Alexandri nouit & ſuſcepit Eccleſia, & ad ipſius obedientiam parara exiſtit. Occidentalis autem regio quanta benignitate, & quàm deuota ſubiectione eundem in proptiam perſonam iam teceperit, rantò Excellentiæ veſtræ notius eſt, quantò vobis quaſi totum corpus Eccleſiæ Romanæ propinquius eſt, & quæque aguntur ad regiam notitiam faciliùs poſſunt peruenire. Verùm ſi qua, quod abſit, dubitationis titillatio per ſuggeſtionem & calliditatem alicuius iniqui veſtram ſuper ordinationem domini Papæ mouerit mentem, prudentiæ veſtræ erit prudentes & ſtrenuiſſimos viros de latere veſtro ad Vrbem dirigere, qui cognitam veritatem veſtræ Maieſtati ſignificent, & mendacia Octauiani, qui vos ſibi obedire fautoribus ſuis ſcripſit, valeant confutare, & Literis veſtris de obedientia & receptione domini Papæ Alexandri Romanum Clerum & populum certum facere: qui non modicum turbatus eſt, eo quòd prænominatus ſerpens tortuoſus Octauianus ipſis ſcribere non erubuit, vos in partē ipſius ceſſiſſe, & per Comitem Henricum id Imperatori iuramento firmaſſe. Quod quia longè à vero eſt, decet veſttam clementiam temeritatem ipſius abdicare, & fallaciam, qua fideles Eccleſiæ turbare intendit, omnibus aperire. Ad hæc quoniam inter omnes orthodoxæ fidei Principes vos deuotiſſimum citea Patrem veſtrum dominum Papam Alexandrum, & matrem veſtram Romanam Eccleſiam fore comperimus; idcirco pro tali tantóque affectu, cum vniuerſo Romano Clero, aſſiduè pro vobis & Regno veſtro orare promittimus.

A B

EPISTOLA CCCCXXXII.

PIO *& venerabili Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, Ciues Toloſæ vrbis, & ſuburbani omnes à minimo vſque ad maiorem, ſalutem, & à ſummo Deo vitam & victoriam.* VISIS, catiſſime, de nuper ſacris Literis veſtris, & honeſtis perſonis Legatorum veſtrorum, gaudio magno prout debuimus exultauimus. Quarum tenore perſpecto * tractauimus, & mandatis veſtris regio ſcripto veſtro inſertis paruimus, quatinus ipſa honorificè præſentiam veſtram adiret. Et quidam de honeſtioribus ciuibus noſtris & ſuburbanis, P. de Roaxis, B. Arnaldi de Ponte, & de ſuburbio VV. Raimundi, & P. Raimundi fratet eius, & B. Mandatarius, qui optimè præpatauerat ſe, ac munierat, eo ipſo die, quo Domina noſtra ſorot veſtra mouit iter, venturi erant cum ea ad Curiam veſtram, & ipſa in hoc non conſenſit. Idcirco valde clementiam veſtram exoramus, vt vos Dominæ curam adhibeatis, & cautelam veſtram, qualiter nos qui veſtri ſumus, & Toloſam, quæ veſtra eſt, & dominos noſtros nepotes veſttos defendatis & retineatis: quoniam omnis ſpes noſtra in vobis eſt poſt Deum, & honeſtiſſimam Dominam noſtram ſororem veſttam quàm citiùs poteritis nobis remittatis, quia cum ipſa, & per ipſam gaudemus & confortamur, & defendimur. Valete, & omnipotens Deus vos & Regnum veſtrum in tempora longa conſeruet. C

* *Deeſt aliquid.*

EPIST.

A

EPISTOLA CCCCXXXIII.

ILLVSTRISSIMO *& venerabili Domino ſuo* LVDOVICO *Dei ordinatione Francorum inuictiſſimo Regi, Berengarius de Podio Soriganj miles ſuus & homo ligius proſperitatem & vitam.* Ex quo à Curia veſtra diſceſſi, ſtrenuiſſime Domine, habui placitum cum Domina Ermengarde de Narbona. Et nihil potuit ſuper me de his omnibus quæ mihi demandabat. Nunc autem audiui quia miſit nuntios ſuos ad vos, vt à veſtra liberalitate ſuſciperet vnde me poſſet in placito acriùs impugnare. Rogo itaque vſque ad pedes Serenitatis veſtræ celſitudinem, vt non detis ei de nouo aliquid ſuper me hominem & militem veſtrum, vel ſuper Narbonenſem prouinciam, propter quòd poſſit contra me noua iura exercere: ſed talis ſit erga me, qualis fuit quando ego intraui Curiam veſtram. Et quoniam non habebam ſigillum meum, annulo meo Literas iſtas ſigillaui. Valeat in Domino celſitudo Imperij veſtri.

EPISTOLA CCCCXXXIV.

B ILLVSTRI *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, R. Dux Narbonæ, Comes Toloſæ, Marchio Prouinciæ, debitæ fidelitatis obſequium.* Ex quo me & Trencauellum amicabilis compoſitio confœderauit, & ſacramenti vinculis pacem inter nos ad honorem nominis noſtri perpetuò reformauit, noſtri propoſiti & conſilij fuit Excellentiæ veſtræ regiæ prò obſidibus Montis-acuti preces offerre. Eapropter prudentiæ veſtræ gratiam humiliter rogito, vt obſides Montis-acuti nobis abſolutos reſtituat, & ipſum Trencauellum ad fidelitatis indefeſſæ exhibitionem Literarum veſtrarum tenor ſpecialiter exhortetur. Ad hoc Sublimitati veſtræ notum facio, quòd filiam Dalfini Comitis ſub pleniſſima & firma ſecuritate filio meo nepoti veſtro deſpondendo firmaui, ita quòd ipſam puellam, & Terram Dalfini Comitis iam ex magna parte recepi. Quia ergo incrementum nobis vndecumque accedens ad Regni veſtri & gloriæ augmentum procuidubiò noſcitur pertinere, placeat Excellentiæ veſtræ ipſam nepotis veſtri filij mei, & filiæ Dalfini Comitis, copulam laudare, verbo & actu vbi expedient defendere, ſpeciales etiam Literas ſuper hoc Comitiſſæ, matri Dalfini Comitis, & Proceribus Terræ delegare. Ex hoc enim Comitatus quondam Dalfini Comitis licèt ad iuriſdictionem Imperatoris pertineat, Regni veſtri incrementum quaſi quidam potius erit & porta. Deus ſaluet vos per multa tempora, Domine mi Rex, vt me ſuper negotio Regis Anglorum, ſicut incœpit, muniat, & præmuniat veſtræ prouidentiæ fauor.

EPISTOLA CCCCXXXV.

C LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Franciæ venerabili Domino & cariſſimo fratri ſuo,* CONSTANCIA *eius vnica ſoror Comitiſſa Toloſæ, Dux Narbonæ, Marchiſſa Prouinciæ, ſalutem, & vtriuſque vitæ felicitatem.* ALTITVDINI veſtræ notum ſit, Trincauellum erga dominum meum Comitem & nepotes veſtros fideliter continere, & propter deliberationem ſuorum obſidum eum mihi feruentiſſimas preces infudiſſe. Hac de cauſa Clementiam veſtram, tanquam illius in quo tota mea ſpes eſt poſita, ſi auſa ſum, humiliter imploro, vt eos meis precibus & nepotum veſtrorum pietate liberare dignemini. Teſtor Deum, ſi in eorum captione vtilitatem veſtram cognouiſſem, nunquam alicuius precibus de eorundem ſolutione locuta fuiſſem. Si miſericordia veſtra preces meas ſuſcipere dignata fuerit, Trincauello per Literas veſtras mandare, vt erga dominum meum Comitem & nepotes veſtros fideliùs quàm ſolebat ſe deinceps habeat, & de guerris & ceteris negotiis eos iuuare non permittat. Præterea vos diligenter rogo, vt Fredericum Sancti Victoris Canonicum Abbatis ſui licentiâ ad me venire faciatis. Valete.

LVDOVICVS VII. IVNIOR. A

EPISTOLA CCCCXXXVI.

LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum excellenti, & naturali Domino ſuo, M. Imperatrix, & Regis filia, ſalutem & fidum cum dilectione obſequium.* RECOLAT Excellentia veſtra, quòd ſæpè requiſiui vos de verbo quod eſt inter vos, & filium meum Regem Angliæ, ſed nullum indè reſponſum fecistis quod mihi ſedeat, vel vnde certa exiſtam. Eapropter ad vos dirigo Remigium de Sancto Valerio, veſtram implorans altitudinem: quatinus per eundem, ſi placeat, omnem certitudinem verbi mihi mandare non differatis. Niſi enim feceritis, tale quid contingere poterit inter vos, quod ego emendare non potero: & præſertim pro vtroque populo quem regere debetis, & pro populo Ieruſalem qui ad tempus eſt deſolatus & perterritus. expedit, & honor erit vobis, quòd curam capiatis, quod pacem haberet, & Audoin. Capell. apud pratum.

EPISTOLA CCCCXXXVII.

LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum dilectiſſimo Domino ſuo, M. Ducisſa Burgundia ſalutem & debitum obſequium.* NOTVM eſt Maieſtati veſtræ, quòd filius meus homo veſter eſt legius, & ſi placet veſter conſanguineus B & quicquid ipſe poteſt, veſtrum eſt, & ſi magis poſſet veſtrum eſſet. Ideòque veſtram ſummam dilectionem ſecuriùs rogo pro filio meo. Dictum eſt enim mihi quòd Comes Radulfus de Perona quandam ſororem habet nubilem, quæ vt mihi dictum eſt & ſuis, habilis eſſet filio meo nuptui. Eapropter, dilectiſſime Domine, ego & ipſe rogamus, vt ſuper hoc ipſi prouideatis, & cum Comite Sueſſionenſi indè loquamini, & tractetis quomodo hoc matrimonium contrahatur. Sciatis, cùm in alio Regno filius meus vxorem habere poſſet, ego multo magis volo eum in veſtro Regno vxorem ducere quàm in alio. Quantò magis vos appropinquabit, tantò magis veſter erit, & incrementum omninò veſtrum erit.

EPISTOLA CCCCXXXVIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum venerabili Domino & fratri ſuo, C. eius humilis ſoror, Spiritum conſilij & fortitudinis.* ALTITVDINI veſtræ declaro, iſtum militem Guidonem nomine mihi diu ſeruiuiſſe, & me ei in paucis retribuiſſe. Et cùm matris eius pietas, & plurima negotia eum repatriare coëgerint, neceſſitatem meam ſciens & videns, ab me lachrymabiliter diſceſſit. Vnde fraternitatem veſtram humiliter deprecor, vt pro Dei amore & mei ei bonus adiutor, & omnium ſuarum rerum bonus defenſor eſſe dignemini. Cùm neceſſitatis meæ ſecreta meliùs quàm alter homo nouerit, vobis eorum veritatem C detegere non denegabit. Super hoc vos pro Dei amore & fraternitatis pietate deprecor, vt in proximo mihi ſubueniatis. Teſtor Deum, niſi mihi ſubueneritis, modò malum ſuſtineo, & peius in futuro eueniet. Valete.

EPISTOLA CCCCXXXIX.

HONORABILISSIMO LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi feliciſſimo Domino vnico ſuo, E. Narbonenſis Vicecomitiſſa eiuſdem ſpecialis femina, debita reuerentia obſequium.* VESTRA enim, Domine, non dubitet veneratio, me & mea veſtris ſemper obedire mandatis, & quicquid in mundo poſſideo veſtro ſubiacet Imperio. Verumtamen hoc vnum precor, quòd mei memoriam veſtra frequentet liberalitas, quoniam poſt Deum tota ſpes mea in vobis cariſſimo Domino meo pendet. Et ideo ſingulis diebus ſi promptos haberem nuntios, vobis in mei memoriam dirigerem. Quòd de equo mandatum veſtrum nondum impleui, cauſa eſt vtilis inquiſitio, quòd nondum bonum inuenirem equum. Eapropter de mora noſtra aduerſus me non moueatur Maieſtas, quoniam in breui quantò meliorem, qui tantum deceat Dominum, inuenire in tota Terra noſtra potero, mittam. Valeat Dominus meus mei ſemper memor.

A

EPISTOLA CCCCXL.

DOMINO *ac Patri ſuo cariſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, M. Trecenſis Comitiſſa eius dilectiſſima filia ſalutem & intimum amorem.* CERTA ſpes obtinendi preces meas ad vos dirigere multotiens compellit. Indè eſt quòd paternitatem veſtram, piiſſime Pater, ſupplieiter exoro, quatinus Dei & mei amore iram & malam voluntatem, quam hactenus neſcio quo falſidicorum admonitu aduerſus Paganum de Meleun quondam hoſtiarium veſtrum habuiſtis, hoc modo veſtri gratia condonetis, vt in priſtinum Domus veſtræ reſtituatur officium. Iam enim terminus tranſiit, quem mihi impoſuiſtis. Vos equidem ſuper hoc me rogare infra terminum à vobis ei conſtitutum nullatenus auderem. Valeat Sublimitas veſtra.

EPISTOLA CCCCXLI.

DOMINO *& Patri ſuo cariſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, M. Trecenſis Comitiſſa ſalutem cum debito obſequio.* AVDIVI, dilectiſſime pater, quòd quidam homines de Sancto Dionyſio de quibuſdam hominibus meis apud Columbarium manentibus plurimum conqueſti ſunt vobis, & dixerunt vobis quòd homines mei eos iniuſtè ceperunt. Veſtra attamen proculdubio noſcat diſcretio, quòd homines mei eos iuſtè ceperunt. Pedagium enim de Columbariis, quod meum eſt, effugiebant. Hoc etiam facere multotiens conſueuerunt, & ſic ferè ad nihilum præfatum pedagium redactum eſt. De huiuſmodi etiam forefacto, vnde nunc XL. aut LX. capio ſolidos, Comes Dominus meus VII. aut X. capiebat libras, & tunc nullam vobis faciebant querelam. Nunc verò quia iam dictum pedagium me ſciunt habere, ex quo iis aliquod accedit infortunium ad vos concurrunt, & vobis pro minimo conqueruntur. Vnde veſtram quamplurimum imploro dilectionem, ne quid ab eis auditum veſtrum erga me conturbet animum. Abſit enim, vt aliquid contra vos faciam. Veſtræ equidem voluntati ſum penitus parata. De cetero vos rogo, vt nullam vlteriùs de me Domino meo faciatis querelam, ſed quicquid vobis placuerit mihi præcipite, & ego faciam. Valeat Sublimitas veſtra.

B

EPISTOLA CCCCXLII.

LVDOVICO *Dei gratiâ altiſſimo Regi Franciæ, cariſſimo Domino & fratri ſuo, C. eius vnica ſoror ſalutes & fructum perhennis vitæ conſequi.* NON ignotum ſit vobis, iſtum militem Berengarium de Podio Serguerio nomine vtilitatem meam & neporum veſtrorum valde diligere. Quoniam hoſtes eius ei iniuriam inferre moliuntur, ad vos, cuius vocem ſemper clamauit, venit. Hac de cauſa libertatem veſtram rogo, vt ſi à vobis aliquid iuſtè petierit, deprecationis meæ opem ſibi prodeſſe & valere ſentiat. Vt eius vicini teſtantur, caſtrum ſuum nullo mediante de manu veſtra debet tenere. Valete.

C

EPISTOLA CCCCXLIII.

LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum cariſſimo Domino & patri ſuo dilectiſſimo, M. Trecenſis Comitiſſa quicquid patri filia.* DE dilectione paternitatis veſtræ confiſa, Maieſtatis veſtræ benignitatem obnixè deprecor, quatinus iram quam aduerſus Hugonem Senonenſem hoſpitem Comitis Domini mei habetis, & querelam quam nunc ab eo exigitis, amore Dei & mei ſibi condonetis, & amodo ſi placet, veſtra regalis Maieſtas aliquantulum miſericordiret miſericordiam ſibi conferre dignetur: vt exindè grates vobis referam, & ipſe preces meas apud benignitatem veſtram ſibi profuiſſe ſentiat. Valete.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CCCCXLIV.

ILLVSTRI *Domino & in Chriſto cariſſimo ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, *A. Fontiſebr. humilis Miniſtra*, *ſalutem*. *& vtriuſque Regni ſucceſſus.* QVANTVM veſtra huc vſque ad profectum & noſtram vtilitatem vigilauerit prouidentia, operis probat exhibitio. Indè eſt quòd inter cetera Deo & vobis grates maximas referimus, quòd eleemoſynam noſtram de Chaucé, vnde iam maxima percepimus bona, veſtro iudicio, veſtróque mandato pacificè poſſidemus. Sed quia ipſius eleemoſynæ partem decimarum Hugo Maior de Tauré ſibi vſurpare contendit, & hac de cauſa nobis & illi iudicandi diem veſtra deſignauit dignatio, vobis notum ſit Fratres noſtros, & Sanctimoniales noſtras diem tenuiſſe, & præfatum Hugonem nec ad diem veniſſe, nec nuntium quòd venire non poſſet transmiſiſſe. Quid verò ſuper huiuſmodi facto fieri debeat, veſtra Dei & noſtri reſpectu perpendat Sublimitas. Quod vos facere non dubitamus. Si quid minus ſcribimus, præſentium lator vobis ſupplebit. Valeat Regnum veſtrum.

EPISTOLA CCCCXLV.

B

EXCELLENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ ſtrenuiſſimo Francorum Regi*, *E. Narbonenſis Vicecomitiſſa eius fidelis & deuota femina*, *ab eo ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* Ex prædeceſſorum noſtrorum conſuetudine & ratione pariter didicimus, vt ingruente neceſſitate ad certa ſubſidia conuertamur. Indè eſt, quòd quia à vobis multùm honoris habeo, & me veſtram ſpecialiter eſſe fateor, vobis ſicut ſummo & cariſſimo Domino meo de negotiis meis fiducialiter ſcribo. Nouerit itaque Celſitudo veſtra, quemdam militem de terra noſtra nomine Berengarium de Podiò Soregario Curiam veſtram in proximo fore aditurum. Qui omnibus de prouincia noſtra ſcientibus, cùm meæ debeat iuriſdictioni ſubeſſe, nimia animi leuitate & ſuperbia ductus Coronæ veſtræ gratiam mihi ſubripere, & ad iuris mei diminutionem & dedecus, mendaciis ſuis per tuitionem veſtram poteſtati meæ molitur ſe ſubtrahere. Maieſtatem ergo veſtram ſupplicìter imploro, quatinus eius ſubdolis ſuggeſtionibus fidem minimè adhibeatis, ſed ſicut decet, & iuſtum eſt, commentis ſuis deluſum, & ſpe inani fruſtratum ad me, cuiús poteſtatis eſt, ſi placet remittatis. Verumtamen ſi de dictis meis ambigitis, me & ipſum in præſentiam Epiſcoporum veſtrorum, quos in partibus veſtris habetis, Magalonenſis videlicet, & aliorum, per Literas veſtras venire præcipiatis. Mandaſtis mihi, vt cum Comite Toloſano pacem firmam haberem, & ei ſeruirem. quod & feci, & gratia veſtri XV. poſt Aſſumptionem beatæ Mariæ armata manu contra hoſtes ſuos cum ſum ſecutura: & nunc, & ſemper, niſi per eum ſteterit, amore veſtri firmiter dilectura. Valeat Dominus meus. C

EPISTOLA CCCCXLVI.

DOMINO *ſuo venerabili atque ſanctiſſimo H. Sueſſionenſi Epiſcopo*, *A. eadem gratiâ Fontiſebrardi Abbatiſſa*, *ſemper in Domino valere.* QVONIAM per Literas veſtras maximum Virgines noſtras conſecrandi veſtræ mentis deſiderium nobis ſignificaſtis, ideirco multam in partibus iſtis moram fecimus. Et quia vlteriùs immorari non poſſumus, petimus vt in proxima Dominica illud quod filiæ veſtræ à vobis præſtolantur impleatur. Si autem, quod abſit, per vos fieri nequiuerit, quemdam qui veſtras vices ſuppleat nobis mittere curate, & verum fieri vel non fieri quod precamur potuerit, ſcripto veſtro certificate. Valete.

A

EPISTOLA CCCCXLVII.

CARISSIMO *patri ſuo & venerabili Domino, necnon etiam fratri ſuo dilectiſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum, C. Comitiſſa Sancti Egidy ſalutem, & præcipuè dilectionem.* VESTRÆ nobilitati notum facio, ſicut ei, in quo ſolo Deo excepto omnem ſpem meam pendere confiteor, quòd in eo die in quo Simon noſter famulus à me diſceſſit, ab hoſpitio diſceſſi, & domum cuiuſdam militis in villa intraui. Non enim habebam, quid manducare, vel quid meis ſeruientibus dare poſſem. Comes enim de me curam non habet, neque ab eo conſilium, neque aliquid de ſua Terra, quod mihi neceſſarium ſit, accipio. Quare mando vobis, veſtram Sublimitatem exorans, vt nuntiis, qui veſtram Curiam petere debent, ſi vobis mihi benè eſſe dixerint, ne credatis. Res pro certo de me ita ſe habet, vt vobis mando. Si verò auſa forem vobis ſcribere, plus mihi mali eſſe mandarem. Valete.

EPISTOLA CCCCXLVIII.

LVDOVICO *Domino ſuo Regi Francorum, I. Comes Sueſſionenſis ſalutem.* DE Literis mihi ex parte veſtra tranſmiſſis propter Comitem de Namur, notum vobis ſit, quia neque ego, neque dominus Comes R. iuſtitiam cauere voluimus. Sed ad libitum veſtrum diem iuſtitiæ quandocumque vobis placuerit ſibi determinetis. Parati enim ſumus iuſtitiam exequi. Valete.

B

EPISTOLA CCCCXLIX.

DOMINO *ſuo cariſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ venerabili Regi, I. Comitiſſa Niuernenſis ſalutem & plurimam dilectionem.* NOVERIT Celſitudo veſtra, quia filius meus VVillelmus in infirmitate ſua vouit, quia nullum aſſumeret negotium donec peregrinatione completa ad beatam Mariam de Podio rediiſſet. Verùm in diſceſſu ſuo rogauit me, vt vobis Domino ſuo, quem diligere vult, & honorare, in omnibus gratias referrem de parte ſua & mea ſuper illo verbo, quod ei per nuntium ſuum mandaſtis. Quod vtique facio, ſignificans quòd cùm ipſe redierit, venire ad vos non differet: de hoc ipſo verbo & aliis negotiis ſuis vobis locuturus. Valete, & placitum veſtrum mihi, quæ veſtra ſum, mandate.

EPISTOLA CCCCL.

C

LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Franciæ venerabili Domino & fratri ſuo, C. eius vnica ſoror ſalutes in Chriſto.* LITERAS veſtras, inclite pater, inclite frater, vidi. Quarum promiſſio ſi in proximo compleretur, ego, quæ infortunata diu ſteterim, felix & fortunata valde forem. Timeo tamen ne verba nuntiorum meorum & veſtrorum me promiſſionibus ſuis deciþiaut. Vt autem timor meus expellatur, preces quas poſſum vobis humiliter effundo, quatinus me miſeram ſororem veſtram obliuioni non tradatis, & Moſtorolum tanquam me credatis. Ipſe ſiquidem ſecreta noſtra ſcit. Valete.

EPISTOLA CCCCLI.

LVDOVICO *venerabili atque excellenti Regi Galliæ,* CONSTANTIA *Alani Comitis Britannorum filia, ſalutes & amicitiæ vinculum.* NOTVM fieri cupio dignitati veſtræ, me veſtri memorem diu extitiſſe, & cùm mihi plurima à pluribus ſint oblata munera amoris causâ, à me nulla vnquam fuiſſe recepta. Sed ſi veſtræ liberalitati placeret, vt mihi te vltra quàm dicere valeam diligenti, aliquod amoris inſigne, vel annulum, vel aliud aliquid mitteret, illud carius totius mundi pretio tenerem. Grates vobis reddo de gerulo meo, quem ſuſcepiſtis tam honorificè. Et ſi aliquid fuerit in partibus noſtris quod vobis habere placuerit, vel accipiter,

LVDOVICI VII. IVNIOR. vel canis, aut equus, exoro quatinus mihi non differatis intimare per præſentium A latorem. Pro vero habeatis, quòd ſi fortuna toto ote mihi arridere contempſerit, mallem alicui tuorum etiam humili me coniungi, quàm Scotiæ Reginam fieri. Quod effectu probabo: quoniam quàm citò Comes C. frater meus de Anglia redierit, itura ſum ad Sanctum Dionyſium orationum cauſâ, & vt veſtrâ præſentiâ vti valeam. Valete, vt valeam.

EPISTOLA CCCCLII.

ILLVSTRISSIMO *Francorum Regi* LVDOVICO *amantiſſimo Domino ſuo, M. Duciſſa Burgundiæ ſalutem,& ſe ipſam ſcabellum pedum ſuorum.* DVM venirem ad placitum meum in veſtram præſentiam, vt veſtra iuſtitiâ meum ius recuperatem, venit nuntius Ducis ad me, qui mihi placitum contramandauit. Non ideò tamen ad vos minus veniebam. Sed interea meum conſilium fuit, vt ad dominum Papam item, quia negotium meum, quantum ad ipſum pertinet, nondum perfeceram. Vt igitur perficiam, ad ipſum vado. Quocirca nuntium meum veſtræ Celſitudini mitto, vt mihi diem, quam peſſimo filio meo qualicumque ſtatuaris, mihi remandetis. Ego verò eiecta & exul, quondam diues, nunc quaſi mendicans; quondam Duciſſa, nunc verò quaſi ſine potentia, ſupplex & humilis apud pedes veſtræ Regiæ Maieſtatis proſtrata, miſera & lachrymabilis exoro vt B mei miſereamini, & operam dare dignemini vt meam dotem, quæ huc vſque nulli alij ablata eſt, per miſericordiam veſtram recuperem. Poſt Deum verò tota ſpes mea in vobis poſita eſt.

EPISTOLA CCCCLIII.

F *Dei gratiâ Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, dilecto fideli & conſanguineo ſuo H. Comiti Trecarum gratiam ſuam & omne bonum.* CVNCTIS populis, quos clementiæ noſtræ regit Imperium, iamdudum innotuiſſe eredimus, qualiter exorta quondam inter Eccleſiæ Romanæ Cardinales de Apoſtolatu diſcordia, in Reges & Regna impetu peſtifero eſt diffuſa. Pro qua ad optabile pacis bonum reuocanda, quantos poſt beatæ memoriæ Papæ Victoris electionem ac confirmationem catholicam Papiæ, Laudæ, Mediolani, Laonæ, atque in diuerſis Imperij finibus in corpore noſtro labores tam nos quàm inuicti Principes noſtri pertulerimus, quantas rerum copias zelo iuſtitiæ impenderimus, in extremis quoque mundi partibus iam auditum non dubitamus. Denique beatiſſimo Papa Victore ad Paradiſi gaudia aſſumpto, & in eius locum ab Epiſcopis Cardinalibus almæ Sedis Apoſtolicæ Domino Paſchali viro Chriſtianiſſimo in præſentia Epiſcoporum & Religioſorum Lombardiæ, ac Tuſciæ, illuſtris quoque Præfecti vrbis Romæ, ac multorum Nobilium Romanorum catholicè ſubſtituto, ipſum etiam Dominum Paſchalem ex Eccleſiæ ac Principum Imperij iudicio atque conſilio in Papam & Patrem Catholicum ſolemniter recepimus, debitóque honore venerari ſemper intendimus. Proinde obſtinata ſciſmaticorum perfidia, mortem viri iuſti ſuis ſucceſſibus apetta ftonre aſcribens, ſyreneis ſuis blanditiis fidelium quorundam noſtrorum animos adeò molita eſt de nouo immutare; vt niſi morbis nouis noua maturiùs remedia obicerentur, pars noſtrorum non modica videretur ex fiducia noſtræ lenitatis ſeducenda. Igitur zelo reformandi decoris Domus Dei ardentiùs accenſi, cùm Regem Francorum, qui nulla noſtra culpa præeunte, vnà cum Rollando Imperij noſtri hoſte publico, eiúſque ſequacibus, Imperialem noſtrum honorem manifeſtè molitur auferre, poſt multos noſtros ammonitus irreuocabilem perſenſiſſemus; vniuerſis Imperij noſtri Principibus in feſto Pentecoſtes Curiam generalem VVitneburc indiximus: quorum cœtu celeberrimo ibidem ſolemniter præſidente, Eccleſiæ Dei ſtatum ad Domini Paſchalis Papæ negotium ſeriò ac magnificè duximus roborandum. Inuocata igitur deuotiſſimè Spiritus ſancti gratia, & vniuerſorum qui aderant conſilio altiùs communicato, ad remouendam pro parte noſtra omnem prorſus ambiguitatem, ipſi nos manu propria ſuper Sanctorum reliquias iuramentum publicè præſtitimus, quòd Roll. ſciſmaticum, vel eius ſucceſſorem, quem pars ipſius elegerit, in Papam nunquam reci-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A piemus, nec ad eum recipiendum aſſenſum vnquam alicui præbebimus. Nulli etiam fautorum eius gratiam noſtram vnquam reddemus, niſi ab errore viæ ſuæ ad vnitatem Eccleſiæ fuerit conuerſus. Dominum verò Paſchalem Papam manutenebimus ſemper atque promouebimus, eíque tanquam Patri Catholico, & vniuerſali Pontifici obedientiam, honorem, ac reuerentiam exhibebimus: & ab ipſo, eiúſque parte, vita comite, nunquam recedemus. Electos quoque, qui ſub eo, aut eius ſucceſſore, quem pars ipſius elegerit, conſecrationem receperunt, vel adhuc receperint, honore aut ordinibus ſuis pro eius obedientia priuari nunquam permittemus, & huius abſolutionem ſacramenti nunquam requiremus, nec oblatam recipiemus. Præterea noſtri in Impetio ſucceſſor, quem Principes vniuerſi elegerint, hunc honorem Eccleſiæ Dei & Imperij, & hanc partem noſtram ſub eodem iuramento tuebitur ſemper, atque tenebit. Idem quoque iuramentum Archiepiſcopi omnes, & Fpiſcopi, atque Electi qui interfuerunt numero XL. ſuper ſancta Dei Euangelia manu propria vnuſquiſque ſub ſtola ſua præſtiterunt, & publicè firmauerunt. Nihilominus Principes ſeculares vniuerſi, Dux videlicet Saxoniæ, ac Rauuarus, Marchio Albertus ſenior, Cuonradus Palatinus Comes de Reno, & Lodeuuicus Lantgrauius, ac reliqui omnes, ſuper Sanctorum reliquias publicè id ipſum iurauerunt. Repentè autem Spiritus ſanctus mentes omnium adeò fecit vnius voluntatis, quòd Electi omnes qui præſentes aderant, primo Rei-
B noldus Colonienſis Electus, & Italiæ Archicancellarius, deindè ceteri omnes in Sabbato quatuor Temporum ad laudem Dei & honorem Imperij ſacros Ordines deuotiſſimè ſuſceperunt. Firmiter quoque à nobis & ab vniuerſis decretum eſt, vt quicumque ſuperſunt ordinandi, ia proximis quatuor Temporibus ſimiliter exequantur. Alioquin dignitatis, ad quam electi ſunt, honore, omni remota dilatione priuentur. Ad hoc honorabiles Legati illuſtris amici noſtri H. Anglorum Regis ad nos ab ipſo tranſmiſſi, in totius Curiæ noſtræ præſentia ſuper Sanctorum reliquias ex parte Regis Angliæ publicè nobis iurauerunt, quòd Rex ipſe cum toto Regno ſuo in parte noſtra fideliter ſtabit. Dominum Papam Paſchalem, quem nos tenemus, nobiſcum tenebit. De Rollando autem ſciſmatico manutenendo nullatenus de cetero ſe intromittet. Quia verò iuſtitiæ, quam hoſtes Eccleſiæ ac noſtri, ſiue ſuperbiâ, ſiue ex cauſa ſuæ diffidentiæ deuitarunt, nos ſemper hactenus ſtare parati, nunc tandem ad inſolita ſacramenta ex eorum manifeſta obſtinatione ſumus impulſi, à ſciſmaticorum communione omnis homo omniſque ordo caueat. Fauor enim illorum etſi aliquo modo viſus eſt venialis, in poſterum prorſus erit irremiſſibilis. Ad perfectum verò huius negotij firmamentum, ex totius Herbipolenſis Concilij decreto firmiſſimè præcipimus, vt ſi quis ad ſui mandatum Antiſtites aut Præſides Prouinciæ, vel Domini ſui ſacramentum ſupraſcriptum non præſtiterit, ſi Clericus ſit, aut Monachus, Eccleſiaſtico priuetur honore: ſi laicus, allodia & beneficia quæcumque poſſidet, noſtra ipſi aucto-
C titate à ſuo iudice vel Domino prorſus adimantur.

EPISTOLA CCCCLIV.

PRÆNOBILI *Domino* LVDOVICO *glorioſo Regi Francorum*, *R. Dei gratiâ Sanctæ Colonienſis Eccleſiæ Electus*, *& Italiæ Archicancellarius*, *ſalutem & affectum cum ſincera dilectione obſequium.* ACCEPERAMVS in mandatis à Domino noſtro inuictiſſimo Romanorum Imperatore, vt vobis & Regi Anglorum communiter ac ſimul loqueremur, & ſuper negotio Eccleſiæ vniuerſalis, & pro ſucceſſu periclitantis Eccleſiæ Orientalis. Sed quoniam peccatis exigentibus, tum Rege Anglorum difficultatem temporum prætendente, tum etiam anguſtiâ temporis nos arctante, ad vos ad præſens non valemus accedere: obnixè vos rogamus ne ſiniſtrè verbum hoc accipiatis, & nec pro contemptu, nec pro ſuperbia, ſeu negligentia aliqua, ſed pro mera neceſſitate nos hoc tempore deſiderato diu veſtro colloquio noueritis abſtinere. Tantam enim moram penes Regem Anglorum pro negotio eodem fecimus, quòd ad præfixum nobis terminum vix ad Dominum meum poterimus peruenire. Sed nec imperatum nobis fuerat ad vos ſine Rege Anglorum accedere. Proindè, quoniam ad ſeruitium veſtrum quantum ſalua Domini mei & Imperij Romani fidelitate poterimus, corde, rebus, & corpore

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

parati ſumus: nobilitatem veſtram inſtanter exoramus, & arctiſſimè commonemus, quatinus memor eius, quæ inter Dominum meum Principem sereniſſimum & vos eſt, conſanguinitatis, ipſum & Imperium Romanum taliter tractare curetis, ne coronam & omnem honorem eius violenter demoliri velle videamini: nominatim Rollandum hæreticum & ſciſmaticum, publicum videlicet hoſtem Imperij Romani fouendo, ac manutenendo. Ceterùm noueritis quòd Dominus Imperator, peracta imminenti eius Curia, ſtatim aut per nos, aut per alios magnos Legatos vos viſitabit, per quos & de negotiis propriis, & de neceſſitatibus Eccleſiæ Orientalis altiùs vobiſcum deliberet atque pertractet. A

EPISTOLA CCCCLV.

PASCALIS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio B. Veltr. nobili viro ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* NOBILITATEM tuam tantò ſinceriori affectu dilectionis amplectimur, & honorare intendimus, quantò nobis deuotiorem te exiſtere amodo comprehenderimus. Indè eſt, quòd tuam deuotionem per Apoſtolica ſcripta ſollicitamus, quatinus prauitati ſciſmaticorum, qui Eccleſiam Dei & totum mundum turbare non dubitant, in quantum potes reſiſtas, & in vnitate Eccleſiæ nobiſcum perſeuerans, animum Regis aliorúmque Principum ad vnitatem Eccleſiaſticæ pacis reuoces: vt tua induſtria tantò in fine glorioſior appareat, quantò ſæpius & propinquiùs à ſciſmaticis temptatus, nullis eorum ſuaſionibus à via veritatis abſtractus, in vnitate Eccleſiæ ſincerius fueris inuentus perſeueraſſe. Datum Viterbij, Idib. April. B

EPISTOLA CCCCLVI.

F. *Dei gratiâ Romanorum Imperator & ſemper Auguſtus, dilecto & fideli ſuo H. illuſtri Comiti Trecarum, gratiam ſuam & omne bonum.* AVDIVIMVS, vnde plurimum grauamur & dolemus, quòd Rex videlicet Franciæ in proximo feſto Sancti Iohannis terram Ducis Diuionenſis noſtri dilecti, & noſtri obligati, hoſtiliter intrare atque deſtruere proponit. Quod nos nulla ratione poſſumus aut debemus ſuſtinere. Vnde tuam dilectionem, cui plenariè confidimus, toto affectu ſollicitamus, & ſummoperè poſtulamus, quatinus pro noſtro amore ipſum Regem ab hoc propoſito modis omnibus retrahas, & impedias: & ne per te nec per tuos ipſi Duci aliquod damnum vel grauamen proueniat, te ipſum à conſilio & auxilio Regis ſubtrahas, ne Duci noceas. Quòd ſi Rex ipſe ab hac intentione deſiſtere vel ſupercedere noluerit, ſcias pro certo quòd non patiemur, nec ſuſtinebimus, imò ei reſiſtendo amicum noſtrum Ducem cum toto robore Imperij noſtri iuuare curabimus & defenſare. Verumtamen ſi inter Ducem & matrem eius aliqua quæſtio, quæ tendat ad diſcordiam, orta eſt vel fuerit, nos vna tecum ad C eandem quæſtionem componendam ſatis ex abundanti ſufficere poſſumus.

EPISTOLA CCCCLVII.

GLORIOSO *& magnifico* LVDOVICO *Regi Francorum, Chriſt. Dei gratiâ Imperialis Curiæ Cancellarius, & Legatus Italiæ, ſalutem & ſeruitium ſuum.* RATIO ſuggerit, & Principum conſuetudo depoſcit, vt quemadmodum Regni veſtri negotiatores per Romanum Imperium pace & ſecuritate funguntur, ita verſa vice noſtri nullatenus ſub veſtra iuriſdictione lædantur. Quia igitur Maſconenſis Vicecomes quoſdam noſtros mercatores iniuſtè expoliauit, & vnum ex eis in captiuitate retinet compeditum, petimus, & ex parte Auguſti ſereniſſimi veſtram Excellentiam commonemus, vt hominem & res detentas reddi faciatis. Alioquin ſi damna illiuſmodi per veſtros negotiatores fuerint reſarcita, aut ſi nouum teloneum ad damnum reſarciendum ſuper veſtros mercatores fuerit conſtitutum, veſtra diſcretio non grauetur.

A

EPISTOLA CCCCLVIII.

SANCTISSIMO *Patri & Domino A. Dei gratiâ ſummo Pontifici*, LVDOVICVS *eadem gratiâ Francorum Rex*, *ſalutem & debitam reuerentiam.* ARCHIEPISCOPVS Remenſis H. frater meus nuper in Flandriarum Terram profectus, ibi inuenit homines deprauatos, erroris peſſimi ſectatores in Manichæorum lapſos hæreſim, qui vulgo Populicani vocantur, & per quaſdam obſeruationes quas habent meliores apparent quàm ſint. Et ſi fortè proſperati fuerint, diſpendium magnum erit noſtræ fidei, præſertim in partibus illis vbi iniquitas pullulauit, & radices altiùs fixit. Si voluiſſet Archiepiſcopus ſolummodò vt parceret iniquis iſtis, & tolerarct prauitatem hanc, pro huiuſmodi redemptione habuiſſet pecuniam magnam nominatam, videlicet ſexcentas argenti marcas. Quia apud eum non patebat illis refugium, proclamauerunt ad audientiam veſtram. Sed rem tam venenoſam, tam pernitioſam attendat diligentiùs veſtra ſapientia, & velitis vt tanta peſtis potiùs euellatur quàm pullulet. Precamur itaque attentiùs pro honore fidei Chriſtianæ, vt ex conſilio Archiepiſcopi cariſſimi filij veſtri rem prouenire ſinatis, vt illi ſcilicet deſtruantur qui contra Deum eriguntur: & ſeneritas in tales commendabilis erit apud omnes, qui in patria illa pietatis amatores ſunt. Et
B ſi aliter egeritis, non expedit fidelium mentibus, quorum murmur non ſedabitur facilè, & in blaſphemiam veſtram & ſanctæ Romanæ Eccleſiæ ora quamplurimorum aperietis. Valete.

EPISTOLA CCCCLIX.

PASCALIS, *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei*, *cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *Regi Francorum & conſanguineo noſtro*, *ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* PRÆDECESSORIS noſtri felicis memoriæ Papæ Victoris ſæpenumerò, ſicut accepimus, ſcripta recepiſti, in quibus tuam Excellentiam paterna ſollicitudine commonebat, quatinus contempta ſciſmaticorum prauitate ad Eccleſiaſticæ pacis vna cum tuo Regno redires vnitatem. Nos quoque poſt eius felicem obitum, licèt indigni, Apoſtolico loco ſubrogati, expectantes expectauimus, vt vel ipſius commonitionibus, vel propria conſideratione prouocatus, veritatis luce, quæ iam circumquaque ſeſe diffudit, illuſtratus, tuæ nobis ſubiectionis atque obedientiæ ſcripta porrigeres. Quod quia nondum conſtat effectui mancipatum, per Apoſtolica ſcripta tuam nobilitatem ſollicitamus attentiùs commonentes, & exhortando conteſtantes, quatinus ad cor redeas, veritatem quæ nulli quærenti deeſt conſulas, & tantis Eccleſiæ Dei ſcandalis, quæ per te ſolum vigere dicuntur, tandèm finem imponas, vt tuæ Excellentiæ dignitas, ſicut ſemper fecit, Apoſto-
C licæ Sedis gratiam plenariè valeat conſeruare, & de redintegratione pacis Eccleſiaſticæ gloriam à nobis & meritum ſemper obtineas, & vt Imperialem animum reformata pace Eccleſiæ ad Imperij & Regni tui vnitatem & tui voluntatem citiùs poſſimus reuocare. Datum Vitetbij Idib. April.

EPISTOLA CCCCLX.

OVVINVS *Rex VValliæ ſuus amicus deuotiſſimus*, *H. Surſſionenſi Epiſcopo & amico dilectiſſimo debitam ac voluntariam cum ſalute amicitiam.* DEO Patri, mi venerande, & veſtræ diſcretioni gratias refero, de hoc quòd mihi per nuntium meum Moyſen Literis veſtris mandaſtis; vt ſcilicet ſi meum nuntium iterum mitterem Domino Regi Franciæ, per vos diuertere facerem, vt veſtro ſuffragio efficaciùs ſuum propoſitum effectui mancipare valeret. Vnde & nunc iſtum M. nuntium meum vobis mittimus conſulendum de ſuo negotio, vos obnixè deprecando quatinus eum verſus Regem foueatis, & partem noſtram pro Dei amore & noſtro iuuetis. Valete.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA CCCCLXI.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex toti Conuentui Sanctæ Geneuefæ de Monte ſalutem & dilectionem.* ECCLESIA veſtra, quæ ab antiquis temporibus magni nominis extitit, & eſt Regalis Eccleſia, ſicut magnificè bonis exterioribus eſt ampliata, ita interiùs Ordinis obſeruantiâ & cultu iuſtitiæ debet eſſe decora. Eapropter vniuerſitati veſtræ mandamus, & precamur, vt dum in hac titubatione & ſine paſtore eſtis, oues errabundæ non ſitis. Cauete ne nominis veſtri nitorem infamiæ rumor aſpergat, & color optimus vertatur in pallorem. Efficite vt magnitudini nominis feruor religionis concorditer accedat. Si quis autem deuiauerit, ab errore viæ ſuæ reuocetis eum: & ſi rebellis inuentus fuerit, ſecundum Ordinis veſtri regulam & diſciplinam Sancti Victoris corrigatis, & ad obediendum Prælatis rigore animaduerſionis coherceatis. Videte tamen vt ita verba paterna habeatis, vt vbera materna non deſint. Taliter agentibus vobis nec conſilium deerit, nec auxilium noſtrum. Ciuitas ſupra montem poſita non poteſt abſcondi: & vos cùm ſitis in monte, curate & ſeduli eſtote ne lucernam veſtram, quæ omnibus lucet, prauarum actionum fumus extinguat. Qui eſt in monte, arduum virtutum montem non deſerat, nec in plano vitiorum, vbi Cain fratrem occidit, deſidat.

B

EPISTOLA CCCCLXII.

SANCTISSIMO *Patri & Domino A. Dei gratiâ ſummo Pontifici*, LVDOVICVS *eadem gratiâ Francorum Rex ſalutem & debitam reuerentiam.* MILITIS noſtri fideliſſimi, & qui circa nos eſt neceſſarius, Bucardi filius, pro appellatione quæ facta fuit in controuerſia diuortij ſui, adiit ſanctam Sedem Apoſtolicam. Precamur autem, & deprecamur Sanctitatem veſtram, vt cauſam iſtam abſoluatis quamcitiùs poteritis, & in quantum permiſerit ratio, fidelis noſtri filium iuuetis & expediatis, ne pater eius occaſione iſta à vobis diutiùs abſens eſſe cogatur. Valete.

EPISTOLA CCCCLXIII.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, amico & fideli ſuo A. reuerendo Elenenſi Epiſcopo ſalutem & plurimum amoris.* GRATIAS referimus non mediocres veſtræ ſinceritati, ſuper his quæ per Literas veſtras nobis mandaſtis, & quia cognoſcitis vos fidelem eſſe & nobis & Regno. Quamuis autem ſitis in parte remotiori, non tamen eſt à vobis remotus noſtræ caritatis affectus. quod libenter oſtendemus. Vnde nobilitati veſtræ mandare curauimus, & precari, ne formidetis nobis ſignificare veſtram voluntatem, ad quam implendam nos paratos eſſe nequaquam dubitetis.

C

EPISTOLA CCCCLXIV.

SANCTISSIMO *Patri in Domino A. Dei gratiâ ſummo Pontifici*, LVDOVICVS *eadem gratiâ Francorum Rex, ſalutem & debitam reuerentiam.* NOTVM ſit Excellentiæ veſtræ, quòd quidam burgus Turonis, qui dicitur Sancti Petri puellaris, proprius erat Regum: & eundem auus noſter Rex Philippus donauit liberum Eccleſiæ beati Martini. Eius adminiſtrationem Capitulum Canonico ſuo Frem. dederat, & propter iuſtitiam quam tenet, dictus Fremaudus ex officio habet in præſentiam noſtram adducere burgenſes vnum, duos, aut plures, quotquot voluerimus. Rogamus itaque paternitatem veſtram, vt pareatis nobis, & pro honore & reuerentia noſtra releuetis Fremaudum ab interdicto veſtro in hac parte, vt habeat in burgo iuſtitiam ſuam, ſicut priùs, & nulli burgenſium qui ibi maneat ſitis aduocatus ſiue præſidium. Valete.

A

EPISTOLA CCCCLXV.

DOMINO *& amico ſuo* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi, H. Rex Angliæ, & Dux Normanniæ, & Aquitaniæ, & Comes Andegauenſis, ſalutem & dilectionem.* QVANDO à tranſmarinis partibus diſceſſi & in Angliam veni, aſſenſu & licentia veſtra à vobis diſceſſi, totámque Terram meam tranſmarinam vobis tanquam Domino in cuſtodiam tradidi, bonæque fidei veſtræ commendaui, & vos eam amicabiliter gratiâ veſtra recepiſtis. Sed tamen Comites de Aluernia homines meos, quia ipſos vobis forisfeciſſe dicitis, cùm tamen de habendo eos ad iuſtitiam minimè defecerim, ſicut vobis placuit cepiſtis: & cùm Bailliuos meos ſuper hoc requiſiuiſſetis, ipſi minimè vobis defecerunt, ſicut aſſerunt. Beniuolentiam itaque veſtram attentiùs rogó, quatinus ſicut nec ego defeci, nec Bailliui, prædictos homines meos ſi placet mihi reddatis, vel ſaltim recredatis: & ego habebo eos ad iuſtitiam ſicut debuero, & faciam quicquid debuero ſicut Domino. Alioquin, adiuro ſicut Dominum per fidem, quam mihi debetis ſicut homini & amico veſtro, quatinus vel ipſos mihi reddatis, vel ſaltim ſicut prædixi recredatis: ſicut homines mei, quos ob hoc vobis mitto, pleniùs vobis exponent. Quibus, ſi placet, credatis tanquam mihi ſuper his quæ vobis ex parte mea dixerint. T. Archiep. Cantuar. Ard. VVindeſor.

B

EPISTOLA CCCCLXVI.

VENERANDO *ac ſemper diligendo amico* LVDOVICO *illuſtriſſimo Francorum Regi*, ILD. *per Dei gratiam Rex Aragonum, & Comes Barchinon. cum omni dilectione ſalutem.* INTER cetera, quæ per Ilerdenſem Epiſcopum vobis notifico, hoc vnum diſcretioni veſtræ intimare curo. Ad me peruenit, quòd ille ſenex homo, qui fingens ſe tanquam fraudulentiſſimus Regem Ildefonſum meum auunculum, quandoque ad Terram meam ſua machinatione ac fraude ſubuertendam venerat, modò apud vos, & Terram veſtram conuerſatur. Vnde de diſcretione veſtra, quæ maximè famoſa atque laudabilis ſemper apparuit, plurimum admiror, quia huiuſmodi doloſum, ac tantæ falſitatis hominem, in Terra veſtra permittitis vnquam adeſſe. Cùm enim manifeſtiſſimè probatum ſit, illum hominem falſiſſimum ac doloſum eſſe, quando ad veſtras declinauit partes incarcerare, ac de eo acerrimam exercere iuſtitiam deberetis. Igitur ex toto exponens me cum Regno meo ad omnem voluntatem veſtram atque ſeruitium, amicitiam veſtram, de qua plurimùm confido, obnixè rogó, quatinus de homine illo, ſi inuenire poteritis, talem ac tantam ſumatis ſui corporis iuſtitiam, quòd pro huiuſmodi meritó tenear vobis ſemper obnoxius. Valeat veſtra nobilitas.

C

EPISTOLA CCCCLXVII.

EXCELLENTISSIMO *Dei gratiâ* LVDOVICO *Francorum Regi*, OVVINVS *VValiarum Princeps ſuus homo & amicus fidelis, deuotiſſimum cum ſalute ſeruitium.* CVM vniuerſorum relatio, ſereniſſime Rex, te conſpicuum prædicet, in quo omnes poſſunt & debent confidere, clementia tamen mihi experimento nota, & manſuetudo erga ſubditos & in te confidentes, fecit me eligere te ſolum conſultorem, ad quem in anguſtiis meam conquerar neceſſitatem. Quantotiens enim de meo eſſe & mea ſollicitudine Literarum inſcriptione vobis nuntiaui, non tam Literas quàm earum latores beneuolè recepiſti, & eos clementer tractaſti. Mihi etiam per illos Deo gratias, & vobis, conſuluiſti prout pius Rex confidenti in eo debuit. Cùm itaque anguſtiæ ad præſens mihi vndique ſint, nolo te clementem conſultorem latere. VVerra, quam Rex Angliæ per multos dies, vt vobis notum eſt, ſeueritate ſuæ tyrannidis mihi excogitauit, in præterita æſtate nullis malis meis præcedentibus contra me ſurrexit. Sed cùm in conflictu quinque partes noſtri exercitus conuenirent, Deo gratias & vobis, ex ſuis plures ceciderunt quàm ex meis. Quo viſo meos obſides nequiter & iniurioſè demembrauit, non eos mihi ante offerendo pro pace tenenda. Sed quia non hominis propoſito, ſed nutu

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

Dei omnia diſponuntur, mouit exercitum verſus Angliam non noſtris fortaſſe meritis, ſed humilium oratione ad Sanctos, & Sanctorum interceſſione ad Deum: vſque adeò tamen me dubium relinquens, quòd nec pacem nec inducias nobiſcum compoſuit. Iratus itaque pro euentu non proſpero, alienigenis, & omnibus quos ad noſtrum detrimentum congregauerat in diſceſſu mandauit, vt poſt futurum Paſcha contra nos iterum cum eo venirent. Proinde veſtram clementiam obnixè deprecor, quatinus per præſentium latorem mihi nuntietis, ſi animum vverrandi contra eum haberis, vt in illa vverra & vobis ſeruiam nocendo ei ſecundum conſilium veſtrum, & illata mihi ab eo vindicem. Quod ſi hoc non proponis, quid conſulas, quod adiutorium mihi largiri vis, per hunc latorem mihi nuntietis. Nullam enim viam euadendi eius inſidias habeo, niſi te largiente mihi conſilium & adiutorium. Priuatum etiam & familiarem Clericum meum Guiardum & conſanguineum vobis commendo, quatinus pro Dei amore & noſtro ei neceſſaria prouideatis. Miſi enim eum ante in veſtram præſentiam cum Literis meis, quibus non credidiſtis, vt nobis dictum eſt, quòd eſſent meæ. Sed ſunt hæ, Deum teſtem induco, qui per illas eum intimo corde vobis commendaui. De hoc etiam veſtram clementiam obnixè deprecor, vt ſicut incepiſtis Prælatos Eccleſiæ, videlicet Apoſtolicum, & Archiepiſcopum Cantuarienſem, mihi pacificos reddere, ſic & adhuc reddaris. Valete. A

B

EPISTOLA CCCCLXVIII.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, G. amico & fideli ſuo beati Martini Theſaurario, & burgenſibus ſalutem.* VENIT ad noſtras aures, quòd de conducendis hoſpitiis pro Concilio non ſeruatur menſura, & noſtrum eſt corrigere hunc exceſſum. Vnde mandamus vobis & præcipimus, vt carius hoſpitium ſit ſex librarum, & ab hac ſumma deinceps ſecundum quod erunt alia hoſpitia, conducantur in ſua valentia.

EPISTOLA CCCCLXIX.

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Rex, dilecto ſuo H. reuerendo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Presbytero Cardinali, ſalutem & ſincerum amorem.* FAMILIARIS noſtri B. filius ſuper cauſa diuortij fatigatus ſanctam Sedem Apoſtolicam adiit, & nos ſecundum fiduciam quam habemus in vobis negotium eius veſtræ commendamus dilectioni, & deprecamur vt quantum poteritis ex ratione ad finiendum negotium intendatis, & dominum Papam ſuper hoc accuratè rogetis. Valete.

EPISTOLA CCCCLXX.

C

VENERABILI *& dilectiſſimo Domino* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi, H. Rex Anglorum, & Dux Normannorum, & Aquitanorum, & Comes Andegauorum, ſalutem & veram dilectionem.* EXCELLENTIÆ veſtræ gratias refero ſuper hoc quòd homines meos tam benignè mihi reddidiſtis, & ſuper his quæ mihi per Petrum de Melod. mandaſtis. Et id ratum & indubitabile habeatis, quòd ad obſequendum per omnia voluntati veſtræ paratus ſum, & in proximo annuente Domino transfretaturus vobis ſeruire ſicut Domino cariſſimo, vbi & quantum vobis placuerit, modis omnibus cum ſumma diligentia diſpoſui. Teſte G. Archidiacono Cantuarienſi. Apud VVudeſtoc.

EPISTOLA CCCCLXXI.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, cariſſimæ ſuæ illuſtri Dominæ* E. DE NARBONA *ſalutem.* SICVT nobis ſignificauit dilectio tua per commendabiles nuntios Abbatem Sancti Pauli & Petrum Raimundi, apud vos deciduntur negotia legis Imperatorum, in quibus cautum eſt ne feminis permittatur iudicandi poteſtas. Benignior longè eſt conſuetudo Regni noſtri, vbi ſi melior ſexus defuerit mulieribus ſuccedere, & hereditatem adminiſtrare conceditur. Memento

A mento itaque, quia de Regno noſtto es, & nos volumus vt Regni noſtti vſum teneas: & quamuis Imperio vicina ſis, in hac parte eorum conſuetudini & legibus non acquieſcas. Sedeas ergo ad cognitionem cauſarum, diligenter negotia examinans zelo illius qui te feminam creauit, cùm potuerit virum, & ſua benignitate in manu feminæ dedit tegnum Narbonenſis Prouinciæ. & propter hoc quod femina, noſtri auctoritate nulli perſonæ liceat à tua iuriſdictione declinare. Vale. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCCCLXXII.

LVDOVICO *glorioſiſſimo Francorum Regi* OVVINVS *Rex VValiæ ſalutem & deuotiſſimum obſequium.* Ex quo veſtræ virtutis magnificentiam & ampliſſimam veſtræ dignitatis ac nobilitatis Excellentiam, fama nuntiante, & veridica multorum relatione accepi; in veſtræ Celſitudinis notitiam venire, & dulciſſimam veſtram amicitiam habere, ſummo deſiderio à multis temporibus deſideraui. Sed quod hactenus commeantium caritate impediente, & locorum diſtantiâ, obtinere non potui, de cetero vt obtineam tam ſcripto quàm nuntio diligenter liberabo. Me igitur & mea, ſi qua vobis placent, veſtræ voluntati ad nurum exponens, ſumma precum inſtantiâ depoſco, quatinus me huc vſque multimodè diſcretioni veſtræ incognitum inter veſtros fideles & deuotos amicos amodò habere dignemini. Quid autem cariſſimæ veſtræ dilectioni ſuper petitione
B propoſita placuerit, per præſentium latorem mihi ſignificare non differatis. Valeant qui vos feliciter & diu regnare deſiderant. Valete.

EPISTOLA CCCCLXXIII.

REVERENDO *Domino & amico ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ excellentiſſimo Regi Francorum*, FERNANDVS *eadem gratiâ Rex Hiſpanorum cum reuerentia ſalutem.* CVM neceſſe eſt, tunc laudabiliter Domini & amici implorandum eſt auxilium, & expetitum amico eſt indulgendum. Quid hoc dico? Eſt in partibus Hiſpaniæ quædam Eccleſia Oxomenſis ſcilicet, in qua Religionis ordo plurimum commendatur, quæ à viginti annis potioribus bonis iniuſtè fuit expoliata. Ego verò cognita violentiâ & iniuriâ, quam paſſa fuerat, ſuas ſibi reſtitui ſicut decebat poſſeſſiones. Dominus verò Papa, quia ſic factum eſt, vult neſcio quorum conſilio quod legitimè actum eſt retractare. Quia ergo vobiſcum eſt, & in Regno veſtro conuerſatur, & vos benigniùs exaudit, veſtram iuſtum & vtile duxi exorare Sublimitatem, vt pro negotio Oxomenſis Eccleſiæ domino Papæ per Literas & Nuntium veſtrum, ſi vobis placet, preces porrigatis; vt videlicet Oxomenſem Epiſcopum fideliſſimum meum, vel Eccleſiam ſibi commiſſam grauare non intendat. Significate etiam & conſulite ei, ne ea, quæ per me legitimè acta
C ſunt, retractare nitatur. De cetero ſi qua ſunt in partibus Hiſpaniæ, quæ vobis placeant, vt ſunt veloces & probatiſſimi equi, aues etiam benè doctæ, & canes diuerſarum manerierum, per Magiſtrum Bernardum familiarem meum mihi ſignificate, quia per ipſum vobis placita mittam. In omnibus & per omnia Sublimitatis veſtræ ſeruitio me paratum inuenietis. Valeat Serenitas veſtra.

EPISTOLA CCCCLXXIV.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, amico ſuo H. reuerendo ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali ſalutem.* MAGNA eſt inter nos amicitia. Et ex hoc amoris vinculo dignum eſt veſtri ſint qui noſtri ſunt amici. Hoc autem dicimus pro Epiſcopo Aurelianenſi, qui noſter eſt & amicus & deuotus; & ſicut nobis confeſſus eſt, veſter eſſe vult & amicus & deuotus, & pro obtinenda amicitia veſtra ſecundum conſilium noſtrum paratus eſt omnia facere. Itaque ſi quid emerſerit aduerſus Epiſcopum, pateatis ei pro nobis, neque ſuſtenteris contra eum negotium donec nobiſcum locutus ſitis.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCCCLXXV.

A

NOBILI *& illuſtri* LVDOVICO *Francorum Regi*, ILDEFONSVS *Dei gratiâ Rex Aragonum, & Comes Barchinon. ſalutem, atque totius dilectionis affectum.* NON immemor illius amicitiæ, quam felicis memoriæ pater meus vobiſcum habuit, eadem in amicitia vobiſcum ſemper manere ac perſeuerare volo: expoſitus ex toto voluntati & ſeruitio veſtro, cum omni Terra mea, Regníque viribus. Proinde, ſi quid vobis tanquam præcordiali amico dignum intimare curaui, me per Dei gratiam in omnibus proſperè valentem totius Terræ meæ integrè ac potentiſſimè dominari, & in ea regiè regnare, & ſic Deo præſtante tam apud Hiſpaniam quàm apud partes alias cuncta negotia mea honorificè ac pro voluntate peragere: ad hoc, venerande amice, totum eſſe noſtrum Ilerdenſem Epiſcopum præſentium latorem dilectioni atque diſcretioni veſtræ transfero nunciandum, cui vos tanquam metipſi credatis, atque obtentu noſtri in ſalubri conſilio veſtro, & in ceteris ſibi neceſſariis illi Romanam Curiam adituro, ſi placet, prouideatis. Valeat nobilitas veſtra.

EPISTOLA CCCCLXXVI.

B

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, amico ſuo M. venerabili Epiſcopo Pariſienſi ſalutem & dilectionem.* VSVS frequentior habet, & bonis inditum eſt moribus, vt illi quos promouet Dei benignitas ſuis arrideant fautoribus in collatis ſucceſſibus, & de plenitudine ſua referant gratiam pro gratia. Verum eſt & ſcimus, neque vos dubitetis, quia noſter & veſter Clericus Bar. honorem veſtrum amat, & amauit, qui ſanè vt veniretis ad quod veniſtis operam ſuam & totum conatum impendit. Vos pro eo aliàs rogauimus, & ſpem bonam habemus de vobis, qui noſtri circuitus comes aſſiduus crebro apparere non poteſt obtutibus veſtris. Facimus ideo monitorium, & factam precem repetimus, vt occurrat vobis in memoria, & ad impendendum beneficium quamcitò vacauerit præſentem pro nobis habeatis eum, qui noſtro præſentiam ſuam exhibet ſeruitio.

EPISTOLA CCCCLXXVII.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, amico ſuo M. Comiti Bellimontis.* ELABORET quantum poteſt tua dilectio verbo & prece, vt bellum Fulcaudi ſic in reſpectu. & ſi reſpectum habere non poteſtis, conſilium habeatis inſimul, & faciatis ſecundum honorem noſtrum & Curiæ noſtræ.

EPISTOLA CCCCLXXVIII.

C

DOMINO *& amico ſuo* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi*, *H. Rex Anglorum, & Dux Normannorum, & Aquitanorum, & Comes Andegauorum, ſalutem & dilectionem.* SCIATIS quòd Thomas, qui Cantuarienſis fuit Archiepiſcopus, in Curia mea à plenario Baronum Regni mei concilio vt iniquus & proditor meus & periurus publicè iudicatus eſt. & ſub manifeſto proditoris nomine iniquè diſceſſit, ſicut nuntij mei pleniùs vobis dicent. Indè eſt quòd precor vos diligenter, ne hominem tantorum ſcelerum & proditionum infamem in Regno veſtro, nec homines ſuos eſſe permittatis: nec à vobis vel à veſtris aliquod conſilium vel auxilium tantus inimicus meus, ſi placet, percipiat: quia inimicis veſtris, & Regno veſtro nec à me, nec à Terra mea vllatenus exhiberem, nec exhiberi permitterem. Immò, ſi placet, efficaciter me iuuetis ad dedecus meum vlciſcendum de tanto inimico meo, & ad honorem meum perquirendum, ſicut velletis quòd vobis facerem, ſi opus eſſet. Teſte R. Comite Legrec. apud Northanton.

A

EPISTOLA CCCCLXXIX.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex*; *E. Præpoſito de Caſtellari ſalutem.* MONACHI Sancti Martini conqueruntur, quòd hoſpites ſui de Fontanis, qui ſunt homines noſtri, malè intercipiunt aduerſus eos in boſco ſuo; & nos mandamus tibi vt rem facias ire ſicut fuit vſque ad hoc tempus. Et ſi fuerit ibi contentio, ſubmone eos ante nos in craſtino octobarum Sanctæ Mariæ Pariſius.

EPISTOLA CCCCLXXX.

SANCTISSIMO *Patri & Domino A. Dei gratiâ ſummo Pontifici* LVDOVICVS *eadem gratiâ Francorum Rex, ſalutem & debitam reuerentiam.* NOVERIT Sanctitas veſtra, quia villa quædam, quæ Vſſellum dicitur, de qua in præſentiam veſtram venerunt Clerici de Pidueris, conſtat in feodo noſtro. Milites, qui villam tenent, ante nos venire parati ſunt, & nulli vetant iuſtitiam, qui de eis faciat querimoniam. Quamdiu per nos facere parati ſunt quicquid debent, & ad iuſtitiam ſtare, rogamus paternitatem veſtram vt in eis nobis debitum ſeruetis honorem, & in eos manum non mittatis. Valete.

B

EPISTOLA CCCCLXXXI.

REGI Francorum LVDOVICO *dilectiſſimo Domino ſuo, B. Decanus, G. Theſaurarius, totúmque Capitulum Eccleſiæ beati Martini ſalutem, & æternæ felicitatis adeptionem.* QVOD piorum Patrum Eccleſia poſſidet largitione, id iure pietatis æquum eſt filios defendere. Eccleſia ſiquidem beati Martini veſtrorum vbertimo prædeceſſorum dono locupletata, quicquid habet vbique veſtræ gaudet ſubiacere protectioni, & veſtra conſtat potentiâ id eſſe protegendum. Hinc eſt, quòd veſtræ conquerimur Maieſtati ſuper Anſerico de Monte-regali, qui quendam fidelem Eccleſiæ veſtræ in villa Cableiæ commorantem Ra. nomine, eiúſque filios, iniuſto & inexorabili adeò proſequitur odio, vt in villa Cableiæ non audeat commorari, præſertim cùm ille in Curia beati Martini iuſtitiæ ſtare noluerit. Quapropter veſtræ ſupplicamus Excellentiæ, vt directis ad domnum Anſericum Literis veſtris, moneatis eum, quatinus de prædicto homine & filiis eius in Curia noſtra vel in veſtra iuſtitiam recipiat. Alioquin & ipſum & filios eius, & rem eorum vniuerſam manu teneatis, quandiu vel iſte iuſtitiæ ſtare voluerit, vel ille ab incœpta iuſtitia deſiſtere noluerit. Petimus etiam id à veſtra Celſitudine, vt illuſtri Comiti Hen. Literis veſtris ſignificetis, ad quem Cableiæ pertinet protectio, vt præfatum hominem & filios eius, & omnem illius facultatem in ſua tutela recipiat, & in villa ſecurum iubeat conſiſtere. Valete.

C

EPISTOLA CCCCLXXXII.

REVERENTISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, Vi. humilis Matiſconenſis Decanus, omniſque Conuentus ſalutem & obſequium.* QVANTIS infeſtationibus Comitis Girardi & ſuorum veſtra Matiſcenſis Eccleſia poſt deceſſum venerabilis noſtri domni Pontij ſit afflicta, Literis noſtris, nuntiis quoque veſtris Sublimitati veſtræ ſatis eſſe intimatum credimus. Poſt acceptas ſiquidem treugas Comitis, per manus ſcilicet nuntiorum veſtrorum, Epiſcopus noſter præſentiam veſtram adire diſpoſuit. Sed nouis ſuperereſcentibus malis, licèt inuitus à propoſito detinetur. Maieſtatis igitur veſtræ clementiam, quæ parcere ſubiectis eſt ſolita, humiliter precamur, ne eius moram grauiter feratis. Neque enim diu Curiam veſtram adire tardabit.

LVDOVICI VII. IVNIORIS. A

EPISTOLA CCCCLXXXIII.

CARISSIMO *Domino* LVDOVICO *Dei gratiâ glorioſo Francorum Regi, H. eadem gratiâ Sueſſ. Eccleſiæ Epiſcopus; ſalutem & debitum obſequium.* CVM à præſentia veſtra Sueſſionas profecturus recederem, ſicut vobis innotuit, iam me ægritudo corripuerat: qua paulatim ingraueſcente, & tridui ſpatio perdurante, apud Biſtiſiacum demorari compulſus ſum. Vbi medente Deo ad præſens conualui. Proſperitatis veſtræ & incolumitatis gaudium intimo cordis affectu audire deſiderans.

EPISTOLA CCCCLXXXIV.

L*illuſtri Regi Francorum, Fr. F. dictus de Barzella Abbas ſalutare Dei.* QVONIAM Eccleſiæ in honore beatæ & glorioſæ ſemper Virginis Mariæ conſtruendæ poſuimus fundamenta, nullum habentes opificem præter Deum: ideò cariſſimum Fratrem noſtrum Petrum Eccleſiæ noſtræ Priorem dilectioni veſtræ deſtinamus, implorantes quatinus pro Dei amore ad prædictum opus perficiendum vos habeamus auxiliatorem: vt in die retributionis à ſummo Deo percipiatis immarceſſibilem æternæ gloriæ Coronam. Valete.

B

EPISTOLA CCCCLXXXV.

LVDOVICO *excellentiſſimo Regi Francorum Domino ſuo, B. Abbas Clareuallis ſalutem.* SCITIS, mi Domine, qualiter & ego & res meæ ſub tutela veſtra poſitæ ſint. Vnde de amicitia veſtri confidens, hunc Clericum I. latorem præſentium vobis precario commendo, quatinus veſtra Sublimitas, ſi ei opus ſit, ipſum domino Papæ commendet, & querimoniam ipſius ſuper pecunia Epiſcopo noſtro credita veram & iuſtam eſſe me atteſtante credatis. Valete.

EPISTOLA CCCCLXXXVI.

LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum reuerentiſſimo, B. Decanus, G. Theſaurarius, & vniuerſum Capitulum beati Martini, ſalutem, & debitæ ſubiectionis reuerentiam.* AB ipſo fundationis exordio regio peculiariter munimini ſe eſſe ſubiectam noſtra ſemper vniuerſitas gloriatur. Si qua igitur nos anguſtia, ſi qua nos inquietudo moleſtet, ſingularia quærimus remedia, auctoritatis regiæ clypeum inuictiſſimum opponentes. Ad conſueta igitur diuertentes præſidia, quantamcumque poſſumus precum inſtantiam noſtræ Celſitudini importamus, quatinus F. confratrem & concanonicum noſtrum, virum ſiquidem Eccleſiæ noſtræ vobiſque fideliſſimum & deuotum, aduerſus H. quanta decet potentia foueatis. Veſtrum ſiquidem, illius rebellis H. contumaciam, ne impunitate gaudeat, viriliter impugnare. Huius enim exemplo coniurationis illius frangenda temeritas. Iuſtitiæ noſtræ, veſtræque dominationis onus leuiſſimum, appetit declinare. Valete. C

EPISTOLA CCCCLXXXVII.

MAGNIFICO *ac dilectiſſimo Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi ſingulari ſemper reuerentia venerando, B. Monaſterij Sancti Egidij Minister ſummam ſalutem & pacem, ac felices ad omnia ſucceſſus.* QVOTIENS Regiæ Maieſtatis benignitas proprio nuntio vel Literis nos viſitare dignatur, immenſa lætitia gauiſi pro maximis ducimus muneribus. Magnifica enim gratia veſtra nos ſecuros reddit & felices: de cuius beneficio, protectione, & auxilio potiùs quàm de omnibus humanis præſumimus, & confidimus. Vnde meritò cotidianas fundimus preces, quatinus diuina clementia ſtatum veſtrum ſemper in pace conſeruando, ad communem ſalutem in longitudinem dierum regnare concedat. Semper etiam de eſſe veſtro ſolliciti, Celſitudinis veſtræ dulcedinem, quæ nos aliquantulum reuiſere diſtulit, per præſentem Burgenſem & nuntium noſtrum viſitamus, in pignus amicitiæ mittentes lib. I. de Gariofilo, nucis muſcatæ lib. I. Cardamomi lib. III. Su-

A mac. lib. v. Zedoar. lib. i. Cinnami lib. iii. Spicæ lib. i. Cubble. lib. i. Si de his igitur, vel aliis quæ apud nos inueniuntur, ampliùs placuerit, nobis quaſi fidelibus & ſubiectis mandate. Nuntium etiam iſtum cariſſimum nobis eſſe noueritis: cui, ſi placet, Literas dignemini concedere, vt ſecurus eat per Terram veſtram. Valeat dignitas veſtra. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA CCCCLXXXVIII.

PATRI *ſuo H. Dei gratiâ Abbati Sancti Germani Pariſienſis, R. ſuus in Christo filius ſalutem & obedientiam.* QVONIAM ad vos tam infirmitate, quàm equi inopia venire non poſſumus, ea quæ contra vos & nos Theobaldus aduocatus noſter, immò noſtrorum raptor, malè facit, his Literis declaramus. Primò ius nemorum noſtrorum ſuum dicit, & homines ſi quos ibi, vt conſuetum eſt, mittimus, capit & redimit. Foreſacta villæ noſtræ, & tertium totiùs redditus noſtri ſibi vſurpat. Homines noſtros vt ſibi ibi rectum teneant, Villemauro ante ſe ſubmonet, quod rectum non eſt. Feminas conſenſu noſtro coniugari non permittit, ſed etiam coniugatas redimit, filiam ſcilicet Haimardi latoris præſentium, & alias. Boues noſtros cum equo vno violentia tenet, & vendere minatur. Curuadas ſuas in melioribus Terris noſtris vi ponit. Dominium noſtrum ſibi aſſignat, & quod deterius B eſt, homines noſtri illius ſæuitiam pauentes illi conſentiunt. Sed vt rem benè ad finem perducatis, ſi ad rectum Domini Regis & veſtri malefactor iſte venire noluerit, Comiti Henrico vt villam manuteneat Rex Literas ſuas mittat, qui libenter faciet. Hoc enim nobis in die feſto S. Iohannis Baptiſtæ, ſi Rex ei iuſſerit facere, Clericis ſuis videntibus in Eccleſia S. Stephani Protomartyris ſacramentauit. Hæc hactenus. Quod de telis & nummis nobis mandaſtis, reſpondemus nos quamcitiùs poterimus miſſuros fore. Nunc verò ad præſens mittere quæ petitis non valemus.

EPISTOLA CCCCLXXXIX.

ILLVSTRISSIMO *Principum Principi & Domino ſuo cariſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ piiſsimo Regi, Hugo beati Germani Pariſienſis humilis Abbas ſalutem, & deuota fidelitatis obſequium.* INIVNXIT nobis veſtra benignitas, vt ad Sanctam Columbam accederemus, electioni intereſſemus, & de pace Eccleſiæ ſtuderemus. Nos itaque illuc accedentes tres Cardinales, dominum Iacobum, dominum Henricum, & dominum Iohannem Neapol. conuocauimus. & ſic in Capitulum venientes, Monachos omnes in vnum concordantes inuenimus. Vocauimus igitur vnumquemque ſigillatim, & quod primus dixit omnes alij dixerunt, ſcilicet quòd Salonem eiuſdem Eccleſiæ Monachum vellent habere Abbatem. Et quoniam contra vos nihil volumus agere, ipſum noluimus quaſſare. Duabus verò cauſis ob- C ſtantibus, metuimus eum confirmare. Prima cauſa eſt, quòd alia vice fuit electus, & vobis non placuit. Secunda, quam vobis lator præſentium manifeſtabit. Cùm enim ſuper hoc Cardinales ſupranominatos, & Abbatem Vizeliacenſem, qui illuc aderat, conſuleremus; ipſi nobis conſuluerunt vt illum non confirmaremus in Abbatem, niſi per veſtrum conſilium. Prouideat ergo veſtra prudentia quid ſit agendum, quia ille nondum nominatus eſt in audientia. Reſcribite igitur, & per latorem præſentium nobis veſtram voluntatem notificate. Valete.

EPISTOLA CCCCXC.

LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, G. beati Martini Theſaurarius ſalutem, & debita ſubiectionis reuerentiam.* HONESTIS ſuorum petitionibus Regia ſemper liberalitas aſſurgere non deſiſtit. De conſueta igitur altiuſque vobis inſita benignitate confiſi, ſupplex ad vos precator accedimus, præſertim quod apud Regiam Celſitudinem petitionis commendabit honeſtas. Pro F. ſiquidem præſentium latore Sublimitatem veſtram votis omnibus imploramus, quatinus cauſam quam aduerſus N. ſuſcepit, in veſtra ſiquidem præſentia aliquandiu iam diſcuſſam, ad honorem Eccleſiæ beati Martini, & Regiæ Maieſtatis manutenere clementer dignemini. Quantum enim, quámque damnoſum Eccleſiæ noſtræ dede-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

cus & nobis immineat, ſi tanta temeritas remanſerit impunita, verbo non poterit A explicari. Per hoc enim exemplum tam ipſe prædictus N. quàm eiuſdem caſtri burgenſes omnes, ſiquidem tanto ſacrilegio coniurati Capituli noſtri iuſtitiam, veſtrique dominij iugum à ſe repellere contumaciter machinantur. Noſtræ igitur vtilitati, & veſtræ conſulat honeſtati Regia Magnitudo. Si verò ex mandato veſtro nobis iniunctum fuerit, res eius in manu veſtra & noſtra ſuſcipere, ſine auxilio & conſilio Seneſcalli Regis Angliæ hoc non poſſe fieri ſciatis. Valete.

EPISTOLA CCCCXCI.

SERENISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Regi Francorum*, *B. Monaſterij S. Egidij Abbas ſaluari ab eo qui dat ſalutem Regibus.* NON eſt opus veſtræ ſuggerere diſcretioni, quanta iniuſtitia, quàmque commune malum ſit, nouas pedaticorum exactiones in ſtratis publicis facere. Vnde placuit Excellentiæ veſtræ, B. de Anduſia, & Comiti Melgorienſi, vt ab exactione noui pedatici, quod iuxta Aleſtum accipiebant, ceſſarent. Vnde B. de Anduſia, vtpote homo ſapiens & diſcretus, & per omnia veſtræ cupiens parere voluntati, pedaticum quod pro parte ſua ceſſare fecit quandoque, iterum quia Comes non deſiſtebat, auctoritate nuntij veſtri illud recuperauit. Tandem verò perpendens & contra cœleſtis Regis, & contra veſtram hoc eſſe voluntatem, antequam moreretur prorſus in perpetuum B illud dereliquit. Comes verò regium contemnens præceptum, neque tunc ceſſauit, & adhuc in eadem malitia perſeuerat. Vnde quia veſtrum eſt has & alias iniuſtitias à Regno veſtro propellere, veſtram humiliter deprecor Sublimitatem, vt ſub interminatione iræ & indignationis veſtræ ei iterum præcipiatis per Literas veſtras, vt ab hac iniuſta nouitate deſiſtat. R. etiam Comiti ſororio veſtro ſub debito fidelitatis & amicitiæ mandetis, vt ab hac iniquitate eum qui nuper poteſtati & dominio eius ſe ſubdidit ceſſare faciat, nec ei aliquando ſuper hac re auxilium vel conſilium præbeat, immò potiùs ad hoc aduerſarius & inimicus exiſtat. Domino etiam Papæ perſuadeatis, vt ſententiam excommunicationis, quæ in perſona eius poſita eſt, ſuper totam Terram eius propriam vel communem extendat: itaut vbi vel vbicumque ipſe fuerit nullum diuinum celebretur officium, & vt præcipiat Epiſcopo Nemauſenſi, Mimatenſi, Magalonenſi, Vzeticenſi, vt hanc ſententiam in Epiſcopatibus ſuis obſeruari faciant.

EPISTOLA CCCCXCII.

VENERABILI *Domino & amico ſuo* HVGONI *diuina gratia Sueſſionenſi Epiſcopo*, *P. Eccleſiæ beati Aniani Decanus ſalutem.* A vobis rediens dies Ph. Clerico in Capitulum eſt aſſignata. Sed ſicut iam ſæpiùs, ita & nunc deluſoriè me deridet. Dixit quia de tribus diebus qui ei fuerant nominati nullum recipere poterat; nec alium aliquem, quia negotiis Regis occupatus ad Dominum Regem ipſum oportebat accedere, & neſciebat quando eſſet expeditus. Nunc ſupplico paternitati veſtræ, vt Dominum Regem circumuenire non poſſit, quoniam ad hoc C venit vt mutetur quod à vobis & à domino Pariſienſi fuit ſtatutum, & vt ego non poſſim iuſtitiam obtinere. Videte vt non confundar etiam hac vice. Valeat veſtra paternitas.

EPISTOLA CCCCXCIII.

SERENISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi*, *H. Prul. Abbas*, *temporalis Regni proſperitatem*, *& æterni perpetuam felicitatem.* SVGGERIMVS Regiæ Maieſtati veſtræ, quòd nuper cum domino Hen. de Piſa Cardinali locuti ſumus, ibique inter alia incidit ſermo de Eccleſia, quam apud Sanctum Portum ædificatis. Et viſum eſt domino Henrico Cardinali, & ceteris qui ibi erant, & Abbati de Eleemoſyna, quòd eidem domui eſſet vtilitas magna, & Regiæ Maieſtati grandis honorificentia, ſi in illo opere quod Rex conſtruit dominus Papa aliquod altare conſecraret, vel benedictionem faceret. Dominus verò Henricus nobis promiſit, quòd ſi vobis placeret ipſe dominum Papam illuc

A priuatè deduceret. Si igitur Maieſtati veſtræ placeret, dominus Papa voluntatem veſtram libenter in hoc adimpleret. Valete.

EPISTOLA CCCCXCIV.

LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico Francorum Regi illuſtri, ac piiſſimo Domino ſuo, B. Decanus Eccleſiæ beati Martini ſalutem & deuotum debitæ ſubiectionis obſequium.* NOVERIT magnitudo veſtra, nos grauiſſima nobis odia comparaſſe, quia in auribus miſſaticorum Regis Anglorum veritatem non tacuimus, & mandatum veſtrum pertulimus. Sed quantumcumque minarum nobis immineat, nos corpore, facultate, & quod ſupra omnem eſt facultatem, fideles veſtri ſumus & erimus toto corde. De cetero quod Capitulo mandaueratis, mandatum veſtrum minimè eſt effectui mancipatum. Pars enim Theſaurarij illud facere contendit, & inſuper ſe Cantor abſentauit. Nos verò Capitulo obtulimus nos omni ſtare iuſtitiæ & iudicio Capituli, poſtquam ipſi diuina ſolemniter celebrarent. Pars verò illa pertinaciter contendit. Sed quoniam Theſaurarius nondum venit, ipſum expectabimus: & ſi mandatum veſtrum facere contemnit, vobis ſignificabimus. Præterea per latorem præſentium vobis mittimus ſeptem libras & decem ſolidos de defectu duelli pro Nicolao Frummaudi. Valete.

B

EPISTOLA CCCCXCV.

LVDOVICO *Dei prouidentiâ Francorum Regi excellentiſſimo, Fr. G. beati Maximini Abbas, & ceteri eiuſdem Eccleſiæ Fratres, ſalutem cum orationum ſuffragiis.* QVONIAM antereſſores veſtros Reges Eccleſia noſtra ſemper habuit protectores, vos etiam nihilominus tutorem habuimus, & hactenus defenſorem. Idcirco quotiens ab hoſtibus moleſtamur, ad veſtræ Celſitudinis aſylum neceſſe eſt recurramus. Nuper igitur miles quidam Radulfi de Nidis, Gaufredus ſcilicet filius Fulconis, quemdam Burgenſem noſtrum indebitè cepit, eúmque ſuum eſſe aſſerens hominem in carcere tenet. Nos autem eum & eius parentes beati Maximini homines eſſe per centum vel eo ampliùs annos cognoſcentes, prædictum Radulfum de Nidis, & eius militem Gaufredum, vt hominem noſtrum redderet, vel vt pro homine placitaturi Curiam noſtram adirent, ex parte veſtra conuenimus. Quod quia facere noluerunt; Præfectos veſtros ſuper hoc negotio adiuimus. Quibus nihil de hoc benè operantibus, Maieſtati Regiæ ſupplicamus, quatinus hominem vſque ad audientiam veſtram liberari faciatis, vel ſi vobis placuerit quid indè fieri debeat Præfectis Aurelianenſibus reſcribatis. Valete.

EPISTOLA CCCCXCVI.

C

GLORIOSO *& piiſſimo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, A. Abbas Magnilocenſis, gloria & honore perhenniter coronari.* NOVIT, vt credimus, regia nobilitas veſtra, Eccleſiam noſtram ab anteceſſoribus veſtris piiſſimis Regibus Francorum ædificatam eſſe & fundatam: quibus quaſi in naturam verſum eſt loca ſancta ædificare, & temporalibus bonis munire. Vos equidem non ſolùm ſucceſſorem genere, verùm etiam eorum imitatorem pietate, vnde Deo gratias, patronum Regno Francorum diuina pietas conceſſit. Propterea ad Dominum noſtrum Regem Dei cultorem, bonorum operum ſectatorem, quem poſt Deum ſpecialiter Dominum obtinemus, ſupplices confugimus, vt oculo pietatis ſuæ nos inſpicere dignetur. Inquietant enim nos vndique homines qui nec Deum timent, nec homines verentur, & tyrannidem ſuam in nobis exercent: quibus quando iuſtitiam offerimus, velut inimici iuſtitiæ pro nihilò eam reputant. In præſenti verò, quidam Chatardus de Boſot, prædator & violator ſtratæ regiæ, fretus conſilio & auxilio quorumdam maleficorum, & maximè cuiuſdam auunculi ſui Euſtachij de Monton. homines noſtros in publica ſtrata merces ſuas deferentes cepit; nullam in eis cauſam inueniens. Nos ad dominum Epiſcopum querimoniam diximus, nec inuenimus qui ſe opponat ſcutum pro domo Iſraël: ſed ab omni defenſione tam Eccleſiaſtica, quàm ſeculari, deſtituti ſumus. Exoramus itaque Ma-

Lvdovicvs VII. Ivnior. ieſtatem veſtram, vt placeat ei dexteram conſilij & auxilij ſui nobis porrigere, & A domino Epiſcopo hanc curam iniungere: quatinus ſicut decet prouideat qualiter de præfato Euſtachio & nepote eius & ceteris malefactoribus noſtris, quos longum eſt enarrare, dignam iuſtitiam aſſequi valeamus. Rex viuat in æternum.

EPISTOLA CCCCXCVII.

LVDOVICO *venerabili ac religioſiſſimo Regi Francorum Domino & amico ſuo, P. Guidonis quondam Decanus Clarom. ſuus in omnibus ſalutem, & ſic in hac peregrinatione de hoſtibus ad honorem & gloriam triumphare, vt in patria coronatus Deum deorum in Syon videre mereatur.* QVOD vos, excelſiſſime Rex, Dominum appellaui, Maieſtati & Coronæ debui: quòd amicum, innatæ benignitati & gratiæ, quæ ſemper honeſtorum omnium amicitiæ fuit & eſt expoſita, inter quos meam paruitatem annumeratam fuiſſe & gaudeo & gaudebo. Nam inter cetera quæ mihi aut caſus, aut induſtria, ſeu natura præſtitit, nihil eſt quod cum amicitia tanti Principis vel poſſim, vel debeam comparare. Ex ea namque quantum honoris & vtilitatis conſecutus ſim, vicinis meis, & mihi maximè cognitum eſt. Sed cùm magna de manu Regis ſuſceperim, maiora adhuc expecto, non ſolùm in me, qui iam ætate graueſcente confractus ſum, ſed in cariſſimo nepote meo, quem heredem & ſucceſſorem vniuerſis rebus meis ex aſſe inſtitui, Deóque dedi: quem B etiam & Epiſcopus, & omne Capitulum noſtrum loco mei Decanum ſibi ſubſtituerunt. Hunc igitur ad vos miſi, flexo in preces animo, clementiam veſtram exorans, quatinus amor ille quem in me veſtra pietas habuit in nepote meo reſeruetur, & etiam vberior redundet. Sic eum vobis do & commendo, vt ipſum & res ſuas omnes ſub tutela & defenſione veſtra in vlterius ſuſcipiatis. Amplius tamen pro ipſo ſupplicare vobis & exorare præſumo, quòd ante præſentiam domini Papæ, quando ad eum viſendum acceſſeritis, vobiſcum Clericum veſtrum nepotem meum ducere dignemini, ipſúmque ei præſentetis, & prece veſtra præfatum iuuenem & vniuerſas res eius ſub protectione ſua cuſtodiendas ſuſcipiat, & quod de eo factum eſt Literis datis & auctoritate Apoſtolica confirmet. Si hoc, mi Domine, mihi veſtro, & nepoti meo item veſtro, per vos ad effectum venerit, tunc verò me non oblitum ſentiam, pleniúſque gaudebo, & gaudium exuberabit lætitia, & exultabit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo, atque minus trepidus metum mortis expectabo. Valete. Totius ſalutis auctor ſalutem veſtram cuſtodiat.

EPISTOLA CCCCXCVIII.

REVERENTISSIMO *Domino ſuo Dei gratiâ Francorum Regi* LVDOVICO, *Fr. Od. eadem gratiâ Sanctæ Columbæ Abbas, orationis ſuffragium, & fidele in omnibus obſequium.* POSTQVAM nuper diſceſſi à vobis, & Pariſius veniens à C domino Papa & tota Curia, veſtri gratiâ, tam paterno affectu, quàm etiam Literis veſtris, veſtróque rogatu, ſatis benignè & honorificè ſum receptus. Ad hoſpitium enim reuerſus ex parte domini Guidonis Cathal. Archidiac. has alias Literas ſuſcepi, quas veſtræ regiæ dignitati per Henr. famulum veſtrum ſecreto remittere curaui. Sed quod in eis obſcurè nobis intimatum eſt, vobis humiliter aperire volui. Hoc eſt enim quod idem Archidiaconus & Cantor cum plurimis aliis ſibi aſſentientibus ſæpè iam Literis & verbis ad conſulendum Eccleſiæ ſuæ ſubmonuerunt. Vſque modo tamen eorum Literis vel petitionibus ſine veſtro aſſenſu & voluntate aſſentire nolui. Per hunc ergo Henricum quod ſuper his vobis placet nobis renuntietis. Valete.

EPISTOLA CCCCXCIX.

SERENISSIMO *Regi Francorum* LVDOVICO *Domino noſtro, Frater* STEPHANVS *humilis Clun. Abbas ſalutem & deuotum amorem in Domino.* SICVT magnificentiam veſtram ſingulari affectu dilectionis amplectimur, ſic ad eam pro negotiis noſtris fiducia indubitanti recurrimus. Quæ quoniam per nos ipſos, quod omnimodis optaremus ſi poſſibile eſſet, Serenitati veſtræ ad præſens indicare non

A poſſumus: Magiſtro R. ea ad vos perferenda commiſimus, rogantes vt credaris ei ſicut & nobis, & dignanter ſi placet faciatis quæ per illum vobis mandamus, quia ſpectant ad honorem Regni, & ſalutem animæ veſtræ.

EPISTOLA D.

EXCELLENTISSIMO *Francorum Regi* LVDOVICO, *Fr.* RODVLFVS *Sanctorum Agaunenſium Martyrum ſeruus inutilis, & qui cùm eo ſunt Fratres, ſic terrenum Regnum regere, vt æternum valeat feliciter obtinere.* QVOD ſancta Agaunenſis Eccleſia à prædeceſſoribus veſtris Francorum Regibus amplis poſſeſſionibus fundata & largis fuerit donata donariis, & apud nos & in multis Regni veſtri Eccleſiis ſcriptum habetur. Quis enim neſciat Dagubertum Regem Eccleſiæ noſtræ propter Martyrum honorem Mauritij ſociorúmque eius, multa contuliſſe beneficia? Vnde etiam poſt mortem ſuam per merita eorum à poteſtate dæmonum miſeratione diuina liberatus eſſe legitur. Quis ignoret Karolum Regem in Italia properantem, cùm ad ſepulchra Martyrum deueniſſet, diuina viſione pariter & miraculo lætificatum, eidem Eccleſiæ ampliſſimas conceſſiſſe poſſeſſiones? Quòd Clodoueus Rex Francorum per Seuerinum prædictæ Abbatem Eccleſiæ à diuina ſit infirmitate liberatus, teſtis eſt titulus eius apud Caſtrum-Landonis, vbi in vita B eius hoc legitur. Ipſorum igitur vos ſequentes veſtigia, quaſi bonæ ramus arboris nobiliſſima ſtirpe progenitus, bonum eleemoſynarum fructum proferentes, præſentium latores ob amorem Dei & Sanctorum Martyrum benignè ſuſcipiatis, miſericordiæ manum affluenter ſicut Regem decet beatis Martyribus porrigatis: ſperantes ab illo multo maiora recipere, qui dixit, *Centuplum accipietis, &c.* Siquidem Eccleſia noſtra, quæ cumulus Sanctorum Martyrum eſt, cum vniuerſis ædificiis ad eam pertinentibus per manus barbarorum ira in cineres redacta eſt, vt etiam muri ex magna parte corruerint. Ad Sanctorum igitur Sepulchra reſtauranda & ornanda, ſicut regiæ congruit pietati, totis miſericordiæ viſceribus affluatis, de veſtro mamona amicos vobis ſanctos Martyres faciatis, vt ab ipſis in æterna tabernacula recipi valeatis.

EPISTOLA DI.

LVDOVICO *Dei gratiâ Regi Francorum Domino ſuo, R. Prior, & totus Sancti Portiani Conuentus, ſalutem & orationum inſtantiam.* NOSTIS, humaniſſime Domine, quòd exigentibus Eccleſiæ noſtræ malis in præſentia veſtra nuper venimus, & diem ſtatutam releuationis noſtræ, quæ fuerat prolongata pro domino Papa qui venerat in partibus noſtris, iterum per manum illorum quibus antea præcepiſtis reconciliari iuſſiſtis. Adfuerunt ſimul & burgenſes noſtri, quibus roC gando dixiſtis, vt Eccleſiæ veſtræ, quæ cum periculo ipſorum alieno ære obligata tenetur, infra diem ſtatutam ſpecialiùs ſubuenirent. Illi verò & mandatum veſtrum exequi, & noſtræ inſiſtere vtilitati reſponderunt. quod ante in Capitulo noſtro prædixerant aſtantibus vniuerſis. Non ſic impij, non ita egerunt, ſed in conſpectu domini Papæ locuti ſunt aduerſum lingua doloſa, & Optimates Curiæ illius mitis ac variis donis remunerantes, ſepulturas villæ noſtræ, ſpeciale videlicet largitatis veſtræ & anteceſſorum veſtrorum donum, quod obtinuit ex die qua fundata fuit Eccleſia noſtra, nobis contradicere & prohibere fecerunt. Suppliciter igitur imploramus pietatem veſtram, vt ſuperbiam perfidorum iſtorum, qui contra regiam dignitatem, & noſtram paruitatem egerunt, more ſolito ita comprimatis: quatinus eos qui extra ſe exierunt intra ſe reuerti faciatis, & quod in contumelia veſtri & diminutione noſtri fecerunt, ad honorem & vtilitatem veſtram & noſtram conuertatur.

EPISTOLA DII.

VENERABILI *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, C. de C. ſtro Riuulſi Archid. humilis Clericus ſuus. ſalutem & obſequium.* NOSCAT diſcretio veſtra, quòd dominus Papa in proximo debet ire ad Podium, & ibi per

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

longum tempus vt credo moraturus, & nuntios Imperatoris ibi debent expectare. A Multum autem irati ſunt & pœnitent, ſe tam citò Terram veſtram reliquiſſe, quia à Terra ſua non audiunt niſi aduerſa. Et hoc ſecretum ſit, ne à me habeatis. Bernardus iſte bonus homo eſt, & de ſeruitio ſuo vobis gratiàs refero. Sed tantùm deſiderabat vxorem ſuam videre, quòd ſine peccato eum retinère non poteram. De cetero nobilitatem veſtram exoro, vt ſtatum veſtrum & Dominæ Reginæ mihi, ſi placet, ſignificetis. Deus ſcit quàm libenter viderem vos & ſocios meos. Valeat in longum Serenitas veſtra.

EPISTOLA DIII.

VENERABILI *& cariſſimo Domino H. Dei gratiâ Sueſſionenſium Epiſcopo, N. Archidiaconus ſalutem & omnimodam dilectionem.* CONVENI Fratres illos de Sancto Leodegario ſatis modeſtè & caritatiuè, prout nobis præceperatis, ſuper receptione præſentium latoris. Illos autem, ſicut mihi videtur, nimis duros inueni. Nullam enim omninò humanitatem ab illis potuimus impetrare, nec etiam victum vſque ad vos. Verumtamen reſponderunt illum eſſe bonum virum & honeſtum, & in nullo culpabilem, præter quòd nimis iracundus eſt. Aſſerebant etiam, quòd ad nos aliquos de Fratribus ſuis mitterent ſuper hac re reſponſuros. Prouideat itaque caritas veſtra, quonam modo de cetero ſaluti miſeri ipſius ſit conſulendum. B

EPISTOLA DIV.

LVDOVICO *Dei gratiâ magnifico Francorum Regi, piiſſimo Domino ſuo, B. Decanus, G. Theſaurarius, vniuerſùmque Capitulum Eccleſiæ beati Martini, ab eo ſaluari per quem Reges regnant.* PIISSIMVM deuotionis eius, quam erga Eccleſiam beati Martini geritis, affectum multis in locis experti, in eo præſertim veſtram commendantes deuotionem, vobis non mediocres agimus gratias quòd hoſtibus & perſecutoribus beati Martini, & miniſtrorum eius, & nobis diem aſſignaſtis in veſtra ſiſtendi ſe & nos præſentia. Rogamus igitur Maieſtatem veſtram, vt memor ſitis eius diei quæ aſſignata eſt, craſtinæ ſcilicet octabæ imminentis feſtiuitatis, quæ de Natiuitate beatæ Mariæ celebratur. Nos etenim cum venerabilibus Eccleſiæ noſtræ perſonis aderimus, de Stephano de Sacro-Cæſaris, & Herueo de Danzé, ſuper intolerabilibus iniuriis, quas nobis & hominibus, & Terræ noſtræ violenter irrogant, quod iuſtitia dictauerit ſuſcepturi. Valete.

EPISTOLA DV.

DOMINO *& amico ſuo veteri, Abbati Latiniacenſi, Petrus Clericus Domini Regis & ſuus ſalutem, & quod poteſt obſequium.* QVIDAM puer conſanguineus C meus miſſus eſt mihi de Anglia ad diſcendum Romanam linguam: & quoniam de vobis ſicut de Domino meo cariſſimo confido, vellem ſi vobis placeret, vt per aliquod tempus circa vos moraretur. Quid indè placeat vobis per iſtum mandato mihi, & ſi vultis vt ad vos veniat cum equo, vel ſine equo. Valete.

EPISTOLA DVI.

DILECTISSIMO *Patri & Domino ſuo H. Dei gratiâ Sueſſ. Epiſcopo ſuus ille fidelis Abbas Sancti Criſpini Sueſſ. ſalutem & voluntarium debitæ ſubiectionis obſequium.* NOVERIT paternitas veſtra, Portuenſem Epiſcopum conſecrationem Sanctimonialium de Charmo facere noluiſſe. Abbatiſſa verò in eadem Domo, vnde ſorores pauperrimæ maximè grauatæ ſunt, conſecrationem earumdem expectans, vſque ad proximam Dominicam manebit. Nos autem, quia opus iſtud ſanctiſſimum eſt, & ad vos maximè ſpectat, diſcretioni veſtræ, quam maximam eſſe cognouimus, ex parte noſtra conſulimus: quatinus aut per vos, aut per aliquem alium Epiſcopum, quomodo id fieri valeat conſilium adhibeatis. Valete. Per præſentium latorem quid vobis ſuper hoc placeat renuntiate.

A

EPISTOLA DVII.

REVERENDO *Domino & Patri cariſsimo H. Dei gratiâ Sueſſ. Epiſcopo & Cancellario Domini Regis, ſalutem & plurimam dilectionem.* PERVENIT ad vos, qualiter Comes Niuernenſis vexat & affligit Eccleſiam noſtram. Qui cùm appellaſſet audientiam domini Papæ, ibique patiter conueniſſemus, tandem iudicio vel compoſirioni domini Senonenſis ſtare nos promiſimus. Ventum eſt itaque ad iudicium. Sed Comes iudicium audire noluit. Vnde diſcordia interueniente concordia ceſſit. Ego autem rogaui Dominum Regem, vt apud dominum Papam pro nobis intercedat quatinus ius Eccleſiæ noſtræ manuteneat, & iuſtitiæ quam diſſimulare non poſſumus intendat. Proinde rogamus vos plurimùm, vt ad dominum Papam prout expedit preces ſuas Rex dirigat, laboretis.

EPISTOLA DVIII.

LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi Domino ſuo venerabili, C. Bituric. Archid. fidelis Clericus ſuus ſalutem & ſubiectionem.* NOSCAT veſtra Sublimitas, quòd de conductu domini Papæ cum Comitibus Aluerniæ locutus fui ex parte
B veſtra. Illi verò veſtris in omnibus ſe mandatis obedire reſponderunt. Verumtamen Comes de Monte-Ferrando de Canruarienſi Archiepiſcopo ſecurum mihi reſponſum non dedit. Vnde ei laudaui, ne in terram ipſorum ſe ingereret, ſed in Terra veſtra remaneret. De cetero verò quod mihi per Literas veſtras mandaſtis, vt ſcilicet de Archidiaconatu meo me deponerem, & in manu domini Biturieenſis Archiepiſcopi me mitterem, cum domino Papa & Cardinalibus conſilium cepi, & eis Literas veſtras oſtendi. Dominus autem Papa & Cardinales me hoc facere omninò prohibuerunt, & opus ſuum nolle caſſari & in irritum duci reſponderunt. & dominus Iacinctus quicquid auri & argenri Bituric. habebat ſe malle in igne cremari, aut in mare præcipitari reſpondit. Sed ſi conſenſu domini Papæ & veſtri, & amicorum meorum, dominus Archiepiſcopus Bituricenſis alium honorem dare mihi voluerit pro Archidiaconatu, dominus eum Papa mihi confirmaret, qui peccatum ei dimittet ſi ſe indè peccare dominus Archiepiſcopus timet. Ideóque Sublimitatem veſtram exoro, ne ſuper hoc quod mihi mandaris me cogere ampliùs velitis, & ne grauiter hoc & moleſtè feratis. Sciaris enim quòd & de hoc & de aliis me deponam, ſi vobis placuerit, & de Terra veſtra & Regno ſi mandaueritis mihi, nudis pedibus etiam exibo. Hoc autem ſciatis, quòd dominus Papa me ſecum in Aluerniam reducit. Valete.

EPISTOLA DIX.

C

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, fideli ſuo B. Decano beati Martini Turonenſis ſalutem.* VELLEMVS certi eſſe ſuper Rege Angliæ, quid facturus ſit, ſi proceſſurus ſit in Pictauiam, vel rediturus verſus maritimam Normanniam. Quòd ſi ſuper hoc certus eſtis, ipſam certitudinem nobis mandetis per Literas, & cum eiſdem hos ſeruientes remittatis. Sin autem res in dubio eſt, rumores quos audiſtis nobis mandetis per vnum ſeruientium, & alterum retineatis, donec aliud nobis mandare poſſitis.

EPISTOLA DX.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, amico ſuo G. beati Martini Theſaurario ſalutem.* VELLEMVS certi eſſe ſuper Rege Angliæ quid facturus ſit, ſi proceſſurus ſit in Pictauiam, vel rediturus verſus maritimam Normanniam. Et ſi ſuper hoc certus eſtis, ipſam certitudinem nobis per Literas mandetis, & cum eiſdem hoc ſeruientes remittatis. Sin autem res in dubio eſt, rumores quos audiſtis nobis manderis per vnum ſeruientium, & alterum retineatis, donec aliud nobis mandare poſſitis.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA DXI.

LVDOVICO *Dei gratiâ illuſtri Francorum Regi Domino ſuo, Fr. G. dictus Abbas de Ciſterc. pauperum Chriſti orationes.* AMOR deuotus, beneuolentia ſingularis, qua nos & Domum noſtram amplectitur venerabilis Pater & Dominus noſter Cabilonenſis Epiſcopus, cogit nos pro eo veſtram interpellare clemeniam. Audiuimus enim ipſius innocentiam quorumdam derogationibus apud vos fuiſſe impetitam. Planè quiſquis de eo vobis talia dixit, hoc dixiſſe non debuit. Eſt enim, ſicut veraciter nouimus & teſtamur, homo ſimplex & rectus, vobis per cuncta deuotus, & ad veſtrum veſtrorúmque ſeruitium ſemper paratus. Proindè, ſi quid apud vos ſumus, ſi quid poſſumus, clementiæ veſtræ pro ipſo ſupplicamus, quatinus ſi quid ſiniſtri rumoris veſtris auribus eſt intimatum, totum vobis imputetis, & pro veſtra clementia nobis benignè donetis. Sentiat, quæſumus, nos filios ſuos intereeſſiſſe pro eo. In quo nos tunc exauditos eſſe ſciemus, ſi per Fratrem iſtum nuntium noſtrum eidem Patri noſtro gratiam veſtram indulgeatis, & laborem, quo eum ad veſtram præſentiam ſummonetis, clementer remittatis. Non enim ſine magno detrimento Eccleſiæ ſuæ & perſonæ ſuæ ad præſens Maieſtatem veſtram adire poteſt, quia ipſe ætate & debilitate confectus, & Eccleſia ipſius multis & variis tribulationibus afflicta, præſentiâ ipſius ſine maximo damno carere non poteſt. B

EPISTOLA DXII.

INTIMO *ſuo P. ſalutem, & veteris amoris affectum.* DVNVM inter me & Dominum meum mediator conſtitutus es. Nunc quoque & reuelo, & committo tibi cauſam meam, rogans vt fideles ei pro me offeras preces. Parrochiam mihi promiſit, ſed mallem alteriuſmodi quantulumcumque beneficium. Tu ergo prout poteris voluntatem meam adimplere non graueris. Si quid enim poſſem quærere, tuum eſſet. Nummos autem meos, mora ipſa, & neceſſitas mihi ingruens, exigit vt reddas. Nepti enim meæ iam nubili magna prouidenda eſt expenſa. Volo etiam vt ſcias, quia libenter te viderem. Statum meum præſentium lator ſatis tibi manifeſtabit. Valeat dilectio tua, ſicut decet, ſemper memor mei.

EPISTOLA DXIII.

CARISSIMO *Domino ſuo* LVDOVICO *Dei gratiâ Francorum Regi, E. eadem gratiâ Abbas beati Saluij de Monſterolo, omniſque Monachorum Conuentus ſalutem, & omnium ſuarum orationum participationem.* SCIT veſtra Regia Poteſtas, nos ad vos multoties conqueſtos ſuper Burgenſes Monſteroli. Illi verò pro nihilo computant, ſed de die in diem iura veſtræ Eccleſiæ magis ac magis deprehendunt. Cauſam verò quandam, vnde iuſtitia ad nos pertinebat, diu prolata fuit in Curia noſtra, quæ propria veſtra eſt, quæ iudicio Terræ iudicata eſt. Vi auferre volebant. ſed cauſa vrgente præſentiam veſtram vocauimus. Nos verò in præſentia veſtra ad diem præfixum venimus, & ille qui cauſam habebat ſimiliter nobiſcum affuit: ſed illi venire contempſerunt. Nos autem expectamus iudicium & iuſtitiam veſtræ regiæ poteſtatis. Veſtro itaque conſilio per Literas veſtras Burgenſes ad diem determinatum ſubmonuimus: ſed illi omninò mandato veſtro non obediunt. Sed infra moram Curiæ veſtræ nobis facientibus, & homines illius qui cauſam habebat, ad domum illius qui in poteſtate veſtra erat venerunt, & viribus ſuis vxorem hominis illius propriis manibus ſuis foras expulerunt. Illa verò veſtram regiam poteſtatem reclamans, magis ac magis aduerſus eam inſurgebant. Auditis itaque Literis veſtris & præcepto veſtro, magis in inſaniam verſi, hominem illum abiudicauerunt, & Comitem Boloniæ accerſierunt, & me in præſentia ipſius ſubmonere fecerunt: & ita ius veſtrum, & iura veſtræ Eccleſiæ auferre volunt. Mandamus itaque vobis, & obnixè precamur, vt indè veſtra regia poteſtas conſilium habeat. Valeat veſtra regia poteſtas. C

EPIST.

A

EPISTOLA DXIV.

DOMINO *ſuo & amico, L. P. de Svvell. ſuus & ſibi deuotus ſe & ſibi debitam deuotionem.* De grata mihi obſequij exhibitione exhibita in primis vobis grates refero, me vobis obnoxium confitens & obſequio mancipatum. Huic gratiæ confidere & meritis mihi contigit non mei merito, ſed liberalitate veſtra. Sed inſperata cauſa timoris mihi emerſit, & caſus aduerſans me facit formidare, ne veſtræ gratiæ incidam periculum, non tamen mea culpa, ſed aliena. Cùm enim quaternos Iſaiæ quos mihi miſiſtis reſpicerem, inueni vltimum quaternum deeſſe. Vnde nimis timui ne aliena culpa in me retorqueatur, & vos mihi faciat offenſum. Sed pro Deo & amore quem mihi oſtendiſtis, nolite in me culpam alterius retorquere: quia ratum habearis in Deo, quòd in mea cuſtodia vel nuntij mei non fuit amiſſus. Et ſi poteritis inuenire in armario veſtro, vel apud aliquem cui prius fuit accommodatus Liber ille, mihi mittatis, quia illum ſcribere incœpi. Valete.

EPISTOLA DXV.

B H. *Dei gratiâ Sueſſionenſium Epiſcopus, Regis Francorum Cancellarius, I. Prapoſito de Chtalſmunt ſalutem.* Cappam, quam Clerici de Norvvegia per fines veſtros tranſeuntes in vadio dimiſerunt, mandamus & precamur vt cauſa noſtri ipſis liberam dimittatis. Nec enim iure quidquam ab eis debet exigi, qui peregrè in orationes profecti nihil ſecum venale tulerunt.

EPISTOLA DXVI.

DOMINO *& Patri ſuo R. Priori de Sancto Victore, Ioannes dictus Subprior Clareuallenſis modicum id quod eſt.* Rogo vos, Domine mi, in Spiritu ſancto, pro Spiritu ſancto, ſcribire mihi orationem deuotam de Spiritu ſancto. Scribite Domine mi, iuxta ſenſum, & ſcientiam quam dedit vobis Spiritus ſanctus, iuxta deuotionem quam amminiſtrabit vobis Spiritus ſanctus. Scribite Pater mi, & mittite mihi. Nolite ſuper hoc contradicere mihi. Scribite, Domine mi, non ſub nimia breuitate, nec ſub nimia prolixitate: ſed ſic vt eam memoriter valeam retinere, & Spiritui ſancto ſiue in die, ſiue in nocte ſaltem ſemel offerre. Cariſſime Pater, vt vos exaudiat Spiritus ſanctus, vt conſoletur vos indeſinenter Spiritus ſanctus, nolite negligere clamorem mendici veſtri. Nolite vilipendere petitionem amici veſtri, ſed & in orationibus veſtris memento Iohannis ſeruuli veſtri. Valete.

C

EPISTOLA DXVII.

DOMINO *& Patri in Chriſto cariſſimo ſuus ille ſalutem & ſanitatem.* Abbas Andreas ſuper cura mei nec vnum verbum mihi contulit, vt ei mandaſtis. Hugo de Aurel. ad plenum eſſe noſtrum referet. At Abbas eum adiurauit, ne quid aduerſi vobis referret, timens famam ſuam coram vobis maculari, quæ apud prouinciales ſuos de die in diem minoratur. Dum enim Fratres ſupra conſuetudines Ordinis noſtri coarctare nititur, omnes in eum pari voto, vno ore inſurgunt; nec ſunt in tota Congregatione quatuor, qui vel ſemel in anno coram eo de occultis ſuis confiteri velint, etſi multum grauentur. Vnde ab Abbate Andrea admonitus, & à Priore & ceteris Fratribus rogatus, quatinus clauſtralibus & debilitatis aliquid relaxationis concederet, quo libentiùs conſiſterent; nec amore, nec odio flecti potuit, dicens hoc conſuetudinis Sancti Victoris non eſſe. Sicque eo in propria voluntate perdurante, nutriuntur odia, ſeminantur diſcordiæ, excitantur iurgia, detinentur lites, eneruatur diſciplina, perit religio, & apud forenſes quod & prius ſuauiter olebat, nunc turpiter fœtet. Quamobrem paternitatem veſtram hoc tantum exoratam volo, quatinus Literis vel interſignis manderis Abbati, amicabiliter mittere vobis quem tractari aure audiſtis, aut maiorum auctoritatem per-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

quietis. Comperi enim hoc eum ægrè ſuſcepturum, & forſitan ſic ab intentione A ſua reuocabitur. Et ſi ad vos tranſiero, vobis oneroſus non ero. Communicato namque vobis eſſe noſtro, quod melius verbis quàm Literis enodabitur, ſuſceptóque conſilio & conſuetudinibus perdiſcitis, ad propria remeabo. Hoc Fratribus plurimùm placeret, ſed ab eis penitus ſeparari moleſtè acciperent. Sed & hoc optant, ſi vobis placet, vt miſſis Literis Abbati eius pertinaciam temperare, & ad conſuetudines ſcriptas, quibus contradicit teſte Abbate Andrea, reuocare ſatagatis. Quod ſi non vult, mittat aliquem ad vos qui conſuetudines veſtræ Eccleſiæ videat, ceſſétque murmur diuturnum de Domo Domini, & non tota gens pereat. Amara ſine dulcibus interpolatis diu ſuſtineri non valent, nec labor ſine quiete, nec his magis rigor diſciplinæ ſine relaxationis & ſpatiatus interpoſitione. Vale in Domino, ſemper curam mei agens. Cetera per Fratrem Guidonem vobis mandaui.

EPISTOLA DXVIII.

STEPHANVS *Dei gratiâ Pariſienſis Epiſcopus, F. R. E. H. Archipresbyteris ſalutem.* Ex auctoritate Dei Patris omnipotentis & filij & Spiritus ſancti, & ſanctæ Dei genitricis Mariæ, & omnium Sanctorum, excommunicamus & anathematizamus, & à ſanctæ matris Eccleſiæ liminibus ſequeſtramus illos, qui dominum Thomam Priorem Sancti Victoris interfecerunt, & qui in fortitudine interfectoribus affuerunt, & eos quorum conſilio & ammonitione & auxilio interfectus eſt. B Omnes etiam illos excommunicamus, qui eius interfectores, & interfectorum pręſentes coadiutores in ſuo hoſpitio receperint, vel qui cum eis aliquam communionem vel participationem habuerint in potu, in conſilio, & locutione, niſi fortè pro eorum correptione, in emptione & venditione, in dati & accepti communione, in ſuſceptione & protectione, Omnes iſtos ſupradictos excommunicamus, donec reſipiſcant, & ad ſatisfactionem veniant. Mandamus itaque vobis, atq; præcipimus, quatinus per ſingulos dies Dominicos hoc modo, & his verbis excommunicetis, & ceteros Preſbyteros excommunicare faciatis. Mandamus etiam vobis, quatinus vnuſquiſque veſtrûm in ſuo Archipreſbyteratu prohibeat, vt nullus omninò Preſbyter nec de ſeculo, nec de Religione, nec Abbas, nec Canonicus, nec Monachus, nec Eremita, nec Incluſus, nec etiam Abbas Sancti Victoris, huius excommunicationis reum ad ſe pro confeſſione venientem ſuſcipiat, nec ei abſolutionem huius culpæ tribuat, aut pœnitentiam iniungat. Quia ego de tanto reatu mihi ſoli abſolutionem & pœnitentiam reſeruaui. Hoc quoque præcipimus, vt Preſbyteri quando excommunicant, hanc noſtram prohibitionem omnibus dicant. Valete.

EPISTOLA DXIX.

VENERABILI *Domino & amico ſuo R. Priori Sancti Victoris Pariſienſis, ſuus* C *Ioannes eandem quam ſibi deſiderat ſalutem.* QVONIAM accepta licentia exiui de Eccleſia Sancti Satyri, vt irem cum domino Cantuarienſi Archiepiſcopo, quidam amicus noſter pro magna neceſſitate commodauit mihi decem ſolidos Andegau. Cui promiſi quòd per manus veſtras eos ei redderem. Ideo precor, vt latori præſentium eos conſignes. Et hoc vobis ſignum, quòd oſtēdi vobis in infirmario tabulas texti de opere Lemouicino, quos volebam mittere Abbatiæ de VVtgam. Et vos mihi reſpondiſtis, quòd Magiſter Andreas non in tantum reſpexerat obedientiam, & locum ſuum de Sancto Paulo.

EPISTOLA DXX.

VENERABILI *ſocio & amico cariſſimo Alexio Dei gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiacono, P. Gaietanus eiuſdem Eccleſiæ humilis Subdiaconus, ſalutem & deſideratam in omnibus felicitatem.* QVOTIENS mihi per Literas vel per nuntium viſitandi fraternitatem veſtram competens offertur occaſio, exultat & lætatur anima mea, vt deſideratam mihi faciem Fratris, quam corporalibus oculis ad præſens non video, ſaltem ſcriptis diſcurrentibus, valeamus viſitare. Te verò, digniſſime Frater, quo familiaritatis honore præueniam? quanto admirer ſtupore? quàm ma-

A gno amore complectar, nolo deſcribere, ne videar adulationibus deſeruire. Cuius rei teſtis eſt lingua, quæ tam crebro ſermone præſentiam veſtram abeſſe conqueritur: teſtis eſt conſcientia, quæ veſtri vultus ſpeciem tam perſpicuè contemplatur. Nam quis veſtræ caritatis incendio non feruet? quem & vita præclarum, & doctrina perſpicuum, & quod his præſtantius eſt, ſpiritualis zeli feruor reddit accenſum? Ad hæc præſentiâ veſtra potiùs, quàm legationis pagina ſi fieri poſſet optarem me lætificari. Sed quoniam id non datur ad præſens votis internis, miſericordiæ Patrem appello, vt incolumitatem veſtram in longitudinem dierum conſeruet, ſibi ad honorem, vobis ad virtutem, veſtræ Eccleſiæ ad ſalutem. Quid plura? meipſum, & omnia mea vobis expono. Præcipiat itaque quod ſibi placet dilectio veſtra. Aggratulor enim opinioni veſtræ, quæ redoluit apud nos, & gratias Deo ago, quòd in perſona veſtra iocundam faciunt armoniam & ſplendor generis, & nobilitas conuerſationis.

EPISTOLA DXXI.

VV. *Dei gratiâ Senonenſis Archiepiſcopus, & Apoſtolicæ Sedis Legatus, E. Abbati, totique Capitulo Sancti Victoris; dilectis in Chriſto filiis, abundare ſpiritu dilectionis & pacis, per gratiam eius cuius in pace factus eſt locus.* TETIGIT me aliquantulum per miſericordiam ſuam manus Domini. Et ideò ad diem, quam vobis B præfixeramus, venire non potuimus. Veniemus autem Deo volente ad vos in ſpiritu lenitatis & manſuetudinis, quamcitiùs dabitur nobis oportunitas, ferentes nobiſcum non verbera patris, ſed verba matris: parati ſummo ſtudio laborare ad pacem Fratrum & quietem, cupientes in viſceribus Chriſti vt Religio conſeruetur ad Dei ſeruitium, & exteriora benè diſponantur ad ſuſtentationem Deo ſeruientium. Interim autem ſeruate vnitatem ſpiritus in vinculo pacis, vt pax Dei quæ exuperat omnem ſenſum cuſtodiat corda veſtra, & intelligentias veſtras. Valete.

EPISTOLA DXXII.

VENERABILI *Domino & amico Magiſtro R. Priori de Sancto Victore, ſuus G. Prior Eccleſiæ Sancti Albani ſalutem, & ſinceræ dilectionis integritatem.* HABEO vobis gratias quantæ ſunt indicibiles, quòd gratiæ veſtræ Fratri meo Math. tam copioſus fructus arriſit. Metiórque ex illis impenſis, quanta vobis debeam latorem præſentium nepotem meum ſecuritate commendare. Precor igitur, vt benignitas, quæ in altero præceſſit, ſe ad vtrumque extendat, & geminata caritas me vobis multipliciter reddat obligatum: & vt cumulato aſſurgam gaudio, aliquid mihi voluntatis veſtræ dilectio veſtra remandet, quo mei experimentum capiatis amoris. Valete.

C

EPISTOLA DXXIII.

VENERABILI *amico ſuo & merito honorabili Ric. Priori de Sancto Victore, ſuus G. Prior Eccleſiæ S. Albani ſalutem, & affectum debitæ dilectionis.* QVIA Fratris mei M. qui in partibus veſtris amore ſcientiæ peregrinatur, tam ſingulari gratia, tam peculiari liberalitatis prærogatiuâ prouentum curaſtis, gratias habeo dilectioni veſtræ: nec quid amoris & obſequij vobis animus meus promittat, muti facilè valebunt apices explicare. Sed vtinam eueniat, vt quo vos amplector affectu, operis executio viua voce loquatur! Quomodo enim benignitatem, quam ſibi à vobis collatam memoratus Matheus prædicat, ab eminentia veſtra poſſem ſperare, à qua prorſus nihil merui? Cernò ſiquidem planè, quàm amatorium illud Catonis tenaci memoriæ prudentia veſtra commendauerit. *Si vis amari, ama.* Reſtat igitur, vt quod tam fertili principio inchoaſtis, talari ſuperueſtire velitis tunica. Mihi autem etſi recompenſandi deſit effectus, non deerit tamen affectus. Hócque modicum munus non pro munere, ſed ad amoris indicium vobis tranſmitto, viciſſim poſtulans vt ſcriptorum veſtrorum mihi reſcripto occaſione inuenta nomina innoteant. Ego autem curabo, vt ſi exemplaria non deſint, ſcientiæ veſtræ theſauro Anglia noſtra reſplendeat.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA DXXIV.

VENERABILI *Fratri & amico R. Priori de Sancto Victore, Fr. S. humilis Miniſter Eccleſiæ Sancti Albani ſalutem, & debitum ſinceræ dilectionis obſequium.* OPVSCVLA Magiſtri Hugonis, quæ in partibus noſtris vndecumque quæſita reperire potuimus, ſummo ſtudio, & exactiſſima diligentia, ſicut tantæ venerationis ſcripta collegimus, & ex eis plurima in volumina nonnulla redegimus. Quoniam autem ex memorati viri tractatibus aliquot apud vos contineri, quæ in partibus ciſmarinis aut omninò non ſunt, aut adhuc in Anglia noſtra rareſcunt, comperta relatione didicimus, latori præſentium eorum quæ penes nos habentur notulas compendioſas tradidimus. De veſtra nimirum caritate confiſi, quòd in opera ſibi commiſſa in oculis veſtræ ſinceritatis noſtro debeat interuentu gratiæ plenitudinem obtinere. Sanctitatem igitur veſtram obnixè rogamus, ac petimus, quatinus memorato præſentium latori tractatus Magiſtri Hugonis inſpiciendi copiam, ob reuerentiam beati Albani & noſtræ precis intuitu benignè ſi placet indulgeatis: & vt eos quos apud nos non haberi compererit, commodiùs quomodocumque exſcribi faciat, precamur vt ei in præſenti negotio veſtri conſilij ſimul & auxilij gratia reſpectus fraternæ caritatis aſpiret. Valete.

B

EPISTOLA DXXV.

DOMINO *R. Dei gratiâ Priori Eccleſiæ Sancti Victoris, ſuus M. ad quam potiùs affectat hilariter aſcendere ſalutem.* INTER ea quæ in Domo veſtra depoſui, ſunt duo linteamina, & duo mantilia, quorum vſu nunc extat mihi opus. Quare veſtra id benignitas efficiat, vt vtraque à ſe inuicem diſcernantur, & alterum linteaminum, quod celarura caret, cum altero quoquo quod recentius eſt manutergiorum per hunc amicum noſtrum Fratrem VValterum mihi tranſmittatur. Reliqua verò ſimul poſita in cuſtodia veſtra ſicut priùs habeantur, donec ego ad vos veniam. Venerabili amico veſtro Priori Sancti Euurtij, & huic præſentium latori Fratri VValtero gratias habeatis, qui pro veneratione veſtra plura mihi parati ſunt exhibere quàm velim ab eis gratis accipere. Vale perpetuò in CHRISTO IESV Domino noſtro. Vbicumque terrarum exiſtam, veſter ſum, cupiens veſtræ voluntati morem gerere, liberaliterque deſeruire. Quod res ipſa Deo annuente explicabit, ſi quando tempus faturum nobis obſequendi vobis mihi locum conciliauerit.

EPISTOLA DXXVI.

DOMINO *R. Dei gratiâ Priori Sancti Victoris, ſuus M. ad quam veritatis via perducit, ſalutem.* SVCCESSVS ſui aperit indicia quiſquis horum innititur gratiæ, quorum promeruit amicitias. Quorum enim ſibi quiſque conciliauit affectus ex meritis, eorumdem iure, prout honeſtati tamen congruit, fungitur officiis. C
Ego itaque non hoc calle in amicitias veſtras deductus, qua benignitas in vobis inſita mihi præmonſtrauit acceſſus, ad gratiam veſtram gratis intraui. Dum enim bonitatis veſtræ ſtatum recolo, mihi liquido innoteſcit liberalitatem veſtram, prout decet ac expedit, cunctis patere. Quare, vt excellenti veſtræ conſuetudini morem ſuum geram, caritatis veſtræ magnificentiam conuenio, quatinus penes vos locum mihi quempiam placidi affectus, piique deſiderij, patere concedatis. Super amicitia domini VVal. Prioris Sancti Euurtij, multimodas grates vobis refero. Si quid vobis placuerit, per hunc nuntium meum amico veſtro Priori Sancti Albani mandare poteritis. Valete. Si qui amicorum veſtrorum manent in locis, per quæ hic puer iter habebit, precor veſtra eum ad eos tranſmittat, ne iniurias ei fieri in via patiantur. Perpetuo valete.

EPISTOLA DXXVII.

DOMINO *L. ſuus M. quam dilectionis affectus tranſmittit ſalutem.* QVANTA quiſquis liberalitate ſubſtiterit, animus ipſe pleniùs arguit, ac explicat ef-

A ſectu. Mentis etenim egregiæ nobilitas præcipuam benignitatem ſuſcitat, producit & conſeruat. Vnde fit, vt ego de bonitate veſtra optimè ſperans, de liberalitate ſecurus, de morum honeſtate confidens. Quid autem à vobis mihi potiùs exhiberi malim nequaquam concipio, quàm vt infra dilectionis veſtræ decentem conſuetudinem quos libuerit mihi referetis affectus. Iſtud enim à vobis exorandum huic petitioni meæ extat potiſſimum. Reliquum verò, vt veſtra diligentia Libros meos, quos apud vos depoſui, quandóque reſpiciat, ne longo ſitu lituram ſuſcipiant. Vale in Chriſto Ieſu. LVDOVICVS VII, IVNIOR.

EPISTOLA DXXVIII.

VENERABILI *amicó, & merito honorabili Ric. Priori de Sancto Victore, G. Prior Eccleſiæ Sancti Albani ſalutem, & debita dilectionis affectum.* QVIA petitiones meas iampridem curæ veſtræ delegatas diligenter proſequi ſtuduiſtis, præſentem ceteris ſecurus annecto. Precibus igitur meis, vt mos veſter permittit, inflectimini, & latorem præſentium Fratrem meum M. ſuſcipiat dilectio veſtra meo intuitu commendatum, & in quo neceſſe habuerit ei veſtrum adſtipuletur conſilium, vt vobis habeam multipliciores gratiarum actiones. Munuſculum, quod vobis ex parte mea porrigendum rranſmiſi, dignanter veſtra dilectio ſuſcipiat, & potiùs
B mittentis affectum quàm miſſi attendite paruitatem. Valete.

EPISTOLA DXXIX.

REVERENDO *Domino & Patri in Chriſto cariſſimo I. Dei gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali, Guarinus Eccleſiæ beati Victoris Pariſienſis Miniſter humilis ſalutem in Domino, & promptum cum deuotione ſeruitium.* PRÆDECESSORI meo de duobus Fratribus ac denuo iterata Epiſtola idem paruitati meæ veſtra mandauit ſublimitas, & ipſos quos volebatis vtriſque in Literis etiam ſubiunctis nominibus, Petrum videlicet Petragoricum, & Hugonem de Sancto Germano, ſpecialiter deſignaſtis: quorum alter Deo vocante tranſiit, reliquus verò ſine ſpe euadendi morbo incurabili infirmatur. Cùm autem morte & languoris præpediente moleſtia, eorum poſſet neuter deſtinari, quid agerem neſcius, Dominos Senonenſem ac Bituricenſem, alióſque prudentes ac Religioſos viros conueni, quid ſuper hoc mihi faciendum conſulerent: laudauerúntque, ex quo in vtraque Epiſtola eligendo pro voluntate alterius nihil reliqueratis arbitrio, alios non eſſe tutum dirigere, ne fortè oneroſi magis quàm grati eſſent, ſi non eos quos volebatis miſiſſem, ſed alios. Ob hoc etiam mittere differendum conſuluerunt, vt comperta vobis multiplici Eccleſiæ neceſſitate, compaſſionis viſceribus parcendo ei veſtra pietas condeſcendat. Viri quippe religioſi, quotum quondam religione & prouidentiâ re-
C gebatur Eccleſia, maximâque iam obierunt ex parte, paucique ſurrexerunt poſt eos. Domus perturbationibus fatigata, oppreſſa debitis, boniſque temporalibus nuda. Etſi inter tot curarum anguſtias eos paucos qui mihi remanſerunt, qui me adiuuando ſupportare debent, cogor dimittere, & oculos, qui mihi Religionis & diſciplinæ debent viam monſtrare, perdidero de facili: profectò errare continget, nec ſolus potero onus & prouidētiam Domus portare. Tandem humanum dicam. Secreta infirmitatum aperiens, mortem valde & propter Terræ inſuetam aſperitatem, & aëris qualitatem corruptam Fratres paueſcunt, quoniam ſi noſtrates laici cùm illuc vadunt, quive ſpatiandi, eundi, & redeundi habent libertatem omnimodam, vix vel modicum viuere poſſunt; iſti clauſtro conclusi quomodo viuere poſſent? Has cauſas & occaſiones Fratres prætendunt. Vnde & grauiſſimum duco iniungere, quod ſi fit, contra volunratem ſuſcipitur. ſi enim fit periculosè, valde negatur. Pareat igitur nunc, Domine, infirmitatibus noſtris veſtræ clementiæ magnitudo, & Eccleſiæ inſtantes attendite neceſſitates. Ego enim in quibuſcumque potero veſtris ſum paratus obedire mandatis.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA DXXX. A

SANCTISSIMO *Patri ac Domino A. Dei gratiâ vniuerſalis Eccleſiæ ſummo Pontifici, Garinus Eccleſiæ beati Victoris Pariſienſis Miniſter humilis ſalutem in Domino, & ſubiectionis omnimodæ deuotiſſimum famulatum.* EXEGVTTATE meæ do voluntate, vt arbitror, domini Iohannis Neapolitani veſtra mandauit Sublimitas, quatinus ei duos Canonicos religioſos, & Literas ad ordinem Canonicum in Eccleſia, quam ad hoc ipſe inſttui fecerat, tenendum & conſetuandum deſtinarem. Prædeceſſori meo ſemel ſuper hoc ante iam ſctipſerat, duos etiam ſubiunctis nominibus, Petrum videlicet Petragoricum, & Hugonem de Sancto Germano, ſpecialitet requirens: quorum altet mottuus, reliquus verò languore infirmatut continuo. Cum autem dominus Cardinalis vnum eſſe mottuum didiciſſet, ſcripſit mihi denuo, illum qui ſuperuixerat requirens ex nomine, & alium quem ſecum ipſe ducete vellet. Ceterùm ego, cùm nec ille morte interueniente, nec iſte infirmitatis moleſtia obſiſtente, deſtinati poſſet, veſtro inrerim ſuſcepto mandato religioſorum ac prudentium virorum conſilium requiſiui quid mihi indè faciendum conſuletent. Laudauerunt ſanè, ex quo vtriſque in Literis quos volebat nominatim ſignans electionis ſibi retinuerat arbitrium, nihil ſuper hoc alterius voluntati vel diſpoſitioni telinquere volens, alios non eſſe tutum dirigere; ne forte one- B roſi magis quàm grati eſſent, ſi non illos quos quærebat miſiſſem, ſed alios. Denique illi Religioſi, quorum quondam teſtimonio teligionis noſtta magnificabatut Eccleſia, & conſilio regebatur, maiori iam obierunt ex parte, paucique ſurtexerunt poſt eos. Plutes enim venerabiles & literatæ perſonæ, quæ poſſent eſſe Eccleſiæ profectui & honoti, cùm deuotè flagitarent ingreſſum, nolente vel ſimulante prædeceſſote meo, nobis inuitis repulſæ, Domus quoque petturbationibus fatigata, oppreſſa debitis, bonis temporalibus nuda, & in ſpiritualibus aliquantulum læſa. Etſi inter tot curarum anguſtias paucos, quos inueni, qui me adiuuando & conſulendo ſupportare debent, in hac nouitate, maximè cum ſim ætate iuuenis, religione iuniot, cogor dimittere. Etſi oculos qui mihi in via religionis & diſciplinæ, conſilij & auxilij lumen debent præſtare, perdideto, de facili profecto errate continget, nec ſolus onus & prouidentiam Domus portare potero. Quicquid tamen exindè faciendum decreuetit veſtra auctotitas, perſequar ego pro viribus. Tandem humanum dicam. Mortem valde & propter Terræ inſuetam aſperitatem, & aëris qualitatem corruptam, Fratres pauefcunt. Prætetea obiiciunt nos non poſſe cogere eos ire vbi rigor Ordinis noſtri tepidiùs teneatur. Proinde ego grauiſſimum duco iniungere. quod ſi ſit, contra volunratem ſuſcipitur, vel ſi non ſit, periculosè valde negatur. Parcat igitut, ſancte Pater ac Domine, infirmitatibus noſtris, & inſtanti Eccleſiæ neceſſitati, diſcretionis veſtræ modeſtia.

C

EPISTOLA DXXXI.

AVDITO, cariſſime, quòd benè viueres, quòd benè valeres, quòd in cunctis proſpetè ageres, quòd Deo & hominibus moribus placeres, quòd de me rumores cognata ductus pietate libenter audires, gauiſus ſum gaudio magno: & cùm mortuus mundo eius abſolutus affectibus viuas, hac in parre fateor non me penitus abſolui. Verumtamen iſtud non mundi, ſed magis caritatis donum eſt, quæ pium pectus tuum, ſicut de me cognaro tuo aliquando ſollicitat, ſic quoque me pro te cognato meo iam diu piis verberans curis affecit. Quibus, Deo gratias, iam parte liberatus, vnum eſt quod reſtat, vt tuam itidem ſollicitudinem, ſi qua pro me eſt, pet latorem præſentium, & præſentem iudicem cartulam exhonerem. Pariſius igitut ad arattum diuinum manu miſſa, in Domo Dei ac beatiſſimi Martyris Victoris ſub Regula Canonica Sancti Auguſtini tyrunculus degens, Chtiſto militare decteui: cui ſeruire regnare eſt, cuius obtemperare frenis ſumma libertas eſt. vbi viuo non iam ego, ſed qui habitat in me Chriſtus. vbi mundus mihi crucifixus eſt, & ego mundo, non quærens ibi quæ mea ſunt, ſed quæ IESV CHRISTI. & hoc eſt gloria mea, tam poſſe quàm velle Deo placeere. An adhuc ſublimiotibus inhias, & maiora de me audire delectat? En intus memoriam conſulo, & me

A nihil ſcire, nihil eſſe reperio. Sed quid dicam? magnis quaſi maiora promiſi, & ecce tandem ad nihilum redactus ſum, & neſciui. Aut forſitan ſic deſcendiſſe magis aſcendere eſt, iuxta illud, *Qui ſe humiliat exaltabitur.* Ille etenim verè humilis eſt, qui mauult reputari nihil, quàm prædicari humilis. & hoc hactenus. Supereſt vt flagrantiſſimi deſiderij mei tibi cariſſimo meo ſecreta reuelem, quatinus ſi quomodo ſedulitate tua interueniente de ſacris glorioſi Chriſti Martyris Thomæ reliquiis aliquam particulam habere poſſem, obnoxius attendas. Erit enim mihi theſaurus pretioſus ſuper aurum & thopazion dilectus. Erit mihi in peregrinatione comes & ſolatium. Erit mihi contra inſidiantis inimici tentamenta dulce præſidium, vt me ouiculam ſuam pius paſtor protectionis ſuæ humeris impoſitam, gregis ſui numero non deeſſe patiatur. Quòd ſi deſiderium meum complere ſtudueris, & effectui rem mancipaueris, in vaſe ſignato, & nuntio fideli aliquo indè huc remeante tranſmittere feſtines. Vale.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA DXXXII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilecto filio Abbati de Caſtro-Landonis.* INIVNCTI nobis officij auctoritas nos hortatur, vniuerſis Dei fidelibus, & præſertim viris religioſis in iuſtitia ſua diligenter intendere, & eis quæ B ſua ſunt illibata penitus & integra conſeruare. Vnde dilectioni tuæ per Apoſtolica ſcripta mandamus, quantinus annualia quæ dilecti filij noſtri Abbas & Fratres Sancti Victoris Pariſienſis in Eccleſia Sancti Saluatoris iam ex longo tempore iuſtè & canonicè poſſediſſe noſcuntur, quietè permittas & pacificè poſſidere, donec cum eis ſuper his componas. Vel ſi de iuſtitia tua confidis, in præſentia electi ab vtraque parte iudicis, vel etiam in auditorio noſtro legitima cum eis examinatione contendas.

EPISTOLA DXXXIII.

DOMINO *ſuo cariſſimo* LVDOVICO *Francorum Regi,* HVGO *Sueſſionenſis dictus Epiſcopus ſemper ſuus ſalutem, & etiam poſt mortem dilectionem.* VERA loquor & ante Deum. Poſtquam veni in ſeruitium veſtrum, à veſtra fidelitate ſcienter nunquam exorbitaui. Adhuc Domino permittente fideliùs vobis ſeruire propoſueram. Sed nunc Deo aliter diſponente, in extremo vitæ articulo poſitus has Literas dictaui, poſt mortem meam tanquam extremum vale vobis mittendas. Siquidem de præſentia veſtra lætificatus, quando vos nouiſſimè vidi, & morbo turbatus, affectum animi mei vobis aperire ſubitò non poteram, neque rebar vniuerſæ carnis viam me tam citò ingreſſurum. A veſtro pauidus conſortio & ſeruitio exiens, veſtris & Sanctorum orationibus, quos pro me orare faciat veſtra benignitas, animam meam commendo. Pro Clericis autem meis, qui in Curia ve- C ſtra mihi ſeruierunt, veſtræ ſupplico benignitati. Sed ante omnia Petrum quem nutriui à puero, & præ ceteris generis mei diligebam, & quem ſemper volui exhibere ſeruitio veſtro, vobis commendo & trado. Non feci ei ſicut debui, & nunc mortis inclementia præuentus, ipſi implere non poſſum quod cogitabam. Sed quoniam de liberalitate veſtra penitus confido, grande mihi præſtat ſolatium, quòd cum in manu veſtra relinquo. Vale. Idipſum quod Literis mando, per Abbatem Sancti Victoris veſtrum & meum fidelem mando vobis; vt quod ore non potui, per Literas, & per talem nuntium implerem. Valete.

EPISTOLA DXXXIV.

VENERABILI *Fratri & amico cariſſimo,* GVIDONI *Dei gratiâ Catalaunenſi Epiſcopo,* HV. *eadem gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis ſalutem, & intimæ dilectionis affectum.* APOSTOLICÆ Sedis benignitas, quæ ſpeciales filios quadam prærogatiuâ dilectionis conſueuit amplecti, dilectum Fratrem noſtrum Alexandrum latorem præſentium ſuum Subdiaconum, Sanctique Victoris Pariſienſis Canonicum, virum vtique prudentem & literatum; propriis apicibus ad ſe reuocat, deſtinatione & propoſito auxiliante Domino ad altiora ſublimandi. Nos igitur de amicitia veſtra præſumentes, ipſum cum noſtris Li-

LVDOVICVS VII. IVNIOR. teris ad vos confidenter dirigimus: rogantes & obſecrantes vt eum noſtri contemplatione benignè recipiatis, & manum auxilij & conſilij, ſiue in bona equitatura, ſiue in eius æſtimatione liberaliter conferatis. Nos autem quod ei feceritis peræquè gratum habebimus & acceptum, ac ſi perſonæ noſtræ impenderetis. A

EPISTOLA DXXXV.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Sancti Germani & Sancti Victoris Abbatibus, Priori quoque ac Subpriori Eccleſiæ Sancti Victoris, & Odoni quondam Sanctæ Genoueſæ Abbati, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* SIGNIFICATVM nobis eſt, quòd cum Guillermus Sanctæ Genoueſæ Canonicus ad præſentiam noſtram abſque Abbatis & Capituli ſui licentia acceſſiſſet, eundem ad prædictum Abbatem vt in Capitulo de huiuſmodi tranſgreſſione humiliter ſatisfaceret, à nobis tranſmiſſum ita vehementer & inhoneſtè tractauit, quòd ipſum vniuerſis veſtibus exuens & acriter verberans, ſeptem diebus in terra cum canibus cibum ſumere fecit. Quoniam verò de viro tam honeſto ac religioſo aliquid ſiniſtrum non debemus facilè credere, nos de veſtra honeſtate pleniùs confidentes, hoc veſtræ diſcretioni committimus exſequendum: mandantes vt rem ipſam diligentiſſimè inquiratis, & huius rei veritatem veſtris Literis nobis fideliter intimetis. Data Senonis xv. Kal. Sept. B

EPISTOLA DXXXVI.

DOMINO *& Patri ſuo cariſſimo H. Dei gratiâ Sueſſion. venerabili Epiſcopo, Frater B. ſuus in Chriſto cariſſimus filius, debitæ ſubiectionis obſequium.* NOSTIS quòd Garnerius familiaris & noſter dilectus latam & ſpatioſam habet parrochiam, cuius officium quia ætas iam non patitur ſolus explere non præualet. Veſtram igitur paternitatem exoratam eſſe volumus, quatinus hunc latorem præſentium H. ſicut dudum vobis verbo ſuggeſſimus, & modo ſcripto ſupplicamus, ad Ordinem Sacerdotij Dei & noſtro amore promoueatis, vt eius ad tēpus vices suppleat, de cuius impoſſibilitate non dubitatis. Quòd ſi prætenditis quòd nondum in Eccleſiaſtico beneficio adtitulatus ſit, noueritis quòd prædictus Garnerius promittit ſe eum diligenter procuraturum, donec ei aliquod beneficium pro voluntate veſtra dignum prouideatis. Pro hoc ipſo prædictus Garnerius vobis in omnibus fideliſſimus ſupplicat, & deuotus vt hoc ipſum fiat nobiſcum depoſcit, qui in veſtris negotiis deſudat pro viribus. Valete.

EPISTOLA DXXXVII.

REVERENDO *Domino ſuo H. Dei gratiâ Remenſi Archiepiſcopo, H. ſuus Eccleſiæ Sueſſ. dictus Epiſcopus ſalutem, & in morte & poſt mortem etiam dilectionem.* AMANTISSIME Pater & Domine, poſtquam me nouiſſimè vidiſtis, arripuit me grauis ægritudo, vt mihi iam negetur videre deſideratam veſtram faciem, & ea vobis eloqui ore quæ nunc per Literas poſt mortem meam vobis præſentandas neceſſe fuit dictare. Sperabam me diutius in agro Domini moraturum, & pro viribus meis interna caritate portaturum veſtros labores. Sed nunc euocatum ad diſtricti Iudicis præſentiam me veſtris orationibus commendo. Migrantis à ſeculo amici veſtri, qui vos ſemper dilexi, alleuetis in hoc curam, vt Petrum conſanguineum meum, veſtrum & Eccleſiæ Sueſſionenſis Canonicum, quem nutriui, & ante alios generis mei diligebam, & cui non feci præuentus ſicut cogitabam, diligatis, & contemplatione mei carum & ſicut veſtrum habeatis. Valete. C

EPISTOLA DXXXIII.

DOMINO *& Patri ſuo in Chriſto cariſſimo ſuus T. ſalutem æternam.* LANGVERVNT oculi mei præ inopia, quia elongatus eſt à me qui conſolabatur me, aut eſt pertranſiens, nec reuertens, qui mihi veſtri ſigna deferat, & vos mei memoriam habere innoteſcat, quem aliquando potioribus non minus dilexiſtis.

A & vt teſtatur Propheta, cùm mulier non poſſit obliuiſci filij vteri ſui, permirum eſt quid vobis filij ſpiritalis veſtri memoriam abſtulerit, quem vna ſalutatione certa non dignamini. Paruitatem ſcientiæ & religionis in me ſi paruipendatis, affectum ingenuitatem amoris contempſiſſe non debueratis. Rememoramini priſtinos dies, quibus repugnantiam ſuſtinuiſtis, & quòd veritatem in vobis amplexatus ſim, aut quantum vos in veritate dilexerim conſiderare ſi libeat, liquidè videbitis. An abſens negligitis quæ præſens dilexiſtis? Abſit. Sic ſic enim diligit, cuius animus citiùs euaneſcit. Vas leue, vas vanum, vas futile, vas malè ſanum. Semper præſentia veſtra mihi vtique dulcis & amabilis erat, cui ſecuriùs quo familiariùsatque vtiliùs omnia mea reuelaui. Nunc verò veſtra fruſtratus præſentiâ, ſanctitatis veſtræ pedibus prouolutus, rogo atque exoro, quem ſemel caritatis amplexu ſuſcepiſtis eiuſdem nexibus in finem retineatis; eùm magnum coram Deo non cenſeatur, ſi exhibetur amico quod impendi iubetur & inimico. Ceterùm dilectum dilectorem veſtrum patrem meum, qui mè in carnem genuit, obnixè obſecro in Miſſis & orationibus ad Deum fuſis per vos & per quotquot poteſtis adiuueris. Iam enim anni ſpatio euoluto anno dimidio ante nobiſcum viuens Canonicus & profeſſus, in die ſancto Epiphaniæ poſt cœnam Conuentus pœnitens multum, & multum deuotus de corpore eductus eſt, & poſt eum citò quædam de ſororibus meis viro coniuncta, mitis & ſine querela. Valete in Domino, B & pro eis rogo vt oretis.

EPISTOLA DXXXIX.

HVGO *Dei gratiâ Sueſſionenſis Epiſcopus, Canonicis Autiſſiodorenſibus, & VVillelmo de Dampetra ſalutem.* DOMINVS Papa poſuit ſuper dominum Pariſ. & ſuper nos verbum veſtrum, & Eccleſiæ Sancti Germani. Nos autem tam propter negotia domini Papæ, quàm propter negotia Regni, ad diem venire non poſſumus. Mittimus verò loco noſtro Abbatem Sancti Victoris, & mandamus vobis vt tantum pro ipſo faciatis, quantum pro nobis faceretis ſi præſentes eſſemus. Valete.

EPISTOLA DXL.

DOMINO *ſuo ac deſiderabili, & in Chriſti honore ſuauiſſimo, debitiſque officiis honorando, H. reuerentiſſimo de Sancto Victore Canonico, ſuus Bernerus in Domino ſalutem, omnéque id quod eſt.* QVAMVIS ab animo meo nullo modo te ſeparatum eſſe permittat dulce vinculum caritatis, & indeſinenter tuos ſanctos mores atque dulcia tua colloquia memoriter teneam; omnia tamen præ dulcedine tua & amore tuo apud me pro minimo duxi, eo ſcilicet quòd abſque tua præſentia ſub locorum remotione degere cogor. Non quia te abſentem minus diligam, ſed quia C dulcius ac carius mihi fore æſtimarem, ſi tecum præſentialiter habitare, aliquantiſque diebus permanere poſſem. Scio enim, Pater mi, quantum me in Chriſto diligas, quia & tu ſcis quantum in illo viciſſim à me diligaris. Reddo itaque meritis tuis, & præcurrentibus officiis, debitum reſalutationis tuæ obſequium, incolumitatem tuam gaudens nuntiatam, optánſque continuam, & quòd reſcripto exiguitatis meæ iure prærogatæ beniuolentiæ dudum repoſcendo frequenter adij, dicens modo ſi id de tanta ſanctitate tua valeam conſequi. Nullomodo enim audeo deſperare de bonitate Dei, & Domus eius, quia ſcio illum qui dixit, *Petite & accipietis*, abundanter tribuere omnibus petentibus eum in veritate. Dignare ergo, Domine mi, definitiuè reſcribere, & non ſuſpensè. Quod ſi indubitanter reſcripſeris, ego quippe maiorem ſuſpenſionem incidere poſſum, quàm priùs interrogaſſem. Incolumem feliciorémque te Deus omnipotens tueatur, & ad terrum locum cùm Regnum eius aduenerit perducat IESVS CHRISTVS Dominus noſter. Amen. Vale.

EPISTOLA DXLI.

FRATRI *A. ſuus O. ſalutem.* SICVT ex fructu & folio, cuius naturæ vel vtilitatis ſit arbor cognoſcitur: ſic ex operibus & verbis tuæ dilectionis tam

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

præſens quàm abſens, quantus eſſet affectus tuus in me didici. Scias, cariſſime, A quoniam ex quo à vobis receſſi, multos labores pro ſaluanda auctoritate noſtri Conuentus incurri: & diu ſunt manſuri, niſi Deus, cui ſoli poſſibile eſt, cor, manum, & linguam noſtri Abbatis, qui contra omnes molitur, operatur, & loquitur, ſua dignatione immutauerit. Rogo igitur tuam caritatem, vt & tu roges O. Abbatem, & R. Priorem, H. Longobardum, & H. de Cercele, Magiſtrum C. & ceteros amicos noſtros, ex noſtra parte, quatinus eum, cùm ad vos venerit, moneant, arguant, & corripiant. Si enim in alium virum commutatus non fuerit, nec nobis vtilis erit, nec famam ſanctitatis Eccleſiæ beati Victoris in partibus conſeruabit noſtris. Hoc munus Domini non quantum, ſed ex quanto conſiderans, per præſentem latorem ſuſcipe, vt per ſigna ſignatam habeas memoriam mei in oculo & mente. De cetero quære à Rainero Sacriſta, quando potero habere tabulas quas mihi petenti promiſit: & pretium ipſarum, prout voluerit & mandauerit, mittam. Vale, vt & ego valeam.

EPISTOLA DXLII.

GVILLELMVS *Dei gratiâ tituli Sancti Petri ad Vincula Presbyter Cardinalis, venerabili ſorori ſuæ in Chriſto eadem gratiâ Sanctæ Mariæ Sueſſionenſis Abbatiſſæ ſalutem perpetuam.* PROPOSITI noſtri eſt honori veſtro, & Eccleſiæ, cui B miniſtratis, profectibus, prompto & amicali fauore ſemper velle cooperari. Hinc eſt quòd de caritate veſtra indubitatam obtinentes fiduciam, ſecura vos ammonitione rogamus, quatinus dilecto filio noſtro S. ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiacono ſingulis menſibus vſque ad annum in v. ſolidis noſtri amoris obtentu prouidere curetis: vt nos exindè liberalitati veſtræ vberiores grates exſoluere teneamur, & petitiones veſtras exauditione complere reciproca.

EPISTOLA DXLIII.

VENERABILI *Domino & cognato ſuo Roberto Monacho de Rivvall. Simon dictus Magiſter Legreceſtriæ, ſuus Clericus & cognatus, vt ignotus ignoto piorum operum debito præmio proſperari.* DE noſtra cognatione multum congratulor, quæ me vobis efficit obnoxium, & magis de liberalitate veſtra, quæ nobis priùs exhibita me vobis promittit obnoxiorem, & eo ampliùs, quoniam hanc eandem modeſtiam incrementum eſſe accepturam, piè ſperare non hæſito. Quoniam igitur noſtræ cog. * *.

NOTVM ſit reuerentiæ veſtræ nos tranſcripta noſtrorum negotiorum H. iniunxiſſe. Verumtamen quoniam plurimum penes eum veſtra præualet auctoritas, quo magis deuotus circa ſuſcepta ſatagat negotia, pietati veſtræ non ſit oneroſum exorare. Incolumitatem autem veſtram ſcripto, vel quo placuerit modo, innuite. C

EPISTOLA DXLIV.

HVGO *Dei gratiâ Dunelmenſis Epiſcopus, omnibus ſanctæ matris Eccleſiæ filiis ſalutem.* BENIGNITATIS veſtræ excellentiæ notificetur, hunc Clericum nomine A. Spiritus ſancti gratia, ac noſtrarum manuum impoſitione, ad Sacerdotij gradus canonicè eſſe promotum, noſtráque licentia à nobis eſſe remotum. Vale.

EPISTOLA DXLV.

MAGISTRO *Gereberto, Nicolaus vt vocem ſic animum modulari.* ME quia negligentem arguis, quòd tibi eſſe meum non ſcripſerim, cùm ſatis ſcias cuiuſmodi ſit diſcentium ſtatus, iuſtiùs ego te quaſi non fidum arguero, cùm contra id quod pollicitus es tamdiu mei immemor extiteris. Indè etiam eſt, quòd timeo ne velut & initialiter radicata amicitia noſtra aliquatenus penes te deciderit, & maximè pro locorum diſtantia, quæ amantium animos per obliuionis incidentiam alterare ſolet, quod tamen neuter noſtrum ſentiat, ſed quæ non niſi ornotina eſt, vt diuturna ſit amicitia laboremus, & nobis idem ſit vitæ & amicitiæ termi-

A nus. Maximè deſidero audire quòd in Eccleſia noſtra retentus ſis. Si vales, bene eſt, & egò valeo.

EPISTOLA DXLVI.

SPECIALI *Domino & vnico Alexio venerabili Dei gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Subdiacono, Guillelmus de Fuerna Clericorum ſuorum minimus ad omnia ſuus, cum omni reuerentia & ſubiectione ſeipſum ad pedes.* DVM in veſtram liberalitatem, cariſſime Domine, benignitas veſtra meam dignata ſit aſſumere paruitatem, ſub breui & incompta verborum nuditate quod affectò vobis aperio. Audiens itaque dominos Legatos Cenomannis eſſe, & vos, Domine, cum eis fore credens, ad eos veni,& totum negotium Epiſcopi Xanct.& Cantotis,ceterorúmque Xanct. Clericorum, & vniuerſæ Xanct. Eccleſiæ; ſi ibi præſentes adfuerunt, per nos ad optatum finem perduci credidi. Sic enim cùm eis fueram locutus, & adhuc ſum in eodem. & hoc teuera ſcio, quòd per vos poſt Deum & ipſi & prædicta Eccleſia pacem & concordiam ad plenum poſſunt habere. Secundùm quoque conſilium veſtrum omnibus modis ſunt parati ſtare. Cùm igitur & ſecundum Deum & ſecundum homines ad honorem veſtrum hoc fieri credam, veſtram ſanctitatem, de qua licèt immeritò admodum confido, genibus flexis ſuppliciter exoro, quatinus
B aduentum veſtrum, quem habetis facere ad dominos Legatos, hotum cauſa negociorum tractus, ſi placet feſtinetis: vt & Deus in hoc plurimùm honoretur, & Eccleſia Dei pacem ac veram concordiam conſequatur, & ſanctitas veſtra inter homines non immeritò de commendabili commendabilior videatur. Nec vos lateat, Domine, latorem præſentium Magiſtrum I. nominis veſtri famam inceſſanter extollere, & ad honorem veſtrum vbique fideliter inhiare. Veſtra denique pietas mihi ſeruo veſtro per eundem I. quod placuerit aperire dignetur. Vale. ſemper, Domine, quantum volo & deſidero.

EPISTOLA DXLVII.

VENERABILI *Domino & amico G. Priori, Frater* IORDANVS *ſic præeſſe, vt valeat pluribus prodeſſe.* Ex quo vos primitus cognoui, amore integro ſemper dilexi. licèt hoc non valui ſicut volui vobis oſtendere. Oſtenderem ſanè, ſi exhibere poſſet exterior facultas, quæ vobis exoptat interior voluntas. Certior nempe probatio dilectionis operum exhibitio, quàm verborum promiſſio. Verbis namque dilectionem promittere ſciunt plurimi, operibus autem hanc oſtendere cùm neceſſitas exegerit, multi aut nolunt, aut neſciunt. Abſit, abſit hoc à veris amicis, ad quos pertinet amicis obſequendi occaſionem quærere, ſéque beneficiis inuicem præuenire. Hæc eſt lex veræ amicitiæ, quæ maximum ſibi lu-
C crum ducit, cùm gratum amico impenderit beneficium. Talis amicitia me priùs vobis corde, poſtmodum corpore ſociauit. per quem & pro quo Leget. veni, ibique Religionis habitum aſſumpſi. Illic enim elegeratis humilis in Domo Domini conuerſari. Sed placuit ei, qui nos inuitauit, dicere: *Amice, aſcende ſuperiùs.* Nunc autem rogo, ne ſit veridicum de vobis illud vulgare prouerbium, Honores mutant mores. quin potiùs experiar fiduciam in Prælato, quam habui olim in ſubiecto. Culmen ſiquidem dignitatis eſt liberalis materia bonitatis, quatinus cordis liberalitatem demonſtret Prælatus, quam non valuit dum fuit ſubiectus. Quia verò præſentiam meam ſeruitio veſtro exhibere non valeo, hunc puerum nepotem meum vobis ad ſeruiendum tranſmitto: ea fiduciâ, qua de vobis confido, deprecans, vt pro amore meo ipſum vobis retineatis, donec colloquamur. Equos veſtros cuſtodiat, herbas colligat, vobiſcum in itineribus currat. Rogo ne cauſemini cæterorum ſeruientium copiam, vel ſegetis inopiam, vt in hac petitione patiar repulſam. Valete.

EPISTOLA DXLVIII.

DOMINO *& Patri O. ſeruus & filius eius An. ſeipſum ad pedes.* A FEBRIBVS Beneuentanis, quæ aut citiſſimè interficiunt, aut adeò moleſtant, vt

Lvdovicvs VII. Ivnior.

vexationis earum reſpectu ſit remedium mors, tunc paululum reſpiraueram, cùm Cartulæ huius portitores paternitatis veſtræ mihi Literas tradiderunt. Auditóque quòd mitteretis eas, vt potui citiùs aſſurrexi reuerendo mihi ſemper & memorabili nomini veſtro, & optanti me benè valere ſpiritu inclinaui. Sed ad nomen exulis ingemui tantùm quantùm exultaueram, quòd filium me vocaſſet, & ſalutem dixiſſet os ſanctum. Exulo reuera, grates (in aure vobis Domino & Patri meo loquor) auaritiæ, qui conſilium parui pendens, & fortaſſis irridens, præpoſuit argentum ſuum honori ſuo: cera ſua dominos Cardinales, ſicut poſtea irridendo mihi obiecerunt, paſcere ſe poſſe exiſtimans. Vnde & Curiam vniuerſam in tantum aduerſus eum irritatam eſſe ſciatis, vt vel nomen eius audire ægrè ſuſtineat: & vnum dixiſſe de maioribus, priùs ſe ducentas marcas expenſurum, quàm eum, ſi præſtare voluerint aduerſarij eius, non confundat. Audiui hoc, & dolui, & quidem eo magis, quò ad ampliores videbam inimicitias eius illum conuerſum, quem multa ei perſuaſione amiciſſimum feceram. Plura loquerer, & conquererer acriùs de vobis apud vos ipſum, ſi inſperata latorum præſentium feſtinantia non me coarctaſſet, & vires mihi ſufficerent ad ſcribendum. Sed nondum longiùs abierant febres. Confirmationem priuilegij de Scala cum maxima impetratam difficultate, per Magiſtrum Herbertum nouum Eccleſiæ Meldenſis Archidiaconum vobis miſi. Fratrem Andream, quem viriliter in ſeruitio ſanctitatis veſtræ perſeuerare deſidero, affectu meo, obſequio veſtro ſalutate. Tirocinium neptis meæ ſanctis exhortationibus & conſolationibus veſtris confirmari exopto.

EPISTOLA DXLIX.

H. *Dei gratiâ Sueſſionenſi Epiſcopo Regis Cancellario, I. dictus Abbas Sancti Medardi ſalutem & dilectionem.* Præsentivm lator C. homo noſter & parrochianus veſter vxorem habet valde impudicam. Quæ dum Cruce ſibi aſſumpta cùm illo Hieroſolymam proficiſci deberet, ablata ſecum pecuniâ, quam in itinere deferre debebant, cum quodam lenone aufugit, & vſque hodie malè viuens cum eo permanſit. Hæc & alia deteriora de ea dicuntur, quæ ſecundum referentium, & eorum qui ſe pro certo ſcire dicunt narrationem, vera eſſe non dubitamus. Rogamus dilectionem veſtram, quòd ſecundùm ſapientiam vobis à Deo donatam tale huic pro Dei amore & noſtro conſilium detis, ne in deſperationem cadens fornicari, vel deteriùs agere cogatur. Valete.

EPISTOLA DL.

Reverendo *Patri & Domino H. Dei gratiâ Sueſſ. Epiſcopo, R. Remenſis Eccleſiæ Canonicus ſalutem.* Gerardvs de Vernuil parrochianus veſter, ſemel & ſecundò, & tandem à nobis peremptoriè, propter querelam Eccleſiæ Sancti Martini Laudunenſis, citatus, & venire, & procuratorem pro ſe deſtinare contempſit. Proindè paternitati veſtræ auctoritate domini Archiepiſcopi mandamus, quatinus eum pro excommunicato domini Archiepiſcopi haberi, atque artiùs euitari vſque ad condignam ſatisfactionem faciatis.

EPISTOLA DLI.

Her. *Dei gratiâ venerabili Abbati Sancti Victoris Pariſienſis, Fr. Petrus Sancti Griſogoni domini Papæ Capellanus ſalutem, & intimæ deuotionis affectum.* Petitiones tuas, & precum oblationes, quas mihi pro amicorum leuamine porrigere dignaris, tantò libentiùs effectui mancipare ſtudeo, quantò arctiùs caritatis affectu tuæ perſonæ adhæreo. Quod in Fratris Roberti de Briſto negotio, & aliorum noſcere vales. Cui tum pro amore tuo, tum debito fraternitatis, & auunculi ſui, duas marcas argenti vel circa accommodaui, quas me teſte pro negotio ſuæ Eccleſiæ expendit. Rogo igitur dilectionem tuam, vt tuis hoc Literis Abbati notifices, vt ſuper hoc facto ſic ſe habeat, quatinus libentiùs ſi oportunum fuerit alicui de Ordine noſtro auxilium ex corde impendam. Ex hoc teſtes habeo dominum

A num Albanenſem, & Rogerum Clericum eius, Ingonem Capellanum domini Papæ, & Iohannem ſeruientem noſtrum, quem benè noſtis.

EPISTOLA DLII.

H. *Remenſis dictus Archiepiſcopus, venerabili Fratri H. Sueſſionenſi Epiſcopo ſalutem & dilectionem.* NECESSARIVM habentes loqui vobiſcum ſuper quibuſdam negotiis ad Eccleſiam noſtram & perſonam pertinentibus, mandamus fraternitati veſtræ, & mandando præcipimus, quatinus remota omni occaſione occurratis nobis apud Beluacum inſtanti Sabbato poſt feſtum Sancti Iohannis Baptiſtæ: vt ſequenti Dominica valeamus de negotiis noſtris tractare, & vos ſecundùm debitum profeſſionis veſtræ & adeſſe, & coadiutor exiſtere curetis. Præpoſitos etiam, & Archidiaconos, & Decanos, & Abbates Epiſcopatus veſtri ex mandato noſtro & veſtro iubeatis intereſſe.

EPISTOLA DLIII.

DILECTO *ſuo Domino R. Priori de Sancto Victore, Fr. VV. dictus Prior Vrſicampi ſalutem in Domino.* LIBELLVM veſtrum, quem remitti vobis man-
B daſtis, ego ipſe reportaui in Quadrageſima. Sed quoniam tunc non eratis apud Sanctum Victorem, Fratri Hugoni Hoſpitali veſtro illum commendaui, inſinuans ei vt vobis eum redderet. Rogamus autem vt aliquod opuſculum veſtrum nobis mittatis, quod nec dum habuimus, ſcilicet de ſomno Nabugodonoſor, vel, *Illumina faciem tuam ſuper ſeruos tuos.* Nam & hoc ſcribere incœperamus, ſed in exemplari veſtro imperfectum reperimus. Valete.

EPISTOLA DLIV.

DILECTO *ſuo, dilectorúmque dilecto dulciſſimo, cuius proprium præ dilectione nomen taceo, quod vel plus quàm ipſe ſibi.* NON immeritò, dulciſſime, veſtram, de qua tantum confidebam, dilectionem, non modò tepuiſſe, ſed penitus defeciſſe pertimeſco: cùm iam vnius euoluto anni circulo ſub ſpe promiſſionis veſtræ Epiſtolæ oculi ſuſpecti teneantur, nihilque ſe recepiſſe lætentur. Per quam vtique, & de deſiderabili conuerſatione veſtra, & de ſtatu fratris mei, & ſororum mearum, ſiue de morte certificari ſperabam. Sed cur, dilectiſſime, à dilectore veſtro vehementes atque inextinguibiles in ſuo veſtri amoris geſtante pectore, flammas veſtræ dilectionis oculi receſſere? Certè etſi multa interſint terrarum ſpatia, multáque temporum tranſierint interualla, ſemper mihi præſens,
C ſemper recens, ſemper apud me veſtra manet noua dilectio, & ſemper manebit integra, & nulla vnquam poterit adeſſe animi mutabilitas. Diligentem diligite tantum quæſo. De collatis autem beneficiis, quoniam recompenſare non valeo, mentionem facere non audeo. ſed flexis genibus manúſque extendens, magnum remuneratorem vt vobis retribuere dignetur inuoco.

EPISTOLA DLV.

CARISSIMO *Patri ac ſpirituali Domino* IACOBO *Dei gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Cardinali Diacono, ſuus Alexius in Domino ſalutem, & ſeipſum ad pedes.* SANE probatio dilectionis exhibitio eſt operis. Quanta ſiquidem illius venerabilis noræque religionis, Domini videlicet Abbatis Sancti Germani, in vobis ſit exuberantia dilectionis, iam ex ipſa rei exhibitione ſanctitati veſtræ vt reor plurima ex parte innotuit. Ipſe enim Boboni veſtro, & ſocio eius & ſeruienti, quanta in victu prouideat ſollicitudine, quàm honeſtè & abundanter adeſt iis. Veſtes lineas iam tribuit; aliàs quoque circa feſtiuitatem Sancti Remigij vnà mecum emere, & ei dare diſpoſuit. Et ſi qua reſtant alia, promptiſſima voluntate perficere promiſit. Verùm, quoniam non eſt noſtrum noſſe temporum qualitates, poteſt enim ita tempus mutari vt viginti ſolidi, quos modò per menſem tri-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

buit, vel etiam triginta non ſufficiant: ne fortè iam dictus Abbas veſter fidelis grauetur amicus, vt dominum Simonem Sancti Dionyſij, quatinus ei prouideat in hoſpitio, paternitati veſtræ his ſignificare decreui. Illud namque quod modò habet, vſque ad modicum eſt perditurus. A

EPISTOLA DLVI.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, dilectis filiis Decano & Capitulo Pariſienſi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* QVANTVM venerabili Fratri noſtro Meldenſi in precibus & petitionibus ſuis teneamur deferre, feruor deuotionis, & integritas fidei, quam circa nos & Eccleſiam, ſicut verus iuſtitiæ cultor, & præcipuum membrum ipſius Eccleſiæ, gerit, certis indiciis demonſtratur. Quapropter vos labores graues, & multa diſcrimina viarum, quæ iam dictus Epiſcopus in veniendo ad nos pro incremento & exaltatione Eccleſiæ noſcitur pertuliſſe, diligentiùs attendentes, nihil ei ad præſens, quod pro aliquo Fratrum noſtrorum faceremus, duximus denegare. Indè ſiquidem eſt, quòd nos precibus cariſſimi in Chriſto filij noſtri illuſtris Francorum Regis, Reginæ quoque, & aliarum magnarum perſonarum inducti, necnon & præfati Epiſcopi laboribus ſicut duximus, & ſinceriſſimæ deuotionis intuitu inclinati, pro dilecto filio noſtro Philippo eiuſdem Epiſcopi nepote, concanonico veſtro, vniuerſitatem veſtram per B Apoſtolica ſcripta monemus, mandamus, atque præcipimus, quatinus remoto appellationis obſtaculo inueſtiatis, & eam ſibi oportunitate ſuſcepta concedere & aſſignare curetis. Ita quòd nos exinde affectioni veſtræ debeamus gratias vberes agere, & Epiſcopus præfatus ad honorem & incrementum debeat propter hoc feruentiùs anhelare. Datum Beneuenti XIII. Kal. Aug.

EPISTOLA DLVII.

VENERABILI *& dilecto Patri G. Abbati Cœnobij Sancti Victoris, Fr. Gilduinus Fontis Iohannis Abbas cum obſequio ſalutem.* DILECTIONI veſtræ & Fratrum veſtrorum iuxta poſſibilitatem noſtram obſequi voluntarij ſumus. Annona verò, quam vobis expoſcitis commodari, magna ex parte imparata eſt, ſcilicet à paleis non excuſſa. Proindè prouideat caritas veſtra, vt apud grangiam noſtram, quæ apud Moretum eſt, feria quinta poſt feſtum Sancti Iacobi nuntium veſtrum præſentem inueniamus. Non autem mittatur nauis, donec præuenerit nuntius veſter, qui nobiſcum annonam videat; & quantum ſine grauamine Domus noſtræ potuerimus libentiſſimè commodabimus. Valete.

EPISTOLA DLVIII.

C

LVDOVICVS *Dei gratiâ Rex Francorum, & Dux Aquitanorum, H. fratri ſuo, & St. & Al. Arch. ſalutem & gratiam ſuam.* NEGOTIVM, quod, ſi præſentes eſſemus, per nos ipſos vobiſcum libentiùs ageremus, vobis ſicut amicis agendum committimus. Super Eccleſia Sancti Martini de Campellis, vt Canonicis Sancti Victoris ad Religionem tribuatur, voluntatem noſtram & conſenſum Epiſcopo Pariſienſi & toti Capitulo beatæ Mariæ per Literas noſtras inſinuauimus, & vt ipſi hoc ipſum velint & concedant, obnixè rogauimus. Vos itaque plurimùm rogamus, vt & nos pro Dei amore & noſtro hoc ipſum velitis & concedatis: ac deinde apud ceteros Canonicos; vt & ipſi hoc velint, pro nobis agatis, atque ab eis conſenſum eorum veſtra induſtria & inſtantia eliciatis. Valete.

EPISTOLA DLIX.

DOMINO *Belnacenſi, G. beati Victoris Pariſienſis dictus Abbas in ſummo Paſtore gloriari, & ipſius dignè veſtigia imitari.* PRESBYTER iſte præſentium lator habebat quemdam fratrem, qui inteſtatus mortuus eſt, excepto quòd vnum equum Canonicis Regularibus Sancti Quintini, in quorum terra habitabat, vt nobis dictum eſt, dereliquit. Expectabat enim hunc fratrem ſuum, ſed ante-

A quam iſte aduenirer, ille deceſſit. Venerunt autem prædicti Canonici, & tulerunt defuncti corpus, ipſum apud ſe ſepelientes, & quæ habere videbatur ſecum pariter auferentes. Vnde vos mediante paruitate noſtra rogat iſte, vt ei iuſtitiam faciatis, & quæ fratris ſui fuerunt reſtitui iubeatis. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA DLX.

DILECTORVM *dilectiſſimo ſuo T. ſuus P. illo frui bono, quod omnium bonorum congregatione conſtat eſſe perfectum.* GRATIAS ago omnipotenti Deo, & vobis, Frater cariſſime. Fama eſt enim vos in lege Dei & mandatis eius, in quibus cuſtodiendis retributio multa, nocte & die promeditari, veſtrámque bonitatem plus ſecùndum conſcientiæ veritatem quàm populi rumorem meriri. Vos quidem, dilectiſſime mi, fallax fortunæ affluentia, hominem vſque ad exitium trahens, à cognitione perfectæ bonitatis, Deo gratias, non abducit. Vos conatu maximo vix & eluctabili terminabilem gloriam pro interminabilis adeptione impugnantem, ſtatum pulchro & indiſſolubili omnium bonorum vallo munitum iuuar adipiſci. Nos indiſſolubilis amicitiæ copula vinctos inuida fortuna ſeparat. Verumtamen natura benignior admirabile remedium contulit. Licèt enim corporali præſentia ſatis malignè abſiſtamus, mentibus tamen humanis feliciter habitamus. Confidentes igitur de dilectione veſtra, ſumma precum inſtantia vos ptecor, quatinus de annali Præbendæ meæ, quam dedit mihi dominus meus I. de Cathena, Abbatem veſtrum & dominum Hugonem amicum voſtrum exoretis. Arnulfus ſiquidem Præpoſitus noſter prout mihi ſignificauit fecit finem Abbati veſtro ad quatuor libras, ſi prædictus Hugo concedat. Hoc agendum, vt nobis relatum eſt, ſatis in manu veſtra erit. Memor igitur veteris amicitiæ, quæ ſemper apud me noua eſt, officioſa ſedulitate quod prædixi operemini. Valete.

B

EPISTOLA DLXI.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, amico ſuo É. illuſtri Abbati Sancti Victoru ſalutem.* COGNITVM eſt nos habere ius noſtrum in cauſa aduerſus homines Ampumuillæ, de quorum numero quinque nobis rectum fecerunt. Vnde mandamus vobis, vt Fortunam, ſicut inuenta fuit, infra XV. dies nos habere faciatis, & homines veſtros qni affuerunt nobis ad iuſtitiam habeatis à die Mercurij ad octo dies. Quod ſi non feceritis, ad villam ipſam hac de cauſa nos conuertemus. Si enim aliqui effregiſſent domum noſtram, etſi non haberent pecuniam ſublatam, totum tamen reddere tenerentur, & nos volumus quòd homines veſtri de effoſſa Fortuna nobis ſatisfaciant.

C

EPISTOLA DLXII.

O *Dei gratiâ ſanctæ Romanæ Eccleſiæ Diaconus Cardinalis, dilectæ ſorori Abbatiſſæ Sanctæ Mariæ Sueſſionenſis ſalutem.* PROSPERA & læta de perſona veſtra deſiderantes audire, ſignificamus vobis nos ſanos & incolumes, Domino faciente, conſiſtere; & ad ſeruitium veſtrum & Eccleſiæ veſtræ promptos & paratos eſſe. Vnde pro veſtris & amicorum veſtrorum oportunitatibus ad nos ſecurè mittatis, quia quod vobis commodum & gratum eſſe nouerimus nos libentiſſimè faciemus. Præterea pro quodam Clerico Romano nomine Saſſon. nepote felicis memoriæ domini Papæ Anaſtaſij, qui Pariſius in ſcholis moratur, dilectionem veſtram rogamus attentiùs, quatinus ipſum amore noſtri commendatum habearis, vt tam ipſe quàm parentes ſui oportuno tempore ad veſtrum ſeruitium prompti exiſtant, & nos grates debeamus vobis plurimas exhibere. Si quod ſibi beneficium exhibueritis, ſciatis quia & de Curia, cuius Clericus eſt, & de nobis, & aliis amicis ſuis, poterit vobis dignè recompenſatio exhiberi.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

A

EPISTOLA DLXIII.

G *Dei gratiâ Auilcurtenſis Eccleſiæ Presbyter, dilecto Fratri ſuo R. venerabili Priori Eccleſiæ beati Victoris Pariſienſis ſalutem.* MANDAMVS atque rogamus dilectionem veſtram, quatinus vel Paſſionem beati Victoris, quæ apud nos non inuenitur, vel nouem ſaltem Lectiones de ipſa Paſſione tranſcriptas per præſentium latorem nobis mittatis. Scribimus enim quemdam Librum, quem Breuiarium vocant, cui eas inſerere dignum ducimus. Valete.

EPISTOLA DLXIV.

CARISSIMO *ſuo R. reuerendo Priori Sancti Victoris, humilis Frater G. ſalutem eandem quam ſibi.* SI iter proſperum à nobis ad propria habuiſtis, ſi gratiam in conſpectu Regis inueniſtis, ſi rectè ac proſperè apud domnum Abbatem agitur, ſi Abbatem Sancti Germani ſuper negotio noſtro conueniſtis: per præſentium latorem Literis veſtris nobis ſignificare non grauetur dilectio veſtra. Salutate nobis domnum Abbatem, qui humilitatem noſtram non ſolùm ad obſequendum, ſed & ad obediendum in quibus ſibi placuerit, promptam inueniet. Salutate nobis dominum R. Abbatem Aug. cariſſimum noſtrum. B

EPISTOLA DLXV.

PETRVS *Dei gratiâ Anicienſis Epiſcopus, omnibus Eccleſiæ fidelibus in perpetuum.* SOLLICITVDINIS ac prouidentiæ paſtoralis eſſe debet, ea quæ ad honorem Dei & Religionis augmentum ſpectant ſpecialiter diligere, & ſi qua negligentiùs aguntur à ſubditis in melius reformare. Eapropter Eccleſiam de Doa, in qua diſciplina regularis & Canonicus Ordo penè deperierat, ad petitionem cariſſimi Fratris & amici noſtri Magiſtri Stephani Abbatis Eccleſiæ Sancti Euurtij Aurelianenſis donauimus & conceſſimus: vt in ea regularis Ordo per inſtitutionem prædicti Abbatis & ſucceſſoris eius ſecundùm approbatas conſuetudines Eccleſiæ ſuæ deinceps obſeruetur, & honor Dei, & ſanctæ ipſius Eccleſiæ per regulariter ibi ſeruientes Canonicos ſucceſſu temporum perfectiùs augeatur. Huic donationi noſtræ interfuerunt, & idipſum poſtulauerunt fieri Canonici Anitienſis Eccleſiæ, Odo Capratius Sacriſta, Petrus Gualteri Theſaurarius, Mauritius, Stephanus Saunerius. Quod vt ratum & firmum permaneat, ad perpetuam memoriam præſentem Cartulam fecimus conſcribi, & ſigillo noſtro confirmari.

EPISTOLA DLXVI.

C

IN nomine ſanctæ & indiuiduæ Trinitatis, Amen. Ego LVDOVICVS Dei gratiâ Francorum Rex. Quoniam plurimi meditantes dolum omninò vigilant ad rapiendum, expedit & præcipuè Religioſis, vt in pactis eorum intercedat conſcientia Principum ad ſopiendum iurgia malignantium. Notum itaque facimus omnibus, futuris ſcilicet & præſentibus, quòd ante nos multis adſtantibus Hugo Malapunctura cognouit medietatem trium partium decimæ maioris & minutæ de Villaribus vſque ad quatuor annos ſe inuadiaſſe Eccleſiæ Sancti Victoris pro mille ſolidis per manum Fratris Alardi. Quod etiam laudauit Guido Sagitta frater Hugonis, & tali tenore ſtat vadium, quòd non diſuadiabunt illud, niſi ad ſuum retinere, & quod de manu ſua decimam non eiciant. Cognouerunt etiam prænominati Hugo & Guido, quòd Nicolaus ſororgius ſuus aliam medietatem trium partium prædictæ decimæ, & vnum hoſpitem, pro mille ſolidis Eccleſiæ Sancti Victoris inuadiauerat eodem per omnia tenore conuentionis, aſſentiente vxore ſua Emelina. Et nos pro immobili firmitate vadium ſicut eſt ante nos recordatum ſcribi, & ſigillo noſtro fecimus conſignari. Actum publicè Mileduni
1169. anno ab Incarnatione Domini MCLXIX. aſtantibus in Palatio noſtro, quorum appoſita ſunt nomina & ſigna. S. Comitis Teobaldi Dapiferi noſtri. S. Gui-

A donis Butieularij. S. Mathei Cametarij. S. Radulfi Conſtabulatij. Data per manum Hugonis Cancellatij. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA DLXVII.

QVONIAM pletique peruerſi animi ad decipiendum maximè intendunt, noſtri officij eſt res in præſentia noſtra benè geſtas pro bono pacis ad notitiam poſterorum memoriæ ttadere, & ſeripto confirmare. Ego igitur Mauritius Pariſienſis Epiſcopus. Notum facimus præſentibus paritet & futuris, quòd Ferricus de Gentiliaco quemdam cenſum, quem apud Sanctum Marcellum & apud Iuriacum Eccleſia beati Victoris pariter de dono Fratris Ferrici eiuſdem Eccleſiæ Canonici diu in pace tenuerat, de feodo ſuo & anteceſſorum ſuorum eundem cenſum eſſe dicens, ſaiſiuit. Eccleſia verò beati Victoris erga prædictum Ferricum ſuper hoc quetimoniam mouit, & coram iuſtitia noſtra placitauit. Tandem conſilio prudentium virorum habito, iam dicta Eccleſia ad confirmationem pacis ſupra nominato Ferrico quatuor libras denariorum donauit, & ipſe præſcriptum cenſum ſæpè memoratæ Eccleſiæ quietum clamauit, & quicquid proprij iuris in eodem cenſu ſe habere dicebat, eidem Eccleſiæ in præſentia noſtra in pace perhenniter poſſidendum conceſſit, & iuſtam indè ſe ga-
B rantiam laturum promiſit. Quod etiam conceſſit & laudauit Anſellus de Bruneio ſæpedicti Ferrici frater, videntibus & audientibus qui nobiſcum aderant, quorum ſuppoſita ſunt nomina & ſigna. S. Domni Aſcelini De[illegible]ni Sancti Marcelli. S. Simonis de Sancto Dionyſio. S. Gauterij Capellani no[illegible] Signum Magiſtri Mainerij. S. Marcelli Clerici noſtri. S. Terberti de Monre-[illegible]terici. S. Petri de Montetello. S. Philippi de Arhiis. S. Hugonis Mercatoris. S. Drogonis Carnificis. Quòd ne ſubrepens obliuio deleat, aut emergens calumnia contradicat, ſcripto mandari præcepimus, & præſentem paginam ſigilli noſtri auctoritate roborauimus. Actum publicè Pariſius anno incarnati Verbi M C L X X I. 1171. Epiſcopatus verò noſtri annò vndecimo.

EPISTOLA DLXVIII.

G *Cœnobij Sancti Victoris dictus Abbas cum Fratribus ſuis, omnibus fidelibus tam poſteris quam præſentibus in perpetuum.* OMNIVM bonorum, & maximè Religioſorum, proprium eſt, totius ſanctitatis & Religionis propagationi & proſpectui congaudere. Gaudium hoc noſtris, Deo dante, temporibus in mutatione Eccleſiæ beati Petri de Monte Letherico piis deſideriis oblatum eſt & donatum. Siquidem ipſa Eccleſia per Dei gratiam, & piiſſimi LVDOVICI Francorum Regis voluntate, conſilio, & aſſenſu, de ſeculari ſtatu in Religionis ſtatum
C promota eſt, & ad hoc ſeruis Dei Monachis ſcilicet de Longo ponte aſſignata eſt perpetuò & donata. Nos itaque qui in prædicta Sancti Petri Eccleſia Præbendam vnam integram, & aliarum Præbendarum annualia habemus, mutationem illam in melius volumus & approbamus, & per manum domini noſtri Theobaldi Pariſienſis Epiſcopi, ſupradictam Præbendam & annualia Eccleſiæ de Longoponte in perpetuum habenda concedimus. Ne autem Eccleſia noſtra pro illius Eccleſiæ mutatione, & noſtra beniuola conceſſione, redditoum ſuorum diminutione nimia grauaretur, conſulente, mediante, imò faciente prædicto Pariſienſi Epiſcopo, in cuius arbitrio & poteſtate vtriuſque partis aſſenſu totum hoc conſiſtebat negotium, Monachi de Longoponte nobis recompenſationem vicariam reddiderunt, & de rebus Eccleſiæ ſuæ & de rebus Sancti Petri ea quæ ſubſcripta ſunt Eccleſiæ noſtræ communi aſſenſu perpetuo concedenda dederunt. Apud Athegias terras, vineas, decimam, & quicquid omninò Eccleſia de Longoponte ibidem habebat. Apud eandem villam duos ſolidos cenſus, quos prædicta Eccleſia Sancti Petri ibidem habebat. Apud villam Monteelein medietatem maioris & minoris decimæ, quam ibidem Eccleſia de Longoponte habebat. Hæc omnia ſicut dictum eſt Eccleſia de Longoponte Eccleſiæ noſtræ liberè & quietè ſemper habenda donauit, & donum ſcripto commendans ſigilli ſui impreſſione firmauit. Vt autem mutationis prædictæ Eccleſiæ Sancti Petri, & Præbendæ, & annua-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

lium noſtra conceſſio rata in perpetuum haberetur, Cartulam iſtam conceſſionis noſtræ tenorem continentem conſcripſimus, eámque ſigilli noſtri impreſſione firmauimus, & Monachis de Longo-ponte habendam & conſeruandam tradidimus. Nomina etiam Fratrum noſtrorum ad huius rei teſtimonium, & ad maiorem firmitatem ſubſcripſimus. S. G. Abbatis, &c. A

EPISTOLA DLXIX.

NVPER ſtilum arripui, vt tibi aliqua denotarem: & cùm languit animus, cecidit manus, nihil huic dignum occurrit quod ſcriberet, nihil illi quod pingeret. Dimiſſo ſeorſum propoſito, conuerſus ſum ad contemplandum hanc impotentiam, & ex cauſis cœpi coniectare effectus. Nolueram aliquid certi ſignificare, ſed comperi tandem ex animo elici non poſſe quod in animo non erat. Turbæ ſiquidem rerum nundinantur in cerebro: & dum variis fluctibus periclitatur mens naufraga, quot ſententias de viuendi modo concipit diuerſas, tot peruerſas. Non hîc exquiras exquiſita vocabula: non mireris orationem, ſed orantem. Sedebam nouiter ſub anni renaſcentis infantia in horto pubeſcentium arborum, vbi rebus fœtis arridebat aprica formoſitas, humus hiemi maritata verno iam tempore reſpirans, conceptáque parturiens ſemina, poſt duros coniugis amplexus, veris tanquam paranymphi placidum teſtabatur aduentum. Vernabat deſuper B cœli criſpantis reformata temperies, & ad celſiora Signiferi ſol feſtinus euadens, quamuis nouo diademate foret inſignitus, tamen iuratus in noſtrum obſequium pro terræ fœtibus naturæ ſupplicabat. Hoc inſenſibiliter in iſtis ſenſibilibus quæque ſuis locis diſtinguẽs & ordinans, de ſecretis receſſibus terræ gremio inſtillabat gratiam educandi. Mirabar beſtias & aues, quæ in certis regionibus, in locis ſcilicet aſcriptis floridis conſitis ſationalibus, in aëre, in aquis fluuialibus & marinis, plurimo tempore diuerſis vocibus naturam ſalutabant. Nam rugit leo, rudit aſinus, mugit bos, hinnit equus, murmulat mula, grunnit ſus, vlulat lupus, vulpes gannit, pardus ferit, tigris raucat, honager mugilat, barrit elephantus, friguttiunt paſſeres, pubant vultures, milui lupiunt, turtures gemunt, crocitant corui, garriunt graculi, gligunt anſeres, denſant olores. Rogo ne dedigneris, hanc vobis, Pater reuerende, Pater mundi oculus, vitalis ſpiritus, Pater optime rerum, mea paruitas tranſmittit vini propinatam manu Ethiopis ſumere potionem.

Huc vſque Codex MS. Domini Al. Petauij.

EPISTOLÆ ALIÆ C
HISTORICAE.

EX CODICE VETERI MS. QVI EST IN BIBLIOTHECA Canonicorum Regularium Cœnobij S. Victoris Pariſienſis.

EPISTOLA I.

HENRICO *Dei gratiâ glorioſiſſimo Regi Anglorum, & Duci Normannorum, A. Cœnobij S. Victoris Pariſ. qualiſcumque dictus Abbas, ſalutem, & adminiſtratione Regni temporalis æternum promereri.* CANONICVS quidam Pariſienſis F. nomine ſola liberalitate ductus, nullo amplioris adquiſitionis interueniente intuitu, Magiſtro Ricardo de Eli Teſaurario veſtro XX. libras pariſ. monetæ vſque ad diem definitam commiſit. Contigit autem eundem Canonicum infra præſcriptum terminum ingredi viam vniuerſæ carnis. Cùm verò ageret in extremis, vniuerſam ſubſtantiam ſuam Eccle-

A ſiis & pauperibus, aliis plus, aliis minus, pro conſilio religioſorum virorum deſi- Lvdovicvs VII. Ivnior.
gnauit. Vnde & qui teſtamento eius interfuerunt ad prædictum R. nuncium in
Angliam miſerunt, ſuper exſoluenda prætaxata pecunia ſubmonentes. Ipſe ve-
rò tanti immemor beneficij, ſoluere contemſit. Maieſtati igitur veſtræ pro Eccle-
ſiis & paupetibus pauper Chriſtus ſupplicat, & patrocinium veſtrum in hac cauſa
ſua ſpeciali ſpecialiter efflagitat. Et ne tranſgreſſionis eius in vos, quod abſit, ex
negligentia culpa redundet, poteſtate vobis diuinitus data, pecuniam Chriſti pe-
riculosè retinentem ad reddendum compellatis: vt & zelus iuſtitiæ in vobis eui-
denter appareat, & cauſa Eccleſiarum & pauperum adiuta apud ſummum Iudi-
cem pro vobis intercedat. Illud autem pro certo habeatis, quòd in extremo mor-
tis arriculo prædictam pecuniam ſe gratis, hoc eſt abſque omni augmento, iam-
dicto R. coram tribus honeſtæ exiſtimationis Sacerdotibus confeſſus eſt ad tem-
pus commiſiſſe. Valete.

EPISTOLA II.

G. *Dei gratiâ Abbati S. Victoris Pariſ.* IOHANNES *Comes Augenſis ſalutem & dilectionem.* HIS Litteris diſcretioni paternitatis veſtræ inſinuare curaui,
quàm grauiter & quàm aſpetè, & quaſi infeſtanter Barones mei in me inſurgentes,
B totúſque Clerus meus, multæ quoque religioſiſſimæ perſonæ, me affligentes in-
ceſſanter vituperant: pro eo quòd de Eccleſia Augi ſic contra rationem inconſul-
tè diſponere decreuerim, & quòd veſtros Canonicos contra inſtitutum patris mei
& meum in ea receperim. Obiciunt enim mihi id quod verum eſt. Sed quia pater
meus ex quo Canonicos Regulares apud Augum zelo Dei inſtituit, ſtatim aſſenſu
Gauffridi Archiepiſcopi Rothomagenſis, & poſtea rogatu & ammonitu atque ex-
hortatione Hugonis Archiepiſcopi Rothomagenſis donauit, & ego conceſſi, Ec-
cleſiam prædictam in manu Abbatis Arovvaſiæ: ad tenendum & conſetuandum
Ordinem in perpetuum ſecundùm Regulam beati Auguſtini, & ita quòd Abbas
Augi ſemel in anno reuiſitaret Capitulum Eccleſiæ S. Nicolai de Arovvaſia, vt ſi
quid minus eſſet reintegraretur: Quaptopter mando, mandans quoque veſtræ
diligentiſſimè paternitati ſupplico, eámque ſuper omnia rogo & obſecro, vt pax
in Eccleſia Augi habeatur. Rogero Abbati & ſociis eius, quos ad nos tranſmi-
ſiſtis, per obedientiam præcipiatis, & præcipiendo iniungatis, vt ſecundùm mo-
rem & conſuetudinem Arovvaſiæ Ordinem Religionis in Eccleſia Augi teneant,
aut omninò recedant. Nolo enim ampliùs ferre ſententiam excommunicationis,
quæ proindè ſuper me ſingulis Dominicis diebus datur. Graue etenim mihi vi-
detur, quòd tamdiu eam ſuſtinui. Quòd ſi hoc non feceritis, veraciter dico, quia
numquam ampliùs eos dilexero, ſed deſtruam in quibuſcumque potero. Vale.

C

EPISTOLA III.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, Priori & vniuerſis Fratribus S. Victoris ſalutem & dilectionem.* ECCLESIA iſta ex beneficio prædeceſſorum no-
ſtrorum & Eccleſiæ Pariſienſis fundata eſt. vndè & ſpecialiùs eam diligimus. Vo-
catus eſt Abbas veſter ad aliam Eccleſiam. Non volumus quòd res Eccleſiæ, cuius
cura ad nos principaliter ſpectat, in aliquo minorentur, ſed creſcant. Vnde & re-
gia auctoritate vobis præcipimus, vt Abbas A. de cetero nullam alienandi vel ac-
cipiendi res Eccleſiæ iſtius habeat facultatem, neque eo præſente verbum aliquod
de electione incipiatis. Valete.

EPISTOLA IV.

PASCHALIS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri A. Abbati & Monachis S. Dionyſij ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* EX confratris no-
ſtri GALONIS Pariſienſis Epiſcopi relatione comperimus, quia vos præter ip-
ſius licentiam pro ſacri olei & criſmatis acceptione, ac pro Monachorum ſeu Cle-
ricorum veſtrorum ordinationibus quoſlibet Epiſcopos adeatis, vel pro eorum-
dem Sacramentorum celebratione ad veſtrum Monaſterium conuocetis, & quòd

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

laicis pœnitentias criminum iniungatis. Quæ profectò ſacris Canonibus valdè contraria ſunt. Et quidem priuilegia pro prauis & malis collata ſont, & ad ædificationem, non ad Canonum deſtructionem alicui conferuntur. Cùm itaque prædictus Frater GALO Epiſcopus veſter gratiâ Dei bonus & Catholicus habeatur, & prædicta ſacramenta gratis ac ſine prauitate indulgeat: & vos præter ipſius licentiam pro eiſdem Sacramentis ſuſcipiendis alios adire Antiſtites prohibemus, & Archiepiſcopis vel Epiſcopis omnibus ne ea vobis exhibeant interdicimus. A

EPISTOLA V.

HIc eſt modus pactionis & pacis, quæ inter Dominum Regem Francorum LVDOVICVM, & Algrinum Aurelianenſem Archidiaconum, per manum religioſiſſimi viri Bernardi Abbatis Clareuallenſis, & Hugonis Autiſſiodorenſis Epiſcopi, & Sugeri Abbatis beati Dionyſij, & Imari Abbatis Monaſterijnoui, & Andreæ de Baldemento, & Gauterij de Meſalam, & Hugonis de Creciaco, & Odonis Subprioris beati Martini de Campis, & aliorum Religioſorum virorum, apud Criſpiacum caſtrum RADVLFI Viromandorum Comitis facta eſt & conceſſa. Prædictus ſiquidem Dominus Rex Francorum bonam & plenam & firmam pacem de ſe & de omnibus hominibus ſuis, & de HENRICO & de ROBERTO fratribus ſuis ſpecialiter, prædicto Algrino, & omnibus rebus & hominibus ſuis tam Clericis quàm laicis compoſuit. & pacem illam perpetuò ſe obſeruaturum, & quòd ab vniuerſis hominibus ſuis, & à prædictis fratribus ſuis obſeruaretur ſe facturum, in manu prædictorum Religioſorum promiſit & firmauit. B Per manum etiam & in præſentia eorumdem Religioſorum adiecit & conceſſit, quòd prædictus Algrinus cum omnibus ſuis ab omnibus querelis à tranſactis retro temporibus omninò quietus & liber remaneret: & omnes occaſiones & querelæ, quæ inter Regem & eumdem Algrinum retrò extiterant, omnimodis remanerent inter ipſos ſopitæ. Et ſi deinceps inter ipſos aliqua quandoque querela fortè emergeret, Rex indè ad rationem eum poneret, aut poni faceret. Et ſi prædictus Algrinus illud cognoſceret, competenti emendatione illud Regi emendaret. Si verò ſe immunem à culpa ſentiret & cognoſceret; ſola manu ſua ſe ab obiecto purgaret. & ſic quietus & liber abiecta querela omnino in poſterum remaneret.

EPISTOLA VI.

VENERABILI *Patri Domino R. Sancti Victoris reuerendo Præpoſito, & vniuerſo eiuſdem Eccleſiæ Conuentui ſanctiſſimo*, GRATIANVS PETRI LEONIS *Romanorum Conſul ſalutem, & plenæ dilectionis ſeruitium.* Ex quo venerabilem fratrem meum & dominum Hugonem Placentinum Epiſcopum in veſtro collegio ſuſcepiſtis, doctrina & Ordinis veſtri honeſtate informaſtis, cor meum & caro mea exultauerunt & concupierunt vt obſequiis veſtris per omnia manciparer, in mandatis exercerer, & illum quem in reuerentia veſtra concepi affectum ipſa operis exhibitione comprobaretis. Indè eſt, quòd in conſpectu ſanctitatis veſtræ id quod ſum & quod poſſum deuotiùs offero: ſuppliciter implorans, vt legem ponatis mihi in ſeruitiis veſtris, & non in auaritia. Et ſi eſt in partibus iſtis, vndè ſanctitati veſtræ obſequium præſtare valeam, voluntatis veſtræ mandatum ſuſcipiam: quatinus in obſequio ſinceritatem cordis mei ipſa experientiâ cognoſcatis. Ad hoc plurimùm gratiam veſtram depoſco, vt veſtris me orationibus commendatum habeatis, quatinus precibus veſtris apud Deum adiutus præſentis vitæ ruinam euadam, & peccatorum merear percipere veniam. C

EPISTOLA VII.

VVILLELMVS *Dei gratiâ Romanæ Eccleſiæ Presbyter Cardinalis, & Sedis Apoſtolicæ Legatus, dilecto fratri ſuo & amico N. ſalutem & dilectionem.* NOTVM eſt tibi, cariſſime, quantum te & tuos hactenus dilexerimus, & in propoſito ſicut in exhibitione operis apparet, habeamus diligere. Deuotione tua, frater, quod dominus Papa de voluntate omnium Fratrum noſtrorum fecit, cùm eſſemus in

A terra pro poſſe laborauimus, & adhuc inſtanter laborare diſpoſuimus. Indè eſt quòd probitas tua de facili credere non debet, quòd ad honorem & profectum tuæ perſonæ præcipuè dilectione tuorum parentum aſſiduè non laboremus. Ceterum nepotem tuum, de quo affectuoſiſſimè rogaſti, homini honeſto & religioſo Epiſcopo de Saliber. tradidimus, quatenus vſque ad feſtum ſanctæ Mariæ ipſum militari cingulo honoret. Reſtat itaque, vt ad iter peragendum vſque ad prætaxatum terminum commodiùs quàm potueris te præpares, & omnia quæ tecum portare & habere habes ad Podium antr te mittere feſtines. Verùm ſi momentum vltra quàm dixerimus in colloquio iſto diſpoſuerimus, nobiſcum commorari, ſi voluntas tua fuerit, poteris. De rebus autem noſtris, quas Pariſius habemus, vnà cum Camerario noſtro ordinare ſic velis, vt cùm eas rehabere voluerimus, ſine diſpendio habere poſſimus.

EPISTOLA VIII.

DOMINO *& amico ſuo E. beati Victoris dicto Abbati & toti Capitulo*, B. DE MONTEMORENCIACO *ſalutem & debitam reuerentiam.* NOSTIS, dilectiſſimi, quòd pater meus homo diſcretus & amator Religionis locum, qui vocatur Nemus Sancti Petri, dedit Eccleſiæ veſtræ: ea videlicet conditione, quatinus ibidem diuinum officium celebraretur cotidie. & eundem locum in vita ſua B dilexit multum & frequentauit, & ego & homines mei poſt patrem meum. Nunc verò, quoniam locus ille vacat, & vos eum ſpoliaſtis, vt dicitur, calice, veſtimentis, equo, & quibuſdam aliis: precor vt prædictum locum rebus ſuis veſtiatis, & Radulfum quem diligimus, & qui mihi & fratri meo ægrotantibus multum ſeruiuit, ſi veſtræ caritati placet. Et ſi eius ægritudo, aut cauſa nobis incognita non repugnat, ad eundem remittatis. Si non, aliquem honeſtum & boni teſtimonij, qui & ibidem Deo honeſtè ſeruiat, & nos ſecundum Deum cognoſcat. Hoc itaque veſtri gratia faciatis, vt de vobis iuſtè non poſſimus conqueri. Valete.

EPISTOLA IX.

ANASTASIVS *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabili Fratri E. Turon. Archiepiſcopo ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* SI honorificationi commiſſi tibi Pontificalis Officij ea diligentiâ qua oportet intenderes, ſi correctioni eorum quæ de his qui ſub tua prouiſione inſiſtunt dicuntur enormia debita ſollicitudine immineres, vita & conuerſatio Fratris noſtri G. Trecorenſis Epiſcopi non remanſiſſet vſque nunc ſub tuis oculis indiſcuſſa. De cuius vtique actibus ad aures noſtras talia peruenerunt, quæ de qualibet perſona in Clericali Ordine conſtituta & audire opprobrium, & referre lamentabile videretur. Bonorum quidem Eccleſiæ C ſuæ dilapidator aſſeritur, & ſacros Ordines contrà decreta ſanctorum Patrum dicitur diſtribuiſſe. Præterea ſimoniæ ac periurij crimine, multiſque aliis piaculis perhibetur vſque adeò irretitus, vt, quod dicere ſine nimia mentis afflictione non poſſumus, iuxta vocem Prophetæ factus ſit tanquam ſubcinericius, qui non reuerſatur. In quo facto illi de commiſſione horum exceſſuum, tibi verò eſt de taciturnitate timendum: dum ſpeculator datus à Domino Domui Iſraël, ita irrequiſitos tantos exceſſus incorrectóſque dimittis, vt parietem peccatorum, quem deberes euertere, linire potiùs iuxta vocem propheticam videaris. Quoniam igitur ſuſtinere nec volumus, nec debemus, vt præfati Epiſcopi vita diutiùs remaneat indiſcuſſa, per præſentia ſcripta fraternitati tuæ mandamus, quatinus prudentibus aliquibus & religioſis viris aſcitis, aut dictum Epiſcopum & Clerum Eccleſiæ ſuæ tuo iubeas conſpectui præſentari, & diligenti conuerſationis & actuum illius facta diſcuſſione, ſi vel aliquo crimine apparuerit irretitus, vel ſacros Ordines contra ſtatuta Canonum inuentus fuerit celebraſſe, ab officio ſuo ſuſpenſum ad præſentiam noſtri Apoſtolatus tranſmittas: vt nos quid in eo fuerit puniendum iuxta conſtitutiones canonicas puniamus. Volumus autem vt tam tu quàm alij Epiſcopi vel Abbates, quos ad diſcutienda illius opera euocaueris, quicquid veritatis exindè inueneritis per ſcripta veſtra ſtudeatis nobis pleniùs indicare. Sanè cùm tales de illo rumores aures etiam, vt dicitur, felicis memoriæ Papæ E. præ-

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

deceſſotis noſtri multorum proborum fuerint relatione aſperſæ, ille ... rectio- A
ne ſua vſque nunc omiſerit cogitare; peruidendum nobis eſt, vt de diſſimulatione tam triſtium nunciorum non videamur à diſtricto Iudice arguendi.

EPISTOLA X.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, fideli ſuo P. de Miliaco ſalutem.* ABBAS Sancti Victoris nobis oſtendit, quòd miles tuus Ioſbertus de Floriaço in domo ſua ante Canonicos de Floriaco poſuit hoſpitem, qui habet filias & familiam, de qua ſcandalizantur Canonici. Ideò mandamus tibi, vt tu facias hoſpitem remoueri, & Abbas S. Victoris conſilio tuò conuenienti menſuram in re ponet, aut emendo terram, aut cambiendo, aut dando tantum redditus quantum ab hoſpite ſolet habere. Vale.

EPISTOLA XI.

LVDOVICVS *Dei gratiâ Francorum Rex, amico ſuo E. Abbati S. Victoris ſalutem.* ABBAS Sancti Maximini Aurelianenſis conqueſtus eſt nobis ſuper hominibus veſtris de Puſeols, & ſi per vos res poſſet ſedari nollemus Indè vos ſub-
monere. Vnde mandamus vobis, vt ſuper terram cum eodem Abbate conuenia- B
tis ſi fieri poteſt ad feriam VI. infra octauas Aſſumptionis, vel ad alium diem congruum: & per vos finiatis & componatis. Alioquin & vos & ipſum ſubmonebimus, & in præſentia noſtra res terminabitur.

EPISTOLA XII.

B *amico ſuo, G. ſuus ſalutem.* NOVERIT equidem diſcretio veſtra, quia veſtri gratiâ multas inimicitias pertuli, & Comitis Pictauenſis & Petri de Gaſnapia pro vobis grauiſſimam iram incurri. Dum enim turrem noſtram vobis conſeruare temptaui, eos qui mihi amici erant inimicos meos effeci. Ideò itaque pluries gentem meam, milites ſcilicet & pedites, collegi: & ne ipſi terram veſtram vobis auferrent, aut vaſtarent, vellent nollent obtinui. Nunc, vt audiui, pacem cum eis firmare, & ita me in guerra deſerere paratis. Quòd ſi feceritis; cùm fidei mentitæ vos arguam, & vobis guerram paruipendam, & auxilio Comitis Britanniæ, Domini ſcilicet mei, ipſis fortiter reſiſtam. Quòd ſi fortè auxilió & conſilio meo indigebitis, pro certo ſcitote quia conſtanter denegabitur vobis. Vos fortaſsè fortunæ mores ignoratis. Neſcitis quia & depreſſos extollit, & elatos libentiſſimè deponit. Hic certè ludus fortunæ. Victoribus catenas, captiuis multotiens diademata confert. Actus fortunæ nemo prouidere poteſt. Quæ vtique vobis ap-
plaudere videtur, fortaſſis cùm vobis prouideritis vos grauiter lædet, perſeque- C
tur. Tunc verò conſilium & auxilium meum ſciatis vobis meritò denegandum, quia ſine appellatione & conſenſu mei cum inimicis meis & veſtris feciſtis fœdus & pactum. Valete.

EPISTOLA XIII.

ROTROCO *Dei gratiâ egregio Perticenſium Comiti, domino cariſſimo & auunculo ſuo, B. ſua dilectiſſima & corpore & animo neptis, ſic in terrena militia pro Chriſto militare, vt cæleſtium militonum tabernacula poſſit habere.* CERTE de gloria veſtra, quæ longè latéque per Orbem deuulgatur, congaudeo. Nam quò magis ipſa creſcit, eò glorioſior exiſto. Terram paganorum Dei auxilio & gratiâ ad ipſius ſeruicium aliquantum adquiſiſtis, infideles & contemptores Dei non mundo, ſed Deo pugnantes, indè fortiter expuliſtis. Vos autem audiui non redituros vndè veniſtis. Sed timeo ne ob eam rem iram ſummi Iudicis incurratis. Fortaſſis enim gentiles abſentia veſtra aduerſus Chriſtianos ibi temerè derelictos animabit, & ad eos impugnandos vt pote auxilio deſtitutos armabit. Verumtamen diuina Scriptura proclamat: *Victoria belli non in multitudine exercitus, ſed de cælo eſt fortitudo.* Ad terram igitur ſtolidè dimiſſam ſapienter redite, & vitam veſtram, quam

A ibi aliquantum expendiſtis, ibidem in Dei ſeruicio terminate. Ex carnali autem amore præſentiam veſtram ampliùs deſidero, ſed ex ſpirituali fructum boni operis in vobis requiro. Si verò aliquem ſerieum vobiſcum attuliſtis, mihi ad faciendum indumentum veſtri gratia mittatis. Valete. LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA XIV.

HENRICO *Dei gratiâ Anglorum Regi excellentiſſimo, G. miles vtique per omnia ſuus, ab ipſo ſaluari qui dat ſalutem Regibus.* QVONIAM omnis poteſtas à Domino Deo eſt, ideò potentes huius ſeculi debent ſollicitè penſare, ne poteſtatem ſibi à Deo commiſſam temerè exhibeant, ſed cum ratione. Habent enim miſericorditer ſubiectis parcere, & rebellium contumacias fortiter debellare. Habent & pacificos diligere, & diſcordes ad concordiam reuocare. Fortaſſis ad aures veſtræ dignitatis peruenit, quia Comes Nannetenſis iram ſuam grauiſſimè mihi oſtendit. Siquidem Petrum de Gaſnapia proditorem vtique ſummum aduerſum me ſuſtentat, & inimicum meum pecuniâ ſeductus aduerſum me hominem ſuum iniuſtiſſimè iuuat. Ipſum autem per Barones plurimos inuiſi, & ſi quid aduerſum eum iniuſtè feciſſem, me in Curia ſua rectitudinem tenere multotiens pollicitus fui. Ipſe & auaricia cæcus, & pecuniâ corruptus, mandata mea paruipen-
B dit, & inimici mei pecuniam ſeruicio meo & honeſtati anteferens, me grauiter & iniuſtè deprimit. Verùm poſtquam nec humilitatem nec rationem mihi apud illum proficere video, certè Terram meam ab ipſius tyrannide experiar armis defendere. Sed quia aduerſus eum, Dominum vtique meum, iniuſtè moueri nolo, idcirco per dominos & amicos meos eius manſuetudinem imploro. Veſtram itaque liberalitatem expoſtulo, & apud eius iram vos mihi interceſſorem conſtituo. Per Literas igitur veſtras ipſum ad rationem mittite, & vt ab hominis ſui impugnatione deſiſtat diligenter exorate. Valete.

EPISTOLA XV.

CONANO *Dei gratiâ Britannorum Duci glorioſo, homo vtique ſuus & amicus ſalutem & debitum ſeruicium.* NOVERIT equidem dignitas veſtra, quia ego & P. de Gaſnapia diu inter nos inimici in Curia veſtra pacem confirmauimus, & ſi quis pacem illam violaret, vos ipſius aduerſarium conſtituimus. Nunc autem ipſe nequiſſimus ſeductor contempto imperio veſtro Terram meam infeſtat, & quantam vobis faciat iniuriam nullatenus excogitat. Cogor itaque aut Terram meam turpiter amittere, aut armis eam ab ipſius nequiria fortiter defendere. Veſtram itaque dignitatem expoſtulo, quatinus me ad ipſum debellandum iuuetis, aut ſi iuuare non vultis, ſaltem mihi nequaquam noceatis. Ego enim in Deo & in
C gente mea confido, quia eum nullis extraneis adhibitis fortiter debellabo. Valete.

EPISTOLA XVI.

HIL. *(Aurelianenſi) cariſſimo & fideliſſimo ſuo, Her. vtique ſuus, vitâ peccator, habitu reus, ſic temporalem ſapientiam amminiſtrare, vt de cœleſtis fonte ſapientiæ valeat haurire.* IAM ſatis, fili mi, ſupérque ſatis præſentiam tuam deſiderauimus, iam diu abſentiam tuam paſſi ſumus. Celeriter igitur, fili mi, velle noſtrum adimplens remea, & ciuitatem noſtram, quæ deſiderio tui languet, adueniens recrea. Quanticumque enim Clerici, nobiles, & diuites, glorioſi & potentes, Andegauis conueniant: tu tamen vnus, cuius præſentia ſtudium illorum decoraret, per abſentiam tuam illud vilificas. Cuicumque Magiſtro, ſeu Valleto, ſeu Gordoni, ſeu Rannulfo, ſeu Entebuo * ipſi adhæſerint, te tamen quaſi inter ceteros florem expoſtulant. A te audire geſtiunt, quod à te percipiunt pro munimento & auctoritate deferunt. Ceteri namque vel ſcientiæ ſunt minoris, vel linguæ impeditioris. Tu autem Dei gratiâ & in literis plurimùm vales, & eadem gratiâ quam interiùs noſti lingua interprete ad intelligentiam profers de cuiuſmodi bono. Quidam ſic ait: Facundia Dei donum eſt, quando quis quod commodè intelligit commodè poteſt proloqui. Quæ autem de te perhibui, ex illis qui ad me veniunt

* for. Euſebio

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

multotiens audiui. Quanti te faciat dominus Andegauenſis recordare, & girouagatione tua intermiſſa, tandem ad nos reuertere. Attende quoque, quia Magiſter Vlgerius bonos Clericos magnipendit, & ſi vmquam eos retinere poteſt, amplis ipſos honoribus extollit. Boemundum Archidiaconum, Vaſſetum Magiſtrum Scolarum, Radulſum & Petrum Canonicos tibi in exemplum afferas. Quos omnes præfati Epiſcopi ad ſummos honores extulit benignitas. Nolo tamen vt Scolam tuam turpiter & ante tempus deſeras: imò vſque ad Pentecoſten more boni & ſtabilis Magiſtri obtineas. Clericos tuos non tantùm literis, ſed etiam moribus inſtrue, & ne turpis fama de Scola tua exeat, ſcolarium licentiam retunde. Quid Radulfo apud Caſtellum-Gunterij acciderit vide, & ne ſimile quid incurras vigilanter attende. Mea paruitas ipſum, qui fons eſt bonitatis, frequenter exorat, vt te & tuos ab omni infamia & turpitudine cuſtodiat. Vale. A

EPISTOLA XVII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, cariſſimo in Chriſto filio* LVDOVICO *illuſtri Francorum Regi ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* ROMANORVM Pontificum inſtitutione noſcitur proceſſiſſe, quòd media Quadrageſima, ea Dominica quà cantatur *Lætare Hieruſalem*, conſueuerunt ipſi florem aureum, non gratiâ temporalis elationis, propriis manibus annua ſemper reuolutione geſtare: ea vtique in facto huiuſmodi deſignantes, quæ B tam ad decorem Eccleſiæ, quàm ad fidelium noſcitur inſtructionem ſpectare. Vnde & cùm nos eorumdem anteceſſorum noſtrorum veſtigiâ ſubſequentes, ſimilem florem eo die, in quo conſtitutum eſt, nuper in manibus geſtaremus: non inuenimus, cui tam dignè, ſicut Excellentiæ tuæ, florem huiuſmodi deberemus offerre, quem & deuotione circa Eccleſiam Dei & noſipſos, & dignitatis honore cognoſcimus præeminere. Quia verò floris huius ſignificantiam tuam Celſitudinem credimus tantò libentiùs noſtra velle expoſitione cognoſcere, quantò te conſtat corde & opere diuinis obſequiis, & piis actibus feruentiùs inhærere: prudentia Regiæ Serenitatis agnoſcat, quòd flos iſte Chriſtum Regem exprimit, ac deſignat, qui de ſeipſo loquitur, dicens: *Ego flos campi, & lilium conuallium.* Aurum namque Regem non immeritò dicitur denotare, cùm ad hoc deſignandum à Magis figuraliter oblatum fuerit Saluatori: vt per hoc Rex regum, & Dominus dominantium monſtraretur. Rubor autem quo aurum coloratum eſt, & ſuffuſum, Paſſionem ſignificat Redemptoris, de quo vtique ſcriptum legitur: *Quis eſt iſte, qui venit de Edom, tinctis veſtibus de Boſra?* Et iterum: *Quare rubrum eſt indumentum tuum, & veſtimenta tua ſicut calcantium in torculari?* Odor autem huius floris, Reſurrectionis eius gloriam præfigurat, vt ſicut ipſe primogenitus mortuorum ex multis fratribus, & reſurgens à mortuis, iam non poſſit mortis vinculis detineri: qua & noctem noſtram moriendo deſtruxit, & vitam reſurgendo in immortalitatis gloriam reparauit. C Sanè huiuſmodi anfractus & climata omnium ſcelerum fœditate concreta, tantus odor Dominicæ Reſurrectionis aſperſit, vt nulla pars Orbis alienam ſe ab odore iſto ſentiat, vel expertem: ſed omnes ſe gaudeant odore hoc ſuauiſſimo ſpirituales nequitias in cœleſtibus iam viciſſe. Porrò, ſi ad ipſius Chriſti Reſurrectionem figuraliter denotandam ſanctæ illæ mulieres ad ſepulcrum aromata detulerunt, ſuauitate redolentium vnguentorum gloriam præſignantes: quæ vtique terrorem inferis, cœlis gaudium, terris intulit ſanctitatem. Hæc ſunt, fili in Chriſto cariſſime, quæ in flore iſto noueris figurari: vt tantò acceptior apud te & gratior habeatur, quantò eum trifaria expoſitione ſignificaris affectuoſiùs diligere, & ſinceriùs colere didiciſti. Petimus autem, & totis affectibus exoptamus, vt ille flos aureus, qui omnes Reges & Principes antecedit, imò per quem Reges regnant, & prudentes deſcribunt iuſtitiam, terrenum tibi Regnum diuturno tempore ſua ineffabili pietate conſeruet, & æternum in illa felici retributione iuſtorum miſericorditer largiatur.

EPIST.

A

EPISTOLA XVIII.

ALEXANDER *Epiſcopus ſeruus ſeruorum Dei, venerabilibus Fratribus Archiepiſcopis, Epiſcopis, & dilectis filiis ſuis Abbatibus & aliis Eccleſiarum Prælatis, & vniuerſo Clero per Angliam & Ciſmarinam Terram illuſtris Regis Anglorum conſtitutis, ſalutem & Apoſtolicam benedictionem.* NON eſt vobis, ſicut arbitramur, incognitum, qualiter HENRICVS illuſtris Anglorum Rex pro diſcordia, quæ inter ipſum & filios ſuos peccatis exigentibus eſt ſuborta, vxores eorum, filios videlicet cariſſimi in Chriſto filij noſtri LVDOVICI illuſtris Regis Francorum, detineat. Pro quibus ſibi reſtituendis idem Rex Franc. & filij prædicti Regis Angl. generi ſui preces nobis ſollicitas porrexerunt. Nos itaque ſtudioſiùs attendentes iuſtum & honeſtum exiſtere, vt viri ſuas vxores repetere debeant; & precibus eiuſdem Regis Francorum & generorum ſuorum, non ſolùm in his quæ ex officij debito tenemur efficere, ſed etiam in omnibus quæ à iuſtitia non diſcordant, volentes prompto animo acquieſcere: præfatum Regem Angliæ ſtudioſè ſatis & attentè monuimus, eique dedimus in mandatis, vt ad commonitionem venerabilium Fratrum noſtrorum Tarentaſienſis Archiepiſcopi, Claremontenſis Epiſcopi, & dilecti filii ſui Carrutienſis Prioris, vel loco eius Prioris de Monte-Dei, ſi ipſe adeſſe non poterit, vel duorum ex his, ſi tres non potuerint intereſſe, filiis ſuis vxores infra

B XL. dies poſt Literarum noſtrarum ſuſceptionem reſtituere non poſtponat. Si verò eas infra præſcriptum terminum viris ſuis non reſtituerit, Apoſtolica auctoritate præcipimus, vt tota Prouincia, infra quam detinentur, & ad quam transferentur, quamdiu ibi fuerint, donec viris ſuis reſtituantur, ab omnibus diuinis officiis præter baptiſma paruulorum, & pœnitentiam morientium ceſſet. Indè eſt quòd vniuerſitati veſtræ per Apoſtolica ſcripta præcipiendo mandamus, & mandando præcipimus, quatenus eundem Regem Anglorum ad eas reſtituendas ſollicitis monitis & exhortationibus inducatis: proponentes ei, quòd non minus ſibi expedit eas reſtituere, quàm viris ſuis ipſas recipere. Et ſi iuxta commonitionem & mandatum noſtrum filiis ſuis vxores eorum infra terminum conſtitutum non reſtituerit, extunc in quacùmque prouinciarum veſtrarum detinentur, vel ad quas transferentur, donec ibi fuerint, nulla diuina officia præter baptiſma paruulorum, & pœnitentias morientium, celebretis, vel permittatis ab aliis celebrari. Omni ſuper his contradictione & appellatione ceſſante. Sciturí pro certo, quia ſi qui contra interdictum noſtrum, quod non credimus, venire temptauerit, ſuæ temeritatis & tranſgreſſionis pœnam debitam auctore Domino reportabunt.

EPISTOLA XIX.

C LVCRO *Dei electione ſummo Pontifici dilectiſſimo Domino ſuo & omnium*, VLGERIVS *eiuſdem permiſſu Andegauenſis licèt indignè dictus Epiſcopus, & ſeruus eius, officioſam ſubiectionem. & deuotam obedientiam.* CARISSIMOS pedes ſacroſanctæ Maieſtatis veſtræ precibus & ſupplicatione poſtulare præſumimus, quatenus venerabilem Decanum beati Martini dominum Odonem, virum egregium, cùm ad veſtram venerit præſentiā, pro veſtræ benignitatis miſericordia dulciter & manſuetè ſuſcipiatis, & eius graues moleſtias in lætitiam conuertatis, & eum plenitudine pacis & gratiæ veſtræ, quod veſtram ſerenitatem decet, eum ad nos & ad propria remittatis. Coram vobis, cui pernicioſum eſt mentiri, teſtamur, quòd cùm ad modò dictam Eccleſiam veniſſemus, & Capitulum, quod tunc frequentiſſimum reſidebat, fuiſſemus ingreſſi, nullum in Fratribus illis intelleximus, qui in ſuperiùs nominatum Decanum clamaret, vel ei in aliquo derogaret. Sed potiùs ei plurimùm ob iſtiuſmodi inceptationem veſtram condolebant, & vnanimes voce concordi commendantes eum, promittebant totum ſcire ſuum, & totum poſſe ſuum, & ſe venturos ad genua veſtræ miſericordiæ ſi opus ſit, & facturos in eius defenſione quicquid bonorum deuotio filiorum habet facere pro defendendo bono patrono ſuo. Probatæ & religioſæ perſonæ orant pro illo nobiſcum, quas ipſe conſueuit fulcire conſilio, & fouere auxilio. Conſeruet vos Deus deſideratum Patrem & Rectorem Eccleſiæ ſuæ & toti mundo diu ſuperſtitem. Pro vobis, Pater, oramus, & in Capitulis & in Conuentibus orari facimus.

LVDOVICVS VII. IVNIOR.

EPISTOLA XX.

A

LVCIO *Dei electione ſummo Pontificum, reuerentiſſimo Patri ſuo, & omnium, & Domino,* VLGERIVS *dictus Andegau. Epiſcopus, ſeruus ſanctitatis, deuotam ſubiectionem & officioſam obedientiam.* DOMNVS Rotbertus venerabilis Prior Sancti Coſmæ Turonenſis, vir quidem magnæ religionis, ad ianuam veſtræ miſericordiæ pro negociis & neceſſitatibus pauperis Eccleſiæ, cui auctore Deo præſidet, & pro qua plurimùm laborauit, proficiſci deliberauit. Vndè nos confiſi de veſtræ miſericordiæ conſuetudine, pedibus veſtræ Maieſtatis ſupplicare rogando præſumimus: quatenus eum, cùm ad veſtra genua venerit, benignè ſuſcipiatis, & in petitionibus ſuis, quas dignas auditu ante clementiam veſtram fuderit, efficaciter exaudiatis, & à ſerenitate vultus veſtri lætum ad propria eum remittatis. Quantò citiùs potero dirigam ad veſtram paternitatem Peloquinum Clericum & ſeruum veſtrum, Officialem meum, cum interſignis ſeruitutis meæ: qui vice mei deſideratos veſtros vultus videndo, & optatam veſtram ſoſpitatem mihi nunciando, deſiderium meum impleat. Quandoquidem impediente infirmitate mea & ſenectute, ad vos, cariſſime Domine, venire non ſufficio. Conſeruet vos pietas Chriſti diu ſuperſtitem ſuper terram, piiſſimum Patrem Eccleſiæ ſuæ. Valete.

EPISTOLA XXI.

B

VLGERIVS *Andegauis indignè dictus Epiſcopus, Archipresbyteris, Archidiaconis, Prioribus, Presbyteris, & omni Clero in Andegauenſi Epiſcopatu conſtitutis, vitam quæ finem beatitudinis neſcit.* MANDAMVS vobis atque rogamus, & ſupplicamus, quatinus hos Fratres noſtros, cùm ad vos venerint, benignè & affectuosè ſuſcipiatis, & Eccleſias veſtras ad prædicandum eis exponatis, & corda veſtrorum parrochianorum ad impendendas eis eleemoſynas ſuas largiſſimè inclinetis. Iſti enim ſunt nuncij, & officiales, & commilitones militantium Chriſto in ſacroſancto Templo Domini Hieruſalem: quorum militia ſine dubio vera eſt, & Deo gratiſſima. Quæ abiectis ſecularibus deſideriis, videlicet gaudiis nuptiarum, & omnimoda voluptate, & expers proprietatis, profeſſa arduam Religionem, vt æternam conſequatur beatitudinem, contra hoſtes Dei, qui ſanctam ciuitatem Hieruſalem, & alias Orientales perſequuntur, pugnare elegerunt: nec dubitant dare animas, & fundere ſanguinem, dum deleant & exterminent gentiles impios à ſanctiſſimis locis, quos Dominus elegit natiuitati, & paſſioni ſuæ, & conuerſationi. Nos verò cupientes participes eſſe eorum beatitudinis & ſortis, concedimus, vt ſi Eccleſiæ ſint interdictæ, ad quas illi tendent, in aduentu eorum ſemel in anno, vno die ad honorem Dei & eorum ſolemniter pulſatis ſignis celebretur diuinum Officium in ipſis, admiſſis omnibus parrochianis: exceptis excommunicatis. & ſi qui ſint Fratres eorum, qui ſignum, vel habitum, aut vitam eorum habeant, ea vice, ſi mortui ſint, ſepeliantur. Hos diligit & amplectitur Papa Romanus & tota Romana Eccleſia, & omnes qui Deum amant. Omnibus verò, qui ſua beneficia eis porrexerint, quintam partem pœnitentiæ peccatorum, quæ confeſſi fuerint, relaxamus. Valete. C

GESTORVM DEI PER FRANCOS SCRIPTORES QVATVOR;

QVORVM DVO IAM EDITIS AVCTIORES,
alij nunc primùm in lucem prodeunt.

GENEALOGIA REGIS QVI VOCATVS EST KAROLVS MAGNVS.

De cuius proſapia orti ſunt GODEFRIDVS & BALDVINVS Reges Hieroſolymæ.

Ex veteri Codice MS. Cœnobij S. Quintini de Monte, ad calcem Hiſtoriæ Hieroſolymitanæ Fulcherij Carnotenſis.

KAROLVS Rex vnctus eſt in Imperatorem in Eccleſia beati Petri, die Natalis Domini. Qui Carolus genuit Ludouicum Auguſtum. LVDOVICVS genuit Lotharium, Pipinum, & Ludouicum ex Ermengarde, & Karolum Caluum ex Iudith. KAROLVS CALVVS genuit Ludouicum, quî nihil fecit, quia tantùm IV. * annis vixit. LVDOVICVS filius Ludouici * genuit Karolum Simplicem, & Karlemannum. KAROLVS verò SIMPLEX ab Heriberto captus eſt. Qui Karolus ex Ogiua genuit Ludouicum. LVDOVICVS genuit Lotharium Regem, & Karolum Ducem ex Gerberga. LOTHARIVS Rex genuit Ludouicum iuuenem, & KAROLVS Dux frater Lotharij Regis genuit Ermengardem & Gerbergam. ERMENGARDIS genuit Albertum Comitem de Namuco. Et ALBERTVS genuit Albertum, & fratrem eius Henricum Comitem de Durboio. GERBERGA verò ſoror Ermengardis genuit Henricum Seniorem Comitem de Bruſſella. HENRICVS Senior genuit Lambertum Comitem, & Henricum fratrem eius, & Maltildem ſororem eius. Hanc MALTILDEM duxit vxorem Comes Euſtachius de Bolonia, & genuit ex ea duos filios: Euſtachium, & Lambertum. EVSTACHIVS verò accepit vxorem filiam Godefridi Ducis, Idam nomine, nobilem genere & moribus: & genuit ex ea tres filios, Euſtachium Comitem Boloniæ, & GODEFRIDVM & BALDVINVM Reges Hieroſolymæ.

* leg. II. annis rexit.
* Karoli

A

AD
PETRI TVDEBODI
SACERDOTIS SIVRACENSIS
HISTORIAM
DE HIEROSOLYMITANO ITINERE,
IOANNIS BESLY PICTONIS PRÆFATIO.

IACOBVS BONGARSIVS *de Literis benè meritus, ingens Volu-*
men Auctorum Orientalis Hiſtoriæ vt Hanouia anno MDCXI. *edere-*
B *tur, curauit. Horum primum, qui ſine nomine agmen ducit, ex ſtylo &*
in Buamundum affectu, Italum exiſtimauit: quod vtrum verum ſit nec-
ne, ego nolim acrius aut pugnatius in dubium vocare. Vnum hoc auda-
cter affirmauerim, iſtum ſuum Anonymum ex PETRI TVDEBODI
Pictonis Hiſtoria, quam inſcripſit DE HIEROSOLYMITANO ITINERE, *ferè*
omnia deſumpſiſſe. Cuius vt exantlatos labores, & famam qualem qualem ſibi clanculum
arrogaret, eius nomen plagiarius expunxit: & genuini Scriptoris dignoſcendi notas, fre-
quentes & indubitatas, ex Opere toto euulſit, crimine legibus vindicando. Quædam tamen
aliundè petita, mihi quidem non ingrata, raro ſcriptis interſeruit. Sed plura quæ ſcire con-
ducat, & in domno ſit ignorare, temere truncauit & reſecit ſine iudicio. Quamplurima de-
nique aut in ſequiorem formam aut non meliorem commutauit: & ſi dicendi facultas ei tan-
ta fuiſſet quantam ſibi præſumpſit, potuiſſet, putidus Magiſter, edocere Tudebodum Latinè
loqui. Quicumque ille fuit, Fortunæ debet ludibrium, qui dum alteri nomen eripere conatur,
ipſe, non ille, ſuum amiſit. Meliori fide Robertus Monachus, Baldricus Dolenſis Archiepiſco-
pus, & Guibertus Abbas, omnes coætanei, ſe Interpretes alienæ Hiſtoriæ candidè profeſſi,
plerumque fuſiori ſtylo, laxis habenis, quandoque verbum verbo, ſemper cum cura quantum
poſſunt, iſtum illum Anonymum reddunt. Ipſi etiam alia Hiſtoriæ ſtudioſis non pœnitenda,
quæ ab his qui Hieroſolymitanæ expeditioni interfuerunt, didicerant, ſuis Libris permixta
poſteritati prodiderunt. Noſter de ſeipſo, de nomine, familia, patria, profeſſione, Libris, Li-
brorumque inſcriptione, de ætate quo vixit & ſcripſit, nos monitos voluit, veterum ſolemni
C *more. Cùm exercitus Chriſtianorum per Hieroſolymorum obſidionem, menſe Iulio, anno*
MXCIX. ſiti & tempore anni feruentiſſimo, & cœlo æſtuanti, & ſolo torrido labo-
raret *(quæ verba ſunt Aemily)* obſecrationes habitæ, ſacra loca ſuburbana nudatis
pedibus reuerentiſſimè ſupplicum habitu peragrara, *ad hæc Tudebodus addit quæ po-*
nam ex lib. v. Quo loco *(ad montem Sionis)* cupiens intrare Eccleſiam, quidam Cle-
ricus prior in proceſſione veniebat. Ad oſtium ipſius Monaſterij cum quadam ſa-
gitta in media fronte vulneratus eſt, atq; defunctus eſt. Credendus eſt qui primus
ſcripſit, quia in proceſſione fuit, & oculis carnalibus vidit, ſcilicet PETRVS Sacer-
dos TVDEBODVS SIVRACENSIS. *Nomen ſuum & Patriam indicat ſuam, anxia verbo-*
rum iunctura. Nam ſi, Siuracenſis Sacerdos, connecterentur, ambiguus ſermo nos ancipites
torqueret, & fortaſſè induceret in errorem. Siuracum autem non obſcuræ notæ eſt oppidum in
Pictonum agro ſitum, hodie Præturæ Regiæ ſedes, vna è quatuor maioribus quibus ampliſſi-
ma & florentiſſima regio inſignitur. Seneſcalias vocant. Tunc temporis ſub ditione HVGO-
NIS LIZINIACENSIS *ab inuicto animi robore cognomine Diaboli erat. Meminit Auctor*
Rainaldi eiuſdem Hugonis militiæ Magiſtri, quem Dapiferum appellat. Is, cùm noſtri IV. *Id.*
Iunias, quinto ab Aduentu die, anno MXCIX. *Hieroſolymam eſſent aggreſſi, & antemura-*
libus effractis, ad interiora occupanda ſcalas admouiſſent, ipſe Rainaldus inter acriores qui
muros conſcenderant, ab incluſis caſus, non inulta morte, ibi periit. Nam etſi Guillielmus
VIII. Pictauus Comes & Dux Aquitanorum, bello ſacro per ſe nondum militaret, turmas

tamen ſub ſignis armatas, neque paucas neque exiguas, Princeps potentiſſimus ſubmiſerat. A
Quarto Kal. Iulias anno præcedenti, pugnatum eſt ad Antiochiam contra Corbonam, & equitum ducenta millia, peditúmque numerum innumerum. Exercitus cunctus Chriſtianorum in ſex acies tributus: Pictones eo die GASTONI BENEARNII Vicecomiti, Ducis clienti, qui cum Tancredo aciem quintam rexit, parebant. Tudebodus ipſe Picto Pictonum ſuorum, qui ad immortalem de Barbaris fuſis fugatis trucidatis victoriam deportandam, animum, vires, ſanguinem ſubminiſtrarant, gloria fauens, patriaque amore flagrans, ad vnus Literis conſignauit: Anonymus, ceteri omnes quorum non intererat commemoraſſe, ſilentio tranſmiſere. Quando Hieroſolymorum iter ſit ingreſſus, oſtendit nuſquam; & in Hiſtoria diuinare, illicitum eſt. Conicio tamen Hugoni Magno ab initio ſe dediſſe comitem. Sed poſtquam Magnus apud Dyrachium, quo ſe cum Guillielmo Marchiſi ex ſorore Buamundi filio, intempeſtiuè tranſiecerat, per inſidias interceptus, ad Alexium Imp. in vinculis, miſſus eſt: Noſtrum Buamundo, qui nondum ex Apulia copias deduxerat, tunc adhæſiſſe, & cum illo Conſtantinopolim iuiſſe, eóque perueniſſe XVI. Kal. April. anno MXCVII. aut verbis Alberti Aquenſis, cùm iam Paſcha tribus ſeptimanis euolutis proceſſiſſet. Illius enim omni Paſcha inciderat in a. d. Non. April. Scribit Pontifex Tyrius Buamundum Alexio occurriſſe quinta feria ante Paſchalem ſolemnitatem, paulò ſeriùs, hoc eſt ad diem IV. Non. eiuſdem menſis. De ſe in Hiſtoria TVDEBODVS dat intelligi tantùm ex a. d. V. Kalend. Martias eiuſdem anni. Qua tempeſtate Tancredus & Ruſcilionenſis Comes Alexij inſidiantes turmas, qua eos imparatos, &, ne in pacato, ab hoſtibus ſecuros, ex improuiſo erant ad- B
ortæ, ad fluuium Bardarum in Illyrico cruenta clade affectas, fudere. Hoc bellum, inquit, factum eſt in quarta feria, quod eſt Caput Ieiunij. His ita tranſactis, Imperator nequiſſimus præcepit cuidam ſuo fideliſſimo, nomine Corpolatio, vt nos ſecurè deduceret per ſuam terram vſque dum veniſſemus Conſtantinopolim. Ita deinceps. Duos habuit fratres, ARVEVM & ARNALDVM, rei militari deditos: quos in ſuos pius tamquam probiſſimos & optimos milites, hoc eſt bellica virtute & moribus præſtantes, commendat, nobili elogio. Origine fuiſſe Francos, ſi aliundè non conſtaret, vel nomina docerent. Arueus, cùm noſtri antea obſeſſores, verſis fatis Antiochiæ obſeſſi eſſent, & in Sarracenos eruptionem magno animo feciſſent, egregiè pugnans occubuit. Petrus frater ei parentauit, & ad D. Petri ante portam, qua ad Occidentem vergit, dedit ſepulturæ. Arnaldum iniqua conditione decertantem hoſtes prope Marram vulneribus confoſſum interemere. Robertus Monachus nequicquam conqueritur, Hiſtoriam anonymi initium ſuum quod in Claromontis Concilio conſtitutum fuit non habuiſſe, & ideò ſe acephalæ materiei caput præpoſuiſſe, glorioſiolus iactat. Tudebodus enim, ex quo Anonymus, ab eodem Concilio Hiſtoriæ principium ſumit, ſed orationem quam ipſe Robertus, aliíque certatim, cum magno & ambitioſo apparatu; Vrbano PP affingunt, noſter & ex eo Anonymus, tribus verbis exſequuntur, quiſque pro arbitratu & captu mentis & ingenij. Narrationem claudit inſigni coronide, victoria nempè illa nobiliſſima, quam Chriſtiani Principes de Ammarauiſo Babylonis XIX. Kalendas Septembreis anno Chriſti nati MXCIX. ad Aſcalonam mirabiliter obtinuêre. Neque Anonymus, neque Robertus, neque Baldricus C
vlterius ſunt progreſſi. Solus Guibertus duorum annorum additamento auctior eſt. Scripſit & finem ſcribendi fecit Duce Godefrido adhuc ſuperſtite, hoc eſt, ante diem XV. Kal. Sextil. anni MC. qua magnus ille Princeps deceſſit. Libro enim I. illi & eius fratri Balduino ſapientiſſimo Chriſti athletæ benè precatur: quos, inquit, Dominus mundi gloria muniat atque cuſtodiat. quod de mortuo nemo ſanæ mentis vnquam dixerit. Hiſtoriam ſuam Libris quinque complexus, illos Anonymus in quatuor contraxit, totidem Baldricus Anonymum interpretatur, Robertus nouem, Guibertus ſeptem, ſed vltimum ad Balduini Regis I. annum ſecundum produxit. Eam inſcripſit DE HIEROSOLYMITANO ITINERE. Quem titulum Baldricus ab Anonymo mutuatus, retinuit, & vtrique reſtituendum cenſeo, ex Baldrici ipſius ad Petrum Abbatem Epiſtola: Libellum, inquit, quem DE HIEROSOLYMITANO ITINERE quoquo modo compoſui, ad caſtigandum tibi tranſmiſi, quem regulari cenſura volo compeſcas, & polias, & Epiſtolam hanc cum ipſo non inremuneratam remittas. Remiſſa eſt Epiſtola, atque ipſiſſima eſt quæ præfixa legitur Baldrici Libris, quorum inſcriptioni idem Abbas Epiſtola ſua remuneratoria videtur alluſiſſe: Librum quoque Hieroſolymitanum, inquit, Hieroſolymitano mihi directum, cum Epiſtola in fronte ipſius appoſita, miráque dulcedine refertæ, remittimus. Camdeni Codex manuſcriptus, quo vſus eſt Bongarſius in Anonymo edendo, præferebat in calce hæc verba: Explicit via bona. Via bona, illic nihil

A *aliud eſt quàm* De Hieroſolymitano Itinere, *pro,* De Bello Hieroſolymitano, *aut,*
De expeditione Hieroſolymitana. *Torquatus Taſſus Poëtarum Italorum ſua ætatis*
Phœnix, opus diuinum illud ſuum mutato conſilio poſtea non Di Geruſalume conquie-
ſtara, *ſed* Di Geruſalume liberata, *inſcriptum maluit. Et noſter alicubi titulo* De Hie-
roſolymitano Itinere, *addit,* & liberatione ciuitatum. Via Dei, *abſolutè more illius*
aut, idem ſignificat. Guibertus lib. II. Terminato itaque Concilio quod Claromo[nte]
habitum, circa B. Martini octauas, Nouembri menſe conſederat, magnus per v[ni-]
uerſas Franciæ partes rumor emanat, de præponenda VIA DEI (ſic enim antono-
maſicè vocabatur) contiguos ſibi ac familiares quoque ſollicitat. *Ceterum Petrus Ab-*
bas, de quo Baldricus, erat Malleacenſis Abbas, non Malleocenſis. quod eſſet erroneum. Gau-
fredus patruus, cui ſucceſſit, ex Monacho Cluſenſi, renuntiatus eſt Abbas Malleacenſis anno
MLXXXIII. *Baldricus verò Burgulium rexit ex anno* MLXXXIX. *Inter vtriuſque Mona-*
ſterij Abbates magna vetuſtas, magna conſuetudo interceſſit. Vtrumque Monaſterium agno-
ſcit fundatores Emmam Campanam & Guillelmum IV. filium, Ducis Aquitanorum. Hæc
ſatis nodo diſſoluendo, qui quoſdam nutabundos vexarat. Interim ad TVDEBODVM *cala-*
mum vertamus. Quam fidem & auctoritatem in his, quæ memoriæ mandauit, mereatur, coæ-
tanei Interpretes meliùs ſuo periculo ſententiam ferant. Robertus, Sciant qui hæc legerint
ſiue audiuerint, quòd nihil friuoli, nihil mendacij, nihil magnum, niſi quod verum
eſt, narrabimus. *Baldricus.* Neſcio quis Compilator nomine ſuppreſſo, libellum ſu-
B per hac re nimis ruſticanum ediderat, ſed veritate texerat. *Guibertus Abbas,* Ea ſanè
quæ ferebantur in libro, contuli crebriùs cum ipſorum qui facta viderant verbo, &
proculdubio expertus ſum, quia neutrum diſcreparet ab altero. *Quæ omnia quidem*
de Anonymo, ſed eodem indicio Tudebodus comprehenſus intelligitur, ex quo tanquam ex
fonte, vt iam dixi, Anonymus omnia hauſit. Ab Anonymo autem omnes illæ ſcaturigines
fluxere. Quamobrem cùm vult ſe credi primum ſcriptorem huiuſce ſacræ expeditionis, in par-
tes ſuas me facilè impellat, quando eo antiquior nullus adhuc repertus eſt qui tale onus hume-
ris ſuis impoſuerit. Suppar tamen & illius temporis æqualis exſtat Raimundus de Agiles,
Raimundi Tholoſanorum Comitis à ſacris, qui, quæ eo bello quoque die à noſtris gererentur,
Aduerſariis videtur excepiſſe. Is & noſter, militia contubernales, fortaſſe Commentarios ſuos
inter ſe communicarunt. Sanè inuicem collati mirè conueniunt, minimúmque diſcrepant, at-
que etiamnum pagellam vnam & alterã eodem tenore propemodum conceptam apud vtrum-
que legere eſt. Vtriuſque quoque monumenta in prœlio Aſcalonico conquieſcunt. Neque pri-
mum fragmentum, vt vocat & putat optimus Bongarſius, debuit dubitare eſſe alterius quàm
Raimundi. ſed mancum eſt & imperfectum. Aliud verò, eſt pars reciſa ex ſuo Anonymo,
ſiue Lib. vlt. Ideo non immeritò quis miretur id non animaduertiſſe, cùm Libros recenſuit.
Sed vir magnus tot negotiis quà publicis quà priuatis occupatus, ſuperſedit notare. Tudebo-
dus & Raimundus cùm tales ſint, digni ſunt, meo iudicio, quibus fides præ aliis de his rebus
adhibeatur. Fulcherium Carnotenſem non moror. Nam Roberti Normannorum Ducis, &
Stephani Carnutum Comitis militares copiæ, in quibus Fulcherius, cùm pridie Id. May Dux
C *Godefridus, Hugo Magnus, alij Proceres, Nicæam obſidione cinxiſſent, poſtrema tandem in*
hebdomada Iunij prima (quod ipſe fatetur) ceteris ſe coniunxerunt, anno MXCVII. *Tertio*
Nonas Quintileis dedita eſt Nicæa: XII. *Kal. Nouemb. peruentum Antiochiam. Aliquot*
dies antè Fulcherius à caſtris iam receſſerat, & Balduino Bolonienſi addictus comes, ſecum
Eufratem verſus, indè Edeſſam profectus, harum partium factus incola, ibi manſit, donec
Duce Godefrido diem ſuum obeunte, Balduinus frater in defuncti locum ſuffectus eſt. Interea
Fulcherius voti gratia exſoluendi, Hieroſolyma ſemel ſe contulit, Idib. Decemb. aut ſcho-
laſticis ſuis verbis, die illo quo Sol retrogradus, deſcenſu hiemali peracto, recurſum
reſumpſit aſcenſibilem, *aut vt exhibet Guillelmus Malmesburienſis,* ſolſtitij brumalis
die *anno* MXCIX. Sed die ſecunda *anni ſequentis* MC. iter remeabile cœpit. *Quare*
quæ à noſtris geſta ſunt per illud interuallum quo abſens fuit, ob auditu tantùm & ieiunè tra-
dit. Noſter autem, vt ſemel ſacræ peregrinationis itineri ſe accinxit, infracta mente tenuit,
nec aliò flexit, tot bellorum, tot præclarorum facinorum oculatus, vt plurimum, teſtis. Nemi-
nem veterum aut recentiorum præter Anonymum Bongarſianum legi, cui Tudebodus notus
aut lectus, qui ciset, aut ex illius dape auctiorem & inſtructiorem cœnam ſuam faciat. Otto
tamen Epiſcopus Friſingenſis & Chunradus Vrſpergenſis Abbas, dubitationem inijcere
aurant, ex his quæ de hoc bello commentantur initio Henrici IV. Imp. Chunradus enim ait
ſe legiſſe Hieroſolymæ Libellum à loco præſenti (*cùm Dux Godefridus, & alij Proce-*
res Conſtantinopolitanas attigiſſent arces) totam huius Hiſtoriæ ſeriem diligentiſſimè

proſequentem, plurimóſque populi Dei labores in captæ Hieruſalem lætiſſima vi- A
ctoria concludentem. Quapropter ſe hinc iam pauca de pluribus allaturum. *Noſter quoque Hiſtoriam finit his verbis;* Hæc de Hieroſolymitano itinere in tribus annis, & liberatione ciuitatum dicta ſufficiant. *Certè ad liberationem Hieroſolymorum explendam, Aſcalonica victoria plurimùm erat neceſſaria. Qua parta, plenè & perfectè ſancta ciuitate excuſſo prorſus impiorum iugo, tum demùm Chriſtiano imperio mancipata & confirmata potuit verè cenſeri. De qua Chunradus etiam ex eodem libello. Baldricus ſimiliter Anonymi Libros & ſuos quatuor, alio nomine non dignatur quàm Libelli. Deinde etſi Tudebodus incipiat à Concilio Claromontano, nihilominus Hiſtoriæ ſuæ annos pneat tantùm ab eo tempore quando Principes Chriſtiani Conſtantinopolim peruenere, & Boſporo transmeato in Aſiam traiecere, hoc eſt ab anno* MXCVII. *iam inchoato. Temporis autem quod in apparatu armorum expediendo conſumptum eſt, rationem non habet. Friſingenſis nihil quicquam de Libello, ab eodem tamen fonte eadem cum Chunrado: & quacunque comprehendit Chronicis vſque ad annum* MCVI. *ex libris eorum qui antè ſcripſerant ſe mutuo accepiſſe profitetur. In contrarium vrget magis eiuſdem Chunradi locus*, Vbi per duorum ferè menſium nouitios in dies ſuſcepere exercitus Bizãtium, è quibus tandem abſq; vulgi paruulorum ac mulierum incredibili multitudine, recenſiti ſunt CCC. millia pugnatorum. *Otto expreſſit lib.* VII. *quem rurſus Paulus Aemilius lib.* XV. *De loco videntur diſſentire. Chunradus Bizantium aſſignat, Chalcedonem Aemilius. Vtrum magis placet, neutrum concedam. Enimuerò apud Tudebodũ, aut Anonymum, nihil ſimile inuenias, neq; à properantibus libra-* B
riis per incuriã prætermiſſum poſſis ſuſpicari, cùm Robertus, & Anonymi Interpretes, & Raimundus, & Fulcherius, & Tyrenſis Archiepiſcopus, veteres omnes denique, de hoc ſileant. Factum certè ex diſciplina par eſt, nec aliter putandum, ſed non ibi vna vice de omnibus, quod Hiſtoria non patitur. Fulcherius, Non omnes in vnum exercitus congregati fuerunt, donec ad Nicæam peruenimus. *Potius ſit ergo Chunradum & Ottonem, alios Auctores præ oculis habuiſſe quos ſequerentur. Atque ipſi plura afferunt ex Epiſtola Godefridi Ducis à Roberto Comite (puto, Flandrienſe) ad Paſcalem PP. allata, quam Sigebertus Auctor coætaneus ad annum* MXCVII. XCVIII. *&* XCIX. *exſcripſit, & Dodechinus Abbas ſub anno* MC. *integram poſuit. Fieri poteſt eos numerum incertum, quem in eadem Epiſtola inuenerunt, pro certo habuiſſe. Epiſtola*, Quum capta Nicæa cunctus exercitus indè diſceſſerat, plus quàm CCC. millia armatorum ibi fuerunt. *Sed & Vrbanus II. PP. in quadam Epiſtola ad Alexium Conſtantinop. Imp.* Tanta hominum multitudo, *inquit*, cruce ſignata eſt, vt ad CCC. hominum millia cenſa fuerint. *Quicquid ſit, Auctor illius Libelli impoſuit Ottoni & Chunrado. Vir incomparabilis Nicolaus Vignerius viderat Anonymum priuſquam Bongarſius eum compedibus ſolutum aſſeruiſſet in libertatem. Nam ter citat, & illud de Francorum bellica virtute celeberrimum emblema, quod ex MS. adducit lib.* III. *Bibliotheca, ad annum* MXCVII. *hodie habetur in Edito Bongarſiano lib.* III. *deſumptum ex Tudebodo lib.* II. *oſcitanter neglectum à Roberto, celebratum Guiberto lib.* III. *& Baldrico lib.* II. *ex quo Ordericus lib.* IX. *Tudebodus, & eius Interpretes quatuor, Tyrenſi incogniti fuere, qui duos, Raymundum de Agiles & Albertum Aquenſem, ſibi propoſuerat* C
in hoc itinere duces. Aemilius Tyrenſem & Balduinum æmulatur. Id negabit nemo cui voluntas & otium erit eoſdem omnes inter ſe comparare. Tudebodi ſermo ſolæciſmis vndique ſcatet, eſtque omnis ruſticanus quo antè quingentos & quinquaginta annos vulgo, qui Romanè loqui ſe putabant, vtebantur: hoc ſolùm Latinus, quatenus terminationes verborum & flexiones, neſcio quo quamuis aſpero & rudi, Latinitatis ſono aures noſtras radunt, & verberant: quem facilè præterire & euaneſcere patiamur, modò res delectationi & vtilitati in omne tempus non parum profutura, pondere & ſoliditate ſua hæreant menti & incumbant, eáſque mira factorum euentuúmque varietate & veritate alliciant & perfundant. Nos etiam in puerulis noſtris cum primùm diſcunt fari, veritatem balbutientem quærimus & amamus. Codex membraneus ex quo deſcripſi, antiquiſſimus eſt, & vnicus in Europa noſtra, vt exiſtimo. Eum mihi dono dedit ὁ μακαρίτης Pilingenius Baro Creſſonerius, è nobilitate Pictonica vir nobiliſſimus, & rebus geſtis clariſſimus, mihique, dum fata ſinebant, amiciſſimus. Rurſus ego Antigraphum, vt publici iuris faceret, conceſſi Andreæ Ducheſnio, Regio Geographo, mihi multis nominibus perchaxo, cui Reſpublica magna iam debet, & olim maiora debitura erit, cùm quæ molitur, & quæ adfecta exire deſiderant, dias in luminis auras emiſerit. Cetera te docebunt ad Tudebodum Collectanea.

A

PETRI TVDEBODI
SACERDOTIS SIVRACENSIS
HISTORIA
DE HIEROSOLYMITANO ITINERE.

B *Ex Codice membraneo V. Cl. Ioannis Beſly Pictonis, in Pratura Fontiniaci Comitalis Conſiliarij, & Regij Patroni.*

INCIPIT LIBER PRIMVS.

CVM iam appropinquaſſet ille terminus, quem Dominus quotidie ſuis demonſtrat fidelibus, ſpecialiter in Euangelio dicens: *Si quis vult poſt me venire, abneget ſemetipſum, & tollat crucem ſuam, & ſequatur me*, facta eſt motio in vniuerſis Gallorum Nationibus: vt ſi aliquis Dominum ſtudioſè puróque corde deſideraſſet, atque poſt ipſum crucem fideliter baiulare voluiſſet, non dubitaſſet ſancti Sepulchri viam celeriùs accipere. Apoſtolicus enim Romanæ Sedis quantociùs intra montaneas partes profectus eſt, cum ſuis Archiepiſcopis, Epiſcopis, & Presbyteris; cœpitque ſubtiliter ſermocinari, & prædicare, dicens: Vt ſi quis animam ſuam ſaluam facere voluiſſet, non dubitaſſet viam Domini accipere; ac ſi denariorum ei deeſſet copia, diuina ſatis ei daret miſericordia. Ait quippe domnus Apoſtolicus VRBANVS: Fratres, oportet nos «
multa pati pro nomine Chriſti, videlicet miſerias paupertatum, perſecutionum, «
C egeſtatum, infirmitatum, nuditatis, famis, & ſitis, & alias huiuſmodi: ſicut iſdem «
Dominus ſuis ait, dicens: *Oportet vos pati pro nomine meo.* &c, *Nolite erubeſcere lo-* «
qui ante facies hominum: ego verò dabo vobis os & ſapientiam, ac deinceps ſubſeque- «
tur vos larga retributio. Cúmque iam hic ſermo paulatim per vniuerſas regiones «
ac Gallorum prouincias cœpiſſet crebreſcere, FRANCI audientes talia eloquia, protinus in dextera fecere cruces ſuere ſcapula, dicentes ſe vnanimiter Chriſti ſequi veſtigia, quibus de manu erant redempti tartarea.

IAM iámque Galli ex ſuis remoti ſunt domibus. Fecerunt denique Galli tres partes. Vna pars in Vngriæ intrauit regionem: ſcilicet Petrus Heremita, & Dux GODEFRIDVS, & ſapiens Chriſti athleta BAVDOINVS frater eius; quos Dominus mundi gloriâ muniat, atque cuſtodiat. Iſti prudentiſſimi milites, & alij plures, quos ignoro, & ductore careo, venerunt per viam, quam iamdudum CAROLVS MAGNVS mirificus Rex Franciæ aptari fecit vſque Conſtantinopolim. Petrus verò Heremita primus Conſtantinopolim venit III. Kal. Auguſti, & cum eo maxima multitudo Alemannorum. Illicque inuenit Italicos, & Longobardos, & alios quamplures congregatos, quibus Imperator iuſſerat dari mercatum; ſicuti fuerat in ciuitate. dixítque illis: Nolite tranſmeare Brachium, donec veniat ma- «
xima Chriſtianorum virtus: quia vos tanti non eſtis, quòd cum Turcis præliari va- «
leatis. Ipſi verò Chriſtiani nequiter ſe in omnibus habebant. Nam Palatia ciui-

tatis deſtruebant & ardebant, & auferebant plumbum, vnde Eccleſiæ erant coopertæ, & vendebant Græcis. Quapropter Imperator Alexius nimis iratus, iuſſit illos transmeare Brachium. Poſtquam verò transfretauerunt, non ceſſabant agere omnia mala. Nam ardebant & deuaſtabant domos & Eccleſias. Tandem peruenerunt Nicomiam. illic diuiſi ſunt Lombardi & Longobardi, & Alamanni à Francis, quia Franci pleni erant inuidiâ & tumida ſuperbiâ. Elegerúntque Seniorem nomine RAINALDVM, & intrauerunt Romaniam: & per quatuor dies ierunt vltra Nicenam ciuitatem, & inuenerunt quoddam caſtrum *Exerogorgo*, quod vacuum erat gente. Et apprehenderunt illud, in quo inuenerunt frumentum abundanter, & vinum, & carnes, & omnia bona. Audientes itaque Turci, quòd Chriſtiani eſſent in caſtro, venerunt continuò obſidere illud. Ante portam quidem caſtri erat puteus, & ad pedem caſtri erat fons viuus, iuxta quem exiit Rainaudus excubare propter Turcos. Venientes itaque Turci in die dedicationis S. Michaëlis, inuenerunt Rainaldum, & alios omnes qui cum eo erant, & occiderunt multos ex eis. Alij verò qui remanſerunt fugerunt in caſtrum, quod Turci obſederunt continuò, eiſque aquam abſtulerunt. Fuerunt itaque noſtri in tanta afflictione ſitis, quòd fleboromare facerent ſuos equos & aſinos, quorum ſanguinem bibebant. & alia quamplurima terribilia propter penuriam aquæ perpetrarunt. Alij verò mittebant eineidas in piſcinam, & poſtea dimittebant in os ſuum. Alij quippe mingebant in pugillo alterius, & ſic bibebant. Alij autem fodiebant humidam terram, & ſupini iactabant ſe, & mittebant eam ſuper eorum pectora aut corpora pro nimia ariditate ſitis. Epiſcopi autem & Preſbyteri, qui illic aderant, commonebant eos dicentes: Eſtote fortes, dilectiſſimi, in fide Chriſti, & nolite timere eos qui vos perſequuntur. Nam Dominus dixit, *Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam autem non poſſunt occidere.* Hæc perſecutio fuit diebus octo. Interea Dominus Alamannorum conſiliatus eſt cum Turcis, qualiter traderet alios omnes. Et fingens ſe exire ad bellum, fugiit ad illos cum multis. Illi autem, qui Dominum negare noluerunt, capitalem ſententiam ſuſceperunt. Alios apprehenderunt Turci, & diuiſerunt inter ſe ſicut qualibet animalia. Alios miſerunt ad ſignum, & ſagittabant eos: alios vendebant & donabant, prout illis erat voluntas. Vnuſquiſque deducebat ſuos vbi ipſi manebant, alij in Coroſanum, alij in Antiochiam, alij Aleph. Iſti primi acceperunt feliciter martyrium. Poſthæc audientes Turci, quòd Petrus Heremita & Gauterius fuiſſent in Ciuitoth, quod eſt ſupra Nicenam ciuitatem, concurrerunt illuc cum magno gaudio, trucidare eos cupientes. Et cùm inueniſſent Gauterium cum ſuis militibus, omnes confeſtim occiderunt. Petrus autem Heremita paulò antè venerat Conſtantinopolim, eò quòd nequiret retinere indomitæ gentis veſaniam. qui nec in modico obtemperare volebant ſaluberrimis monitis ipſius. Igitur Turci irruentes ſuper eos, multos occiderunt, alios dormientes, alios iacentes, alios nudos: necnon & Preſbyteros Miſſas celebrantes ſuper altaria martyriſauerunt. Illi qui potuerunt euadere, fugerunt Ciuitoth, alij miſerunt ſe in mare, alij in ſiluas, alij in montana. Turci namque perſequentes eos in caſtrum, adunauerunt ligna, vt eos arderent cum caſtro. Chriſtiani igitur, qui in caſtello erant, ſubmiſerunt ignem in lignis adunatis. & ex Dei voluntate reuerſus eſt ignis ad Turcos, & iccirco eos reliquerunt. Igitur Turci diuidentes illos, quos apprehenderant viuos, diſtraxerunt quoſdam Coroſanam, alios in Perſidam, & alios per diuerſas prouincias. Hoc totum factum eſt in menſe Octobrio. Audiens hoc Imperator, quòd Turci ita diſſipaſſent noſtros, lætus & gauiſus fuit, fecitque eos remeare trans Brachium. Poſt hæc comparauit omnia arma eorum. Hæc omnia ita geſta ſunt.

SECVNDA verò pars intrauit partes Sclauiniæ, ſcilicet RAIMVNDVS Sancti Egidij Comes, & cum eo honorabilis Podienſis Epiſcopus. Tertia autem pars per antiquam Romam venit. In iſta parte præerant Flandrenſis Comes, & ROTBERTVS Normannus, & HVGO MAGNVS, & alij plures. Hi omnes applicuerunt ad portum Brunduſium, & Barum, atque Tarentum. Mox Hugo Magnus, & Guillelmus Marchiſi filius, mittentes ſe in mare porto Barum, transfretauerunt Durachim. Quod audiens Dux ciuitatis, illos videlicet applicatos, continuò iniqua cogitatione ſuccenſus iuſſit illos apprehendi, & Conſtantinopolim ante Imperatorem deduci, vt ei fidelitatem facerent. Dux itaque GODEFRIDVS

A eùm ſuo exercitu Conſtantinopolim adueniens pridie Natale Domini, hoſpitatus eſt iuxta ciuitatem: fuitque ibi, donec Imperator iuſſit eum in burgo recipi. Cúmque receptus fuiſſet, eligebat ſecurè ex ſuis quos per ſingulos dies tranſmittebat foras, vt aſportarent paleas, & alia neceſſaria. Sed perfidus Imperator ſuis Turcopolis & Pincinnatis ſubdolè imperabat eos inuadere & occidere. Quod animaduertens BAVDOINVS frater Ducis, mox ſagaciter cœpit perquirere, an fortè illos vtcumque inuenire potuiſſet. Tandem gentem ſuam eos deuaſtantes reperiens, animoſitate inuaſit, & Deo adiuuante ſuperauit. Et apprehendens ex eis ſexaginta, alios interfecit, alios ante Ducis conſpectum deduxit. Quod audiens Imperator, triſtis nimis effectus eſt. Dux autem ſentiens Imperatoris ſtomachationem, iuſſit ſuos commilitones de burgo exire, & extra ciuitatem ſicut prius caſtra ponere. Imperator verò ſero ſuperueniente miſſo exercitu fecit inuadere Ducem, plebémque ſanctam. Quos perſequens inuictus Dux cum Chriſtianis militibus, occidit ſeptem ex illis, perſequendo alios vſque ad portam ciuitatis. Dehinc reuerſus ad tentoria, manſit inibi per quinque dies. Poſt hæc transfretauit Dux Brachium Sancti Georgij cum omni exercitu, fœderatus priùs cum Imperatore: tali videlicet pacto, vt omnia quæ ſibi neceſſaria forent multò viliori precio exercitui venundarentur, quàm priùs in ciuitate emebantur. Inſuper etiam promiſit Imperator, omnibus aduentantibus pauperibus alimonia erogare, vnde viuere abundanter potuiſſent.
B

Quomodo BOAMVNDVS *crucem accepit.*

INTEREA BOAMVNDVS, qui erat in obſidione Malphi, ſcilicet Caphardi pontis, audiens veniſſe innumerabilem gentem FRANCORVM, quatinus viam ſancti Sepulchri de manu eriperet peſſimorum paganorum, vt vlteriùs fuiſſet liberata, & Chriſtianis omnibus vndique ſtaret patefacta, continuò cœpit ſapientiſſimè & diligenter inquirere, quæ arma pugnandi hæc gens defert, & quam oſtenſionem Chriſti portat in via, vel quod ſignum in certamine ſonat. Cui per ordinem dicta ſunt omnia. Deferunt arma itaque iugiter ad bellum congruentia: in dextra vel inter vtraſque ſcapulas crucem Chriſti baiulant. Sonum verò DEVS HOC VVLT, DEVS HOC VVLT, DEVS HOC VVLT, ſimul vna voce conclamant. Mox ſancto Spiritu commotus, iuſſit quoddam precioſiſſimum pallium, quod apud ſe habebat, deferri, idque incidi præcepit, quod & in cruces totum expenſum. Cœpit namque ad eum concurrere maxima pars militum, qui erant in obſidione illa: ita vt Comes ROGERIVS penè ſolus remanens, reuerſúſque Siciliam, doleret ſe gentem amiſiſſe ſuam. Reuerſus itaque BOAMVNDVS in terram ſuam iterum. Diligenter enim vndique honeſtauit ſeſe ad incipiendum ſancti Sepulchri iter. Tandem transfretauit mare cum ſuo
C exercitu, & cum eo prudentiſſimus TANCREDVS Marchiſi filius, & cum eo alij plures. Omnes transfretauerunt, & applicuerunt in Bugariæ partes. Ibi inuenerunt abundantiam frumenti, & vini, & alimenti corporis. Deindè deſcendentes in vallem de Andronopoli, illicque applicantes, expectauerunt gentem ſuam, donec omnes transfretati æqualiter fierent. Tunc exientes indè, venerunt per nimiam plenitudinem, & de villa in villam, de caſtro in caſtrum, quouſque perueniunt in Caſtoriam, ibíque Natiuitatem Domini ſolemniter celebrarunt. Egreſſi itaque de Caſtoria, intrauerunt in Palagoniam, in qua erat quoddam Hæreticorum caſtrum. Illi verò vndique adgredientes illud vnà cum habitatoribus in lacum, vbi ædificatum fuerat, quod continuò in noſtro ſubdunt imperio. Accenſo itaque igne combuſſerunt caſtrum illud vnà cum habitatoribus ſuis, ſcilicet Hæreticorum congregatione. Poſtea enim peruenerunt ad flumen Bardarum. Perrexit itaque Boamundus cum vna parte gentis ſuæ. Alia pars remanſit ſimul cum Comite de Ruſſinolo, & cum fratre ſuo Epiſcopo. Veniens namque exercitus execrati Imperatoris, inuaſit Comitem cum fratre ſuo, & alios omnes. Audiens itaque Tancredus prudentiſſimus miles, proiectus in flumen natando peruenit ad illos. Duo millia militum miſerunt ſe in flumine, ſequendo Tancredum. Nouiſſimè inuenerunt Turcopolos & Pincinnatos dimicantes ſimul cum noſtris, quos repentè fortiter inuaſerunt, & prudenter eos ſuperauerunt. Et apprehen-

derunt plures ex eis, & duxerunt eos ligatos ante Boamundi præſentiam. Quos A
» alloquens Boamundus, dixit: Quare miſeri occiditis gentem Chriſti mihi ſubdi-
» tam? Ego enim cum veſtro Imperatore altercationem habeo nullam. Qui dixe-
» runt: Noſtri Imperatoris iuſſis obtemperantes, nos quicquid ab illo imperatum fuerit adimplere feſtinamus. Hos Boamundus abſque vlla impunitione permiſit abire. Hoc bellum factum eſt in quarta feria, quod eſt Caput Ieiunij. Per omnia ſit benedictus Deus, amen.* His itaque tranſactis, Imperator nequiſſimus præcepit cuidam ſuo fideliſſimo Corpolaſio, vt nos ſecurè deduceret per terram ſuam, vſque dum veniſſemus Conſtantinopolim. Venientibus autem nobis ante ciuitates eorum, imperabat ciuibus, vt nobis ſecurè apportarent mercatum. quod & ipſi faciebant. Tamen in tantum timebant Boamundi gentem, vt non ſinerent aliqua occaſione infra ciuitatem ingredi. Denique ſic peruenerunt ad Ruſiam ciuitatem, illicque hoſpitati ſunt. Tunc Boamundus dimiſit gentem ſuam, perrexitque loqui cum Imperatore: præcipiens ſuo comitatui, vt ipſum appropinquantes ciuitati inſequerentur. Qui duxit ſecum paucos milites. Poſtquàm verò Imperator cognouit Boamundum ad ſe venire, iuſſit eum recipi, & venerabiliter hoſpitari in ciuitatem. Cùmque taliter receptus fuiſſet, mandauit Imperatori quatinus inſimul colloquerentur. Tunc concordauerunt ſe ambo. Nam Imperator permiſit Boamundo quindecim dietas terræ in longitudinem Romaniæ, & octo in latitudinem. B

* In edit. hic explicit Liber 1.

EXPLICIT LIBER I.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

RAIMVNDVS itaque Comes Sancti Egidij ſimul cum Podienſi Epiſcopo exiuit de Sclauinia, in qua multa pro Chriſti nomine & ſancti Sepulchri via fuit paſſus, quæ minimè pati deberet: in qua etiam plures honeſtiſſimos perdidit milites. Exindè peruenit Durachim, quæ ciuitas Imperatoris eſt: putans iam eſſe in Terra ſua, quia de inimicorum euaſus eſt peſſimorum manu. Græcorum itaque gens inſidians iſtos prudentiſſimos milites Chriſti, quocumque eis nocere aut offendere poterat, die & nocte latenter & occultè non deſinebat. Erat autem ibi Dux illius ciuitatis, qui continuò eis fiduciam quouſque in terra fuerint ſua gauiſus ſpopondit. Infra iſtam namque fiduciam, quam eis dono conceſſit, eius homines fraudulenter ex noſtris interfecerunt quendam egregium militem, cui nomen Pontius Rainaldus erat. Fratrem quoque ſuum vulnerauerunt grauiter. Mox illi iter arripientes, inuenerunt nuncios Imperatoris portantes Literas de pace & firmitate cum illis tenenda, ſicut cum filiis propriis. Inter hæc autem Turci, & Pincinnati, & Comati, & Sclaui, & Vſi, & Athenaſi, inſidiabantur Chriſtianis, C
vt in aliqua parte eos lædere potuiſſent. Quadam itaque die dum Podienſis Epiſcopus hoſpitatus eſſet, contigit vt à Pincinnatis caperetur. Qui præcipitantes eum de mula ſua, expoliauerunt, & in vertice capitis grauiter vulnerauerunt. Sed quia tantus Dei Pontifex adhuc populo Dei erat neceſſarius, per eius miſericordiam vitæ reſeruatus eſt. Interea ſonus auditur in tentoriis: concurrerunt omnes ad eum, & ſine mora eripuerunt eum de illorum manibus. Taliter itaque peruenientes ad quoddam caſtrum, quod vocatur *Bucinath*: & dictum eſt Comiti, quòd Pincinnati inſidiabantur ei in anguſta via cuiuſdam montis. Qui remanſit retro cum pluribus militibus, & inuenit Pincinnatos: vnam partem illorum occidit, & reliquos fugauit. Interea Imperator mittebat Literas ſuas ad illos pacificè: ex alia verò parte hoſtes illius vndique inſidiabantur illos. Tandem peruenerunt ad ciuitatem quandam nomine Reuſam. Ciues autem illius ciuitatis apertè quicquid poterant contra illos faciebant. Hoc cùm vidiſſet Comes, iratus nimis iuſſit arripere arma, & impetu maximo debellantes ciuitatem, cui nomen *Rodeſto* eſt. Die autem illo milites Imperatoris inuaſerunt eos retrò in cauda. Cum quibus Comes præliatus, interfecit ex illis triginta, & ſexaginta equos retinuit. Interim venerunt Legati ab Imperatore miſſi, dicentes quòd Imperator promitteret omnia perdita diligenter reintegrare, ſi Comes tantummodò cum paucis & ſine armis feſtinare

nare

A nare Conſtantinopolim dignaretur. Quod & Dux Godefridvs, & Boamundus,
& Flandrenſis Comes, & omnes alij Principes deprecabãtur. Aiebant etiam, quòd
Imperator aſſumpta cruce ſpopondit ſe venturum Ieroſolymam, exiſtens Dux &
Caput Chriſtianorum. Hoc Comes audiens, illicò dimiſſo exercitu properauit
Conſtantinopolim loqui cum Imperatore. Cui dixit Imperator, vt eius homo fie-
ret, & fiduciam ei faceret, quemadmodum Boamundus & alij Principes fecerant.
Reſpondítq; Comes: Abſit, vt in hac via aliquem Dominum conſtituam ſuper me,
niſi illum tãtummodò quem habeo, cuius amore huc vſque veni. At ſi crucem Do-
mini diligenter baiulare vis, & nobiſcum Ieroſolymam venire, ego & omnes ſub-
diti mihi tuo imperio obtemperabimus. Inter hæc dum Comes eſſet Conſtantino-
polim, exercitus Imperatoris inſidias exercitui Comitis ſtruentes, ex improuiſo in-
uaſerunt, plurimóſq; ex eis vulnerauerunt. Comes autem audiens ſui exercitus læ-
ſionem, ingemuit, nimíſq; triſtis effectus eſt. Statímque inuocauit Boamundum, &
alios Principes: mandans Imperatori, cur causâ proditionis eum Conſtantinopolim
venire feciſſet, & ſuum exercitum lædere conſenſiſſet. Qui omninò cum adteſta-
tione denegauit, dicens: Hoc in rei veritatem non eſt factum meo conſilio, quam-
uis certiſſimè ſciam quòd tuus exercitus damnum mihi maximum intulerit. caſtel-
la videlicet & ciuitates proprias depopulando. Tibi autem fideliter ſatisfactionem
concedo. Poſthæc autem, antequam conuenirent ad iudicium, Comes abſoluit fi-
B duciam. Abſolutáq; fiduciâ, exercitus eius venit Conſtantinopolim. Tunc Impe-
rator mandauit Comiti, ſicut ſuperiùs diximus, vt faceret ei hominium, quemad-
modum alij latrones fecerant. Comes verò meditabatur qualiter ſe de Imperatoris
exercitu vindicare potuiſſet. Sed Dux Godefridvs, & Flandrenſis Comes, & alij
Principes prohibebant eum: dicentes eſſe iniuſtum pugnare contra Chriſtianos.
Et Boamundus dixit, quòd ſi aliquod iniuſtum contra Imperatorem faceret, & fi-
duciam ei facere noluiſſet, ipſe foret ex Imperatoris parte. Igitur Comes, accepto
conſilio à ſuis, Alexio vitam & honorem iurauit, quòd nec per ſe, nec per alium
ei Terram auferret. Cúmque de hominio appellaretur, reſpondit ſe nec etiam pro
vitæ periculo id facturum. Boamundo itaque dixit Imperator, quem valdè time-
bat (nam ſæpè eum cum ſuo exercitu deuicerat) quòd ſi libenter iuraſſet, ei quin-
decim dietas terræ in extenſione ab Antiochia daret, & octo in latitudine. Eíque
tali pacto iurauit, vt ſi ille fiducialiter tenuiſſet illud ſacramentum, ipſe ſuum num-
quam præteriret. Tunc gens Boamundi appropinquauit Conſtantinopoli.

Omnes itaque Chriſtianæ Religionis ſimul in vnum congregati peruenerunt
ad portum: ſicque vnà transfretauerunt Brachium, & applicuerunt Nicomiam.
fuerúntque ibi per tres dies. Dux itaque Godefridvs, & Flandrenſis Comes,
obſederunt Nicæam ciuitatem, quæ eſt totius caput Romaniæ, cum ſuis exerciti-
bus. Iuxta quos venit Boamvndvs, eámque obſedit à Septentrione in ſexto
die in Maio. ibique caſtrametati fuerunt. In die autem Aſcenſionis Domini cœ-
C perunt ciuitatem circumquaque inuadere, & ædificare inſtrumenta lignorum ex-
tra turres ligneas, quibus poſſent murales turres ſternere. Tam fortiter & tam acri-
ter aggrediuntur ciuitatem vnanimiter per duos dies, quòd fodere quoque fece-
runt ciuitatis murum. Turci quoque, licèt gens barbara, miſerunt nuntios aliis,
qui venerant ciuitati adiutorium dare, in hunc modum: Quòd audacter ſecuréq;
approximent, & per meridianam introeant portam: quoniam ex illa parte nemo
eis erit obuiam, nec contriſtabit. Quæ porta ipſa die à Comite Sancti Egidij & Po-
dienſi Epiſcopo ſtatim proſperè hoſpitata eſt. Qui Comes veniens ex illa parte,
protectus diuina virtute, atque terrenis fulgebat armis cum ſuo fortiſſimo exercitu.
Hic itaq; inueniens Turcos venientes vndique, ſigno crucis armatus vehementer
irruit ſuper illos, & ſuperati ſunt, & dederunt fugam: fuítque mortua maxima pars
illorum. Qui rurſum venientes nuncio aliorum gaudentes & exultantes ad certum
bellum, deferebant ſecum funes vnde nos ligatos in captiuitatem ducerent Coro-
ſanum. Venientes autem lætantes in cacumine montis, cœperunt paulatim deſcen-
dere. Quotquot verò deſcenderunt in valle illa, capti à Francorum manibus, re-
manſerunt in cuſtodia ciuitatis. Cæſis itaque eorum capitibus, proiecerunt illa in
fundo cuiuſdam inſtrumenti in ciuitatem, vnde magis dolerent. Comes namque
Sancti Egidij & Podienſis Epiſcopus conſiliati ſunt in vnum, qualiter feciſſent fo-
dere turrem, & arbaliſtæ & ſagittarij qui eos defenderent vtique. Foderunt namq;
illam vſque ad radices muri, ſubmiſerúntque poſtes & ligna, ac deinde miſerunt

ignem. Sero autem ſuperueniente, cecidit turris nocte, & quia nox erat, nequiue- A
runt præliari cum illis. Turci verò nocte eadem ſurrexerunt, & reſtaurauerunt mu-
rum tam fortem, quòd ex illa parte nemo eos lædere potuiſſet. Videntes autem
Turci, quòd nullatenus habere adiutorium potuiſſent, per legationem Imperatori
mandauerunt, quòd ciuitatem eis ſpontè redderent, ſi tantummodò eos abire vi-
uos permitteret cum mulieribus & filiis, & omnibus ſuis vtenſilibus. Mox Impera-
tor plenus iniqua cogitatione, iuſſit illos impunitos abſq; vllo timore ſibi eos Con-
ſtantinopolim adduci. Quod annuerunt Chriſtiani gratiâ Imperatoris. Fuerunt ve-
rò in illa obſidione ſeptem hebdomadibus, & multi ex noſtris perceperunt felix
martyrium pro Chriſti nomine.

Cum Solimanno Chriſtiani pugnant.

In edit. hic incipit Liber III.

INTEREA reddita ciuitate, Turciſque deductis Conſtantinopolim, Imperator
magis magiſque gauiſus, eo quòd ciuitas redigeretur in ſuam poteſtatem, iuſſit co-
pioſam alimoniam pauperibus erogari. Nos verò poſtquàm receſſimus à ciuitate,
prima die venimus ad quendam pontem, ibíque manſimus duobus diebus. Tertia
autem illuceſcente die, ſurrexerunt noſtri, & non videntes tenere viam, diuiſi ſunt
ab inuicem. Nam pars exercitus, videlicet Boamundus, & Rotbertus Norman-
nus, & Tancredus, aliíque quamplures, in diuerſa abierunt. Alia verò pars, ſcilicet
RAIMVNDVS Sancti Egidij Comes, & Dux GODEFRIDVS, & Podienſis Epiſco-
pus, & Comes Flandrenſis, & plures alij, per aliam viam deuenerunt. Tertia verò
die irruerunt Turci vehementer ſuper Boamundum, & ſuper eos qui cum eo erant:
clamantes videlicet atque ſtridentes excelſo clamore, atque dicentes neſcio quid B
diabolicum in barbara lingua. Mox Boamundus ſapientiſſimus vir videns innu-
merabiles Turcos procul clamare & ſtridere, iuſſit celeriter omnes milites deſcen-
dere, & tentoria extendere. Sed antequam tentoria extenſa fuiſſent, dixit militi-
» bus: O fortiſſimi milites Chriſti, ecce bellum in arcto ſitum eſt: iámque hoſtes vn-
» dique nobis ſupereminent. Quapropter omnes milites eant illis obuiam viriliter,
» & pedites prudenter, atque citiùs tentoria extendant. Dum hæc agerentur, Turci
vndique iam imminentes circumcinxerunt nos, dimicando, iaculando, ſpiculan-
do, longè latéque ſagittando. Nos verò poſtquàm nequiuimus reſiſtere, neque
ſufferre pondus tantorum hoſtium, perſiſtimus immobiliter in vnum gradum. Fe-
minæ quoque noſtræ in illa die fuerunt nobis in refugium, quæ afferebant nobis
aquam: confortantes nos, fortiter pugnantes, & viros protegentes. Vir itaque ſa-
pientiſſimus Boamundus protinus mandauit Comiti de Sancto Egidio, & inclyto
Duci GODEFRIDO, & Hugoni Magno, & honeſtiſſimo Podienſi Epiſcopo, &
aliis omnibus militibus, vt feſtinanter ad bellum approximarent. Qui hæc audien-
tes, primum hunc eſſe falſiſſimum putauerunt. Non enim credebant, quòd illi ſe-
mel deuicti ampliùs auderent erigere ſe ad prœliandum. Dux igitur Godefridus
mox audito nuncio, & Hugo Magnus, aduenerunt cum ſuis exercitibus. Hos au-
tem inſequebatur Epiſcopus Podienſis, & Raimundus Comes cum magna gente. C
Hi cùm viderent tam innumerabilẽ gentem Turcorum, multitudinem & Arabum
atq; Sarracenorum, aliorúmq; quos enumerare longum eſt, obſtupuerunt: quippe
quia omnes montes, & colles, & valles, & omnia plana intus & infrà vndiq; ſtabant
cooperta de illa excommunicata gente vel generatione. Factus eſt itaque ſermo ſe-
» cretus inter nos, laudantes & conſulentes, atq; dicentes: Eſtote omninò vnanimes
» in fide Chriſti, & ſanctæ Crucis vexilli victoriâ: quia hodie omnes diuites, ſi Deo
» placet, effecti eritis. Continuò ergo fuerunt ordinatæ acies. In ſiniſtra itaque parte
fuit Boamundus, & Rotbertus Normannus, & prudens Tancredus, & Rotbertus
de Anſa, & Richardus de Principatu. Epiſcopus namq; Podienſis venit per alteram
montaneam, vndiq; circumcingens incredulos Turcos. In dextera verò parte fuit
prudentiſſimus miles Raimundus Comes de Sancto Egidio, & venerabilis Dux
GODEFRIDVS; & acerrimus miles Flandrenſis Comes, & HVGO MAGNVS, & alij
plures quorum nomina ignoro. Statim autem venientibus militibus noſtris, Turci,
& Arabes, & Sarraceni, & Agulani, & omnes barbaræ nationes dederunt velociter
fugam, per compendia montis & plana loca. Erat autem numerus Turcorum, &
Sarracenorum, Publicanorum, & Perſarum, Agulanorum, & aliorum paganorum,
trecenta ſexaginta millia: extra Arabes, quorum numerum nemo ſcit niſi Deus.
Fugientibus autem illis nimis velociter vſq; ad eorum tentoria, ibi diu morari non
licuit. Iterum verò arripuerunt fugam, nóſq; perſequuti ſumus eos occidentes per

A totum diem. Et accepimus ſpolia multa, aurum & argentum, equos & aſinos, camelos, oues & boues, & plurima alia quæ ignoramus. Et tamen niſi Dominus ſoret in bello, & aliam citò mitteret aciem, nullus noſtrorum penitus euaderet. Sed omnipotẽs Deus, & pius, qui non permiſit ſuos milites perire, nec in manus inimicorum incidere, feſtinè illis adiutorium miſit. Quis vnquam tam ſapiens aut doctus vir audebit deſcribere aut præmeditari prudentiam, & militiam, & fortitudinem eorum? Qui putabant terrere Gentem Francorvm minis ſagittarum illatum, ſicut terruerunt Arabes, & Sarracenos, & Hermenios, & Surianos, & Græcos. Sed hoc, ſi Deo placet, vnquam non erit viſum, nec factum, nec dictum, nec cogitatum, quòd ipſi tantum valeant. Verumtamen dicunt ſe eſſe de Francorum generatione, & dicunt quòd nullus homo naturaliter debet eſſe miles, niſi Franci, & illi. Veritatem quoq; dicam per omnia, quam nemo audebit prohibere. Certè ſi in fide Chriſti, & Chriſtianitate ſancta firmi fuiſſent, & vnum in Trinitate manentem natum de Virgine matre, & paſſum, & reſurgentem, ac deinde conſolationem ſancti Spiritus perfectè mittentem, in cœlo & in terra æqualiter regnantem, rectamente & fide credidiſſent; magis prudentiores, aut fortiores, aut bellorum ingenioſiſſimos, aliquis inuenire minimè potuerit. Ibique interfecti ſunt duo honorabiles viri, Gaufredus de Monte-ſcabioſo, & Guillelmus Marchiſi filius, frater Tancredi, & alij milites & pedites, quorum nomina ignoro. De prudentia verò & animoſitate Turcorum quid B plura referam? Sunt namque ferociſſimi, humeris & ſagittas & pharetras toxicatis refertas portantes, naturaliter bellicoſiſſimi: gloriantes, vt diximus, de Francorum generatione. Sed omnipotens Deus ſuperbiam illorum anteà indomitam debellauit per humilitatem Chriſtianorum. Ab hora autem tertia vſque ad horam nonam perdurauit hoc prælium. Factum eſt bellum hoc primo die Iulij menſis. Vnde benedictus Deus per omnia, qui tradidit impios. Amen.

Hîc Solimannus ſuperatur à Francis.

Postqvam verò inimici Dei & ſanctæ Chriſtianitatis omninò deuicti fuiſſent, & per quatuor dies & noctes fugientes huc & illuc, contigit dum Solimannvs Dux illorum, filius Solimanni veteris, de Nicea ciuitate fugeret, quadam die inuenit decem millia Arabum, qui dixerunt ei: O infelix & miſer omnium gentilium, cur tremefactus adhuc fugis? Quibus Solimannus lacrymabiliter ait: Verumtamen olim cùm habuiſſem omnes Francos deuictos, eóſque putabam iam habere in captiuitate ligatos, dum paulatim voluiſſem ligare ad inuicem, tunc reſpiciens retrò, vidi tam innumerabilem gentem eorum, quàm ſi vos, aut alius aliquis adeſſet illic, putaret quòd omnes montes, & colles & valles, & omnia plana loca plena eſſent illorum multitudine. Nos igitur illos cernentes, ſtatim cœpimus capere ſubitaneum iter, timentes tam mirabiliter, quòd penè euaſimus de illorum manibus. vnde adhuc in nimio terrore ſumus. Et ſi mihi & meis verbis C vultis credere, auferte vos hinc, quia ſi ipſi vos ſolummodò poterint ſcire, vnus ex vobis vix ampliùs viuet. At illi audientes talia, cœperunt retrorſum vertere ſcapulas, & ſe expanderunt per vniuerſam Romaniam. ſed ...... exercitus noſter perſequebatur iniquiſſimos Turcos quotidie fugientes ante illos. At illi venientes ad cuncta caſtra, ſiue ciuitates, fingentes & deludentes habitatores illorum, dicebant: Nos deuicimus Chriſtianos omnes, atq; ſuperauimus illos, eo tenore quòd nullus eorum iam vnquam audeat ſe erigere ante nos. Tantùm permittite nos intus intrare. Qui intrantes ſpoliabant Eccleſias, & domos, & alia omnia, & ducebant ſecum equos & aſinos, & aurum & argentum, & mulos, & ea quæ reperire poterant. Adhuc quoque & Chriſtianorum filios ſecum ducebant, & ardebant & deuaſtabant omnia conuenientia ſiue vtilia, fugientes & pauentes valde ante faciem noſtram. Noſtri itaque perſequebantur per deſerta & inaquoſa, & inhabitabilem terram, ex qua vix viui euaſimus. Fames verò & ſitis vndique coarctabat nos, nihilque penitus nobis erat ad edendum, niſi fortè vellentes & fricantes ſpicas manibus noſtris, de tali cibo quàm miſerrimè viuebamus. Ibi fuit mortua maxima pars noſtrorum equorum, propter quod multi ex noſtris militibus remanſerunt pedites, & pro paupertate equorum erant nobis boues in ordine caballorum, & pro nimia neceſſitate ſufficiebant nobis capreæ, & arietes, & canes, ad portandum noſtra. Interea cœpimus intrare optimam terram, plenam temporalibus bonis, &

Initium Libri IV. in edit.

aliis delieiis, ſcilieet omnibus bonis: ac deìnceps adproximauimus Iconium. Ha- A
bitatores enim illius ſuadentes admonebant nos, ferentes ſimul nobiſcum vtres
plenos aquâ: quia illic in irinere diei vnius fuit maxima paupertas aquæ. Nos verò
facientes ita, conſenſimus illorum cõſiliis, donec peruenimus ad quoddam flumen,
ibique morati fuimus per duos dies. Cœperunt enim curritores noſtri anteire do-
nec peruenerunt ad Eracleam, in qua erat nimia Turcorum congregatio, expe-
ctans atque inſidians, quomodo Chriſti militibus nocere potuiſſent. Quos Turcos
milites Dei omnipotentis inuenientes, audacter inuaſerunt. Superati itaque ſunt
Deo annuente inimici noſtri in illa die, fugientéſque ſcapulas dederunt. Noſtri
igitur intrauerunt ſtatim ciuitatem, atque manſerunt illic quatuor dies. Qui verò
diuiſerunt ſe ab aliis, Tancredus honorabilis & acerrimus miles Marchiſi filius, &
Balduinus Comes egregius frater Ducis GODEFRIDI, & inſimul intrauerunt
in vallem de *Borentot*. Diuiſit enim ſe Tancredus, & venit Tharſo ſolummodo
cum ſuis militibus. Exierunt namque Turci de ciuitate, & venerunt obuiam eis,
atq; in vnum ſunt congregati, & præparauerunt ſe ad bellum contra Chriſtianos.
Appropinquantes itaq; noſtri atque pugnanres omnes, dederunt inimici noſtri fu-
gam, reuertentes in ciuitatem celeri greſſu. Tancredus verò vir prudens, atque ho-
norabilis Chriſti miles, peruenit laxatis loris ad caſtra ante ciuitatis portam. Ex alia
igitur parte venit vir ſapientiſſimus Comes BALDVINVS cum ſuo exercitu, poſtu-
lans & deprecans Tancredum acerrimum militem, quatinus eum amiciſſimè in ci-
» uitatis ſocietatem ſuſcipere dignaretur. Cui ait Tancredus: Te omninò in hac
» ciuitate denego. Nocte itaque ſuperueniente, tremefacti omnes Turci, vna arri- B
puerunt fugam. Exierunt quippe habitatores ſub ipſa noctis obſcuritate, clamãtes,
» atq; dicentes excelſa voce: Currite, inuictiſſimi Franci, currite: quia Turci exper-
» gefacti veſtro timore omnes pariter recedunt. Recedente autem nocte, lux cœpit
paulatim inſurgere, venerúntque ciuitatis Maiores, & reddiderunt ſponte ciuita-
» tem, dicentes illis qui ad inuicem litigabant: Sinite nunc Seniores, ſinite modò,
» quia nos illum flagitamus, & petimus dominari & regnare ſuper nos, qui heri tam
» viriliter pugnauit cum Turcis. BALDVINVS itaque mirificus Comes altercans
» & litigans cum prudentiſſimo Tancredo, dicebat: Intremus inſimul, & expolie-
» mus ciuitatem: qui plus poterit habere, habeat; & qui poteſt capere, capiat. Cui
» obſtans Tancredus, dixit: Abſit hoc à me. Ego enim Chriſtianos nolo exſpoliare.
» Homines iſtius ciuitatis elegerunt me illorum eſſe Dominum, méque habere deſi-
derant. Nouiſſimè verò nequiuit Tancredus diu luctari cum Balduino doctiſſimo
Comite, quia maximus illi erat exercitus. Tamen volens nolénſque dimiſit eum,
& viriliter receſſit cum ſuo exercitu. Fuerúntque ei redditæ duæ optimæ ciuitates:
videlicet Athena & Mamiſtra, & plurima caſtra. Maior verò exercitus, ſcilicet
RAIMVNDVS Comes de Sancto Egidio, & Boamundus, & Dux GODEFRIDVS,
& alij plures Principes, in Hermeniorum intrauerunt terram, ſitientes atq; æſtuan-
tes Turcorum ſanguinem. Tandem perueniunt ad quoddam caſtrum, quod tam C
forte erat, quòd ei nihil potuerunt facere. Erat autem ibi quidam homo nomine
Simeon, qui in ea ortus fuerat regione, quíque hanc petiit terram, quatenus eam
defenderet de manibus Turcorum. Cui ſponte illi dederunt terram, quiq; reman-
ſit ibi cum gente ſua. Nos verò exeuntes indè, peruenimus feliciter vſq; Cæſaream
Cappadociæ. A Cappadocia egreſſi, venimus ad quandam ciuitatem valde pul-
chram, & nimis vberrimam: quam paululum ante noſtrum aduentum obſederant
Turci per tres hebdomadas, eámque minimè ſuperauerunt. Mox illic aduenienti-
bus nobis, continuò ſe tradidit in manu noſtra cum magna lætitia. Hanc igitur pe-
tiit quidam miles, cui nomen Petrus de Alupb, ab omnibus Senioribus, quatinus
eam defenderet in fidelitate Dei, & S. Sepulchri, & Seniorũ, atq; Imperatoris Cui
Seniores cum nimio amore gratis conceſſerunt eam. Recedente autẽ die, nocte ve-
rò appropinquãte, audiuit Boamundus quòd Turci, qui fuerãt in obſeſſione ciuita-
tis, frequenter præcederent nos. Extemplo præparauit ſe ſolũmodò cum militibus,
quatinus illos dimicaret vndique. quos etiam inuenire non potuit. Deinceps veni-
mus ad quandam ciuitatem nomine *Coxan*, in qua erat maxima vbertas, atq; ſtipata
omnibus bonis, quæ nobis erant neceſſaria. Chriſtiani igitur, videlicet alumni illius
ciuitatis, reddiderunt ſe ſtatim, nóſq; fuimus ibi ſatis optimè per tres dies, atq; illic
maximè ſunt recuperati noſtri. Audiens itaque Raimundus Comes de Sancto Egi-

A dio, quòd Turci, qui erant in cuſtodia Antiochiæ, diſceſſiſſent, in ſuo inuenit con-
ſilio cum ſuis hominibus, quoniam miſiſſet illic qui eam diligenter cuſtodirènt.
Tandem elegit illos quos legare voluit: videlicet Petrum de Caſtellione Vicecomitem, & Guillelmum de Montepiſlerio, & Aralium Vicecomitem, & Petrum
de Roias; & Petrum Raimundum d'Alphul*, cum quingentis militibus. Vene- * de Alto-
runt ergo in vallem prope Antiochiam ad quoddam caſtrum Publicanorum: illic- pullo, R. de
que audierunt Turcos fore in ciuitate, eámque fortiter defendere præparabant. Agil. p. 150. l. 48.
Petrus de Roias diuiſit ſe ab aliis, & proxima nocte tranſiuit prope Antiochiam,
& intrauit feliciter in vallem de Rugia: & inuenit Turcos, & Sarracenos, & præ-
liatus eſt cum eis, & occidit multos ex eis, & alios perſecutus eſt valde. Miſitque
plenam haſtam de labiis & naſibus Turcorum Raimundo Comiti. Videntes hoc
Hermenij, ſcilicet habitatores terræ illius, illum fortiter ſuperaſſe paganos, con-
tinuò illi reddiderunt ſeſe. Ipſe verò ſtatim apprehendit *Rurſiam* ciuitatem, &
plurima caſtra. Nos autem, qui remanſimus retrò, exeuntes indè tranſiuimus per
diabolicam montaneam, quæ tam nimis erat alta & anguſta, quòd nullus noſtro-
rum audebat per tramitem illius, aut per ſemitam, quæ in monte patebat, ante
alium præire. Illic præcipitabant ſeſe equi, & vnus ſagmarius præcipitabat alium.
Milites ergo ſtabant vndique triſtes, plaudebant manibus præ nimia triſtitia, at-
que dolore: dubitantes quid facere debuiſſent de ſemetipſis, & de ſuis armis: ven-
B dentes ſuos clypeos, & loricas nimis optimas, & galeas, ſolummodo per tres dena-
rios, aut quinque, ſiue per id quod plus poterant habere. Qui autem vendere ne-
quibant, gratis & in munere iactabant, & ibant. Exeuntes igitur de execrata mon-
tanea, peruenimus ad quandam ciuitatem, quæ vocatur *Maruſim**. Cultores ve- * Maraſin
rò illius ciuitatis exierunt obuiam nobis lętantes, deferentes maximum mercatum: Bal. l. 2. p.
illicque ſatis habuimus omnem copiam, expectando donec venit Boamundus. Ve- 101. Maraſin Guib. l.
nerunt itaque noſtri milites, & appropinquauerunt in valle, in qua regalis ciuitas 4. p. 499.
Antiochia ſita eſt, quæ eſt caput totius Syriæ: quam Dominus IESVS CHRISTVS
tradidit beato Petro Principi Apoſtolorum, quatinus eam ad cultum ſanctæ fidei
vocaret. qui viuit & regnat trinus & vnus Deus per cuncta ſecula. Amen.

Quomodo obſeſſa eſt ciuitas ANTIOCHIA *à Chriſtianis.*

CVMQVE cœpimus ad Pontem-Ferreum appropinquare, curritores noſtri,
qui ſolebant præcedere nos, inuenerunt Turcos innumerabiles congregatos ob-
uiam eis, qui dare adiutorium Antiochiæ feſtinabant. Irruentes igitur noſtri vno
corde & mente ſuper illos ſapienter, Turci vehementer ſuperati ſunt. Conſternati
ſunt omnes barbari, & dederunt celeriùs fugam, & multi mortui ſunt ex eis in illo
certamine. Noſtri igitur ſuperantes illos, Deo adiuuante, acceperunt ſpolia mul-
ta, equos & mulos, camelos & aſinos, onuſtos frumento & vino. Venientes itaque
C noſtri caſtrametati ſunt ſuper ripam fluminis. Protinus equitauit BOAMVNDVS
cum quatuor millibus militum, & venit ante portam ciuitatis vigilare, an fortè
aliquis nocte latenter exiret, aut intraret ciuitatem. Craſtina verò die peruene-
runt vſque Antiochiam ciuitatem ad medietatem diei, in quarta feria, quod eſt
XII. Kal. Nouembris, & obſedimus mirabiliter tres portas ciuitatis: quoniam in
alia parte deerat nobis locus obſidendi, quia nimis alta montanea nos coarctabat.
Tantùm namque eminebant nobis vndiq; inimici noſtri Turci, qui erant intus in
ciuitate, quòd nemo illorũ audebat offendere aliquem ex noſtris, ferè per ſpacium
dierum quindecim. Mox hoſpitantibus nobis circa Antiochiã, reperimus ſatis illic
de rore cœli abundantiam: videlicet vineas vndique plenas, foueas plenàs frumen-
to, arbores refertas pomis iocundis ad edendum, & alia multa bona, quæ alimen-
tis corporeis ſunt vtilia. Hermenij & Suriani, qui erant intus in ciuitate, exeuntes
oſtendebant ſeſe, fugientes. Qui cotidie erant vnà nobiſcum, quique habebant
vxores ſuas intus in ciuitate. Illi namque ingenioſè inueſtigabant noſtrum eſſe,
noſtrámque eſſentiam & qualitatem, & illis referebant omnia quæ videbant foris
facta, vel eis qui erant intus. Poſtquàm verò Turci fuerunt edocti de noſtra noti-
tia atque facto, cœperunt paulatim extra ciuitatem exire, noſtróſque peregrinos
vndique coanguſtare, non ſolùm ex vna parte, ſed vndique erant latentes obuiam
nobis ad mare, & ad montaneam. Erat autem ab hoſte non longè quoddam ca-

ſtrum, cui nomen *Aregh.* Illic congregati erant fortiſſimi Turci non pauci, ſed plures qui frequenter conturbabant noſtros homines. A Reperto itaque loco, vbi illi latebant, noſtri milites, qui ſubtiliter quærebant illos, obuiam veniunt illis. At noſtris paulatim redeuntibus retrò, vbi ſciebant Boamundum reconditum cum ſuo exercitu, ſtatim fuerunt illic mortui multi ex noſtris militibus. Hoc itaque Boamundus audiens, ſurrexit continuò vt fortiſſimus CHRISTI athleta. Barbari verò illic irruerunt contra, eò quòd noſtri erant pauci: tamen inſimul iuncti inierunt bellum. Mortui namque ſunt multi ex inimicis noſtris, & capti. qui fuerunt deducti ante ciuitatis portam, & decollabantur ibi, vt magis triſtes fierent illi qui erant in ciuitate. Exiebant quippe alij de ciuitate, ita quòd ſi mittebant ſagittas, cadebant in Boamundi plateam, & vna die quædam mulier occubuit ictu ſagittæ.

CONGREGATI itaque omnes noſtri Maiores ordinauerunt conſilium, dicentes: » Faciamus igitur caſtrum in vertice montis *Maregart*, qui mons eſt ſuper Boamundi » hoſtem, quo ſecuri & tuti poſſimus manere de Turcorum fortitudine. Facto itaque caſtro, & munito, omnes Maiores ſtudiosè adinuicem illud cuſtodiebant. Iam iámque cœperant frumentum & omnia nutrimenta corporis nimis eſſe cara ante Domini noſtri IESV CHRISTI Natiuitatem. Foras nihil penitus audebamus, nihil in terra Chriſtianorum ad edendum penitus inuenire. In Sarracenorum namque terra nemo intrare audebat, niſi cum maxima gente. Ad vltimùm ſtatuerunt Seniores noſtri conſilium, ordinantes quemadmodum rectè regerent B has gentes. Inuenerunt itaque in conſilio, quatenus vna pars noſtri diligenter pergat abſtrahere ſtipendium, inibíque cuſtodire exercitum: alia quoque pars fiducialiter » remaneat cuſtodire hoſtem. Boamundus ergo dixit: Seniores & pruden» tiſſimi milites, ſi vos vultis, & bonum honeſtúmq; videtur vobis, ego ibo cum pru» dentiſſimo Flandrenſi Comite. Celebratis itaq; glorioſiſſimè ſolemnitatibus Natiuitatis, die Lunæ, ſcilicet ſecunda feria, egreſſi ſunt, & alij pluſquam viginti millia militum & peditum, & ſani & incolumes intrauerunt Sarracenorum terram. Congregati quippe erant multi Turci, & Arabes, & Sarraceni, ab Hieruſalem, & Damaſco, & Aleph, & ab illa regione ..... qui veniebant Antiochiæ fortitudinem dare. Audientes itaque iſti Chriſtianorum gentem eſſe conductam in illorum terram, ilicò præparauerunt ſeſe ad bellum contra Chriſtianos, atque ſummo diluculo venerunt in locum, quo noſtra gens erat in vnum. Diuiſerúntque ſe ab inuicem barbari, & fecerunt duas acies: vna acies antè, altera retro, cupientes ex omni parte circumcingere nos. Egregius igitur Comes Flandrenſis, vndiq; regimine fidei, ac ſigno crucis, quam fideliter baiulabat, armatus, occurrit illis vnà cum prudentiſſimo Boamundo. Irruerúntq; noſtri vnanimiter ſuper illos. Qui ſtatim arripuerunt fugam, & feſtinanter verterunt ſcapulas retrò, & mortui ſunt multi ex illis. alij remanſerunt viui, velociter fugientes. Ierunt extunc & nunc in iram perditionis. Nos autem reuerſi ſumus cum magno tripudio, laudantes & magnificantes trinum & vnum Deum, qui viuit & regnat nunc & ſemper in æuum, amen. C Turci verò inimici Dei videlicet & ſanctæ Chriſtianitatis, qui erant in cuſtodia ciuitatis Antiochiæ, audientes Boamundum & Flandrenſem Comitem in obſidione non eſſe, exierunt de ciuitate, & audacter veniebant præliari nobiſcum, inſidiantes vndique, ex qua parte plus eſſet obſidio languida, ſcientes illos prudentiſſimos milites foris eſſe. Inuenerúntq; quòd in vna die Martis potuiſſent nos lædere, & obſiſtere nobis. Venerúntque iniquiſſimi cautè, & irruerunt vehementer ſuper nos neſcientes hoc bellum, atque ignorantes. occiderúntque multos ex noſtris milites & pedones. Epiſcopus namque Podienſis Sanctæ Mariæ in illa amara die perdidit ſuum Seneſcalcum, conducentem & regentem ſuum vexillum. Et niſi eſſet flumen, quod erat inter nos & illos, ſæpiùs inuaderent nos, atque maximam læſionem in noſtram gentem facerent. Adhuc & in noſtras laxatis frænis concurrerunt tendas. Regrediebatur autem prudentiſſimus Boamundus ſimul cum exercitu ſuo de Sarracenorum terra, venitq; in Tancredi montaneam, cogitando an forſan ibi inueniret aliquid, quod defendere potuiſſet. totámque terram in expiando * miſerunt. Alij inuenerunt, alij verò vacui reuerterunt. Illi verò qui inuenire non poterant, ſtatim reuerti feſtinabant. Tunc Boamundus increpauit eos valdè, dicens: O infelix & miſerrima gens! ô viliſſima ac dolentiſſima omnium Chriſtianorum! cur tam celeriter vultis abire? Sinite modò, ſinite. Vſquequo erimus omnes congregati in vnum?

* en eſpiant & cherchãt de tous coſtez, quod *interpellator non intellexit. Gallicum eſt.*

A Nolite errare ſicut oues non habentes paſtorem. Si autem inimici noſtri inuenerint vos errantes, occident vos: quia die noctúque vigilant atque excubant, vt vos ſine vllo ductore ſegregatos ſiue ſolos inueniant, qui nos coditie occidere, atque in captiuitatem laborant ducere. Quid miſeri facietis? Cúmque finis eſſet dictis, reſpiciens ſe antè & retrò, & cùm iam inueniſſet vndique ſolum; tamen cùm illis quos reperire potuit ad ſuum reuerterunt exercitum, plus vacui quàm onuſti. Videntes autem hoc Hermenij, & Sarraceni, & Græci, quòd noſtri penitus vacui rediiſſent, nihilque ſecum deferrent, conſiliati in vnum abibant per montaneas, & præſcita loca, ſubtiliter inquirentes & ementes frumentum, & corporea alimenta, quæ ad hoſtem deferebant, in quo fames erat immenſa: & vendebant vnius aſini onus octo purpuratis, qui adpreciati erant centum viginti denariorum ſolidis. Ibi quidem mortui fuérunt multi ex noſtris militibus, non habentes precium vnde tam carum emere potuiſſent.

VVILLELMVS igitur CARPENTARIVS, & Petrus Heremita, pro immenſa infelicitate, ac miſeria, quas in ſe ſciebant, inſimul conſiliati, latenter receſſerunt. Quos Tancredus perſequens, apprehendit, ſecúmque duxit cum magno dedecore: & fidem illi dedit VVillelmus, quòd libenter rediſſet ad exercitum, & ſatisfactionem Senioribus faceret. Tota namque nocte, vti mala res, in tenda Boamundi iacuit. Craſtina autem die ſummo diluculo venit erubeſcendo ante Boa-

B mundi præſentiam. Quem alloquens Boamundus, dixit: O infelix infamia totius Franciæ! ô dedecus & ſcelus Galliarum prouinciæ! & ô iniquiſſime omnium quos terra ſuffert! cur tam turpiter fugiſti? Fórſitan propter hoc nequam voluiſti tradere hos milites, & exercitum Chriſti, ſicut tradidiſti alios in Hiſpania? Qui omninò tacuit, & nullus ſermo ex eius ore proceſſit. Adunauerunt igitur ſeſe omnes Francigenæ, rogauerúntque humiliter Boamundum, ne deterius ei aliquid facere permittat. Ait verò ille: Hoc enim pro veſtro amore libenter faciam, ſi modò toto corde & mente iurauerit, ita quòd nunquam ſit reuerſurus ab itinere ſancti Sepulcri, ſiue bono, ſiue malo: & Tancredo * neque per ſe neque per alios amicos ſuos aliquid mali fieri conſentiat. Qui ſtatim, auditis his ſermonibus, libenter conceſſit. Poſtea verò Guillelmus Carpentarius turpitudine captus, non diu morans, furtim receſſit. Hanc paupertatem & miſeriam pro noſtris delictis conceſſit nobis habere Deus. In toto namque exercitu non valebat aliquis inuenire mille milites, qui equos haberent optimos. Igitur quidam * miles & diues & nobilis de exercitu Imperatoris, quem Imperator commiſerat Francis, vt ipſe pulchrè conduceret illos, & terram liberatam de Turcorum manibus in fidelitate Imperatoris reciperet: ille, ille infelix audiens quòd exercitus Turcorum veniſſet ſuper nos, ingemuit, arbitránſque omnes periſſe, atque incidiſſe in manus inimicorum noſtrorum, fingens & componens omnia fallacia, quæ iugiter machinari poterat, dixit illis: Seniores, & prudentiſſimi viri, videte quia nos ſumus hìc in hac nimia

** editum alio ſenſu.*

** Tetigus? Tyr. lib. 2. c. vlt. p. 664. vbi Tatinus vocatur & de hoc loco l. 4. c. 21. p. 694. Tatic. Raim. de Agil. p. 145. Tatingus Bald l. 2. p. 103.*

C neceſſitate coacti, & ex nulla parte nobis adiutorium ſuccedit. Ecce modò ſinite me in Romaniæ reuerti patriam. abſque vlla dubitatione reuertar ad vos. Ego verò huc faciam multas naues venire per mare, onuſtas frumento, vino, ordeo, carne, farinâ, & caſeis, & omnibus bonis alimentis quæ neceſſaria ſunt. Adhuc autem & equos faciam conducere ad vendendum, & mercatum per terram Imperatoris huc venire citò faciam. Ecce hæc omnia vobis fideliter iurabo ad tenendum. Adhuc quoque domeſtici mei, & papilio meus iugiter in campo erit. Et nullo modo nolite increduli eſſe, ſed firmiter credite, quia ego quantociùs ad vos reuertar. Iuit ille inimicus, omniáque ſua dimiſit in campo, eo tenore quòd tunc, & modò, & ſemper periuratus erit. Sic itaque tali modo venerat nobis magna neceſſitas, quòd Turci vndique conſtringebant nos, quòd nullus noſtrorum audebat iam exire extra tentoria. tantus erat Turcorum timor. Illi namque conſtringebant nos in vna parte, coanguſtabat nos crudelis fames in alia. Eramus nos miſeri valdè, ac dolentes. Maiores noſtri quoque in nimio pauore erant. Succurſus quidem aut adiutorium nobis penitus deerat. Gens minuta & pauperrima fugiebant, alij Cypro, alij in Romaniam, alij in montaneis. Ad mare vtique non audebamus ire præ timore peſſimorum Turcorum. nullatenus erat nobis via patefacta.

EXPLICIT LIBER II.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

Item Chriſtiani pugnarunt cum Turcis.

INTERRA noſtri Principes audientes innumerabilem gentem Turcorum ve-
» niſſe ſupet nos, ceperunt conſilium, dicentes: Ecce innumerabilium Turco-
» rum exercitus venit ſuper nos, quid faciemus? Nos quidem tanti non ſumus, quòd
» in duabus partibus pugnare valeamus cum illis. Faciamus ergo ex nobis duas par-
» tes. Pars namque militum remaneat iugiter cuſtodire papiliones noſtros, & obſi-
» ſtere his qui in ciuitate ſunt. Et alia pars militum ſimul equitet obuiam inimicis
» noſtris, qui hîc hoſpitati ſunt prope nos in caſtello quod vocatur *Areg*, vltra Pon-
» tem-Ferreum. Serò autem facto, exierunt de tentoriis, & conſilium fecetunt, di-
» centes: Omnes eamus contra inimicos noſtros, qui ſunt viginti quinque millia,
» ſicut narratur nobis. Sed Podienſis Epiſcopus, & Rotbertus Normannus, & Eu-
» ſtachius Comes, remaneant cuſtodire ab illis qui in ciuitate ſunt. Summo autem
diluculo remiſerunt ex militibus ſuis, qui exierunt videre exercitum Turcorum,
& vbi ſunt, & quid certè agant. Exierunt itaque illi, & cœperunt ſubtiliter inqui-
rere, vbi acies eorum Turcorum ſunt reconditæ. Illicò viderunt ſegregatos venire
ex parte fluminis diuiſos pet duas acies: maxima verò illorum virtus veniebat re-
» trò. Reuerſi ſunt ego celeriter noſtri, dicentes: Ecce, ecce iam veniunt. Eſtote B
» itaque omnes vndique parati, quia iam prope ſunt nobis, ſicut poteſtis videre.
Decreuerunt noſtri ſe vt vnuſquiſque ex maioribus pet ſe ordinaret ſuam aciem.
Mox ordinauerunt ſex acies. Quinque autem acies ierunt adunatim inuadere illos.
Flandrenſis Comes fuit in primo capite. BOAMVNDVS paulatim gradiebatur
retrò cum ſua acie. Iuncti igitur proſperè noſtri cum Turcis, vnuſquiſque ſterne-
bat alium. Clamor verò eorum reſonabat ad cœlum. Imbres telorum obnubila-
bant aërem. Poſtquàm venit maxima virtus eorum, quæ erat retrò, acriter inuaſit
noſtros, ita vt noſtri iam paululum recederent retrò. Hoc cùm vidit Boamundus,
ingemuit. Præcepit ergo Conestabili ſuo, ſcilicet Rotberto filio Girardi, dicens:
» Recordare prudentium antiquorum, & noſtrorum fortium parentum, quales fue-
» runt, & qualia bella fecerunt. Fuit itaque ille ſigno crucis armatus vt fortiſſimus
athleta, & ſicut ſapiens & prudens inuaſit illos, deferens vexillum Boamundi. Vi-
dentes autem aliæ acies, quòd vexillum Boamundi tam prudentiſſimè foret ante
alios delatum, reuerſi ſunt retrorſum, & ipſos vnanimiter inuaſerunt. Fuerúntque
noſtri numero ſeptingenti, Turci viginti quinque millia. Sed gratiâ Dei omnes
ſtupefacti arripuerunt fugam, & verterunt ſtatim ſcapulas retrò. Noſtri igitur per-
ſecuti ſunt illos, ſuperantes ac detruncantes. Reuerſi ſunt verò Turci feſtinanter
in ſuum caſtrum. Qui viui remanſerunt, acceperunt omnia quæ ibi reperire po- C
tuerunt, totum caſtrum exſpoliauerunt, miſerúntque ignem, & fugerunt. Her-
menij, & Suriani, & Græci, ſcientes omninò Turcos perdidiſſe bellum, exie-
runt & excubauerunt per arta loca: & occiderunt, & apprehenderunt multos
ex eis. Superati ſunt itaque Deo annuente in illa die inimici noſtri. Satis verò re-
cuperati ſunt de equis, & aliis rebus multis, quæ erant illis valdè neceſſariæ. Ac-
cipientes itaque multa ſpolia, deduxerunt multos ex illis inimicis viuos ſecum: &
plurima capita mortuorum detulerunt ante portam ciuitatis, vbi Legati Ammi-
rati Babyloniæ caſtra metati fuerant. quæ mittebantur Comiti de Sancto Egidio
& aliis Senioribus. Illi, qui remanſerunt in tentoriis, tota die præliati ſunt cum
illis qui in ciuitate erant, ante tres portas ciuitatis. Factum eſt hoc bellum in die
Martis ante Caput Ieiunij, v. Idus Februarij, fauente Domino noſtro IESV
CHRISTO, qui cum Patre & Spiritu ſancto viuit & regnat, amen.

REVERSI ſunt itaque noſtri, hoc agente Deo, gaudentes de triumpho, quem
in die illo habuerunt de inimicis, qui ſunt per omnia ſemper ſuperati: fugientes,
huc & illuc vagantes, & errantes, alij in Coroſanum, alij verò in Saracenorum in-
trauerunt terram. Videntes autem noſtri Maiores ac Seniores, quòd malè tracta-
rent nos & conſtringerent inimici noſtri, qui erant in ciuitate, (die enim ac nocte
iugiter vigilabant & inſidiabantur, qua parte nos lædere ac anguſtiari potuiſſent)

A congregati in vnum conſilium petierunt, dicentes: Priuſquàm perdamus gentem Dei & noſtram, faciamus caſtrum ad Maomariam, quæ eſt ante portam vbi pons eſt: ibíque forſitan poterimus inimicos noſtros conſtringere. Conſensêre omnes conſilio, & laudauerũt quòd bonum eſſet ad faciendum. Comes de Sancto Egidio dixit primus: Eſtote mihi in adiutorium ad faciendum caſtrum, & ego muniam & ſeruabo. Reſpondit illi Boamundus: Si vos vultis, & alij Seniores laudauerint, ibo vobiſcum ad portam Sancti Simeonis, diligenter conducere illos qui illic ſunt homines, qui hoc fideliter peragant opus. Alij qui ſunt remanſuri vndique muniant ſeſe ad defendendum, ſi fortè inimici noſtri & Dei exierint de ciuitate, & in loco illo ſint omnes congregati in vnum, ſcilicet vbi nos demonſtrabimus. Factúmque eſt ita. Comes igitur & Boamundus perrexerunt ad Sancti Simeonis portum. Nos itaque, qui remanſimus congregati in vnum, vbi caſtrum incipere debuiſſemus, tunc Turci videntes hoc præparauerunt ſe, & illicò exierunt extra ciuitatem obuiam nobis ad prælium. Sic itaque irruerunt ſuper nos, & miſerunt nos in fugam, & occiderunt plures ex noſtris militibus. vnde nos triſtes dolentéſq; fuimus. Craſtino autem videntes Turci, quoniam Maiores noſtri non eſſent in obſeſſione, & quòd heſterna die militaſſent ad portum: præparauerũt ſe omnes Maiores de Turcorum exercitu, & militauerunt illis obuiã venientibus è portu. Tunc videntes Comitem & Boamundum venientes, & cõducentes gentem de portu, con-

B tinuò cœperunt ſtridere & garrire, & clamare vehemẽtiſſimo clamore, circumcinctes vndique noſtros, ſagittando & vulnerando, ac crudeliter vndique detruncando enſibus. Tam acriter inuaſerunt noſtros, quòd illi inierunt fugam per proximam montaneam, ac vbi patebat via eundi. Qui potuit ſe expedire celeri greſſu, euaſit viuus. Ille verò qui fugere nequiuit, pro Chriſti nomine martyrium ſuſcepit. Fuerúntque in illa die martyriſati ex noſtris militibus ſiue peditibus plus quàm mille, qui in cœlum lætantes aſcendebant, candidatam ferentes ſtolam recepti martyrij, glorificantes & laudantes Deum trinum & vnum, in quo feliciter triumphabant, & dicebant concordabili voce: Quare non defendis ſanguinem noſtrum, Deus noſter, qui hodie eſt effuſus pro tuo nomine? Boamundus itaque viam, quam alij tenuerunt, non tenuit: ſed celeriùs venit cum paucis militibus laxatis frænis, donec properaſſet vſque ad nos, qui eramus in vnum congregati vltra fluuium Pharphar. Tunc nos accenſi in ira occiſione noſtrorum, CHRISTI inuocato nomine, & ſancti confidentes Sepulchri Chriſti itinere, iuncti inſimul ſic peruenimus contra eos ad bellum, quo vſq; inuaſimus vno corde & animo. Stabant autem inimici noſtri & Dei vndique ſtupefacti, & vehementer perterriti, & putantes nos deuincere & occidere, quemadmodum gentem Comitis Raimundi, & Boamundi. Sed omnipotens Deus hoc illis permittere nullatenus voluit. Tunc Dux GODEFRIDVS Chriſti miles potentiſſimus irruens in eos euaginato enſe, percuſſit quendam gentilem ferociſſimum tam viriliter, vt in duas partes ipſum

C diuideret, à vertice videlicet vſque in ſellam equi. Actúmque eſt ex Dei prouidentia, vt quamuis in duo diſciſſus, minimè ex toto de equo dilaberetur. Poſt hunc aggreſſus alium ex obliquo, ſecuit eum per medium. Exhinc maximus terror & horror omnes inimicos Chriſtianitatis perculit, non ſolùm qui præſentes aderant, ſed omnes qui hoc vtcumque audire potuerunt. Deinde Dux per omnia memorandus illos in fugam verſos perſequens, nunc hos, nunc illos, vt leo fortiſſimus inuadens, detruncabat, & in amnem præcipitabat. Simili autem modo HVGO MAGNVS, & Comes Sancti Egidij, & Boamundus, & Flandrenſis Comes, & alij Proceres ipſos trucidabant, & in amnem præcipitabant. Locus verò fugiendi non erat, niſi ſolummodò per pontem, qui tunc illis peranguſtus erat, ipſique ſemetipſos præpedientes in flumine demergebantur. Milites igitur veri Dei vndique ſigno crucis protecti irruerunt nimis acriter ſuper illos, & fortiter inuaſerunt. Illi autem arripuerunt celerem fugam per medium pontis anguſti, ad illorum interitum. Illi, qui viui non potuerunt pertranſire pontem præ nimia multitudine gentium & caballorum, ibi receperunt ſempiternum interitum, & reddiderunt infelices animas diabolo, & ſathanæ miniſtris. Nos itaque ſuperantes eos impellebamus in flumen, cum noſtris mortiferis lanceis. Vnda quoque rapidi fluminis vbique videbatur fluere rubea Turcorum ſanguine. Et ſi fortè aliquis eorum voluiſſet reptare ſuper pontis columnas, aut natando vulneratus ad terram

Videndus Tyrius lib. 5. c. 6. p. 701. & Albertus Aquenſis l. 5. c. 6?. p. 238. Robertus Mon. lib 4. p. 50. & l. 9. p. 71.

molir
etur exire, nos vndique natantes ſuper ripam fluminis impellebamus, necantes eum impetu rapidi fluminis. Rumor quoq; & clamor noſtrorum & illorum reſonabat ad cœlum. Pluuiæ telorum & ſagittarum tegebant polum, & claritatem diei: altæ voces intus & extra ciuitatem erant. Mulieres ciuitatis veniebant ad muri feneſtras Chriſtianæ, inſpectantes miſera fata Turcorum: & plaudebant manibus occultè, ſicut mos eſt illarum. Hermenij, & Suriani, & Græci, iuſſu maiorum Turcorum tyrannorum quotidie inuiti ſiue ſpontè ſagittabant celeres ſagittas. Mortui ſunt in anima & corpore duodecim Ammiralij de Turcorum agmine in prælio illo, & aliorum prudentiſſimorum militum & fortiorum, qui meliùs pugnando ciuitatem defendebant, numerus quorum mille quingenti. Alij qui remanſerunt viui, iam non ampliùs audebant clamare, neque garrire, in die ſiue in nocte, ſicut antè ſolebant. Omnes itaque nos & illos non ſeparauit quiſquam niſi ſolummodò nox. Nox itaque diuiſit vtroſque præliando, & iaculando, & ſagittando. Sicque virtute Dei & ſancti Sepulchri ſuperati ſunt inimici noſtri, eo tenore quòd vlteriùs non valuerunt habere talem virtutem neque in voce, neque in opere, ſicuti priùs. Nos itaque valde fuimus in illa refecti die de illorum equis, & de aliis multis rebus quæ ſatis nobis erant neceſſariæ. Craſtina autem die ſummo diluculo exierunt alij Turci de ciuitate, & collegerunt omnia cadauera fœtentia Turcorum mortuorum, quæ reperire potuerunt ſuper ripam fluminis, exceptis illis quæ in alueo latebant fluminis, & ſepelire fecerunt ad Machomariam, quæ eſt vltra pontem ciuitatis ante portam. Simúlque cum illis ſepeliêre pallia, byſanteos aureos, arcus, & ſagittas, & alia quamplurima inſtrumenta, quæ nominare nequiuimus. Audientes itaque noſtri, quòd humare mortuos Turcos feciſſent, omnes ſtatim præparauerunt ſeſe, & venerunt feſtinantes ad diabolicum atrium, & iuſſerunt deſepelire, & frangere eorum tumbas, & trahere illos extra illorum ſepulturas. Et eiecerunt eorum cadauera omnia in quandam foueam, & deportauerunt cæſorum capita ad tentoria noſtra, quatinus perfectè ſciretur eorum numerus: excepto quòd equos onuſtos eorum capitibus quatuor fuerunt ad mare nunciis Amiralij Babylonis delata. Quod videntes Turci, nimis fuerunt triſtes, & dolentes vſque ad necem. Qui cotidie plorantes, nil aliud quibant facere, niſi plorare & vlulare. Tertia autem die veniente, cœperunt gaudentes & exultantes iuncti inſimul ædificare eodem die caſtrum illud iam ſupradictum, de iiſdem lapidibus, quos abſtraximus deſuper humatis Turcorum corporibus. Peracto itaque caſtro, mox cœpimus ex omni parte coanguſtare prudenter inimicos noſtros, quorum tumida colla ad nihilum iam erant redacta. Quod caſtrum vnuſquiſque Seniorum noſtrorum fecit per partem immenſo aggere & muro: & ædificauerunt in eo duas turres in Machomaria. Nos autem ſecurè ambulabamus huc & illuc ad portum, & ad montaneam: laudantes & glorificanres iocunda, læta, & conſona voce, Dominum Deum noſtrum, cui eſt honor & gloria per cuncta ſecula ſeculorum, amen.

Raimundus erexit caſtrum ſuum contra ciuitatem.

OMNES verò Seniores noſtri & Principes commiſerunt illud caſtrum RAIMVNDO Sancti Egidij ad cuſtodiendum, eò quòd ipſe haberet plus milites in ſua familia, quàm alij, & plus poterat dare. Ille quoque conſeruauit caſtrum cum ſuo exercitu, & cum eo fuit GASTOS DE BIART cum ſuis hominibus, & Petrus Vicecomes de Caſtellon, & Raimundus Vicecomes de Torena, & Guillelmus de Montepeſlerio, & Goffredus, & Petrus Raimundus d'Alpoz, & Guillelmus de Sabra. Omnes iſti, & alij plures cum hominibus ſuis, fuerunt cum eo. Raimundus quoque Sancti Egidij quos milites, videlicet clientes, inuenire per cenſum potuit, ad caſtrum cuſtodiendum per conuentionem retinuit. Vna die exierunt de ciuitate, & venerunt ad caſtrum, quod vndique circumdederunt clamando, & ſagittando, noſtróſque vulnerando, & occidendo: ita quòd etiam tentoria noſtrorum erant cooperta infixis ſagittis. & niſi eſſet ſuccurſus, qui venit de alio exercitu, maximum damnum in eis feciſſent. Hoc noſtri videntes, ſtatim ordinauerunt vt facerent maximam talpam, cum qua potuiſſent perforare pontem. & fecerunt. Quadam die prælia verterunt ſuper pontem, & duxerunt talpam: fuerúntque Turci mortui multi, & pons perforatus eſt. Nocte verò dormientibus

A nobis, exierunt Turci de ciuitate & arſerunt talpam, & reſtaurauerunt pontem.
vnde nimis exercitus Chriſti iratus fuit. Alia die adduxerunt Turci ſuper murum
ciuitatis quendam militem noſtrorum nobilem, nomine Rainaldum Porchetum,
quem diu tenuerant in malis carceribus: dixerúntque vt loqueretur cum Christi
peregrinis, quatenus eum redimerent maximo cenſu, antequam caput amiſiſſet.
Qui cùm eſſet ſuper murum, loquutus eſt Senioribus, dicens noſtris: Seniores, «
tantùm quidem valet, quaſi iam ego mortuus eſſem. Et ideò deprecor vos ſicuti «
meos fratres, vt per me nullum funus offeratis. Sed eſtote ſecuri in fide Christi, «
& ſancti Sepulchri, quia Deus vobiſcum eſt, & ſemper erit. Omnes maiores ita- «
que & audaciores huius ciuitatis occidiſtis, videlicet duodecim Amiralios, & mil- «
le quingentos nobilium, nullúſque remanſit qui prœliari vobiſcum audeat, neque «
ciuitatem defendere. Interrogauerunt autem Turci Drogmandum, quid Rai- «
naldus dicebat. Qui dixit illis: Nihil loquitur boni de nobis. Tunc Caſſianus «
Amiralius continuò iuſſit eum deſcendere de muro, dixítque ei per Drogman-
dum: Rainaldus, vis nobiſcum honeſtè viuere, & gaudere? Rainaldus reſpondit: «
Quomodò vobiſcum honeſtè ſine peccato viuere potero? Dixitque Amiralius: «
Abnega Deum tuum, quem credis & colis, & crede Malphium, & noſtris Diis «
aliis. Quod ſi feceris, dabimus tibi omnia quæ petieris, videlicet aurum & argen- «
tum, equos & mulos, & alia plurima ornamenta, quæ volueris, & vxores, & he «
B reditates: & maximo honore ditabimus te. Cui Rainaldus reſpondit: Date mihi «
ſpacium, quo poſſim conciliari mecum. Et Amiralius reſpondit, & libenti ani- «
mo conceſſit. Tunc Rainaldus proiecit ſe in orationibus iunctis manibus in terra
contra Orientem: humiliter Deum rogans, vt ei ſubueniat, ſuámque animam in
ſinu Abrahæ dignanter ſuſcipiat. Quod cùm vidiſſet Amiralius, vocauit Drog-
mandum, & dixit ei: Quid ait Rainaldus? Drogmandus reſpondit: Dominum «
Deum ſuum nullo modo negauit. Quod audiens Amiralius, nimis iratus fuit. «
Illicò iuſſit eum decollari, & Turci cum magno gaudio decollauerunt eum. Cu-
ius animam confeſtim ſuſcipientes Angeli, ante conſpectum Domini, pro cuius
amore martyrium ſuſcepit, gaudentes detulerunt. Tunc Amiralius iratus fuit ve-
hementer, ideò quòd Rainaldum ad ſuos non potuit conuertere Deos. Statim
iuſſit ad ſe omnes peregrinos adduci, qui erant in ciuitate, ligatis poſt tergum ma-
nibus. Cúmque ante eum veniſſent, imperauit vt nudi expoliarentur omnes. Cùm
ergo expoliati fuiſſent, fecit conſtrictè congregari in vnum, & cum fune ligari
omnes in girum: & fecit ligna, & paleam, & fœnum circa eos ordinari, ac deinde
ac ſi inimicus Dei ignem fecit immitti. Chriſtiani igitur videlicet Christi
milites, valde ſtridebant & clamabant: quorum voces reſonabant ad cœlum ad
Deum, pro cuius amore eorum carnes & oſſa in ignem cremabantur. Et ſic mar-
tyriſati fuerunt omnes iſti in vna die, portantes in cœlum candidas ſtolas ante
Deum, pro cuius amore fideliter hæc paſſi ſunt: regnante Domino Deo noſtro,
C cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, amen.

Cum iamiam omnes ſemitæ prohibitæ ſtarent Turcis, niſi ex illa parte flumi-
nis, in quo erat quoddam caſtrum in quodam Monaſterio, quod ſi perfectè fieret
corroboratum, iam nullus auderet extra ciuitatis portam exire: conſiliati ſunt ſi-
deliter noſtri, concordali vna voce dicentes: Eligamus vnum quempiam ex no- «
bis, qui robuſtè illud teneat caſtrum, & noſtris inimicis prohibeat viriliter mon- «
taneas, ſiue planum, & introitum & exitum ciuitatis. Plures verò ex illis prohi- «
bebant ſe illud hoſpitari, niſi fortè multi fuiſſent in vnum. Tancredus igi-
tur primus protulit ſe ante alios, dicens: Verumtamen, ſi ſcirem quid proficui mi- «
hi attigerit, ego ſedulò ſolummodò cum meis hominibus corroborabo caſtrum, «
& viam, per quam inimici noſtri ſolent frequenter ſæuire, viriliter illis omninò de- «
uetabo. Qui continuò ſpoponderunt ei quadringentos marcos argenti. Non ad-
quieuit Tancredus, quanquam ſolus eſſet, tamen perrexit cum honeſtiſſimis mi-
litibus & ſeruientibus, & extemplo abſtulit vndique viam & ſemitam Turcis: ne-
que propter herbam, neque propter ligna, neque propter vlla neceſſaria receſſit.
Remanſit autem ibi Tancredus cum ſuis hominibus, & cœpit vehementer vbique
coanguſtare ciuitatem. Ipſa autem die veniebat maxima pars Hermeniorum, &
Surianorum ſecurè de montaneis, qui ferebant alimenta Turcis in adiutorium ci-
uitatis. Quibus obuiam venit Tancredus, & confeſtim apprehendit, & omnia

quæ deferebant, videlicet frumentum, vinum, & oleum, & alia huiuſmodi. Sic A
itaque proſperè robuſtéque deducebat ſe Tancredus, etiam quoque habebat pro-
hibitas & inciſas omnes ſemitas Turcis, vſquednm Antiochia fieret capta. Om-
nia quæ fecimus antequam Antiochia capta fuiſſet, nequeo enarrare. Quæ facta
ſunt, vel quomodo fuerint poſtea, aliquanrulum volo explicare. Ideò aliquantu-
lum dico, quia nemo eſt in his partibus, qui omninò, ſiue Clericus ſiue laicus,
dicere ſiue narrare poſſit ſicut res eſt acta.

INTEREA igitur erat quidam Amitalius de genere Turcorum, cui nomen
Pyrrus, qui maximam amicitiam acceperat cum Boamundo. Hunc ſæpè BOA-
MVNDVS tangebat cum nunciis ad inuicem miſſis, quò eum infra ciuitatem
amiciſſimè reciperet: eique Chriſtianitatem liberiùs promittebat, atque eum di-
uitem multo honore facere mandabat. Conſenſit verò ille dictis promiſſionibus,
» dicens: Verumtamen tres turres cuſtodio, eáſque libenter ei promitto, & qua-
» cumque hora voluerit in eas voluntariè recolligam. Erat itaque Boamundus iam
ſecurus de introitu ciuitatis. Vna ergo gauiſus, atque placido vultu, ſerena men-
te, venit ad alios omnes Seniores, eiſque iocunda verba protulit in hoc modo:
» Viri prudentiſſimi milites, videte quomodo nos omnes in nimia paupertate & mi-
» ſeria proiecti ſumus, maiores ſiue minores, & ignoramus penitus ex qua parte
» melius ſuccedat nobis. Si igitur vobis bonum ac honeſtum videtur, eligat ſe an-
» te alios vnus ex nobis quicumque vultis, vtrum ſe ille vllo modo aut ingenio ciui- B
» tatem adquirere, vel ingeniare, aut per ſe, aut per alios, concorda voce dono per-
» mittamus. Qui omninò prohibentes & denegantes, dixerunt: Nemini vnquam
» erit hæc ciuitas dimiſſa, ſed omnes æqualem illam habebimus: ſicut æqualem ha-
» buimus laborem, ſic indè habebimus æqualem honorem. Sic itaque Boamundus,
auditis his verbis, paulò minus ſubridens protinus receſſit. Non poſt multum ve-
rò temporis audierunt omnes Maiores noſtri nuncios de exercitu noſtrorum ho-
ſtium: videlicet Turcorum, & Publicanorum, Angulanórum, Azimitarum, &
aliarum plurimarum nationum gentilium, quas numerare neque nominare neſcio.
Statimque adunauerunt ſeſe omnes inſimul Maiores, & fecerunt conſilium, di-
» centes: Quoniam ſi Boamundus potuerit adquirere ciuitatem aut per ſe, aut per
» alios, nos vna libenti animo vltrò ei donamus: in tantum quòd ſi Imperator ve-
» nerit nobis in adiutorium, & omnem conuentionem ſicut nobis promiſit atque
» iurauit attendere voluerit, nos ei eam reddemus iure. Sin autem, in ſuam pote-
» ſtatem habeat Boamundus. Mox itaque Boamundus cœpit cotidie humiliter ſuos
deprecari amicos, petitione præmittendo humillima, atque dulci voce in hunc
» dicendo modum: Ecce verè tempus modò habemus idoneum, in quo poſſumus
» operari quicquid boni volumus. Igitur adiuuet me amicus meus Pyrrus. Qui ſa-
tis gauiſus de nuncio, ait ſe adiuuare illum, ſicut agere debet. Nocte itaque ve-
niente in proximo, miſit filium ſuum cautè pignus Boamundo: & quòd magis fie-
» ret ſecurus de introitu ciuitatis, amodo miſit ei verba hoc modo: Quòd cras om- C
» nem Francorum gentem præconiare faciat, quo in Sarracenorum terram vadat
» deprædari, deindè celeriter reuertatur per ſiniſtram montaneam. Egóque ero in-
» tentione erecta, præſtolans illa agmina: eáque recipiam in turres, quas habeo in
» mea cuſtodia. Deindè Boamundus confeſtim ad ſe iuſſit vocari ſeruientem quen-
dam ſuum, videlicet Malam-coronam, eique præcepit vt præconiaret gentem
maximam Francornm, quòd fideliter præpararet ſe in Sarracenorum eundi ter-
ram. Factúmque eſt ita. Credidit itaque Boamundus hoc conſilium Duci GO-
DEFRIDO, & Flandrenſi Comiti, & Comiti de Sancto Egidio, atque Podienſi
» Epiſcopo. Quoniam ſi Deo placet erit nobis in hac nocte Antiochia reddita. Or-
dinata ſunt itaque hæc omnia. Milites tenuerunt plana, & pedites montanea.
Tota nocte militauerunt, & vſque prope auroram diei, & deinceps cœperunt ap-
propinquare ad turres, quas ille vigilabat. Confeſtim deſcendit Boamundus, &
» præcepit omnibus, dicendo hæc verba: Ite ſecuro animo, & felici concordia, &
» aſcendite per ſcalas in Antiochiam, quam ſtatim habebimus, ſi Deo placet, in
» noſtra cuſtodia. Veneruntque illi vſque ad ſcalam, quæ iam erat directa, & firmi-
ter ligata ad ciuitatis mœnia: Et aſcenderunt per illam homines ferè ſexaginta
ex noſtris, & diuiſi ſunt per tres turres, quas ille vigilabat. Videns autem Pyrrus,
quòd tam pauci fuiſſent aſcenſi ex noſtris, cœpit pauere mox. Timens namque ſe

&

A & noſtros, ne in manibus Turcorum euenissent, dixit: *Micro Francos echomai*, hoc « eſt, Paucos Francos habeo. Vbi eſt Boamundus? Vbi eſt miles inuictus? Inte- « rim deſcendit quidam ſeruiens Longobardus deorſum, & cucurrit quantociùs ad Boamundum dicens: Quid hîc ſtas, vir prudens? quam ob rem huc veniſti? « Ecce iam nos tres turres habemus. Motus eſt autem vir ille cum aliis omnibus, omnes gaudentes atque lætantes peruenerunt vſque ad ſcalam. Videntes itaque illi qui erant infra turres, cœperunt iocunda voce clamare, DEVS HOC VVLT. Nos verò ſimiliter dicebamus. Et cœperunt mirabiliter continuò aſcendere, & aſcenderunt in turrem, & cucurrerunt feſtinanter ad alias turres. Quóſque illic inueniebant, mortalem eis continuò dabant ſententiam. fratrem quoque Pyrri occiderunt. Interea fortè rupta eſt ſcala, ex qua noſter erat aſcenſus: vnde inter nos eſt orta immenſa anguſtia, ſiue triſtitia. & confeſtim fuimus omnes ſtupefacti ac dolentes. Quanquam fuiſſet fracta ſcala, tamen quædam porta erat iuxta nos clauſa in ſiniſtra parte, quæ quibuſdam manebat incognita. nox namque erat. Sed tamen inquirendo, & palpando, & ſubtiliter inquirendo vbi ipſa latebat, omnes cucurrimus ad eam, ipſâque fracta intrauimus per illam. Iam innumerabilis fragor mirabiliter reſonabat per vniuerſam ciuitatem. Non adquieuit illic Boamundus, imperauit honorabile vexillum deferri ſurſum, coram caſtello, in quodam monte. Omnes ergo pariter nimis in ciuitate ſtride-
B bant. Summo autem diluculo audientes illi, qui foris erant ad tentoria, vehementiſſimum rumorem ſtrepere per ciuitatem, exierunt feſtinantes, & viderunt Boamundum ſeorſum in monte. Celeri cucurrerunt omnes curſu, & venerunt pariter vnuſquiſque ad ſuam portam: & intrauerunt in ciuitatem, & interfecerunt Turcos & Sarracenos quos ibi repererunt, qui fuerunt extra caſtrum. Alij verò ex militibus Turcorum exierunt portas, & fugientes euaſerunt viui.

De morte Caſsiani, quomodo interfectus eſt à Surianis.

CASSIANVS verò dominus illorum expaueſcens valdè gentem Francorum, dedit ſe omninò fugæ cum multis aliis qui erant cum eo: & fugiendo peruenit in Tancredi terram, non longè à ciuitate. Fatigatíque erant equi eorum, & miſerunt ſe in quoddam caſale, & intrauerunt in quandam domum. Cognouerunt ergo eum habitatores terræ illius montaneæ, ſcilicet Suriani & Hermenij. confeſtim apprehenderunt illum, & exciderunt caput eius, & obtulerunt illud ante Boamundi præſentiam, vt mererentur libertatem perfectè recipere. Baltheus quoque eius, & gaina, id eſt vagina, fuerunt adpreciati LX. biſantos. Omnes verò plateæ ciuitatis iam vndique plenæ ſtabant cadaueribus mortuorum; ita vt nemo vix poterat ire per ſemitas ciuitatis, niſi cadauera Turcorum calcando. Hæc omnia geſta ſunt tertia die intrante menſe Iunij in die Iouis.
C Vnde ſit benedictus Deus per cuncta ſecula ſeculorum, amen.

EXPLICIT LIBER TERTIVS.

INCIPIT LIBER QVARTVS.

CVRBALAN autem Princeps militiæ Soldani Perſiæ, dum adhuc eſſet Corrozanum Caſſianus prædictus Antiochiæ legationem ei miſerat, quò ſibi ſuccurreret in opportuno tempore, quoniam gens fortiſſima atque robuſtiſſima Francorum eum impeditum grauiter obſidebat Antiochiæ: & ſi adiutorium fideliter impenderet, Antiochiam ciuitatem in ſuis manibus continuò traderet, aut eum ditaret maximo munere. Cúmque iam habuiſſet maximum exercitum Turcorum ex longo collectum tempore, & licentiam Chriſtianos occidendi accepiſſet à Calipha illorum Apoſtolico, illicò inchoauit iter longæ viæ Antiochiæ. Hieroſolymitanus Ammiralius cum eo & cum ſuo exercitu fuit. Rêxque Damaſci ibi aduenit cum maxima gente. Iſdem verò congregauit ex omni par-

te paganorum innumeras gentes: videlicet Turcos, & Arabes, & Sarracenos, & A
Publicanos, & Azimitas, & Curtos, & Perſas, & Agulanos, & alias multas gen-
tes: quos nominare, aut numerare nemo poterat. Et Agulani fuerunt numero
tria millia. Ipſi neque lanceas, neque vlla arma timebant: quia omnes erant coo-
perti ferro vndique, & equi eorum, ipsíque nolebant in bellum ferre arma, niſi
ſolummodò gladios. Iſti omnes venerunt in obſeſſione Antiochiæ ad diſpergen-
dum Francorum collegium. Et cùm appropinquaſſent ciuitati, venit obuiam eis
Sanzedona filius Caſſiani Ammiralij Antiochiæ, & continuò cucurrit ad Curba-
» lan, lacrymabiliter rogans eum, & dixit: O inuictiſſime Princeps, te ſuppliciter
» deprecor, tuam humili deuotione prudentiam rogito, quatenus mihi ſuccurras:
» quoniam Franci vndique obſident me in Antiocheno oppido, ciuitatémque in
» ſuo tenent imperio, nóſque alienare à regione Romaniæ, ſiue Syriæ, adhuc au-
» tem & Corrozani depoſcunt. Omnia verò quæ cupiunt patrauêre, patrem quo-
» que occiderunt meum: & nihil aliud eſt ſuper, niſi vt me & te, omnéſque ex ge-
» nere noſtro interficiant gladio. Ego verò iamdudum tuum fideliter expectaui ad-
» uentum, vtrum mihi ſuccurras in hoc periculo. Cui Curbalan reſpondens, ait:
» Si vis quòd ex toto corde in tuo ſim proficuo, tibíque fideliter in iſto ſuccurram
» periculo, illud in mea priùs manu trade oppidum: & tunc videbis qualiter ero in
» tuo proficuo, ídque vigilare faciam meis hominibus. Ait quoque Sancedola: Si
» potes omnes Francos occidere, & detruncare, mihíque capita diligenter trade-
» re, ego prædictum tibi dabo fideliter oppidum, & deinde ero tibi tuus effectus ho-
» mo, & in tua fidelitate hoc cuſtodiam oppidum. Cui Curbalan ait: Non ita erit B
» vt tu putas atque cogitas, ſed committe in mea manu caſtrum illud. Commiſit
tamen nolens volens ei illicò caſtrum. Tertia autem die poſtquàm ciuitatem in-
trauimus, præcurſores eorum ante ciuitatem præcucurrerunt. Exercitus nam-
que illorum ad Pontem-Ferreum caſtrametatus eſt: & expugnauerunt turrem
Turci, & occiderunt omnes quos illic inuenerunt: & nemo euaſit viuus, niſi Do-
minus illorum. quem poſtea ligatum reppetimus in vinculis ferreis, facto maiore
bello in vigilia beati Apoſtoli. Craſtina autem die moto exercitu paganorum,
appropinquauerunt ciuitati, & caſtrametati ſunt inter duo flumina, ſteterúnt-
que ibi per duos dies. Recepto itaque caſtro, tunc Curbalan confeſtim aduoca-
uit vnum Ammiralium ex ſuis, quem ſermone ſciebat veracem, mitem, & pa-
» cificum. & ait illi: Volo vt intres in fidelitate mea hoc caſtrum cuſtodire, quòd
» ex tempore longiſſimo ſcio te valde fideliſſimum: ideóque precor te, vt ſumma
» cautela hoc contineas oppidum. Adhuc namque quia ſcio te in opere pruden-
» tiſſimum, nullúmque magis veracem & fortiſſimum hîc modò reperire nequeo.
» Cui Ammiralius ait: Tibi vnquam de tali vellem obedire officio. ſed priuſquàm
» me tuo arguas ſtimulo, hoc faciam eo tenore, quòd ſi Franci eiecerint vos de
» mortali prœlio, eis continuò hoc reddam caſtrum. Dixitque Curbalan: Tam
» honeſtum & prudentem te cognoſco, vt omne quicquid boni vis agere ego vti- C
» que conſentio. Reuerſus eſt itaque feſtinanter Curbalan ad ſuum exercitum in
valle illa, vbi erat caſttametatus. Protinus Turci deludentes Francorum colle-
gium, detulerunt ante Curbalan conſpectum quandam viliſſimam enſem rubi-
gine tectam, & deterrimum valde arcum ligneum, & lanceam nimis inutilem,
» quam abſtulerunt nuper pauperibus peregrinis, dicentes: Ecce arma, quæ attu-
» lerunt Franci obuiam nobis ad pugnam. Tunc Curbalan videns hæc arma, cœ-
pit ſubridere in propatulo, dicendo omnibus qui in illo erant collegio: Hæc ſunt
» arma bellica atque nitida, quæ attulerunt Chriſtiani ſuper nos in Aſiam, orti in
» Occidentali terra, ſcilicet in Europa, quæ eſt mundi pars tertia: quibus putant
» ac confidunt nos expellere & propulſare vltra Coroſani confinia, & delere om-
» nia noſtra nomina vltra Amaſonia flumina: qui propulſerunt omnes noſtros pa-
» rentes à Romania & Antiochia ciuitate regia, quæ honorabile eſt caput totius
Syriæ. Continuò aduocauit ſuum fidelem Notarium ad ſe, & ait:

A *Hîc miſit Corbalan Soldano Perſiæ Epiſtolas, & ad Apoſtolicum Calipham.*

SCRIBE ergo citò plures Cartas, quæ in Coroſanum ſint legendæ, hoc mo- Robertus Mon. lib. VI. p. 57. & ſeq.
do: CALIPHÆ *noſtro Apoſtolico, & noſtro Regi domino Soldano, militi fortiſsimo,*
atque omnibus prudentiſsimis Coroſani militibus, ſalus & immenſus honor. Satis ſint læ-
ti & gauiſi iocunda concordiâ, & ſatisfaciant ventribus: voluntatem imperent, & ſer-
mocinent per vniuerſam regionem illam, & omninò dent ſeſe ad petulantiam luxuriæ,
vtrum multos filios patrare congaudeant, qui contra Chriſtianos bellare fortiter præua-
leant, & libenter ſuſcipiant hæc tria arma, quæ olim abſtulimus à Francorum turma: &
diſcant modò quæ arma adduxit ſuper nos gens Francigena, qualiter ſunt optima atque
perfecta. Heu! certare voluit contra noſtra arma, quæ ſunt bis aut ter ſiue quater pur-
gata ſicut argentum, aut aurum puriſſimum. Adhuc quoque ſciant omnes, quoniam ego
omnes Francos intus Antiochiam habeo incluſos, & caſtrum in mea libera voluntate te-
neo. Illi namque deorſum ſunt in ciuitate. Ego autem habeo iam illos omnes in mea ma-
nu, aut eos faciam capitalem ſubire ſententiam, aut eos deducam in Coroſanum in capti-
uitate nimia, eò quòd minantur nos ſuis armis propulſare & eiicere vltra Coroſani confi-
nia, aut delere omnia noſtra nomina vltra Amaſonia flumina: aut eiicere nos vltra ſu-
B *periorem Iudæam, ceu eiecerunt omnes parentes noſtros de cuncta Romania ſiue Syria.*
Amodò vobis namque iuro per Machomet, & per omnia Deorum nomina, quoniam an-
te veſtram non ero reuerſurus præſentiam, donec regalem Antiochiam, omnem Suriam,
ſiue Romaniam atque Bulgariam vſque in Apuliam adquiſiero mea forti dexterâ, ad Deo-
rum honorem, & veſtrum, omniúmque noſtrorum Turcorum. Sic itaque fecit finem
dictis. Mater autem eiuſdem Curbalan, quæ erat in Aleph ciuitate, ſtatim acceſſit
ei lacrymabiliter, & dixit: Fili, ſúntne vera ea quæ audio? Cui ille ait. Quæ? Et «
dixit illa. Iam audiui, quòd bellum vis committere cum Francorum gente. Cui «
ille ait: Verumtamen verum hoc eſſe omninò ſcias. Dixit illa: Conteſtor, fili, «
per Deorum nomina, & per tuam magnam audaciam, immenſámque bonitatem, «
ne bellum ſimul cum Francis committere libeat: quoniam tu es miles inuictus, & «
nullam imprudentiam ex te aut tuo exercitu vnquam penitus audiui, & te è cam- «
po ab aliquo victore fugientem quiſquam minimè inuenit. Diffamata eſt tua mi- «
litia ab Oriente vſque in Occidentem, & omnes prudentes milites audito tuo no- «
mine contremiſcunt. Satis namque ſcimus, fili, quoniam tu es bellipotens, & «
fortis, & bellorum ingenioſus: nulláque gens Chriſtianorum nec Paganorum «
ante tuum conſpectum aliquam virtutem habere potuit. Sed fugiebant, ſolum- «
modò audito tuo nomine, quemadmodum oues ante leonis furorem fugiunt. «
Ideóque obſecro te, cariſſime ac dilectiſſime fili, vt meis aequieſcas conſiliis, & «
ne vnquam in tuo hæſitet animo, aut in tuo inueniatur conſilio, quòd bellum in- «
C cipere velis ſimul cum Chriſtianorum collegio. Tunc Curbalan materna audiens «
monita, feroci quandóque reſpondit ſermone: Quid eſt hoc, mater, quod mihi «
refers? Puto namque quòd inſanis, aut furiâ es plena. Enimuerò plus ſolum- «
modò habeo mecum Ammiralios, quàm iidem Chriſtiani ſunt, maiores ſiue mi- «
nores. Reſponditque ei mater eius: O dulciſſime fili, Chriſtiani nequeunt vo- «
biſcum bellare. Hoc enim ſcio ſatis, quòd ipſi non valent pugnam inferre vo- «
biſcum: ſed eorum Deus pro ipſis cotidie pugnat, eóſque die noctúque ſua «
protectione defendit, & vigilat ſuper eos, ſicut paſtor qui vigilat ſuper gregem «
ſuum, & non permittit eos lædi ipſe, nec conturbari ab vlla gente: & quicumque «
voluiſſet eis obſiſtere, idem eorum Deus ſtatim conturbat illos, ſicut idem ait «
per os Prophetæ Dauid: *Diſſipa gentes, quæ nomen tuum, Domine, non inuocauerunt.* «
Antequàm verò præparati ſint ad bellum incipiendum, eorum Deus optimus & «
bellipotens, ſimul cum ſuis Sanctis omnes iam habet inimicos deuictos: quantò «
magis faciet modò circa vos, quia eius vos eſtis inimici, & qui præparatis vos eis «
obſiſtere tota virtute? Hoc namque in veritate ſcias, quoniam Chriſtiani iſti «
Chriſti filij vocati ſunt, & per Prophetarum ora *filij adoptionis ac promiſsionis*, & «
per Apoſtolum, *Hæredes Dei, cohæredes autem Chriſti.* Quibus Chriſtus hæredita- «
tes eis repromiſſas iam donauit, dicendo: *A ſolis ortu vſque ad occaſum*, vel in «
Occidentem, *erunt termini veſtri: ita quòd nemo audax ſtabit contra vos.* Et quis «

» poteſt his dictis coutradicere, vel obſtare? Certè ſi hoc bellum contra illos in- A
» cœperis, maximum erit tibi damnum & dedecus, & multos milites tuos perdi-
» deris, & vniuerſa ſpolia quæ apud te habes amiſeris, & in nimia fuga eueneris.
» Tu autem in hoc bello non morieris modò, ſed omnia habentia in hoc perdi-
» deris prælio. Propterea dico tibi, non morieris modò, quia eorum Deus non
» ſtatim iudicat offendentem ſe exertâ irâ, ſed quando vult eum punit manifeſtâ
» vindictâ: timeóque ne re iudicet pœnali triſtitiâ, & tibi dico modò, quia in hoc
» anno morieris. Curbalan autem valde dolens in intimis viſceribus, maternis au-
» ditis verbis reſpondit: Mater cariſſima, quæſo, quis tibi dixit iſta de Chriſtiana
» gente, quòd Deus eorum tantùm amet eos, & quòd ipſe pugnandi virtutem in
» ſe retinet maximam, & quòd illi Chriſtiani vincent nos in Antiocheno prœlio,
» & quòd ipſi erunt noſtra capturi in prœlio iſto ſpolia, & nos perſequenrur im-
» menſa victoriâ, & quòd in hoc anno ero moriturus morte ſubitanea? Tunc re-
» ſpondit ei mater, dicens & dolens: Fili, plus quàm centum annorum tempora
» ſunt, quòd inuentum eſt in veſtra paginâ, & in omnium gentilium voluminibus,
» quoniam gens Chriſtiana foret ſuper nos venienda, & nos vbique vincenda, &
» ſuper Paganos regnatura, & noſtra gens illis vbique erit ſubdita. Sed ignoro amo-
» dò, an retrò erit venienda. Et ego dolens itaque non deſiui ſequi te in Aleph ci-
» uitate pulcherrima, in qua ſpeculando, atque ingenioſè rimando, reſpexi cœ-
» lorum aſtra: atque ingeniando ſagaciter, ac mente ſedula ſcrutando cœlorum
» planetas, ac in duodecim polorum ſigna, ſiue in ſortes innumeras: in eis repperi,
» quoniam gens Chriſtiana nos vbique foret vincenda. Ideo timeo valde dolens, B
» & nimis mœſtiſſima, ne ex te infelix ego remaneam orbata. Dixítque illi Curba-
» lan: Mater dulciſſima, dic mihi omnia, quæ in corde meo ſunt incredula. Quæ
» reſpondens, ait: Hoc libenter, cariſſime, faciam, ſi verò ſciero ea quæ tibi ſunt
» incognita. Cui ille dixit: Non ſunt igitur Boamundus & Tancredus Franco-
» rum Dij, & non eos liberabant de omnium inimicorum perſecutione? Reſpon-
» ditque eius mater: Fili cariſſime, Boamundus & Tancredus mortales ſunt,
» ſicut alij homines: ſed Deus illorum diligit illos præ omnibus aliis, & virtutem
» præliandi plus quàm alius coditie miniſtrat illis. Nam Deus illorum, Omni-
» potens eſt eius nomen, qui fecit cœlum & terram, & fundauit maria, & vniuerſa
» quæ in eis ſunt: cuius ſedes in cœlo eſt, parata in æternum, cuius poteſtas vbique
» eſt metuenda. Dixítque illi filius: Si ira eſt cauſa, cum eis præliari non deſinam.
» Audiens itaque mater eius, quòd nullo modo adquieſceret conſiliis ſuis, vehe-
menter dolens receſſit retrorſum in Aleph ciuitate, deferens ſecum cuncta ſpolia
quæ conducere potuit.

Tertia verò die armauit ſe Curbalan, & maxima pars Turcorum cum eo, veneruntque ad ciuitatem ex illa parte, in qua caſtrum erat. Noſtri autem putantes reſiſtere, nolentes volentéſque intrauerunt ciuitatem: quibus fuit tam mirabiliter arta & anguſta porta, quòd illic fuerunt multi mortui oppreſſione aliorum. C Interea alij pugnabant extra ciuitatem, alij intus in quinta feria per totam diem vſque ad veſperam. In ſexta feria ſimiliter præliati ſunt per totum diem, occideruntque ex noſtris multos. In illa die fuit ſauciatus quidam probatiſſimus miles, videlicet Arvevs Tvdebonvs, quem detulerunt ſocij eius vſque deorſum in ciuitatem: ibique fuit viuus vſque in Sabbato, & inter nonam & ſextam horam migrauit à ſeculo, viuens in Chriſto. Cuius corpus ſepeliuit Petrvs quidam Sacerdos frater eius ante portam occidentalem beati Petri Apoſtoli, habens maximum timorem ſicut caput amittendi, & omnes alij qui in ciuitate erant. Omnes legentes & audientes deprecamur, vt dent eleemoſynas & orationes, & dicant pro anima eius, & pro omnium defunctorum, qui in Hieroſolymitana via mortui fuerunt. Alia die Guillelmus de Grentamaſnil, & Albericus frater eius, Iuóque de Grentamaſnil, & Guillelmus de Bernonuilla, Guido Troſſelus, & Guillelmus filius Richardi, & Lambertus Pauper: iſti omnes timore perterriti de heſterno bello, quod perdurauerat vſque ad veſperam, nocte larenter dimiſerunt ſe per murum, & fugientes pede contra mare, ira quòd neque in manibus neque in pedibus aliquid remanſit, niſi ſolummodò oſſa ſua. Multique alij fugerunt cum illis, quos nominare neſcio. Venientes igitur ad naues, quæ erant ad
» portum Sancti Simeonis, dixerunt nautis: Quid hic miſeri ſtatis? Omnes enim

A mortui ſunt, & nos mortem penè euaſimus, quia exercitus Turcorum vndique «
obſedit nos in ciuitate. At illi audientes talia, ſtabant ſtupefacti, & timore per- «
territi, & concurrerunt in naues, & miſerunt ſe in mare. Deindè ſuperuenienti-
bus Turcis, quos inuenerunt occiderunt, & naues, quæ in alueo fluminis erant
remanſæ, combuſſerunt igne, & apprehenderunt ſpolia eorum. Nos denique qui
remanſimus, nequiuimus ferre pondus, neque arma illorum qui erant in caſtrum:
fecimúſque murum inter nos & illos qui vigilabant die & nocte. Interdum tanta
oppreſſione fuimus oppreſſi, quatenus equos & aſinos manducaremus. Alia par-
te fuimus in maximo terrore Turcorum, ita quòd multi Maiorum noſtrorum vo-
lebant fugere nocte, ſicut alij fecerunt. Quadam verò die ſtantibus noſtris Maio-
ribus in montanea ſurſum ante caſtellum, triſtibus ac dolentibus, neſcientibus
quid debuiſſent facere; venit quidam Sacerdos, cui nomen Stephanus, ad eos,
& dixit eis: Seniores, ſi vobis placet, audite rem aliquam, quam ego vidi. Dum «
in hac nocte iacerem in Eccleſia Sanctæ Mariæ matris Domini noſtri Iesv «
Christi, apparuit mihi Saluator mundi cum ſua genitrice Maria, & beato «
Petro Apoſtolorum Principe, ſtetitque ante me Dominus, & dixit mihi: Stepha- «
ne, agnoſcis me? Cui ego reſpondi: Te ego alio modo non agnoſco, niſi quia «
crucem in capite tuo cerno, ſicut Saluatori noſtro. Dominúſque dixit mihi: Ego «
ſum. Tunc ſtatim cecidi ad pedes eius lacrymando, rogans humiliter vt ſubue- «
B niret nobis in oppreſſione illius execratæ gentis, quæ tenebat nos incluſos in ciui- «
tate. Reſponditque mihi Dominus: Benè adiuui vos, & benè adiuuabo. Ego «
verò permiſi vos habere Nicæam ciuitatem, & omnia deuincens bella: ego con- «
duxi vos vſque huc, condolui veſtræ miſeriæ, quam paſſi fuiſtis in Antiochiæ ob- «
ſidione. Et modo in oportuno auxilio ad maximum ſuccurſum miſi vos ſanos & «
incolumes intra ciuitatem. Sed multùm prauam rem facientes multi Chriſtiani, «
eo quòd iacent cum paganis mulieribus, vnde immenſus fœtor aſcendit in cœ- «
lum. Tunc alma Virgo Maria, & beatus Petrus Apoſtolus, ceciderunt ante pe- «
des eius, rogantes & deprecantes, vt ſuum in hac anguſtia manentem adiuuet «
populum, dicentes: Domine, per multa tempora tenuit Paganorum gens Ec- «
cleſias noſtras, in quibus multa & ineffabilia mala faciebant. Modò verò Chri- «
ſtiani expulſis inimicis, tui Angeli lætantur in cœlis. Et iterum dixit mihi Domi- «
nus: Stephane, vade, & dic populo meo, vt reuertatur ad me, & ego reuertar ad «
illum: & infra quinque dies mittam ei magnum adiutorium, & cotidie decantet, «
Congregati ſunt, &c. cum verſu. Et accipiant pœnitentias, & nudis pedibus fa- «
ciant proceſſiones per Eccleſias, & pauperibus dent eleemoſynas, & faciant Miſ- «
ſas Preſbyteris celebrare, & ſint communicati corpore & ſanguine Chriſti. Et ſic «
incipiant bellum, & ego mittam eis adiutorium beatum Georgium, & Theodo- «
rum, & Demetrium, & peregrinos qui iſta via mortui fuerunt Hieroſolymitana. «
Iſta mihi dixit Dominus. Et omnes Seniores, ſi hoc non creditis verum eſſe, ſi- «
C nite me modò in maiorem turrim ſcandere, mittámque me deorſum: ſi fuero ſal- «
uus & incolumis, credatis hoc eſſe verum. Si autem vllam læſionem fuero paſſus, «
decollare me, & in ignem proiicire. Tunc Podienſis Epiſcopus iuſſit afferri Euan- «
gelia & Crucem, & fecit iurare illud eſſe verum. Poſtea conſiliati ſunt omnes no-
ſtri maiores in illa hora, vt iuraſſent quòd nullus illorum fugeret de ciuitate,
quamdiu viui fuiſſent, neque per mortem, neque per vitam. Primus dicitur iu-
raſſe Boamundus, deinde Comes Sancti Egidij, & Rotbertus Normannus, & Dux
Godefridvs, & Rotbertus Comes Flandriæ, & alij Seniores. Tancredus
iurauit tali modo, ac promiſit, quamdiu ſecum quadraginta milites haberet, quòd
non ſolùm ex illa ciuitate, ſed etiam ab Hieroſolymitano itinere non eſſet reuer-
ſurus. Vnde nimis exultauit omnis Chriſtianus exercitus. Erat autem ibi qui-
dam peregrinus de exercitu noſtro, Petrus Bartholomeus nomine, cui appa-
ruit Sanctus Andreas Apoſtolus, antequàm ciuitatem intraremus, dicens:
Quid agis, bone vir? Cui ille reſpondit: Tu quis es? Dixit ei Apoſtolus: Ego «
ſum Andreas Apoſtolus. Noſcas fili, quia dum villam intraueris, vade ad Eccle- «
ſiam beati Petri Apoſtoli, ibique inuenies lanceam Saluatoris noſtri Iesv «
Christi, ex qua dum in crucis penderet patibulo vulneratus fuit. Hæc om- «
nia dicente Apoſtolo, continuò receſſit. Ipſe autem timens reuelare conſilium
Apoſtoli, noluit indicare noſtris hominibus, ſcilicet peregrinis. Æſtimabant au-

» tem ſe viſum videre. Alia quoque vice apparuit ſanctus Andteas, dicens ei: Qua- A
» re non dixiſti petegrinis quod tibi præcepi? Et dixit ad eum: Domine, quis
» hoc crediderit? In illa verò hora accepit eum ſanctus Andreas, & portauit eum
in ciuitate vſque ad locum, vbi lancea erat recondita in terra. Eo vidente, ab-
ſtraxit ſanctus Andreas Apoſtolus lanceam de terra, & miſit in manibus, dicens:
» Hæc eſt lancea Domini noſtri IESV CHRISTI, quam miſi hîc, & frater meus
» Apoſtolus Petrus. Eo vidente, miſit eam ibidem, & dixit Petro poſtea: Reuet-
» tere ad exercitum. Cui ille reſpondit. Domine, quomodo poſſum ire? Iam Tur-
» ci ſunt ſuper muros ciuitatis, qui poſtquàm audierint me, ilicò occident me. Cui
» reſpondit Apoſtolus: Vade, ne timeas. Tunc Petrus exire cœpit de ciuitate vi-
dentibus cunctis Turcis, nihílque ei dixerunt. Turci namque, qui erant in caſtel-
lo ſeorſum, tam mirabilitet coanguſtabant noſtros, quòd quadam die incluſerunt
ttes milites ex noſtris in quadam tutre, quæ erat ante eorum caſtrum. Exierunt
namque gentiles, & irruerunt ſuper illos tam actitet, quòd illi nequibant ſufferre
virtutem eorum. Duo verò ex eis exierunt de tutri vulnerati, & tertius viriliter
per totam diem defendebat ſe de Turcorum inuaſione ita prudentiſſimè, quòd in
illa die Tutcos ſtrauerit ſuper aditum muri cum cæſa haſta. Ttes haſtas detrunca-
uerunt illi die illa in manibus ſuis. Erat autem nomen eius Hugo lo Fotſennet, de
exetcitu Goffredi de Monte-ſcabioſo.

Hic iuſſit BOAMVNDVS *igne ciuitatem accendere.* B

VIDENTES autem Boamundus & Tancredus, quòd nullatenus potuiſſent
conducete gentem ſurſum in montanea ante caſtrum ad bellum; ſed erant incluſi
in domibus, timentes alij fame, alij timote Turcorum: nimis irati fuerunt. Iuſſit
itaque Boamundus confeſtim mittere ignem in ciuitatem, in illa parte in qua erat
Caſſiani Ammiralij Palatium. Videntes verò illi qui erant in ciuitate ignem atde-
re, & in tantum ſutgere, dimiſerunt domos, & ſimul cum ſpoliis fugiebant in
montaneam, alij ante caſtrum, alij ante portam Comitis Sancti Egidij, alij ante
portam Ducis GODEFRIDI, & ſic vnuſquiſque ad ſuam gentem. Tunc Boa-
mundus contriſtatus eſt valde, timens quòd Eccleſia ſancti Petri, & Ecceleſia ſan-
ctæ Mariæ arderent: quia ignis perdurauit à tertia vſque ad mediam noctem. Ta-
men fuerunt crematæ tam Eccleſiæ quàm domus, duo millia. Veniente autem
media nocte, ceſſauit ventus, & cecidit ignis. Itaque Turci habitantes in caſtel-
lo, intra ciuitatem bellabant nobiſcum die ac nocte, quòd nihil aliud diſſeparabat
nos niſi arma. Aliquando exiebant cum aliis quatuot Ammiralij, qui erant omnes
cooperti auro, & equi eorum ſimiliter vſque ad iuncturam genuum. qui Ammita-
lij conducebant eos. Videntes hoc noſtri, quòd non potuiſſent diu pati, quoniam
qui habebat panem non licebat manducare, & qui habebat aquam non licebat bi-
bere. Tunc noſtri fecerunt murum intet nos & montaneam, & ædificauerunt C
quaſi caſtellum & machinas, vt ſecuri fuiſſent. Alia verò pars Turcorum hoſpi-
tata fuit circa ciuitatem in vna valle ex alia parte. Nocte quoque veniente venit
ignis de cœlo, qui apparuit ab Occidente, & cecidit intra Turcorum exetcitus.
Vnde multùm mitati ſunt Turci, & noſtri. Mane autem facto tremefacti Tutci
fuerunt, & fugiebant huc & illuc propter ignis timorem. Tamen obſedetunt nos
ita circa ciuitatem, quòd nullus noſtrorum audebat exire ciuitatem, aut intrare,
niſi nocte furtim. Ita verò eramus oppreſſi, & ab illis paganis ita obſeſſi, & ſanctæ
Chriſtianitatis inimicis, qui fuerunt numero trecenti ſexaginta quinque millia,
excepto Ammitalio Hieroſolymitano, qui fuit cum eis cum ſua gente. Rex quo-
que venit ſimiliter de Aleph ciuitate. Iſti verò propliani inimici Dei ita tenebant
nos incluſos in ciuitatem Antiochiæ, quòd multi mortui fuerunt fame: quoniam
paruus panis vendebatur vno biſantio aureo. De vino non loquar, *vtqaem graſ-
ſem*, id eſt non vinum. Vnam gallinam XV. ſolidos, vnum ouum duobus ſolidis,
vnam nucem vno denario, tres fauas vel quatuor vnum denarium, paruam ca-
pream LX. ſolidos & IX. denarios, & linguam vnius cameli, quæ eſt parua, IV. ſo-
lid. Carnem equotum & aſinotum manducabant & vendebant. Folia fici, vitis,
& arborum, coquebant in aqua, & manducabant. Alij coria equotum & aſino-
rum, & camelotum & boum, ſiue bufalorum, ſicca ſex annos vel quinque mitte-

A bant in aqua duabus noctibus & vno die obtemperare, postea decoquebant & manducabant. Iſtas anxietates & multas anguſtias, quas nominare nequeo, paſſi fuimus pro CHRISTI nomine, & pro ſancti Sepulchri via liberanda. Tales ergo tribulationes, & fames atque timores, paſſi ſunt ſerui Dei per viginti ſex dies.

Hic receßit Comes STEPHANVS *cum ſuo exercitu.*

IMPRVDENS itaque STEPHANVS Carnotenſis Comes, qui erat Caput noſtrum, quem omnes Maiores noſtri elegerant, vt eſſet noſtrorum ductor, maxima ſe fingens deprimi infirmitate, priuſquàm Antiochia foret capta, turpiter receſſit in aliud caſtrum, quod vocatur Alexandreta. Nos itaque cotidie præſtolabamur aduentum eius, quatenus ſubueniret nobis in adiutorio, qui eramus incluſi in ciuitatem, ſalutifero carentes auxilio. At ille poſtquàm audiuit gentem Turcorum circumcingentem atque obſidentem nos in ciuitatem, aſcendit ſuper proximam montaneam, quæ imminebat omnes montes qui erant in circuitu eius, quæ ſtabat prope Antiochiam. Videnſque innumerabilia tentoria, vehementer perterritus receſſit. Hoc itaque nimio correptus timore, repente cum ſuo exercitu turpiter fugiuit cum magna feſtinatione. Veniénſque ad ſuum caſtrum, exſpoliauit eum, & celeri curſu retrò imprudenter iter reuertitur.

B

Hic receßit ALEXIVS *Imperator timore Turcorum, & GVIDO planxit plango magno* BOAMVNDVM *fratrem eius.*

POSTQVAM venit obuiam Imperatori ad Philomiam, acceſſit ad eum ſecretè, & ſeorſum vocauit eum, dicens: Scias reuera quoniam Antiochia capta eſt, & « caſtrum minimè adhuc captum eſt, noſtríque in graui oppreſſione obſeſſi ſunt, & « vt puto à manibus Turcorum iam interfecti ſunt. Reuertere ergo retrò quàm citiùs potes, vt & ipſi non inueniant te, & gentem quam ducis. Tunc Imperator « timore perterritus clam vocauit GVIDONEM fratrem Boamundi, omnéſque alios, & dixit eis: Seniores, quid facturi erimus? Ecce omnes noſtri diſtricta obſeſſione impediti ſunt, & forſitan in hac hora omnes à Turcorum manibus occiſi « ſunt, aut in captiuitate ducti, ſicut iſte infelix Comes imprudenter fugiens narrat. « Si verò vultis, reuertamur retrò celeri curſu, vt & nos non moriamur repentina « morte, quemadmodum & illi mortui ſunt. Cúmque Guido honeſtiſſimus miles « hæc talia audiſſet fallacia, ſtatim cum aliis omnibus cœpit plorare, & vlulare vehementiſſimo planctu, & vna voce dicebant: O Deus verus, trinus, & vnus, quamobrem hæc fieri permiſiſti? Cur populum ſequentem te in manibus inimicorum « incidere permiſiſti? & viam tui Itineris, tuique ſancti Sepulchri liberantem tam « citò mori conceſſiſti? Profectò, ſi hoc verum eſt, quod nos ab iſtis nequiſſimis au- «

C diuimus, nobis referentibus, nos & alij Chriſtiani derelinquemus te, nec te ampliùs rememorabimur, & vnus ex nobis non audebit vlteriùs nomen tuum inuocare. Et fuit hic ſermo mœſtiſſimus valde in tota militia: ita quòd nullus noſtrorum audebat, neque Archiepiſcopus, neque Epiſcopus, neque Abbas, neque Preſbyter, neque Clericus, neque quiſque laicus, CHRISTI inuocare nomen per plures dies. Nemo poterat conſolari Guidonem plorantem, & plaudentem manibus, ſuóſque frangentem digitos, & dicentem: Heu me! Boamunde, honor & decus totius mundi, quem vniuerſus Orbis timebat, atque amabat. Heu « me triſtem! non merui dolens tuam videre honeſtiſſimam ſpeciem, qui nullam « magis rem videre deſiderabam. Quis mihi det vt ego moriar pro te, dulciſſime « amice & domine? Cur ex vtero matris exiens meæ, non ſtatim mortuus fui? Cur « ad hanc lugubrem diem perueni? Cur non necatus fui in mare? Cur ex equo non « cecidi fracto collo, recipiens repentinum interitum? Vtinam tecum recepiſſem « felix martyrium, & cernerem te recepiſſe glorioſiſſimum finem! Cúmque omnes « occurriſſent ad eum, & conſolarentur eum, vt iam finem daret planctui; reuerſus eſt in ſe, & dixit: Forſitan creditis huic ſemicano imprudenti militi? Numquam « verè audiui de militia aliqua loqui, quàm iſdem feciſſet. Sed turpiter & inhoneſtè « recedit, ſicut nequiſſimus & infelix: & quicquid miſer nunciat, ſciatis per omnia « falſum eſſe. Interea iuſſit Imperator ſuis hominibus, dicens: Ite, & conducite «

» omnes homines iſtius terræ in Burgariam, & explorate, & deuaſtate vniuerſa lo- A
» ca, ne cùm venerint Turci aliquid poſſint hîc reperire. Volentes nolentéſque no-
ſtri reuerſi ſunt retrorſum, dolentes & mœrentes amariſſimè vſque ad mortem. Fuerúntque mortui multi ex peregrinis, qui erant langoentes in nimia ægritudine. Quíque fortiter non præualebant militiam ſequi, remanebant morientes in via, & omnes alij reuerſi ſunt Conſtantinopolim.

Quomodo fuit lancea Domini IESV CHRISTI *inuenta primùm.*

IGITVR nos infra ciuitatem detenti, venit Petrus Bartholomeus ad Comitem Sancti Egidij, & dixit ei vt pergeret ad Eccleſiam ſancti Petri, vbi erat lancea recondita. Ille audiens hæc, cum magna lætitia venit ad Eccleſiam. Et ille Petrus oſtendit ei locum ante ianuas Chori in dextera parte. Et foderunt ibi tredecim homines de mane vſque ad veſperam. Facta autem nimis profunda fouea, ipſe Petrus inuenit lanceam IESV CHRISTI, ſicut beatus ei Andreas indicauerat; quartodecimo die intrante Iunio. Et acceperunt illam cum magno gaudio, *Te Deum laudamus* pſallentes, detulerunt laudantes ad altare: vnde maxima lætitia in tota vrbe fuit. Hæc audiens exercitus Francorum, cum magno gaudio ad Eccleſiam S. Petri venerunt, videre lanceam: & ſimiliter Græci, & Hermenij, & Suriani, cantantes *Kyrie eleiſon*, & dicentes: *Kalo Franci* .... *Chriſto:* B
» hoc eſt, Boni ſunt Franci, qui habent lanceam Chriſti.

Hîc miſerunt Chriſtiani nuncios ad Corbalan.

POSTEA fecerunt omnes conſilium, quomodo bellum inciperent cum Turcis. Sed primitus laudauerunt omnes, quòd miſiſſent Curbalan, & aliis inimicis
» Dei Turcis, qui diceret eis: Quare introiſtis in Terram Chriſtianorum? Ermiſerunt Petrum Heremitam, & Arluinum Drogamundum, dicentes eis, & interrogantes eos: Cur audacter & ſuperbiſſimè intrauêre in Chriſtianorum Terram.
» Qui venientes dixerunt ad eos: Sciatis quòd multum mirantur noſtri, quare huc
» veniſtis. Sed forſitan huc veniſtis, quia vultis effici Chriſtiani, & vt credatis in
» vnum verum Deum natum ex Virgine Maria, quem nos credimus. Si verò pro-
» pter hoc minimè huc veniſtis, rogant vos humiliter omnes Maiores noſtri, ſiue
» Iuniores, quòd velociter recedatis de Terra Dei & Chriſtianorum, quam beatus
» Petrus Apoſtolus iamdudum prædicauit, & ad Chriſti culturam reuocauit, & in-
» dè primus Epiſcopus electus fuit. Quod ſi feceritis, permittunt vobiſcum dedu-
» cere omnia veſtra: ſcilicet equos, & mulos, & aſinos, & camelos, oues quoque &
» boues, & omnia alia ornamenta. Tunc Curbalan Princeps militiæ Soldani Perſiæ, cum omnibus Amiraliis, pleni tumidâ ſuperbiâ, feroci reſponderunt ſermo-
» ne: Quoniam quippe Deum veſtrum & veſtram Chriſtianitatem nec optamus, C
» nec volumus: vóſque cum illis omninò reſpuentes, huc vſque iam venimus, eò
» quòd valde miramur, quamobrem Maiores & Seniores, ſiue minores veſtri, quam
» vos memoratis Terram, quam abſtulimus propè maxima virtute effeminatis gen-
» tibus, & illi dicant eſſe ſuam. Vultis ergo ſcire, quid vobis dicemus? Reuertimi-
» ni quantociùs, & dicite veſtris Senioribus, quia ſi per omnia efficiuntur Turci, &
» Deum veſtrum, quem vos inclini colitis, abnegare voluerint, nos illis hanc & ſa-
» tis plus dabimus Terram, & ciuitates, & caſtella, & vxores, & maximas heredita-
» tes: adhuc autem quòd nemo veſtrorum remanebit pedes, ſed erunt omnes mili-
» tes, ſicut & nos ſumus, & habebimus eos ſemper in magna amicitia. Sin autem,
» ſciant ſe per omnia capitalem ſubire ſententiam, aut deduci in vinculis Coroſa-
» num in captiuitate perpetua, & ſeruient nobis noſtríſque infantibus per ſempi-
» terna tempora.

Incipit bellum.

NVNCII itaque noſtri frequenter reuerſi ſunt ad Francos Chriſtianos, referentes hæc omnia, & quemadmodum reſpondit eis gens hæc crudeliſſima. Interea exercitus noſter in vtraque tremefactus parte, ignorabat quid facere debuiſſet. In vna enim parte coanguſtabat eos cruciabilis fames, in altera conſtringebat eos

A Tuteorum timot. Tamen fecerunt, ſicut mandauit eis Dominus IESVS CHRISTVS per Sacerdotem Stephanum, triduana ieiunia, & de peccaris ſunt confeſſi, & proceſſiones fecerunt de vna Eeclesia in aliam, atque abſoluti, & fideliter corpore & ſanguine Chriſti communicati ſunt, & dederunr cleemoſynam pauperibus, & fecetunt cantare Miſſas. Deindè feeerunt ſex acies intra ciuitatem. In prima fuit HVGO MAGNVS cum Francigenis, & Flandrenſi Comite Rotberto. In ſecunda quippe Dux GODEFRIDVS cum ſuo exercitu. In tertia fuit Rotbertus Normannus cum ſuis hominibus. In quarta fuit Ademarus Podienſis Epiſeopus, portans ſecum lanceam Saluatoris noſtri IESV CHRISTI cum ſua genre, & eum exereitu Raimundi Comitis Sancti Egidij, qui remanſit ſurſum ad caſtellum euſtodiendum in montaneam, pro timote Turcorum, ne deſcendetent in ciuitatem. In quinta fuit TANCREDVS Marchiſi filius, & Gaſtos de Bearn cum ſua gente, & eum gente Pictauienſis Comitis. In ſexta fuit BOAMVNDVS cum ſuo exercitu. Epiſcopi quoque noſtri, & Preſbyreri, & Clerici, & Monachi ſacris veſtibus induri, cum illis de ciuirate exierunr, in manibus ſuis cruces deferentes: orantes & deptecantes Dominum, vt illos ſaluos facetet, & illos euſtodiret, & eriperet ab omni periculo, & ab omni malo. Alij ſtabant ſuper murum ciuitatis pottæ, tenentes ſacras cruces in manibus ſuis, ſignando & benedicendo illos. Illi itaque ordinati, atque ſigno erueis protecti, ſic cœ-
B perunt exire extra ciuitatem, per pórtam quæ eſt ante Machomariam. Poſtquàm Curbalan vidit Francorum acies tam pulchrè ordinatas exiſſe vnam poſt aliam, dixit: Sinite modò omnes exite, vt meliùs eapiamus capita eorum. Imprimis exierunt pedones Hugonis Magni, & Comitis Flandrenſis Rotberti, ae deinde vnaquæque pars per ſuum ordinem. Poſtquàm fuerunt foras de eiuitate, vidit Curbalan inſignem Francorum gentem, ac valde timuit. Mox mandauit ſuo Amiralio, qui omnia habebat in ſua cuſtodia ad tentoria, vt ſi ille videret ignem accenſum in capite hoſti, protinus præconiare feciſſet ſuum exeteitum, & rediſſet tetrò, ſciens Tureos amiſiſſe campum. Continuò Curbalan cœpit paulatim redire retrò contra montaneam, noſtríque paulatim perſequebantur eos. Denique diuiſi ſunt Turci: vna pars iuit contra mare, & alij ſteterunt illic, putantes noſtros includete inter illos. Videntes hoc noſtri, fecerunt ſeptimam aciem ex acie Ducis GODEFRIDI, & Comitis de Normannia: & caput illius fuit Comes REINALDVS. Hanc miſerunt obuiam Tureis, qui veniebant è mare. Turci autem præliati ſunt cum illis, & ſagittando multos oecidetunt ex noſtris. Aliæ autem turmæ noſtræ ordinauerunt ſe à flumine vſque ad montaneam. quod diſtat pet duo milliaria.

Hîc venerunt S. Georgius, S. Theodorus, S. Demetrius, in adiutorium Chriſtianis.

C

COEPERVNT namque turmæ Turcorum ex vtraque parte exire, noſtróſque vndique circumeingebant, iaculando, & ſagittando, & vulnerando. Exierunt quoque de montaneis innumerabiles exercitus, qui ducebant equos albos, quorum vexilla omnia alba erant. Videntes itaque noſtri hunc exercitum, ignorabant qui eſſent, donec cognouerunt eſſe adiurotium Chriſti, ſicut mandauit illis per Stephanum Sacerdotem. Quorum ductores fuetunt Sanctus Geotgius, & beatus Theodorus, & ſanctus Demetrius. Hæc verba credenda ſunt, quia plures ex noſtris viderunt hoc. Illi autem Turci, qui ſtabant in parte maris, videntes quòd non potuiſſent ſuffetre amplius, miſerunt ignem in hetbam, vt videntes illi qui erant ad tentoria inciperent fugam. At illi cognoſcentes illud ſignum, arripuerunt omnia honorabilia ornamenta, & ſpolia, & fugerunt. Noſtri verò paulatim militabant, vbi maxima virtus eorum erat, ſcilicet ad eorum tentoria. Dux GODEFRIDVS, & Flandrenſis Comes Rotbertus, & Hugo Magnus, equitabant iuxta aquam, vbi maxima virtus illorum erat. Iſti primitus ſigno crucis muniti, vnanimiter inuaſerunt illos. Exclamauerunt Turci & alij pagani diabolicos ſonos in extranea lingua, & ceperunt fugam. Noſtri itaque inuocantes vnum & viuum Deum, equitauerunt contra illos, & ſic in nomine IESV CHRISTI & ſancti Sepulchri incœperunt bellum, & Deo adiuuante deuicerunt illos. Turci namque

tremefacti arripuerunt fugam, noſtrique illos perſecuti ſunt iuxta eorum tentoria. A
Magis milites Chriſti amauerunt illos perſequi, quàm vlla ſpolia acquirere. Et
perſecuti ſunt eos vſque ad Pontem-Ferreum, ac deinde vſque ad Tancredi ca-
ſtellum. Illi verò dimiſerunt ibi papiliones ſuos, aurum & argentum, & ornamen-
ta multa, oues & boues, equos & mulos, & aſinos, & camelos, frumentum, vinum,
& farinam, & alia multa quæ nobis neceſſaria erant. Hermenij & Suriani, qui ha-
bitabant in illis partibus, audientes Turcos ſuperatos eſſe, cucurrerunt ad mon-
taneam obuiam illis, & quantos inuenerunt ex illis occiderunt. Noſtri autem re-
uerſi ſunt cum magno gaudio, laudantes & benedicentes Deum, qui dedit victo-
riam populo ſuo. Ammiralius itaque, qui caſtellum cuſtodiebat, videns Curba-
lan & omnes alios paganos fugientes è campo, nimis iratus fuit, & maximum ti-
morem in corde ſuo habuit. ſtatim cum magna feſtinatione cœpit petere Franco-
rum vexilla. Comes Sancti Egidij, qui in montanea ante caſtellum aſtabat, iuſſit
ei portare vexillum. Ille autem accepit illud cum gaudio, & diligenter miſit il-
lud in maiorem turrim.

Hîc reddidit ſe Ammiralius BOAMVNDO, *qui cuſtodiebat caſtellum, & accepit baptiſmum.*

POSTEA petiît vexillum BOAMVNDI, qui poſt factum bellum dedit ei ve- B
xillum. Accepit quoque Ammiralius illud cum maximo gaudio & lætitia, & con-
cordatus fuit cum Boamundo, quòd illi pagani, qui Chriſtiani voluiſſent fieri, fuiſ-
ſent cum eo, qui voluiſſent ire Coroſanum, quòd ille ſanos abſque vlla læſione ab-
ire permiſiſſet. Annuit Boamundus quicquid Ammiralius poſtulauit, & miſit ſuos
homines continuò in caſtellum. Non poſt multos dies baptizatus fuit Ammiralius
cum illis qui CHRISTVM recognoſcere voluerunt. Illos, qui ſuas noluerunt
dimittere leges, fecit conducere Boamundus vſque in Sarracenorum terram.
Hoc fuit bellum factum quarto Kal. Iul. in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli,
regnante Domino noſtro IESV CHRISTO, cui eſt honor & gloria in ſeculo-
rum ſecula, amen. Et cùm eſſent omnes Inimici Dei deuicti (Deo vero & ſummo
atque ſancto Sepulchro dignas referimus laudes) huc & illuc fugientes, alij ſe-
miuiui, alij vulnerati, in vallibus & nemoribus, & in aruis & in viis cadebant
mortui. Quoniam Græci, Hermenij, & Suriani, ſcientes eos deuictos fuiſſe in bel-
lo, inſidiabantur eos in arcta loca, vulnerando & occidendo. Noſtri autem pere-
grini reuerſi ſunt in ciuitatem, gaudentes & exultantes cum maximo atque felici
triumpho de inimicis Dei & ſanctæ Chriſtianitatis. Deinde congregati omnes no-
ſtri Seniores, & in Eccleſia S. Petri fecerunt conſilium, quemadmodum hunc fe-
liciter valeant regere & conducere populum, vſque dum ſancti Sepulchri viam
incipere potuiſſent, pro quo fideliter multa paſſi fuerunt neceſſaria. Inuentum
fuit igitur in conſilio, quoniam in illo tempore non poterant introire terram Sar- C
racenorum, eo quòd valde in æſtiuo tempore arida & inaquoſa eſt. Per hanc verò
viam non audebant tranſire, neque Chriſti populum ducere, regere, & conduce-
re. Tamen acceperunt ad Kal. Nouemb. terminum, videlicet ad omnium San-
ctorum ſolemnitatem: quòd in illo die eſſent omnes vndique congregati in An-
tiochia, & ſic cum maximo gaudio inciperent viam ſancti Sepulchri. Omnes nam-
que pariter laudauerunt conſilium hoc, quod & honeſtum erat ad faciendum.
Poſtea Seniores noſtri vnuſquiſque profectus eſt in terram ſuam, videlicet in ciui-
tates & in caſtella, vſque dum appropinquaſſet ille terminus. Fecerúntque omnes
Seniores præconari per vrbem vniuerſam, vt ſi quis egens eſſet illic, qui auro vel
argento aliquantulum careret, & conuentionem cum illis recipere voluiſſet, non
pigraretur fideliter remanere, quia ipſi quod conuentum eſſet libenti animo da-
rent. Erat autem ibi quidam miles de exercitu RAIMVNDI Comitis Sancti
Egidij, cui nomen Raimundus Piletus erat. Hic quoque miles multos retinuit
ſecum milites & clientes. Egreſſus ergo eſt cum eis de ciuitate, & in Sarraceno-
rum terram introiuit, videlicet vltra duas ciuitates paganorum: & peruenit ad
quoddam caſtrum, cui nomen erat *Talemanite*. quod caſtrum illius habitatores,
ſcilicet Suriani, reddiderunt ei.

A

Hîc ſuperatur Raimundus Piletus.

CVMQVE morati fuiſſent ibi per octo dies, nuncij venerunt ad eum, dicen-
tes: quoniam illic prope erat caſtrum Sarracenorum plenum gente paganorum.
Ad hoc verò caſtrum continuò milites CHRISTI perrexerunt, & vndique in-
uaſerunt. Quod continuò ab illis captum fuit, Dei adiutorio, & ſancti Sepulchri.
Apprehenderunt igitur omnes paganos illos. qui Chriſtianitatem recipere vole-
bant, & ſanctum baptiſmum deſiderabant, conſeruabant viuos: illos qui Chri-
ſtianitatem nequaquam recipere volebant, confeſtim capitalem eis ſententiam
præparabant. Reuerſi ſunt itaque noſtri cum magno gaudio ad prius caſtrum.
Tertia verò die exierunt, & venerunt ad quandam ciuitatem, cui nomen *Marra*,
quæ illic erat prope illos. In qua erant multi Turci congregati, Arabes, & Sarra-
ceni, & alij pagani ab Aleph ciuitate, & Damaſco, & ab aliis caſtris, quæ circa il-
lam erant. Exierunt ergo barbari contra illos ad prœlium, noſtrique æſtimantes
cum illis præliari, ſtatim ipſi fugere cœperunt: & iterum reuerſi, per totum diem
cum noſtris prœliati ſunt vſque ad veſperam. Cúmque noſtri iam propter nimium
æſtum ferre tantam ſitim nequiuiſſent, quia nullus ibi fons ad illos reficiendos in-
ueniri poterat, voluerunt ad ſuum caſtrum redire ſecurè, ſed non potuerunt. Pro
illorum enim peccatis ſiue offenſionibus, Suriani & gens minuta hinc maxima ſiti,
B hinc nimio pauore perterriti, ſtatim cœperunt fugiendo ad ſuum redire caſtrum.
Turci autem videntes illos recedere, illicò cœperunt illos cum maximo tumultu
inuadere. Nec mirum. Victoria enim illis miniſtrabat vires. Ibíque cum multis
aliis, qui Deo feliciter animas reddiderunt, pro cuius amore illic congregati fue-
runt, quidam optimus miles ARNALDVS TVDEBODVS interfectus fuit.
Peracto itaque bello, reuerſi ſunt noſtri, qui viui remanſerunt, in ſuum caſtrum:
ibíque morati ſunt per aliquos dies. Alij verò, qui in Antiochia ciuitate reman-
ſerant, maximum gaudium & lætitiam habebant, quia hoc contigiſſe ſuis igno-
rabant.

Hîc obiit bonæ memoriæ ADEMARVS *Podienſis Epiſcopus.*

INTEREA Ademarus Podienſis Epiſcopus, Pater per omnia venerandus, ac
Deo dignus, graui inualitudine præuentus eſt, & ex Dei voluntate migrauit ab
hoc ſeculo, & in pace requieſcens obdormiuit in Domino. in Abrahæ videlicet
ſinu, & Iſaac, & Iacob, & in ſancti Petri à Vinculis ſolemnitate. Cuius ſanctiſſi-
ma anima exultat cum Angelis. Vndè maxima anguſtia & tribulatio, atq; immen-
ſus dolor fuit in tota militia: quia ille erat ſuſtentator pauperum, & conſilium di-
uitum, ipſéque ordinabat Clericos, & prædicabat & ſummonebat milites, dicens:
Quoniam ex vobis nemo ſaluus fieri poteſt, niſi honorificet pauperes Clericos: «
vóſque non poteſtis ſaluari ſine illis, & illi ſine vobis viuere nequeunt. Oportet «
C ergo, vt ipſi cotidiana oratione Deum pro veſtris delictis deprecentur, quem vos «
offenditis in multis. quod numquam fieri debuerat. Vobíſque oportet illos te- «
gere & nutrire, quia illi neſciunt perquirere, neque inuenire, ſicut vos ſcitis. Ego «
rogo vos, vt pro Dei amore eos diligatis, & in quantum poteſtis eos ſuſtineatis. «

Quomodo capta eſt Albara ciuitas.

NON poſt multum verò temporis RAIMVNDVS venerabilis Comes Sancti
Egidij in Sarracenorum terram introiuit, & peruenit ad quandam ciuitatem, quæ
vocatur *Albara:* quam inuaſit vnà cum ſuo exercitu, eámque Dei voluntate appro-
hendit, & occidit omnes Sarracenos, ſcilicet maſculos & feminas, maiores & mi-
nores, quos ibi reperire potuit. Quam poſtquam ſuo continuo recepit imperio,
ad CHRISTI reuocauit fidem: cœpítque inquirere conſilium ſuis ſapientiſſimis
viris, vt Epiſcopum in hac ciuitate deuotiſſimè eligeret, qui illam ad Dei cultum
fideliter conuerteret, & de domo diabolica templum Deo viuo & vero, & oracu-
lo puro corde Sanctorum conſecraret. Poſtea elegit quendam Clericum, quem
in Antiochia ciuitate duxit ad conſecrandum. qui poſtea tenebat conſilia in loco
Ademari Podienſis Epiſcopi.

EXPLICIT LIBER IV.

INCIPIT LIBER QVINTVS.

De Itinere Hieruſalem.

ANNO milleſimo nonageſimo octauo, appropinquante termino, videlicet omnium Sanctorum feſtiuitate, regreſſi ſunt noſtri Seniores in ciuitatem Antiochiæ: excepto BOAMVNDO, qui erat in Romaniæ partibus graui infirmitate correptus. Ideo ad eundem terminum venire non licuit. Cùm verò illud tempus aduenit, in quo militari potuit, continuò ciuitati Antiochiæ, in qua erant alij congregati, citò aduenit. Deindè omnes Seniores congregati inſimul, cœperunt inquirere, qualiter ſancti Sepulchri iter valeant peragere, dicentes: quo-
» niam bonum & optimum tempus eſt. Quid moramini amplius? Sed Boamundus cotidie conuentionem quærebat, quam omnes alij Seniores habuerunt, videlicet in reddenda ciuitate. Magiſque querebatur de RAIMVNDO Sancti Egidij Comite, eò quòd ad nullam conuentionem tenere erga Boamundum ſe volebat, quia timebat ſe periurare contra Imperatorem. Tamen ſæpè fuerunt ad iuſtum iudicium faciendum vnus erga alterum in ſancti Petri Eccleſia congregati, B
Boamundus, & Raimundus Sancti Egidij, & Dux GODEFRIDVS, & Rotbertus Normannus, & alij Seniores & minores, vt eos concordarent. Boamundus verò recitabat ſuam conuentionem omnibus audientibus, & Comes Sancti Egidij ſuam. Verba narrabat, & iuſiurandum quod Imperatori fecerat pro Boamundi conſilio. Epiſcopi verò, & Dux Godefridus, & Flandrenſis Comes Rotbertus, & Rotbertus Comes Normanniæ, & Euſtachius Comes, & alij Seniores diuiſi ſunt ab aliis, & intrauerunt in Cathedram S. Petri. Cathedra erat, vt in illa Eccleſia diſcernerent inter vtrumque. Sed illi timentes ne ſancti Sepulchri via remaneret, noluerunt apertè iudicium dicere. Quod cùm vidit Raimundus Comes
» Sancti Egidij, dixit: Priuſquàm via ſancti Sepulchri remaneat, ſi Boamundus vo-
» biſcum venire voluerit, quicquid Epiſcopi, & Godefredus, & Rotbertus Nor-
» mannus, & Rotbertus Flandrenſis Comes, & alij Seniores laudauerint, ego liben-
» ti animo perficiam, ſalua fidelitate Imperatoris. Quod laudauit Boamundus, & annuit. & ita promiſerunt ambo in manibus Epiſcoporum, videntibus peregrinis ſancti Sepulchri. Deinde accepit Boamundus cum ſuis hominibus conſilium, quomodo muniret caſtrum de alta montanea de bonis armis & de victu, qui non deficeret longo tempore. Et Raimundus Sancti Egidij ſimiliter muniuit Palatium Caſſiani Ammiralij, & turrim quæ eſt ſuper portam pontis, quæ eſt ex parte portus Sancti Simeonis.

De ſitu Antiochiæ. C

DE ciuitate verò pauca loquenda ſunt. Hæc quoque ciuitas valde eſt magna, & pulchra, & honorabilis: quia infra muros eius ſunt quatuor montaneæ maximæ, & nimis altæ. In altiori quoque eſt caſtellum ædificatum, nimis forte, & valde altum. Deorſum eſt ciuitas honorabilis atque conueniens, omnibúſque ornata honoribus: quoniam in ea ſunt pulcherrimæ aquæ, quæ exeunt de montaneis. Mille & ducentæ Eccleſiæ in ea ſunt ædificatæ, trecenta & ſexaginta Monaſteria in ſe habuit Monachorum. Sub iugo continet Patriarcha centum quinquaginta Epiſcopos. Clauditur autem duobus muris ciuitas: maior quoque nimis eſt altus, & mirabiliter latus, magníſque lapidibus compoſitus, in quo ſunt ordinatæ quadringentæ quinquaginta turres. modiſque omnibus eſt ciuitas formoſa. Ab Oriente clauditur quatuor magnis montaneis, ab Occidente ſecus muros ciuitatis fluit quoddam flumen magnum, cui nomen eſt *Pharphar*. Et ideò quòd eſt tam bona & tam pulchra, noluerunt ſtultè dimittere regalem ciuitatem Antiochiam, quæ tantæ auctoritatis fuit, quòd eam priùs ſeptuaginta & quinque Reges conſtituerunt, quorum nomina ſunt hæc. Murgulandus, Elitandous, Lamulafres, Rademons, Helias, Brumandus, Margorias, Faraon, Brumandus, Brelion, Laidus, Rudandus, Iudas Machabæus, Nubles, Samſon, Dauid hæreticus,
. Salomon,

A Salomon, Pilatus, Herodes, Elidius, Gaſerius, Rudandus, Gaclerius, Morplurius, Fortis Caſtrius, Maraon, Argolas, Ordocius, Fortis-Lamuſteo, Alapres Amiralius, Morabilis, Orgilandus, Morabilis, Morlianus, Organdus impius de Saramania, Braierandus, Morus Rex, Fulcher, Darandus, Ariandon, Rex Thanas, Eſconius, Duras, Dormandus, Rex Viſion, Sicharius, Thobias, Lintion, Malardus, Deitamordus, Mordandus, Oralionus, Brumornel, Apparandus, Effrenion, Noirandus, Fortis-Bruas, Gorgandus, Vdonus impius, Tomandus, Tolandus, Deluſres, Troandus, Candelos Rex, Rambulandus, Gazami, Mirmion, Oringes, Brulion, Maxdolienes, Bariandus, Barilion, Gazianus, Bronurius, Antiochus qui Dux fuit aliorum, & ab eo dicitur Antiochia. Iſtam ciuitatem tenuerunt peregrini ſancti Sepulchri obſeſſam, ſicuti ſuperiùs audiſti, per octo menſes, & vnum diem. Poſtea intus fuerunt recluſi per xx. & vi. dies à Turcis, & ab aliis paganis. Tamen adiutorio Dei & ſancti Sepulchri illis deuictis, requieuerunt peregrini cum magno gaudio & lætitia in Antiochia per quinque menſes & dimidium.

Ciuitas Marra obſeſſa eſt à Chriſtianis.

POSTEA octauo die exeunte Nouembrio menſe diſceſſit RAIMVNDVS Comes Sancti Egidij cum ſuo exercitu ab Antiochia, per vnam veniens ciuitatem quæ vocatur *Lica*, & per aliam quæ vocatur *Albara*. Quatto die exeunte Nouembrio

B peruenit ad ciuitatem quæ vocatur *Marra*, in qua maxima multitudo Sarracenorum erat congregata, & Turcorum, & Arabum, & plurimorum paganorum. Raimundus ergo Comes cum ſua gente craſtina die inuaſit eam. ſed capere non potuit, quia non venerat voluntas Dei. Non poſt multum verò temporis BOAMVNDVS cum ſuo exercitu ſecutus eſt Raimundum, & hoſpitatus fuit circa ciuitatem in die Dominica. Secunda verò feria tam acriter inuaſerunt vndique ciuitatem, quòd ſi ſcalæ fuiſſent erectæ ad murum ciuitatis, in noſtra poteſtate eſſet ciuitas. ibique percutiebant ſe cominus cum lanceis & enſibus. Sed tam magna fuit virtus paganorum, quòd illi nihil illis nocere potuerunt, ſed multa mala ibi perpeſſi ſunt. Namque cibus deficiebat, quoniam non erant auſi alicubi ire quæſitum. tanta multitudo paganorum circumcirca habebatur.

Sanctus Andreas apparuit Petro Bartholomeo.

QVOD proſpiciens beatus Andreas, qui non dormit, ſed ſemper ſuper anxiatos Chriſtianos vigilat, nunciauit Petro Battholomeo, quatenus ſi Chriſtiani pœniterent de malefactis ſuis, atque vnus erga alium bonam haberent fidem, quod Dominus præcepit, dicens: *Diligite fratres veſtros tanquam voſmetipſos*, atque redderent illam partem, quam ipſe propriam retinuit, quando mundum ipſum, omnéſque creaturas, quæ in eo ſunt, creauit; ſcilicet decimam omnium rerum quæ poſſidentur, ipſe daret illis ciuitatem breui tempore, atque impleret

C omnem ſuam voluntatem. Quam prædictam partem, videlicet decimam, iuſſit diuidi in quatuor partibus: vna quarum detur Epiſcopo, altera Sacerdotibus, alia Eccleſiis, alia pauperibus. Quod poſtquàm fuit in Concilio recitatum, conceſſerunt omnes. Non poſt multum temporis fecit Raimundus Sancti Egidij facere quoddam caſtrum ligneum forte, & valde altum. Quod caſtrum ingeniatum atque ædificatum fuit ſuper quatuor rotas, ſuper quod ſtabant plures milites: & Euuardus venator lituos fortiter ſonando, & ante illum ventilabant honorabilia vexilla. quod nimis erat pulchrum ad videndum. Subtus verò caſtrum erant plus quàm centum milites armati, qui deduxerunt illud prope ciuitatis murum iuxta quandam turrim. Quod cùm vidiſſet gens pagana, ſtatim fecerunt plurima inſtrumenta, cum quibus iactabant maximos lapides ſuper caſtrum, ita quòd penè noſtros milites occiderent. Vexilla quoque, quæ ſurſum erant, perforabant cum ſagittis, & alij lapidibus, & alij ruebant Græcos ignes ſuper caſtrum, eò quòd putabant illud ardere. Sed pius Deus & miſericors quòd arderet noluit. Craſtina verò illud imminebat omnes muros ciuitatis & turres. Milites noſtri, qui erant ſurſum in ſolario ſuperiori, videlicet Guillelmus de Montepiſlerio, & alij plures, iactabant immenſos lapides ſuper Sarracenos, qui ſtabant ſuper muros ciuitatis: ita quoque percutiebant eos ſuper clypeos, quòd clypeus & paganus caderent deorſum in ciuitate mortui. Et mittebant in haſtis vexilla,

& ſie cum lanceis & hamis ferreis putabant peregrini ad ſe trahere illos. Milites A & elientes ita magnanimiter pugnabant, Preſbyteri quoque & Clerici ſacris veſtibus induti: orantes & obſecrantes Dominum IESVM CHRISTVM, vt ſuum defendat populum, & Chriſtianis militibus victoriam præſtet, ſuámque ſanctam Chriſtianiratem exaltet, & paganitatem deſtruat. Tune Golferius quidam de Turribus honeſtiſſimus miles primus aſcendit per vnam ſcalam in murum, quæ continuò fuit fracta multitudine illorum. Golferius verò poſtquàm fuit ſuper murum, cœpit cum illis pugnare cum lancea, eos occidendo. Alij verò inuenerunt aliam ſcalam, & feſtinanter ad murum erexerunt, & aſcenderunt multi milites & pedites: tantique aſcenderunt, quòd vix illos capiebat murus. Sarraceni igitur tam robuſtè inuaſerunt illos pet murum ciuitatis, & intus per terram ſagittando, & cominus ſpiculando eum ſuis lanceis, ita quòd multi ex noſtris timore perterriti demiſerunt ſe deorſum per murum. Illi prudentiſſimi viri, qui remanſerunt in murum, ſufferebant illorum perſecurionem. Alij, qui ſub caſtro erant, fodiebant deorſum muros ciuitatis. Videntes autem Sarraceni, qui ſtabant ſuper murum, quòd noſtri fodiſſent murum ciuitatis, ſtatim timore perterriti inierunt fugam in ciuitatem. Hoe totum factum in die Sabbati, ad horam veſperi, oecidente ſole, vndecima die intrante menſe Decembri. Boamundus igitur fecit per Interpretem loqui Sartacenis Maioribus, quòd ipſi cum ſuis mulieribus & infantibus & aliis ſubſtanciis miſiſſent ſe in vno Palatio, quod erat ſupra portam: ipſéque defenderet eos de mortali ſententia. Intrauerunt autem omnes noſtri in eiuitatem, & quicquid boni inuenire potuerunt in domibus & in B foueis, hoc vnuſquiſque ad ſuum continebat proprium. Facto autem die craſtino, vbieumque reperiebant quemquam illorum ſiue maſculum ſiue feminam, capitalem eis dabant continuò ſententiam. Nullus quoque angulus ciuitatis deerar, in quo non iaceret Sarracenorum cadauet, víxque poterat aliquis ire per vias ciuitatis, niſi caleaudo ſupet Sarraeenorum cadauera. Boamundus verò illos, quos iuſſerat in Palatio intrare, apprehendit, illíſque abſtulit omnia quæ habebant: videlicet aurum, & argentum, & alia ornameuta quæ illi habebant. Alios fecit oecidere, alios fecit eonduci ad vendendum Antiochiæ. Et ita multi fuerunt ex noſtris, qui in ciuitare venerunt, quicquid eis erat neceſſarium ad ſumendum, & multi qui nihil inuenerunt ad capiendum. Poſtea fuit tam longa mora in ciuitate, quòd multi fuerunt diſtricti fame in eiuitate, ideò quòd foras non audebant exire in Terram Sarracenorum longè. propè nequiuerant aliquid inuenire ad capiendum. Noſtri quoque pauperes peregrini cœperunt ſcindere corpora paganorum, eò quòd in ventribus eorum inueniebant reconditos biſantios: alij quoque diſtricti fame cædebant carnes eorum per fruſta, & coquebant ad manducandum.

Hîc comedebant carnes Turcorum Chriſtiani. C

POSTQVAM verò Seniores noſtri hoe viderunt, fecerunt paganos tradi extra eiuitarem ad portas: ibi faciebant quaſi montes ex eis, & poſtea faciebant eos ardere. Boamundus autem non valens concordari cum Raimundo Sancti Egidij, reuerſus eſt Antiochiæ. Raimundus quoque Sancti Egidij non poſt multos dies miſit ſuos Legatos Anriochiam Duci GODEFRIDO, & Flandrenſi Comiti, ac Rotberto Normanniæ, & Boamundo, quòd ipſi venirenr ad Ruſiam ciuitatem, loqui cum eo. Venerúntque illuc omnes illi Seniores, & Concilium fecerunt, quomodo incipere potuiſſent viam ſancti Sepulchri, pro qua moti ſunt, & huc vſque venerunt. Sed non potuerunt Boamundum concordare cum Raimundo Comite, niſi redderet ei Antiochiam. Sed Raimundus facere noluit, pro fiducia quam fecerat Alexio Imperatori. Ideóque Dux & alij Comites reuerſi ſunr Antiochiæ. Raimundus quoque CHRISTI athleta reuerſus eſt ad Marram ciuitatem, vbi erant peregrini ſancti Sepulchri, & miſit ſuos homines Antiochiæ, vt ipſi munirent atque cuſtodirent Palatium Caſſiani Amiralij, quod habebat in ſua poteſtate, & turrem quæ eſt ſuper portam pontis contra Machomariam. In iſta cinitate quoque fuit mortuus ſapiens Orienſis Epiſcopus. ibique morati ſunt peregriui per vnum menſem & quatuor dies. Boamundus eùpiens habere eiuitatem Antiochiæ ſua virtute, omnes homines Raimundi Sancti Egi-

A dij ſua virrute eiecit. Quod Raimundus cùm audiſſet Chriſti athleta, paruipen-
dit: & ſicuti ſeruus Domini noſtri IESV CHRISTI incœpit viam ſancti Se-
pulchri, & exiuit nudis pedibus de ciuitate tertio decimo die intrante Ianuario,
& peruenit ad caſtum *Capharda*, quod diſtat per octo milliaria. ibique moratus
eſt per tres dies. Illic adiunxit ſe ROTBERTVS Normanniæ cum eo. Rex
autem Cæſareæ multotiens miſerat ſuos milites & nuntios Raimundo Sancti Egi-
dij ad Marram ciuitatem & Capharda, quòd cum eo cupiebat concordari, &
ſuus amicus effici, & de ſuo cenſu ei dare volebat quantum libet, nimíſque cu-
piebat Chriſtianos diligere, & fiduciam ei volebat facere, quòd quantum perti-
nebat ad ſuum Regnum ſecuri fuiſſent ſine vllo pauore: & promittebat ſe dare
mercatum de equis, & corpotalibus alimentis. Exierunt autem petegrini, & ve-
nerunt hoſpitari ſupra flumen, quod dicitur *Pharphar* iuxta Cæſaream. Rex au-
tem poſtquam vidit Francorum exercitum tam prope ciuitatem hoſpitari, nimis
in ſuo animo condoluit, & miſit mercatum deuetari, niſi à ciuitate diſcederent.
Craſtino verò miſit cum illis Turcos, qui eis monſtrarent fluminis vadum, eóſ-
que conducerent, vſque inuenire aliquid potuiſſent ad capiendum. Deinde ve-
nerunt in quandam vallem ſubrus caſtrum quoddam, ibique inuenerunt plus
quàm mille animalia, & ſatis frumenti, & alia bona, vnde nimis fuit refecta to-
ta CHRISTI militia. Tamen dominus illius caſtri concordatus eſt cum Rai-
B mundo, eique donauit equos, & alia multa, & ſua lege iurauit, quòd amplius
peregrinis non noceret. Raimundus ibi cum ſuo exercitu per quinque dies mo-
ratus eſt. Egreſſi indè peruenerunt Chriſti peregrini ad alium Arabum caſtrum,
cuius dominus ſimiliter concordatus eſt cum Raimundo. Indè exientes, perue-
netunt in quandam vallem ad vnam ciuitatem nomine *Caphaliam* valdè pulcher-
rimam, & omnibus bonis ornatam. Habitatores verò illius ciuitatis Chriſtianos
peregrinos venire audientes, dimiſerunt ciuitatem vacuam, & hortos plenos ole-
ribus, & domos plenas plurimis alimentis corporum. Tertia autem die egreſſi
ab illa ciuitate, peruenerunt per altam & immenſam montaneam, & intraue-
runt in vallem de *Iſſem*, in qua etat erat maxima vbertas frumenti & pecudum,
fuerúntque per quindecim dies. Ibíque inuenerunt aliud caſtrum vacuum, in
quod ignem miſerant Sarraceni, & fugerunt: iuxta quod erat alind caſtrum, in
quo erat congregata multitudo maxima paganotum. Illud aggrediuntur tam
fortiter noſtri peregrini, quòd in ſua poteſtate habuiſſent, niſi Sarraceni iactaſ-
ſent foras innumeras turmas animalium. Reuerſi ſunt autem noſtri, deducentes
ſecum animalia ad ſua tentoria. Summo autem diluculo collegerunt noſtri ſuos
papiliones, atque venerunt ad idem caſtrum iam ſupradictum obſidere, & ſua
tentoria ibi voluerunt tendere. Sed gens pagana omninò dedit ſeſe fugæ, circa
mediam noctem, & dimiſit caſtrum vacuum ſancti Sepulchri peregrinis. Intran-
tes autem caſtrum petegrini, ibi inuenerunt de rore cœli abundantiam: ſcilicet
C frumentum, vinum, & farinam, & oleum, & gallinas, & quicquid opus erat.
Illic deuotiſſimè celebrauerunt feſtiuitatem ſanctæ Mariæ Purificationis, quæ
eſt ſecunda die Februarij. Venerúntque nuncij de *Camela* ciuitate, deducentes
ſecum equos & aurum, quæ mittebat illius ciuitatis Rex Raimundo Sancti Egi-
dij, cupiens concordari cum eo, promittenſque Chriſtianos diligere, & diligen-
ter eos vbique honorare. Rex quoque Tripolis ſimilitet mittebat nuncios ſuos
Raimundo Sancti Egidij, voléntque cum eo pacem habere ſi illi placeret: miſit-
que ei decem equos, & quatuor mulas, & multos biſantios. Sed Comes ait,
nullo modo pacem habere, niſi Chriſtianus efficeretur. Quod Rex promiſit, &
annuit. Exeuntes autem noſtri de illa optima valle, peruenerunt ad quoddam
caſtrum, quod dicitut *Archas*, in die Lunæ, ſcilicet ſecunda feria in medio Fe-
bruarij, circa quod tentoria fixetant. Quod caſtrum erat plenum innumerabili
gente paganotum, videlicet Turcotum, Sarracenorum, Arabum, Publicano-
rum, & aliorum paganorum, qui munietunt mitabiliter illnd caſtrum, & defen-
debant ſe fortitet. Caſtrum quoque erat nimis forte & altum ſuper quendam
montem, & clauditur à duobus mutis. Vno die exierunt quatuordecim ex no-
ſtris militibus, & equitati ſunt Tripolim ciuitatem, quæ diſtat à caſtro octo mil-
liaria. Iſti fuerunt milites, ſcilicet Raimundus de Torena Vicecomes, & Petrus
Vicecomes de Caſtellon, & AMANEVVS DE LOBRETO, & Sicardus, &

Bego de Riberie, Guillelmus Botius, & alij quorum nomina ignoro. Iſti quatuordecim milites inuenerunt ſexaginta inter Turcos & Arabes, Sarracenos, & Curtos, qui deducebant ante ſe noſtros homines, & animalia magis quàm mille quingentos. Quos inuaſerunt noſtri muniti ſigno crucis: occiderúntque ſex ex illis, & ſex equos renuerunt. Alia die exierunt de exercitu CHRISTI Raimundus Piletus, & Raimundus Vicecomes de Torena ciuitate, & venerunt ante Tortoſam ciuitatem cum ſuis militibus: præliatique ſunt fortiter illam, quæ erat munita maxima multitudine paganorum. Serò autem iam facto, receſſerunt noſtri in quodam angulo, iuxta ſiluam, ibique hoſpitati fecerunt fieri innumerabiles ignes, quaſi adeſſet omnis exercitus Chriſtianorum. Quod videntes pagani, maximo terrore perterriti, nocte furtim fugerunt, & dimiſerunt ciuitatem plenam plurimis bonis. quæ ſita eſt ſupra optimum portum maris. Craſtina autem die venerunt noſtri milites, putantes vndique inuadere illam: eámque inuenerunt vacuam gentibus, & intrantes in ea habitauerunt, quamdiu obſeſſio fuit ante caſtrum Archæ. Prope iſtam eſt alia vrbs, quæ dicitur *Maraclea*. Amiralius, qui eam regebat, pactus eſt cum noſtris, & miſit noſtros infra ciuitatem, & vexilla noſtra. A

Hic obſederunt Gibellum ciuitatem.

ALII quoque Seniores, qui erant Antiochiæ, videlicet Dux GODEFRIDVS, & Flandrenſis Comes Rotbertus, & Boamundus, venerunt vſque *Lichiam* ciuitatem, ſequentes Raimundum Sancti Egidij. Itaque Boamundus ſeparauit ſe ab aliis, & reuerſus eſt Antiochiam. Dux quoque Godefridus, & Flandrenſis Comes, ſequentes Raimundum Sancti Egidij peruenerunt ad quandam ciuitatem, cui nomen *Gibellum*. quam fortiter obſeſſerunt, & præliati ſunt. Raimundus quoque erat in obſeſſione Archæ, venerúntque ſibi nuncij, quòd pagani veniebant præliari cum eo. Ille quoque miſit Epiſcopum Albariæ Duci Godefrido, & Rotberto Flandrenſi Comiti, quatinus veniſſent ad caſtrum Archæ: quoniam pagani veniebant vndique congregati pugnare cum eo, & ſua gente. Quod cùm audiſſet Dux Godefridus, & Flandrenſis Comes, fecerunt placitum cum Ammiralio, qui eis equos & biſancios dedit, & promiſit eis quòd in damno peregrinis ſancti Sepulchri ampliùs non eſſet. Dux Godefridus, & Flandrenſis Comes Rotbertus, feſtinanter perrexerunt ad Raimundum Sancti Egidij in adiutorio, & hoſpitati ſunt ſecus caſtrum iuxta fluuium. Itaque obſederunt caſtrum. Sed illi ſupradicti pagani minimè venerunt ad pugnam. Non poſt multos dies equitauerunt noſtri contra Tripolim, & inuenerunt extra ciuitatem Turcos, & Arabes, & Sarracenos, quos inuaſerunt continuò, & miſerunt eos in fugam, & occiderunt maximam partem nobilium ciuitatis. Tanta fuit paganorum occiſio, & ſanguinis illorum effuſio, quòd etiam aqua quæ in ciuitate fluebat videbatur rubea fluere in ciſternas eorum ſanguine. Vnde nimis fuerunt alij triſtes, & dolentes, qui in ciuitate viui remanſerunt. Iam verò erant tanto timore exterriti, quòd vix aliquis eorum audebat exire extra ciuitatis portam. Alia verò die equitauerunt noſtri vltra vallem *Deſem*: & inuenerunt boues, & aſinos, & oues, & multa animalia ſine numero: & diuiſerunt ſe ſexaginta ab aliis, & inuenerunt tria millia camelorum. Omnia verò iſta animalia deduxerunt ad exercitum Chriſti, vnde ſatis fuit læta tota Chriſti militia. Naues quippe noſtræ venerunt propè nos in quodam portu, quamdiu fuimus in ea obſeſſione, deferentes maximum mercatum: ſcilicet frumentum, vinum, & carnes, & caſeos, & oleum, & hordeum. vnde maxima vbertas fuit in toto hoſte. In illa namque obſeſſione feliciter martyrium plures ex noſtris receperunt: videlicet, Poncius de Baulan, & Anſelmus de Riſbemund, & Guillelmus Picardus, & alij, quorum nomina neſcio. Ita verò tenuerunt illud caſtrum ſupradictum per tres menſes, minus vno die. Ibique fuit iudicium factum de Lancea Domini VIII. Kal. Aprilis, ibíque Paſcha Domini celebrauerunt IV. Id. Aprilis.

A

Hîc fuit iudicium de lancea Domini.

REX quoque Tripolis ſæpè mittebat nunçios Raimundo Sancti Egidij, vt dimiſiſſet caſtrum. Audientes hoc itaq; noſtri Seniores, videlicet Raimundus Sancti Egidij, & Dux GODEFRIDVS, & Rotbertus Comes Flandrenſis, & Rotbertus Normannus, & alij peregrini: & ex alia parte videntes fructus nouos properaſſe, quoniam in menſe Martio manducabant nouas fabas, & in medio quoque Aprili nouum frumentum, conſiliati maiores ſiue minores dicebant, quòd bonum eſſet Hieroſolymitanum iter cum nouis fructibus incipere. Et ita laudauerunt omnes facere placitum cum Rege. Diſceſſerunt igitur à caſtro, & peruenerunt Tripolim in ſexta feria, XIII. die intrante Maio. ibique per tres dies morati ſunt. Et concordatus fuit Rex Tripolis cum Raimundo Sancti Egidij, & cum aliis Senioribus: illiſque continuò diſſoluit pluſquàm trecentos peregrinos, qui illic capti erant de priori bello. Et dedit Raimundo quindecim millia biſantios, & quindecim equos magni precij: & fecit illis magnum mercatum fieri de equis & aſinis, & pane, & caſeis, & pannis, & omnibus bonis. vnde nimis ditata fuit tota CHRISTI militia. Et conuenit illis, quòd ſi bellum deuincere potuiſſent, quod eis Ammiralius præparabat, & Hieruſalem apprehendere valerent, quòd ille Chriſtianus

B efficeretur, & terram ab eis acciperet. Talique conuentu placitum loquutum fuit, atque factum. Poſtea diſceſſerunt à ciuitate ſecunda feria medij Maij, tranſiuerúntque per viam artam & arduam tota die & nocte: & peruenerunt ad caſtrum, cui nomen *Bethelon*. Deinde appropinquauerunt ciuitati, quæ dicitur *Gibelon* ſecus mare, in qua paſſi fuerunt magnam ſitim: & ſic defeſſi peruenerunt ad flumen, quod dicitur *Braym*. Deinde tranſierunt die ac nocte Aſcenſionis Domini per montem quendam, in quo nimis eſt via anguſta & arta, ibíque putauerunt inimicos noſtros inuenire. Sed Deo annuente, nullus eorum præparabat ſe ante noſtros. Ita peruenerunt ad ciuitatem, quæ dicitur *Baruth*, & de illa ad aliam quæ dicitur *Sagitta*, & de Sagitta ad aliam quæ vocatur *Sur*, & de Sur ad *Acram* ciuitatem peruenerunt. De Acra tranſierunt ſecus caſtrum, cui nomen *Cayphas*: indè peruenerunt *Cæſaream* ciuitatem, ibíque celebrauerunt Pentecoſten tota die exeunte Maio. Indè venerunt ad illam vrbem, quæ dicirur *Ramma*, quam Sarraceni vacuam dimiſerunt metu Francorum. Iuxta quam erat nobilis Eccleſia, in qua requieuit precioſiſſimum ſancti Georgij corpus: quia illic à perfidis paganis pro Chriſti nomine felicirer martyrium ſuſcepit. Continuò conſiliati ſunt noſtri Seniores, vt ibi deuotiſſimè eligerenr Epiſcopum, qui hanc cuſtodiret & regeret Eccleſiam: cui ſuas decimas dederunt, auri ſcilicet & argenti, & animalium, & equorum, vt honeſtiſſimè potuiſſet viuere ſimul cum eis qui cum eo remanebant. Remanſit quoque ille ibi cum gaudio. Alij autem lætantes, ſcilicet Raimundus

C Sancti Egidij, & Dux Godefridus, cum aliis peregrinis, peruenerunt vſque ad ciuitatem HIERVSALEM, tertia feria intrante die ſeptimo Iunij: eámque robuſtiſſimè prope muros ciuitatis obſederunt. ROTBERTVS namque Normannus obſedit eam à Septentrione, iuxta ſancti Stephani prothomartyris Eccleſiam, vbi gratanter recepit lapides pro Chriſti nomine: & iuxta eum ROTBERTVS Flandrenſis Comes. Ab Occidente obſedit eam Dux GODEFRIDVS, & Tancredus cum eo. A Meridie obſedit quoque eam RAIMVNDVS Comes Sancti Egidij, ſcilicet in monte Sion, iuxta Eccleſiam ſanctæ Mariæ matris Domini, vbi migrauit à ſeculo, & vbi Dominus cœnauit cum ſuis diſcipulis, & vbi ſanctus Spiritus in corda diſcipulorum deſcendit. Tertia autem die exierunt de noſtris militibus de exercitu ſancti Sepulchri cauſâ prædandi, Raimundus Piletus, & Raimundus de Torena, & alij cum illis. Inuenerunt ducentos Arabes, & præliati ſunt CHRISTI milites cum illis paganis, & Deo adiuuante, & ſancto Sepulchro, illos deuicerunt, & multos ex eis occiderunt, & equos retinuerunt. Secunda die veniente, aggrediuntur tam fortiter ciuitatem, quòd ſi ſcalæ fuiſſent paratæ, in eorum poteſtate eſſet ciuitas. Tamen minorem ſtrauerunt murum, & vnam ſcalam ad maiorem erexerunt, ſuper quam aſcenderunt noſtri milites, & cominus percutiebanr paganos ciuitatis ſuis enſibus, arque lanceis. Fuitque ibi mortuus Rainaldus Dapifer HVGONIS LIZINIACENSIS, & alij multi. ſed

plures fuerunt mortui ex eis. Fuerúntque ibi in obſeſſione nihil inuenientes ad A edendum per decem dies: donec venit nuncius noſtrarum nauium, quæ applicuerunt porto *Iaſi*. Poſtquàm venerunt nuncij nauium, ceperunt noſtri Seniores conſilium inter ſe dicentes; quòd milites & clientes miſiſſent, qui fideliter cuſtodirent homines & naues, quæ venerant porto Iaſi. Summo autem diluculo exierunt milites centum de exercitu Raimundi Comitis Sancti Egidij: ſcilicet Raimundus Piletus, & Gaudemarus Carpinellus, & Achardus de Mommerlo, & Guillelmus de Sabra, & alij, quorum nomina ignoro. Cúmque militarent ad portum, diuiſerunt ſe triginta milites ex noſtris ab aliis: ſcilicet Gaudemarus, & Achardus, & inuenerunt ſeptingentos Arabes, & Turcos, & Sarracenos, quos inuaſerunt fortiter CHRISTI milites. Sed tam magna fuit virtus paganorum ſuper noſtros, quòd vndique circumcinxerunt illos, & occiderunt Achardum de Mommerlo, & plures homines pauperes qui erant pede. Cùm autem tenerent noſtros ita incluſos, qui omnes putabant mori, venit quidam ab eis nuncius, & dixit Raimundo Pileto: » Quid hic ſtas cum iſtis militibus? Ecce omnes noſtri in » nimia diſtrictione Arabum, & Turcorum, & Sarracenorum ſunt, & forſitan om- » nes in hac horâ mortui ſunt. Succurrite ergo illis. Audientes autem noſtri verba nuncij, ſtatim cucurrerunt celeri curſu, & venerunt vſque ad illos, quos inuenerunt adhuc prœliantes. Pagani quoque videntes Hieroſolymitanos milites, continuò diuiſerunt ſe, & fecerunt inter ſe duo agmina. Noſtri inuocato CHRISTI nomine, & ſancti Sepulchri, tam fortiter incredulos inuaſerunt, quòd vnuſquiſque ſtrauit ſuum. Videntes autem inimici, quòd ampliùs non B potuiſſent ſtare contra Chriſtianorum fortitudinem, timore nimio perterriti verterunt ſcapulas retrò, & fugerunt. Quos noſtri perſequentes ferè per ſpacia quatuor milliariorum, occiderunt multos ex eis, vnúmque retinuerunt viuum, qui noua eis per ordinem diceret, & retinuerunt tres * equos.

* centum & tres in edit.

IN Hieroſolymitana obſeſſione tantam ſitim fuerunt perpeſſi, quòd ſuebant coria boum, ac bufalorum, ſiue caprearum, in quibus ferebant aquas per ſpacia ſex milliariorum: & ita ex illis vaſculis vtebantur fœtida atque olida aqua. niſi tantum ex fœtida aqua, & hordeaceo pane in nimia diſtrictione & afflictione cotidie erant. *Siloe* namque fons, qui eſt ad radicem montis Syon, parumper ſuſtinebat nos. Sed tamen cara vendebatur aqua inter Chriſtianos Dei & ſancti Sepulchri: ita quòd vnus homo non poterat extinguere ſitim ſuam per vnum nummum. Sarraceni quoque ad cunctos fontes & vniuerſos puteos, qui erant, latebant, inſiliando noſtros homines, & eos quos inuenire poterant occidebant, & animalia ſecum in ſuis cauernis, atque ſpeluncis, ſiue montaneis, deducebant. Alia parte occidebant eos, qui pergebant in vineis ad racemos. Quod cùm vidiſſent Seniores noſtri, nimis irati fuerunt, & fecerunt Concilium, in quo Epiſcopi & Preſbyteri laudauerunt, vt feciſſent proceſſionem circa ciuitatem. Ita Epiſcopi & Preſbyteri nudis pedibus, ac ſacris veſtibus induti, & cruces in manibus fe- C rentes, venerunt de Eccleſia ſanctæ Mariæ, quæ eſt in monte Syon, ad Eccleſiam ſancti Stephani prothomartyris, pſallentes atque orantes, vt Dominus IESVS CHRISTVS ſuam ſanctam ciuitatem, & ſanctum Sepulchrum, à paganorum liberaret gente, & in manibus Chriſtianorum ad ſuum ſanctum ſeruicium faciendum tribueretur. Clerici itaque erant induti, milites & clientes pergebant iuxta illos armati. Sarraceni hoc videntes ſimiliter pergebant per muros ciuitatis, Machomet in quadam haſta deferentes vno panno coopertum. Chriſtianis peruenientibus ad Eccleſiam ſancti Stephani, ibíque ſtationem facientibus, ſicut mos in proceſſionibus noſtris eſt: & ipſi Sarraceni deſuper muros aſtantes clamabant & vlulabant cum buccinis; & omne genus deriſionis, quodcumque reperire poterant, faciebant. Inſuper faciebant de ligno crucem in ſimilitudinem illius, qui fundendo ſanguinem ſuum miſericors CHRISTVS humanum genus redemit: eámque, videntibus omnibus Chriſtianis vt inferrent dolorem, cum quodam ligno verberabant, & poſtea vt maiorem inferrent dolorem, ad murum ciuitatis eam frangebant, dicentes alta voce, *Frangi agit ſalio*: quod apud nos ſonat, Franci, eſt bona crux. Quo viſo, Chriſtiani commoti dolore magno, ab orationibus non deſiſtentes, cum proceſſione ſua aſcenderunt ad Eccleſiam montis Oliueti, ex quo loco CHRISTVS in cœlum aſcendit: & ibi Sermonem ſuum fecit qui-

A dam honeſtiſſimus Clericus, ſcilicet Arnulfus, oſtendendo miſericordiam, quam Deus Chriſtianis fecerat, qui ſequuti ſunt illum ex quo aſcendit in cœlum. Tunc ipſi Sarraceni videntes Chriſtianos ibi aſtantes, (quàm optimè eos poterant videre) ſtantes inter Templum Domini & Templum Salomonis, cum gladiis & fuſtibus huc & illuc currentes, Chriſtianis minabantur. Indè iterum Chriſtiani cum eadem proceſſione venerunt ad Monaſterium ſanctæ Mariæ in valle Ioſaphat, ex quo Monaſterio ſanctiſſimum corpus eius raptum fuit in cœlum. Atque iterum indè reuerſi ſunt ad montem Syon. Quo loco cupientes intrare in Eccleſiam, quidam Clericus, qui prior in proceſſione veniebat ad oſtium ipſius Monaſterij, cum quadam ſagitta in media fronte vulneratus eſt, ibíque defunctus eſt. Cuius anima, vt credo, regnabit cum Chriſto per infinita ſecula ſeculorum, amen. Credendus eſt qui primus ſcripſit, quia in proceſſione primus fuit, & oculis carnalibus vidit: ſcilicet PETRVS Sacerdos TVDEBODVS SIVRACENSIS.

STATIM Seniores noſtri ordinauerunt, quomodo hanc ciuitatem ingeniare potuiſſent, & orando ad noſtri Saluatoris intrarent Sepulchrum. Fecerúntque duo lignea caſtra, & alias plures machinas. Dux GODEFRIDVS ſuum fecit caſtrum cum machinis, & Raimundus Comes Sancti Egidij ſimiliter. De longinquis terris attrahebant ligna, quæ ligna apportabant collis ſuis quinquaginta Sarraceni vel ſexaginta, qui in poteſtate Chriſtianorum erant, & ſicut Chriſtiani Sar-

B racenos per ...... confundebant. Sarraceni igitur videntes noſtros facientes has machinas, mirabiliter muniebant ciuitatem, & turres die ac nocte creſcebant. Quadam die miſerunt ipſi Sarraceni quendam Sarracenum, ad videndum cuiuſmodi ingenia Chriſtiani faciebant. Suriani verò & Græci videntes illum Sarracenum, indicauerunt eum Chriſtianis, dicentes: *Mate Chriſto caco Sarrazin*. Quod ſonat in noſtra lingua, Per Chriſtum hic eſt ignauus Sarracenus. Quem Chriſtiani apprehendentes, interrogauerunt per Drogamundum, ſcilicet per Interpretem, ad quid venerat. Qui reſpondens, ait: Sarraceni huc me miſerunt, volentes ſcire cuiuſmodi eſſent veſtra ingenia. Cui reſpondentes Chriſtiani, dixerunt bonum eſſe, atque eum acceptum ligatis manibus & pedibus poſuerunt in fundam cuiuſdam ingenij, quod *Perrea* vocatur, atque eum omnibus ſuis cogitantes eum proiicere in ciuitatem, nequiuerunt. Nam cum tanto impetu venit, quòd ruptis vinculis antequàm perueniſſet ad murum ciuitatis, dilaceratus eſt. Videntes autem noſtri Seniores, ex qua parte ciuitas eſſet languida, illie in quadam nocte Sabbati depórtauerunt noſtras machinas, & lignea caſtra. Summo autem diluculo erexerunt illa, & aptauerunt, & ornauerunt caſtra, in prima & ſecunda & tertia feria, nocte & die. Et in quarta feria vſque ad primam, & in quinta mirabiliter aggrediuntur ciuitatem ex omni parte vſque in montem. Sexta verò feria ſummo mane vndique aggrediuntur ciuitatem, nihílque ei nocere potuerunt, erántque omnes ſtupefacti, ac in nimio pauore poſiti.

C

Sexta feria capta eſt Hieruſalem.

APPROPINQVANTE autem hora, ſcilicet in qua Dominus noſter IESVS CHRISTVS dignatus eſt paſſionem ſufferre pro nobis, noſtri milites fortiter pugnabant in caſtello: videlicet Dux GODEFRIDVS, & Comes Euſtachius frater eius. Tunc aſcendit quidam miles, qui vocabatur nomine Lethot, ex noſtris ſuper murum ciuitatis. Continuò poſtquàm miles Chriſti aſcendit ſuper murum ciuitatis, ſecuti ſunt Comes Euſtachius & Dux Godefridus. Omnes itaque defenſores ciuitatis dederunt fugam per muros, & per ciuitatem: noſtríque illos erant perſequentes, occidendo, & detruncando. At Raimundus Comes Sancti Egidij à meridie ſuum conduxit caſtrum vſque propè murum: ſed inter caſtrum & murum erat quædam fouea, quæ nimis erat profunda. Conſiliatus eſt ergo Raimundus in illa hora, quòd implere feciſſet illam foueam, fecítque præconari, vt ſi aliquis in illam foueam portaſſet tres petras, quòd illi daret per tres petras vnum denarium. & potuit hæc fouea impleri per tres dies & duas noctes. Illi autem, qui erant in ciuitatem in turre, fortiter præliabantur cum noſtris cum igne & lapidibus: in tantum quòd altiorem partem caſtri Raimundi Sancti Egidij fregerunt, & ardere faciebant. Sic itaque Raimundo irato atque conturbato, militi-

búſque ſuis propter caſtrum ſuum, cuius ſuperiorem partem iam fregerant pagani, atque ardere faciebant; vidit ſubitò ipſe Raimundus Sancti Egidij tres milites, qui de exercitu Ducis GODEFREDI erant, per montem Olìueti venientes, & clamantes quòd Dux Godefridus atque ſui homines iam erant in ciuitatem. Audiens itaque Raimundus Sancti Egidij, quòd Francigenæ iam eſſent in ciuitatem, ſuis dixit hominibus: Quid tardatis? Ecce omnes Francigenæ iam ſunt in ſancta ciuitate Hieruſalem. His auditis, acceperunt ſcalas, & erexerunt ad murum, & ſic pugnando intrauerunt ciuitatem. Ammiralius quoque, qui erat in turri Dauid, reddidit ſe Raimundo Sancti Egidij, eíque aperuit portam, per quam peregrini diſſoluere ſolebant tributa: tali pacto, quòd eum & alios qui cum eo erant in turre vſque Scaloniam ciuitatem ſanos & illæſos conduceret feciſſet. quod fecit libenti animo. Intrauerunt autem noſtri peregrini ciuitatem ſanctam Hieruſalem, perſequentes & occidentes Sarracenos vſque ad Templum Salomonis, & Templum Domini. Ibique congregati pagani dederunt noſtris maximum bellum vſque ad veſperam. Noſtrique tantos illorum interfecerunt, quòd ſanguis per totum Templum Salomonis fluebat, & per plateam quæ eſt circa Templum Domini. Tandem ſuperatis paganis, apprehenderunt noſtri maſculos & feminas ſat in Templo, & occiderunt quos voluerunt, & quos noluerunt retinuerunt viuos. Super verò Templum Salomonis erat maxima paganorum congregatio vtriuſque ſexus, quibus Tancredus & Gaſtos de Bearn dederunt ſua vexilla. Poſtea cucurrerunt per vniuerſam ciuitatem, capientes aurum & argentum, equos & mulos, & domos plenas omnibus bonis. Poſtea venerunt omnes gaudentes, & præ nimio gaudio plorantes, ad noſtri Saluatoris Sepulchrum. Mane autem facto fecit præconiari Tancredus, vt omnes irent ad Templum Salomonis, & occiderent Sarracenos. Ad Templum poſtquàm venerunt, cœpit vnuſquiſque cum arcu ſuo trahere, multóſque interficere. Alij verò ex alia parte ſuper tectum Templi aſcendebant, & inuaſerunt Sarracenos tam maſculos quàm feminas, decollantes eos nudis enſibus. Quorum alij dabant ſe præcipites è Templo, alij ſurſum moriebantur.

Hic elegerunt GODEFRIDVM *in Regem.*

ALIA die fecerunt Concilium ante Templum Domini, dicentes vt vnuſquiſque faceret orationes & eleemoſynas, atque vt Deus eligeret ſibi quempiam qui ei placuiſſet regnare ſuper alios, & ciuitatem ſanctam Hieruſalem regeret, & paganos expræliaretur. Sed Epiſcopi & Sacerdotes laudauerunt, vt primitus omnes Sarracenos mortuos foras eiicerent: ne magnus fœtor, qui ibi erat, eis noceuiſſet. Omnis namque ciuitas erat plena illorum cadaueribus, & ſic fecerunt in viis Sarracenos trahere mortuos ante portarum exitus. Montes ex eis, quaſi fuiſſent domus, ordinabant: omnéſque poſtea igne combuſſerunt. Tales occiſiones de paganorum gente quis vnquam vidit, aut audiuit? Numerum quoque nemo ſciuit, niſi ſolus Deus. Octauo verò die poſtquàm ciuitas fuit capta, celebrauerunt feſtum per omnem ciuitatem Hieruſalem, eadémque die fecerunt Concilium, in quo elegerunt Ducem GODEFREDVM Principem ciuitatis, qui prœliaretur paganos, & cuſtodiret Chriſtianos. Similiter elegerunt in loco Patriarchæ quendam ſapientiſſimum & honorabilem Clericum, cui nomen erat Arnulfus, in feſtiuitate ſancti Petri ad Vincula. Hæc ciuitas fuit capta à Chriſtianis Dei XV. die Iulij in VI. feria, anno ab Incarnatione Domini MXCIX. auxiliante Domino noſtro IESV CHRISTO, cui eſt honor & gloria in ſecula ſeculorum, amen.

Poſtquam capta eſt Hieruſalem pugnauerunt Chriſtiani contra Amiralium Babyloniæ prope Aſcaloniam.

INTEREA nuncius venit TANCREDO & Comiti Euſtachio, vt præpararent ſe, & pergerent ad Neopolitanam ciuitatem. Exierunt ergo illi, & duxerunt milites & pedites, & peruenerunt vſque ad ciuitatem: cuius habitatores ſe continuò illis reddiderunt. Iterum per nuncium Dux GODEFRIDVS mandauit Tancredo, & Euſtachio fratri ſuo, quatenus citò veniſſent ad eum. Au-

A diuerat namque quòd Ammiralius Babyloniæ erat Scaloniæ ciuitati, vbi præpa-
rabat ſe qualiter poſſet expugnare Hieruſalem: deferens ſecum cathenas, & alia
ferrea, cum quibus iuuenes Chriſtianos ligaſſet, qui in ſeruitute ampliùs habean-
tur illis, & eorum generi. ſenéſque omnes vtriuſque ſexus iuſſerat interfici. Quod
cùm vidiſſet Comes Euſtachius, & Tancredus, cum magno gaudio venerunt per
montaneas, quærentes Sarracenorum bella, ita muniti bello. Et venientes ad
ciuitatem Cæſaream, deindè venerunt iuxta mare vſque ad ciuitatem quæ dicitur
Rama. Illic inuenerunt multos Arabes, qui præcurſores erant belli Amirauiſi.
Quos ille perſequens, apprehendit plures ex illis, qui voluiſſent noluiſſent, dixe-
runt omnia noua eis belli per ordinem: vbi erant, & quot erant, aut vbi bellare
contra Chriſtianos volebant. Quod audientes Tancredus & Comes Euſtachius,
ſtatim miſerunt Hieruſalem Duci Godefrido, & Patriarchæ Arnulfo, & omni-
bus Principibus, dicentes: Sciatis quòd bellum paratum eſt Scalonæ ciuitati. qua «
de cauſa venite feſtinanter, cum omni virtute quam habere poteritis. Tunc iuſſit «
Dux præconiari per ciuitatem Hieruſalem, vt fideliter pergerent ciuitati præpa-
rati ad bellum Scaloniæ, obuiam inimicis Dei. Ille verò cum Patriarcha Arnul-
fo, & Flandrenſi Comite Rotberto, & Martoronenſi Epiſcopo, in tertia feria exi-
uit ab Hieruſalem ciuitate. Raimundus Sancti Egidij & Rotbertus Normannus
dixerunt, quòd nullatenus irent, niſi certum bellum ſcirent. Miſerunt ergo ſuos
B milites, vt irent viſum, ſi hoc bellum verum eſſet. quibus dixerunt: Si hoc ve- «
rum eſt, reuertimini quantociùs, & nos erimus parati ire continuò. Perrexerunt «
itaque illi, & viderunt bellum, & citiùs redierunt Hieruſalem, dicentes: Certè «
verum eſt, ſicut oculis noſtris vidimus. Poſtea Dux Godefridus miſit Marthoro- «
nenſem Epiſcopum Hieruſalem Raimundo Sancti Egidij, & Rotberto Norman-
no, & aliis Senioribus, quòd citò pergerent ad eum, ſi præliari cum paganis vo-
luiſſent. Epiſcopus verò Marthoronenſis rediens, recitata verba Patriarchæ &
Ducis ferens, inuenit Sarracenos qui apprehenderunt illum, ſecúmque neſcimus
vbi duxerunt. Raimundus quóque Sancti Egidij, & alij Seniores, exierunt de ci-
uitate in quarta feria, & muniti ſigno crucis militauerunt vſque ad Ducem Go-
defridum. Petrus verò Heremita remanſit Hieruſalem, ordinando & prædican-
do Græcis & Latinis, vt fideliter Deo proceſſionem facerent & orationes, & elee-
moſynas pauperibus diſtribuerent: vt Deus populo ſuo victoriam impenderet. Et
ita Clerici fecerunt proceſſionem nudis pedibus, & induti ſacris veſtibus, & cru-
ces in manibus ferentes, cum lætania, & aliis orationibus, de ſancto Sepulchro ad
Templum Domini. Dúxque Godefridus, & Raimundus Sancti Egidij, & Pa-
triarcha, & Rotbertus Normannus, & Rotbertus Flandrenſis Comes, & Epiſco-
pi, & alij Seniores omnes venerunt ad flumen, quod eſt ex parte Scaloniæ, ibí-
que congregati fuerunt in vnum. Illíeque multa animalia ſine numero inuene-
runt, boum, camelorum, ouium, aſinorum, & aliorum pecudum, quæ miſerunt
C Sarraceni cauſâ proditionis. ſed Deus adhuc noluit deſerere propter ſanctum Se-
pulchrum. Omnia verò animalia apprehenderunt Chriſti milites, & clientes
ſancti Sepulchri. Serò autem veniente, Patriarcha Arnulfus portans ſecum Do-
mini noſtri IESV CHRISTI partem Crucis, quam inuenerunt peregrini ſancti
Sepulchri in Hieruſalem, & ſimiliter Capellanus Raimundi Sancti Egidij portans
ſecum Lanceam Domini noſtri IESV CHRISTI, cœperunt excommunicare
ex parte Dei, & ſancti Sepulchri, & precioſiſſimæ Lanceæ, & ſanctiſſimæ Crucis,
Quod ne vllus homo intendat ad vlla ſpolia, donec bellum eſſet factum, & inimi- «
ci Dei fuiſſent deuicti, & poſtea reuerterentur cum felici gaudio, & maxima vi- «
ctoria, & caperent quicquid eis à Domino prædeſtinatum eſſet. Quod cùm au- «
diſſent ſancti Sepulchri peregrini, & milites Chriſti, ſummo diluculo in ſexta fe-
ria intrauerunt in quandam vallem nimis pulchram ſecus litus maris, & in ea ſuas
ordinauerunt acies. Dux GODEFRIDVS, qui iam electus erat ad Regem in
Hieruſalem, ſuam inſtruxit aciem, & Raimundus Sancti Egidij ſuam, & Rotber-
tus Normannus ſuam ſimiliter, & Rotbertus Flandrenſis Comes ſuam, Comeſ-
que Euſtachius ſuam, & Tancredus, atque Gaſtos de Beart. Sic ergò ſex acies cœ-
perunt militare. Sagittarij quoque hos præcedentes, & iuxta eos in dextera par-
te & in ſiniſtra omnia animalia ſuperiùs dicta ſine ductore pergebant. Quod ma-
ximum Dei erat miraculum. Cœperúntque ſtatim militare in nomine IESV

CHRISTI & ſancti Sepulchri, deferentes Lanceam noſtri Saluatoris, & vnam A
partem Crucis ipſius Saluatoris, quam ipſe Patriarcha deferebat. In ſiniſtra parte
fuit Dux GODEFRIDVS cum ſua acie, Comeſque Raimundus Sancti Egidij
equitauit iuxta mare in dextera parte: Comes Normanniæ, & Flandrenſis Comes,
& Euſtachius, & Tancredus, & Gaſtos de Biarzt, & omnes alij equitauerunt in
medio. Tunc noſtri paulatim cœperunt ad bellum pergere. Pagani namque ſta-
bant parati ad bellum. Vnuſquiſque vas ſuum habebat ſuſpenſum collo, ex quo
biberet, dum cum Chriſtianis prælarentur.

Hîc incipit bellum contra Turcos & ceteras gentes.

QVOS Rotbertus Flandrenſis nimis acriter inuaſit, Tancredúſque & omnes
alij ſimiliter. Continuò pagani hoc videntes, inierunt fugam. Bella namque illa
erant immenſa, quia paganorum multitudo erat innumerabilis. Sexcenti ſexagin-
ta millia, ſicut dictum eſt, ibi fuerunt: & tamen nemo ſciuit numerum eorum niſi
Deus. Sed virtus diuina comitabatur cum noſtris, quæ tam magna & tam fortis
fuit, quòd noſtri paruipendebant multitudinem illorum. Stabant autem inimici
Dei excæcati atque ſtupefacti, videntes Hieroſolymitanos milites CHRISTI,
apertis oculis nil videbant, & contra Chriſtianos ſe erigere non audebant, vir-
tute tremefacti Dei. Præ nimio timore aſcendebant in arbores, in quibus recon- B
debant ſe. At noſtri illos ſagittabant, & cum lanceis occidebant eos. Noſtri igi-
tur illos poſtea cum enſibus & aliis gladiis fruſtatim detruncabant. Alij autem
pagani iactabant ſe in terram, non audentes ſe erigere contra Chriſtianos. Noſtri
igitur illos detruncabant, ſicut aliquis detruncat animalia ad macellum. Rai-
mundus Comes Sancti Egidij iuxta mare occidit ex eis ſine numero, & qui non
poterat fugere mergebat ſe in mare, aut fugiebat in ciuitatem. Veniens itaque
Ammirauiſus ante Scaloniam ciuitatem, dolens ac mœrens, atque lacrimando
» dixit: O Machomet, & Dij noſtris, quis vnquam audiuit, & vidit talia? Quod
» tanta poteſtas, tanta virtus, tanta fortitudo, tanta militia, quæ numquam fuit
» ab vlla gente ſuperata, modò à tantilla gente, quòd in pugillo poteſt claudi,
» eſt ſuperata? Heu me triſtem ac dolentem! quid ampliùs dicam? Cur ſu-
» peratus ſum à gente mendica, inerma, & pauperrima, quæ non habet niſi ſac-
» cum & peram, & modò perſequitur gentem noſtram Egyptiacam, quæ multo-
» tiens ſuam eleemoſynam ei largita eſt? Qui olim per vniuerſam noſtram patriam
» mendicabant, & modò perſequuntur quam adduxi innumerabilem multitudi-
» nem tam militum quàm peditum, ſcilicet Turcorum, Sarracenorum, Arabum,
» Agulanorum, & Curtorum, ac Parthorum, Azimitarum, & aliorum paganorum:
» quos omnes turpiter fugere laxatis frenis per viam Babylonicam video, qui non
» audent ſe reuerti ad huiuſmodi fragilem gentem. Modò namque iuro per Ma-
» chomet, & per Deorum numina, quòd vlteriùs non retinebo milites ad conuentio- C
» nem aliquam, quandoquidem deiectus ſum ab hac inertiſſima gente. Ego namque
» huc cõduxi omnia armorum genera, & omnia inſtrumenta ſiue machinas, & omnia
» vincula ferrea, cum quibus putaui eos ducere ligatos Babyloniam, vel vt eos ob-
» ſiderem in Hieruſalem: & illi contra me venerunt ad bellum itinere duorum die-
» rum, vt quid mihi eſſet ſi Hieruſalem gentem meam conducerem? Hoc ſcilicet,
» quòd neque ego, nec vnus meorum, vt credo, indè euadere potuiſſet. Quid am-
» pliùs dicam? Dedecoratus ero ſemper in tota terra Babyloniæ. Sícque fecit finem
dictis. Vnus autem noſtrorum accepit ſtandarum Ammirauiſſi, deſuper quod
erat aureum pomum: haſta verò tota cooperta argento. Quod ſtantarum apud
nos dicitur vexillum, quod emit Comes Rotbertus Normannorum, dando xx.
marcas argenti: deditque Monaſterio ſancti Sepulchri. Enſem quoque ſimiliter
Ammirauiſſi quidam peregrinus, dando ſexaginta biſantios. Superati itaque ſunt
Deo adiuuante omnes noſtri inimici, eo tenore quòd ampliùs virtutem contra
nos non habent. Omnes verò naues de omni terra paganorum aderant ibi. Sed
nautæ illarum poſtquàm viderunt Ammirauiſſum cum ſuo exercitu fugientem,
ſtatim ſuſpenderunt vela, ipſúmque Ammirauiſſum recipientes in nauibus ſuis,
miſerunt ſe in alta maria. Reuerſi ſunt itaque noſtri ad eorum tentoria, & acce-
perunt innumera ſpolia auri & argenti, & palliorum, & mulorum, & multorum

A honorum cumula: ſcilicet equos & mulos, & camelos, & oues, & boues, & aſinos, & multa animalia. Omnes montes namque & colles, & omnia plana ſtabant cooperta de multitudine animalium: & inuenerunt armorum cumula, quarum quæ voluerunt de illis recipere retinuerunt. Alia verò quæ noluerunt inſimul congregauerunt, ibique in ignem miſerunt. Reuerſi ſunt autem noſtri lætantes & gaudentes in ſanctam ciuitatem Hieruſalem, deuictis omnibus paganis: deferentes ſecum multa bona, ſcilicet camelos & aſinos onuſtos pane biſcocto, & farina, & frumento, & caſeo, & pane, & oleo, & omnibus bonis quæ illis erant neceſſaria. Vnde tanta eſt orta fertilitas inter Chriſtianos, quòd bos pro octo nummis vel decem haberi poterat. Modius verò frumenti pro XII. nummis, modius quoque hordei pro octo. Quod tandem ne ignotum ſit Chriſtianis omnibus, ſciant hoc bellum factum eſſe XIX. Kal. Septembris in vigilia ſanctiſſimæ Dei genitricis Mariæ, annno ab Incarnatione Domini MXCIX. regnante Domino noſtro IESV CHRISTO, cui eſt honor & gloria per infinita ſecula ſeculorum, amen.

EXPLICIT V. LIBER.

HÆC DE HIEROSOLYMITANO ITINERE IN TRIBVS ANNIS, ET LIBERATIONE CIVITATVM DICTA SVFFICIANT.

B PER OMNIA BENEDICTVS DEVS, QVI TRADIDIT IMPIOS, AMEN.

 A

FVLCHERII CARNOTENSIS

HISTORIA HIEROSOLYMITANA.

Ab anno MXCV. ad annum vſque MCXXVII.

Ex vetuſto Codice MS. Cænobÿ Sancti Quintini de Monte prope Peronam.

Initium Hiſtoriæ huius vſque ad Cap. XIX. Libri 1. ex editione I. Bongarſij deſumptum eſt, quia in MS. Codice deerat: reliqua editis auctiora ſunt, adiectæque etiam Capitum inſcriptiones ex Cod. B

INCIPIT LIBER PRIMVS.

1095. Cap. I. ANNO ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo quinto, regnante in Alemannia HAINRICO Imperatore dicto, in Francia Rege PHILIPPO: cùm in vniuerſis Europæ partibus mala multimoda, vacillante fide, inoleſcerent: præerat vrbi Romæ Papa ſecundus VRBANVS, vir egregius vitâ & moribus: qui ſemper Eccleſiæ ſanctæ ſtatum ſublimiùs prouehendum, ſuper omnia conſulrè ac ſtrenuè moderari ſategit. Videns autem Chriſtianitatis fidem enormiter ab omnibus, tam Clero quàm populo, peſſundari: & terrarum Principibus inceſſanter certamine bellico, nunc iſtis nunc illis inter ſe diſſidentibus, pacem omninò poſtponi; bona terræ alternatim diripi; multos iniurioſè vinctos captiuari, & in carceres teterrimos truculentiſſimè ſubrui, ſupramodum redimi, vel intus trifariam angariatos, ſcilicet ediâ, ſiti, algore, obitu clandeſtino extingui: loca ſancta violari, Monaſteria villáſque igni cremari, nulli mortalium parci, diuina & humana ludibriis haberi. Audiens etiam interiores Romaniæ prouincias, à Turcis ſuper Chriſtianos occupatas, impetu feroci pernicioſè ſubdi: pietate compatiens, dilectioniſque Dei nutu permotus, Alpes tranſmeando in Gallias deſcendit, atque C in Aruernia Concilium legationibus competenter vndique præmonitum, apud Claromontem, quæ ſic vocatur ciuitas, fecit coadunari, trecentis decem tam Epiſcoporum quàm Abbatum aſſiſtentium baculis deputatis. His itaque die ad hæc prænotato ad ſe conuocatis, adlocutione dulciflua diligenter conuentus cauſam innotuit. Nam ſub Eccleſiæ lugentis voce querula planctum non minimum expreſſit, & de mundi fluctuantis tempeſtatibus tantimodis, vt ſuperiùs præfatum eſt, fide ſubruta, ſermonem prolixum cum eis tenuit. Deinceps, rogitatu ſupplici cunctos exhortatus eſt, vt reſumptis fideï viribus cum ingenti ſollicitatione ad expugnandas Diaboli machinationes viriliter ſe animarent; & Eccleſiæ ſanctæ ſtatum crudeliſſimè à nephandis debilitatum, in honorem priſtinum competenter
» erigere conarentur. Dilectiſſimi Fratres, inquit, Apoſtolatus apice Dei permiſſu
» Orbi terræ prælatus, occaſione neceſſaria ſupereminente, tanquam monitionis
» diuinæ legatus, ad vos Dei ſeruos has in partes condeſcendi VRBANVS. Et
» quos diſpenſatores miniſteriorum Dei æſtimaui, tales & fideles, ſimulationis ex-
» ploſa eluuione, reperiri optaui. Quòd ſi aliquid gibboſum vel tortuoſum, mo-
» deſtia rationis iuſtitiæ ſemota, contra legem Dei obſiſtat, præſente ſubfragamine
» diuino, diligenter expedire ſatagam. Dominus enim ſupra familiam ſuam, vt ei
» pro tempore pabula modeſto ſapore condita miniſtretis, vos diſpenſatores conſtituit.

A ſtituit. Beati autem eritis, ſi fideles tandem diſpenſationis exactor vos inuenerit. 1095. Paſtores etiam nuncupamini: videte autem ne mercenarij more fungamini. Veri ergo Paſtores, & baculos ſemper in manibus habentes, eſtote: nec dormitantes, gregem vobis commiſſum vndique conſeruate. Nam ſi per incuriam veſtram aut negligentiam ouem quamuis lupus abripuerit, mercedem nimirum vobis paratam apud Dominum noſtrum amittetis: & delictorum flagris primitus aſperrimè cæſi, poſtmodum verò in cuſtodiam funeſtæ conuerſationis truculenter ſubruemini. Vos verò iuxta Sermonem Euangelicum, *Sal eſtis terræ*. quòd ſi defeceritis, ambigitur quomodo ſaliatur. O quanta ſalitio! verè neceſſe eſt, vos plebem idiotam, & mundi laſciuiæ ſupra modum inhiantem, ſapientiæ ſale corrigendo ſalire: ne delictis putrefacta, dum eam alloqui quandoque voluerit, Domino inſalſa puteat. Nam ſi vermes, hoc eſt peccata, causâ deſidiæ procurationis veſtræ, in ea reperérit, illicò vilipenſam in præcipitium ſpurcitiarum eam ſubigi præcipiet. Et quia tantum perditum ei reſtaurare nequiueritis, vos iudicio damnatos à familiaritate dilectionis ſuæ prorſus exterminabit. Sed huiuſmodi ſalitorem oportet eſſe prudentem, prouiſorem, modeſtum, edoctum, pacificum, ſcrutatorem, pium, iuſtum, æquum, mundum. Nam quomodo indoctus doctos, immodeſtus modeſtos, immundus mundos efficere valebit? Quòd ſi pacem oderit, quomodo pacificabit? Aut ſi quis habuerit manus ſuas ſordidas, quomodo ſordes alterius coin-
B quinationis tergere poterit? Lectum eſt etiam, quòd ſi cæcus cæcum duxerit, ambobus cauea patebit. Ceterum vos ipſos priùs corrigite, vt inreprehenſibiliter ſubditos queatis emendare. Siquidem amici Dei vultis eſſe, quæ ſentitis ei placita libenter exercete. Res Eccleſiaſticas præcipuè in ſuo iure conſtare facite, & vt ſimoniaca hæreſis nullatenus apud vos radicet, cauete: ne vendentes aut ementes pariter flagris flagellati Dominicis, per angiportus ad exterminium confuſionis miſerabiliter propellantur. Eccleſiam ſuis ordinibus omnimodè liberam ab omni ſeculari poteſtate ſuſtentate: decimáſque Deo proprias de omnibus terræ cultibus fideliter dari facite: nec vendantur, aut retineantur. Quòd qui Epiſcopum ceperit, omninò exlex habeatur. Quòd qui Monachos vel Clericos, vel Sanctimoniales, & eorum famulos ceperit aut expoliauerit, vel peregrinos vel mercatores, anathema ſit. Raptores, & domorum combuſtores, & eorum conſentientes, ab Eccleſia extorres, anathemate feriantur. Summoperè igitur conſiderandum eſt, qua multandus ſit pœna, qui aliena diripit, ſi inferni damnatione percutitur, qui propria non largitur. Sic enim diuiti in Euangelio memorato contigit: qui non idcircò punitus eſt, quòd aliena abſtuliſſet, ſed quia rebus acceptis ſeipſum malè dereliquit. His verò, vt dictum eſt, iniquitatibus, inquit, chariſſimi, mundum vidiſtis grauiſſimè diu confuſum fuiſſe: adeò vt nullus in aliquibus prouinciarum veſtrarum, ſicut nobis à referentibus patefactum eſt, per imbecillitatem forſitan iuſtificationis veſtræ virtute per viam gradi audeat, quin vel
C die à prædonibus, vel nocte à latronibus, aut vi aut ingenio maligno, in domo vel extra, ſubripiatur. Quapropter Treuiam, ſic vulgariter dictam, iamdudum à ſanctis Patribus noſtris determinatam, reformari oportet: quam firmiſſimè vnuſquiſque veſtrûm in Epiſcopatu ſuo teneri faciat, monendo flagito. Quòd ſi aliquis ſiue auiditate, ſiue ſuperbiâ ſeductus, eam ſponte infregerit, Dei auctoritate & huius Concilij decretorum ſanctione anathematizetur. His & aliis pluribus competenter diſpoſitis, cuncti aſſiſtentes, tam Clerus quàm populus, Deo gratias agendo, dictis domini VRBANI Pontificis ſummi voluntariè aſpirauerunt; & fideli pollicitatione decreta illa benè tenenda confirmauerunt. Sed aliud illico, non minus tribulationis ſuperiùs memoratæ, ſed & aut maius, aut peſſimum, ex altero mundi climate, Chriſtianitati obeſſe adiecit, inquiens: Quoniam ô filij Dei, ſi pacem apud vos tenendam & Eccleſiæ iura fideliter conſeruanda ſuſtentare, viriliùs ſolito Deo polliciti eſtis, extat operæprecium vt inſuper ad quoddam aliud negotium Dei & veſtrum, emendatione Dominica nuper vegetati, probitatis veſtræ valitudinem verſetis. Neceſſe enim eſt, quatenus cum fratribus veſtris in Orientali parte habitantibus, auxilio veſtro iam ſæpè proclamato indigis, accelerato itinere ſuccurratis. Inuaſerunt enim eos, ſicuti pleriſque veſtrum iam dictum eſt, vſque mare Mediterraneum, ad illud ſcilicet quod *Brachium ſancti Georgij* vocant, Turci & Arabes, apud Romaniæ fines: & terras illorum Chri-

1095. ſtianorum magis magíſque occupando, lite bellica iam vice ſeptuplicata victos A
» ſuperaucrunt, mulros occidendo vcl captiuando, Eccleſiáſque ſubuertendo, Re-
» gnum quoque vaſtando. Quos quidem ſi ſic aliquandiu quietè permiſeritis, mul-
» tos latiùs fideles Dei ſupergredientur. Qua de te ſupplici prece hortor, non ego,
» ſed Dominus, vt cunctis cuiuſlibet ordinis tam peditibus quàm equitibus, tam
» paupcribus quàm diuitibus, edicto frequenti vos, CHRISTI præcones, ſuadea-
» tis, vt ad id genus nequam è regionibus noſtratibus exterminandum tempeſtiuè
» Chriſticolis opitulari ſatagant. Præſentibus dico, abſentibus mando: CHRISTVS
» autem imperat. Cunctis autem illuc euntibus, ſi aut gradiendo, aut transfretan-
» do, ſiue contra paganos dimicando, vitam finierint, peccaminum remiſſio præ-
» ſens aderit: Quod ituris ánnuo, dono tanto inueſtitus à Deo. O quantum dede-
» cus, ſi gens tam ſpreta, degener, & dæmonibus ancilla, gentem cunctipotentis
» Dei fide prædiram, & Chriſti nomine ſplendidam, ſic ſuperauerit! O quanta im-
» properia nobis ab ipſo Domino imputabuntur, ſi eos non iuueritis qui profeſſio-
» ne Chriſtiana cenſentur, ſicut & nos! Procedant, inquit, contra infideles ad pu-
» gnam iam incipi dignam, trophæo explendam: qui abuſiuè priuatum certamen
» contra fideles conſueſcebant diſtendere quondam. Nunc fiant milites, qui du-
» dum extiterunt raptores. Nunc ritè contra Barbaros pugnent, qui olim contra
» fratres & conſanguineos dimicabant. Nunc æterna præmia nanciſcantur, qui du-
» dum pro ſolidis paucis mercenarij fuerunt. Pro honore duplici laborent, qui pro
» detrimento corporis & animæ ſe fatigabant. Quinimo hîc triſtes & pauperes, illic
» locupletes: hîc inimici Domini, illic amici eius erunt. Ituris autem mora non B
» differat iter: ſed propriis locatis, ſumptibúſque collectis, ceſſante bruma, verno
» ſubſequente, Domino præuio tramitem alacriter ineant. His dictis, & audien-
tibus grataner ad hoc animatis, nihil actu tali dignius æſtimantes, ſtatim plures 1
aſtantium ſe ituros, & ceteros abſentes indè diligenter ſe euocaturos ſpoponde-
runt. De quibus fuit vnus Epiſcopus Podienſis, ADEMARVS nomine, qui
poſtea vice fungens Apoſtolica, cunctum Dei exercitum prudenter & conſultè
rexit, & ad negocia peragenda viuaciter animauit. Taliter in Concilio quæ dixi-
mus ſtatutis, & ab omnibus benè confirmatis, abſolutionis benedictione data,
tunc diſceſſerunt; & hoc neſcientibus, poſtmodum ad manſiones ſuas regreſſi,
prout geſtum fuerat dilucidè diuulgauerunt. Quod vt paſſim per prouincias edi-
ctum eſt, iuriſiurandi firmitudine pacem, quam dicunt Treuiam, inuicem tenen-
dam conſtituerunt. Deinceps verò multi cuiuſlibet artis fungentes officio, com-
parata remiſſione peccatorum, ſe profecturos defæcatæ mentis intentione de-
uouerunt, quorſum ire iuſſum fuerat. O quàm dignum erat & amœnum, nobis
omnibus cruces illas cernentibus, vel ſericas vel auro textas, aut quolibet genere
pallij decoras, quas in chlamidibus ſuis, aut birris, ſiue tunicis, peregrini, iuſſu Pa-
pæ prædicti, poſt votum eundi, ſuper humeros ſuos conſuebant! Sanè pugnato-
res Dei meritò victoriæ ſigno inſigniri & muniri debebant, qui ob honorem eius C
ad præliandum ſe præparabant. Et qui ſignificans ſub agnitione fidei circa ſe ſic
pinxerunt, denique diriuatum ſignificatum verius adepti ſunt. Speciem inſignie-
runt, vt rem ſpeciei conſequerentur. Patet & quidem, quia meditatio bona bo-
num opus machinatur agendum: opus verò bonum ſalutem lucratur animæ.
Quòd ſi bonum eſt benè meditari; melius autem eſt poſt cogitatum opus iuſtum
patrari. Optimum eſt ergo compendium ſalutare, quod per dignam actionem
animæ victui nactum eſt. Vnuſquiſque igitur bonum cogitet, quod opere digno
meliorando compleat: vt optimum, quod non deficiat in æternum, emeritus tan-
dem miles percipiat. Taliter VRBANVS, vir prudens & venerandus, eſt me-
ditatus opus, quo poſtea floruit Orbis. Nam pacem renouauit, Eccleſiæque iu-
ra modos in priſtinos reſtituit. Sed & paganos de terris Chriſtianorum inſtinctu
viuaci effugari conatus eſt. Et quoniam cuncta quæ Dei ſunt exaltare omnimodè
ſtudebat, omnes ferè paternitati ſuæ ſub obedientia libenter ſe dediderunt. Sed
diabolus, qui ad detrimentum ſemper inſiſtere nititur, & veluti leo quærit circi-
nando quem deuoret, huic aduerſarium quendam nomine Guibertum, ſuperbiæ
ſtimulo irritatum, ad confuſionem populi concitauit: qui dudum Imperatoris
Baioariorum proteruitate ſuffultus, dum prædeceſſor GREGORIVS, qui &
Hildebrannus, in Sede iure habebatur, Apoſtolicatus officium vſurpare cœpit.

A ipſo Gregorio à foribus Baſilicæ ſancti Petri excluſo. Et quia peruersè ſic egit, 1095.
populus eum melior cognoſcere noluit. Vrbano autem rectè electo, & ab Epi-
ſcopis Cardinalibus conſecrato, maior & ſanctior pars populi, poſt Hildebran-
ni exceſſum, obediendo aſpirauit. Guibertus autem ſuſtentamine Imperatoris
prædicti, & plerorumque ciuium Romanorum irritamento animatus, Vrbanum
quamdiu potuit à Monaſterio Sancti Petri alienum fecit. Sed dum ab Eccleſia
illa ſic eliminatus erat, per regiones incedens, populum in aliquantis deuium
Deo conciliabat. Guibertus verò ob Eccleſiæ Principatum turgidus, Papam
procliuem obtemperantibus ſe oſtentabat, & Apoſtolatus officium, licèt iniuſtè,
inter conſentientes exercebat, & Vrbani facta tanquam irrita vili pendebat.
Vrbanus tamen eo anno, quo primitus Franci, Hieruſalem ituri, per Romam
tranſierunt, totam omninò poteſtatem Apoſtolicam adeptus eſt: auxilio cuiuſ-
dam nobiliſſimæ Matronæ Matildis nomine, quæ in Romana patria tunc pote-
ſtate multâ vigebat. Guibertus vero tunc in Alemannia erat. Itaque duo Pa-
pæ Romæ præerant: ſed cui eorum obediretur, à quamplurimis ignorabatur,
vel à quo conſilium poſceretur, vel quis ægrotis mederetur. Alij huic, alij alte-
ri fauebant. Prout aſpectibus hominum patebat, Vrbanus proſperior & iuſtior
erat: putandus eſt rectè fortior, qui cupiditates, tanquam hoſtes ſubicit. Rauen-
næ Vrbis Guibertus Epiſcopus erat, honore & diuitiis opulentus valde ſplende-
B bat. Mirandum, quare ſibi tam locupleti tantum non ſufficiebat. Qui etiam ab
omnibus exemplar iuſtæ actionis & humilitatis conſiderari debebat, cur temerè
philopompus inuadere præſumpſerit regendum ſceptrum imperij Dei? Sane non
eſt vi rapiendum, verum cum ratione & deuotione ſuſcipiendum. Debet ſuſce-
ptor non pro honore tumere, ſed commiſſum ſibi fideliter procurare; & quæ di-
gnitati honoris tanti pertinent, ſi diſperſa fuerint, oportunè regregare. Nec mi-
rum ſi mundus tunc inquietaretur totus, & conturbaretur: quoniam ſi Romana
Eccleſia, in qua principalitas correctionis vniuerſæ Chriſtianitatis obtinetur, tur-
bine quolibet confunditur, confeſtim accidit membra ſibi ſubdita, à capitaneis
fibris dolore diriuato, paſſibiliter compatientia debilitari. Ea enimuerò Eccleſia,
mater ſcilicet noſtra, lacte cuius educabamur, documento inſtrui valebamus, con-
ſilio muniebamur, ab illo ſuperbo Guiberto vehementer percuſſa erat. Cúmque
caput ſic tritum eſt, continuò membra læſa ſunt. Si caput ægrotet, cetera mem-
bra dolent. Sed quia capite ſic læſo, etiam membris marceſcentibus dolore diriua-
to, quia in in partibus omnibus Europæ, pax, bonitas, fides, in Eccleſiis & extra,
tam à maioribus quàm minoribus viriliter ſubigebantur: neceſſe erat, vt malis
tantimodis dimiſſis, monitione à Papa Vrbano ſic exorſa, contra paganos ſaltem
certamina inter ſe & contra ſe dudum conſueta diſtenderent. Nunc igitur ad in-
cœptum reuerti congruum eſt. Nam de iter agentibus Hieroſolymam, & quid
euntibus accidit; & quantum res & labor ipſe paulatim, iuuante Deo, proficien-
C do clatuit, decet ampliùs neſcientibus enucleari. Quod ego ipſe FVLCHERIVS
CARNOTENSIS, cum ceteris Peregrinis iens, poſtea, ſicut oculis vidi, diligen-
ter & ſollicitè in memoriam poſteris collegi.

ANNO ab Incarnatione Domini milleſimo nonageſimo ſexto, menſe Mar- II.
tio, poſt Concilium, de quo dictum eſt, Aruernicum, quod in menſe Nouembri 1096.
dominus VRBANVS tenuit, alij paratu perniciores aliis, iter ſanctum carpere
cœperunt: alij quidem menſe Aprili, vel Maio, vel Iunio, ſiue Iulio, necnon
Auguſto ſeu Septembri atque Octobri, prout ſumptuum oportunitas occurrit,
ſubſequuti ſunt. Quo anno pax & ingens abundantia frumenti & vini per cuncta
terrarum climata exuberauit: diſponente Deo, ne panis inopia in via deficerent,
qui cum crucibus ſuis, iuxta eiuſdem præcepta, eum ſequi elegerant. Et quia
competens eſt Principum ſic peregrinantium nomina in memoria teneri, HV-
GONEM MAGNVM Philippi Regis Francorum fratrem nomino, qui primus
Heroum mare tranſiens, apud *Duratam* vrbem in Bulgaria cum ſuis applicuit: ſed
imprudenter cum agmine raro vadens, ibi ab ipſis ciuibus captus eſt, & vſque ad
Imperatorem Conſtantinopolitanum perductus. vbi per aliquantum temporis
non omninò liber moratus eſt. Póſtque eum BVIAMVNDVS Apulus, Rober-
ti Guiſchardi filius, origine tamen Normannus, per eundem tramitem cum
exercitu ſuo meauit. GODEFRIDVS quippe Dux Regni Lorarienſis per Vn-

1096. garorum patriam iuit cum gente multa. RAYMVNDVS verò Comes Prouin- A
cialis, cum Gothis & Gaſconibus, Epiſcopus quoque Podienſis, per Sclauoniam
tranſierunt. Petrus Heremita quidam, multis ſibi adiectis peditibus, ſed militi-
bus paucis, primitus per Vngariam pertexit: cuius gentis poſtea Satrapa fuit
quidam Galterius, Sine-pecunia dictus, miles quidem optimus, qui poſtea intra
Nicomediam & Niceam vrbes, cum multis conſociis ſuis, à Turcis occiſus fuit.
Menſe verò Septembri ROBERTVS Normanniæ Comes, Guillelmi Regis
Anglorum filius, iter arripuit, collecto ſibi exercitu magno de Normannis, &
Anglis, atque Britannis: cum quo iuit etiam STEPHANVS Comes Bleſenſis
Theobaldi filius, & ROBERTVS Comes Flandriæ, adiectis his & multis aliis
nobilibus. Itaque tanto collegio ab Occidentalibus partibus procedente, pau-
latim per viam, diatim, de innumera gente concreuit exercitus exercituum vn-
dique conuenientium: vt de linguis pluribus & regionibus multis videretis mul-
titudinem infinitam. Non tamen omnes in vnum exercitus congregati fuerunt,
donec ad *Niceam* vrbem peruenimus. Quid ergo dicam? Inſulæ marium, &
omnium terrarum Regna concuſſa à Deo ſunt: vt ſit credendum adimpleri Da-
uidis prophetiam, qua in Pſalmo dixit: *Omnes gentes quaſcumque feciſti, venient,
& adorabunt coram te, Domine:* & vt de iure tandem dicant illuc peruenientes:
Adorabimus in loco vbi ſteterunt pedes eius. De hoc itinere etiam plurima in Prophe-
tiis legimus. O quantus erat dolor! quanta ſuſpiria! quot ploratus! quot la-
menta inter amicos! cùm maritus derelinqueret vxorem ſuam ſibi tam dilectam,
pueros quoque ſuos, poſſeſſiones quantaſlibet, vel patrem, vel matrem, aut B
fratres, aut parentes. Et quamuis tot lachrymæ pro amicis ituris ſic ante eoſ-
dem ab oculis remanentium funderentur, nequaquam proindè mulcebantur,
quin propter amorem Dei cuncta quæ poſſidebant relinquerent. Indubitan-
ter credentes centuplum illud percipere, quod Dominus promiſit ſequentibus
ſe. Tunc coniux coniugi ponebat terminum reuertendi, quòd ſi vixerit, infra
tres annos ad eam repatriabit. Commendabat ſic eam Domino, oſculum por-
rigens, & pollicens ſe rediturum. Illa autem timens non ampliùs videre eum,
non valebat præ dolore ſe ſuſtenrare, quin ad terram rueret exanimis; lugens
pro amico ſuo, quem perdidit viuum, quaſi iam mortuum. Ille verò tanquam
nil pietatis habens, & tamen habens, nec fletui vxoris ſuæ, neque filiorum,
neque amicorum quorumcumque condolens, & tamen clam condolens, ſed
duro animo conſtans abibat. Triſtitia remanentibus, gaudium autem euntibus
erat. Quid dicere poſſimus indè? *A Domino factum eſt iſtud, & eſt mirabile in
oculis noſtris.* Igitur nos FRANCI Occidentales per Italiam excurſa Gallia
tranſeuntes, cùm vſque Lucam perueniſſemus, inuenimus prope vrbem illam
VRBANVM Apoſtolicum, cum quo locuti ſunt Comes Robertus Norman-
nus, & Comes Stephanus, nos quoque ceteri qui voluimus. Et ab eo bene-
dictione ſuſcepta, gaudentes Romam iuimus. Et cùm in Baſilica ſancti Petri C
introiſſemus, inuenimus ante altare homines Guiberti Papæ ſtolidi, qui obla-
tiones altari ſuperpoſitas, gladios ſuos in manibus tenentes, iniquè arripie-
bant: alij verò ſuper trabes eiuſdem Monaſterij curſitabant, & indè deorſum
vbi proſtrati orabamus lapides iaciebant. Nam cùm viderent aliquem Vrbano
fidelem, illico trucidare eum volebant. In arce autem vna Monaſterij ine-
rant homines Vrbani, qui eam ſollicitè cuſtodiebant in ipſius Vrbani fidelita-
tem; & aduerſantibus ſibi, prout poterant, obſiſtebant. Satis proindè dolui-
mus, cùm tantam nequitiam ibi fieri vidimus. Sed nil aliud facere potuimus,
niſi quòd à Domino vindictam indè fieri optauimus. Nec mora indè facta, mul-
ti, qui nobiſcum illuc vſque venerunt, ad domos ſuas ignaui redierunt. Nos
autem per mediam Campaniam & Apuliam euntes, peruenimus Barrum, quæ
ciuitas optima, in maris margine ſita eſt: ibique in Eccleſia ſancti Nicolai fu-
ſis ad Deum precibus noſtris, portum tunc adeuntes, ſine mora transfretare
putauimus. Sed abſentibus nautis, & præuaricante fortuna, tempus etiam tunc
erat hiemale, quod nobis nociuum obiecerunt, oportuit Rotbertum Comi-
tem Normanniæ in Calabriam diuertere, & toto brumali tempore illic hiema-
re. Tunc tamen Comes Flandrenſis Rotbertus cum cohorte ſua transfretauit.
Tunc plurimi de pauperibus vel ignauis inopiam futuram metuentes, arcubus ſuis

A venditis, & baculis peregrinationis reſumptis, ad manſiones ſuas regreſſi ſunt. 1096.
Qua de re viles tam Deo quàm hominibus facti ſunt: & verſum eſt eis in oppto-
brium.

Anno igitur Domini milleſimo nonageſimo ſeptimo, reducente verno tem- III.
pore menſem Martium, Comes ſtatim Normannus, & Comes Stephanus Ble- 1097.
ſenſis, qui iuxta eum ſimiliter tempus expectauerat oportunum, mare repetie-
runt. Et claſſe parata, Nonas Aprilis, quod tunc die ſancti Paſcha euenit, apud
portum Brunduſianum rates cum ſuis conſcenderunt. O quàm incognita & in-
ueſtigabilia ſunt iudicia Dei! Vidimus enim nauim vnam inter ceteras, quæ
non ſuperueniente occaſione aliqua, per medium ſubito euentu prope litus ma-
ris ſubcrepuit. Vnde ferè quadringenti vtriuſque ſexus demerſi perierunt; de
quibus laus iocunda Deo ſtatim ſonuit. Nam cùm corpora iam mortua qui cir-
cumſtabant pro poſſe recollegiſſent, inuenerunt in carnibus quorumdam, ſcili-
cet ſuper ſpatulas, Crucis in modum notas inſignitas. Nam quod in pannis ſuis
viui geſtauerunt, competebat, Domino volente, in ipſis in ſeruicio ſuo ſic præ-
occupatis idem ſignum victorioſum ſub fidei pignore permanere: etiam patefieri
conſiderantibus tali miraculo merito dignum erat, eos defunctos ſub miſericor-
dia Dei iam quietem vitæ perhennis adeptos fuiſſe: vt veriſſimum pateret id
compleri quod ſcriptum eſt: *Iuſtus qua morte præoccupatus fuerit, in refrigerio erit.*
B De reliquis autem iam cum morte luctantibus, viri pauci vitam retinuerunt.
Equi verò & muli ſub vndis extincti ſunt. pecunia quoque multa perdita eſt.
Quod infortunium cùm videremus, pauore grandi confuſi ſumus, in tantum vt
plerique corde debiles nondum naues ingreſſi ad domos ſuas reuerterentur, pe-
regrinatione dimiſſa, dicentes nunquam amplius in aliquam ſic deceptionem
ſe infigere. Nos autem in omnipotenti Deo ſpem noſtram penitus ponentes,
artemonibus ſurſum leuatis, tuba ſonante multa Deum proclamando, & gu-
bernante ipſo, in pelagus nos impegimus, vento aliquantulum flante. Cúm-
que per tres dies vento deficiente in fluctibus altis detineremur, in quarto die
iuxta vrbem *Duratum*, quaſi decem milliariis interſtantibus, portui ſani appli-
cuimus. Duo tamen portus claſſem noſtram ſuſceperunt. Tunc autem qui-
dem iter ſiccum lætabundi reſumpſimus; & ante vrbem præfatam poſtea per-
reximus. Itaque Bulgarorum regiones per montium prærupta & loca ſatis de-
ſerta tranſiuimus. *Demonis* ad flumen rapidum conuenimus omnes, quod ſic
ab incolis terræ vocitatur. & merito. Vidimus enim in illo flumine diabolico
quamplures, dum vadare pedetentim ſperabant, torrentis impetu diro, quod
nullus cernentium iuuare poterat, merſu repentino perire. Qua de re lachry-
mas multas ibi pietate dimiſimus: & niſi equites cum equis dextrariis inuaſo il-
lo peditibus auxilium ferrent, multi modo ſimili vitam ibi perderent. Tunc
iuxta ripam caſtra noſtra metati ſumus: & ibi vna nocte pauſauimus. Montes
C vaſti nobis vndique præerant, in quibus nemo incola parebat. Mane quidem,
aurora clareſcente, claſſicis ſonantibus, iter noſtrum arripuimus conſcenden-
do montem, quem *Baculatum* nuncupant. Poſtea verò, montanis poſtpoſitis,
tandem peruenimus ad flumen, quod vocatur *Baldarius*. Et quod antea niſi
nauigio tranſiri ſolitum erat, opitulante Deo, qui ſuis ſemper vbique præſens
ſubuenit, lætanter vadando tranſmeauimus. Quo tranſito, ſequenti die an-
te vrbem *Theſſilonicam*, bonis omnibus abundantem, tentoria tendimus no-
ſtra.

Mora autem per quatuor dies ibi facta, deinde Macedoniam tranſigentes, IV.
per vallem Philippenſium, póſtque Luceriam, & Chryſopolim, atque Chriſto-
polim, ceteras quoque vrbes quæ ſunt in Græcia, Conſtantinopolim peruenimus.
Ibi quidem ante vrbem tentoriis noſtris extenſis, per quatuordecim dies laſſitu-
dinem noſtram releuauimus. Et quia ciuitatem illam ingredi non quiuimus, quo-
niam Imperatori non placuit (timebat enim ne forte aliquod damnum ei machina-
remur) ſtipendium quotidianum extra muros allatum nos emere oportuit, quod
præcepto Imperatoris nobis ciues afferebant. Nec permittebat Imperator introi-
re in ciuitatem multos inſimul: ſed honoratim vel quinque vel ſex de potentiori-
bus, ad horam in Eccleſiis ingredi ſinebat. O quanta ciuitas nobilis & decora!
quot Monaſteria, quótque Palatia ſunt in ea, opere miro fabrefacta! quot etiam

1097. in plateis vel in vicis opera, ad ſpectãdum mirabilia! Tædium eſt quidem magnum A recitare quanta ſit ibi opulentia bonorum omnium, auri & argenti, palliorum multiformium, ſanctarúmque reliquiarum. Omni etiam tempore nauigio frequenti cuncta hominum neceſſaria illuc afferuntur. Ibi inſuper, vt ſpero, ferè viginti millia ſpadones aſſidua habitatione conuerſantur. Cùm autem nos ſatis fatigatos requie recreaſſemus, tunc Optimates noſtri, accepto conſilio, facti ſunt homines Imperatoris: & pepigerunt fœdus cum ipſo, ſicut iam ipſe poſtulauerat ab eis. Quod ſimiliter iam fecerant ſub iureiurando, qui nos in itinere ipſo anteceſſerant, Buamundus ſcilicet, & Dux GODEFRIDVS. Comes autem Raymundus hoc facere tunc recuſauit. Comes verò Flandriæ ſic, ſicut alij, iuſiurandum fecit. Nam erat eis neceſſe vt taliter cum Imperatore amicitiam ſolidarent; vt tutius quærerent, & acciperent ab eo conſilium & auxilium, præſens & futurum, tam ſibi, quàm omnibus qui nos ſecuturi erant, per eundem tramitem. Quibus idcircò ipſe Imperator præbuit de numiſmatibus ſuis quantum placuit, de equis, & de palliis, & de pecunia ſua, qua nimis indigebant ad tantum iter explendum. Hoc expleto, mare, quod Brachium ſancti Georgij vocatur, transfretauimus. Tunc ad Niceam vrbem properauimus, quam obſidione Buamundus, & Dux Godefridus, & Comes Raymundus, & Comes Flandriæ à medio Maij iam obſidebant. Quam vrbem poſſidebant Turci Orientales, Pagani acres animis, & arcubus ſagittarij. Hi quidem de Perſide iam à quinquaginta annis Euphrate fluuio tranſito, terram Romaniæ totam vſque Nichomediam vrbem ſibi ſubiugauerant. O quot capita cæſa, & oſſa occiſorum vltra Nichomediam in campis iacentium tunc inuenimus! quos ipſo anno, ignaros, & vſui ſagittario modernos B Turci peremerant. vnde moti pietate, ſatis lachrymas fudimus. Cùmque audiſſent qui Niceam vrbem iam obſidebant, venire Principes Comites noſtros, Robertum ſcilicet Normannum & Stephanum Bleſenſem, gaudenter eis & nobis obuiam venerunt; & vſque ad locum vbi tabernacula noſtra extendimus, ante vrbem in partem auſtralem, deduxerunt. Iam ſemel Turci congregati ſe parauerant, volentes vel obſidionem ab vrbe ſi poſſent excutere, vel de militibus ſuis vrbem melius munire. Sed à noſtris fortiter & ferociter repulſi, occiſi ſunt ex eis ferè ducenti. Cùm autem viderent Francos tam animoſos, & probitate validiſſimoſ, ſeceſſerunt refugi in Romaniam interiorem, quoadusque tempus oportunius aggrediendi eos ſentirent. Nos quippe in hebdomada Iunij prima, poſtremi ad obſidionem venimus. Tunc de exercitibus plurimis vnus illic exercitus effectus eſt, quorum centum millia loricis & galeis muniti erant: quem, qui de numero ſapiebant, ſexies centum millia ad bella valentium eſſe æſtimabant: exceptis inermibus, videlicet Clericis, Monachis, mulieribus, & paruulis. Quid igitur inſuper? ſi omnes, qui de domibus ſuis egreſſi votum iter iam incœperãt, ſimul illic adeſſent, proculdubio ſexagies centum millia bellatorum eſſent. Sed alij de Roma, alij de Apulia, alij verò de Vngaria, vel Sclauonia, labore recuſato, domos ſuas redierant: vel in locis multis, milibus multis occiſis; & nobiſcum multi eundo infirmati, vitam finiebant defuncti. Multa cymiteria videretis in callibus, & in campis, & in lucis, de peregrinis noſtris ſic ſepultis. Sciendum, quia quamdiu Niceam C vrbem circumſedimus, nauigio marino, conſenſu Imperatoris, victus nobis ad emendum illuc eſt allatus. Tunc Heroës noſtri fecerunt machinas fieri, arieres, ſcrofas, turres ligneas, petrarias. Diſtendebantur arcubus ſagittæ, iaciebantur lapides; hoſtes nobis nóſque illis vicem certaminis pro poſſe reddebamus. Sæpè cum machinis illis armati vrbem aſſiliebamus; ſed muro forti nobis obſtante, caſſabatur aſſultus. Sæpè de Turcis, ſæpè de Francis, ſagittis vel lapidibus percuſſi, interibant. Verè doleretis, & pietate ſuſpiraretis, cùm aliquem de noſtris prope murum quoquomodo trucidaſſent, & ſummiſſis vncis ferreis, quos funibus deorſum dimittebant, corpus interempti, aliquando loricati, ſurſum ad ſe rapiebant, quod nullus noſtrûm audebat, nec poterat ab eis extorquere. Corpore tunc expoliato, cadauer foras iaculabantur. Sed cùm quinque ſeptimanis vrbem circumſediſſemus, & multotiens aſſultibus Turcos pauidos feciſſemus: facto interim placito per legationes apud Imperatorem, callidè reddiderunt ei vrbem, cùm iam ipſa vi & ingeniis valde coërcita eſſet. Tunc Turci intromiſerunt in eam Turcopulos ab Imperatore miſſos, qui vrbem cum pecunia interna Domino ſuo Impe-

A ratori, ſicut eis præceperat, ſeruauerunt. Quapropter pecunia illa retenta, iuſſit 1097.
Imperator de auro ſuo & argento atque palliis Proceribus noſtris dari: peditibus quoque diſtribui fecit de nummis ſuis æneis, quos vocant *tartarones*. Die autem illo, quo Nicea ſic eſt comprehenſa, ſiue reddita, vnius menſis ſolſticio repercuſſus eſt: tertióque Kal. Iulij, cùm Barones noſtri ab Imperatore conceſſum abeundi accepiſſent, à Nicea diſceſſimus interiores Romaniæ regiones adituri. Sed cùm per duos dies iter egiſſemus noſtrum, nunciatum eſt nobis quòd Turci, prætentis nobis inſidiis, in planis, per quæ tranſituros nos arbitrabantur, præliaturi expectabant. Hoc autem cùm audiuiſſemus, nihil ob id audacitatis amiſimus. Sed cùm ſero illo ſpeculatores noſtri plures ex illis à longè vidiſſent, ſtatim nos indè monuerunt: propter quod tentoria noſtra nocte illa excubiis vndique conſeruari fecimus.

MANE autem facto, quod accidit Kal. Iulij, ſumptis armis, & monente cornu, aduerſus eos per alas conſecuti, tribunis & centurionibus cohortes & centurias ducentibus, vexillis leuatis, ordinare ire cœpimus. Hora diei ſecunda, ecce præcurſores eorum ſpeculatoribus noſtris appropiauerunt. Quod cùm audiſſemus, protinus tentoria noſtra iuxta quoddam arundinetum metari fecimus, vt expeditiùs clitellis, id eſt ſarcinis, depoſitis promptiores ad præliandum eſſemus. Quo facto, en Turci, quorum Princeps & Admiratus erat Soliman, qui Niceam vr- V.
B bem & Romaniam in poteſtate ſua tenebat, congregatis ſibi Turcis ab Orientalibus partibus, qui triginta dierum itinere, & eo ampliùs, in auxilium eius mandati venerant: aderántque cum eo quamplures Admirati, videlicet Amudaradigium, Miriatos, Comardigum, Amirchai, Lachin, Boldagis, Caradigum, multique alij: qui omnes inſimul erant trecenta & ſexaginta millia pugnatorum, ſcilicet ſagittariorum. Mos enim eorum eſt, talibus vti armis. Equites erant omnes. Nos autem vtcumque pedites & equites. Sed nobis tunc deerant, Dux Godefridus, & Comes Raymundus, atque Hugo Magnus: qui per duos dies inſipienter ſe à nobis ſubtraxerant cum gente maxima tramite bifurco. Vnde nobis damnum inreſtaurabile accidit, tam de noſtris occiſis, quàm Turcis non retentis, vel interfectis. Sed quia tardè legatos noſtros indè habuerunt, ideò tardè nobis ſuccurrerunt. Turci autem audacter vlulatibus concrepantes, pluuiam ſagittarum vehementer nobis iacere cœperunt. Sed ictibus tam crebris nos ſtupefacti, mortuíque, & multi læſi, mox timidi verſi ſumus in fugam. Nec erat mirandum, quia cunctis nobis tale bellum erat incognitum. Iamiámque ex altera parte arundineti, agmina denſa ex eis aduſque papiliones noſtros vehementer irruerant, qui de rebus noſtris intus arripiebant, & de gente noſtra occidebant: cùm fortè, diſponente Deo, Hugonis Magni, & Comitis Raimundi, & Ducis Godefridi præcurſores, tali infortunio à poſteriore parte accurrerunt. Et cùm vſque ad tentoria noſtra iam fugati fuiſſemus, ſtatim qui ingreſſi fuerant à papilionibus ſe remouerunt: putantes pro-
C pter eos tam citò nos regredi. Sed quod audaciam vel probitatem ſuſpicati ſunt, pauorem nimium ſperare poſſent. Quid dicam? Nos quidem in vnum conglomerati, tanquam oues ouili clauſæ, trepidi & pauefacti ab hoſtibus vndique vallabamur, vt nullatenus aliquorſum procedere valeremus. Quod nobis viſum eſt propter peccata noſtra ſic contigiſſe. Nam quoſdam luxuria polluebat, quoſdam verò auaricia vel ſuperbia vitiabat. Clamor erat ingens æthera feriens, virorum ac mulierum, atque infantium, necnon & paganorum qui ſuper nos irruebant. Iámque nulla ſpes erat vitæ. Tunc reos & peccatores nos omnes eſſe fatebamur, miſericordiam à Deo deuotè poſtulantes. Aderat ibi Epiſcopus Podienſis, patronus noſter, & quatuor alij: aderántque Sacerdotes quamplurimi, albis induti veſtimentis, qui Dominum humillimè depoſcebant, vt virtutem hoſtium proſterneret, & nobis dona miſericordiæ ſuæ infunderet. Plorando cantabant, cantantes orabant. Tunc currebant multi ad eos, qui confeſtim mori timentes confitebantur eis peccata ſua. Tunc noſtri Proceres, Robertus Normanniæ Comes, & Stephanus Bleſenſis, & Comes Flandriæ, Buamundus quoque pro poſſe eis reſiſtere, & eos ſæpè nitebantur inuadere. Ipſi quidem à Turcis fortiter impetebantur. Sed forſitan ſupplicatione noſtra Dominus placatus (quia nec nobilitatis pompæ, nec armis lucidis triumphare fauet; ſed menti piæ, & virtutibus diuinis munitæ, in neceſſitate piè ſubuenit) paulatim vigorem tunc nobis præſtitit, & Turcos ma-

1097. gis magiſque debilirauit. Nam viſis conſociis noſtris, qui poſtremi ptoperabant A
ad adiuuandum nos, laudantes Deum, audaciam reſumpſimus; & per turbas &
cohortes eis reſiſtere niſi ſumus. Heu! quot de noſtris die illo poſt nos lentè ve-
nientes in via occiderunt! A prima diei hora vſque ad ſextam, nos, vt dixi, angu-
ſtè coërcuerunt: ſed tunc paulatim nobis animatis & de noſtris ſociis concretis,
affuit mirabiliter diuina gratia; & quaſi momento ſubitaneo, Turci omnes viſibus
noſtris dorſa fugitiui verterunt. Nos verò poſt eos vehementer vociferantes, per
montes & valles perſecuti eos ſumus: quos fugare non ceſſauimus, donec ante-
riores noſtri curſores ad tentoria eorum peruenerunt. Vbi, alij de rebus eorum,
& de tentoriis ipſis onerauerunt eorumdem equos & camelos plures, quos pro ti-
more illic reliquerant: alij verò Turcos fugientes vſque ad noctem perſecuti ſunt.
Sed quia famelici & fatigati erant equi noſtri, paucos ex eis retinuimus. Grande
autem miraculum Dei fuit, quòd die craſtino & tertio non ceſſauerunr fugere;
quamuis eos nullus, niſi ſolus Deus, amplius fugaret. De ranta autem victoria nos
facti lætiſſimi, Deo gratias omnes exſoluimus, quia noluit iter noſtrum omninò
adnihilari; ſed ad honorem ſui & Chriſtianitatis, honorabiliùs ſolitò proſperari:
vnde ab Oriente vſque ad Occaſum fama perſonabit perennis. Tum quidem poſt
eos iter noſtrum modeſtè calcauimus. Turci verò ante nos fugientes cateruatim
manſiones per Romaniam ſibi quæſierunt. Tum perreximus *Antiochiam*, quam
prænominant *paruam*, in prouincia Pſidie; deinde *Iconium*: in quibus regionibus, B
ſæpiſſimè pane cibariiſque ſatis indiguimus. Nam Romaniam, quæ terra eſt opti-
ma & fertiliſſima bonorum omnium, inuenimus valde à Turcis vaſtaram & deplo-
ratam. Multotiens tamen videretis tantam gentis multitudinem de raris culturis,
quas interdum per loca inueniebamus, benè refocillari, ſupplemento illius Dei,
qui de quinque panibus & duobus piſcibus quinque millia hominum cibauit. In-
de ſatis lætabamur; & congaudentes, dona miſericordiæ Dei hæc eſſe profiteba-
mur. Tunc autem verè vel rideretis, vel forſitan pietate lachrymaremini, cùm
multi noſtrûm iumentis egenres, quia de ſuis iam multa perdiderant, verueces, ca-
pras, ſues, canes, de rebus ſuis, ſcilicet pannis vel panibus, ſeu qualibet ſarcina
peregrinorum vſui neceſſaria onerabant. Quarum beſtiolarum terga videbamus,
mole faſcis grauis eſſe corrupta. Equites etiam ſupra boues cum armis ſuis in-
terdum ſcandebant. Sed quis vnquam audiuit tot tribus linguæ in vno exercitu,
cùm ibi adeſſent Franci, Flandri, Friſi, Galli, Britoni, Allobroges, Lotharingi,
Alemanni, Baioarij, Normanni, Scoti, Anglici, Aquitani, Itali, Apuli, Iberi,
Daci, Græci, Armeni? Quòd ſi vellet me alloqui Britannus, vel Teutonicus, neu-
tro reſpondere ſaperem. Sed qui tot linguis diuiſi eramus, tanquam fratres, ſub
dilectione Dei, & proximi, vnanimes eſſe videbamur. Nam ſi de rebus ſuis ali-
quis aliquid perderet, per quamplurimos dies id diligenter tamdiu qui inueniſſet
deferret ſecum, donec inquirendo illum qui perdidiſſet reperiret, & inuentum
libenter redderet. Hoc enim competit his, qui iuſtè peregrinantur. C

VI. Cvm autem ad *Eracleam* vrbem perueniſſemus, vidimus ſignum in cœlo quod-
dam, quod alburno ſplendore fulgens tunc apparuit in modum enſis figuratum,
cuſpide verſus Orientem prorento. Sed quid futurum promittebat neſciebamus,
ſed præſentia & futura Domino committebamus. Ad oppidum optimum quod-
dam, quod *Mariſcum* nominarur, tunc profecti ſumus, vbi per tres dies quieuimus.
Sed cùm exhinc viam vnius diei proculcaſſemus, & non longè ab Antiochia Sy-
riæ, ſed quaſi tribus diebus eſſemus, ab exercitu diſceſſi: & cum domino Bal-
dvino Comite, Godefridi Ducis antefati fratre, in ſiniſtræ partem prouinciæ
diuertimus. Erat quippe miles quàm optimus, probitate & audaciâ valde famo-
ſus: qui antea relicto exercitu cum illis quos ſecum duxit, vrbem, quam dicunt
Tharſum Ciliciæ, auſu magno ceperat: quam tamen Tancredo violenter abſtulit,
qui iam in ea homines ſuos, Turcis ei conſentientibus, intromiſerat. Relictis ita-
que ibi cuſtodibus, Balduinus ad exercitum rediit. Itaque confidens in Domino,
& in valore ſuo, collegit ſecum milites paucos, proficiſcens verſus Eufraten flu-
uium: & comprehendit ibi caſtra plurima tam vi quàm ingenio. Inter quæ vnum
cepit peroptimum, quod vocatur *Turberes*. Hoc pacificè reddiderunt ei, qui in eo
habitabant Armeni, & alia plurima huic ſubdita. Cùm autem fama de eo longè
lateque iam circumuolaſſet, miſit ad eum legationem qui Princeps erat ciuitatis

A *Roam*, id eſt Edeſſæ, quæ ſatis eſt nominata, & de bonis terræ vberrima. Eſt illa 1097.
in Meſopotamia Syriæ, trans flumen prædictum Euphratem viginti ferè millia-
riis, & ab Antiochia diſtans quaſi centum vel paulo plus. Mandatus eſt itaque
Balduinus, vt illuc iret, & efficerentur inuicem amici, quamdiu ambo viuerent,
tanquam pater & filius. Quòd ſi Dux ipſe Edeſſenus fortè obiret, ſtatim Baldui-
nus, ac ſi filius eius eſſet, vrbem & terram ſuam, quantamcumque poſſidebat, in
hereditate poſſideret. Non enim habebat filium nec filiam. Et quoniam à Turcis
ſe defendere non poterat, volebat Græcus ille & ſe & terram ſuam ab ipſo Baldui-
no defendi, quem & milites ſuos bellatores audiuerat eſſe probiſſimos. Hoc au-
dito, poſtquam legati iureiurando fecerunt eum indè credulum, cum minimo
exercitulo ſuo, ſcilicet octoginta militibus, pergens tranſiit Euphratem. Quo
tranſito, nocte tota perproperè prope caſtra Sarracenorum, hinc & indè linquen-
tes ea, valde pauidi perreximus. Quod cùm audiſſent Turci qui in Samoſate op-
pido forti erant, inſidias nobis in via, per quam ituros nos opinabantur, præten-
derunt. Sed cùm nocte alia quidam Armenus in caſtello ſuo diligenter nos ho-
ſpitatus fuiſſet, intimatum eſt nobis quòd ab hoſtibus illis inſidiantibus præcauere
nos oportebat. Quaptopter diebus duobus illic delituimus. Sed cùm tantam mo-
ram faſtidirent illi, die tertia ſubito inſultu de loco inſidiatorio proſilierunt, &
ante caſtellum, in quo eramus, ſignis leuatis accurrerunt; & prædam, quam in pa-
B ſcuis ibi reperierunt ante conſpectum noſtrum arripuerunt. Nos autem contra
eos egreſſi, quia pauci eramus, bellare cum eis non quiuimus: qui cùm nobis ſa-
gittas iacere cœperunt, nullum de noſtris, iuuante Deo, ſauciauerunt. Ipſi autem
vnum de ſociis ſuis occiſum lancea, in campo reliquerunt, cuius equum, qui eum
ſubuertit, retinuit. Tunc abierunt; nos autem ibi remanſimus. Sequenti verò
die iter noſtrum reſumpſimus. Miraremini, cùm ante caſtra Armeniorum tranſi-
remus, & nobis obuiam cum crucibus & vexillis pro amore CHRISTI humil-
limè procedebant, & pedes noſtros & pannos oſculabantur: eò quod audierant
nos à Turcis eos defenſuros, ſub quorum iugo tamdiu depreſſi fuerant. Peruε-
nimus tandem Roais, vbi Princeps vrbis prædictus, & vxor ſua, vnà cum ciuibus
ſuis, gaudenter nos ſuſceperunt: & quod Balduino polliciti fuerant, indilatè com-
pleuerunt. Cúmque per quindecim dies illic moram feciſſemus, ciues vrbis ma-
chinati ſunt Principem illum ſceleſtè occidere, & Balduinum in Palatio ad domi-
nandum ſublimare. Odio enim eum habebant. Dictum eſt, & factum eſt. Vnde
Balduinus tamen & ſui valde contriſtati ſunt, quia pro eo indulgentiam impetra-
re nequiuerunt. Cùm autem Principatum illius dono ciuium Balduinus ſuſce-
piſſet, protinus aduerſus Turcos, qui in patria erant, litem bellicam mouit, quos
multotiens vel victos vel occiſos ſuperauit. Contigit tamen de noſtris plures à
Turcis interemptos fuiſſe. Ego verò FVLCHERIVS CARNOTENSIS, Ca-
pellanus ipſius Balduini eram. Volo autem de exercitu Dei ſermonem quem de-
C reliqui reſumere.

MENSE Octobri, peruenerunt Franci ANTIOCHIAM Syriæ, flumine VII.
tranſito quod *Fernum*, vel *Orontem* nominant. Ante vrbem iuſſa ſunt tentoria ex-
tendi, intra primum ab vrbe lapidem: vbi poſtea certamen peſſimum vtrinque
perſæpè factum eſt. Nam cùm de ciuitate Turci proſilirent, multos de noſtris oc-
cidebant. Vice tamen reddita, ſe quoque ſuperatos lugebant. Eſt nempe An-
tiochia ciuitas magna ambitu, ſitu fortis, & muro valida: quæ & ab hoſtibus exter-
nis numquam poterit comprehendi, ſi tantùm inhabitantes pane muniti eam de-
fendere voluerint. Eſtque in ea Baſilica vna ſatis veneranda, in honore ſancti
Petri Apoſtoli dedicata, vbi ſedit in cathedra in Epiſcopum ſublimatus, poſt-
quam à Domino Principatum Eccleſiæ, clauibus acceptis regni cœleſtis, ſuſce-
pit. Eſt & altera in honore beatæ Mariæ fabrefacta. Súntque aliæ plures Eccle-
ſiæ decenter compoſitæ. Quæ quamuis ſub poteſtate Turcorum diu extiterant,
Deus tamen cuncta præſciens, nobis eas integras reſeruauit, vt à nobis quandó-
que in eis honoraretur. Tredecim ferè miliariis diſtat mare ab Antiochia. Et
quia Fernus fluuius inibi mare incidit, per eiuſdem alueum fluuij vſque prope An-
tiochiam naues de longinquis partibus bonis refertæ omnibus deducuntur. Ita-
que tam per mare quàm per terram munita bonis, abundat ciuitas diuitiis multi-
modis. Principes autem noſtri cùm eam ad capiendum tam difficilem proſpexiſ-

1097. ſent, iureiurando confirmauerunt inuicem eam obſidione cohibere: donec, Deo ſuffragante, aut vi aut ingenio poſſent eam capere. Tum verò in flumine prædicto inuenerunt naues, cùm iuxta illud deambularent: quas capientes, coaptauerunt ſibi de eis vnum pontem, per quem poſtea tranſierunt ad negocia ſua facienda, cùm antea pedetentim vadare per flumen illicò non valerent. Sed cùm Turci à tanta multitudine Chriſtiana ſe obſideri circumſpicerent, timentes quòd nullomodo ab eis excuti poſſent, inito conſilio inuicem, miſit Gracianus Antiochiæ Admiratus filium ſuum Sanſadolem nomine ad Soldanum, hoc eſt ad Imperatorem Perſidis, precantes vt eis citiſſimè ſuccurreret: quia in nullo alio ſpem auxilij habebant, præter Mahumet aduocatum eorum. Ille autem illuc ſic deſtinatus, legationem perproperè geſſit. Qui verò remanſerunt, cuſtodierunt vrbem, interim auxilium præſtolantes mandatum: & contra Francos damna multimoda frequenter machinati ſunt. Franci quoque calliditati eorum pro poſſe obſiſtebant. Contigit enim die quadam ſeptingentos Turcos ab eis interemptos eſſe: & quia Francis inſidias parauerant, ab inſidiantibus ſimiliter ſuperati ſunt. Virtus enim Dei præſens ibi affuit. Nam noſtri omnes ſani regreſſi ſunt, excepto vno ab illis ſauciato. Heu! multos de Chriſtianis, qui in vrbe conuerſabantur, ſcilicet, Græcis, Syris, Armenis, Turci rabie occidebant permoti; & petrariis & fundibulis ſuis capita occiſorum, Francis cernentibus, extra muros eiiciebant. qua de re gens noſtra valde triſtabatur. Odio quidem Chriſtianos illos habebant, quoniam ne fortè Francos quoquomodo munirent, metuebant. Cùm autem aliquandiu Franci vrbem circumſediſſent, & prouinciam affinem rapinantes pro victualibus neceſſariis ſibi vndique deuaſtaſſent, & panem ad emendum nuſquam inuenire poſſent: contigit eos famem magnam ſuſtinere. Vnde omnes valde deſolati ſunt, & multi latanter cogitauerunt de obſidione aufugere, ſiue per terram, ſiue per mare. Non enim habebant quicquam ſtipendij, vnde viuere poſſent: quos etiam oportebat victum ſuum longè quærere cum ingenti timore, elongando ſe ab obſidione aut quadraginta aut ſexaginta milliariis. Vbi, videlicet in montanis, à Turcis inſidiantibus perſæpè occidebantur. Hæc autem incommoda putabamus ſic Francis contigiſſe propter peccata ſua, quibus multi conſtringebantur: & quòd vrbem tam longo tempore capere non poterant. Nam plurimi tam ſuperbiæ, quàm luxuriæ atque rapinæ immodeſtiâ debilitabantur. Tum proindè facto conſilio, eiecerunt feminas de exercitu, tam coniuges quàm innuptas; ne luxuriæ ſordibus coinquinati Domino diſplicerent. Illæ verò in caſtris affinibus tunc ſibi hoſpitia aſſumpſerunt. Deſolati enim omnes erant, tam fame quàm occiſione quotidiana, tam diuites quàm pauperes. Et niſi Deus eos, tanquam bonus paſtor oues ſuas, gregatim conſtringeret, proculdubio omninò inde aufugerent, licèt obſidionem iuraſſent obtinendam. Multi tamen propter panis neceſſitatem, per plures dies quærebant per caſtella propinqua quæ victui ſuo erant neceſſaria; nec poſtea reuertentes ad exercitum, obſidionem penitus dimittebant. Tunc temporis vidimus vnum ruborem in cælo mirabilem: inſuper ſenſimus terræ motum magnum, qui nos pauidos reddidit omnes. Multi etiam viderunt quoddam ſignum in modum crucis figuratum, colore alburnum, verſus Orientem recto tramite incedens.

VIII. 1098. ANNO autem Domini milleſimo nonageſimo octauo, poſtquam illa regio Antiochena circumquaque à multitudine gentis noſtræ prorſus deuaſtata fuiſſet, magis magiſque maiores & minores fame nimia vexati ſunt. Tunc famelici comedebant ſurculos fabarum in agris adhuc creſcentium, herbáſque multimodas & ſale inconditas: carduos etiam, qui propter lignorum deficientiam non benè cocti linguas manducantium depungebant: equos, aſinos cameloſque, canes etiam, & mures. Pauperiores etiam beſtiarum coria comedebant, & quod nefas eſt dicere, mures, & grana in ſtercoribus reperta. Frigora, flagra, calores, pluuias denſas, propter Deum perpeſſi ſunt. Tentoria etiam iam erant inueterata, imbrium inundationibus putrefacta & diſrupta. Qua de re, multi eorum nonniſi cœlo tegebantur. Itaque illi, quaſi aurum ter igni probatum, ſeptieſque purgatum, iamdudum à Domino, vt opinor, prælecti, & in calamitate tanta examinati, à peccatis ſuis purgati ſunt. Diu enim agonizantes, ſi etiam gladius percuſſoris non deeſſet, martyrij curſum multi voluntariè compleſſent. Forſitan à iuſto Iob gra-

A tiam tanti exempli ſumpſerunt, qui in tormentis corporis ſui animam purgans, 1098.
Deum ſemper in mente tenuit. Cum Paganis bellant, propter Deum laborant: Licèt Deus qui cuncta creat, creata moderat, moderata ſuſtentat, virtute gubernat, poſſit quæque vult momento vno deſtruere: ſentio quòd verbere Chriſtianorum annuit Paganos ita ſubrui, qui tot temporibus cuncta quæ Dei ſunt, permittente ipſo, viliter peſſumdederunt. Chriſtianos quidem ab ipſis Turcis permittit occidi ad ſaluationis augmentum, Turcos autem ad animarum ſuarum detrimentum: quorum quoſdam tamen iam ſaluti prædeſtinatos, placuit Deo tunc à Sacerdotibus noſtris baptizari. *Quos enim prædeſtinauit, hos & vocauit, necnon magnificauit.* Quid igitur? Fuere quidem de noſtris nonnulli, vt ſuperiùs audiſtis, qui ab obſidione tam anxia ſe remouerunt. Alij propter egeſtatem, alij propter ignauiam, alij verò propter mortis timorem: primitus pauperes, deinde locupletes. Tunc STEPHANVS Comes Bleſenſis ab exercitu diſceſſit, & per mare in Franciam repatriauit. Vnde doluimus omnes, quoniam vir erat probiſſimus, & valde nobilis. Quo diſcedente, ſequenti diſceſſionis ſuæ die vrbs Antiochia eſt tradita. Si perſeueraſſet, multum indè cum ceteris gauderet. Idcirco factum eſt ei hoc in opprobrium. Nec prodeſt cuiquam bonum initium, ſi benè non finierit. In rebus autem Domini, eo quòd mentiri nollem, cauendum eſt. ne in aliquantis deuiem, multa breuiabo. Ab ipſo autem menſe
B Octobri, tranſcurſa hieme ſequenti, & deinde verno tempore vſque dum ſubintraret Iunius menſis, vrbis obſidio perdurauit. Multotiens interim inuaſiones & prælia, inſidiáſque Franci & Turci inuicem egerunt. Vincebant, & vincebantur. Noſtri tamen ſæpiùs quàm illi triumphabant. Semel contigit pleroſque de Turcis in flumen Fernum fugiendo cadere, & in ipſo merſos infeliciter interire. Cis Fernum & citra Fernum, vtraque gens inuicem bellabant ſæpè. Caſtella quidem ante vrbem compoſuerunt Optimates noſtri, quibus poſtea Turcos frequenti exitu aſſilientes, vehementer cohibuerunt. vnde beſtiis eorum paſcua ſæpè abſtulerunt. Nec ab externis prouinciæ Armenis quicquam allatum fuit. Sæpè tamen ipſi ad lædendum noſtros procedebant. Cùm autem placuit Domino laborem populi ſui conſummare, forſitan precibus eorum placatus, qui cotidie preces indè ſupplices ei fundebant, conceſſit pietate ſua, per eorumdem Turcorum fraudem, traditione clandeſtina vrbem Chriſtianis reddi. Audite ergo fraudem, & non fraudem. IX.

APPARVIT enim Dominus noſter cuidam Turco, gratia ſua prælecto, & « dixit ei: Expergiſcere, qui dormis. Impero tibi vt reddas Antiochiam Chriſtianis. Miratus autem ille, viſionem illam ſilentio texit. Iterum autem apparuit ei Do « minus: Redde vrbem Francis, inquit. ſum etenim CHRISTVS, qui hoc tibi iubeo. Meditatus autem ille ſecum quid indè facturus eſſet, abiit ad dominum ſuum, Antiochiæ ſcilicet Principem, & viſionem illam innotuit ei. Cui reſpón- «
C dit ille: Nunquid fantaſmati, brute, vis obedire? Reuerſus autem ille, poſtmo- « dum ſiluit. Cui rurſum Dominus apparuit, inquiens: Cur non expleſti quod « iuſſi? Non eſt tibi hæſitandum. nam qui hoc impero Dominus ſum omnium. Ille autem non ampliùs dubitans, prudenter cum viris noſtris tunc egit, vt ſub machinationis ſuæ ſtudio vrbem acciperent. Quo prolocuto, & filio ſuo Francis dato obſide, domino ſcilicet BVAMVNDO, nocte quadam per ſcalas de cordis factas viginti de clientibus noſtris per muri ſummum intromiſit. Et non mora facta, ſtatim porta aperta eſt. Franci omnes præparati ciuitatem ſunt ingreſſi. Et per cordas iam introierant quadraginta milites, qui quadraginta illico inuenerunt ibi Turcos, trium turrium cuſtodes, quos occiderunt. Tunc alta voce Franci omnes ſimul exclamauerunt: DEVS HOC VVLT, DEVS HOC VVLT. Hoc erat enim ſignum exclamationis noſtræ, cùm aliquid de negotio noſtro agere volebamus. Quo audito, Turci omnes vehementer exterriti ſunt. Aurora quippe albeſcente, vrbem Franci prorſus impetere cœperunt. Cúmque Turci primitus vexillum Buamundi rubicundum iam in ſublime diſplicari aſpicerent, « & tumultum tantum atque tot cornibus in muri apice Francos ſonare, & per vicos & muros nudis enſibus eos latè diſcurrere, & gentem ſuam ferociter occidere: obſtupefacti valde, & hac & illac fugere cœperunt. De quibus multi mox occiſi fuerunt: pluréſque fugiendo in caſtrum, quod in rupe celſa eſt ſitum, ſe intromi-

1098. ſerunt. Plebs verò noſtra cuncta, quæ in vicis aut domibus inuenerunt, immoderatè aſſumpſerunt. At milites probitatis militiam tenuerunt, Turcos perſequendo & occidendo. Tunc Admiratus Antiochiæ, ſcilicet Gratianus, à ruſtico quodam Armeno fugiens decollatus eſt. Qui caput abſciſſum Francis mox attulit eius. A

X. CONTIGIT autem poſtquam ciuitas capta eſt, à quodam homine Lanceam vnam inueniri: quam in Eccleſia beati Apoſtoli Petri foſſa humo repertam, aſſeuerabat eſſe illam, de qua Longinus latus Domini perforauit. Aiebat enim à ſancto Andrea Apoſtolo reuelatum hoc eſſe ſibi. Viſione & monitione ab ipſo Apoſtolo ter illi facta, fodit ſubter pauimentum, vbi per viſionem ei monſtratum fuerat, & inuenit Lanceam, fallaciter occultatam forſitan. Hanc viſionem propalauit primitus Epiſcopo Podienſi & Raymundo Comiti. Quod tamen Epiſcopus falſum eſſe putauit, Comes verò Raymundus verum eſſe ſperauit. Sed cùm ſic reperta fuiſſet, & omnis populus Deum exultans glorificaſſet, & per centum iam ferè dies ab omnibus in veneratione magna haberetur, & à Comite Raymundo glorioſè tractaretur: qui etiam oblationem à populo ad Lanceam deuotè factam egenis ſæpè diſtribuerat, quia Lanceam illam cuſtodiebat: fortè contigit Epiſcopum *Baræ*, & alios quamplurimos tam Clericos quàm laicos, hæſitare quòd non eſſet illa Dominica Lancea quæ ſperabatur, ſed altera erat ab homine illo ſtolido fraudulenter reperta. Quapropter conſilio inito, poſt ſupplicationem ieiunij triduani, cùm ſtruem lignorum in medio campi igni accendiſſent iuxta caſtrum B
Archarum, quod tunc obſidione coërcebant, octauo menſe poſt Antiochiam captam, benedictione iudiciali ſuper ignem ab Epiſcopis facta, inuentor Lanceæ per medium rogi flammantis vltro celeriter tranſmeauit. Quo tranſacto, illum hominem quaſi reum in cute flammis crematum viderunt, & in interiori parte corporis læſum mori intellexerunt. quod rei exitus monſtrauit, cùm die duodecimo ipſo angore obiit. Et quia ob honorem Dei & amorem omnes Lanceam venerari fuerant, hoc iudicio peracto, facti increduli, contriſtati ſunt valde. Comes tamen Raymundus tamdiu illam ſeruauit, donec eam neſcio quo euentu perdidit. Nunc autem ad cetera dimiſſa reuertar.

XI. CVMQVE Antiochia ciuitas capta fuiſſet, vt dictum eſt, ſequenti die Turcorum multitudo innumerabilis circa eandem vrbem obſidionem oppoſuerunt. Nam Soltanus, Rex ſcilicet Perſarum, vnde iam parum præfatus ſum, habita legatione quòd Franci Antiochiam obſidebant, ſtatim gente multa coadunata contra Francos exercitum ſuum miſit. Cuius fuit Corbagath dux & Admiratus. Hi quidem ante vrbem Ediſſam, vbi tunc Balduinus erat, per tres hebdomadas ſtationem fecerant: ſed nihil ibi proficientes, Antiochiam properauerunt, ad ſuccurrendum Gratiano. Quibus viſis, non minus ſolito iterum Franci deſolati ſunt. propter peccata enim ſua pœna eſt eis duplicata. Nam cùm ciuitatem ingreſſi fuiſſent, confeſtim cum feminis exlegibus concubuerunt plures ex eis. Tunc inſuper ingreſſi ſunt vrbem ſexaginta ferè millia Turcorum per caſtrum ſublime, à parte rupis celſæ: qui noſtros vehementiſſimè crebris inuaſionibus coarctauerunt. Sed non fuit mora: pauore percuſſi magno, foras ad obſidionem relicta vrbe exierunt. Franci autem incluſi, vltra quàm credi poteſt remanſerunt anxij. Interea tamen eorum non immemor Deus, pluribus ſæpè, quod dictis affirmabant, apparuit, qui confortando eos promittebat populum ad præſens victoriã gaudendum. C

XII. TVNC Clerico cuidam pro timore mortis aufugienti apparuit Dominus, inquiens: Quò, frater, protendis iter? Fugio, reſpondit, ne infortunatus peream.
» Sic fugiunt multi, pereant ne morte maligna. Cui Dominus ait: Ne fugias, ſed
» vade retrò, & dic ceteris quòd in prœlio cum illis adero. Nam matris meæ placa-
» tus precibus, propiciabor eis. Sed quia peccauerunt, ferè perierunt. Sit autem
» ſpes eorum in me firma, & faciam eos in Turcos triumphare. Pœniteant, & ſalui
» fient. Dominus ſum, qui loquor tecum. Mox ille reuerſus, quod ſciuit narrauit.

XIII. INTEREA dum plures noctu per cordas de muro deſcendere volebant, & fugere, quoniam contigit multis hoc fieri, qui formidabant vel inedia vel gladio perire: iterum aſtitit cuidam deſcendenti frater eiuſdem iam mortuus, aiens ei: Quò,

A Quò, frater, fugis? Reſta, ne timeas: quoniam Dominus erit vobiſcum in prœlio veſtro: & conſocij veſtri qui in hoc itinere iam vos morte anteceſſerunt, contra Turcos vobiſcum prœliabuntur. Miratus autem ille verba defuncti, ire deſiit: & quod audiuit ceteris recitauit. 1098.

XIV. Sed cùm placuit Domino labori famulorum ſuorum finem dare, qui etiam angorem tantimodum ampliùs tolerare non poterant: nec iam quicquam habentes quòd comederent, vnde tam ipſi quàm equi eorum debiles nimis erant: conſtituerunt inuicem fieri triduanum ieiunium cum precibus & eleemoſynis, vt illis pœnitentibus, & Domino deuotè ſupplicātibus propiciaretur? Interim verò capto conſilio, mandauerūt Turcis per Petrum quendam Heremitam, quòd niſi terram, quæ Chriſtianis pertinebat ab olim, quietam eis dimitterent, die ſequenti ſine dubio bellum contra eos inirent. Quod ſi aliter fieri vellent, aut per quinque, aut per decem, ſiue per vigenti vel centum milites ab vtraque parte electos fieret bellum, ne cunctis ſimul bellantibus, multitudo gentium moueretur: & quorum pars alteram ſuperaret, vrbem & Regnum meritò acciperet. Hoc mandatum eſt, ſed conceſſum à Turcis non eſt. Et quia multi erant, & equis muniti, propterea vincere putabant. æſtimabātur quidem numero ſexcenti ſexaginta millia, tam equites quàm pedites. Noſtros verò milites ſciebant effici pedites, debiles, pauperes. Regreſſo autem Petro legato, redditur reſponſum. Quo audito, parauerunt ſe Franci armis ad prœliandum, nihil hæſitantes, ſed in Domino ſpem ſuam penitus ponentes. Principes B Turcorum multi erant, quos Admiratos prænominabant. Hi ſunt: Corbagath, Meleducac, Amirſoliman, Amirſolendas, Amirhegibbe, Amirmazoane, Amirmahummet, Caraiath, Coteloſeniar, Mergaſcotelon, Baldus, Boëlquenari, Boldagis, Amirrilias, Gerſaſlan, Gigremis, Amirgogus, Artubech, Amirdalis, Amirmoxe, Amircharaor, & multi alij. Francorum verò Optimates iſti aderant: Hugo Magnus, Robertus Normaniæ Comes, Robertus Comes Frandriæ, Dux Godefridus, Comes Raymundus, Buamundus, & multi nobiles alij. Benedicat Deus animam Ademari Podienſis Epiſcopi, qui, vt vir Apoſtolicus, benignè ſemper populū confortabat, & in Domino roborabat. O pia res! Iuſſerat ipſe veſpere præcedente cunctæ militiæ Dei exercitus, ſub edicto præconario, vt vnuſquiſque pro poſſe ſuo de annona niteretur præbendam equo ſuo impendere, ne in die craſtino ſubter equitantes, horâ bellica debiles fame deficerent. Iuſſum eſt, & factum eſt. Igitur ad bellum ſic paratis omnibus, exierunt de ciuitate ſummo mane, quod IV. Cal. Iulij tunc euenit, vexillis præcedentibus ſcararum & acierum, ſeparatim per cateruas & phalanges conuenienter diuiſarū. Inter quos Sacerdotes albis amicti veſtimentis eranr, qui pro populo cuncto Domino flendo pſallebant, & preces multiplices mentibus deuotis fundebant. Tum quidam Turcus, Amirdalis nomine, militiâ probiſſimus, cùm vidiſſet gentem noſtram contra eos ſignis leuatis ſic egredientem, miratus eſt vehementer. Et cùm ſigna Procerum noſtrorum vidiſſet, quæ ſigillatim cognoſcebat, quia in Antiochia conuerſari ſolebat, prœlium mox fore ratus eſt. Quod ſtatim Corbagath Admirato maiori intimauit. Quid ſcaccis ludis? En Franci veniunt. Cui reſpondit: Veniúntne ad bellandum? Reſpondit Amirdalis: Adhuc ignoro: ſed expecta parumpèr. Cúmque iterum proſpicit vexilla Principum noſtrorum altrinſecus ordinatè præferri, & acies diuiſas decenter ſubſequi, iterum ait Corbagath: Ecce Franci. Quid putas? Reſpondit: Bellum reor, inquit, ſed adhuc pauliſper operire. Signa quæ cerno quorum ſunt non ignoro. Iterum conſiderans attentiùs, cognouit vexillum Epiſcopi Podienſis cum turma tertia procedens.

C

Longiùs haud reſtant, Corbagath tunc ait ille,
En Franci veniunt, vel nunc fuge, vel bene pugna.
Nam ſignum video magni præcedere Papæ.

Et quos æſtimabas iam omninò ſupplantari, hodie timeas ab eis ſuperari. Corbagath dixit: Mittam ad Francos, vt quod heſterna die mihi mandauerunt, hodie concedam. Amirdalis dixit: Tardè locutus es. Attamen id mandauit: ſed quod quæſiuit, non impetrauit. Amirdalis autem mox ab eo diſcedens, equum vrſit calcaribus.

Cogitat aufugiat, ſocios tamen admonet ipſe,
Fortiter vt pugnent omnes, iaciántque ſagittas.

Ecce Hugo Magnus, atque Robertus Normannus, & Comes Flandrienſis, in pri-

1098. ma acie conſtituti ſunt inuaſores. In ſecunda autem Dux Godefridus cum Alcmannis & Lotharingenſibus ſubſecutus eſt. A Poſt hos Epiſcopus Podienſis, & gens Raymundi Comitis, Gaſcones & Prouinciales inceſſerunt. Ipſe verò Comes in vrbe remanſit ad cuſtodiendum eam. Poſtremam qnippe cateruam Buamundus ſolerter minauit. Turei autem cùm conſideraſſent, ab omni exercitu Francorum ſe impetu ferociſſimo inuadi, ſparſim proſilire & iacere ſagittas cœperunt. Sed immiſſo timore Domini ſuper eos, ac ſi repentè totus mundus ſuper eos rueret, fugam omnes immoderatam egerunt; & à Francis pro poſſe eorum fugientes fugati ſunt. Sed quia paucos equos habebant & fame debiles, non quantùm oporteret de Paganis retinuerunt. tentoria autem eorum cuncta remanſerunt. De rebus quoque eorum multiformibus in eiſdem tentoriis reperierunt, aurum ſcilicet, argentum, pallia, indumenta, vtenſilia, & cetera multa, quæ valde timidi per campos ſparſim fugiendo, vel dimittebant, vel iaciebant: videlicet equos, mulos, camelos, & aſinos, galeróſque optimos, arcus, ſagittas, cum pharetris. Fugit Corbagath ceruo velociùs, qui minis & dictis tam feris Francos iam perſæpè occiderat. Sed cur fugit qui tantam gentem habebat, & equis benè munitam? Quoniam contra Deum bellare nitebatur: cuius pompam & arbitrium proſpiciens Dominus, omninò caſſauit. Nec tamen permiſit eum in manus Francorum incidere, nec milites ſuos: quia cotidie non ſe vlciſcitur de inimicis ſuis. Et quoniam equos habebant veloces, effugerunt: lentiores verò noſtris Francis remanſerunt. Multi autem ex eis & de peditibus Sarracenis, gladiis detruncati ſunt. De noſtris autem pauci læſi ſunt. Feminas verò in tentoriis eorum inuentas gladio interfecerunt. Tunc B omnes voce exultarionis Deum benedixerunt, & glorificauerunt, qui in tanta neceſſitate poſitos & anxietate, dextera pietatis ſuæ ſperantes in ſe, ab hoſtibus tam trucibus liberauerat. Sed & ipſis deuictis, triumphatores indè facti gloriabantur. De quorum etiam ſubſtantia locupletes effecti, ad vrbem regreſſi ſunt iocundi.

Cùm vrbs fuit capta tam nobilis Antiochena,
Vndecies centum, ſi ſubtrahis indè bis vnum,
Tunc tot erant anni Domini de Virgine nati,
Sub geminis Phœbus cum his nouies fuit ortus.

Tunc temporis obiit Ademarus Epiſcopus, Kalend. ſcilicet Auguſti, cuius anima quiete potiatur æterna. Et tunc Hugo Magnus Conſtantinopolim conceſſu Heroum abiit, deinde in Franciam.

XV. His geſtis omnibus, inclita Principum turma totius exercitus Epiſtolam hanc Romano Pontifici direxerunt. DOMINO SANCTO AC VENERABILI PAPÆ VRBANO, BVAMVNDVS, ET RAYMVNDVS SANCTI EGIDII COMES, GODEFRIDVS DVX LOTHARIENSIS, ET ROTBERTVS COMES NORMANNIÆ, ROTBERTVS FLANDRENSIVM COMES, ET EVSTACHIVS COMES BOLONIÆ, SALVTEM, ET FIDELIA SERVITIA, ET VT FILII SVO PATRI SPIRITVALI VERAM IN CHRISTO C SVBIECTIONEM. *Volumus omnes & deſideramus notum fieri vobis, quam magna Dei miſericordiâ, quámque euidentiſſimo eius adminiculo à nobis capta eſt Antiochia: & Turci, qui multa Domino noſtro* IESV *intulerant opprobria, capti & interfecti ſunt: & nos Hieroſolymitani* IESV CHRISTI *iniuriam ſummi Dei vendicauimus: & nos, qui Turcos priùs obſederamus, qualiter poſtea à Turcis de Corozana, & Hieruſalem, & Damaſco, multíſque aliis terris venientibus obſeſſi fuimus; & quomodo* IESV CHRISTI *miſericordiâ liberati ſumus. Cùm igitur capta Nicena illa, maximam multitudinem Turcorum, ſicut audiſtis, in Kalend. Iulij nobis obuiam in campo florido deuiciſſemus, & illum magnum Solimannum fugauiſſemus, ſuíſque omnibus & terra & rebus expoliaſſemus, acquiſita & pacificata tota Romania, ad obſidendum Antiochiam venimus. Cuius in obſidione multa mala perpeſſi ſumus, tum de bellis finitimorum Turcorum & Paganorum in nos tam frequenter & copioſè irruentium, vt veriùs diceremur obſeſſi ab eis quos in Antiochia obſederamus. Tandem ſuperatis omnibus bellis, ex eorum proſpero euentu fides Chriſtiana exaltata eſt, hoc modo. Ego Buamundus, conuentione facta cum quodam Turco, qui ipſam mihi tradidit ciuitatem, ſcalas ante diem parum muro applicui: & ſic ciuitatem antea* CHRISTO *reſiſtentem* III. *Nonas Iulij accepimus; & Gratianum ipſius ciuitatis tyrannum cum multis ſuorum militibus interfecimus. Eorúmque vxores, filios ac familias, cum auro & argento, & omnibus eorum poſſeſſionibus, retinui-*

A *mus. Caſtrum autem Antiochianum à Turcis præmunitum habere non potuimus. Sed* 1098.
cùm in craſtinum caſtrum ipſum aggredi voluiſſemus, infinitam Turcorum multitudinem,
quam multis diebus ad debellandum nobiſcum venturam extra ciuitatem expectaueramus,
per campos omnes diſcurrentem vidimus. Qui die tertia nos obſederunt, & prædictum ca-
ſtrum pluſquam centum eorum milites intrauerunt: ac per portam ipſius caſtri ad ciuita-
tem ſub caſtro conſtitutam, nobis illiſque communem, irrumpere voluerunt. Nos autem in
alio monte exiſtentes ipſi caſtro oppoſito, viam inter vtrumque exercitum ad ciuitatem de-
ſcendentem, ne ipſi nobis multo plures irrumperent, cuſtodientes, & intus & extra nocte &
die bellantes, portas caſtri ad ciuitatem deſcendentes intrare, & ad caſtra compulimus re-
meare. Cùm ergo vidiſſent quòd ex illa parte nihil nocere potuiſſent, ita nos ex omni parte
circuierunt, quòd nulli ex noſtris ire, vel ad nos venire potuerunt. Qua de re ita deſo-
lati & afflicti omnes fuimus, quòd fame & multis anguſtiis morientes, equos & aſinos
noſtros famelicos interficientes, multi noſtrûm comederunt. Sed interim, clementiſſima
Dei omnipotentis miſericordia nobis ſubueniente, & pro nobis vigilante, Lanceam Domini-
cam, qua Saluatoris noſtri latus Longini manibus perforatum fuit, ſancto Andrea Apoſto-
lo cuidam famulo Dei ter reuelante, locum etiam vbi Lancea iacebat demonſtrante, in Ec-
cleſia beati Petri Apoſtolorum Principis inuenimus. Cuius inuentione, aliiſque multis diui-
nis reuelationibus ita confortati & corroborati fuimus, vt qui antea afflicti & pauidi fue-
ramus, tunc ad præliandum audaciſſimi promptiſſimique alij alios hortabamur. Tribus igi-
B *tur hebdomadis & quatuor diebus obſeſſi, in vigilia Apoſtolorum Petri & Pauli in Deo con-*
fidentes, de omnibus iniquitatibus noſtris confeſſi, portas ciuitatis cum omni noſtro bellico
apparatu exiuimus: & tam pauci eramus, quòd ipſi nos non contra eos pugnare, ſed fugere
affirmabant. Nobis autem omnibus paratis, & tam peditum quàm militum certis ordinibus
diſpoſitis, vbi maior eorum virtus & fortitudo erat audacter requiſiuimus, cum Lancea Do-
minica, & prima belli ſtatione fugere eos coëgimus. Ipſi autem, vt mos eorum eſt, vndi-
que ſe diſpergere cœperunt: occupando colles & vias, vbicumque poterant nos girare volue-
runt. Sic enim nos omnes interficere putauerunt. Sed nobis multis bellis contra eorum calli-
ditates & ingenia edoctis, gratia Dei & miſericordiâ ita ſubuenit, vt qui pauciſſimi ad eo-
rum comparationem eramus, omnes illos in vnum coëgimus, & coactos, dextera Dei nobiſ-
cum dimicante, fugere, & caſtra cum omnibus quæ in caſtris erant relinquere compulimus.
Quibus deuictis, totâque die fugatis, & multis eorum millibus interfectis, ad ciuitatem læti
& hilares remeauimus. Caſtrum autem ſupradictum Admiratus quidam, qui in eo erat cum
mille hominibus, Buamundo ſe reddidit; & per ipſius manum Chriſtianæ ſe fidei vnanimi-
ter ſubiugauit. Itaque Dominus noſter IESVS CHRISTVS *totam Antiochiam Roma-*
næ religioni ac fidei mancipauit. Verùm, quia ſolet ſemper aliquid mœſtum interuenire lætis
rebus, ille Podienſis Epiſcopus, quem tuum Vicarium nobis commiſeras, peracto bello in quo
honeſtè fuit, & pacificata ciuitate, Kal. Auguſti mortuus eſt. Nunc ergo, filij tui commiſſo
Patre orbati, tibi ſpirituali Patri noſtro mandamus, vt qui hanc viam incœpiſti, & Sermo-
nibus tuis nos omnes, & terras noſtras, & quicquid in terris erat, relinquere feciſti, & cruces
C *baiulando* CHRISTVM *ſequi præcepiſti, & Chriſtianum nomen exaltare commonuiſti,*
complendo quæ hortatus es ad nos venias, & quoſcumque poteris vt tecum veniant ſubmoneas.
Hinc enim Chriſtianum nomen ſumpſit exordium. Nam poſtquam beatus Petrus in cathe-
dra quam cotidie cernimus inthronizatus fuit, illi qui prius vocabantur Galilæi primùm
hinc & principaliter vocati ſunt Chriſtiani. Quid igitur in Orbe rectius eſſe videtur, quàm
vt tu, qui Pater & Caput Chriſtianæ Religionis exiſtis, ad vrbem principalem & capitalem
Chriſtiani nominis venias, & bellum quod tuum eſt ex tua parte conficias? Nos enim Turcos
& Paganos expugnauimus: hæreticos autem, Græcos, & Armenos, Syros, Iacobitáſque ex-
pugnare nequiuimus. Mandamus igitur & remandamus tibi hoc, cariſſime Pater noſter, vt
tu Pater & Caput ad tuæ paternitatis locum venias, & qui beati Petri es Vicarius in cathe-
dra eius ſedeas, & nos filios tuos in omnibus rectè agendis obedientes habeas, & omnes hæ-
reſes cuiuſcumque generis ſint, tua auctoritate & noſtra virtute eradices & deſtruas. Et ſic
nobiſcum viam IESV CHRISTI *à nobis incœptam, & à te prædicatam, portas etiam*
vtriuſque Hieruſalem nobis aperias, & Sepulchrum Domini liberum, atque Chriſtianum
nomen ſuper omne nomen exaltatum facias. Si enim ad nos veneris, & viam per te incœ-
ptam nobiſcum perfeceris, totus mundus tibi obediens erit. Quod ipſe te facere faciat, qui
viuit & regnat Deus in ſecula ſeculorum, Amen.

CVM apud Antiochiam per quatuor menſes viri noſtri cum equis ſuis, re- XVI.
quie & edulio refecti, vires priſtinas reſumpſiſſent, qui tot diebus labore fatigati

1098. fuerant: pars vna exercitus ſumpto conſilio Syriam adierunt interiotem, deſide- A
rantes rramitem Hieroſolymitanum amplius dilatare. In quo exeteitu Buamun-
dus & Raymundus Comes, maiores fuerunt. Alij enim Principes in partibus An-
tiochenis adhuc motabantur. Sed ij duo eum gente ſua duas vrbes, *Baram* videli-
eer, & *Maram*, magnæ ptobitatis inuaſione comprehenderunt. Prioti quatum ci-
tiſſimè capta, & cæde ciuium protſus depopulata, raptíſque omnibus quæ in ea
reperierunt, feſtini alteram adierunt. Vbi obſidione per viginti dies peracta, fa-
mem nimiam pertulit gens noſtra. Dicere perhorteo, quòd pletique noſtrûm ex-
aſperati famis rabie, abſciderunt de natibus Sarraceni iam mortui fruſtum vnum,
vel duo. quo parum aſſato manducabant ore dito. Itaque plus obſeſſores, quàm
obſeſſi angebantur. Interea machinis factis & tandem muro admotis, magnæ au-
dacitaris aſſultu, ſuffragaute Deo, pet muri faſtigium Franei ſe intromiſerunt:
qui die illo atque ſequenri cunctos Sartacenos à maiori vſque ad minimum occi-
derunt, tutàmque ſubſtantiam eorum ſibi arripuerunt. Vrbe itaque ptotrita, Bua-
mundus Antiochiam remeauit: de qua tune homines Raymundi Comitis, quos
ibi poſuit portionis ſuæ cuſtodes, eliminauit. Quam vrbem poſtea eum tota pro-
uincia poſſedit. Aiebat enim, per prolocutionem ſuam & machinamentum eam
traditam fuiſſe. Comes verò Raymundus, iuncto ſibi Tancredo incœptum itet
tenuit. Sed & Robertus Normannus, qui die ſecundo diſceſſerat à Matra vrbe,
quam ceperant, eidem exercitui aggregatus eſt.

XVII. Anno autem milleſimo nonageſimo nono ab Incatnarione Domini, profecti
1099. ſunt ad caſtrum *Archas* dictum, ad radicem Libani ſitum, quod propter ſitum loci B
fortem ad capiendum eſt difficillimum ab hoſtibus externis. Ante quod, in taber-
naculis hoſpitati, pet quinque ferè ſeptimanas aſtiterunt. Illud oppidum anti-
quiſſimum condidir Araceus Chanaan filius, vt legitur. Dux autem Godefridvs, & Robertus Flandriæ Comes, non multò poſt exercitum illum ſub-
ſecuti ſunt. Qui antequam illuc perueniſſent, *Gibellum* caſtrum quoddam nomi-
natiſſimum obſidione vallauerunt. Sed legatione ab exercitu habita, vt eis feſti-
nè ſuccurrerent contra Tutcos, quos ad bellum expectabant, confeſtim Gibel-
lum dimiſerunt, & ad negotium mandatum profecti ſunt. Ad quos cùm perue-
niſſent, cum eis ſederunt: ſed bellum, quod fortè putabant, non habuerunt. In
illa tamen obſidione, Anſellus de Riborimonte, miles ſtrenuus, ictu lapidis in-
teriit. Tune autem facto inuicem conſilio, decreuerunr quòd ſi aliquandiu ibi
moram feeerint, & caſtrum illud capere non poterint, detrimentum irrecupeta-
bile cunctis indè eueniet: dicúntque operæptecium eſſe, vt dimiſſa obſidione va-
dant per viam quam commercio expettem noſcunt, dum adhuc tempus meſſionis
eos Hietoſolymam ituros expectat: & dum iuerint, de meſſe vndique à Domino
ſibi præparata viuant: & tali ſtipendlo adiuti, ad locum deſideratiſſimum, Do-
mino ducente, perueniant. Sic laudatum eſt, & factum eſt. Tentoriis runc collectis
iter agentes, tranſierunt vrbem *Tripolim*: qua tranſita iuxta Gibellum caſtrum C
meauerunt. Aprilis erat menſis, & iam de meſſibus viuebant. Vltra deinde pro-
greſſi aut longè ab vrbe Betnro tranſientes, inuenerunt poſt eam vrbem alium,
quam legimus *Sidonem* vocabulo dictam, in terra Feniciæ, quam condidit Si-
don filius Canaan, à quo Sidones. Exinde *Sariptam* Sidoniæ. Dehinc inuene-
runt *Tyrum* ciuitatem peroptimam, vnde fuit Apollonius, de quo legitut. De
his etiam duabus Euangeliſta ſonat: *In partes Tyri & Sidonis.* Nune autem re-
gionis incolæ ptiorem *Sagittam*, alteram vetò *Sur* nominant. Nam Hebraicè *Soor*
dicitur, & eſt in ſorte Neptalim. Poſt has rranſierunt *Ptolomaidam*, prius *Achon*
dictam: quam quidam errantes, *Accaron* ſolebant legere. quod nos etiam fa-
ciebamus, cùm primitus terram Paleſtinorum inrroiuimus. Sed Accaron vrbs
eſt Philiſtea, inter Azotum & Iamniam, prope Aſcalonem. Acon verò, id eſt
Ptolomaida, ab Auſtro habet Carmeli montem. Iuxta quem tranſeuntes, ad
dexteram reliquerunt oppidum *Caypham* dictum, exhinc iuxta *Doram*, vel *Pir-
gul*: poſt hæc iuxta *Cæſaream* Palæſtinæ inceſſimus, quæ quidem dicebatur & al-
tero nomine *Turris Stratonis*: in qua Herodes, dictus Agrippa, nepos illius He-
rodis, ſub cuius rempote Christvs narus eſt, percuſſus ab Angelo, con-
ſumptúſque à vermibus, infelicitet expitauit. Tum quidem à dextera parte
reliquerunt maritima, & per vrbem nomine *Ramulam* petrexerunt: de qua

A Sarraceni incolæ iam obfugauerant, pridie quàm illuc Franci perueniſſent. Illic 1099.
annonam multam reperierunt, de qua iumenta ſua cuncta onerauerunt, quam
vſque Hieruſalem poſtea portauerunt.

MORA ibi per quatuor dies facta, cùm Baſilicæ ſancti Georgij Epiſcopum XVIII.
præpoſuiſſent, & in arcibus homines ad cuſtodiendam vrbem locauiſſent, Hieruſalem iter ſuum prætenderunt. Ipſo die vſque ad caſtellum, quod dicitur *Emaus*, ambulauerunt. Nocte verò illa centum de militibus noſtris calliditate moti, probitate prompti conſcendunt in equos, qui albeſcente aurora prope Hieruſalem tranſeuntes, vſque Bethleem properauerunt de quibus vnus erat Tancredus, álterque Balduinus de Burgo. Quod cùm Chriſtiani, qui inibi conuerſabantur, comperiſſent, Græci videlicet, & Syri, Francos illuc aduenisse, gauiſi ſunt gaudio magno valde. Ignorantes tamen primitus quæ gens eſſent, rati ſunt eos vel Turcos vel Arabes eſſe. Sed cùm apertè eos propiùs intuerentur, & eos Francos eſſe non dubitauerunt, ſtatim gaudentes crucibus aſſumptis & textis, obuiam flendo piè cantando proceſſerunt eis: flendo, quoniam metuebant ne tantillum gentis à multitudine tanta Paganorum, quos in patria ſciebant eſſe, facillimè occiderentur: cantando, quoniam de illis congratulabantur quos diu deſiderauerant venturos, quóſque Chriſtianiſmum à nephandis tam diu peſſundatum in reſumptum honorem releuare ſentiebant. Facta autem ſtatim in Baſi-
B lica beatæ Mariæ ſupplicatione ad Deum deuota, cùm locum vbi CHRISTVS fuit natus viſitaſſent, dato Syris oſculo pacis iocundo, ad vrbem ſanctam celeriter ſunt regreſſi. Ecce ſubſequens exercitus noſter ciuitati tunc appropinquauit, relicta *Gabaon* à ſiniſtra parte, quæ ab HIERVSALEM quinquaginta diſtat ſtadiis. Cúmque præcurſores ſigna eleuata ciuibus monſtraſſent, protinus contra eos interni hoſtes exierunt. Sed qui ſic feſtini exierant, feſtinatiùs in vrbem mox repulſi, receſſerunt:

Septenas Iuny Idus dabat annuus vſus.
Lucis ſeptena iam Iunius igne calebat,
Hieruſalem Franci cùm vallant obſidione.

Eſt quidem ciuitas ipſa in montano loco ſita, riuis, ſiluis, fontibúſque carens, excepto fonte Siloe, vbi ſufficienter aqua interdum habetur, interdum verò raro hauritur. Qui funticulus in vallis fundo, ſub monte Syon ſubter decurſionem torrentis Cedron, qui tempore hiemali per vallem Ioſaphat fluere ſolet. Ciſternæ autem multæ, & aquis ſatis abundantes in vrbe habentur: quæ ſi benè procuratæ fuerint, omnibus inhabitantibus, tam hominibus quàm iumentis, omni tempore indeficienter hauſtum præbent, hybemis imbribus reſeruatis. Conſtátque ciuitas condecenti magnitudine per circuitum compoſita, itaut nec paruitate nec amplitudine faſtidioſa cuiquam videatur. Habet quidem ab occaſu Solis Turrim Dauiticam, vtroque latere murum ciuitatis ſupplentem, quæ vſque ad medietatem
C ſui à parte inferiori ſolidè maſſata eſt, & de lapidibus cementata quadratis, & plumbo fuſili ſigillatis. Quæ ſi cibariis munita fuerit, ſi tantùm viginti vel quindecim homines defenſores inerint, nunquam per vim ab exercitu quouis comprehenderetur. Et eſt in eadem vrbe Templum Dominicum, rotundum, compoſitum in eodem loco, quo Salomon alterum prius inſtituit mirificum: quod quamuis illi priori ſchemati nullatenus ſit comparandum, iſtud tamen opere mirabili & forma ſpecioſiſſima factum eſt. In cuius medio eſt rupis natiua & ingens, de qua deturpatur ſatis & impeditur ipſum Templum. Neſcio quare ab æterno permittitur locum occupare, quin prorſus exciditur. Sed dicunt illum eſſe locum, vbi ſtetit Angelus percutiens, cui Dauid intulit pauidus nimis: *Ego quidem ſum qui peccaui: iſti, qui oues ſunt, quid fecerunt?* Aiúntque in ipſa rupe Arcam fœderis Domini eſſe, cum Virga, & Tabulis Teſtamenti, benè ſigillatam: eò quòd Ioſias Rex Iuda poni iuſſit eam in Sanctuario Templi, dicens: *Nequaquam portabitis eam de loco iſto.* Præuidebat enim futuram captiuitatem. Sed illud, quod in deſcriptionibus Ieremiæ legimus, obeſt: quòd Ipſe Ieremias eam in Arabia occultauerat, dicens, quòd non inuenienda eſſet donec gentes multæ congregarentur. Ipſe enim contemporaneus huius Regis Ioſiæ fuit: tamen viuendi finem fecit, antequam Ieremias obiret. Non credimus igitur Arcam in Templo eſſe. Non valeo nec audeo recitare res tam ſanctiſſimas, quæ inibi habentur, ne in aliquo auditores fallam;

1099. ſed ſecundùm dicta quotumdam, in honorem & amotem Dei, hæc tantilla in memoriam collegi. Hæc eſt pro certo domus Dei, de qua ſcriptum eſt: *Benè fundata eſt ſupra firmam petram.* In qua cùm Salomon deuotè Deo precem ſuam funderet, vt oculi eius die ac nocte ſuper eam aperti eſſent, & qui ad Sanctuarium illud oraret recto corde, ab eo exaudiretur: conceſſit ei Dominus, reſpondens prout ab eo poſtulauerat. Hanc domum, hoc eſt Domini Templum, in veneratione magna cuncti Sarraceni habuerant, donec eis illud abſtulimus; ibique prædicationes ſuas libentiùs quàm alibi facere ſolebant: quamuis idolo, in nomine Mahummeth facto, eas vaſtarent. in quod etiam nullum ingredi Chriſtianum permittebant. Alterum verò templum Salomonis dictum, magnum eſt, & mirabile: ſed non eſt illud idem, quod ipſe Salomon fabricauit. Quod nunc ſatis dolendum eſt, eò quòd inopiâ preſſi, non potuimus tecti eius ſtructuram teformare, poſtquàm in manus Balduini Regis & noſtras deuenit. Sed ipſe etiam plumbum negociatoribus vendebât, cùm vel de tecto aliquando decidebat, vel deorſum dirui præcipiebat. Ineſt inſuper Baſilica decens ſuper Dominicum Sepulchrum rotunditate facta: cuius rotunditatis ſummitas ita artificioſè tegmine caret, vt foramine illo Solis ſplendori patula, clara ſemper habeatur. Non deſunt etiam ciuitati per omnes vicos aquæductus, per quos imbrium tempore omnes immunditiæ diluuntur. Hanc etiam vrbem Helius Imperator Adrianus mirificè decotauit, & vicos & plateas pauimento decenter ornauit, de cuius nomine HIERVSALEM *Helia* vocata eſt. Ex iis & ceteris multis, ciuitas ipſa venerabilis eſt & glorioſa. Quam cùm aſpicerent Franci, & viderent eam ad capiendum grauem, B iuſſum eſt à Principibus noſtris ſcalas ligneas fieri: quibus muro poſtea erectis, cum aſſultu forti per eas in ſummum muri ſcandentes, vrbem forſitan iuuante Deo ingredetentur. Quod cùm feciſſent, ſequenti die ſeptimo, monitu Procerum, buccinis ſonantibus, mane claro, impetu miro, ciuitatem vndique aſſilierunt. Et eùm vſque ad horam diei ſextam aſſiliiſſent, & per ſcalas, quas fixerant, eò quòd paucæ erant, introire nequiſſent, aſſultum triſtes dimiſerunt. Tunc autem ſumpto conſilio, iuſſum eſt ab artificibus machinas fieri, cum quibus muro admotis, auxiliante Deo, ſpei effectum adipiſcerentur. Et ſic factum eſt. Interea nec panis nec carnis inopiam paſſi ſunt. Sed quia locus, vt ſuperiùs dictum eſt, inaquoſus & ſine fluminibus eſt, viri noſtri propterea, & iumenta eorum, indigebant aquâ vehementer ad potandum. Quapropter, prout monebat neceſſitas, longè aquam quæritabant: & à quatuor milliatiis vel quinque laborioſè ad obſidionem in vtribus ſuis apportabant. Machinis autem patratis, arietibus ſcilicet & ſcophris, ad aſſiliendum item ſe parauerunt. Inter artificia verò cetera, vnam turrim de lignis exiguis, quia magna materies illis deerat, compegerunt: quam noctu, edicto proindè facto, ad cornu ciuitatis oportunius fruſtratim portauerunt. Et ſic mane ipſo cùm petrarias & cetera adminicula parauiſſent, citiſſimè haud longè à muro compactam erexerunt. Quam erectam, & de coriis deforis benè contextam, paulatim promouendam muro propiùs impegerunt. Tum verò rari milites, tamen audaces, monente cornu, aſcenderunt in eam, de qua ſtatim lapides & ſagittas iacere cœperunt. Contra quos ſimiliter Sarraceni defendendo ſe agebant, & ignem cum oleo & adipe viuidum faculis aptatis dictæ turri, & militibus qui erant in ea, fundibulis ſuis iaculabantur. Multis igitur vtrorumque inuicem ſic certantium mors ſæpè aderat præſens. Ea quidem in parte, qua Raymundus Comes, & homines ſui aſſiſtebant, ſcilicet in montem Syon, cum machinis ſuis magnum aſſultum dabant. Ex altera verò parte, qua Dux GODEFRIDVS erat, & Robertus Normanniæ Comes, & Flandrenſis Robertus, maior erat muro aſſultus. Illo die ſic fecerunt. Sequenti quoque die, laborem eundem facto buccinarum concentu, viriliùs inierunt: itaut cum arietibus pulſando murum in vno loco perforarent. Pendebant nempe ante muri propugnacula duo aſſera funibus illic alligata, quæ Sarraceni ſibi præparauerant, vt irruentibus & lapides in eos iactantibus obſtaculum fierent. Sed quod pro incremento ſibi fecerant, idem ad detrimentum ſuum, Domino prouidente, acceperunt. Nam turri præfata muro admota, rudentibúſque, quibus ligna pendebant prædicta, faſciculis ſectis, de eiſdem tignis vnum pontem Franci tunc ſibi coaptauerunt, quem de turri ſuper murum callidè extenſum iactauerunt. Iamiámque ardebat arx vna in muro lapi-

A dea, ſuper quam machinatores noſtri torres igneos iniecerant: vnde foco paula- 1099.
tim intra materiem lignorum nutrito, fumus flammáque ſic prodire cœpit, vt nec vnus cuſtodum ciuium ibi vlteriùs morari poſſet. Mox itaque Francis hora meridiana vrbem intrantibus, die quæ Veneris habebatur, cornibus ſonantibus, cunctis tumultuantibus, viriliter impetentibus, ADIVVA DEVS exclamantibus, vexillo vno in muri faſtigio iam ſubleuato, Pagani omninò pudefacti, per vicorum ciuitatis angiportus, audaciam ſuam in fugam celerem mutauerunt omnes. Qui cùm velociter fugerent, velociùs fugati ſunt. Hoc Raymundus Comes ex altera parte aſſiliens, nondum ſciebat, nec homines eius, donec Sarracenos per muri apicem ante eos proſilire viderunt. Quo viſo, ad vrbem lætiſſimi quantociùs accurrerunt: & cum ceteris hoſtes nefarios fugare & occidere cœperunt. Tum quidem alij Sarracenorum, tam Arabes quàm Æthiopes, in arcem Dauidicam fugiendo ſe intromiſerunt: alij verò in Templum Domini atque Salomonis ſe incluſerunt. In quorum atriis Templorum impetus in eos agebatur nimius: locus etiam nuſquam erat, quo gladiatores noſtros euadere poſſent. Supra Salomonis Templum, quod fugiendo aſcenderant, multi ex eis ad mortem ſagittati ſunt, & deorſum de tecto inſanabiliter præcipitati. in quo etiam Templo, decem fermè millia decollati ſunt. Quòd ſi inibi eſſetis, pedes noſtri vſque ad baſes cruore peremptorum tinguerentur. Quid narrabo? Nullus ex eis vitæ eſt reſeruatus. Sed
B nec feminis nec paruulis pepercerunt. Mirabile quoddam videretis, cùm ſcutigeri noſtri atque pedites pauperiores, calliditate Sarracenorum comperta, ventres eorum iam occiſorum findebant, vt de inteſtinis biſantios excerperent, quos viui faucibus tranſglutiuerant. Quapropter poſt dies aliquot aceruo magno facto de cadaueribus, ea igni combuſſerunt, vt æs illud prædictum in cinere facto faciliùs reperirent. Tancredus autem Templum Domini cum feſtino curſu ingreſſus, multa aurea & argentea, (quod erat nefas rapiendum) lapides etiam precioſos arripuit. Sed hoc poſtea emendans, eadem cuncta vel eis appreciata loco ſacroſancto remandauit.

Enſibus extractis currit gens noſtra per vrbem,
Nec cuiquam parcunt etiam miſerere precanti.
Vulgus erat ſtratum veluti cum putrida motis
Poma cadunt ramis, agitatáque ilice glandes.

Et poſt ſtragem tantam ingreſſi ſunt domos, & ceperunt quæcumque in eis inuenerunt: ita ſanè, vt quicumque primus domum intraſſet, ſiue pauper ſiue diues eſſet, nullatenus ab aliquo alio fieret illi iniuria, quin domum ipſam aut palatium, & quodcumque in ea reperiſſet, ac ſi omninò propria, ſibi aſſumeret & poſſideret. Hoc itaque ius tenendum inuicem ſtabilierant. Vnde multi inopes facti ſunt locupletes. Tunc autem ad Sepulchrum Domini, & Templum eius glorioſum euntes, Clerici ſimul & laici exultationis voce altiſona Canticum nouum Domi-
C no decantando, loca ſacroſancta tam diu deſiderata, cum oblationibus faciendis ſupplicationibúſque humillimis, lætabundi omnes viſitauerunt. O tempus tam deſideratum! ô tempus inter cetera tempora memorandum! ô factum factis omnibus anteferendum! Verè deſideratum, quoniam ab omnibus fidei Catholicæ cultoribus interno mentis deſiderio ſemper deſideratum fuerat, vt locus in quo cunctarum creaturarum Creator recreationis ſalutiferæ munus, Deus homo factus, humano generi pietate ſua multiplici, naſcendo, moriendo, reſurgendóque contulit, à Paganorum contagione inhabitantium quandoque mundatus, tamdiu ſuperſtitione eorum contaminatus, à credentibus & confidentibus in ſe, in modum dignitatis ſuæ priſtinum reformaretur. Et verè memoriale, & iure memorandum: quia quæcumque Dominus noſter IESVS CHRISTVS, in terra homo cum hominibus conuerſans, egit & docuit, ad memoriam famoſiſſimam reuocata & reducta ſunt. Et quod idem Dominus per hunc populum ſuum tam, vt opinor, dilectum alumnum familiarémque, & ad hoc negocium prælectum, expleri voluit, vſque in finem ſeculi memoriale, linguis tribuum vniuerſarum perſonabit.

Iulius efferuens ter quina luce calebat,
Vndecies centum numero ſi dempſeris vnum,
Dicebant annos Domini tunc eſſe peractos,

1099. *Cùm nos* HIERVSALEM, *gens Gallica, cepimus vrbem.* A
Ter quina Iulius ſplendebat luce micanti,
Vrbem cùm Franci capiunt virtute potenti,
Anno milleno centeno, queminus vno,
Virginis à partu, genuit quæ cuncta regentem.

Idus erat Iulij, anno ab obitu KAROLI MAGNI ducenteſimo & octuageſimo quinto, & à morte GVILLELMI Angliæ Regis primi anno duodecimo. Quippe GODEFRIDO patriæ mox Principe facto. Quem ob nobilitatis excellentiam, & militiæ probitatem, atque patientiæ modeſtiam, necnon & morum elegantiam, in vrbe ſancta Regni Principem omnis populus Dominici exercitus ad illud conſeruandum atque regendum elegit. Tunc etiam locati ſunt in Eccleſia Dominici Sepulchri Canonici, atque in Templo eiuſdem ipſi ſeruituri. Patriarcham autem tunc decreuerunt nondum ibi fieri, donec à Romano Papa quæſiſſent, quem ipſe laudaret præfici. Interea Turci & Arabes, nigri quoque Ethiopes quingenti ferè, qui in arcem Dauiticam ſe intromiſerant, petierunt à Raimundo Comite, qui prope Turrim illam hoſpitatus erat, vt pecuniâ eorum in arce ipſa retenta, viuos tantùm eos abire permitteret. Hoc conceſſit, & hinc Aſcalonem adierunt. Placuit tunc Deo, quòd inuenta eſt particula vna Crucis Dominicæ in loco ſecreto, iam ab antiquo tempore à viris religioſis occultata: nunc autem à quodam homine Syro, Deo volente, reuelata. quam cum patre ſuo indè B conſcio diligenter ibi & abſconderat, & conſeruarat. Quam quidem particulam in modum Crucis reformatam, aurea partim & argentea fabrica contectam, ad Dominicum Sepulchrum, dehinc etiam ad Templum, congratulantes pſallendo, & gratias Deo agendo, qui per tot dies hunc theſaurum ſuum & noſtrum ſibi & nobis ſeruauerat, omnes vnà in ſublime propalatam detulerunt.

XIX. REX autem Babilonis, & dux militiæ eius nomine Lauendalius, cùm audiſſent quòd Franci iam circa ſibi ſubdendo Babilonico Regno appropinquaſſent, congregata multitudine ſub edicto de Turcis & Arabibus Ethiopibúſque, contra eos ire prœliatum feſtinauerunt. Et cùm iterum per internuncios audiſſent, Hieruſalem tam ferociter iam fuiſſe captam, indignatus dux ille prædictus Babilonius, feſtinauit vt vel prœlium cum ipſis committeret, vel eoſdem in eadem vrbe incluſos obſideret. Quod cùm Francis nunciaretur, aſſumpto magnæ audaciæ conſilio, verſus Aſcalonem contra tyrannos illos acies ſuas direxerunt: portantes ſecum lignum ſalutiferæ Crucis iam ſuperiùs memoratum. Cúmque die quodam non longè ab Aſcalone circumuagantes Franci prœlium expectarent, inuenerunt illic non minimam prædam de bobus & camelis, ouibus & capris. Quam carram cùm iuxta tentoria Sole ruente congregaſſent, iuſſerunt ſub edicto Principes noſtri, numquam in craſtino; quo bellum fore putabant, ſecum minari: vt ab omni ſarcina expediti, ad prœliandum eſſent prompti. Mane autem facto, ſpeculatoribus præmiſſis paganos accedere didicerunt. Quo ſcito, mox Tribuni & Centu- C riones per alas & cuneos gente ſua conſtituta, prœlium agendum prudentiſſimè ordinauerunt, & contra hoſtes vexillis leuatis audaciter proceſſerunt. Videretis prædictam prædam tanquam monitu ducentium à dextera & læua parte acierum greſſum ſuum rectè agere, licèt à nemine minaretur: ita vt multi paganorum eam à longè cùm militibus noſtris euntem ſpectantes, totum æſtimarent exercitum eſſe Francorum. Illi autem populus innumerus cùm ad cuneos noſtros appropinquaſſent, tanquam ceruus ramos cornuum prætendens, cuneo ſuo anteriori facto bifurco, diſtenſione Arabum præcurrentium explicata, machinati ſunt accingere poſtremos: vbi Dux GODEFRIDVS ſubſequenter cum agmine denſo militum armatorum remigando poſteritatem ſollicitabat. Ceteri enim Proceres alij in prima, alij in ſecunda acie præibant. Sed cùm ab vtraque parte hoſtes hoſtibus, quantum iactus eſt lapidis, vel paulò plus, appropinquaſſent: illicò pedites noſtri ſagittas in illos diſtendentes iecerunt. Congruentiſſimè mox ſecutæ ſunt ſagittas lanceæ, dum equites noſtri, tanquam iureiurando omnes inuicem confirmaſſent, impetu vehementi irruerunt in eos: & quorum quadrupedes curſu tunc non fuerunt celeres, continuò neci ſubmerſi ſunt ſupra ſeſſores. vbi paruæ horæ ſpacio multa corpora palluerunt exanimata. Tunc multi eorum mortem metuentes, aſcendebant arborum cacumina: qui tamen inibi ſagittati, & morti læſi, ad ter-

Quæ abhinc ſequuntur, ex MS. Codicis fide emendata ſunt, & correcta.

A tam infeliciter corruebant, incurſu in eos penetrabili facto vndique Sarraceni 1099.
pertimebant. Tentoriis tranſactis, vſque ad Aſcalonis mœnia qui euaſerunt fu-
gati ſunt. Quæ ciuitas ſeptingentis & viginti ſtadiorum ſpaciis ab Hieroſolyma
diſtat. In prima quidem acie dux eorum Lauendalius, licèt antea Francos vili-
pendiſſet, non lentè fugiens dorſum vertit: quibus tabernaculum ſuum cum ce-
teris extenſum, & pecuniâ munitum, inuitus reliquit. Quorſum Franci regreſſi,
victoriâ iocundi, Domino grates dando ſunt regregati. Tunc ingreſſi ſunt taber-
nacula eorum, & inuenerunt in eis gaſas multas, aurum, argentum, pallia, indu-
uias, lapides precioſos, qui duodeni ſic nominantur: Iaſpis, Saphyrus, Calcedo-
nius, Smaragdus, Sardonix, Sardius, Criſolyrus, Berillus, Topaſius, Criſopraſ-
ſus, Iacinctus, Ametiſtus. Repererunt etiam vaſa & vtenſilia multiformia: gale-
ros auratos, anulos optimos, enſes mirabiles, annonam, farinam, ceteráque mul-
ta. Ea verò nocte illic hoſpitati ſunt, & peruigiles benè ſe conſeruauerunt. Nam
die ſequenti putabant bellum à Sarracenis reiterari, qui tamen timore valde per-
territi nocte ipſa omnes aufugerunt. Quo mane per exploratores comperto, vo-
cibus laudifluis Deum benedixerunt & glorificauerunt, qui tot millia perfidorum
rato exercitu Chriſtianorum diſſipati permiſit. Benedictus ergo Deus, qui non
dedit nos in captionem dentibus eorum. Beata enim gens, cuius eſt Dominus
Deus eius. Nónne minati fuerant ipſi Babilonij, dicentes: Eamus, & capiamus «
B Hieruſalem cum Franciſ in ea clauſis? Quibus omnibus interemptis, eradamus «
illud Sepulchrum tam ſibi precioſum; & lapides ipſius ædificij extra vrbem eie- «
ctos. nec mentio vlteriùs vmquam indè fiet. Sed Deo miſerante hoc in nihilum «
reuerſo, de pecunia etiam illorum onerauerunt Franci equos eorumdem & came-
los. Qui cùm tentoria, & tot iacula in campis iacentia, arcúſque & ſagittas ad
vrbem ſanctam deferre non poſſent, hæc cuncta incendio commiſerunt. deinde
Hieruſalem gaudentes redierunt.

HIS geſtis, placuit quibuſdam in patriam nationis ſuæ reuerti. Et cùm in Ior- XX.
dane flumine indilatè loti fuiſſent, & palmarum ramos apud Hiericho in horto *De reuerſione Principum ad patriam.*
Abrahæ dicto collegiſſent, Robertus Normannorum Comes, ROBERTVS Co-
mes Flandriæ, Conſtantinopolim nauigio appetierunt: deinde Franciam ad pro-
pria remeauerunt. Raymundus verò vſque Laodiciam Syriæ regreſſus eſt: & in
Conſtantinopolim relicta vxore, in Laodicia rediturus. Dux autem GODEFRI-
DVS retento ſibi Tancredo, & aliis pluribus, Principatum Hieroſolymitanum
rexit: quem conſenſu omnium ſuſceperat obtinendum.

CVM autem audiſſet domnus BOAMVNDVS, qui Antiochiæ tunc princi- XXI.
pabatur, vir prudens & ſtrenuus, & domnus BALDVINVS præfati Godefridi *De Boamundo & Balduino, & eorum peregrinatione.*
frater, qui ſimiliter Edeſſæ ciuitatis, patriæque affinis trans fluuium Eufraten do-
minabatur, HIERVSALEM ab illis qui præiuerant collegis ſuis captam fuiſſe,
lætiſſimi effecti Deo laudes exſoluerunt indè ſupplices. Quòd ſi illi, qui feſtina-
C tione itineris præceſſerant eos, benè & vtiliter operati fuiſſent, quamuis eos tar-
diùs ſubſecuturi eſſent hi duo cum ſuis, participes tamen eiuſdem fore brauij non
eſt dubitandum. Erat enim neceſſe, vt terra & ciuitates cum tanto labore iam
Turcis ablatæ ſolerter cuſtodirentur: ne fortè terra incautè derelicta, ſi cuncti
Hieruſalem tunc abiſſent, recurſu repentino à Turcis vſque Perſidam iam repul-
ſis reſumeretur. Vnde damnum Francis non minimum cunctis contingeret eue-
niſſe, tam euntibus quàm redeuntibus. Forſitan diuina prouidentia diſtulit eos,
plus in peragendis quàm in peractis negociis iudicans eos profuturos. O quotiens
interim ipſe Balduinus in Meſopotamiæ finibus prœliis contra Turcos factis fati-
gatus eſt! quótque capita eorum cæſa illic fuiſſent, recitari non poteſt. Sæpè con-
tigit illum cum gente ſua pauca contra multitudinem eorum magnam prœliari, &
Deo iuuante triumpho lætari. Sed cùm per legationes eum Boamundus præmo-
nuiſſet, vt Hieruſalem ambo cum ſuis iter nondum expletum ituri perficerent,
Balduinus illicò ſuas res opportunè diſponens, ſe iturum præparauit. Sed tunc au-
diens Turcos vnum cornu patriæ ſuæ ingreſſione peruadere, incœpto dimiſſo, cùm
necdum exercitulum ſuum congregaſſet, cum paucis hoſtes adiit. Qui cùm arbi-
trati eſſent iam eum iter ſuum incœpiſſe, die quadam cùm in tabernaculis ſuis ſe-
curi eſſent, viſo ſigno albo, quod baiulabat Balduinus, quantociùs pauefacti fu-
gerunt. Quos cùm parum cum paucis fugaſſet, ad id quod priùs incœperat rediit.

1099. Et ingreſſus iter, Antiochiâ dexterata venit Laodiciam: vbi ſtipendio viatico em- A
pto, & clitellis reformatis, abiuimus. Menſis Nouember erat. Cúmque Gibel-
lum tranſiſſemus, Boamundum in tentoriis ſuis hoſpitatum ante oppidum quod-
dam *Valentum* nominatum aſſecuti ſumus. Erat cum eo Archiepiſcopus quidam
Piſanus nomine DAIBERTVS, qui cum quibuſdam Tuſcanis & Italis Laodi-
ciæ portu nauigans applicuerat. & ibi nos expectabant, nobiſcum ituri. Aderát-
que quidam Epiſcopus de Apulia. Cum domno Balduino erat tertius. Quibus
ita amicabiliter glomeratis, æſtimati ſumus numeto eſſe xxv. millia vtriuſque
ſexus tam peditum quàm equitum. Et cùm fines Sarracenorum interiores in-
troiſſemus, & ab incolis regionis nobis ſatis infeſtis nec panem, nec aliquid edulij
habere poſſemus, quia nec erat qui daret, vel qui venderet: ſtipendio quidem no-
ſtro magis magíſque conſumpto, contigit multos fame anxiari. Equi quoque &
iumenta deficiente annona dolote geminato nimis angebantur. Ibant, nec man-
ducabant. Tunc autem erant in ipſis agris cultis, per quos euntes tranſibamus,
meſſes quædam, quas vulgus vocat *Cannamelles*, harundinibus ferè ſimiles. A can-
na & melle nomen compoſitum. vnde & mel ſilueſtre, vt puto, dicitur, quod de
his ſapienter conficitur. Has quidem famelici propter mellitum ſaporem tota die
dentibus noſtris ruminabamus, parum tamen proficiendo. Vtique pro amore Dei
hæc & alia multa, famem ſcilicet, & frigora, & pluuias nimias ſuſtinebamus. Ple-
tíque etiam equos, aſinos, camelóſque, panis egentes manducabant. Inſuper al- B
gore nimio, & imbrium affluentiâ ſæpiſſimè torquebamur, nec erat tantùm Solis
æſtus, quo pannos noſtros madefactos exſiccare poſſemus: cùm imbrium conti-
nuatio vel per quatuor, vel per quinque dies nos vexaret. Vidi tunc plures taber-
naculis carentes imbrium algore extingui. Ego FVLCHERVS CARNOTEN-
SIS, qui his intereram, vidi quadam die plures vtriuſque ſexus, beſtiáſque quam-
plurimas hac pluuiâ moti algidiſſima. Longum eſt tecitandum, & audiendi for-
ſan tædium: quia nulla anxietas, nullus dolor defuit populo Dei. Sæpè à Sarrace-
nis in via inſidiantibus circa meatus artos plures occidebantur, aut cùm raptum
irent pro victualibus quærendis. Videretis milites nobiles, èquis quoquomodo
amiſſis, pedites effici. Videretis iumentis deficientibus capras Sarracenis ablatas,
veruecéſque ſuperpoſitis ſarcinis valdè fatigari, & dorſa eorum mole illius ſarcinæ
corrumpi. Bis in hac via, non ampliùs, panem & annonam commercio cariſſimo,
ſcilicet à Tripolitanis & Ceſarienſibus, habuimus. Patet ergo, quia poterit vix
quis magnum aliquod niſi cum magno labore adquirere. Magnum quidem fuit,
cùm vſque Hieruſalem perueniſſemus. Qua viſitata, conſummatus eſt labor diu-
turnus. Cúmque Sanctotum Sancta deſideratiſſima inſpiceremus, ingenti gau-
dio repleti ſumus. O quotiens ad memoriam reducebamus illam Dauiticam pro-
pheriam qua dicit, *Adorabimus in loco, vbi ſteterunt pedes eius!* Quod nimirum
in nobis tunc impleri vidimus, quamuis aliis multis ſimiliter pertineat. Illuc qui-
dem aſcendimus tribus tribus Domini, ad confitendum nomini ſancto eius. Die C
illo, quo Hieruſalem tunc inttoiuimus, Sol rettogradus deſcenſu hiemali per-
acto, recurſum reſumpſit aſcenſibilem. Cúmque Sepulchrum Dominicum, at-
que Templum eius glorioſum, & cetera loca ſancta viſitaſſemus: die quatto BETH-
LEEM adiuimus, vt nocte ipſa Dominicæ Natiuitatis reuolutionem celebraturi
annuam, præſepio, vbi IESVM MARIA venerabilis mater reclinauit, præ-
ſentialiter peruigiles in orationibus aſſiſteremus. Quo in noctem cum obſequio
condecenti expleto, hora diei tertia, Miſſa quoque tertia celebrata, Hieruſalem
remeauimus. O quantus tunc erat fœtor circa muros ciuitatis, intus & extra, de
cadaueribus Sarracenorum adhuc ibi marcentium, quos vrbe capta collegæ noſtri
trucidauerunt, vbicumque eos aſſecuti fuerant. Cùm autem & nos & iumenta
noſtra quiete neceſſaria aliquantiſper vegetati eſſemus, & Patriarcham in Eccleſia
ſancti Sepulchti tam Dux quàm ceteri Optimates præfeciſſent, ſcilicet domnum
DAIBERTVM ſuperiùs memoratum: redintegrato ſtipendio, & iumentis noſtris
oneratis, regredientes deſcendimus ad flumen Iordanicum. Tunc placuit quibuſ-
dam de exercitu poſteriore in Hieruſalem remanere, & quibuſdã de priore nobiſ-
cum remeare. Dux autem, ſicut priùs, Terram Hieroſolymitanam ſtrenuè rexit.

Idibus in ternis Augusti tunc ſatis ægris
Corruit VRBANVS *Præſul Romæ venerandus.*

A ANNO ab Incatnatione Dominica M C. die anni prima, in Hiericho ramis palmarum cæſis, ad defetendum vt mos eſt omnes aſſumpſimus, & ſecunda die itet temeabile cœpimus. Placuit Principibus noſttis per vrbem Tyberiadem iuxta mate tranſire. Quod mare de dulci aqua congregatum duodeviginti millibus paſſuum, & quinque in latum, vel iuxta Ioſephum XL. ſtadiis in latitudine, & centum in longitudine. Deinde per Ceſateam Philippi, quæ *Paneas* linguâ Syriaca dicitut, ad Libani montis radicem ſitam, vbi duo fontes emergunt, vnde Iordanis fluuius exoritur: qui poſtea mare Galileæ ſecans, in Mare Mortuum ſe ingetit. Hic autem lacus *Geneſar* dictus XL. ſtadiis in longitudine, centúmque in latitudine, iuxta Ioſephum. Quod flumen deinde per alueum vnum percurrens ingetit ſe in Mare, quod Mortuum dicitur, eò quòd nihil gignat viuum. qui lacus *Aſphaltites* dictus ſine fundo eſſe creditur In abyſſum. ibi ſubuerſis ciuitatibus, Sodoma ſcilicet & Gomorra. Ego autem callidiùs de fontibus his coniectabam, imitans beatum Hieronymum, quem legi, in expoſitione eius ſupet Amos Prophetam, quòd Dan in terminis Terræ Iudaicæ ſit, vbi nunc eſt Paneas. & quia ttibus Dan illic ædificauit ciuitatem, quam nomine patris ſui vocauerunt *Dan*. Hac de cauſâ ſentio, fontem illum vocari *Dan*, & alterum *Ior*, qui huic adiungitut. Venimus autem ad vrbem fortiſſimam, quam *Balac* nuncupant, à Salomone conditam, muris eminentibus citcumtectam, & *Thadomor* ab eo appellatam, duorum

1100.
XXII.
De reuerſione Boamũdi, & Comitis Balduini ad propria.

B dierum itinete à Syria diſtantem, & à maxima Babylonia ſex manſionibus procul diſtantem, ab Eufrate verò diei vnius. Hanc Græci *Palmiram* vocant. Illo in loco fontes & putei nimis abundant. Nam infetiori terra nuſquam aqua inuenitur. Vbi Turci Damaſceni nobis obuij venerunt CCCC. fermè milites. Et quia didicerant nos eſſe inermes, & labotis causâ valde feſſos, arbitrati ſunt nos quoquomodo debilitare. Quòd ſi fortè poſtremos die illo domnus BALDVINVS ſollicitè & cautè non conſeruaret, multos de noſtris occidetent. Inundatione enim pluuiarum & arcus & ſagittæ defecetant eis: quia cum glutine in locis illis adaptantut. BOAMVNDVS quippe in primo cuneo præibat. Itaque Deo auxiliante nihil apud nos lucrati ſunt. Tunc caſtra noſtra metati ſumus ante oppidum prædictum. Sequenti verò die plus mari apptopiantes, ante vrbem Tortoſam, & Laodiciam tranſiuimus. Ibi quoque RAIMVNDVM Comitem repperimus, quem illic reliqueramus. Et quia cara erat annona, nihil ibi ad emendum inuenimus, vnde viuere poſſemus. Quapropter vſque Edeſſam propetare non ceſſauimus.

BOAMVNDVS igitur Antiochiam primitus aduenit, vbi à ſuis gaudentet eſt ſuſceptus. Deinceps Regnum ſuum per ſex menſes vt priùs obtinuit. Sed cùm Iulio menſe ſequente vtbem *Meleſiam* vocatam cum pauca gente appeteret, quam ei qui vtbis eiuſdem pattonus erat Gabriel nomine redditurus erat: iam per legationes amicitiæ mutuæ conuentione facta, obuius illi fuit Admiraldus quidam nomine Daniſman, cum gente Turcorum magna. moliens Boamundum ſic imptu-

XXIII.
De captione Boamundi.

C denter ambulantem intercipere. Et non longè ab vrbe præfata inſiluerunt in eum vndique gens illa nefaria, quæ in inſidiis latitabat. Et non audentes noſtri præliari, quia pauci erant, ſtatim fugientes in diſperſionem fugati ſunt: de quibus Tutei multos occiderunt, & pecuniam eotum totam habuerunt. Boamundum verò comptehenſum in captionem ſecum adduxetunt. Cúmque hoc infottunium ab illis qui euaſetant diuulgaretut, orta eſt genti noſtræ grandis indè deſolatio. Verumtamen Dux vrbis Edeſſæ Balduinus, congregatis Francis quotcumque potuit, Edeſſenis ſcilicet & Antiochenis, hoſtes prædictos vbi eos eſſe audiuit quærere non diſtulit. Boamundus etiam, cincinno capitis ſui abſciſo, mandauit hoc intetſigno Balduino prædicto, vt ei citato auxilio pro amore Dei ſuecurreret. Quod cùm audiſſet Daniſman, metuens hotum animoſitatem, non eſt auſus vlteriùs ante vtbem Meletinam motari, quam obſidione cinxerat: ſed paulatim ante nos fugiendo, ad propria ſua remeare curauit. Vnde multum doluimus, cùm per tres dies illos vltra vrbem prædictam perſecuti ſumus. qui libentiſſimè contra eos dimicaſſemus. Cúmque ſic regrederemur, prædictus Gabriel vrbem Meletinam Balduino reddidit. Quibus amcis effectis, & cuſtodibus ſuis intromiſſis, Edeſſam vrbem Balduinus tediit, & Antiocheni mœſti de Domino ſuo ad ptoptia regreſſi ſunt.

CVM autem ipſe Balduinus frueretur ſua proſperitate, ecce nuncius veniens XXIV.

1100. ab Hieroſolymis, intulit ei quia Dux GODEFRIDVS germanus eius XV. Kal. Augusti diem clauſerat apud Hieroſolymam. A

De morte Regis Godefridi.

Ad caput hoc anni poſt captam contigit vrbem,
Ad meriti cumulum Dominus tibi, Dux GODEFRIDE,
Contigit hoc Regnum. Sed tempore non diuturno
Tu perfunctus eo, natura dante ruiſti.
Orto Sole ſemel ſub ferueſcente Leone
Aethera ſcandiſti lætans Michaële leuante.

INCIPIT LIBER SECVNDVS.

De geſtis Regis BALDVINI *primi.*

CAP. I. *Qualiter* BALDVINVS *ad regendam Hieroſolymã perrexit.*

CVM igitur intimatum eſſet domno BALDVINO, quòd omnis populus Hieroſolymitanus eum in Regni Principem ſubſtituendum heredem expectarent, dolens aliquantulum de fratris morte, ſed plus gaudens de hereditate: accepto conſilio, Terram ſuam, quam poſſidebat, locauit, cuidam BALDVINO Comiti cognato ſuo eam committens. Et colligens exercitulum ſuum ducentis ferè militibus, & ſeptingentis peditibus, iter Hieroſolymitanum VI. Non. Octobris incœpit. Nonnulli mirabantur, quòd cum gente tam pauca erat auſus per tot hoſtium regiones incedere. Nam pleríque propterea pauidi & timidi de collegio noſtro latenter receſſerunt, nobis neſcientibus. Cùm autem comperiſſent Turci atque Sarraceni, nos ita iter agere, congregatis omnibus ſuis quotcumque potuerunt, vbi magis nobis officere arbitrati ſunt, obuiam armati venerunt. Tum quidem per Antiochiam iuimus, dehinc ante Laodiciam, & Gibellum, Maracleam, & Tortoſam, Archas, & Tripolim perreximus. Tunc Rex Tripolitanus legauit domno Balduino ad tentorium ſuum panes, vinum, mel ſilueſtre, id eſt *chuerum*, veruecéſque ad edendum. Et mandando innotuit illi, quòd Duchat Rex Damaſcenorum, & Ginahadoles Rex Calipti cum Turcis multis & Sarracenis, Arabibúſque, in via, per quam nos ituros ſciebant, congregati expectabant. Quod licèt non omninò certum eſſe crederemus, poſtmodum verum eſſe perſenſimus. B

II. *De inſidiis Turcorum in via prætenſis, & mirabili probitate* BALDVINI *Comitis.*

ERAT quippe non longè à Beritho vrbe, ſed quaſi milliariis quinque diſtans iuxta mare in via publica meatus artiſſimus, nobis & omnibus illac tranſeuntibus penitus ineuitabilis: quem ſi hoſtes præmuniti viantibus prohibere voluerint, nullatenus centum millia militum tranſire poterunt, quin centum aut ſexaginta viri armati introitum illum violenter contra illos obtineant expectantes. Ideò inimici noſtri illic vndique intercipere & occidere nos arbitrabantur. Nos autem illuc vſque peruenimus. C Cúmque præcurſores noſtri prædicto meatui appropinquaſſent, viderunt aliquantos de Turcis illis ſegregatos ab aliis, contrà procedentes, & non explorantes. Quos cùm ſpeculatores noſtri perſpexiſſent, rati ſunt maiorem gentem poſt illos inſidiando latere. Quod ſicut viderant domno BALDVINO per vnum eorum ſtatim innotuerunt. Quo audito, militiam ſuam per acies diuiſam competenter tunc ordinauit ad prœliandum. Et ſignis leuatis, paulatim aduerſus eos progreſſi ſumus. Qui cùm bellum mox fore putaremus, cordibus compuncti puris, auxilium de cœlo affore precabamur ad eos accedentes. Continuò autem primo cuneo noſtro congreſſi ſunt illi, de quibus aliquanti confeſtim occiſi ſunt: de noſtris verò quatuor milites vitam amiſerunt. Cúmque certamen illud vtrinque dimiſiſſent, ſumpto conſilio iuſſum eſt caſtra noſtra deponi, & ad hoſpitandum extendi vbi priùs acceſſeramus: hoſtibus ne videremur quaſi timidi, ſi locum ceu refugi relinqueremus. Sed aliud monſtrauimus, aliud verò cogitauimus. Audaciam finximus, ſed mortem metuimus. Difficile remeare, ſed difficilius ante ire. A noſtris hoſtibus vndique obſidebamur. Hinc iſti marinis lintribus, hinc illi à celſis montibus indeſinenter nos vrgebant. Die illo nihil boni, nihil quieti habuimus, nec iumenta noſtra quamuis ſitibunda adaquata ſunt. Ego quidem vel Carnoti, vel Aurelianis mallem eſſe. Alij quoque. Nocte ipſa tota extra

A tra papiliones noſtros peruigiles languimus. Diluculo autem ſummo dum auro- 1100.
ra terris vmbras dimouere cœpiſſet, ſumpto ad inuicem conſilio, vel viueremus,
vel moreremur; tentoriis collectis regredi per viam quam iueramus elegimus.
iumentis noſtris de rebus onuſtis præeuntibus, clientibúſque minantibus. Mi-
lites enim ſubſequentes defendebant hæc à Sarracenis irruentibus. Nam cùm illi
nefandi viderent nos ita ſummo mane reuerti, confeſtim deſcenderunt ad perſe-
quendum nos tanquam fugitiuos. Alij per mare cum carinis, alij verò poſt nos
per viam qua ibamus, alij per montes & colles tam equites quàm pedites per an-
giportum ſicut oues ad ouile ante ſe nos minabant: vt excluſos à planitie qua-
dam, quæ ibi eſt in exitu anguſtiſſimo inter ſalum & montem, ad interimendum
nos facilè interciperent. Sed non ſicut rebantur contigit. Viri enim noſtri ſta-
tuerunt inter ſe, dicentes: Si in planicie illa patula nos perſequentes poterimus «
intercipere illos, forſitan Deo iuuante contra illos reuertentes, & benè pugnan- «
tes, eruemur ab illis. Iamiam autem è nauibus exiliebant, iam vi captos prope
mare pergentes decollabant: iámque in planiciem prædictam poſt nos deſcen-
derant, & ſagittas multas iaciebant. Vndique aduerſum nos vociferantes, & tan-
quam canes vel lupi vlulantes, & enſes ſuos vibrantes, conuitiabantur nobis. Sed
quid narrabo? Nec erat vſpiam locus fugæ, nec remanentibus ſpes ſalutis. Nec
ſaperet Salomon, nec poſſet vincere Sanſon. Sed magnæ Deus potentiæ atque
B clementiæ proſpiciens de cœlo in terram, humilitatem noſtram atque anguſtiam,
necnon periculum, quod incideramus propter amorem eius atque ſeruitium, mo-
tus pietate, qua tibi ſemper præſens ſuis ſubuenit, tantæ probitatis audaciam mi-
litibus noſtris præſtitit, vt recurſu repentino fugarent eos fugientes, vt nunquam
animum defendendi ſe haberent. Sed alij de rupibus præruptis celſis in præceps
ſe dederunt, alij verò haud lentè ad locum ſaluationis fugerunt, alij autem con-
ſecuti gladiis interempti ſunt. Tunc videretis naues eorum celerrimè propter ti-
morem fugere per mare, quaſi poſſemus eas manibus capere. Per montes enim
& colles citò pede fugiebant. Itaque de tanto tropheo gloriantes, ad clientе-
lam, quæ interim quadrupedia onerata in via cuſtodiebat, lætabundi regreſſi ſu-
mus. Laudes igitur Deo tunc gratiſſimas exſoluimus, qui in tanta & inæſtima-
bili neceſſitate adiutor extitit magnificus. O quàm admirabilia Dei facta! ô
quàm magnum miraculum, & memoriæ digniter commendandum! Victi era-
mus, & victi vicimus. ſed nos non vicimus. Quomodo igitur non vicimus? Vi-
cit enim ille, qui ſolus omnipotens eſt Creator omnium, creaturæ ſuæ piè ſub-
ueniens. Quòd ſi Deus pro nobis, quis contra nos? Verè pro nobis & nobiſcum
fuit, complens in nobis quod Iſraëliticis per Prophetam dixit: *Si præcepta mea ſer-
uaueritis hoc dono vos ditabo, vt perſequantur quinque de vobis centum alienos, & centum
ex vobis decem millia.* Et quia in Dei ſeruitio laborem multimodum die ac nocte
tolerabamus, & in nullo alio confidebamus, ſuperbiam eorum magnificè caſſa-
C uit. Et quia deuotè & in tribulato corde Domino famulabamur, humilitatem
noſtram reſpexit. Tunc autem tabernacula noſtra diſplicari & extendi iuſſa ſunt.
vbi ante domnum BALDVINVM plures Turci locupletes viui capti abducti
ſunt, cum ſpoliis occiſorum, & armis ſimiliter allatis. Equos cum ſellis & lupatis
auratis habuimus. Nocte autem illa ſequenti tranſacta, mane, prout aſtutiùs con-
ſultum eſt, retrò ſeceſſimus quatuor millium itinere. Vbi cùm rapinam præfatam
Princeps noſter diuiſiſſet, nocte ſuperueniente in caſtello quodam depopulato ſub
oliuis in virgultis quieuimus. Summo autem mane BALDVINVS item probita-
tem ſuam ſolitam amplectens, ſumptis de militibus ſuis aliquantis vſque ad angu-
ſtias meatus iam dicti equitauit, ſcrutaturus ſi adhuc inibi Sarraceni eſſent, qui no-
bis viam antè vetuerant. Qui cùm nullum inueniſſet, quoniam audita diſperſione
facta omnes aufugerant, laudes dedit Deo, & ſtatim in cacumine eiuſdem montis
accendi pro ſigno ignem fecit. vt qui in caſtris noſtris remanſeramus, viſo fumo illo
promptiùs illos ſequeremur qui ſic præiuerant. Quo viſo, Deum laudantes, cele-
riter ſecuti ſumus eos: & viam noſtram inuenimus liberam, & deſiderarum tranſi-
uimus iter. Die quidem ille prope vrbem Berirum hoſpitati ſumus. Quo comperto,
Admiraldus eiuſdem vrbis plus causâ timoris quàm amoris victuale diurnum ſea-
farum geſtu domno BALDVINO miſit. Similiter de ciuitatibus aliis, ante quas

1100. tranſiuimus, fecerunt: ſcilicet Sydonem, & Tyrum, atque Achon, hoc eſt Ptolomaidam: fingentes amicitiam, ſed cor habentes nequam. Iam poſſidebat oppidum *Caypham* dictum TANCREDVS, quod ipſo anno iam viri Hieroſolymitæ comprehenderant. Et quia Tancredus Balduino tunc maliuolus erat, non illud introiuimus. Ipſe verò tunc ibi non erat, ſed ciues eius panem & vinum nobis extra vendiderunt. Illi enim nos tanquam fratres habuerunt, & videre nos deſiderauerunt. Tranſeuntes autem Ceſaream, & *Arſuth* caſtrũ, quod nos tunc ignari *Azotum* eſſe putabamus, (ſed non eſt. quoniam Azotus vna fuit de quinque ciuitatibus Philiſtinorum, quæ inter Ioppem & Aſcalonem in viculum redacta eſt) & Antipatrida tranſita, tandem venimus Ioppem ciuitatem, quæ eſt in tribu Dan, maritimam. Vbi FRANCI noſtri domnum BALDVINVM vt Regem iam ſuum gaudenter ſuſceperunt. Et non morâ ibi facta, HIERVSALEM properauimus. Cúmque ad vrbem appropinquaſſemus, exierunt ei obuiam tam Clerici quàm laici omnes: Græci quoque ac Syri, cum crucibus ac cereis. Qui eum ingenti gaudio & honorificentia vocibus altiſonis laudes agendo, vſque in Eccleſia Dominici Sepulcri eum deduxerunt. Huic celebritati Patriarcha DAIBERTVS non interfuit, quia de quibuſdam apud Balduinum erat inſimulatus, & diſcordes ad inuicem habebantur. quem etiam maior Cleri pars exoſum tunc habebat. Quapropter in monte Syon ſede priuatus tunc morabatur, & fuit ibi donec delictum ei maliuolentiæ ſolutum eſt. Sed cùm per ſex dies quiete oportuna in Hieruſalem labore alleuiati eſſemus, & Rex de negociis ſuis aliquantis expediretur, iter reſumptum in expeditionem ituri renouauimus. Opus enim eſt omnibus inimicos habentibus (quod ſecundùm hominem dico) vt frequentiſſimè illos enixè coërceant: quatinus certaminis tædio vel vi ſuperent, vel ad pacis pactiones pertrahant.

III. *De expeditione BALDVINI in Arabiam.*

IGITVR domnus BALDVINVS, gente ſua regregata, profectus eſt Aſcalonem, tranſiens per Azotum. quæ ciuitas eſt inter Ioppem & Aſcalonem, vna de quinque ciuitatibus Allophylorum. Accaron autem de dextera aſſiſtentem habuimus prope Pamniam, quæ ſuper mare ſita eſt. Ante Aſcalonem autem cùm veniſſemus, qui foras contra nos exierant vſque ad mœnia vehementer impulſi ſunt. Et quia non fuit nobis vtile maius incipere, ad tentoria noſtra iam extenſa hoſpitaturi rediuimus. Sequenti verò die regionem adiuimus interiorem: vbi victum nobis & iumentis noſtris in locis opulentis inueniremus, & terram inimicorum noſtrorum etiam vaſtaremus. Euntes ergo inuenimus villas, vbi Sarraceni incolæ regionis illius in cauernis propter nos ſe occultauerant cum beſtiis & rebus ſuis. De quibus cùm nullum extrahere poſſemus, accenſo igni ad cauernæ orificium, mox propter fumum & calorem intolerabilem alius poſt alium foras ad nos exierunt. Erant quidam ex eis latrunculi, qui ritè inter Ramulam & Hieruſalem inſidiantes, Chriſtianos noſtros occidere ſolebant. Quod cùm à Syris quibuſdam Chriſtianis, qui cum illis in abditis latitabant, nobis intimatum fuiſſet, huiuſmodi eſſe illos malefactores: mox cùm de cauerna exibant decollabantur. Syris autem & eorum coniugibus pepercimus. De Sarracenis quippe centum fermè occidimus. Et cùm cuncta illic iumenta, tam annonam quàm beſtias comedendo, conſumpſiſſemus, & nihil nobis vtile inuenire ampliùs poſſemus: inito conſilio cum quibuſdam patriæ alumnis, priùs Sarracenis, ſed nuper Chriſtianis, qui loca culta & inculta longè latéque ſciebant, in Arabiam ſecedere diſpoſitum eſt. Et tranſeuntes montana, prope Patriarcharum ſepulturas, videlicet Abrahæ, Iſaac, & Iacob, Saræ quoque & Rebeccæ, vbi corpora eorum glorioſè ſepulta ſunt, ab vrbe Hieroſolyma quaſi milliariis quatuordecim diſtantia; venimus in vallem, vbi ſceleſtæ ciuitates Sodoma & Gomorra Dei iudicio ſubuerſæ ſunt.

IV. *De Mortuo Mari.*

IBI quidem lacus nunc eſt magnus, quem *Mare Mortuum* vocant, eò quòd nihil gignat. Longitudo quoque eius quingentorum & octoginta ſtadiorum in meridianam partem extenta, latitudine verò CL. patet. Qui adeò ſalſus eſt, vt nec beſtia quælibet, neque volucris ex eo bibere queat. Quod ego FVLCHERVS experimento didici, cùm in illum de mula mea deſcendens, & ori meo manu hauſtum immittens, guſtu probaui, & elleboro amariorem eſſe inueni. A parte Aquilonis flumen recipit Iordanicum, ab Auſtro verò nullum habet

A exitum: ſed neque flumen ex eo conceptum. Iuxta quem lacum extat ſimiliter 1100. ſalſus mons vnus ingens & excelſus: & idem ſal quaſi lapis natiuus, non tamen totus, ſed localiter glaciei ſimillimus. Demergi autem quis in profundum eius nec de induſtria facilè poteſt. Conicio bifariam locum illum ita eſſe ſalſiſſimum, & ex eo quòd montis ſalſuginem concipiens glutit, quem vnda marginalis indeſinenter lambit, & ex decurſione imbrium de monte ipſo in lacum fluentium, ſiue abyſſus in tantùm ſit concaua, vt mare magnum, quod eſt ſalſum, inuiſibili refluxu in eandem abyſſum ſub terra influat. Gyrato autem lacu à parte auſtrali, reperimus villam vnam ſitu gratiſſimam: & de fructibus palmarum, quos *dactilos* vocant, valde abundantem, quibus pro cibario placido tota die veſcebamur. De cereris rebus rarò ibi inuenimus. Aufugerant enim illinc incolæ loci Sarraceni iam de nobis per rumigerulos præſcij: exceptis aliquantis fuligine nigrioribus. quos vt algam maris ſumptos ibi dimiſimus. Illic inter arbores ceteras vidi quaſdam poma ferentes, de quibus cùm collegiſſem, ſcire volens cuius naturæ eſſent, inueni rupto cortice interiùs quaſi puluerem atrum, & indè inanem prodire fumum. Tunc Arabiæ montana ingreſſi ſumus, in quorum cauernis nocte illa ſequenti pauſauimus. Manè cùm montes aſcendiſſemus, inuenimus ſtatim villas, ſed omni bono vacuas. Nam aduentu noſtro in colle comperto, cum rebus ſuis in terræ cauernis ſe abſconderant. Quamobrem parum illic profecimus. Ideò iter noſtrum promptè aliàs extendimus, ductoribus noſtris ſemper

B præuiis. Tunc inuenimus vallem vnam de frugibus terræ cunctis vberrimam, in qua etiam Sanctus Moyſes Domino inſinuante virgâ bis ſilicem percuſſis, vnde fons viuus emanauit, qui nunc nihilominus quàm tunc fluit: adeò vt molendini ex eius riuuli curſu volubiles ad molendum fiant. In qua aqua meos adaquaui equos. Inuenimus inſuper in montis apice Monaſterium Sancti Aaron, vbi Moyſes & ipſe cum Deo loqui conſueuerant. Vnde multùm lætabamur, cùm loca tam ſancta & nobis incognita intuebamur. Et quoniam vltra vallem illam terra erat inuia, deſerta, & inculta, vlteriùs progredi noluimus. Sed per tres dies in valle illa bonis omnibus opima ocio habito, & iumentis noſtris refectis edulio, & quadrupedibus oneratis de ſtipendio neceſſario, horâ circiter ſecunda die in quarto cornu monente regio, recidiuum tramitem reſumere iuſſum eſt. Rediuimus ergo iuxta lacum aſpaltitem ſicut priùs iueramus, & per ſepulturas Patriarcharum memoratorum: deinde per Bethleem, & per ſepulturam Rachelis. Itaque die, quo ſolſtitium hiemale accidit, HIERVSALEM ſanè peruenimus. Et præparatis ornamentis quæ Regi competant coronando, pacificatóque DAIBERTO cum domno BALDVINO, & cum Canonicis ſancti Sepulchri aliquantis, quia viri ſenſati de hoc tractauerunt, ceſſauit contentio eorum.

ANNO ab Incarnatione Domini MCI. in Baſilica beatæ Mariæ apud Beth- 1101.

C leem die Natiuitatis Domini à Patriarcha memorato, vnà cum Epiſcopis, Cleróque ac populo aſſiſtentibus, in Regem honorificè ſub ſacra vnctione ſublimatus & coronatus eſt Rex BALDVINVS. Et quod fratri ſuo prædeceſſori non fecerant, quoniam noluit, & tunc laudatum à quibuſdam non fuit, huic ratione prudentiùs conſiderata fieri decreuerunt. Quid enim obeſt, inquiunt, ſi Chriſtus Dominus noſter in Hieruſalem tanquam ſceleſtus aliquis conuiciis dehoneſtatus, & ſpinis eſt coronatus, cùm etiam ad vltimum mortem pro nobis pertulit volens? Corona quidem illa quantum ad intellectum eorum non fuit honoris, nec regiæ dignitatis: immò ignominiæ & dedecoris. Sed quod illi truces ad improperium ei fecerunt, gratiâ Dei ad ſalutem noſtram & gloriam verſum eſt, Rex etiam contra iuſſa non præficitur. Nam iure & ſecundum Deum electus, benedictione autentica ſanctificatur & conſecratur. Qui cùm ſuſcepit regimen illud cum corona aurea, ſuſcepit quoque iuſtitiæ obtinendæ onus honeſtum, Cui iure, ſicut & Epiſcopo de Epiſcopatu, poteſt decenter obici: *Bonum opus deſiderat, qui Regnum deſiderat.* Quod ſi iure non regit, nec Rex eſt. In modernitate autem regiminis ſui adhuc paucarum vrbium poſſeſſor atque gentis, per idem tempus hiemale Regnum ſuum ab hoſtibus vndique ſtrenuè protexit. Et quia compererant eum bellatorem probiſſimum eſſe, quamuis gentem ha-

De ſubſtitutione Regis BALDVINI, & exiguitate ipſius Regni.

1101. beret taram, non tamen auſi ſunt eum aggredi. Quòd ſi militiam maiorem haberet, hoſtes ſuos libenter adiret. Adhuc erat via peregrinis noſtris ſatis impedita, qui interdum per mare tam Franci quàm Angli, ſiue Italici & Venetici, in vna tantùm naui, ſiue tribus aut quatuor, inter piratas hoſtiles, & ante ciuitates Sarracenorum velificantes, valde timidi vſque ad Ioppem Domino ducente perueniebant. Nullum enim alium in primis habebamus portum. Quos cùm de partibus noſtris Occidentalibus aduenisſe videremus, ex Tripoli ad eos quaſi ad Sanctos iocundi procedebamus. A quibus vnuſquiſque noſtrûm do natione ſua & parentela diligenter inquirebamus. Quibus de hoc intimabant prout ipſi ſapiebant. Tum de proſperitate audita lætabamur, de incommoditate autem triſtabamur. Hieroſolymam ibant, Sancta Sanctorum pro quo venerant viſitabant. Dehinc alij in Terra ſancta remanebant, alij verò in terram ſuam remeabant. Qua de re Terra Hieroſolymitana remanebat gente vacua, nec erat qui eam à Sarracenis defenderet, ſi tantummodò nos ipſi aggredi auderent. Sed quare non audebant? Tot populi, tot Regna, quare Regulum noſtrum & popellum inuadere metuebant? Cur de Egypto, de Perſida, de Meſopotamia, vel de Syria non coadunabant ſaltem centies centum millia pugnatorum, vt nos hoſtes eorum viriliter aggrederentur: & vt ſolent locuſtæ innumeræ meſſem in agello, nos omninò conſumerent, vt nec mentio de nobis in terra ab olim ſua vlteriùs fieret? Non enim tunc habebamus pluſquàm trecentos milites, & tantùm de peditibus, qui Hieruſalem, & Ioppem, & Ramulam, Caypham etiam caſtrum cuſtodiebant. Milites etiam noſtros vix adunare audebamus, cùm inſidias aliquas inimicis noſtris moliri volebamus: timentes ne interim munitionibus vacuatis damnum facerent. Vnde liquet omnibus, hoc eſſe miraculum valde mirabile, quòd inter tot millia millium viuebamus, etiámque dominantes eorum alios tributarios faciebamus, alios verò deprædando vel captiuando confundebamus. Sed vndè hæc probitas? vnde iſta potentia? Verè ab illo, cui nomen Omnipotens. Qui populi ſui pro nomine eius deſudantis non immemor, in neceſſitatibus ſuis piè ei auxilium impendebat. qui in nullo alio, niſi in eo ſolo, confidebat. Quem ipſe Deus aliquando mercedula temporali lætificabat, in futuro autem æterna gloria remunerare promittebat. O tempora recordationis digniſſima! Sæpe quidem contriſtabamur, cùm de tranſmarinis amicis noſtris nullum auxilium habere poteramus. Verebamur enim ne inimici noſtri paucitatem gentis noſtræ comperientes aliquando, accurſu ſubitaneo nos vndique impeterent, vbi nullus niſi ſolus Deus nobis opem ferret. Quibus nihil vtile deeſſet, ſi tantummodò gens & equi non deeſſent: & qui per pelagus Hieruſalem veniebant, equos ſecum adducere nequibant. Per terram verò nemo nobis ſubueniebat. Nec Antiocheni nobis, nec nos illis ſuccurrere valebamus.

A B

VI. *De ſubſtitutione* TANCREDI *apud Antiochiā.*

Eo tempore contigit Martio in menſe TANCREDVM Caypham oppidum ſuum, quod poſſidebat, Tyberiadem quoque BALDVINO Regi relinquere, & Antiochiam cum ſuis per terram ambulare. Miſerant enim ad eum Legatos ſuos Antiocheni, dicentes: Ne morêris, ſed veni ad nos, & dominans omnium noſtrûm poſſide Antiochiam, & terram illi ſubditam: quoaduſque de captiuitate exeat domnus BOAMVNDVS dominus noſter, & tuus. Tu enim es propinquus eius, miléſque probiſſimus & prudens, nobíſque potentior. Tu quidem noſtram Terram meliùs quàm nos obtinere valebis. Si quando, Deo volente, domnus Boamundus redierit, erit indè quod ius monſtrabit. Sic mandatum eſt, & ſic factum eſt. C

VII. *De obſidione caſtri Arſuth, & eius captione.*

APVD portum Laodicenſem per idem brumale tempus ſtolus nauium roſtratarum Ianuenſium, & Italorum, hiemauerat. Qui cùm viderent vernum tempus ad nauigandum aptum & tranquillum, vento proſpero vſque Ioppem nauigauerunt. Et cùm portui applicuiſſent, gaudenter à Rege ſuſcepti ſunt. Et quia prope erat Paſcha, cuius ſolemnitatem ex more cuncti qui poſſunt celebrant, nauibus ſuis ad terram tractis, Hieruſalem cum Rege perrexerunt. Peracta autem ſolemnitate Paſchali, vbi conturbati ſunt omnes propter ignem, quem die Sabbati non habuimus ad Sepulchrum Domini, profectus eſt Rex

A Ioppem. Et facta conuentione cum Conſulibus prædictæ claſſis, vt quamdiu in 1101.
Terra ſancta ob amorem Dei morari vellent, ſi Deo concedente & iuuante in-
terim de ciuitatibus Sarracenorum aliquam comprehendere cum eodem Rege
poſſent, tertiam pecuniæ partem hoſtibus internis ablatam, nulla iniuriâ Ianuen-
ſibus facta, communiter haberent, Rex autem primam & ſecundam: vicum in-
ſuper vnum in eadem ciuitate ſic capta iure perpetuo poſſiderent & heredita-
rio. Quod cùm fidei nexu interpoſitæ ab vtraque parte firmatum fuiſſet, indi-
latè oppidum illud, quod vocatur *Arſuth*, tam per mare quàm per terram ob-
ſederunt. Sed cùm inhabitatores Sarraceni ſentirent nullomodo ſe poſſe defen-
di à Chriſtianis: prolocutione apud Regem callidè facta, die tertia muros Re-
gi reddiderunt. pecuniam autem ſuam exeuntes detulerunt. Quos Aſcalonem
abeuntes Rex conuiari triſtiſſimos fecit. Indè nos læti gratias Deo egimus, eò
quòd ſine occaſione noſtrorum hominum hanc munitionem nobis tam aduerſa-
riam comprehenderamus. Quod caſtrum à Salomone conditum, Francis valdè
moleſtum, Dux GODEFRIDVS in anno præterito obſederat, nec ceperat.
Cuius etiam inhabitatores perſæpè de noſtris occiderant plures, vel reddiderant
triſtes. Iam tamen Franci cominus comprehenderant muri propugnacula, cùm
fortè lignea turris forinſecus muro adiuncta, præ multitudine in eam aſcenden-
tium, fruſtratim corruit. vnde fermè centum Franci de ea cadentes inſanabiliter
B ſunt læſi. Ibi aliquantos Francos Sarraceni tunc retinuerunt, quos in conſpectu
omnium in cruce appenderunt, & ſagittis ſagittauerunt. Quoſdam occiderunt,
quoſdam viuos viliter apud ſe detinuerunt.

CVMQVE Rex Arſuth prout opus erat de gente ſua muniſſet, CESAREAM VIII.
vrbem Paleſtinorum adiit, & obſidione coronauit. ſed quia erat muro valde for- *Quomodo*
tis, non potuit citò capi. Iuſſit ergo tunc tres petrarias fieri, & machinam vnam *Ceſarea ciuitas capta*
ligneam altiſſimam, de malis & remigibus nauium fabrefactam. Hanc, vt reor, *ſit.*
artifices noſtri muro altiorem longitudine xx. cubitorum erexerunt, vt cùm ad
vſque murum duceretur, hoſtes internos de ea milites noſtri lapidarent & ſa-
gittarent: vt cùm murum de Sarracenis ſic euacuarent, ingreſſum liberum homi-
nes noſtri haberent, & vrbem comprehenderent. Sed cùm per xv. dies obſidio-
nem tenuiſſent, & cum petrariis arces muri ſuperiores aliquantiſper læſiſſent, nec-
dum turris lignea eſſet penitus compacta: moram eis faſtidientibus, noluit diu-
tiùs Francorum probitas prolongare, quin abſque machina prædicta, & ceteris
ſupplementis, die quadam Veneris ciuitatem auſu mirifico eum ſcutis & lanceis
appeterent. Sarraceni verò, prout fortiùs valebant, ſe defendebant, mutuò co-
hortantes. Franci autem, quorum Dominus erat Deus, erectis non lentè ſcalis,
quas ad id opus iam præparauerant, per eas muri faſtigium aſcenderunt, & quos
ſibi tunc obuios inuenerunt gladiis illicò peremerunt. Quod cùm Sarraceni gen-
tem noſtram ſic efferatam, & vrbem iam ab eis captam viderent: vbi diutiùs viue-
C re potuerunt, illuc perproperè fugerunt. Sed nec hîc, nec illic deliteſcere potue-
runt, quin morte promerita trucidarentur. Pauci quidem de maſculino ſexu vi-
tæ reſeruati ſunt. Feminis quampluribus pepercerunt, vt molas manuales volui-
turæ ſemper ancillarentur. Quas cùm cepiſſent, alij aliis tam pulchros quàm tur-
pes inuicem vendebant & emebant. maſculos quoque. Admiratum ipſius vrbis,
& Epiſcopum, quem Archadium prænominant, Rex viuos habuit. quibus plus
pro pecunia quàm pro amicitia pepercit. Quot vtenſilia multiformia ibi ſunt in-
uenta, non eſt dicendi facultas. vnde multi pauperes effecti ſunt locupletes. Vi-
di de Sarracenis plurimos ibi peremptos aceruo de illis facto, ignibus concremari,
quorum cadauerum nimius fœtor nos valde moleſtabat. Fiebat hoc biſantiorum
inueniendorum gratiâ, quos ibi improbi tranſglutiuerant: nolentes vt de ſuo ali-
quid Franci haberent, quos quidam eorum in oribus ſuis iuxta gingiuas abſcon-
debant. Vnde aliquando contingebat, cùm quis noſtrûm ſuper collum alicuius
Sarraceni pugno feriebat, vt x. aut xvi. biſancios ab ore foras excuteret. Femi-
næ quoque impudenter intra ſe biſancios occultabant. quod & nefas erat ſic re-
condendum, & multò turpiùs mihi ad recitandum.

Annus millenus centenus erat, ſed & vnus,
Cùm nos Ceſaream cum ſcalis cepimus vrbem. Vel
Cùm Stratonis turrem ſic dictam cepimus vrbem.

1101.

IX.

Quod in Ceſarea Epiſcopus ſit ordinatus.

E T cùm de Ceſarea, & de his omnibus quæ in ea repperimus, vna cum lanuenſibus prout libuit egiſſemus, & Archiepiſcopum communiter electum ibi præfeciſſemus: relictis ad custodiendum vrbem paucis, feſtinauimus ire Ramulam ciuitatem, quæ eſt prope Liddam. Vbi per xxiv. dies expectauimus bellum ab Aſcalonitis & Babylonicis contra nos fieri, ob id illic congregatis. Sed quia gens eramus rara, contra eos ire metuentes, non iuimus, ne ſi forte Aſcalonæ eis appareremus, intra mœnia & aggeres ſuos recurſu continuo nos interceptos interimerent. Propterea venire contra nos nolebant, quia ſic euenire putabant. Quorum calliditate comperta, tamdiu calliditatem eorum callidiùs callentes calluimus, vſque animis eorum pauore marceſcentibus, aduerſum nos venire penitus dimiſerunt. Vnde multi moram faſtiditi, & egeſtate preſſi, ab exercitu ſuo diſceſſerunt. Quo audito, Ioppem regreſſi ſumus, & laudes Deo dedimus, eò quòd à congreſſu eorum liberi ſic facti eramus. A

X.

De prælio ſatis cruento Chriſtianorū atque Turcorum, in quo Chriſtiani vicerunt.

S E D cùm poſtea auribus ad eos ſemper intentis, per LXX. dies quieti ſuſtinuiſſemus, intimatum eſt Regi aduerſarios noſtros animoſitate iterata commoueri, etiam nos appetere parari. Hoc autem audito, fecit Rex gentem ſuam promptè congregari: de Hieroſolyma videlicet, & Tiberiade, Ceſarea quoque, & Caypha. Et quia neceſſitas nos vrgebat, pro eo quòd militum eramus egentes: monente Rege, quicumque potuit de armigero ſuo militem fecit. Itaque milites noſtri omnes CCLX. tantummodo fuerunt, pedites verò DCCCC. Qui autem contra nos, XI. millia militum, & XXI. millia peditum ſimul erant. Hoc quidem ſciebamus. ſed quia Deum nobiſcum habebamus, eos aggredi non formidauimus. Nec enim in armis, nec in gente multa confidebamus. ſed in Domino Deo ſpem noſtram omninò poſueramus. Magna audacitas. ſed non audacitas erat, immò fides & caritas. Quoniam pro amore illius ſperabamus diligenter mori, qui pro nobis miſericorditer morte dignatus eſt mori. Iuimus ad pugnam, vel mortem fortè paratam. Illuc fecit Rex portari Dominicæ Crucis ſignum, quod nobis præbuit ſalutare ſolatium. Die quodam de Ioppe exiuimus, ſequenti verò contra eos bellauimus. Cúmque ad eos appropinquaſſemus, & illi ad nos ſimiliter nobis ignorantibus: & cùm ſpeculatores eorum de ſpecula noſtra proſpexiſſemus, ſubſequentiam ceterorum ſtatim intelleximus. Et cùm Rex cum quibuſdam de ſuis vlteriùs progrederetur, proſpectans à longè vidit tentoria eorum extenſa in planis candeſcere. Quibus viſis, mox equo calcaribus puncto, ad nos poſtremò cucurrit, & quod viderat cunctis manifeſtauit. Vndè exultare cœpimus, cùm bellum fore didicimus: quoniam id fieri deſiderabamus. Si enim ad nos non venirent, nos vtique ad eos iremus. Melius enim erat nobis in planis vaſtis prœliari: vt cùm ſuperati eſſent, Domino ſuffragante, longior eis fuga fieret. Vndè in fuga maius haberent detrimentum, quàm ſi prope muros eorum cum eis congrederemur. Tunc iuſſit Rex arma ſumi. & armatis cunctis, acies noſtræ decenter ad bellandum ordinatæ ſunt. Itaque nos in manus Dei fidenter committentes, aduerſùs eos equitauimus. Abbas quidam, cui Rex præceperat, Crucem Dominicam palam cunctis geſtauit. Tunc Rex milites ſuos his verbis piè affatus eſt: Eia milites Chriſti, confortamini, nihil metuentes. Viriliter agite, & in hoc prœlio fortes eſtote, & pro animabus noſtris, quæſo, pugnate, & nomen Chriſti omninò exaltate. cui degeneres iſti ſemper exprobrant, & viriliter conuitiantur. Natiuitatem eius & Reſurrectionem non credunt. Quòd ſi hîc interieritis, beati nimirum eritis. Iam iámque aperta eſt vobis ianua regni cœleſtis. Si viui victores remanſeritis, inter omnes Chriſtianos glorioſi fulgebitis. ſi autem fugere volueritis, Francia equidem longè eſt à vobis. His ita dictis, omnes ei aſſenſerunt. Ad pugnam properant, cunctos mora longa moleſtat. Quem feriat, vel præcipitet, iam omnis cogitat. Et ecce gens deteſtanda nobis occurrens, dextra leuáque vehementer in nos irruit. Gens quoque noſtra, licèt pauciſſima, per ſex acies diuiſa, ſicut ſolent aucupes in multitudine auium, ita inter cohortes eorum ingentes, ADIVVA DEVS exclamantes, ſe inſeruerunt. Quorum multitudo in tantum nos illicò obtexit, vt alius alium vel cernere vel cognoſcere poſſet. Iámque repulerant, iámque quaſſauerant duas anteriores acies noſtras: cùm huic negocio intuitus feſtinantiſſimè Rex à parte poſtrema ſubuenit. Vbi enim virtutem hoſtium validiorem eſſe ſpectauit, & cognouit, accelerato curſu cum ſcara ſua, im-

A petui nefandorum viriliter ſe obdidit, & coram potentiotibus eorum haſta vibra- 1101.
ta, in qua ſignum pendebat album, ictu lanceæ percuſſit Arabem vnum ſibi ob-
uium: in cuius omento cùm ad terram de ſonipede illum præcipitaret, idem ſi-
gnum memoratum remanſit. Lanceam autem indè extorſam, ſicut ipſe propiùs
aſtans cernebam, ad lædendum alios promptè detulit. Hinc iſti, hinc illi fortiter
pugnabant. Videretis vtique horæ ſpacio non modico multos equos ſeſſoribus
vacuos. Videbamus terram nimis occupatam de ſcutis vel pectis, de pugionibus
& pharetris, arcubus & ſagittis, de Sarracenis & Ethiopibus tam mortuis, quàm
morti vulneratis. Similiter de Francis, ſed non de tantis. Aderat ibi Crux Do-
minica inimicis Chriſti valde contraria. contra quam gratiâ Dei pompa eorum
præualere non potuit. Sed acſi præſentia eius verecundi effecti, non ſolùm nos
inuadere ceſſauerunt: verùm etiam pauore cœlitus percuſſi omnes, in fugam ce-
lerem ſuam verterunt ſententiam. Qui tunc habuerunt equum volucrem, fu-
giendo euaſerunt mortem. Tædium erat colligere tot ſcuta, tot miſſilia, tot ar-
cus & ſagittas, quæ in campis fugitiui iecerant. Tot corpora, quæ ibi iacebant
exanimata, ſi quis vellet ea dinumerare, deficeret vtique in computatione. Fer-
tur tamen quinque millia ex eiſdem militibus & peditibus ibi peremptos fuiſſe.
Dux etiam Babylonenſis militiæ, qui eam ad bellandum adduxerat, cum ceteris
interiit. De noſtris verò militibus LXXX. perdidimus, de peditibus verò ampliùs.
B Probiſſimè illo die Rex ſe habuit. Optimus conſolator, rigidus percuſſor exritit.
Milites quoque ſui, quamuis eſſent pauci, erant probiſſimi. Certamen illud non
diu fuit anceps. Illi enim tempeſtiuè fugerunt, hi verò promptè eos fugaue-
runt.

O BELLVM inſontibus odioſum, & intuentibus perhorridum! Bellum, quia XI.
non bellum. nam per antifraſim eſt dictum. Bellum cernebam, mente nutabam, *Quanti de*
ictus timebam. Omnes in ferrum ruebant, ac ſi mortem nunquam timerent. Di- *Chriſtianis*
ra calamitas, vbi nulla caritas. Fragor erat nimius de mutuis vtrobique percuſſio- *ibi corrue-*
nibus. Hic percutit, ille corruit. Hic neſcit miſericordiam, nec ille quærit eam. *runt.*
Hic perdit pugnum, ille verò oculum. Mens refugit humana, vbi talis cernitur
miſeria. Mirabile quidem dictu! in capite vicimus. in cauda verò ſuperati ſumus.
In cauda Chriſtiani ruunt, in capite autem Sarracenos vincunt. Hos fugauimus
vſque Aſcalonem, illi autem peremptis noſtris mox equitauerunt vſque Ioppem.
Itaque die illo nullus rei ſciuit exitum. Cúmque tam occidendo quàm fugando
Rex & ſui campos de eis euacuaſſent, iuſſum eſt vt in eorumdem tentoriis, quæ
fugitiui reliquerant nocte illa, quieſceremus. Iuſſum eſt, & factum eſt.

Septenas Idus Septembris cùm legeretur,
Fecimus hoc bellum dignum ſatis ad recitandum,
Et fuit adiutrix diuina gratia Francis.

SEQVENTI autem die, cùm in papilione Regis Miſſam audiſſemus de Nati- XII.
C uitate almæ Virginis MARIÆ, vnde ſolemnitas erat in illa die, oneratis iumen- *De ſorte va-*
tis noſtris de rebus hoſtium noſtrorum, de pane ſcilicet, & annona, farináque, *ria prælij*
necnon tabernaculis eorum; præceptum eſt moeore ſalpiſta Ioppem regredi. *huius.*
Qui cùm regrederemur, & *Azotum* quinram vrbem Philiſtinorom nunc deſer-
tam tranſiuimus, *Ibenium* quam modò vocant: obuios nobis aſpeximus Arabes
ferè quingentos, à Ioppe reuertentes. Qui die belli cucurrerant illuc, & prædam
quam forinſecus inuenerant arripuerant. Nam cùm cædem de peditibus noſtris
in poſtrema parte feciſſent magnam, & in dextro cornu vnam aciem penitus con-
ſumpſiſſent, & anteriores ſicut poſtremos victos eſſe crederent: aſſumptis occiſo-
rum ſcutis & lanceis, atque galeis lucidis, de quibus ſe pompaticè ornauerant,
properantes ſtatim vſque Ioppem, monſtrauerant arma noſtra Ioppitis: dicentes
Regem & omnes ſuos in bello eſſe peremptos. Quod cùm audiſſent qui in Ioppe
cuſtodes remanſerant, quia veri erat ſimile, admirantes valde exterriti ſunt. &
dictis eorum fidem adhibuerunt. Arabes autem illi cùm putaſſent ab exterritis ci-
uibus vrbem illicò ſibi reddi, cogitationibus ſuis adnihilatis, nihil ibi ampliùs pro-
ficientes, Aſcalonem regredi cœperunt. Qui cùm nos regredientes ad Ioppem
perſpexiſſent, ſuſpicati ſunt nos eſſe de gente ſua: qui nobis omnibus in prœlio
occiſis, reliquos Chriſtianos verſus Ioppem conuerſantes appetere vellent. Vn-
de valdè mirabamur, cùm tantùm nobis appropiabant: nec Francos nos eſſe co-

1101. gnoſcebant, donec milites noſtros cita inuaſione aggredi eos viderent. Tunc vi- A
derctis celerrimè eos huc illúcque fugere, vt nec alius alium expectare vellet. & qui equum tunc non habuit agilem, caput mox gladio ſubegit. Sed quia Franci valdè fuerant fatigati, & in prœlio plures vulnerati, non potuerunt eos ſequi. Illi ſic abierunt, nos verò Ioppem læti peruenimus.

XIII. *De Ioppitarum miſſa legatione ad Tancredum Principem Antiochæ.*

QVANTA putatis fuit exultatio, & gratiarum actio, cùm de muri ſummo nos erectis vexillis reuertentes cernerent, quos in Ioppe remanere feceramus? Certè non eſt dictu minimum. Accurrerant enim illic duo nugigeruli alter poſt alterum, qui Ioppitas fefellerant, dicentes: quoniam Rex mortuus eſt cum ſuis omnibus. Qua de re vltrà quàm credi poteſt contriſtati, opinantes hoc eſſe verum, miſerunt TANCREDO legationem, qui tunc Antiochiæ principabatur, in cartula ſcriptam: quam detulit nauta quidam carinam ſuam aſcendens; hoc tractante Regis coniuge. Epiſtola quidem illa hæc verba continebat ſalutifera. TANCREDE *vir præcipue, miléſque quàm optime, accipe hanc ſcedulam, quam tibi qui Ioppem inhabitant, Regina ſcilicet & vrbis pauci ciues, per me legatum feſtinum mittunt. Et vt magis forſan ſcripturæ huic credas, quàm mihi, perlegi fac eam. Quoniam, pro dolor! Rex Hieroſolymorum, qui contra Babilonios & Aſcalonitas pugnam commiſit, in congreſſu illorum deuictus, vel forſitan cum ſuis omnibus, quos ſecum ad bellum perduxit, occiſus eſt. Nam qui calamitatis huius miſeriam vix euaſit, Ioppem fugiens, hoc nobis deprompſit. Quapropter ad te virum non imprudentem venio legatus, opem quæritans: vt omni occaſione remota, indilatè ſuccurrere nitaris genti Dei valde anxiæ, & vt reor metæ vitæ iam proximæ.* Hoc dixit. Ille obaudiens parumper ſiluit. Sed cùm hoc B
verum eſſe crederet quod audierat, præ grandi triſtitia & dolore tam ipſe, quàm omnes alij qui aderant, lacrimari piè cœperunt. Et reſponſione legato facta, iuſſus eſt fieri apparatus per totam Terram ſuam ad ſuccurrendum Hieroſolymitanis. Et cùm iam parati eſſent ad illud iter agendum, ecce ſubitò venit breuigerulus alter, ſcedulam deferens alteram priori diſſimilem, quam Tancredo porrexit. Nam quod de incommodo ſcriptum erat in priori, hoc de proſperitate repertum eſt in poſteriori. Lectum enim hîc eſt, Regem de bello ſanum Ioppem remeaſſe, & Sarracenos proculdubiò magnificè ſuperaſſe. Tunc ergo qui de detrimento doluerant, de bono ſucceſſu gauiſi ſunt. O mira Dei clementia! Non in multitudine gentis vicimus, ſed diuina freti virtute eos diſperſimus. Itaque ab hoſtibus ſic erepti, Hieroſolymam euntes Deo reddidimus laudes. Deinde per VIII. menſes bellorum quieuimus immunes, donec anni reuolutio tempus reduxit æſtiuum.

1102. XIV. *De exercitu Babilonico contra Chriſtianos coadunato.*

ANNO autem ſequenti MCII. mediante Maio congregati ſunt apud Aſcalonem Babilonij, quos Rex eorum huc miſerat, vt nos Chriſtianos omninò deſtruere niterentur. Erant enim ibi XX. millia equitum, & X. millia peditum: exceptis clitellariis, qui camelos aſinóſque victualibus onuſtos minabant, geſtantes in manibus ad pugnandum clauam & miſſilia ſua. Hi quidem die quodam vrbem C
Ramulam adierunt, & ante eam tabernacula ſua extenderunt. Porrò in vna ciuitatis arce munita erant XV. milites, quos Rex ibi cuſtodes poſuerat: ante quam Syri quidam ruriculæ verſabantur quaſi ſuburbani. Hos quidem Chriſtianos Sarraceni perſæpè nocentes & deturbantes deſtruere conabantur, & arcem illam diruere: quia propter eos inhabitantes non poterant per plana illa liberè diſcurrere. Inſuper eiuſdem vrbis Epiſcopum, qui in Eccleſia Sancti Georgij manebat cum clientela ſua, comprehendere moliebantur. Quod Monaſterium cùm die quodam incurſu maliuolo circuiſſent, conſiderata loci firmitate, *Ramatha* redierunt. Epiſcopus autem ille cùm fumos flammáſque inſpexiſſet, ignibus eorum accenſis iam in culmis, timuit ne ab eis ad cum remeantibus obſideretur. Et præcauens in futurum, mandauit confeſtim Regi, qui in Ioppe inerat, vt ei feſtinanter ſuccurreret: quoniam Babilonij ante Ramulam hoſpitati erant, de quibus cohors vna iam circa Monaſterium ſuum irruentes eucurrerant. Quod cùm audiſſet Rex, ſumptis armis ſuis equum aſcendit concitus. quem militia eius, ipſo iubente, & cornu regio monente, citiſſimè ſecuta eſt. Aderant tunc in Ioppe milites quamplurimi, qui ventum præſtolantes oportunum, in Franciam rediturí tranſfretare optabant. Hi equidem equis carebant, quoniam in anno præterito cùm per Romaniam peregrè Hieroſolymam pergebant, equos ſuos & om-

A nia quæ habebant amiſerant. vnde mentio hîc non incongruè interſerenda eſt. 1102.

XV.

De ſecunda Francorum miſerabili peregrinatione, & de morte Hugonis Magni.

Cvm Francorum exercitus ingens, vt dictum eſt, Hieruſalem tenderet, aderant in illa multitudine ſimul VVillelmvs Pictauenſium Comes, & Stephanvs Comes Bleſenſis, qui ab Antiochia relicto exercitu diſceſſerat. ſed quod tunc reliquerat, nunc reſtaurare ſatagebat. Cum his Hvgo Magnvs erat, qui poſt Antiochiam captam in Gallias repedauerat. Aderat cum his Raimvndvs Comes Prouincialium, qui apud Conſtantinopolim moratus erat, poſtquam de Hieruſalem huc vſque regreſſus fuerat. Aderat quoque Stephanvs Burgundiæ Comes nobilis, adiecto populo innumero, de equitibus & peditibus exercitu bipartito. His in Romaniæ finibus obſtitit Soliman Turcus, cui iamdiu Franci Niceam vrbem abſtulerant. Sed detrimenti ſui non immemor, cum multitudine Turcorum magna exercitum Francorum infeliciter diſperſit, & confudit, & totum ferè ad interitum aduexit. Sed quia Domino prouidente cateruatim per plures incedebant vias, nec contra omnes dimicare, nec omnes occidere potuit. Sed quia eos fatigatos, & fame & ſiti anxios, atque pugnæ ſagittariæ indoctos eſſe didicit, magis quàm centum millia equitum atque peditum gladio peremit. De mulieribus nempe alios occidit, alios ſecum adduxit. Multi verò per deuia fugientes & montana, ſiti & anguſtia extincti ſunt. Quorum equos & mulos, iumenta quoque & ornamenta multiformia Turci habuerunt. Illic perdidit.
B Comes Pictauenſis quæcumque habebat, familiam atque pecuniam ſuam. Vix etiam mortem euadens, pedes tantùm, & præ miſeria lugubris & confuſus, Antiochiam peruenit. Cuius anxietati Tancradvs compatiens, eum piè ſuſcepit, & de bonis ſuis ſubleuauit. Quem Dominus ita caſtigans caſtigauit, ſed morti non tradidit. Hoc quippe, vt nobis videbatur, tam illi quàm ceteris propter peccata eorum & ſuperbiam contigit. Qui autem euaſerunt, Hiervsalem venire non diſtulerunt: excepto Hvgone Magno, quem in Tharſo Ciliciæ defunctum ſepelierunt. Qui cùm Antiochiam perueniſſent, alij per mare, alij verò per terram Hieruſalem perrexerunt. Qui equum habere potuerunt, libentiùs per terram iuerunt.

XVI.

De captione Tortoſæ vrbis.

Cvmqve vſque Tortoſam veniſſent, quam Sarraceni tunc poſſidebant, non tardauerunt, ſed per mare & per terram aſſilierunt. Quid morabor? vrbem ceperunt, Sarracenos occiderunt, pecuniam eorum habuerunt, & poſtea iter ſuum carpere non deſierunt. Sed moleſtum omnibus fuit, cùm Raimundum Comitem ibi remanere viderunt. quem omnes Hieruſalem ſecum iturum ſperabant. Sed quia noluit, ibi remanſit, vrbem obtinuit, vnde blaſphemiam ei inferebant. Vlcera deindè progredientes, tranſierunt Archas, & vrbem Tripplim, Gibellúmque. Indè venerunt ad meatum callis anguſtum, prope vrbem Berithum. Illic eos Rex Baldvinvs per x. & viii. dies expectauerat, cuſtodiens interim viam illam, ne fortè Sarraceni occuparent, & peregrinis tranſitum vetarent. Ipſe enim
C Rex legationem indè precatoriam habuerat ab exercitu illò veniente. Cúmque Regem ſibi obuiam illic inueniſſent, congratulati ſunt valde, & oſculis ad inuicem datis Ioppem profecti ſunt. vbi iam applicuerant qui per mare ierant.

XVII.

De miſerabili prælio Chriſtianorum atque Turcorum: in quo Chriſtiani occiſi, Turci victores fuerunt.

Prope erat Paſcha, & Hieruſalem tunc adierunt, quia hoc deſiderabant. Qui poſtquàm ſolemnitatem ibi vt mos eſt peregiſſent, Ioppem regreſſi ſunt. Tunc quoniam inops erat Comes Pictauenſis, & deſolatus omnimoda egeſtate, nauim cum paucis aſcendens Franciam repatriauit. Tunc Stephanus Bleſenſis cum aliis pluribus tranſfretare voluit. ſed in pelago vento ei obſtante, nihil aliud quàm reuerti potuit. Qui tunc in Ioppe iam de mari regreſſus erat, cùm Rex in equum ſuum, vt dictum eſt ſuperiùs, aſcendit: contra hoſtes iturus, qui ante Ramulam ſedebant. Adhuc inibi erat Gavfridvs Comes quidam Vendonienſium, & Stephanus Comes Burgundiæ, & Hvgo Lziniacensis frater Raimundi Comitis. Hi cùm equos ab amicis ſuis & cognatis quærerentes mutuati eſſent, mox in eos conſcendentes Regem ſecuti ſunt. Hoc ſiquidem in modeſtia Regis magna fuit, qui gentem ſuam expectare neglexit: nec ordinatè, ſicut oportet ſapienter ire, ad bellum proceſſit. Sed abſque peditibus milites ſuos expectans, accelerauit hoſtes appetere, donec ignoranter intra multitudinem Arabum ſe infixerit. Et quia in probitate ſua plus quàm deberet confidebat, nec plures eſſe quàm mille vel ſeptingentos ſperabat; ideò ſic properabat, vt antequàm re-

1102. fugerent obuius illis veniret. Sed cùm exercitum eorum ſubitò intuitus eſſet, timore perterritus animo infremuit. attamen conſolationis valitudinem aſſumens, A
» reſpexit ſuos. quos piè alloquens, ait: O milites Chriſti, & amici mei, nolite bel-
» lum hoc reſpuere: ſed armati Dei virtute, pro vobiſmetipſis viriliter pugnate.
» Nam ſiue viuimus, ſiue morimur, Domini ſumus. Quòd ſi quis fugere tentaue-
» rit, iam non eſt ſpes euadendi. Pugnando vincetis, fugiendo cadetis. Tunc autem, quoniam locus & tempus erat monſtrandi probitatem, repentè in Arabes forti impetu ſe impegerunt. Et quia non erant noſtri pluſquàm cc. milites, à xx. millibus circumplexi ſunt. Qui cùm à preſſura gentilium grauiſſimè cohiberentur, & maior pars noſtrorum minimæ horæ ſpacio perempta occidiſſet: onus huiuſmodi ferre nequiuerunt, quin reſidui in fugam verterentur. ſed licèt tam malè eis acciderit, priùs in eos probiſſimè vlti ſunt. Nam plures ex eis occiderunt, & de campis eiectos tabernaculis ſuis priuauerunt. Denique Deo permittente, à ſuperatis ſuperati ſunt. Euaſit autem Rex gratiâ Dei, & nobiliores militiæ ſuæ aliquanti: qui curſu citò in vrbem Ramulam ſe intruſerunt. Non enim longiùs fugere potuerunt.

XVIII. *De fuga Regis* BALDVINI. REX autem cùm nollet ſe ibi includi, mallens alibi mori, quàm ibi viliter intercipi, accepto protinus conſilio, committens ſe tam morti quàm vitæ, foras exire conatus eſt. Et adhibitis ſibi tantummodo quinque collegis, quos tamen non diu habuit, quoniam ab aduerſariis retenti ſunt, curſu præpetis equi montana fugiens petiit. Itaque Dominus eum de manibus inimicorum ſuorum fortiorum eripuit. Qui libenter tunc Arſuth proficiſceretur, ſi poſſet. ſed hoſtibus ei obſiſtentibus, illuc ire nequiuit. Hi etiam, qui in vrbe Ramulenſi remanſerant, poſtmodum extra oſtium exire non potuerunt. Ab impia enim gente vndique obſeſſi, denique, proh dolor! ab eiſdem ſunt comprehenſi. Quorum quoſdam occiderunt, quoſdam verò ſecum viuos abduxerunt. Epiſcopus autem cùm in Eccleſia S. Georgij hoc infortunium contingi audiſſet, Ioppem furtiuè aufugit. Heu! quàm nobiles & probos milites ea tempeſtate amiſimus, tam in bello priùs, quàm in turre iam dicta poſteriùs! Occiſus eſt enim STEPHANVS Bleſenſis Comes, vir prudens & nobilis: Stephanúſque alter Burgundiæ Comes. Extorſerunt ſe indè tres milites, qui plagis & ictibus vehementer afflicti, curſu fugitiuo Hieruſalem nocte ſequenti equitauerunt. Qui vrbem ingreſſi, infortunium quod acciderat ciuibus propalauerunt. De Rege autem, ſiue viueret, ſiue mortuus eſſet, nihil ſe veri ſcire dixerunt. Vnde ſtatim luctus non minimus eſt ortus. B

XIX. *Quòd Rex ingreſſus eſt Arſuth.* REX autem cùm nocte ſequenti pro timore Arabum in montanis delituiſſet, die tertio cum vno tantum milite & armigero eius de montanis egreſſus, tanquam quilibet incognitus erroneus, per deuia deſertorum eſuriens & ſitiens, Arſuth oppidum ſuum eſt ingreſſus. Vna quidem res illa saluti fuit, quòd paulò ante illinc receſſerant quingenti hoſtiles milites, qui aliquandiu murum oppidi quaſi exploratores circuierant. Quos nequaquam euaſiſſet, ſi ab eis viſus eſſet. Ingrediente autem Rege Arſuth, gaudenter à ſuis ſuſcipitur. Comedit & bibit, & tutatus dormiuit. hoc enim humanitas deſiderabat. C

XX. *Quòd Hugo de Tyberiade, atque Patriarcha Hieroſolymitanus, in auxilium Regis properauerunt: & de bello peracto Chriſtianis viribus virtute & auxilio ſanctæ Crucis.* IPSO die ecce HVGO de Tyberiade ciuitate veniens, vnus de Optimatibus Regis, qui iam confuſione eius audita ſolatium aliquod genti reſiduæ impendere optabat. Quo viſo, lætatus eſt Rex valde. Habebat enim ſecum octoginta milites, quibus opus erat negocio imminenti. Legatione à Hieroſolymis habita, ſubuenire Ioppitis accelerabat. ſed non eſt auſus Rex ducere per terram propter hoſtes viatoribus inſidiantes. ſed intrans in vnam cimbam nauigauit Ioppem. Et cùm applicuiſſet portui, cum gaudio magno ſuſceptus eſt. quia iuxta illud Euangelij, mortuus fuerat & reuixit, perierat & inuentus eſt. Et quem mortuum iam deplorabant, nunc viuum & ſanum vident. Sequenti verò die egreſſus eſt Hugo prædictus de Arſuth, & Ioppem pauidus properauit. Cui Rex in adiutorium properauit, ne ab hoſtibus in via oppugnaretur. Cúmque Ioppem perueniſſet, conſilio non diutiùs prolongato, Regem monuit neceſſitas, vt illos, qui Hieruſalem & apud Sanctum Abraham ierant, mandando venire Ioppem faceret: vt bellum item cum Arabibus committeret, qui Ioppem machinabantur comprehendere, prope hoſpitati. Dum autem meditaretur, quem illuc legatum mitteret, vidit ibi quendam Syrum hominem humilem, & habitu vilem: quem obnixè precatus eſt,

A vt pro Dei amore hanc legationem facturus ſuſciperet. quia non inueniebat qui 1102.
eam explere valeret. Non enim audebat per viam gradi quiſpiam propter hoſtiles inſidias. Is autem ſuſcepta ex Deo audacia, nocte ſub opaca, ne ab inimicis videretur, per inuia & loca ſatis aſpera incedere non differens, die tertio feſſus valde Hieruſalem peruenit. Cúmque rumorem deſiderabilem de Rege ciuibus innoteſceret, & viuum eum declararunt eſſe: Domino omnes debitas indè referunt laudes. Nec mora longior fuit. ſcripto quod tulerat lecto, parati ſunt illicò milites quot ibi reperiri potuerunt. Nonaginta, vt reor, tam de militibus, quàm de illis qui equos habere vel iumenta potuerunt. ſed quamuis voluntariè, tamen ſatis timidè aſcendentes, illuc ire non diſtulerunt. Hoſtium quidem ſubſiſtentium inſidias pro poſſe vitantes, & per deuia euntes, à parte Arſuth diuerrentes iter ſuum deduxerunt. Qui cùm iuxta littus maris perproperè graderentur, occurrerunt eis gens nefaria, qui ſperabant eos illic intercipere, & occidere. Quorum aliquibus oportuit iumenta ſua ibi relinquere, & in maris vndas ad natandum ſe iactare, vt dolor dolori medicina fieret. Illo enim natatu ab impiis eruti ſunt, iumenta perdiderunt. Milites verò equos habentes agiles deferendo ſe Ioppem peruenerunt. vix tamen euaſerunt. Rex autem aduentu eorum exhilaratus, & admodum vegetatus, haut longiùs negocium ſuum differri voluit. ſed mane ſequenti militibus ſuis cum gente pedeſtri ordinatis, contra inimicos ſuos bellaturus exiuit.

B Illi equidem non longè ab Ioppe erant, ſed quaſi milliariis tribus: vbi machinas ſuas iam præparabant, vt indilatè Ioppem obſiderent, & coartatam comprehenderent. Sed cùm gentem noſtram contra ſe ad prœlium ire ſpectarent, protinus ſumptis armis ſuis audacter exceperunt. Et quia multitudo magna erant, gentem noſtram vndique girauerunt. Quibus incluſis, nihil eis vlteriùs niſi diuinum auxilium prodeſſe potuit. Sed in omnipotentia Domini prorſus confidentes, vbi turmam denſiorem & fortiorem viderunt, impetu mirabili ferire non diſtulerunt. Qui cùm in vna parte fortiter pugnando eos penetraſſent, illicò aliorſum eos recurrere neceſſe fuit. quoniam vt pedites noſtros abſque protectione militum videbant, illuc ſtatim feſtinantes extremos occidebant. Pedites tamen noſtri non ignaui pluuiam ſagittarum inuadentibus ſe tantam iaciebant, vt in viſibus eorum & pelris multas infixas viderent. Itaque cùm à peditibus ſagittariis vehementer eſſent repulſi, & à lanceis militaribus multi ſauciati, & de papilionibus ſuis iam priuati: opitulante Deo Francorum obtutibus dorſa fugientes verterunt. Sed non ſunt diu fugati, quia fugatores erant pauci. Tabernacula autem ſua Francis in campo reliquerunt cuncta, ſtipendiúmque totum. Equos quippe ſuos omnes abduxerunt ferè, exceptis aliquantis plagatis, & in fuga ſiti extinctis. De camelis eorum & aſinis multos habuimus. Multi eorum cùm fugerent, vel læſi, vel ſiti exaſperati in via ſunt mortui. Verè dignum erat & iuſtum, vt qui ligno Dominicæ Crucis muniti erant, ſuper inimicos eiuſdem ſanctæ Crucis victores exiſterent.

C Quòd ſi in anteriore bello eadem Crux alma cum Rege deferretur, non eſt hæſitandum quòd populo ſuo Dominus propitiaretur. Sed ſunt nonnulli plus in virtute ſua quàm in Domino confidentes, & in ſuo ſenſu nimium abundantes, & ſapientum conſilium ſpernentes. præcipitanter opus ſuum patrare præſumunt, & inconſultè. Vndè ſæpè contingit detrimentum magnum non ſolùm eis euenire, ſed & multis aliis operis eiuſdem experribus. Vndè ſolent tales plus Dominum inculpare, quàm ſtultitiam ſuam recognoſcere. Qui cùm ſtultè quidem inchoat, rei exitum non conſiderat. Equus paratur ad bellum, Dominus autem ſalutem tribuit. Si iuſti precatio non ſemper à Domino exauditur, quantò magis impij? Vel quare inculpat Deum, cùm ſtatim non ei adimplet deſiderium ſuum? Cur exaudietur, cùm nihil boni ſit prometitus? Nónne ipſe nouit, quid agendum ſit in omnibus? Boëtius circa huiuſmodi dicit: Quicquid citra ſpem videas geri, rebus quidem rectus ordo eſt, opinioni verò tuæ peruerſa confuſio. Sed non rerum merita, ſed fortunæ ſpectat euentum ſtultus. Multotiens quidem exiſtimat homo id tunc ſibi nocuum, quod poſtea vertitur ad proficuum: & contingit econtrà cùm alicui benè ſuccedit, paulò pòſt eidem euenire quod multum officit. Explero bello, vt ſuprà dictum eſt, in quo Rex victor extitit, tabernaculis eorum collectis Ioppem regreſſus eſt. Poſtmodum quieuit Terra, bellorum immunis, tempore ſequenti, autumnali ſcilicet atque hiemali.

1103. ANNO MCIII. tempore veris, cùm Paſcha ex more in Hieruſalem celebraſ- A

XXI. *Quod Rex Achon vrbem obſedit.*

ſemus, vrbem ACHON *Ptolomaidam* dictam Rex cum exercitulo ſuo aggreſſus obſedit. Sed quia muro & antemurali fortis erat valde, non potuit eam tunc comprehendere: præſertim cùm mirabiliter Sarraceni probiſſimè intus ſe defenderent. Cùm autem tam ſegetes, quàm virgulta eorum, hortóſque deuaſtaſſet, Ioppem rediit.

XXII. *De Principe BOAMVNDO à captiuitate liberato.*

DE domino autem BOAMVNDO deſiderabilis rumor exiit tunc diuulgatus, quia de Turcorum cuſtodia Dei gratiâ liberatus eſt. Ipſe autem quomodo de captiuitate redemptus exierat, per nuncium ſum mandando notum fecit: & qui Antiochiæ priùs principatus fuerat, poſtea gaudenter à ciuibus ſuis ſuſceptus, terram illam nobilitauit & poſſedit. Laodiciam ciuitatem, quam Tancredus poſtea ceperat, & hominibus Imperatoris Conſtantinopolitani abſtulerat, ſuſcepit inſuper Boamundus. vnde Tancredo de Terra ſua competenter tribuit, & cum ſibi gratanter pacificauit.

XXIII. *De Rege vſque ad mortem penè vulnerato.*

TEMPORE ille Rege BALDVINO contra Sarracenos more ſolito certante, contigit quodam die eum in paucos eorum irruere: & dum de interitione eorum iam certus ſub ſpe gauderet, Ethiops vnus pone rupem delitecens callidè inſidiatus eſt ei, vt interimeret. Qui miſſili fortiter vibrato, prope cor Regem à dorſo profundè vulnerauit. Quo ictu ferè vſque ad necem eum læſit. Sed cùm poſtea ſe medicari ſollicitè ſtuduiſſet, poſt inciſionem etiam cicatricis vexatæ ſoſpes tandem effectus eſt.

1104. ANNO MCIV. tranſacta hieme, cùm in Hieruſalem verno florente Paſchæ B

XXIV. *De captione vrbis Achon, quæ vulgo Achra dicitur.*

ſolemnia celebrata fuiſſent, Rex BALDVINVS congregata gente ſua profectus eſt Achon, & iterum obſedit eam. Ad quod venerunt Ianuenſes cum claſſe LXX. nauium roſtratarum. Et cùm ciuitatem machinis & peruaſionibus crebris per viginti dies circumcirca cohibuiſſent, perterriti valde Sarraceni, vellent nollent reddiderunt eam Regi. Erat enim nobis valde neceſſaria, quoniam ineſt ei portus adeò vtilis, vt inter mœnia ſecura naues quamplurimas ſanè concipiat.

Iam nouies orto gemino ſub ſidere Phœbo,
Vrbs Achon capitur Ptolomaida quæ vocitatur,
Anno milleno centeno nécne quaterno.
Non eſt vrbs Acharon quam quilibet æſtimat Achon.
Illa Philiſtea, Ptolomaida dicitur iſta.

Vrbe autem ſic capta, de Sarracenis plurimos occiderunt, quoſdam viuere permiſerunt. res eorum totas habuerunt.

XXV. *Quòd Boamundus in Apuliam tranſfretare diſpoſuit.*

ÆSTIVO deinde tempore euoluto, neceſſitate Boamundus nimia anxius, raro nauigio transfretauit in Apuliam, terra ſua tota Tancredo commiſſa. Cum eo tunc tranſiliit DAIBERTVS, qui Patriarcha Hieroſolymorum fuerat. vir prudens, & conſilio pollens. Iuit Boamundus, vt de tranſmarinis partibus gentem ſecum reduceret. Iuit autem Daibertus, vt cauſam ſuam & iniuriam ſibi C à Rege factam Romano Papæ innoteſceret. Iuit, & impetrauit. ſed non rediit, quia in via obiit.

XXVI. *Quomodo Antiocheni contra Parthos dimicantes capti, & quidam occiſi ſunt.*

HOC anno commoti ſunt Parthi, & Medi, atque Chaldæi, & qui in Meſopotamia habitabant affines noſtri, ad nos Chriſtianos impetendum, & omnimodè peſſundandum. Quo rumore ad nos vſque effuſo, Optimates vniuerſi ad excipiendos eos nihilominus ſe præparauerunt. Et præparati ſunt ſub feſtinantia domnus Boamundus & Tancredus, Balduinus quoque Comes Edeſſenus, necnon & Goſcelinus, & Daibertus ille Hieroſolymitanus, atque Archiepiſcopus Edeſſenus nomine Benedictus, cum turba militari ſimul & populari. Et Eufrate flumine prætergreſſo, Carráque deinde ciuitate prope flumen *Achabor* nominatum, hoſtium phalangibus obuiauerunt: & commiſſo prœlio ſtatim iuxta *Racha*, peccatis noſtris exigentibus, in diſperſionem & confuſionem Chriſtiani ſunt dati. Quam pugnam longè omnibus anterioribus bellis fuiſſe atrociorem, rerum exitus monſtrauit. Ibi domnus capitur BALDVINVS Comes Edeſſenus, Rex quidem Hieroſolymorum futurus, & à primo Rege ſecundus. capitúrque cum eo domnus Goſcelinus cognatus eius. cum his quoque prædictus Archiepiſcopus. Plurimi autem in memoratum flumen obruti, extincti ſunt. Equi & muli, & opum infinita copia eſt perdita. Domnus verò Boamundus, & domnus Tancredus, per

A deuia & pet diuerticula paſſim fugientes, nec viam nec ſemitam vtiliorem eligen- 1104.
tes, errabundi & confuſi tandem euaſerunt. Multi etiam ſagittis & pugionibus
transfixi occubuerunt. Et qui Carram ſine magna difficultate comprehendere
poſſent, ſi eam in primis obſediſſent, poſtea neo initio nec in reditu adipiſci licuit.
Et quoniam ſecuritas interdum damnum fallendo generat, ita metus & ſollicitu-
do emolumentum prouidis & timidis parat. Nocuit enim ſæpè, vt ſcriptum eſt,
differre paratis. Huic ſiquidem negocio ſiue infortunio duo nimirum hoſtes,
diſcordia & inuidia, genti noſtræ obfuerunt. qui etiam de adquiſitis poſſeſſioni-
bus ad nimiam egeſtatem inclinare ſolent homines. Hoc ſæpè vidimus, hoc ex-
perimento didicimus. Non fallor, nec ambage deceptoria pellicens, friuola com-
mentor. Verè in hoc itinere tam periculoſo, tam formidoloſo, moleſtis verbis
ad inuicem exacerbantes, ante ruinam iſtam ferè ab alterutra voluerunt ſecede-
re, & fœdus mutuum corrumpere. Qui malè facit, & benè ſperat, ipſe ſiquidem
delitat. Nam ſine pace, vel mutua dilectione, nihil eſt Deo acceptabile. Igna-
uum eſt igitur, vel nequiſſimum, vt illius deſeram ſocietatem, cui prodeſſe debeo
vſque ad mortem. Adiuuit autem Deus Archiepiſcopum Edeſſenum in vinculis
iam poſitum. Quem cùm de reculis ſuis & vtenſilibus vt iumentum Turci oneraſ-
ſent, patrocinio cuiuſdam militis armipotentis, qui pro eo animam ſuam carita-
tiuè poſuit, opitulante Deo de manibus eorum miro ſuo auſu eum eripuit. Non
B enim animam ſuam quàm ſe pretioſiorem fecit. Multi itaque in hac noſtra pere-
grinatione zelo Dei efferuentes, & vitam ſuam breuiari optantes: beato fine de-
fungi, & cum Chriſto frui quietè ſtuduerunt. Sicut quidam, aliquibus de noſtris
audientibus & videntibus, dum eram apud Antiochiam, cùm audiret nomen Do-
mini à quodam perfido cum magna dehoneſtatione blaſphemari, viuifico ſpiritu
animatus dicto contradixit & facto. Et continuò calcaribus equum pungens, aſſi-
ſtentibus in circo viuaciſſimè interrogando intulit: Si quis veſtrûm in paradiſo "
cœnare deſiderat, nunc mecum veniat, & mecum prandeat. Iamiam enim abibo. "
Qui mox lanceâ vibrata inter hoſtium millia ſe inſerens, primum ſibi obuium ſub-
ruens interemit. licèt interimens illicò interimeretur. Itaque fide circumfultus
& ſpe, munitúſque caritate, feliciter occubuit. Quis vmquam audiuit tale? Ad-
huc poſitus in terris, iam gloriabatur in cœlis. Propterea lætamini cœli, & qui ha-
bitatis in eis. Et eſt nobis vtique lætandum, & iocundandum, quia gaudent An-
geli de tanto conſorte augmentati. Prope autem erat qui eum audiebat, & dona-
tiuum ei penſabat, & ſedem perhennem parabat.

Cvm autem annis ferè quinque domnus Baldvinvs in vinculis tentus XXVII.
fuiſſet, datis obſidibus electis, fide interpoſita cum ſacramento ſub intermina-
tione vt redemptionem redderet: cùm poſtea ipſi obſides carceris cuſtodes calli-
diſſimè necaſſent, de carcere euaſit. vnde adiutorem fideliſſimum Goſcelinum
habuit. ſed cùm ad Edeſſam vrbem ſuam poſtea rediit, introire in eam non po-
C tuit: quia Tancredus cum ſuis introitum ei vetuit. Denique quia hoc ratio
fieri permiſit, & propter iuſiurandum, quod domnus Boamundus antea interpo-
ni fecit, vt quocumque modo de captione quandoque exiret, ſine controuer-
ſia Terram ſuam illi redderet. Nec poſtmodum mora fuit, Balduinus & Goſ-
celinus duo contra Tancredum tertium prœlium commiſerunt. Cui ſupplican-
ti, & pacem quærenti, nullatenus adquieuerunt. Sed Goſcelinus congrega-
tis VII. Turcorum millibus Tancredum importunè ad prœlium laceſſunt, &
adiuuantibus Turcis quingenti de clientela Tancredi ceciderunt. Et licèt pri-
mitus ferè vinceretur Tancredus, tandem Deo iuuante, cuius equitatum ſem-
per vidit vultus victor, in campo remanſit victor honoris. Sed cùm Optimates
Terræ damnum naſci viderent, vtrobique ſumpto inuicem vtili conſilio, ad con-
cordiam eos reduxerunt.

De liberatione Comitis Balduini, & de prælio inter ipſum & Tancredum.

Tvnc Boamvndvs in multis deſolatus, vt ſuperiùs iam dictum eſt, in XXVIII.
Gallias transfretans eſt profectus. Vbi inter cetera negocia Philippi Regis
filiam nomine Constantiam vxorem duxit, & in Apuliam reduxit. de qua
filios duos habit. Quorum quidem priore natu obeunte, poſterior verò nomine
quo pater nuncupatus hæres remanſit.

Quòd Boamvndvs in Gallias transfretauit.

Anno Domini MCL. mortuus eſt Comes Raimvndvs miles emeritus 1105.
in oppido ſuo ante Tripolim ciuitatem pridie Kal. Martij. cui ſucceſſit nepos eius XXIX.

1105. Quòd Tancredus cum Turcis pugnans victoriam adeptus eſt.

GVILLELMVS IORDANVS. Ea tempeſtate Sarracenorum & Turcorum pro- A
teruia ſolita non defuit. cùm deindè menſe Aprili Rex Halapiæ (id eſt Calipti)
Radoan nomine de regione ſibi confini exercitum adunauit non minimum,& con-
tra TANCREDVM Antiochiæ Principem cornu ſuum ad prœliandum nimis
accenſum extulit. Tancredus autem non in multa gente, ſed in Domino ſpei ſuæ
figens anchoram, aciebus ſuis benè compoſitis, contra hoſtes illos incunctanter
equitauit. Quid longiùs morer? Audacter ante Artaſium in eos irruit, & Deo ſuf-
fragante illi protinus paulò post circumfuſi dorſa fugæ dederunt. Fugerunt, & fugati
ſunt. Qui fugere non potuit, nec mortem euaſit. De interemptis non fuit nu-
merus. de equis eorum plures habuit Tancredus. Signum quoquo Regis fugitiui
retinuit. Cornu ſuo ſic quaſſato mutilatus abiit. Glorificatus eſt igitur Deus, qui
ſuis ſemper ſubuenit fidelibus. De Antiochenis hoc tantillum diximus. nunc de
Hieroſolymis non taceam.

XXX.

Quòd iterum Rex Babylonis omnē exercitum ſuum cōtra Regem BALDVINVM miſit. contra quos ille ſemet præparauit.

REFERENDVM eſt enim, quomodo Rex Babylonis ipſo anno gentem coa-
dunauerit multam, quam Aſcaloniam per militiæ ſuæ ducem ad prœliandum con-
tra Chriſtianiſmum miſit. arbitrans & moliens nos omnes de Terra ſancta exter-
minare. Didicerat enim nos eſſe pauciſſimos, & ſine ſuccurſu ſolitorum peregri-
norum. Conglobari igitur ſunt apud Aſcalonem tam Arabes equites, quàm Ethio-
pes pedites. cum quibus etiam fuerunt Turci Damaſceni plus minus mille, qui
ſagittarij erant probatiſſimi. Quod cùm Regi BALDVINO nunciatum fuiſſet, B
congregauit omninò gentem ſuam, & expectauit eos apud Ioppem. Et quia ne-
ceſſitas hoc expoſcebat, cuncti qui in vrbibus conuerſabantur arma ferre poten-
tes, ad bellum perrexerunt. exceptis his tantummodò, qui muros noctu cuſtodi-
rent. Timor & tremor tunc venerunt ſuper nos. Metuebamus enim ne aut de ci-
uitatibus noſtris aliquam gente vacuam caperent, aut Regem cum populo ſuo in
bello interimerent. Auguſtus erat menſis. Callebant enim ab vtraque parte prœ-
liari differentes. nec nos illos, nec illi nos impetebant. Termino autem, vt opi-
nor, diuinitus diſpoſito, promouit ſe gens nefaria ab Aſcalone, & cœperunt ad
nos approximare. Quo comperto, regreſſus eſt Rex Ioppem, & equitauit vſque ad
Ramulam ciuitatem. Et quia bonum erat omnimodè noſtros Domino adhærere;
& in Deo ſpem certam ponere: inſpirato à Domino Deo conſilio, miſit Rex in
Hieruſalem nuncium ſuum feſtinum ad Patriarcham, & Clerum, atque plebe-
culam: flagitans vt obnixè omnipotentis Dei exoraret miſericordiam, vt Chri-
ſtianis ſuis in anguſtia poſitis opem de excelſis dare dignaretur. Noluit ergo le-
gatus ſatis precatus quicquam mercedis accipere, timens ne fortè legationem illam
non poſſet explere, aut mercedem illam viuus adquirere. Sed ſperans quando-
que de labore hoc deuoto remunerationem ſe percepturum à Deo. Commen-
dánſque animam ſuam & corpus ſuum in manus conditoris ſui, Hieroſolymam
propere non diſtulit ire. Qui Domino ducente illuc peruenit, & ingreſſus ciuita-
tem quod quærebat non celauit. Quo manifeſtato, iuſſum eſt à Patriarcha cam- C
» panam maiorem ſonare, & gentem ante ſe totam adunari. O fratres, inquit, ami-
» ci & ſerui Dei, ecce verè bellum quod audieratis futurum. nam hoc referente
» nuncio, proculdubio nobis eſt paratum. Et quia ſine diuino auxilio nullatenus
» genti tantæ poterimus obſiſtere, clementiam Dei omnes implorate, vt Regi no-
» ſtro BALDVINO & ſuis omnibus clemens adiutor in hoc prœlio imminente di-
» gnetur adeſſe. Diſtulit quidem Rex hodie bellum fieri, ſicut per hunc breuige-
» rulum nobis modo notum facit: quatinus die craſtina, quæ dies erit Dominica,
» qua Chriſtus à mortuis reſurrexit, ſecutiùs prœlietur, & adiunctis orationibus ve-
» ſtris & eleemoſynis apud Deum roboratus, confidentiùs pugnet. Quapropter in
» hac nocte iuxta dictum Apoſtoli, vigilate, ſtate in fide. omnia veſtra fiant in cari-
» tate. Cras ibitis per loca in vrbe hac ſancta, affligentes vos & humiliantes pedibus
» nudatis, & Dominum Deum noſtrum piè deprecantes, vt de inimicorum noſtro-
» rum manibus nos liberet. Ego ipſe iam illuc vado. iamiámque à vobis diſcedo. mo-
» nens, vt ſi quis ex vobis hîc reſiduus arma ferre valet, mecum promptè veniat.
Rex enim omnibus indiget. Vt quid plus moror? Conſcendunt in equos CL. ſi-
mul tam equites quàm pedites: & ita nocte imminente celeriter perrexerunt, &
diluculo Ramulam vrbem peruenerunt. Qui autem in Hieruſalem remanſerunt,
precibus & eleemoſynis, afflictionibúſque ſtudioſiſſimè vacauerunt. Vſque ho-

A rami meridianam Eccleſias inuiſere non ceſſauerunt. Cantando plorabant; plorando cantabant. nam in proceſſione Clerici hoc faciebant. Ego quoque cum ipſis nudipes orabam. Maiores etiam natu vſque ad horam nonam die illa non comederunt, nec infantes genitricum vbera ſuxerunt, donec fame vexati plorauerunt. Eleemoſynæ nempe vberes egenis impertitæ ſunt. Hæc enim ſunt opera, quibus Deus placatur, quibus ad ſalutem excitatur, quibus conuerſus non relinquit poſt ſe benedictionem. 1105.

C V M igitur Ramulam Patriarcha, vt dictum eſt, perueniſſet, & aurora poſtera ſtellas inciperet depellere micantes: gauiſi ſunt omnes de aduentu ſuo. & excitati omnes cucurrerunt ad Preſbyteros, vt peccata ſua Deo & eis confiterentur. Ad Patriarcham ſimiliter Optimates, verbum ſalubre aliquod ab eo audire, & à peccatis ſuis abſolui cupientes. Hoc facto, veſte Pontificali Patriarcha indutus glorioſam Crucem Dominicam, quæ in talibus negociis deferri ſolebat, in manibus ſumpſit: & ordinatis vt decuit cateruis de militibus & peditibus, aduerſus hoſtilem exercitum progreſſi ſunt. Milites noſtri erant quingenti, exceptis illis qui militari nomine non cenſebantur, tamen equitantes. Pedites verò noſtri non ampliùs quàm duo millia æſtimabantur. Pagani autem quindecim millia tam de peditibus quàm de militibus deputabantur. qui nocte illa non longè à Ramula quaſi quatuor milliariis hoſpitati ſunt. Qui cùm Regem manè contra ſe viderent cum XXXI. *Pugna Hieroſolymitanorum cum Turcis, & victoria adepta per virtutē ſanctæ Crucis.*

B ſuis procedere; confeſtim ad prœlium ſe parauerunt. Attamen verſutia eorum aliquantulum tunc quaſſata eſt: cùm partem vnam de exercitu ſuo, ſed minorem, ante Ramulam mittere diſpoſuerant; vt exercitum noſtrum fallerent. maiorem verò partem mitti Ioppem ſtatuerant, vt & eam aſſilirent, & nobis neſcientibus caperent. Sed cùm Regem aduerſus eos ſic equitare proſpicerent, ſimul reglobati ſunt molimine ſuo confuſo. Nec mora longior, alij alios impetierunt. Tunc clypei reſonant, & ferri ſtridet acumen. Factoque impetu, vtrimque exclamauerunt noſtri omnes contra eos: *Chriſtus vincit, Chriſtus regnat, Chriſtus imperat.* ſicut eis iuſſum fuerat. Illi autem circumuallantes nos, conquaſſare & confundere putauerunt penitus. Turci verò ex more ſagittarij nos retrò girantes, & ſagittarum pluuiâ plagantes, iam arcuum officia dimiſerant, iam vaginis enſes extraxerant, quibus nos cominus feriebant. Cùm Rex hoc comperto, audacitate munitus ſignum ſuum album de manu cuiuſdam militis ſui abripuit: & cum paucis illuc celerrimè currens, oppreſſis ſuccurrere feſtinauit. Qui cùm ſtatim Deo iuuante impetendo Turcos & occidendo diſperſiſſet, ad maiorem multitudinem Sarracenorum & Arabum Ethiopúmque recurrit. ſed nec in inuaſionibus, nec in percuſſionibus vtrorumque ampliùs immorabor, quia volo artare paginam limite parciore. Deus enim omnipotens ſeruorum ſuorum nuſquàm immemor, nolens Chriſtianos ſuos à perfidis illis deſtrui, qui pro eius amore & nomine ampliando de longinquis partibus Hieruſalem venerant, dederunt gens impia fu-

C gam repentinam, fugientes vſque Aſcalonem. O ſi capi potuiſſet Semelumuch Dux illius militiæ, multa nummiſmata in redemptionem ſui Regi B A L D V I N O exſolueret. Sed non effugit Gemelmulch Admiratus Aſcalonæ, qui locuples erat valde. Quo interempto, illis omnibus orta eſt non minima deploratio. Alterum Admiraldum olim Achonitam viuum retinuerunt, quem Rex noſter redimi fecit XX. millibus nummiſmatum, præter equos & res alias. Ethiopes verò quoniam fugere nequiuerunt, in campis trucidati ſunt. Quatuor millia quidem tam de equitibus quàm de peditibus eorum interfecti fuiſſe referuntur. De noſtris verò ſexaginta Tabernacula eorum nobis remanſerunt, iumenta quoque multa, cameli, aſini, dromedæ. Tunc Deus laudatur, glorificatur, in quo virtutem fecimus magnam. qui etiam ad nihilum deduxit inimicos noſtros. O mira diuini iudicij ordinatio! Ecce qui dicebant: Eamus, Chriſtianos illos omnes occidamus, & poſſidebimus eorum Sanctuarium. Sed non ſic impij, non ſic: quia vos poſuit Deus vt rotam, & ſicut ſtipulam ante faciem venti in ira ſua vos confudit. In lege ſua iurauerunt etiam ipſi, numquam propter Francos fugere. ſed tandem effugium ſalus tunc fuit eorum. Maluerunt periculum incurrere, quàm morte ſtultè perire. Regreſſus eſt autem Rex Ioppem cum gaudio, vbi prædam in bello captam militibus ſuis & peditibus ſub ratiocinio diſtribuit. Adhuc

1105. erat ante Ioppem claſſis Babiloniorum, qui iam aliquandiu illic expectauerant; A ſcire cupientes quomodo & quando tam per mare quàm per terram nos omnes & vrbes maritimas omninò deſtruerent. Sed cùm Rex per nautas ſuos caput Gemelmuch Admirati in bello decollati in vnam de nauibus eorum iactari feciſſet, conturbati valde hoc comperto, & exterriti, diutiùs ibi ſtare noluerunt. ſed gentis confuſione comperta, paululum tunc auſtrò flante in portus Tyri & Sidonis ſeceſſerunt. Quæ claſſis cùm deindè Babiloniam reuerteretur, ſpiritu procellæ, Dei gratiâ nobis ſatis fauente, portibus noſtris ſparſim naufragio miſerabili aduectæ ſunt. De quibus XXV. naues Sarracenis plenas habuimus. reliquæ verò velificantes vix euaſerunt. Igitur nobis Dominus adiutor in tribulationibus exiſtens pius, ſic manifeſtauit omnipotentiam ſuam.

Ergo diem belli cunctu volo certificare.
Iam decies orto Phœbo ſub Virginis aſtro,
Cùm ſolida terras ſpectares imagine Luna,
Sexta Kalendarum Septembris cùm legeretur,
Annuit Omnipotens Francos gaudere triumpho:
Cùm fugiunt Arabes, Turci ſimul, Ethiopéſque,
Pars montana petit, remanet pars mortua campis.

XXXII. *De Terræmotu.* QVONIAM quidem ne vel ſcriptorum negligentiâ vel imperitiâ, vel quòd rari erant forſitan, vel ſuis impediti curis inſudabant, hæc geſta obliuioni non B ſcripta darentur: malui ego FVLCHERVS ſcientiâ rudis, ingenio debilis, temeritatis næuo notari, quàm hæc opera non propalari, prout oculis vidi, vel à relatoribus veridicis perſcrutans diligenter didici. Precor autem hæc legentem, vt neſcientiæ meæ caritatiuè indulgeat: & dictamen iſtud nondum à quolibet correptum Oratore iocatim ſi velit corrigat. Verumtamen Hiſtoriæ ſeriem propter pulchritudinem partium pompaticam non commutet, ne geſtorum veritatem mendaciter confundat. His geſtis quæ ſuperiùs dicta ſunt, ipſo anno declinante ſenſimus omnes terræmotum grandem, qui Hieruſalem ineramus. quod in vigilia Natiuitatis Domini valde nos terruit.

1106. ANNO deinde MCVI. nihilominus Cometa in æthere apparens nos illum XXXIII. *De Signis in cœlo apparentibus.* ſuſpicientes pauefecit. qui in ea parte, qua Sol hiemali tempore occumbere ſolet, ſplendoris alburni radium ad inſtar telæ lineæ in longum mirificè produxit. Hoc prodigium nempe in menſe Februario rutilare incipiens die quo Lunam pronunciabamus primam, futurorum præſagium nunciabat. Sed quia de eo nil augurari præſumpſimus, totum quod ſignificabat Domino commiſimus. Quinquaginta & eo ampliùs diebus veſpere cotidiano Cometa ille per totum viſus eſt mundum. Notandum quòd ab exordio ſui ortus, tam ipſe Cometa quàm ſplendor eius niueos de die in diem paulatim attenuatus eſt: adeò vt in vltimis diebus vim ſui luminis iam perdens, parêre omninò ceſſaret. Indilatè autem menſe eodem, die quo Lunam pronunciauimus viceſimam, vidimus in cœlo ab C hora tertiâ vſque ad meridianam, ad dexteram & læuam Solis partem, quaſi duos Soles alios: nec tantum tamen ſicut maior fulgentes, ſed formâ & lumine rariore mediocriter rutilantes. In quorum gyro circulus inſuper apparuit vnus ſplendore candidus, extans amplitudine tanquam quæuis ciuitas. Intra quem alter circulus clarebat dimidius, iris habens ſimilitudinem, quadruplici diſtinctus colore, & in parte ſuperiore Solis amplexione arcuata vſque duos Soles iam dictos attingens. Deinde ſequenti menſe horâ noctis mediæ ſtellæ cœli pluere viſæ ſunt.

XXXIV. *De prælio Chriſtianorum contra Damaſcenos.* POSTMONRVM verò HVGO, qui Tyberiadem vrbem tunc poſſidebat, æſtiuo tempore aduerſus militiam Damaſcenam bellauit. Qui cùm bis in ipſo prœlio iam ab eis repulſatus eſſet, tertio belli recurſu Domino ſuffragante victor victos eos ſuperauit. Ducentos ſiquidem ex eis occidit, totidémque de equis eorum retinuit. reliqui verò terga fugæ dederunt. Mirum dictu. ſexies viginti quadragies centum diſperſerunt. Deinde mora non fuit, cùm ipſe cum Rege BALDVINO in expeditione eſſet, in terra eadem ictu ſagittæ Hugo interiit.

1107. ANNO MCVII. transfretâuit Patriarcha Ebremarus nomine, Romam pe- XXXV. tens. Quæſitutus enim erat ab Apoſtolico, vtrum Patriarcha remaneret. Nam

A Daibertus ſuperiùs memoratus Parriarchatum recuperauerat. ſed in reditu poſt- 1107.
modum obierat. Menſe demum Nouembri eodem anno, cùm inſolitam ſæui- *Quomodo Patriarcha*
tiam Aſcalonitæ efferuerent, ad radices montanorum noſtrorum inter Ramulam *Romam petiit, & de*
& Hieruſalem inſidias poſuerunt: vt vnam gentis noſtræ cateruam, quam de *prælio Ioppitarum atque*
Ioppe Hieruſalem tunc ituram didicerant, occurſu repentino inuaderent. Sed *Aſcalonitarum.*
hoc Ioppitis intimato, in equos feſtini conſcenderunt. Et cùm ad locum inſidia-
rum nuncio rei ductore peruenerunt; dubitantes adhuc an verum dixiſſet, vi-
ſis illis exterriti valde timuerunt. Erant enim milites ferè quingenti, & pedi-
tes propemodùm mille. Noſtri verò milites, non pluſquàm LXXV. Quibus
cùm non liceret etiam meditari quid facerent, & non erat eis ſaluario ſi fuge-
rent, & mors non deerat ſi pugnam committerent; gratiùs elegerunt honorificè
ſi contingeret mori, quàm fugæ infamiâ poſtmodum notari. Impetu igitur mox
in eos facto momentaneo, mirum in modum hoſtilem aciem penetrauerunt: pro-
ſternendo eos, & occidendo. In quo certamine cùm acriùs Sarraceni ſe viderent
conteri, audacitatem ſuam Domino volente perdentes, bellare ceſſauerunt.
Quod cùm viderent milites noſtri, potentiùs eos peruaſerunt: & quos illi fugare
putauerunt, eos noſtri fugere compulerunt. De quibus plures occiderunt, & de
equis eorum plurimos retinuerunt. De militibus noſtris non pluſquàm tres perdi-
dimus. Sed clientela eorum de iumentis noſtris aliquot abduxerunt. de ſuis no-
B ſtri talionem duplicauerunt.

EODEM ſiquidem anno, poſtquam BOAMVNDVS de Galliis regreſſus eſt, XXXVI.
congregata gente quantumcumque potuit, in portu Brunduſino, qui eſt in Apu- *Quòd BOAMVNDVS*
lia, claſſem ſuam parauit. Qui cùm tempus ad transfretandum expectaſſet oppor- *aggregato*
tunum, VII. Idus Octobris naues ingreſſi Bulgariam nauigauerunt, & *Aualonis* *exercitu Terram Imperatoris*
portu applicuerunt. Et Aualone citiſſimè capta, *Duratium* vrbem adeuntes, III. *vaſtauit.*
Idus Octobris obſederunt. Sed quia ciuitas illa tam hominibus quàm victualibus
ſatis erat munita, obſeſſores diu fatigauit. Habebat quidem domnus Boamundus
quinque millia militum, & LX. millia peditum. Feminam quippe nullam tunc
ſecum tranſire permiſit, ne exercitibus impedimento eſſent & oneri. Erat qui-
dem Imperator Conſtantinopolitanus ALEXIS nomine genti noſtræ tunc val-
de contrarius, & Hieroſolymam peregrinantibus vel fraude clandeſtina vel vio-
lentiâ manifeſta tam per terram quàm per mare perturbator & tyrannus. Qua-
propter Boamundus collecto, vt dictum eſt, exercitu, terram illius intrauit. ciuita-
tes & oppida comprehendere nitens.

ANNO autem MCVIII. ab Incarnatione Domini, cùm ante Duratium iam 1108.
per vnum ſediſſet annum, nihil proficiens, niſi quòd contra Imperatorem aliquas XXXVII.
moliebatur inſidias, contra quem quoque Imperator faciebat: tandem per in- *De concordia*
ternuncios concordiâ prolocuta, cùm etiam Imperator ad eum cum exercitu ſuo *inter Imperatorem &*
iam approximaſſet, amici adinuicem conuentionibus intermixtis facti ſunt. Iu- *BOAMVNDVM*
C rauit enim Boamundo Imperator ſuper reliquias precioſiſſimas, peregrinos, de *ſacramento fir-*
quibus iam ſæpè fatum eſt, tam in terra quàm in mari, quantò latiùs Imperium *mata.*
eius extendebatur, ab illo die & deinceps ſe ſaluaturum & conſeruaturum: ne
quis eorum diriperetur, vel malè tractaretur. Ille quoque Imperatori iurauit pa-
cem & fidelitatem omnimodè tenendam. Qui poſtmodum occaſione habita Apu-
liam remeauit, partem exercitus ſui minorem ſecum reducens: Pars enim maior
Hieruſalem, vt vouerant, per mare profecti ſunt. Ipſo anno PHILIPPVS Rex
Franciæ dedit finem vitæ.

ANNO MCIX. & ab Hieruſalem capta XI. BERTRANDVS Raimundi 1109.
Comitis filius venit Tripolim, adhibitis Ianuenſibus ſecum, cum claſſe nauium XXXVIII.
roſtratarum ferè LXX. quæ omnes ibi applicuerunt. Quam vrbem, ſcilicet TRI- *De obſidione*
POLIM, volebat impugnare, & ſub patris ſui iure hereditario propriam poſſi- *vrbis Tripolitana.*
dere. Quam cùm obſidione cinxiſſent, orta lite confeſtim inter Bertrannum &
GVILLELMVM-IORDANEM cognatum ſuum, qui eam ſemper impugna-
uerat, poſtquam Raimundus Comes obierat, & verſabatur illic Guillelmus in
oppido, qui *Mons-Peregrini* dicitur, Tripoli proximo, Bertrannus dicebat: Mea «
eſſe debet ciuitas hereditario iure, quia pater meus, qui eam primitus impugnare «
cœpit, in coartando illam oppidum iſtud, ſcilicet *Montem-peregrinum*, magna pro «
bitate ædificauit, & poſt exceſſum ſuum mihi obtinendam dedit dum viuebat. «

1109. Guillelmns verò dicebat: Mea vtique debèt eſſe, & meritò. quia & hoſtes huius A
» Terræ habitatores poſt exceſſum Comitis ſemper coërcui ſtrenuè armis meis, &
» terram adiacentem vrbi amplificare ſtudui & laboraui. Et quia ſub diſcordia magna de ſtatu ſuo ſolent labi, & in concordia minima augeri: Guillelmus maliuolentiæ causâ de negotio illo retrahebat ſe, Bertrannus autem cum ſuis vrbem viriliter cohibebat. Hic nollet illum poſſe proficere, ille quoque nollet etiam hunc viuere. Certant pro incertis, & ſunt incerti de incertis. Contendunt pro momentaneis, & non laborant pro æternis. Currunt qui forſitan non comprehendunt. Remanebat igitur in biuio brauium. Non eſt currentis igitur, neque nolentis: ſed eſt miſerentis Dei. Nec dum vrbem ceperant, & iam de captura litigabant. Ad nutum Dei momenta tranſuolant, & cogitationes hominum vanæ ſubuertuntur.

XXXIX. *Quomodo vrbs Tripolis capta ſit.* Et non fuit mora, poſtquàm Rex Baldvinvs ad obſidionem venit illam, deprecatus eſt Ianuenſes vt ipſo anno iuuarent eum ad capiendum Aſcalonem atque Beritum, necnon Sydonem. Et contigit, dum ordiebatur concordiã fieri inter duos memoratos Comites, neſcio quo infortunio, dum noctu equitabat Guillelmus ille Iordanus, ſagittæ ictu paruæ clam interiit. Sciſcitabantur omnes quis hoc feciſſet. ſed hoc addiſcere nequiuerunt. Hi dolent, illi gaudent. Hi lugent amicum, illi lætantur ſuper inimicum obrutum. Remanſit Bertrandvs Regis Baldvini homo effectus. Tunc ciuitas vndique coartata eſt. Laborant externi, vexantur interni. Sed cùm Sarraceni valde coartarentur, & nulla ſpes iam B
eis eſſet euadendi, ſub fidei pactione iurata, & à Rege confirmata, ne occiderentur, ſed quocumque vellent ſine contradictione abirent, permiſſi ſunt ea conditione Rex & ſui in vnam vrbis partem ingredi. Quod dum ita fieret, neſcio quo euentu ortus eſt tumultus magnus inter minores Ianuenſium repentinus: qui per chordas & per ſcalas murum conſcenderunt, & vrbem introierunt. Et qui inuentus eſt ibi Sarracenus, illicò capite truncatus eſt. Qui autem in circo Regis fuerunt, iuxta pactionem indè factam ab eo defenſi ſunt.

Ter decies Cancro dederat iam lumina Phœbus,
Si tria de numero tamen eiciendo recidas,
Vrbem cùm Tripolim capiunt gens bellica per vim.

1110. XL. *Quomodo Beritus ciuitas capta ſit.* Anno mcx. dum menſis Febrius adhuc imbribus hibernis terras cohiberet, profectus eſt Rex Baldvinvs Beritvm ciuitatem, & obſedit eam. Cui venit in auxilium Bertrannvs Comes Tripolitanus. & conſedit exercitus ad primum ab vrbe lapidem. Cúmque per lxxv. dies, vt opinor, ciuitatem vndique coartaſſent, & naues, quæ ad ſubſidium eorum illuc confluxerant, naues noſtræ intra portum concluſiſſent: turribus ligneis muro tunc admotis, Franci noſtri auſu magno de illis ſuper murum nudatis cum enſibus proſilierunt. Deſcendentes itaque in ciuitatem, cùm per portas etiam multi ingrederentur, fugientes hoſtes vehementer perſequentes, denique peremptos ſuperauerunt, corúmque C
pecuniam totam diripuerunt.

Anno milleno centeno, bis quoque quino,
Vrbem Beritum virtus capit armipotentum.
His decies ortus ſub Tauri ſidere Phœbus,
Térque quatérque fuit, cùm factum contigit iſtud.

XLI. *Quod Rex Baldvinvs & Princeps Tancredus contra Turcos Edeſſam obſidentes profecti ſunt.* His ita geſtis, rediit Rex Hieruſalem, Deo laudes debitas redditurus, per quem triumphauerat. Deinde parauit ſe iturum contra Turcos, qui Edeſſam Meſopotamiæ vrbem obſidebant. Tunc quidem vidimus Cometam vnum per noctes aliquot, ad auſtrum radios ſuos extendentem. Tancredus etiam tunc adunauit gentem ſuam Antiochiam, quantamcumque potuit, expectato iam Rege per dies aliquot. qui ſimul congregrati ſuut ante fluuium Eufratem. Quo tranſito, inuenerunt ſtatim Turcos, quos appetebant: qui per regionem illam cateruatim diſcurrentes, Regis expectabant aduentum. Sed quia ſciebant milites noſtros eſſe probiſſimos bellatores, & mirabiles de lanceis percuſſores, non ſunt auſi cum eis bellum committere: ſed fugitiua calliditate ab eis diuertentes nec bellare audebant, nec in Terram ſuam ſecedere volebant. Et cùm aſtutia tædioſa per dies plurimos nolentes prœliari noſtros fatigare ſtuduiſſent: ſumpto neceſſitatis & vtilitatis conſilio, muniuit Rex Edeſſam vrbem annonâ, qua multum indigebant

A inhabitantes. quia vaſtauerant Turci regionem in circuitu. Comprehenſis caſtellis & colonis, quibus ciuitas prædicta paſcebatur, non ampliùs morantes ad fluuium memoratum redierunt. Qui cùm paulatim cum ratibus paucis & modicis tranſiſſent, affuerunt illicò poſt eos venientes Turci verſipelles & rapaces, qui multos de peditibus noſtris ibi arripuerunt, & in Perſidam abduxerunt. de Armenis videlicet inopibus, quos Turci iam impiè vaſtauerant. Et quia difficultas erat flumen tunc ad eos tranſmeare, ſatis indè dolentes viam incœptam tenuerunt; Tancredus eundo Antiochiam, Rex verò redeundo Hieruſalem. 1110.

XLII.

Quomodo Sydon, quæ Sagitta dicitur, à Rege & à Noroenſibus obſeſſa & capta ſit.

Applicverant interim Ioppe gens quædam Noroenſis, quam de mari occiduo concitauerat Deus, vt Hieruſalem peregrinarentur. quorum claſſis nauium LV. erat. Horum primus erat iuuenis formâ valde ſpecioſus, Regis terræ illius germanus. Cúmque regreſſus Rex fuiſſet Hieruſalem, aduentu eorum gauiſus, cum eis locutus eſt amicabiliter: monens eos & deprecans, vt pro amore Dei morarentur in Terra ſua aliquantulum, & iuuarent Chriſtianiſmum ampliùs prouehendum & amplificandum. vt expleto vtcumque negocio Chriſti, in Terram ſuam poſtea gratias Deo magnificas redderent. Quam petitionem illi benignè ſuſcipientes, reſponderunt non pro alia cauſa Hieruſalem veniſſe: ſed quocumque eum exercitu ſuo Rex progredi vellet, ipſi marino itinere ſimul voluntariè proficiſcerentur. tantùm vt victum eis neceſſarium impendere curaret. Hinc
B eſt conceſſum, illinc peractum. Et cùm primitus Aſcalonem adire diſpoſuiſſent, laudatiori demum ſumpto conſilio, Sydonem ciuitatem adeuntes obſederunt. De Ptolomaida, quæ frequentiùs *Achon* dicitur, mouit Rex exercitum ſuum. Noroenſes verò de Ioppe nauigio proceſſerunt. Tunc claſſis Admiraldi Babylonij in Tyrio portu latitabat, qua Sarraceni ritu pyratico Chriſtianis noſtris peregrinis perſæpè oberant: & ciuitates maritimas, quas adhuc Rex Babylonis poſſidebat, munientes vegetabant. Cùm autem de Noroenſibus murmurare audiſſent, nec de portu Tyrio egredi, neque cum eis congredi auſi ſunt. Cúmque ad Sydonem ventum eſt, obſedit eam Rex à terra, Noroenſes verò à mari. Et factis machinis, terruit valde inter nos hoſtes, ita vt quærerent à Rege qui ſolidarij erant, quatinus eos ſanos indè exire permitteret: & ſi ei placeret, agricolas ad excolendum terras causâ vtilitatis ſuæ in vrbe remanerent. Hoc petierunt, hoc impetrauerunt. Sine donatiuo quidem ſic ſolidarij abierunt. turicolæ verò ſub pactione prædicta pacificè remanſerunt.

Iam decies nouies Sol viſerat Arcitenentem,
Vrbem Sydonij cùm reddunt menſe Decembri.

1111.

XLIII.

De Turcorũ peſſima inquietatione, atque Regis Baldvini, *& Tancredi contra eos profectione.*

Anno mcxi. ebulliit è Perſide Turcorum gens maxima, qui per Meſopotamiam meantes Eufratem fluuium tranſierunt, & obſederunt caſtrum quod *Turbexel* vocatur. morantes ibi vno menſe. Et cùm non poſſent iſtud ſtatim comprehendere, quia forte ſitu eſt, tædio moleſtati dimiſerunt obſidionem. in partes Ca-
C lipti vrbis ſecedentes. Nam callidè verſutiantes, moliebantur irritare Tancredvm, vt contra eos exiret ad bellum: vt ab Antiochia elongatum poſſent cum ſua gente magna eum intercipere, & omninò deſtruere. Sed Tancredus aſtuciam aſtuciæ opponens, noluit per ſtultam audaciam ſuam confundere probitatem: ſed miſit Legatos Regi Baldvino, per eos humillimè depoſcens, vt Chriſtianiſmo ſuccurrere feſtinaret. Quo audito, ſpopondit Rex auxilium facere petitum. Et Terra ſua cuſtodibus commiſſa, properauit ad bellum: ducens ſecum Bertrannum Comitem Tripolitanum. Qui cùm perueniſſent ad oppidum, quod *Rugeam* nuncupant, prope *Ruſam*: affuit ibi Tancredus, qui aduentum Regis iam per quinque dies expectauerat. Quo cum gaudio ſuſcepto, depoſita ſunt tentoria, & extenſa ſecus flumen *Fernum*, hoſpitalitatem agentes Hieroſolymitani cum Antiochenis. Et non ibi morantes, perrexerunt vſque *Apamiam* vrbem, quæ iam ſub Tancredo villicabatur, dudum ab eo probiſſimè capta. Deinde contra Turcos progreſſi ſunt, qui ante vrbem quam dicunt *Siſaram* caſtra metati ſunt. quam vrbem litteratoriè nominare neſcio. ſed *Ceſar* incolæ regionis eam vulgariter vocitant. quæ ab Apamia ſex millibus diſtat. Turci autem, quia iam audierant Francos contra eos incedere, in virgultis & in clauſuris ciuitatis antedictæ ſe inſerue-rant, vt ſecuriùs ſe tueri poſſent, ſi fortè impetu Francorum coërcerentur. Verumtamen cùm milites noſtros appropinquare ad eos conſpexiſſent, exierunt de

1111. munitione iamdicta, genti noſtræ ſe monſtrantes. Attamen callentes, & non præ- A
ſumpſerunt bellare, & noluerunt fugere. Milites verò noſtri per catervas ordi-
nati, cùm viderent eos ſparſim per campos diſcurrere, & non ad bellandum ſe
aptare, vitantes damnum noluerunt eos impetere. Itaque tam metu quàm verſu-
tiâ vtrimque circumflexi Turci inibi remanſerunt. Noſtri quoque tramite reci-
diuo reuerſi ſunt. Et quoniam victuale tam ſibi quàm iumentis ſuis deficiebat,
nequaquam diutiùs eos ibi morari oportebat. Rediit Rex Hieruſalem, cum quo
illic eram. Tancredus verò Antiochiam.

XLIV. NEC mora indè fuit, apparatu accelerato aggreſſus eſt Rex TYRVM ciui-
tatem, quæ *Soor* Hebraicè dicitur, & obſedit eam. Quam cùm per quatuor men-
ſes & eò ampliùs admodùm vexaſſet, idem etiam cum ſuis tædio & labore valde
fatigatus, triſtis indè abſceſſit. Nam cùm duas turres, quas artificioſè ligneas
muro altiores fieri iuſſerat, prope murum iam impegiſſet, vnde ciuitatem com-
prehendere ſe putabat: ſentientes Sarraceni ſe morti proximos, niſi artem arte
fallerent, ingenium ingenio oppoſuerunt, probitatem probitate fefellerunt. Cùm
enim altitudinem turrium noſtrarum ſe ſuperare penitus conſpicerent, confeſtim
egentes auxilij nocturna operatione duas turres murales in ſublime adeò extule-
runt, vt de ſupernis propugnaculis earum probiſſimè ſe defenderent; & in turres
noſtras inferiores focum accenderent, & concremarent. Quo infortunio milites
noſtri ſuperati, dolore quoque circumfuſi, rupto ſpei ſuæ fune, regreſſus eſt Rex
Achon. Verè verum eſt prouerbium iſtud ruſticani. *Interdum buccam cochlear fru-
ſtratur apertam.* Iam gens noſtra capturam rapinarum diſtribuerat. Iam alij aliis B
proportionibus incertis inuidebant. Iam diem captionis tanquam ſibi certum di-
uinabant. *Equus paratur ad bellum*, ait Salomon, *Dominus autem ſalutem tribuet.*
Confidunt interdum homines in virtute ſua, non conſiderantes quid apud Deum
promeriti ſint, qui voce ſæpè illum inuocant, & operibus negant: & plus probi-
tatem ſuam in acquiſitis laudant, quàm miſericordiæ Dei donum glorificent.

Quòd Rex Tyrum, quæ Sur dicitur, obſidet, ſed nihil profecit.

1112. ANNO MCXII. lethale debitum TANCREDVS exſoluit, qui Antioche-
XLV. num regebat Principatum.

Iam bis terdecies Sol viſerat Architenentem,
Cùm ſubiit quod erat, vt quod fuit id foret ipſe.

Succeſſit ei ROGERVS cognatus eius. Anno illo bellorum expertes omninò
fuimus.

De morte Tancredi Principis.

1113. ANNO MCXIII. ab Incarnatione Dominica, dum menſe in Martio Lunam
XLVI. habebamus XXVIII. vidimus Solem à mane vſque ad primam, & eò ampliùs,
defectione quadam ab vna parte minorari. Et pars, quæ primitus à ſummo tabe-
ſcere cœpit, tandem quaſi in rotundo ad ima deuenit. Attamen Sol claritatem
ſuam non amiſit. Qui non minoratus eſt, niſi, vt æſtimo, à quarta parte ſuæ formæ
aliquantulum cornutus.

Hoc Eclypſis erat, quòd Sol ita deficiebat. C

De Signis apparentibus.

XLVII. ÆSTIVO deinde tempore congregati Turci tranſierunt Eufratem, Hieroſo-
lymorum partes adituri, & nos Chriſtianos vt rati ſunt deſtructuri. Qui regionem
Antiochenam ad dexteram relinquentes, non longè ab Apamia Syriam tranſeun-
tes, & Damaſcum ad læuam dimittentes, & inter Tyrum & Ceſaream Philippi,
quæ *Paneas* dicitur, per regiones Phœniceas meantes, calluerunt appetere Re-
gem BALDVINVM. Qui aduentu eorum audito, à Ptolomaida, hoc eſt *Acho*,
moto exercitu ſuo iam contra eos exierat. Prouidentes autem quod ſibi vtilius
eſſe ſenſerunt, cùm & noſtri ignorarent quid facere molirentur, circuierunt mare
Galileæ per terram Neptalim & terram Zabulon, vſq; dum in finem maris iam di-
cti ad auſtrum duo flumina, Ior ſcilicet & Dan, ſe includerent. Inſula quidem hæc
inter duos pontes tanta tuitione munitur, vt qui ibi fuerint propter introitus ar-
tos pontium non poſſint impeti. Cúmque Turci papiliones ſuos illic extendiſſent,
mox emiſerunt de ſuis duo millia tranſito ponte: vt inſidias noſtris pararent, quos
illuc accurrere indilatè non dubitabant. Cùm igitur Rex illuc tenderet, vt pro-
pe pontem memoratum, à quo Tyberiadem pergitur, poneret caſtra ſua: viſis
Turcis ferè quingentis, qui de inſidiis ſuis vt noſtros inuaderent erumpebant, il-
licò aliquanti contra eos imprudenter cucurrerunt: & cædendo eos perſequi non
formidauerunt, quoadusque de inſidiis duo millia prodierunt, qui noſtros vehe-

De prælio contra Turcos peracto, in quo Rex & Chriſtiani victi ſunt, & per hoc multa mala venerunt.

A menti aggreſſu repulerunt, & triplicata cæde in fugam diſperſi ſunt. Proh dolor! 1113.
grande dedecus grandia peccata noſtra die illo contulerunt. Fugit etiam Rex, ve-
xillo ſuo ibi perdito, tentorióque optimo cum rebus plurimis & vaſis argenteis.
Patriarcha ſimiliter qui aderat. Milites fermè XXX. de melioribus, pedites MCC.
perdidimus.

Ter quater exorto ſub Cancri ſidere Phœbo,
Diſſipat incautos truciter gens perfida Francos.

Nondum Regis militia illuc aderat tota. Nec ROGERVS Princeps Antioche-
nus Richardi filius ibi erat, qui mandatus pro amore Dei & dilectione Regis de
Antiochia illuc præproperè venerat. Pars quoque gentis Tripolitanæ iam exerci-
tui regio conglobata. Vnde omnes iſti contriſtati ſunt valdè, & immodeſtiam
Regis vituperauerunt: eò quòd ſine conſilio eorum & auxilio inordinatè & in-
conſultè aduerſus hoſtes illos ſic concurriſſet. Et quia nequiuerant tunc nocere
Turcis in aliquo, hoſpitati ſunt non longè ab eis: vt tota die ſe mutuo vtrique con-
ſpicere poſſent. Maledoctus vocabatur Dux eorum militiæ, qui Regem Damaſci
Tuldequinum nomine in auxilium ſibi conglutinauerat. Ille gentem adduxerat
multam. iſte verò de Syria ſibi ſubiecta congregauerat innumeram. In valle Tur-
ci erant, in monte Franci conſidebant. Nec Turci audebant de inſula exire ſua,
nec Franci poterant eos aſſilire. Iſti callent, illi timent. hi callidi, iſti prouidi.
B Temporis æſtiui feruor cohibebat vtroſque. Nec tamen angori poterat finem da-
re tanto. Tunc abſentes mirantur, quid præſentes morabantur. Sarraceni, qui
erant nobis ſubditi, receſſerunt à nobis: quaſi alieni nos vndique anguſtiantes.
Turci etiam de exercitu ſuo cateruatim prodeuntes, Terram noſtram vaſtabant:
prædam & annonam per Sarracenos noſtros exercitui ſuo mittebant. *Sichen*, quam
vrbem *Neapolim* dicimus, tam interim obtinuerunt, quàm diripuerunt, additis ſibi
Sarracenis, quos in montanis poſſidebamus. Aſcalonitæ verò, Arabes, & Sarra-
ceni, gens tamen pauca, Hieruſalem adierunt. Quadam die vſque antemurale
vrbem peruaſerunt, meſſes ibi coadunatas igni combuſſerunt, ſagittis ſuis ali-
quantos de noſtris in muri propugnaculis vulnerauerunt. de illis tamen plures ad
mortem læſi ſunt. Milites quippe ciuitati deerant, quia in hoſtem iuerant. Nocte
ſequenti Aſcalonitæ iſti abierunt, vndè ſatis noſtri lætati ſunt, quoniam ab eis ob-
ſideri timuerunt.

EA tempeſtate aut vix aut numquam valebat nuncius ad Regem ab aliquo no- XLVIII.
ſtrûm mittendus exire, nec ab eo ad ciuitates noſtras propter inſidias tranſire: ideò *De metu ni-*
quod neſciebatur ab illis quid iſti, nec ab iſtis quid facerent illi. Ruribus in mul- *mio, qui*
tis marcebat meſſis adulta. Nec qui colligerent in agros exire videres. Non au- *vniuerſos*
debant enim. Eo quidem anno meſſis abundans fuit. Sed dum mare turbatur, *cohibebat.*
homines terret ne piſcentur. Cuncta cunctis in dubio pendebant. & quibus trium-
phum daturus eſſet Deus, vnanimiter expectabant. Christiani noſtri à negociis
C & operibus ceſſabant, excepto quòd vrbium & munitionum fracturas reſarcie-
bant.

INTEREA terræ motum ſenſimus bis, ſcilicet XV. Kal. Auguſti, & V. Idus XLIX.
eiuſdem: primum nocte media, ſecundum diei hora tertia. Turci autem verſi- *De Terræ-*
pelles, cùm per duos menſes oportunitatem vel diſſipandi vel ſuperandi noſtros *motu, &*
expectaſſent, nec potuiſſent: quia de tranſmarinis partibus, vt mos eſt, venienti- *quod Rex*
bus peregrinis, eo tempore diatim exercitus noſter creſcebat, nec gens Antioche- *Comitiſſam*
na abibat, ſeceſſerunt in partes Damaſcenorum. Et Rex BALDVINVS cum *Siciliæ duxit*
ſuis Ptolomaidam reuerſus eſt, vbi Comitiſſam Siciliæ repperit, quæ coniunx fue- *vxorem.*
rat ROGERI Comitis Roberti Guiſcardi fratris: nunc autem vxor futura Re-
gis Balduini. Nec mora, poſtmodum apud Damaſcum interemptus eſt Maledo-
ctus * à quodam Sarraceno. Qui ſicca ſub veſte occultata, & ter in ventrem illius ** In edit.*
impacta, duplex illuc expleuit homicidium. Illo enim occiſo, ſic & ipſe confeſtim *Maudul-*
ab aſſiſtentibus occiſus eſt. Dira victoria, qua qui vincit vincitur. Itaque conti- *fus, & Mau-*
git iuxta illud Philoſophi, *Fortuna vitrea eſt, tunc cùm ſplendet frangitur.* Erat Ma- *dulfus.*
ledoctus diues valdè & magnipotens, inter Turcos nominatiſſimus, & in actibus
ſuis aſtutiſſimus. Sed voluntati Dei reſiſtere non valuit. Permiſit eum Dominus
aliquandiu nos flagellare, poſtea voluit morte vili & imbecilli manu perire.

1114. L.

De Terræmotu multis locis exiſtẽte.

ANNO MCXIV. multitudo locuſtarum infinita ebulliit, à parte Arabiæ aduolans in Terra Hieroſolymirana. quæ per dies aliquantos ſegetes menſe Aprili & Maio multum vaſtauerunt. Deinde die feſto Sancti Laurentij terræ motus factus eſt. Tempore autem ſequenti, quod accidit Idus Nouembris, apud vrbem *Mamiſtriam* terræ motus partem ſubruit oppidi. Irem maior & inauditus regionem Antiochenam adeò per loca concuſſit, vt oppida plurima ſiue tota, ſiue dimidia, tam domos quàm muralia ſolo tenus ſubrueret. in qua etiam ruina pars plebis ſuffocata interiit. *Mariſcum* dicunt ciuitatem ab Antiochia LX. vt æſtimo, diſtantem milliariis, in parte Septentrionali: quam ſubuertit in tantùm commotio illa, vt domus & muralia penitus corruerent, & populum inhabitantem, proh dolor! cunctum extingueret. Aliud quoque oppidum, quod *Traleth* nuncupatur, prope fluuium Eufratem nihilominus ſubruit. A

1115. LI.

De aduentu Turcorum, & obſidione Ioppitarum ab Aſcalonitis, & Babylonienſibus.

ANNO MCXV. probitatem & audaciam ſolitam Turci renouantes, menſe Iunio tacitè ſatis flumine tranſito Eufrate, ingreſſi ſunt Syriam: & caſtra metati ſunt inter Antiochiam & Damaſcum, ſcilicet ante *Ceſar* ciuitatem. Vbi ſimiliter in quarto ante anno ſtationem ſuam fecerant, vt ſuperiùs iam ſcriptum eſt. Comperiens autem & ſciens Tuldequinus Rex Damaſcenorum, nihilominus ſe eſſe odioſum illis quàm nos Chriſtianos, propter Maudulfum, quem in præterito, vt ſuperiùs legitur, anno doloſè conſenſerat perimi, qui Magiſter Satrapa fuerat militiæ eorum, fecit cum Rege BALDVINO & Rogero Principe Antiocheno pacem: vt eis adiunctus duobus tertius, quaſi funiculus triplex efficeretur, ne à Turcis poſtea facilè rumperetur. Metuebat enim ne ſi ſolus remaneret, ipſe cum Regno ſuo penitus confunderetur. Neceſſitate verò vrgente, & mandatione Antiochenorum monente, iuit Rex ad prœlium fore putatum. Sed cùm audiſſent Turci ad eos iam appropinquaſſe, quem Antiochenſes & Damaſceni per tres ferè menſes expectauerunt, metuentes mortis ſuæ periculum, ſi contra tantam gentem bellarent: quamuis multò plures eſſent, abierunt retrò tacito ſatis motu, & ſubierunt caueas quaſdam, non longè tamen à noſtris. & cùm hoc feciſſent, arbitrati ſunt Rex & alij, quod à regionibus noſtris omninò diſceſſiſſent. Quapropter regreſſus eſt Rex vſque Tripolim. Dum autem hæc ita agerentur, ſcientes Aſcalonitæ terram Hieroſolymitanam militibus vacuam, accurrerunt vſque Ioppem ciuitatem noſtram, & appoſuerunt ei obſidionem tam per mare quàm per terram. Affuit enim ibi Babylonica claſſis LXX. fermè nauium: quarum aliæ triremes, aliæ verò roſtratæ, aliæ negociationis annonâ onuſtæ. Hi à parte maris egreſſi, & alij à terra parati aſſilierunt vrbem. Et cùm per ſcalas, quas ſecum attulerant, murum aſcendere pertentarent, à ciuibus licèt paucis & infirmitate debilibus viriliter repulſi ſunt. Sed cùm viderent ſe non poſſe quicquam proferre, ſicut rati ſunt, præter portas vrbis quas igni combuſſerunt, timentes ne fortè Hieroſolymitani Ioppitis auxilium ferrent, quibus iam hoc nunciatum fuerat: reuerſi ſunt Aſcalonem qui per terram venerant. qui verò per mare, Tyrum nauigauerunt. C
Poſt dies autem decem regreſſi Aſcalonitæ Ioppem, arbitrantes prouidi improuidos aſſultu repentino confundere. Sed Deus omnipotens, qui eos primò, ſimiliter ſecundò eos protexit, & conſeruauit. In defendendo etiam ſe aliquantos ex illis occiderunt, & de equis eorum retinuerunt. Cum fundibulis cœperunt vrbem cohibere, & cum ſcalis vt priùs tentauerant introire, quas in nauiculis ſecum detulerant. Sed cùm per ſex horas diei ſe fatigaſſent, mœſti nimis cum mortuis ſuis abierunt.

LII.

De pugna Turcorum & Antiochenorum, in qua Antiocheni victoriam adepti ſunt.

TVRCI autem ſuperiùs memorati cùm gentem noſtram remeaſſe comperiſſent, regreſſi ſunt ad ſtationem ſuam priorem, & diſcurrerunt per regiones Syriæ: capientes caſtella quot potuerunt, villáſque prædando, atque vaſtando patriam. captiuos captiuáſque ſecum abducendo. Sed cùm hoc nunciatum eſſet Antiochenis, qui ſe iam retraxerant recidiuo tramite, haud lentè ad Turcos reuerſi ſunt. Et cùm adpropinquaſſent ad eos, & tentoria eorum propiùs quàm putaſſent aſpexiſſent, ordinauerunt ſtatim acies ſuas, & deſcenderunt in plana. vexillis explicatis contra eos equitantes. Iuxta *Sarmit* oppidum fuit hoc prœlium. Cúmque vidiſſent eos Turci, pars eorum vna ſagittaria illicò fortiter obſtitit. Sed Franci noſtri animoſitate valida commoti, eligentes vel eos ſuperare ſi Deus concederet,

A vel ſuperari ſi permitteret, quàm per vnumquemque annum ita ab eis confunde- 1115.
rentur: vbi turbam denſiorem conſpexeruit, mirificè eos impetierunt. Turci au-
tem aliquantulum primitus renitentes, dein haut lentè tam percuſſoribus quàm
occidentibus terga fugientes dederunt. De quibus æſtimati ſunt tria millia occiſi,
capti multi. Et qui occidi vitauerunt, fugâ ſe liberauerunt. Tabernacula ſua per-
diderunt, in quibus multa pecunia & vtenſilia reperta ſunt. Cuius pecuniæ pre-
cium æſtimatæ, CCC. biſanciorum millia reputata ſunt. Captiuos noſtros ibi re-
liquerunt, tam Francos quàm Syros. Mulieres quoque ſuas & ancillas, camelóſ-
que quamplurimos. Millia mulorum percenſita ſunt & equorum. Verè Deus mi-
rabilis in cunctis mirabilibus ſuis. Dum enim Hieroſolymitani vnà cum Antio-
chenis Damaſcenîſque parati ad prœliandum fuerunt, nihil omninò profecerunt.
Numquid in multitudine gentis conſtat victoria bellantium? Mementote Ma-
chabeorum, & Gedeonis, & aliorum plurium: qui non in ſua, ſed in Domini
confidentes virtute, cùm paucis multa millia proſtrauerunt.

His ita deſcriptis, erit actio nota futuris.
Tres aberant noctes vt abiret Virginis aſtrum,
Cùm malè deceptrix Turcos fortuna fefellit.
Omnibus vnde ſatis liquidò patet eſſe cauendum,
Ante rei finem nihil vmquam credere certum.

B Ipſo anno iterum ſubuerſa eſt vrbs Mamiſtria terræ motu. Aliàs etiam in regione
Antiochena non minus accidit. Anno eodem venit quidam Epiſcopus Auraſicen-
ſis ab Apoſtolico miſſus Hieroſolymam, & depoſuit Arnulfum Patriarcham de
Sede ſua. Quapropter Romam adiit, & Patriarchatum recuperauit.

Eo anno profectus eſt Rex BALDVINVS in Arabiam, & ædificauit ibi ca- LIII.
ſtrum vnum in monticulo quodam ſitu forti, non longè à Mari Rubro, ſed quaſi *De caſtro*
dierum trium itinere, ab Hieruſalem verò quatuor. & poſuit in eo cuſtodes, qui *in Arabia*
patriæ illius dominarentur ad vtilitatem Chriſtianiſmi. Quod caſtrum ob honori- *conſtructo.*
ficentiam ſui *Regalem-montem* nominari conſtituit: quia paruo tempore cum pauca
gente, ſed maxima probitate, illud ædificauerat.

ANNO MCXVI. cùm de Hieruſalem caſtrum ſuum reuiſurus Rex graderetur 1116.
in Arabiam cum ducenris fermè militibus, vſque ad Rubrum Mare iter agendo LIV.
expediuit: vt & videret quod nondum viderat, & fortuitu in via aliquid boni quod *De expedi-*
deſiderabat inueniret. Tunc inuenerunt *Helim* ciuitatem ſecus littus eiuſdem ma- *tione Regis*
ris, vbi populum Iſraëliticum poſt maris tranſitum hoſpiratum eſſe legimus. De *in Arabiam,*
qua qui ibi verſabantur, audito Regis aduentu, egreſſi ſunt: & intrantes nauicu- *& de his qua*
las ſuas, in mare pauidi ſe impegerunt. Cùm autem Rex & ſui locum illum quan- *ibi vidit.*
diu libuit conſideraſſent, reuerſi ſunt ad Regalem-montem caſtrum ſuum, dein-
de Hieruſalem. Qui cùm nobis ea quæ viderant narrarent, delectabamur tam
dictis quàm in coeleis marinis, & lapillis quibuſdam generis tenerrimi, quæ nobis
C allata monſtrabant. Ego ipſe auido corde plenè rimabar ab ipſis, cuiuſmodi ma-
re erat. qui huc vſque dubitaueram, vtrum ſalſum an dulce erat: ſtagnum vel la-
cus, aut intrans & exiens vt mare Galileæ: ſiue meta finali concluderetur vt Ma-
re Mortuum quod Iordanem recipit, ſed poſtea nuſquam emittit. Nam ab auſtro
apud *Segor* ciuitatem Loth finem facit.

HOC autem *Mare Rubrum* dictum, eo quòd ſaburra & lapilli rubri ſint in fun- LV.
do. vnde intuentibus rubrum patet. quod etiam in vaſe quolibet hauſtum tan- *De Mari*
quam aliud mare limpidum eſt & album. Dicitillud à mari Oceano diriuari à par- *Rubro.*
te auſtrali, quaſi lingua eruptum, & vſque ad Helim iam dictam verſus Septen-
trionem protentum, vbi finem facit non longè à monte Sinaï, ſed quantum po-
teſt equo aliquis vno die proficiſci. A Rubeo verò Mari, vel ab Helim memorata,
vſque ad Mare Magnum, quo ab Ioppe, vel Aſcalone, vel Gaza, verſus Damiath
pergitur, iter eundo dierum quatuor vel quinque equitis ambulatione æſtimans.
Quo ſinu inter hæc duo maria cingitur tota Egyptus, atque Numidia, necnon
Ethiopia, quam Geon Paradiſi fluuius, qui eſt Nilus, circuit, vt legimus.

POSSVM mirari, ſed numquam rimari, quomodo vel qualiter fluuius iſte LVI.
Geon, qui de Paradiſo cum tribus aliis legitur emanare, ortum ſuum videatur ite- *De flumine*
rum recuperare: cùm ab Orientali parte habeat Mare Rubrum, & ab Occaſu, in *Geon.*
quo incidit, mare noſtrum. Habet enim inter ſe & Orientem Mare Rubrum. in

1116. quo Oriente intelligimus eſſe Paradiſum. Quomodo verò circa Mare illud Rubrum reſumit ortum ſuum, & quomodo tranſit illud mare, vel non tranſit, vehementer admiror. A

LVII. *De Eufrate.* De Eufrate ſimiliter addicimus, quòd in Armenia ortum ſuum habeat, & poſtea per Meſopotamiam tranſeat, XXIV. milliariis, vt opinor, ab vrbe Edeſſa. Quærat qui vult, diſcat qui valet. Nam hoc diſcere à quampluribus perſæpè inquirendo ſtudui: ſed qui hoc mihi inſinuaret nequaquam inuenire potui. Committo autem illi enucleare, qui ſuper cœlos etiam aquas mirificè ineſſe ſtatuit: quique eas in montibus & collibus & conuallibus oriri facit, & per occultos meatus curſibus viuidis vias multifidas eis præbuit, & in mare denique mirabiliter inducit & reducit. Exitu ſiquidem anni appropinquante, moleſtia corporis ingruente, quia Rex moti tunc timuit, dimiſit vxorem ſuam ſuperiùs memoratam, Siculorum ſcilicet Comitiſſam nomine ADELAIDEM: quia iniuſtè duxerat eam, eò quòd adhuc viueret ſua, quam apud vrbem Edeſſam antè rectè duxerat.

1117. LVIII. *De maxima peſtilentia locuſtarum.* ANNO MCXVII. ab Incarnatione Domini Regina memorata è portu Ptolomaida egreſſa, die qua ritu Eccleſiaſtico Letania maior decantata eſt, ſeptem cum nauibus in comitatu ſuo Siciliam transfretauit. Deinde Maio menſe aduolauerunt in Terram Hieroſolymitanam locuſtarum infinita multitudo, ampliùs ſolito deuorantes tam vineas quàm ſegetes, necnon arbores omnigenas, quas videretis accuratè ad motem exercitus hominum per vias tanquam conſilio prouido prolocutas ordine progredi. Et facta expeditione ſua diurna, aliæ pedites, aliæ verò volantes, hoſpitium ſibi communirer eligebant. Conſumptis itaque herbis viridioribus, & arborum corroſis corticibus, tam bruci quàm lócuſtæ cateruatim abierunt. O improbitas hominum peruerſè inceſſanter malignantium! Tot & tantis nos conditor noſter increpationibus tangit, & præmunit. ſignis territat, minis concitat: documentis edocet, flagellis coërcet. Et ſemper in iniquitatibus noſtris perſiſtentes, monita eius contemptui habemus, & præceptis eius ſuperbè contraimus. Quid mirum, ſi Sarraceni, vel iniqui Domini, auferunt nobis terras noſtras: cùm nos in proximorum noſtrorum agros manus extendimus rapaces, quos quidem aut aratri ſulcatione fraudulenter excurtamus, aut circumuentionibus cupidis ſubripiendo priuamus, & noſtros malitioſè ex his augmentamus? Quid mirum, ſi Deo permittente ſata noſtra vel mures in terra iam ex genimine radicata diſſipent, vel pòſt in ſpicis iam adulta locuſtæ deuorent: aut etiam in granariis vermibus quibuſlibet, aut nidore calcino lædantur? cùm decimas Deo debitas vel fraudulenter reddimus, vel omninò ſacrilegè retinemus? B

LIX. *De ſigno Lunæ.* SEQVENTI quidem menſe, qui Iunius erat, apparuit nobis in cœlum ſuſpicientibus Luna poſt Galli cantum, priùs tota rubea, nouiſſimè verò mutato rubore nigredine adeò fuſcata eſt, vt vim ſui luminis per duas ferè horas perderet. Contigit autem hoc die, qua eam tertiamdecimam habebamus. Quod ſi quartadecima die eſſet illo, eclypſim nimirum eius eſſe intelligeremus. Quod ergo pro ſigno id accepimus, ex hoc quidam coniectabant rubore in prœlio fore fundendum ſanguinem. Alij verò nigredine ſignificabant venturam famem. Nos verò diſpoſitioni & prouidentiæ Dei hoc commiſimus, qui in Sole & Luna diſcipulis ſuis prædixit ſigna fore ventura. Qui etiam quando vult terram facit tremere, & poſtea quieſcere. quod ſubſequenter accidit in eodem menſe noctis intempeſtæ ſilentio, VI. Kal. Iulij. C

LX. *De caſtro prope Tyrum ædificato.* TVNC ædificauit Rex quoddam caſtrum prope Tyrum vrbem, intra quintum ab vrbe milliarium, quod vocauit *Scandalion*, & *Campum-Leonis* interpretatum. & refarciuit diruta eius, & poſuit in eo cuſtodes ad coërcendum vrbem prædictam.

LXI. *De ſigno mirabili in Sole apparente.* EODEM anno menſe Decembri, nocte quinta poſt eclypſim Lunæ, quæ acciderat cùm tertiamdecimam pronunciabamus, vidimus omnes cœlum nocte incœpta in Septentrionali parte vel ignei vel ſanguinei coloris fulgore reſperſum. Quod ſignum ſignis mirificis plenum ſuſpicientes, vehementer admirati ſumus. Nam per medium ruborem illum, qui primitus paulatim excreſcere cœpit, videbamus radios alburni coloris quamplures ab imo ſurſum mirum in modum extolli, nunc antè, nunc retrò, nunc in medio. In parte autem inferiori cœlum parebat album, ac ſi aurora eſſet diei, quæ prope diem clareſcere ſolet, cùm iam Sol oriri debet. In fronte etiam ſigni huius, in ea videlicet parte, videbamus alborem quaſi

deberet

A deberet Luna oriri. vnde terra vndique, & cetera loca circa nos exiſtentia, clarè 1117.
candebant. Quòd ſi in matutino ſic eueniret, diceremus omnes, quia dies clara
eſt. Coniciebamus ergo indè vel ſanguinem multum in bello fundendum, aut
aliud aliquid non minus præſaglj minacis fore futurum. ſed quod incertum habe-
bamus, Domino Deo diſponendum humillimè committebamus. Quod etiam
portentum ad defunctionem perſonarum, quæ anno ipſo obierunt, ſignificantes
aliquanti ſortiti ſunt. Subſequenter enim mortui ſunt, PASCHALIS Papa men-
ſe Ianuario, BALDVINVS Rex Hieroſolymorum menſe Aprili, necnon vxor
eius in Sicilia, quam dereliquerat. Hieroſolymis etiam Patriarcha Arnulfus: Im-
perator quoque Conſtantinopolitanus ALEXIS, & alij quamplures Proceres
in mundo.

ANNO à partu Virginis MCXVIII. cùm in exitu Martij menſis vrbem, 1118.
quam *Pharamiam* nominant, BALDVINVS Rex aggreſſus hoſtiliter vaſtando LXII.
diripuiſſet, die quadam, cùm deambularet fluuium, quem Græci dicunt *Nilum*, *De morte*
Hebræi autem *Geon*, oppido memorato proximum, cum aliquantis de ſuis lætus *Regis BAL-*
adiiſſet, & de piſcibus illic inuentis equeſtres lanceis ſuis cautè cepiſſent, & ad *DVINI*
hoſpitia ſua ad vrbem præfatam detuliſſent, & ex eis comediſſent: ſenſit Rex in- *primi.*
trinſecus ſe angore plagæ ſuæ veteris grauiſſimè renouato debilitari. Quo ſuis
confeſtim intimato, pro infirmitate illius audita cuncti proindè compatientes con-
B triſtati & conturbari ſunt. Reditu autem ſtatuto, cùm non poſſet Rex equitare,
de papilionum perticis lecticam ei apparauerunt, in qua eum collocauerunt. Et
præcone ſignum cornu dante, remeare Hieruſalem edictum eſt. Cúmque vſque
villam, quæ dicitur *Laris*, perueniſſent, infirmitate ingruente, & illum penitus
conſumente, defungitur. Et locatis eius inteſtinis, & ſallitis, atque in loculo
conditis, Hieroſolymam properauerunt. Die ſiquidem, quo palmarum rami ex
more deferri ſolent, ordinatione Dei, & euentu inopinabili, ad proceſſionem,
quæ de monte Oliueti in vallem Ioſaphat tunc deſcendebat, caterua lugubris, &
dolendi funeris latrix aduenit. Quo viſo, & ſicut erat cognito, pro cantu luctum,
pro lætitia gemitum, cuncti qui aderant dederunt. Plorant Franci, lugent Syri,
& qui hoc videbant Sarraceni. Quis enim ſe continere poſſet, qui non ibi piè fle-
ret? Igitur tunc ad vrbem redeuntes, tam clerus quàm populus fecerunt quod
dolori conuenit & conſuetudini. Et ſepelierunt eum in Golgota iuxta GODE-
FRIDVM Ducem germanum ſuum.

Cùm Rex iſte ruit, Francorum gens pia fleuit:
Huius erat ſcutum, robur, & auxilium.
Nam fuit arma ſuis, timor hoſtibus, hoſtis & illis:
Dux validus patriæ, conſimilis Ioſuæ.
Acchon, Ceſaream, Berithum, necne Sidonem,
Abſtulit infandis hoſtibus indigenis.
C *Poſt terras Arabum, vel quæ tangunt Mare Rubrum,*
Addidit Imperio, ſubdidit obſequio:
Et Tripolim cepit, ſed & Arſuth non minus vrſit.
Pluráque præterea fecit honore rata.
Obtinuit Regnum Rex octo decémque per annos,
Menſibus atque tribus inſuper appoſitus.
Sex decies Phœbus Veruecis viſerat aſtrum,
Cùm BALDVINVS *Rex obit eximius.*
Octies & decies faciens menſes duodenos;
Regis habes annos patriam quibus optimè rexit.

EXPLICIT LIBER II.

INCIPIT LIBER TERTIVS.

De geſtis BALDVINI *ſecundi.*

CAP. I. *Quòd die Paſcha* BALDVINVS II. *ſit in Regem conſecratus.*

Gitvr defunđo Rege Baldvino, inito ſtatim Hieroſolymitani conſilio, ne Rege carentes æſtimatentut debiliores: creauerunt ſibi Regem Baldvinvm Comitem videlicet Edeſſenum, Regis defuncti cognatum. Qui tranſito Eufrate fluuio Hieruſalem fortuitu aduenerat, eum ptædeceſſore loeuturus. Communiter electus, die Paſchæ eſt conſeetatus.

II. *De exercitu Babilonico congregato.*

Ipso anno eùm tempus ſubſequetetut æſtiuum, congregauerunt Babilonij exercirum valde grandem: millia quotum æſtimabantur xv. equitum, & xx. peditum. arbittantes Hieroſolymitanum deſtruere Chriſtianiſmum. Quibus, eùm vſque Aſcalonem perueniſſent, Rex Damaſeenorum Tuldequinus cum gente ſua in adiutorium proceſſit, Iotdanem tranſgreſſus. Ptæterea tune claſſis non modiea per mare illuc vſque noeitura nihilominus venit. Exin tam bellicæ, quàm mercibus onuſtæ naues Tyrum adierunt. Qui autem per terram venerunt, ante Aſealonem bellum expectantes temanſerunt. Tunc Rex Baldvinvs eum Antioehenis & Tripolitanis, quos ad hoe certamen venire per legatos mandauerat, aduerſus hoſtilem exereitum bellaturus ptoperauit. & Azoto quondam eiuitate Philiſtæa tranſita, tentoria de ſagmariis deponi, & defigi diſpoſuit haut longè à Babiloniis: itaut exercitus vterque quotidie alterutro aſpectu eerni poſſet. Sed quia alij alios valde aggredi formidabant, & viuere quàm mori malebant, cùm per tres ferè menſes diffetti tali atgumento vttimque calluiſſent, tædio affecti Sattaeeni bellare teeuſarunt, & Antiocheni ad ſua remeauerunt, treeentis militibus de ſuis Regi eommiſſis, qui ſi opus eſſet Regem ad pugnam robotarent, ſi Egyptij litem itetate pertemptarent. B

1119. Anno mcxix. ab Inearnatione Domini, Gelasivs Papa ſucceſſor

III. *De prælio & occiſione Antiochenorum cum Turcis pugnantium.*

Paſchalis obiit iv. Kalend. Februarij, & ſepulrus eſt in Cluniaeo. Poſt quem ſubſtitutus eſt Calixtvs, qui Viennæ vrbis Atehiepiſeopus extiterat. Prolixitatem Hiſtoriæ faſtidiemus; ſi eunđa enarrare velimus, quæ hoe anno in Antioehena regione miſerabiliter euenerunt. Quomodo Rogervs Antioehiæ Ptinceps cum Proeeribus ſuis & gente ſua contra Tureos pugnaturus exierit, & ptope Arthaſium oppidum interemprus eecidetit: vbi de Antiochenis ſeptem millia ſunt occiſi, de Tureis verò nec etiam viginti. Nee mirandum ſi permiſerit eos Deus confundi, eùm in diuitiis multimodis maximè abundantes, nec Deum timebant, nec hominem in peccando reuerebanrur. Nam iuxta vxorem ſuam ipſe Prineeps eum pluribus aliis adulterium impudenter eommittebat. Dominum ſuum Boamvndi filium in Apulia eum matre ſua morantem exhetedabat, & multa alia tam ipſe quàm Proeeres ſui viuendo ſuperbè & luxurioſè agebant. Quibus competit verſus iſte Dauiticus diei: *Prodiit quaſi ex adipe iniquitas eorum.* Vix enim inter delieias affluentes modus ſetuabatur. C

IV. *Quòd Rex* BALDVINVS *ſumpta Cruce Dominica ad auxiliandum properauit.*

Post hanc Antioehenorum oeeiſionem ſeeuta eſt ſeeunda ſatis victoria, quæ propitiante Deo Hieroſolymitano populo mirificè ſueeeſſit. Nam eùm prædiđus Rogervs Regi Hieroſolymirano per nuncios notificaſſet, vt ſibi ad ſuecurrendum feſtinaret, quia Turci cum gente multa eum impetebant: relicto Rex negocio, ad quod eum ſuis non longè à Iordane Damaſcenos expugnarurus iuerat, ducto ſecum Pattiarcha cum Cruee Dominica, cùm de eampis ſtationum ſuarum eos eieeiſſet violenter, continuò Antiochenis auxiliaturus recurrit. dueens ſeeum Ceſatienſem Epiſcopum, qui Crucem Dominicam in bello poſtea contra hoſtes optimè portauit. Comitem verò Tripolitanum Rex illuc ſecum duxit, fueruntque ſimul milites ducenti quinquaginta. Et cùm Antioehiam perueniſſent, miſit Rex ad Edeſſenos legationem. præcipiens eis, vt ad bellum, quod contra Tureos faeere ſatagebant, cito itinere feſtinarent. Quibus eum Rege & Antio-

A chenis, qui de primo bello fugerant, vel mortem aliquo euentu euaſerant, aggregatis, commiſſum eſt prœlium prope oppidum, quod *Sardanium* vocant, ab Antiochia xx v. millibus diſtans. Fuerúntque milites noſtri ſeptingenti, Turci verò xx. millia. *Gazi* vocabatur Maior eorum. Non puto ſilendum, quòd Turcus quidam aduertens vnum de militibus noſtris linguam noſcere Perſicam, allocutus eſt eum, dicens: Tibi dico France, cur nos deſpicitis? cur in vanum laboratis? Contra nos equidem nullo modo valebitis. pauci enim eſtis, nos multi. Imò Deus veſter vos dereliquit, videns vos nec legem veſtram vt ſolebatis tenere, nec fidem nec veritatem inuicem ſeruare. Hoc ſcimus, hoc didicimus, hoc aduertimus. Cras proculdubiò vos vincemus & ſuperabimus. O quantum dedecus Chriſtianis, cùm perfidi de fide nos reprehendebant! Vnde deberemus vehementer erubeſcere, & peccata noſtra plorando pœnitentes emendare. 1119.

V. *De bello & victoria virtute ſanctiſſimæ Crucis adepta, & de eius receptione in Antiochia.*

COMMITTITVR ergo bellum die ſequenti, vt dictum eſt, grauiſſimum. de quo victoria diu anceps vtrimque fuit, quoad vſque Omnipotens Turcos fugere compulit, & contra eos Chriſtianos magnificè vegetauit. Quos tamen impugnantes adeò cateruatim diſperſerunt, vt vſque Antiochiam non ceſſantes, non valuerint vltra collegis ſuis in bello congregari. Nihilominus autem Turcos diſperſit Deus, cùm alij in Perſidem fugitiui repatriarent, alij verò in Halapiam vrbem ſaluandi ſe gratiâ introirent. Rex autem Hieroſolymitanus & Comes Tripolitanus cum ſuis, ſicut ſocij glorioſæ Crucis extiterant, & qui eam ſicut ſerui dominam ad bellum perduxerant, circa eam ſemper honorificè pugnantes, nec eam deſerentes, in campo bellico fortiter ſteterunt. quos omnipotens Deus per virtutem eiuſdem ſanctiſſimæ & precioſiſſimæ Crucis de manu nefandæ gentis potenter eripuit, & ad aliud ſuum negocium quandoque futurum reſeruauit. Cúmque per duos dies campum illum Rex cuſtodiſſet, & de Turcis nullus illuc bellaturus rediiſſet, ſumpta Cruce Dominica perrexit Antiochiam. Et exiit Patriarcha Antiochenus obuiam ſanctiſſimæ Cruci, Regi quoque & Archipræſuli, qui eam deferebant. & reddiderunt omnes Deo gratias, & exſoluerunt dulciſſimas laudes omnipotenti Deo, qui per virtutem glorioſiſſimæ Crucis ſuæ victoriam Chriſtianis dederat, & ipſam Crucem ad Chriſtianiſmum ſaluè reduxerat. Pietate plorabant, lætitiâ cantabant. adorantes repetitis vicibus ante Crucem venerandam ſe inclinabant, reſurgentéſque militibus erectis gratias agebant.

Præbuerat biduò Sol lumen Virginis aſtro,
Cùm bellum geritur, quo Parthi ſic ſuperantur,
Claráque tunc decima rutilabant cornua Lunæ.

VI. *De receptione ſanctæ Crucis in Hieroſolymis.*

CVMQVE in Antiochia requie non longa ſe recreaſſent Franci, ſtatuerunt Hieroſolymam cum benedicta Cruce Domini, vt decebat, reuerti. Et ſumptis militibus quot oportuit, remiſit eam Rex Hieruſalem: & die quo Exaltationis eius feſtiuitatem celebrant, ſicut Eracleus Imperator de Perſide victor eam repotC tauit, cum ea vrbem ſanctam lætantes introierunt. & cum gaudio ineffabili cuncti qui aderant ſuſceperunt.

VII. *Quòd Rex Principatum Antiochiæ obtinuit.*

REX autem in Antiochia remanſit, quia neceſſitas hoc poſcebat: quatinus mortuorum Procerum terras viuis ſub ratiocinio daturus locaret, & viduas quas inuenit illic multas maritis pio affectu coniungeret, & multa alia reſtauratione neceſſaria reformaret. Sicut enim huc vſque Hieroſolymorum Rex ſingulariter extiterat, ita mortuo Principe Antiocheno ROGERO, Antiochenorum Rex addito altero Regno efficitur. Moneo ergo Regem, & quæſo, vt Deum ex toto corde diligat, & ex tota anima, & omnibus viribus ſuis: & cum gratiarum actionibus ſe illi penitus vt fidelis ſeruus ſubdat, eiúſque ſe humilem fateatur ſeruum, qui talem Dominum inuenit ſibi amicum. Quem ergo anteceſſorem ſuum tam ſublimauit, quantùm & illum? Alios vnius, hunc autem duorum Regnorum poſſeſſorem fecit: quæ ſine fraude, ſine effuſione ſanguinis, ſine litium tribulatione, ſed diuina ordinatione pacifica acquiſiuit. Ab Egypto ſiquidem vſque Meſopotamiam tradidit ei Deus longè latéque terram. Manum erga eum habuit largam. caueat ne erga eum artam habeat, qui abundanter dat, & non improperat. Si Rex eſſe deſiderat, ſtudeat vt regat rectè. Cùm autem poſt negocia pleraque perpetrata Rex ab Antiochia regreſſus eſſet Hieruſalem, cum vxore ſua diademate regio die Natiuitatis Dominicæ coronatus eſt in Bethleem.

1120. ANNO Incarnationis Dominicæ poſt milleſimum centeſimum viceſimo, ab- A
VIII. ſoluit Rex BALDVINVS II. ab omni exactione omnes, qui per portas Hieru-
De remiſſione exactionum. ſalem frumentum, atque hordeum, ſiue legumina, inferre voluerint: vt abſque moleſtia tam Chriſtiani quàm Sarraceni habeant liberam facultatem ingrediendi & egrediendi, atque vendendi, vbi & quibuſcumque voluerint. Remiſit inſuper mercedem modij conſuetudinariam.

IX. CVM autem VI. huius anni menſe in Hieruſalem euoluiſſemus, venerunt nun-
De Turcis congregatis, & expeditione Regis contra eos. cij ab Antiochia, dicente Rege, & nobis omnibus qui aderamus, Turcos Eufratem tranſiſſe, & Syriam ingreſſos fuiſſe ad nocumentum Chriſtianiſmi. ſicut in præterito conſueuerant. Vnde accepto conſilio, ſicut neceſſitas vrgebat, petiuit Rex à Patriarcha & Clero humillimè victorioſam Domini crucem ſibi contradi: dicens ab ea ſe & ſuos ad prœliandum debere muniri. quia ſine graui prœlio credit Turcos prætaxatos de patria, quam iam deuaſtabant, non poſſe expelli. Et quia non confidit in virtute ſua, nec in gente quam habebat multa, Cruce ipſa Domino vegetante & propitiante pro multis millibus potietur. Alioquin ſine ipſa nec ipſe nec alij audent ad bellum proficiſci. Vnde ibi ratio bipertita inter euntes ad bellum & remanentes in Hieruſalem ſatis decens habita eſt: ſiue debeat pro tanta neceſſitate Chriſtianitatis Antiochiam Crux deferri, ſiue Hieroſolymitana Ecclesia de tanto theſauro ſuo tunc priuari. Dicebamúſque: Heu miſeri! quid faciemus, ſi permittente Deo perdiderimus in bello Crucem, ſicut perdiderunt B Iſraëlitæ olim Archam fœderis? Quid plura referam? Neceſſitas monuit, ratio edocuit. fecimus quod noluimus, & quod nolebamus voluimus. Et cùm multis lacrimis piè pro ea profuſis, & canticis in laude illius decantatis, extra vrbem nudis pedibus Rex, Patriarcha, plebs quoque omnis eam conuiaſſent: Rex cum ea flendo diſceſſit, & populus ad vrbem ſanctam rediit. Menſis erat Iunius. Antiochiam ergo abierunt, quam Turci adeò iam coartabant, vt extra muri ambitum inhabitantes vix vno milliario procedere auderent. Sed audito Regis aduentu, indè ſtatim ſe remouentes, verſus Halapiam vrbem, vbi tutiùs eſſe poſſent, abierunt. quibus tria militum Damaſcenorum millia tunc aggregata ſunt. Cùmque Rex bellandi cauſâ motu audaci ad eos acceſſiſſet, & vtrinque ſagittis iactatis plures ſauciati, vel interfecti occidiſſent, & bellare tamen Turci recuſaſſent: poſt triduum litis huius, nullo certo fine concluſo, & Antiochiam noſtri remeauerunt, & in Perſidem pars Turcorum maior repatriauerunt. De cetero Crucem ſanctam Rex honorificè Hieruſalem remiſit, & ipſe in Antiochiæ regione Terram protecturus remanſit. Tertiodecimo Kalendarum Nouembrium ipſam glorioſam Domini Crucem in Hieruſalem cum gaudio magno ſuſcepimus.

1121. ANNO ab Incarnatione Domini MCXXI. congregauit Rex gentem ſuam à
X. Sidone vſque Ioppem, & III. Nonas Iulij tranſgreſſus Iordanem, adiit Regem
De expeditione Regis contra Damaſcenos, Damaſcenorum, qui cum Arabibus ſibi fœderatis & adunatis terras noſtras Tyberiadi proximas nullo ei reſiſtente vaſtabat. C Qui eùm perſenſiſſet Regem noſtrum cum exercitu ſuo aduerſum ſe appropinquantem, collectis illicò tabernaculis ſuis, bellum euitans refugus in ſua receſſit. Quem cùm per duos dies Rex inſecutus fuiſſet, nec bellare cum eo gens illa auderet: reuerſus eſt ad caſtellum quoddam, quod ad nocumentum noſtrum anno præterito Tuldequinus Rex Damaſci conſtrui fecerat, quod à Iordane æſtimamus diſcrepare XVI. milliariis. Id Rex obſedit, machinis coërcuit, vi expugnauit, redditum recepit. Cuius cuſtodes & protectores XL. videlicet Turcos ſub ſtatuta conditione viuos abire permiſit, & oppidum deinde ad ſolum vſque proſtrauit. *Iarras* nominant hoc caſtrum regionis incolæ, quod iuxta ciuitatem quandam mirabiliter & glorioſè ſitu forti antiquitus fundatum, lapidibus magnis & quadris illuc erectum erat. Vbi autem comperit Rex non ſine grauitate magna obtineri, nec ſine difficultate gente & alimentis vt oporteret poſſe muniri, iuſſit illud dirui, & omnes ad ſua regredi. Hæc olim vrbs inſignis fuit in Arabia, *Geſara* nominata, monti Galaath adiuncta, in tribu Manaſſæ inſtituta.

Explicit hic annus in cunctis fine ſecundus,
Pace quidem proſper, & frugibus omnibus vber.

1122. ANNO Dominicæ Incarnationis MCXXII. præficitur in Hieruſalem Eccle-

A ſiæ Tyriæ Archiepiſcopus ODO nomine, primus de gente Latina. Deinde abiit 1122.
Rex Ptolomaidam. vnde gente ſua congregata, pedite videlicet & equite: mo- XI.
uens exercitum ſuum, & Dominicam Crucem ſecum deferens, profectus eſt Tripolim. iniuriam vlturus & contemptum, quem regionis illius Comes PONTIVS nomine incutiebat, recuſans ei obſequi, vti BERTRANNVS pater eius fecerat. Sed Deo volente, & Optimatum præſentium vtrinque laudatione, amici facti ſunt ad inuicem, Comite rationi aſſentiente. Quibus ſiquidem pacificatis, aſtitit illicò Archiepiſcopus quidam ab Antiochenis illuc miſſus: Regem cohortans, vt Antiochiam quantociùs properaret, contra Turcos opem laturus. Iam enim Terram illam deuaſtabant, nullo Principe eis reſiſtente. Quo audito, Rex continuò properauit, habens ſecum trecentos milites lectiſſimos, & CCCC. clientes aduentitios probiſſimos. Ceteri verò vel ad Hieruſalem, vel ad ſua remeauerunt. Cùm autem perueniſſet Rex vbi Turcos audierat eſſe congregatos, circa ſcilicet caſtrum quoddam, quod *Sardanaium* vocatur, quod iam obſidione cohibebant, remouerunt ſe indè volentes Regem expectare. Quo comperto, ſeceſſit Rex Antiochiam. Turci verò ad inceptum denuò recurrunt. Cùmque Rex hoc auditu percepit, verſus eos promptè equitauit. Sed quia gens illa Parthica in procinctu vel apparatu bellico moraliter numquam in eodem ſtatu permanentes: (nunc enim viſum, nunc dorſum obſiſtentibus opinione celeriùs vertunt, & præter ſpem ſimulatè fugiunt, & recurſu
B repentino impetunt) non ſe ad bellandum citò aptauerunt, ſed congreſſum penitus vitauerunt. & taliter ceu victi abſceſſerunt. Benedictum ergo ſit ſanctiſſimæ & Dominicæ Crucis vexillum, & vbique omnibus orthodoxis præſens ſubſidium: ſub cuius protectione & conſolatione fideles muniti, ſine detrimento aliquo Chriſtianos noſtros ad ſua conceſſit regredi. Illi equidem X. millia æſtimati ſunt militum, noſtri verò MCC. abſque globo peditum. Et cùm vſque Tripolim vnà cum Cruce Dominica remeaſſet Rex, orto negocio, cum aliquantis reuerſus eſt Antiochiam. Et ſic Dominica Crux in Hieruſalem delata, cum gaudio magno in loco ſuo XVII. Kal. Octobris honorificè eſt repoſita.

De alia expeditione Regis contra Tripolitanũ Comitẽ: deinde iterum contra Turcos.

Tempus erat quo Libra pares exterminat horas,
Tam numero paribs quàm ſpacio ſimili.

INTEREA captus eſt GOSCELINVS Comes Edeſſenus, Galerannúſque XII.
cum eo cognatus eius, interemptis quidem de ſuis non minus quàm centum. Quos quidem Balac Admiraldus quidam tam aſtuciâ quàm inſidiis molitus intercepit.

De Comite Edeſſeno capto.

Finit & hic annus quàm qui præceſſit opimus
Frugibus omnigenis quæcumque metuntur in arvis.
Triticeus modius pro nummo venditur vnus,
Seu quadraginta quis vult penſare numiſma.
Tunc neque Parthia nec Babilonia bella mouebat.

ANNO ab ortu Domini MCXXIII. Indictione I. Rex Alemanniæ HEN- 1123.
C RICVS cum Papa Calixto pacificatur. Deo gratias, quia Regnum & Sacerdo- XIII.
tium in dilectione confœderantur.

De pace inter Papam & Imperatorem.

EODEM anno Venetici cum nauigio magno in Syriam nauigare commoti ſunt, vt Hieruſalem & regionem ei adiacentem Chriſtianiſmi vtilitati & exaltationi opitulante Deo amplificarent. Qui anno præcedenti de terra ſua egreſſi, in inſula, XIV.
quæ *Curphu* nuncupatur, tempus expectantes oportunum nauigandi hiemauerunt. Claſſis quippe eorum CXX. nauium fuit, exceptis carinis vel catabis: quarum aliæ quidem roſtratæ, aliæ oneratæ, aliæ verò triremes fuerunt. Triformi quidem fabrica compactæ ſunt. In quibus materies lignorum magnæ proceritatis impoſita non defuit. vndè compoſitis ab artificibus ſapienter machinis, muros vrbium ſublimes aſcendere, & comprehendere poſſet.

De Veneticis Hieruſalem properare diſponentibus.

IGITVR poſtquàm verno tempore pateſcunt viæ ratibus, quod Deo diu de- XV.
uouerant explere non torpuerunt. Et viatico nauali abundè ſibi præparato, cùm tuguria, in quibus hieme conquieuerant, communiter ſuccendiſſent, concrepantibus tubis quamplurimis, carbaſa Dei inuocato auxilio gaudenter diſplicantur & eleuantur. Naues autem, quæ coloribus variis picturatæ erant, ſplendore nimio proſpectantes ſatis delectabant: quibus terquina hominum armatorum millia tam de Veneticis quàm peregrinis ſibi adiunctis inerant. Porrò equos ſecum CCC. conuehebant. Itaque Borea tunc leniter aſpirante, pontum decentiſſimè ſulcan-

Quo tempore iter arripuerunt.

1123. tes, curſum ſuum verſus *Mothonem* dirigunt *Rodum*. Et quia neceſſe erat vt ſimul A nec ſparſim incederent, flabris etiam interdum alternantibus, ne ſi prouidè iter ſuum modificarent, alij ab aliis citò diſcreparent: propterea diebus breuibus die non nocte velificantes, portibus frequenter inuentis neceſſariò cotidie applicabant. ne regentis aquæ penuriam patientes, tam ipſi quàm eorum equi ſiti grauarentur.

XVI. *Quòd Rex Balduinus ſit captus, & Euſtachius quidam pro eo conſtitutus.*

Eodem tempore contigit Baldvinvm Regem Hieroſolymorum capi. Balac enim, qui antea Goſcelinum Galerannúmque ceperat, hunc etiam non in hoc benè prouidum, ſed imparatum comprehendit. quo nihil Paganis iocundius, nihil Chriſtianis horribilius. Poſtquàm rumor iſte vſque ad nos in Hieruſalem diffuſus eſt, venerunt omnes in concionem in vrbem Ptolomaidam, conſilium capturi quid facto opus eſſet. Et elegerunt & conſtituerunt Terræ fore Cuſtodem & Præceptorem Evstachivm quendam, hominem probum, & moribus honeſtum, qui tunc *Ceſaream* poſſidebat & *Sidonem*. Hoc ſiquidem Parriarcha Hieroſolymitanus vnà cum Optimatibus Terræ illius dictauit, & teneri decreuit: quò tenus de Rege capto rei exitum certùm audirent. Ita Maio menſe mediante, cùm iam audiuiſſemus Babilonios Aſcalonem vſque perueniſſe: bipertito exercitu, terreſtri videlicet itinere atque marino, præparata liburna ſtatim agillima, ſtatuerunt legationem ad Veneticorum claſſem mittendam: exhortando precantes, vt negocium incœptum accelerato nauigio nobis adiuturi ſuccurrerent. B

XVII. *Quòd iterum Ioppeta à Babilonijs ſunt obſeſſi, & valdè afflicti.*

Babilonii autem nauigio ſuo Ioppem irruentes, & de nauibus pompatiè cum ingenti ſonitu ærearum tubarum exilientes, vrbem obſidione circumdederunt. Et machinamentis ſuis & inſtrumentis, quæ in nauibus maioribus attulerant, continuò erectis, vrbem vndique aſſilierunt: & pro valitudine neſcia lapides torquendo cohibebanr. Erant enim tormenta vehementiora, quibus vltra iactum ſagittæ ſaxa torquebant. Pedites nempe Arabes, vel Ethiopes, quos ſecum adduxerunt, cum militum manu aſſultum grandem ciuibus dabant. Alij tela, alij lapides vel ſagittas vtrobique iaciebant. Interim autem externos crebris ictibus ſæpiſſimè trucidabant. pro ſe enim viriliter pugnabant. Erhiopes quidem ancilia tenentes in manibus, ſe indè tegebant, & protegebant. Mulieres verò ciuibus valdè laborantibus gratuito ſemper præſto fuerunt adiumenro. Aliæ lapides ſubminiſtrabant, aliæ verò aquam potui præbebant. Cúmque murum Sarraceni per quinqne dies iam aliquanrulum læſiſſent, & minas deſuper dilapidando plures diruiſſent: audito aduentu noſtrorum qui eis approximabant, ſignificante buccina certamen dimiſerunt, & machinamenta ſua fruſtratim in naues reportauerunr. Quòd ſi diutiùs ibi morari auderent, proculdubio ciuitatem comprehenderent. Pauci autem erant, qui tuebantur eam. Iamiámque locatim murum circumfoderanr, vt ſpe velociùs eum penetrarent. Claſſis quippe eorum LXXX. nauium fuit.

XVIII. *De bello & victoria Chriſtianorum auxilio ſanctæ Crucis.*

Cvm igitur damnum imminere gens noſtra per rumigeros didiciſſet, in vnum C corpus vndique congregati, ante caſtellum quoddam, quod *Chacho* incolæ regionis nominant, de Tyberiade videlicet & Ptolomaida, Ceſarea quoque & Hieroſolyma, cum Cruce Dominica ad illum conuentum iam delata, contra hoſtes dimicaturi vſque *Ramatha* vrbem, quæ eſt iuxta *Dioſpolim*, properauerunt. Nos autem, qui Hieruſalem remanſimus, pro fratribus noſtris in tribulatione ſic poſitis orare, & elemoſynas egenis impertire, per vniuerſas ciuitatis ſanctæ Eccleſias proceſſiones piè facere, tam Latini, quàm Græci atque Syri, interim nudipedes non ceſſauimus. Proceres autem noſtri mane ſummo de Ramatha conſurgenres, cùm gentem noſtram per cohortes procedere vt decebat ordinaſſent, benedictione & abſolurione à Patriarcha populo data, bellum committitur apud *Azotum* vrbem quondam quintam Philiſtinorum, nunc autem *Ibenium* dictam. quæ in viculum paruulum redacta eſt. Porrò pugna iſta non longa hora protrahitur. Nam cùm perſpicerent noſtros probiſſimè armatos eos imperere, continuò milites illi tanquam aliquo onere faſcinati in fugam moti ſunt, & fugâ pro conſilio vſi ſunt. Pedites verò detruncati ſunt. Tentoria eorum cuncta cum rebus multiformibus in campo remanſerunt. Tria nempe vexilla precioſiſſima, quæ *Standarz* nominamus, ab eis excuſſerunt. Vtenſilia etiam multiformia, culcitras, & puluinaria. Carram quoque multam cum ſarcinis ſecum noſtri reduxerunt. camelos videlicet

A ✱cccc. aſinos quingentos. Sedecim millia ex eis prœliatum venerunt, quorum 1123. ſex millia interfecti ſunt. De noſtris autem pauci. Gens equidem noſtra octo millia æſtimati ſunt, ſed audaces probiſſimi, & ad pugnandum valdè animati, & amore Dei freti, & confidentiâ eius penitus corroborati.

Sub Geminis Phœbo iam tunc bis ſexies orto,
Gens ruit infanda Domini virtute ſubacta:
Corpora nunc quorum per campos Allophylorum
Fiunt eſca lupis, fiunt quoque paſtus hienis.

BELLO autem per Dei potentiam ſic ſuperato, & ad gloriam ipſius & exaltationem Chriſtianiſmi, vt dictum eſt, facto, cum Dominica Cruce remeauit in Hieruſalem Patriarcha. Qua extra portam Dauiticam cum glorioſa proceſſione ſuſcepta, & vſque ad Baſilicam Dominici Sepulcri honorificè deducta: *Te Deum laudamus* cantantes, Omnipotenti de beneficiis ſuis vniuerſi laudes reddidimus. XIX. *De receptione ſanctæ Crucis.*

POST triduum autem proſpero ſucceſſu ita potiti, ſecundi rumores ſubſecuti ſunt. De Venetorum enim claſſe in Paleſtina per pleroſque portus applicata cùm audiuimus, iocundati ſumus. Hoc equidem diu fama promiſerat. Cùmque Dux Veneticorum, qui nauigio huic principabatur, Ptolomaidæ applicuiſſet, intimatum eſt ei ſtatim prout geſtum fuerat apud Ioppem, terrâ ſcilicet & mari: & quomodo Babilonij, prout valuerant, negocio ſuo expleto iam illinc abierant. Quòd B ſi celerato curſu vellet eos proſequi, Deo iuuante proculdubio eos aſſequi poſſet. Qui conſilio nauitarum ſtatim adhibito, bifaria nauigatione adhibita vnam nauigij ſui partem, in qua ipſe Dux erat, verſus Ioppem emiſit. Alteram verò partem in altius pelagus prudentiſſimè miſit: vt ignaris Sarracenis peregrini eſſe Hieruſalem adeuntes à parte Cypri putarentur. Et cùm Sarraceni x. & VIII. naues de claſſe Venetica perſpicerent ad ſe appropiare, tanquam de emolumento iam adquiſito cœperunt exultare, & contra Veneticos aptauerunt ſe nauigare, & ad pugnam eos audacter ſuſcipere. Noſtri autem tanquam ad certamen bellicum verecundari ſimulantes, & aſtutè aliam nauigij partem potiorem & poſtremam, in qua prædictus Dux erat, paulatim expectantes, nec fugere diſpoſuerunt, nec pugnare cum eis præſumpſerunt: quo tenus iamdictum nauigium poſtremum tam velis quàm remis exſurgere Sarraceni cernerent. Igitur Veneticis creuit ſpiritus, & indicibiliter in eos irruerunt, & vndique ita eos accinxerunt, vt locum fugæ vſpiam reperire non poſſent. Tunc mirum in modum Sarracenis cohercitis, neque naues neque nautæ aliquorſum euadere potuerunt: ſed naues eorum Venetici ingreſſi, detruncauerunt omnes. Fide caret, quòd vltra humanum auditum in nauibus baſes occidentium ſanguine fluido tingerentur. Itaque naues multis onuſtæ opibus capiuntur. Corporibus quidem extra naues tunc iactatis, vſque ad quatuor millia paſſuum ſalum rubeſcere circumquaque videretis. Deindè cùm vltra Aſcalonem exploraturi aliquid proficui nauigarent, obuias ſibi repererunt x. naues C alias diuerſis alimentis confertas: quibus inerant ligna proceritate magna, & directa, ad componendas machinas ſpectabilia. Illas quoque cum munimentis plurimis, etiámque auro & argento, nummiſmatibúſque multis. piper quoque & ciminum, & diuerſas ſpecies odoramentorum diripiunt. Naues quoque aliquantas ad terram fugitiuas in littore ipſo combuxerunt igni. ſed & plures integras Ptolemaidam adduxerunt. Lætificauit itaque Dominus clientes ſuos, & donatiuis plurimis multipliciter locupletauit. XX. *De aduentu Venetorum, & nauali prælio eorum contra Sarracenos.*

O QVAM bonum & glorioſum hominibus ſemper Deum habere in adiutorium ſuum! O quàm beata gens, cuius eſt Dominus Deus eius! Dicebant ergo: Eamus, & gentem Chriſtianam omninò confundamus, & memoriam eorum de terra deleamus. Regem enim modò non habent, membra capite carent. Verum dicebant, quia Deum nos habere non credebant. BALDVINVM perdideramus, ſed Regem omnium Deum aſſumpſimus. Illum in neceſſitate noſtra inuocauimus, & per illum mirabiliter triumphauimus. Forſitan non erat Rex quem fortè fortuitu perdideramus. Sed hic, qui nuper vicit, non ſolùm eſt Rex in Hieruſalem, ſed & in omni terra. Verè fateri nos oportuit, quòd Regem in prœlio habuimus: cùm in negociis noſtris præ omnibus illum anticipauerimus. Hic enim præſto eſt ſemper, & præſens omnibus qui inuocant illum in veritate. Viderat enim nos in humilitate noſtra valdè afflictos: & reſpiciens piè humilitatem no- XXI. *Quòd populus Hieroſolymitanus adeò non ſit afflictus, quando Rex eius eſſet captiuus.*

1123. ſtram, liberauit nos. Hic pro nobis pugnauit, hic ad nihilum inimicos noſtros reduxit. Hic ſemper vincere conſueuit, qui numquam vincitur. Superat, nec ſuperatur. Non fallit, nec fallitur. Rex equidem eſt. rectè enim regit. Quomodo ergo Rex erit, qui ſemper viciis vincitur? Numquid promeretur dici Rex, qui ſemper habeatur exlex? Quia legem Dei nec tenet, nec tuetur. Et quia non timet Deum, timebit quidem hominem inimicum ſuum. Adulter eſt, vel periurus, ſiue ſacrilegus. hic talis nomen Regis perdit. Mendax & fraudulentus. quis confidit in eo? Æquus eſt impiis, quomodo exaudiet illum Deus? Si Eccleſiarum diſſipator, ſi pauperum oppreſſor: tunc non regit, ſed confundit. Adhæreamus Regi ſuperno, & ſpem noſtram ponamus in eo: & non confundemur in æternum. A

XXII.

De morte Euſtachij. & ſucceſſione VVillelmi.

Tempore iſto taliter ægro deceſſit Evstachivs, in cuſtodem Terræ noſtræ electus, xvii. Kal. Iulij. Cui ſuccedere Gvillelmvm de Bvris ſtatuerunt, qui Tyberiadem tunc poſſidebat.

XXIII.

Qualiter Rex Baldvinvs de vinculis exiit.

Mense Auguſto deindè mediante, ſuperna clementiâ prouidente, Rex Baldvinvs exiuit de carcere, & de vinculis Balac, quibus vinctus tenebatur in oppido quodam ſitu fortiſſimo, & celſitudine nimis arduo, & difficili comprehendendo. Cum quo ſimul incluſi erant Goscelinvs Comes Edeſſenus cum aliquantis aliis captis. Huius rei narratio ſatis eſt longa, ſed dono cœleſti prædita, & miraculis benè ornata. Nam cùm in caſtro illo nullo freti adiumento iam diu angerentur occultari, conſilio & ingenio multimodo apud ſe tractare cœperunt, B ſi aliquatenus indè poſſent egredi. Vnde per fideles internuncios vbicumque amicos habebant auxilium petere non ceſſauerunt: & cum Armeniis circa eos conuerſantibus omnimodè machinare ſtuduerunt: vt ſi quando ab externis amicis ſuis auxilium adipiſci poſſent, illi adiutores eſſe veri non deſiſterent. Et cùm poſt aliqua dona & promiſſa plurima hoc fidei nexu vtrimque confirmatum eſſet, de Edeſſena vrbe ſagaciſſimè quinquaginta fermè clientes illuc ob id miſſi ſunt: & quaſi pauperrimi merces ferentes atque vendentes vſque ad portas interioris caſtri occaſione quadam oblata ſe paulatim intromiſerunt. Quod cùm Portariorum Magiſter iuxta portam cum quodam fideli noſtro improuidus ſcaccis luderet, clientes noſtri aſtutiſſimè artenpiùs appropiauerunt, querimoniam iniuriæ ſibi factæ ad eum facturi. Et depoſita omni ignauia & pauore, è vaginis extractis cultellis illum ſic quantociùs necauerunt. Et arripientes lanceas illic inuentas, ferire & occidere viriliter non pigruerunt. Clamor ingens illicò attollitur, & intus & foris omnes perturbantur. Sed qui ad tumultum hunc feſtini accurrerunt, feſtinantiùs mox perempti ſunt. Fuerunt equidem centum ferè Turcorum. Et confeſtim clauſi de carcere Rex & alij tunc eiiciuntur. Adhuc erant aliquanti compediti, quando iam per ſcalas muri faſtigium inſcendebant. Et eleuato in arcis apice Chriſtianorum vexillo, rei veritas parefacta eſt. In eadem verò arce vxor erat Balac, ceteris quas habebat ſibi carior. Caſtro autem à Turcis mox vndique cincto, ingreſſus & egreſſus internis & externis eſt prohibitus. Portæ etiam clauduntur vectibus obditis. C

XXIV.

Qualiter etiam Comes Edeſſenus euaſit de carcere.

Hoc autem non puto ſilendum, quòd Balac quoddam infortunium per viſionem eſt reuelatum. Vidit enim (quod ipſe poſtea retulit) à Goscelino ſibi oculos erui. Quo indilatè Sacerdotibus manifeſtato, interpretationem ſomniis ab eis ſciſcitatur. Verè, aiunt, hoc tibi continget, aut tale aliquid huic æquipollens, ſi in manus eius incideris. Hoc autem audito, citiſſimè legationem miſit vt occideretur, ne poſſet ab eo occidi, ſicut iam illi præſagiebant. Sed antequam ad eum perueniſſent lictores, Deo gratias, iam de captione tali modo euaſerat. Rex ergo & ſui omnes ſapienti & communi conſilio vſi, vt ſaluari quolibet modo poſſent, cùm tempus conſiderarent ad hoc magis aptum, poſuit dominus Goſcelinus in periculo mortis animam ſuam, Conditori vniuerſorum ſe commendans cum tribus famulis ſuis, tam pauidus quàm audax, extra caſtrum per medios hoſtes radiante Luna ſe eripuit. Qui continuò vnum ex eis Regi remiſit reportantem annulum ſuum, vt taliter ſignificaret ſe ab hoſtibus obſeſſoribus extorſiſſe. ſic enim fieri inuicem decreuerant. Poſtea fugitando & latitando, plus nocte quàm die pergens, diſruptis calceis ferè nudipes, vſque ad fluuium Eufratem peruenit. Et quoniam nauis abfuit, quod pauor optabat facere non diſtulit. Quid igitur? Duos vtres, quos ſecum detulerat, vento inflauit, ſuper eos ſe collocauit,

A & ſic in flumen ſe impegit. Quem collegæ ſui ignarum nandi commodè iuuantes 1123.
ſuſtentare ſtuduerunt, & ad littus Domino ducente ſanum deduxerunt. Et cùm
indè itinere inſolito valde fatigatus eſſet, famelicúſque & ſitibundus anxiùs anhelaret, nec erat ei qui manum piè porrigeret: ſub nuce quadam illic inuenta ſopore tactus, membra labore feſſa itineri attribuit, obumbrans ſe vepribus & fructetis, ne viſus agnoſceretur. Interim autem præcepit vni ex famulis ſuis, vt exploraret & imploraret aliquem indigenam, qui ei panem vel daret, vel vtcùmque venderet. Inedia enim vexabatur valde. Cliens autem ille ruſticum quendam Armeneum in campo propè inuentum, & conſultè allocutum, adduxit ad Dominum ſuum caricas & racemos apud ſe habentem. Hoc enim fames deſiderabat. Is autem cùm dominum Goſcelinum appropians agnoſceret, procidit ad pedes eius, dicens: Vale Goſceline. Qui audiens quod nolebat, territus reſpondit: Non ſum ille quem dicis. ſed Deus illum adiuuet vbicumque ſit. Ruſticus ait: Noli, quæſo, notitiam tuam celare, quoniam te proculdubio benè agnoſco. Sed reuela mihi quid, & quomodo in his partibus tibi accidit, nec expaueas moneo. Cui rurſum Comes. Miſerere, inquit, mei, quicumque es, nec miſeriam meam inimicis meis innoteſcas obſecro: ſed ad ſaluationis locum deduc me, vt vnum pro mercede nummiſma merearis accipere. Ego enim de captione Balac Deo propitiante egreſſus, aufugio: de caſtro ſcilicet, quod *Cartapeta* nuncupatur, quod
B in Meſopotamia cis Eufratem eſt. Benè enim operaberis, ſi miſi in hac neceſſitate ſubueneris: ne ampliùs in manus Balac incidam, & infortunatus peream. Quòd ſi vſque *Turbezel* caſtrum meum te mecum venire placuerit, omnibus diebus vitæ tuæ benè tibi erit. Dic mihi igitur, quæ & quanta in his locis poſſeſſio tua, vt maiora ſi vis apud me tibi diligenter reſtituam. Et ille: Non quæro, inquit, à te quicquam. ſed quò vis ſaluum te perducam. Olim enim, vt reminiſcor, me ante te feciſti comedere benignè panem. Quamobrem præſto ſum tibi reddere talionem. Vxorem, Domine, habeo, vnicámque paruulam filiam, ſimúlque vnam aſellam: duos etiam germanos, duóſque boues. Committo autem me tibi, quia vir ſapientiſſimus es, & prudens. Iámque cum meis omnibus tecum vado. Porcellum vnum inſuper habeo. Hunc ego coquam, & huc tibi afferam. Sine frater, inquit. vnum enim porcum non es aſſuetus vno prandio mandere. nec expedit te aliqua ſuſpicione vicinos tuos commouere. Tunc ille iuit, & cum ſuis omnibus ſicut decreuerat rediit. Aſcendit ergo Comes ruſtici aſellam, qui quondam ſolitus erat equitare mulam peroptimam: baiulans ante ſe infantem, feminam videlicet, & non marem. Et quam non licuit generare, ac ſi genitorem licuit geſtare. Non vt ſibi ex progenie haberet contiguam, ſed vt ſpem filiationis neſcientibus monſtraret eſſe certam. Sed cùm cœpiſſet infans plorando & vociferando Comitem aſſiduè moleſtare, nec poſſet eam vllo modo pacare, nec aderat altrix quæ lactaret, aut quæ feſcenninis mulceret: meditatus eſt collegium ob id ei forte
C te noſciturum timidus deſerere, & ſegregatim tutiùs incedere. Sed cùm hoc aduertit ruſtico diſplicere, noluit eum conturbare. ſed perſeuerauit in cœpto labore. Et cùm perueniſſet *Turbezel*, talium hoſpitum læta fuit valde ſuſceptio. Gaudet quippe vxor, exultat familia. Nec ambigit noſtra conſcientia, quanta gloriati ſint omnes lætitia, & quantæ lacrimæ præ gaudio funduntur, & affluunt ſuſpiria. Fit etiam ruſtico indilatè de humilitate digna remuneratio. Pro vno boum iugo continuò recepit duo. Sed quia non oportuit in his diu morari, Comes indilatè iuit Antiochiam, deindè Hieruſalem. Et redditis illic debitis Deo gratiarum actionibus, obtulit geminas compedes ſecum allatas, quas deuotè in monte obtulit Caluariæ, ad memoriam captionis, & ad gloriam ſuæ liberationis. Vnæ quidem fuerunt ferreæ, alteræ verò argenteæ. Poſt triduum autem exijt de Hieruſalem, Dominicam ſequens Crucem, quæ vſque Tripolim iam delata erat. Iturus enim erat cum ea Hieroſolymitanus exercitus vſque *Cartapetam* caſtrum Balac: vbi Rex & quamplures alij non in carcere, ſed in caſtri firmitate tenebantur. Benedictus autem ſit vniuerſalis Dominus, qui voluntatem ſuam & poteſtatem ita modificat, vt potentem de excelſo cùm vult præcipitet, & de puluere pauperem ſublimet. Manè itaque BALDVINVS Rex imperauit, ſerò autem ſeruus ſeruiuit. Goſcelinus quoque nihilominus. Liquet vtique in hoc ſeculo nihil eſſe certum, nihil ſtabile, nec etiam diu gratum. Ideò terrenis inhiare non

1123. eſt bonum, ſed cor habete ad Deum ſemper intentum. nec confidamus in cadu- A
cis, nec alienemut æternis.

Iam nunc terdecimum complens, prout æſtimo, luſtrum,
Regem non vidi, velut hunc in carcere plecti.
Significet ſi quid ignoro quidem, Deus hoc ſcit.

XXV. *De expeditione Hieroſolymitanorum, & quòd Rex BALDVINVS denuò ſit captus.*

EVNTIBVS ergo Hietoſolymitanis quorſum ite fuerat ſtatutnm, glometantur eis apud Antiochiam Tripolitani atque Antiocheni. Sed cùm *Turbezel* petueniſſent, intimatur eis Regem denuò eſſe captum, & oppidum in quo clauſus erat *Carram* nominatum. Hoc autem audito, mutatur conſilium, & iubetur illicò edici teditus. Et cupientes ſibi aliquid prodeſſe, cornicine ſignificante, diuetterunr ad vrbem *Calipium*: & vaſtauerunt & diſſipauerunt omnia quæ inttinſecus tepererunt. cùm primitus intra mœnia ferociter contra eos omnes qui exierant impuliſſent. Sed cùm per quatuot dies ibi morantes nil ampliùs feciſſent, ad ſua remeare ſtatuerunt, iam alimoniorum penuriâ vexati. Goſcelinus verò Comes in territorio Antiocheno tunc remanſit. Et cùm vſque Ptolomaidam regreſſi fuiſſent, antequam affines Sarraceni hoc aduerriſſent, Iordanem ſubito itinete tranſierunt. Et cùm pet tegionem illam, quæ monti Galaad & Arabiæ contigua eſt, percucurriſſent, & de Sarracenorum vtroque ſexu beſtiiſque plutimis gteges diripuiſſent: cum ingenti carra camelorum atque ouium, infantum quoque ac puberum, Tyberiadem eis proximam redierunt. & diſpertito pro more inuicem elemento, Hie- B
ruſalem vndique conuenerunt, & Crucem Domini allatam in loco ſuo repoſuetunt. Nunc autem reuetti decet ad id quod aliquantulum prætermiſeram.

XXVI. *Quomodo Balac Regem obſedit, & eū denuò in cuſtodiam miſit.*

CVM audiſſet Balac quod apud Cartapetam contigerat, & quemadmodum Comes Goſcelinus de captione euaſetat, quantociùs potuit illuc ire non diſtulit. Et Regem blandè tunc allocutus, flagitauit vt redderet ei caſtellum ſuum tali pactione, vt datis obſidibus electis, eum quietum abire permitterer, & vſque Edeſſam vel Antiochiam fidelitet duci faceret. Alioquin vel vni eorum, vel ambobus in deterius fortuna prodiret. Sed cùm Rex hoc concedere nollet, diro efferatus animo Balac, minatus eſt & Regem & caſtrum violenter comptehendere, & de inimicis ſuis vindictam proculdubio facere. Qui iuſſit illico rupem, ſupet quam ſitum erat caſtrum, ſubfodi, & per cumulum ſudibus diſpoſitis opera ſuſpendi, illatáque ſilua ignem immitti. Succenſis autem fulcimentis, cauea repentè ſubſedit: & turris quædam huic incendio ptoxima cum magno ſonitu decidit. Primò quidem cum puluete fumus excitatus eſt, cùm ignem ruina concluderet. Sed poſtea matetia, quæ premebatur, flammâ iam clariot apparêre cœpit: & repentini facti Regem occupat ſtupor, qui hanc molitionem ægrè ferebat. & ira ſpes eum caſſa refrixit, quem tantus caſus terruit. Itaque tota virtute ſua cum ſenſu perdita, Rex & ſui clementiæ Balac ſupplices addicti ſunt; nihil niſi ſupplicium ſecundum merita expectantes. Regi tamen indulta vitâ pepercir, & cuidam
nepoti ſuo, ſimul etiam & Gualeranno. Armenos aurem, qui adiumento Regi C
contra Balac extitetant, alios quidem ſuſpendit, alios verò excotiauit, quoſdam nempè pet medium enſe cæcidit. Regem autem cum tribus de ſuis è caſtro eiecit, & ad Carram ciuitatem adduci fecit. Et quia procul à nobis facta hæc aberant, vix certirudinem tei addiſcere poteramus. Vetnmtamen quàm vetiùs potui, à relatotibus mihi intimatum cartæ commendaui.

Sic pluuiis artus ſitibundus deſinit annus.
Vnde Hieroſolymi crebro ſunt murmure queſti.
Geſta quater denos currunt huc vſque per annos
Poſt iter inceptum peregrinis vndique notum.

1124. XXVII. *De Tyri obſidione præparata.*

ANNO à Domino IESV nato MCXXIV. cùm Natale Saluatoris tam in Bethleem quàm in Hieruſalem, vt decuit, celebraſſemus, cui celebritati Dux Veneticorum cum ſuis denotè interfuit: confitmatum eſt communi & gratuita voluntate ſub iuteiutando, obſidionem circa Tyrum vel Aſcalonem poſt Epiphaniam agere. Sed quia nos pecuniæ inopia vniuerſos tunc arcebat, colligitur multa viritim militiæ & clientelæ conductiuæ impertienda. Non enim poterant tantum negocium ſine donatinis expedire. Quamobtem oportuit nos etiam precioſiora Eccleſiæ Hietoſolymitanæ ornamenta colligendo numiſmaro ctediroribus oppignerati. Igitur ſicut intetminatum eſt, & vbi nominatum eſt, vndique conuenerunt omnes.

1123.

A *Cùm ter fuſor aquæ valido reparatur ab igne,*
Plebs de Hieruſalem communiter exit in hoſtem.
Hoc fit & in prima feria, Lunâ quoque prima.

XXVIII. *Quomodo Tyrus à Patriarcha & à Veneticis obſeſſa ſit.*

Itaqve Achon profecti diſpoſuerunt vnà cum Veneticis Tyrum adire & obſidere. Patriarcha igitur cum ſuis ſubditis, Dux verò cum nautis & nauibus ſuis vrbem Tyrum obſidere xv. Kalend. Martij accinxerunt, introeunte tunc Piſces Sole gemellos. Hoc autem audito, Aſcalonitæ, qui ſolita proteruia numquam manſuefieri potuerunt, nobis facere damnum pro poſſe non diſtulerunt. Quadam quippe die, tripertito exercitu ſuo, maiorem cohortium ſuarum partem Hieruſalem adduxerunt. qui extimplo octo homines extra vrbem, qui vineas putabant, truciter peremerunt. Quorum aduentu comperto; ſuper arcem Dauidis tuba mox intonuit, hoc nobis ſignificans. Et procedentes aduerſus eos Franci noſtri atque Syri, audacter obſtiterunt. Et cùm tribus diei horis alterutro conſpectu ad tædium ſe fatigaſſent, effectis quamplurimis ſauciatis, mœſti abierunt. Noſtri ſiquidem paulatim eos inſecuti ſunt. Et quia militibus carebant, inſidias eorum veriti, non præſumpſerunt eos diu ſequi. Ad extremum tamen de capitibus eorum amputatis ſeptem & decem retenta ſunt, totidémque equi. Tres equites viui, alij verò ex eis ſunt occiſi. Quòd ſi milites haberemus, pauci ex eis euaſiſſent. Equitatus enim noſter in exercitu erat. Tunc Deus laudatur, cui ſemper laus debetur.

B

XXIX. *De Tyro, & eius nobilitate.*

Interea loci coanguſtantur Tyrij in vrbe ſua proximè incluſi: nec pacem quærentes, nec capi cedentes. Diuitiis enim opulenti, & maris præſidio circumfulti, conſueuerunt ſemper eſſe ingrati. Hæc eſt quidem cunctis vrbibus, quæ in terra ſunt promiſſionis, ditior & nobilior: præter *Azor*, quam antiquitùs Iabin Rex Chananæorum poſſedit. quam Ioſue poſtea cum plurimis deſtruxit. Quæ quidem, vt legimus, nongentis turribus munita gloriabatur. Ioſephus autem tria millia curruum falcatorum fuiſſe narrat. Armatorum verò trecenta millia, & decem millia equitum habebat. cuius militiæ Syſara dux extitit. Hæ vrbes Tyrus & Azor in Terra Phœnicum fuerunt inſtitutæ. Hæc inſtitoribus & negotiationibus munitiſſima: illa verò infinita gente populoſa. Hæc in marino littore ſita: illa verò in campeſtribus eſt collocata. Quando Gedeon vindicabat Iſraël, tunc temporis Tyrus condita fuit paulò ante Herculem à Phœnicibus. Vrbs enim in Terra Phœnicum eſt. Hæc eſt, ad quam Iſaias loquitur, minans eam propter ſuperbiam ſuam. in qua optima purpura tingitur. vnde & de Tyria dicitur nobilis purpura. *Tyrus* interpretatur anguſtia, quæ *Seor* Hebraicè dicitur. Rex autem Aſſyriorum Salmanaſar pugnans contra Syriam & Phœnicem expugnauit eam, cùm in ea regnaret Heliſeus. Nolebant enim Regi Aſſyriorum Tyrij eſſe ſubiecti. Hoc equidem per quinquennium actum eſt. De hoc Menander ſcribit, Ioſephus quoque latiùs. Tunc temporis pelagus transfretantes Tyrij duce Didone Beli filia, Carthaginem
C in Africa condiderunt. Cuius ſitus xxx. millia paſſuum muro amplexantur, & penè tota mari cincta ab Oroſio Hiſtorico fuiſſe deſcribitur abſque faucibus, quæ tribus millibus paſſuum aperiebantur. Is locus murum xxx. pedes latum habuit, ſaxo quadrato ad altitudinem cubitorum xl. Arx, cui *Byſſe* * nomen fuit, paucò ampliùs quàm duo millia paſſuum tenebat. quæ ſeptingenteſimo anno poſt conditionem eius omni lapide diminuto confunditur. Quæ ante vrbem Romam duos & ſeptuaginta annos ab Helyſſa condita inuenitur. Hanc Publius Scipio ſuperioris anni Conſul ſuprema ſorte molitus eſt. quæ continuis decem & ſeptem diebus miſerabiliter arſit.

* *In edit.* Birſe

XXX. *De Tyri captiuitate antiqua, & à quibus antiquitus fuit expugnata.*

Tyrvs autem ſuperiùs memorata lxx. annis iuxta Iſaiam depopulata elanguit. A qua recedentibus Cetheis, reduxit eos Heliſæus Rex. Contra quos Salmanaſar Rex Aſſyriorum denuò inſurgit. Receſſit à Tyro tunc ciuitas *Sidon*, & *Arce*, & antiqua Tyrus, & multæ aliæ ſimul vrbes: quæ ſemetipſas Regi Aſſyriorum tradiderunt. Quapropter Tyriis non ſubiectis, iterum aduerſus eos egreſſus eſt, Phœnicibus ei naues lxx. exhibentibus, & remiges dccc. Contra quos Tyrij nauigantes in xii. nauibus, diſperſis hoſtium nauibus ceperunt captiuos viros quingentos. Vnde honor Tyriorum propter hoc creuit quàm maximè. Reuertens autem Aſſyriorum Rex, diſpoſuit cuſtodias ſuper flumen, & aquæ ductu circuiuit, vt Tyrios haurire pocula prohiberent. Et cùm hoc quinque annis factum

1124. eſſet, tolerauerunt, de effoſſis puteis bibentes aquam. Hæc itaque in arciuis Tyri de Salmanaſar Rege Aſſyriorum conſcripta ſunt. Hic eſt, qui Samariam obſedit, & cepit eam anno Regis Ezechiæ ſexto, & tranſtulit Iſraël in Aſſyrios. Ante quem venerat etiam Phul Rex Aſſyriorum, & poſt eum Tegladphalaſſar Rex Aſſur, qui cepit Cedes & Aſor in Neptalim, & prope Paneas, & Ialoe, & Galaad, & vniuerſam Galileam. & tranſtulit eos in Aſſyrios. Venit quoque Sargon Rex Aſſyriorum, qui miſit Tartham pugnare contra Azotum, & cepit eam. Itaque propter peccata populi vaſtata eſt Terra promiſſionis, & in captiuitatem ducta: priùs Aſſyriis, deindè Chaldeis. Nabugodonoſor enim tam Chaldeus quàm Babylonius Rex obſedit & cepit Hieruſalem. Vnde Sedechias Rex fugiens captus eſt iuxta Hiericho, & ductus ad Regem Babylonis in regionem, quæ Reblata dicitur, in terra Emath. Hieronymus dicit Emath magnam eſſe Antiochiam, minorem verò Epiphaniam. Ibi fecit Nabugodonoſor oculos Sedeciæ erui, & filios eius coram ſe iugulari. Tunc venit Nabuzardam Princeps militiæ eius, & incendit Domum Domini, & domum Regis: & totum murum deſtruxit per circuitum. Poſt temporum autem interualla venit Alexander, qui Tyrum obſedit, & cepit, ſubiugata Sidone, priùs autem Damaſco. Gaza quoque ab eo capta per duum menſium ſpacia. qui circa Tyrum ſeptem menſibus fuerat, ad ciuitatem Hieroſolymam feſtinauit. Honorificè ſuſceptus, Principem Sacerdotum nomine Iaddim plurimis honoribus proſequitur, habentem thydarim ſuper caput eius, & ſtolam auream iacinctinam, & ſuper laminam auream, in qua nomen Dei ſcriptum erat, ſolus adiens diligenter adorauit. Et diſpoſita Hieroſolyma, ad reliquas ciuitates exercitum ſuum conuertit. Poſt annorum plurium ſpacia, peccatis Iudæorum exigentibus, Antiochus Epiphanes legem eorum impugnans, Machabeos valde coartauit. Poſt hunc venit Pompeius, qui Hieruſalem infeliciter diſſipauit. Ad vltimum verò Veſpaſianus cum Tito filio ſuo venit, qui penitus eam deſtruxit, Itaque per varios rerum euentus vſque ad tempora noſtra, & ciuitas ſancta, & patria ei ſubdita præcipitanter extitit vexata. Plerumque Paleſtina, interdum Phœnicea, quæ à Phœnice Cadmi fratre nomen accepit, eſt vaſtata. Tum Samaria, tum Galilea, quæ tamen bipartita determinatione diſtinguitur. Nam altera ſuperior, altera quidem inferior appellatur. quas ambifariam Phœnice & Syria cingunt. Illa nempe, quæ eſt trans Iordanem, à Macheronta in Pellam capit longitudinem, & à Philadelphia vſque Iordanem habet latitudinem. Pella quippe Septentrionalis eius eſt tractus, Iordanis verò Occiduus: Meridianus autem Moabitide terminatur regione: ab Oriente Arabia & Philadelphia, itémque Geraſidis clauditur. Samarienſis autem regio inter Iudeam & Galileam ſita eſt. At Iudeæ latitudo à Iordane vſque Ioppem explicatur. media verò ciuitas eius eſt Hieruſalem, quaſi vmbilicus eius terræ ſit. Porrò inferior Galilea, quæ ex Tyberiade vſque Zabulon, & vſque Ptolomaidam tenditur, & Carmelum-montem Tyriorum, continet intra ſe Nazareth, & Sephorum ciuitatem validiſſimam, Tabor etiam, & Cana, cum pluribus aliis. Hæc ſiquidem Libano accingitur, & fontibus Iordanis, vbi nunc eſt Paneas, ſiue Dan alio nomine, ſiue Ceſarea Philippi, circa quam Turconitidis * eſt regio, & Nabatea. A Meridie eſt Samaria, & Scitopolis, hoc eſt *Bethſan*. Iudeæ autem Berſabee ciuitas dat limitem, intra quam ſunt Tamna, & Lidda, Ioppe, & Iamnia, Thecue, & Hebron, Aſtaol, & Saraa, & multæ aliæ. Nunc ad callem redeo, qui diuerſas ſemitas diu diſcurri.

* *In edit.* Traconidis

XXXI. *De bello & victoria Antiochenorũ, & de morte Balac.*

CVM igitur circa Tyrum in obſidione ad machinas præparandas laboraremus, nihilominus Balac contra nos cornu ſuum cum complicibus ſuis extollere non ceſſabant. Qui ex vrbe Calipto egreſſus, quæ vulgò *Halapia* nuncupatur, menſe Maio intrante cum quinque millibus equitum ſeptémque millibus peditum perrexit Hierapolim, quam vrbem *Mombech* vulgus vocitat. Et cùm poſſeſſor eius eam illi reddere nollet, extra vrbem eum ad ſe tunc euocatum nefariam decollauit. Qua vrbe Balac protinus obſeſſa, non latuit Goſcelinum Antiochiæ tunc morantem: & habita indè legatione, acceleravit illuc ire cum Antiochenis. Licèt enim pauciſſima gens eſſet Chriſticolarum, non pauitauit Goſcelinus aggredi multitudinem perfidorum. Nec mora diu protracta, commiſſa eſt ferociter pugna. Deo autem ſuffragante, poſtquàm Turci ter ſunt confuſi, ter ad pugnam audaciter regregati, Balac in ea preſſura ſauciatus ad mortem, pro poſſe diuertit mori-

A moribundus in partem. Quod cùm extemplo ſui comperiſſent, qui potuerunt fugere non torpuerunt. Potuerunt quidem pleríque fugere, ſed nequaquam effugere. Referuntur enim tria millia ex eis fuiſſe interemptorum, qui equites erant. De peditibus autem ignoratur numerus. De noſtris verò XXX. milites, ibi perempti occubuerunt: de pedeſtri autem clientela LX. ferè. Volens autem certitudinem rei ſcire Goſcelinus, an Balac eſſet mortuus, an aliquatenus eſſet viuus: cùm ſollicitè perſcrutarentur, qui hoc inter necatos exquirebant, armorum indiciis cognitorum à cognitis cognitus eſt. Cuius caput qui amputauit, Goſcelino gratulabundus detulit. à quo numiſmata, ſicut ſe illi daturum ſpoponderat, lucratus accepit. Caput ſiquidem continuò Antiochiam ad declamationem rei geſtæ Goſcelinus deferri fecit. Quod ipſe, qui in ſtarcia ſua detulit vſque Tyrum, itémque Hieruſalem, nobis vniuerſis & enarrauit & declarauit. qui etiam in prœlio memorato cum prœliantibus præſens fuit. Armiger quoque Goſcelini erat ipſe. Et quia nuncium attulit deſiderantiſſimum in exercitu noſtro ante Tyrum aſſiſtentem, acceptis armis ab armigero in militem prouectus eſt. Comes nempe Tripolitanus ad hunc gradum eum ſublimauit. Et laudauimus & benediximus omnes Dominum, quia ſuffocatus eſt ille draco ſæuiſſimus, qui Chriſtianiſmum diu tribulauerat & peſſumdederat. 1124.

Sol decies nouies luſtrarat lumine Taurum;
B *Quando Balac cecidit, vel eum fortuna fefellit.*

Ecce ſic interpretatio ſomnij ſuperiùs memorati declarata eſt, quod quaſi vaticinans ipſe Balac de ſeipſo dixerat tempore illo, quo Goſcelinus de captione mirabiliter euaſit. Videbat enim in viſu à Goſcelino ſibi oculos erui. Verè penitus eruit, quoniam caput & membra illi penitus abſtulit.

Nec videt, aut audit, nec fatur, nec ſedet, aut it:
Nec cœlo, nec humo, nec aquâ locus eius habetur.

QVADAM verò die, dum in obſidione memorata ſecuri quieſcerent qui circumſedebant, oportunitate conſiderata egreſſi ſunt de ciuitate Tyrij, tam Turci quàm Sarraceni, patefactis portis: & ad machinam noſtram inter ceteras fortiorem occurrentes, nudatis frameis vnanimiter accurrerunt. & antequàm arma noſtri caperent, quos in machina cuſtodes inuenerunt foras ſauciando pepulerunt. Et incenderunt eam igni, qua ſolebant turres antea iactis lapidibus conquaſſari, & vehementiſſimè perforari. In qua impugnatione XXX. homines perdidimus. illi autem duplex repererunt damnum. Ciues quippe per muri minas noſtros tam ſagittis quàm lapidibus ſiue ſpiculis crebrò valdè lædebant, & vulnerabant. Interim autem Venetici noſtri ſecunda vſi fortunâ ſatis, carabum ſuum ingreſſi, qui non erant niſi quinque tantùm, domunculam vnam, quam iuxta murum vrbis repererunt, diripuerunt: duobus ibi capitibus amputatis. Qui tunc ſine cunctatione cum lucello ſuo gratulabundi foras remeauerunt. Actum eſt hoc C XI. Kal. Iulij. Sed minùs valuit, cùm paulo ante Tyrij liburnam vnam noctu clepſerint, & intra vrbem per portum traxerint. In huiuſmodi enim certaminibus talia fieri ſæpè contingit. XXXII. *De his quæ in obſidione Tyri gerebantur.*

Hic cadit, hic ſurgit: hic plorat, gaudet & ille.

SCIENTES autem Aſcalonitæ gentis noſtræ paucitatem, vbi magis æſtimauerunt nos debilitare, vel damnum inferre, non piguerunt moleſtare. Nam prope Hieruſalem viculum quendam *Birrum* nominatum vaſtauerunt, & concremauerunt: & abſportatis omnibus reculis illic inuentis, cum aliquantis mortuis & pluribus vulneratis abierunt. Mulierculæ enim & infantes in turri quadam tempore noſtro illic ædificata ſe intromiſerunt, & ſic ſaluati ſunt. Itaque per terram excurrentes, diripiebant, necabant, captiuabant: quodcumque malum poterant faciebant, nec erat qui eis reſiſteret. Intenti enim eramus omnes ad obſidionem, miſericordiam expectantes ſupernam. quatenus laborem noſtrum Deo factore & adiutore valeremus conſummare. Erat enim impatibile & nocte lucubrare, & die laborare. XXXIII. *De peſſima inquietudine Aſcalonitarum.*

VIDENS autem Rex Damaſci Turcos ſuos & Sarracenos, qui erant in vrbe circumcluſi, nullo modo poſſe de manibus noſtris euadere, maluit cum aliquo dedecore viuos eos redimere, quàm mortuos plorare. Quæſiuit ergo per interlocutores ſagaci conſilio, quatinus homines ſuos cum rebus eorum omnibus foras exciperet, & vrbem vacuatam nobis relinqueret. In quo cùm vtrimque diu XXXIV. *De redditione vrbis Tyria.*

1124. luctaremut, obſidibus ambifariam datis, illi de vrbe ſunt egreſſi, & Chriſtiani pa- A
cificè introgreſſi. Quicumque autem ex Sarracenis in vrbe remanere voluerunt,
ſub conditionis ratiocinio in pace remanſerunt.

Sub Cancro Phœbus fuerat ſex decies ortus,
Quando Tyrus capitur, & redditur, ac ſuperatur,
Nam Nonas Iulij contigit hoc fieri.

Non eſt ceſſandum, non eſt etiam tardandum, quærere Dominum noſtrum ad-
iutorem in tribulationibus, pium, benignum: & precibus pulſare eum, vt nobis
pulſantibus pium præbeat auditum. Hoc equidem in Hieruſalem feceramus,
perſæpè Eccleſias viſitando, lacrimas fundendo, eleemoſynas impertiendo, cor-
pora ieiuniis afficiendo. Quod Deus, vt credo, de ſupernis aſpectans, non reli-
quit poſt ſe benedictionem, ſed exaudiuit deprecationem noſtram. Quòd cùm
aliquem addiſcere rumuſculum auribus apertis expectabamus, ecce legati tres
feſtinantiſſimè venerunt nobis nunciantes, & Literas à Patriarcha noſtro defe-
rentes, & vrbem captam eſſe innoteſcentes. Quo audito, clamor iocundiſſimus
attollitur, *Te Deum laudamus* illicò vocibus altiſſonis decantatur. Signa pulſan-
tur, proceſſio ad Deum deducitur, vexilla in muris & turribus eleuantur. per om-
nes vicos ornamenta multicoloria extenduntur, gratiarum actiones depromun-
tur. nuncij pro meritis dignè remunerantur. puſilli & magni pariter congratu-
lantur. puellæ in cantilenis, in choreis delectantur. Rectè mater Hieruſalem B
gaudet de Tyro filia, cuius à dextera ſedit amodò coronata. Luget & Babylon,
conſolatione eius perdita: cuius amminiculo dudum extiterat ſuffulta, cuius
claſſem quotannis nobis hoſtilem excipiebat. Hæc verò etſi minoratur pompa,
augmentatur diuina gratia. Nam quæ apud Ethnicos ciuitas habuerat in Magiſte-
rio Primiflaminem, vel Archiflaminem: ſecundùm Patrum inſtitutionem habe-
bit *Primatem* vel *Patriarcham* in lege Chriſtiana. Vbi enim Archiflamines erant,
Archiepiſcopi in lege Chriſtianorum ſunt inſtituti, qui ſingulis Prouinciis præ-
ſint. Vbi *Metropolis* erat, quæ interpretatur mater ciuitas, *Metropolitani* erant,
qui de tribus aut quatuor ciuitatibus intra aliquam Prouinciam matri & maiori
aliarum ciuitati præſidebant. Vbi autem minores ciuitates habuerunt ſolummodò
Flamines vel Comites, *Epiſcopi* ſunt conſtituti. Porrò Tribuni plebis non abſurdè
intelliguntur *Presbyteri*, ſiue reliqui inferioris Ordinis Clerici. Sic omnis mundana
poteſtas his gradibus dignitatum à ſe inuicem diſtat, id eſt vt primus ſit Auguſtus,
vel Imperator. Deinde Cæſares, deinde Reges, Duces, Comites. Sic dicit Cle-
mens Papa, Anacletus, Anicius, & plures alij. Demus ergo laudes Deo altiſſimo,
quia non hominum virtute, ſed ſua beneplacita voluntate, ſine ſanguinis effuſio-
ne nobis Tyrum reddidit, vrbem inclitam, vrbem fortiſſimam, & ad capiendum
difficillimam, niſi Deus manum apponeret dexteram. In hoc quidem Antiocheni
deliquerunt, qui nullum auxilium nobis præbuerunt, nec labori huic adeſſe vo-
luerunt. Benedicatur autem PONCIVS Tripolitanus, quoniam adiutor nobis C
fideliſſimus. Pacificet Deus Antiochenam Eccleſiam cum Hieroſolymitana Eccle-
ſia, quæ duæ diſſident de Tyria tertia. Illa dicit hanc ſibi fuiſſe ſubditam ſub Græ-
corum tempore. Hæc dicit ſe eſſe communitam Priuilegiis à Romano Pontifice.
Nam in Concilio Aruernenſi tam autentico & nominatiſſimo conſtitutum vnani-
mi aſſenſu fuit, vt quæcumque ciuitas mari magno tranſito à Paganorum poſſet
excuti iugo, ſine contradictione perhenniter obtineretur. Hoc etiam in Antio-
cheno Concilio Epiſcopo Podienſi magiſtrante replicatum, & conceſſum ab om-
nibus eſt. In Hieruſalem quoque Dux GODEFRIDVS & domnus Boamun-
dus acceperunt Terram ſuam à Patriarcha Daiberto propter amorem Dei. Iden-
tidem PASCHALIS Papa Priuilegiis ſuis corroborauit, & ea Eccleſiæ Hieroſo-
lymæ tranſmiſit, quibus Eccleſia Romana ſic auctoriſante iure perpetuo commu-
nietur. In quibus Priuilegiis hæc inſcripta continentur.

XXXV. *Priuilegium PASCHALIS Papæ.*

PASCHALIS *ſeruus ſeruorum Dei, reuerentiſſimo Fratri Hieroſolymitano Patriar-
chæ* GIBELINO *& ſucceſſoribus eius canonicè promouendis. Secundùm mutationes
temporum transferuntur etiam Regna Terrarum. Vnde etiam Eccleſiaſticarum Parrochia-
rum fines in pleriſque Prouinciis mutari expedit & transferri. Aſianarum ſiquidem Ec-
cleſiarum fines antiquis fuerunt diffinitionibus diſtributi. Quas diſtributiones diuerſarum
diuerſa fidei gentium confudit irruptio. Gratias autem Deo, quod noſtris temporibus &*

A *Antiochia & Hieroſolyma ciuitates cum ſuburbanis ſuis & adiacentibus Prouinciis in Chriſtianorum Principum redactæ ſunt poteſtatem. Vnde oportet nos diuinæ mutationi & tranſlationi manum apponere, & ſecundum tempus quæ ſunt diſponenda diſponere: vt Hieroſolymitanæ Eccleſiæ vrbes illas & prouincias concedamus, quæ per glorioſi Regis* Baldvini *prudentiam, ac exercituum eum ſequentium ſanguine per Dei gratiam adquiſita ſunt. Præſentis decreti pagina tibi, Frater cariſſime & Coëpiſcope* Gibeline, *tuiſque ſucceſſoribus, & per vos ſanctæ Hieroſolymitanæ Eccleſiæ Patriarchali Metropolitano, iure regendas diſponendáſque ſancimus ciuitates omnes, atque prouincias, quas ſub prædicti Regis ditione aut iam reſtituit, aut in futurum reſtituere diuina gratia dignabitur. Dignum eſt enim, vt Sepulcri Dominici Eccleſia ſecundum fidelium militum deſideria competentem honorem obtineat: & Turcorum vel Sarracenorum iugo libera, in Chriſtianorum manu abundantiùs exaltetur.* 1124.

Expletis autem apud Tyrum prout oportuit negociis, & tripartita diuiſione diſpoſitis, & æquiparatione congrua duabus portionibus Regiæ ſcilicet dignitati, & tertia hereditario iure Veneticis tam in vrbe quàm in portu ſingillatim contraditis, receſſerunt omnes ad ſua. Reuertente autem Hieroſolymitano Patriarcha Hieruſalem cum Hieroſolymitanis, Crucem Domini ſacroſanctam digna cum veneratione ſuſcepit Clerus & populus. XXXVI. *De portionibus circa Tyrum conſtitutis.*

B *Huc vſque editio I. Bongarſij. Quæ ſequuntur addita ſunt ex MS. Codice.*

Deinde apparuit nobis Sol per vnam ferè horam fulgore colorifero, in nouam vel iactiuam formam commutatus, & in ſpecie Lunæ tanquam eclypſi quadam biformis tranſmutatus. Hoc accidit quippe III. Idus Auguſti, hora diei iam prætereunte nona. Noli ergo mirari cùm vides ſigna in cœlis, quia nihilominus operatur Deus in terris. Sicut enim in cœleſtibus, ita & in terrenis transformat & componit quæcumque & quomodo vult. Quòd ſi mira ſunt quæ fecerit, mirabilior eſt qui ea fecit. Conſidera & mente recogita, quomodo tempore in noſtro tranſuertit Deus Occidentem in Oriente. Nam qui fuimus Occidentales, nunc facti ſumus Orientales. Qui fuit Romanus aut Francus, hac in terra factus eſt Galilæus, aut Palæſtinus. Qui fuit Remenſis aut Carnotenſis, nunc efficitur Tyrius aut Antiochenus. Iam obliti ſumus natiuitatis noſtræ loca. iam nobis pluribus vel ſunt ignota, vel etiam inaudita. Hic iam poſſedit domos proprias & familias quaſi iure hereditario & paterno, ille verò iam duxit vxorem non tamen compatriotam, ſed & Syram aut Armenam, & interdum Sarracenam, baptiſmi autem gratiam adeptam. Alius habet apud ſe tam ſocerum quàm nurum, ſeu generum ſuum, ſiue priuignum, necne vitricum. Nec deeſt huic nepos, ſeu pronepos. Hic potitur vineis, ille culturis. Di- XXXVII. *De ſigno illic apparente.*

C uerſarum linguarum coutuntur alternatim eloquio & obſequio alterutri. Lingua diuerſa iam communis facta vtrique nationi fit nota, & iungit fides quibus eſt ignota progenies. Scriptum quippe eſt: *Leo & bos comedit paleas.* Qui erat alienigena, nunc eſt quaſi indigena. & qui inquilinus eſt, vtique quaſi incola factus. Nos noſtri ſequuntur de die in diem propinqui & parentes, quæcumque poſſederant omninò relinquentes, nec etiam volentes. Qui enim illic erant inopes, hîc facit eos Deus locupletes. Qui habuerant nummos paucos, hîc poſſident biſantios innumeros: & qui non habuerant villam, hîc Deo donante iam poſſident vrbem. Quare ergo reuerteretur in Occidentem, qui hîc inuenit taliter Orientem? Nec vult eos penuriâ Deus affici, qui cum crucibus ſuis denouerunt eum ſequi, imò denique aſſequi. Percipitis igitur eſſe hoc miraculum immenſum, in vniuerſo mundo valdè ſtupendum. Quis audiuit hactenus tale? Vult ergo nos Deus omnes lucrifacere, & vt amicos cariſſimos ad ſe attrahere. Et quia vult, nos quoque voluntariè velimus: & quod illi placet benigno corde & humili faciamus, vt cum eo feliciter regnemus.

Omnipotente Deo fauente, de Turcorum cuſtodia Hieroſolymorum Rex IV. Kal. Septembris exiit, cùm menſibus XII. paulóque magis ſub eorum vinculis detentus eſſet. Sed quia pro redemptione ſui obſides eis electos primitus contradere oportuit, non omninò liber exiit: cùm ſe & illos incerta & pendula XXXVIII. *De Rege à vinculis liberatione, & obſidione vrbis Halapiæ.*

1124. ſpe anxius obligauerit. Vnde conſilio neceſſitati poſtmodum adhibito, vrbem Caliptum obſidere accelerauit, quatenus ipſa cohibita, vel obſides ſuos à ciuibus extorqueret, vel fortè fame vexatam comprehendere poſſet. Didicerat enim panis inopiâ eam valde anguſtari. Ab Antiochia magna XL. milibus ciuitas hæc diſcrepat. quo in loco ab Abraham, quando de Carram in terra peregrinabatur Chanaan, pecora ſua tam fœtentia quàm fœtata in paſcuis illic vberrimis faciebat opiliones ſuos paſcere. inſuper lac eorum in mulctris faciebat mulgeri, deinde coagulari, coagulatúmque in fiſcinis exprimi, & formagia confici. Diues enim erat valde omnigenûm rerum poſſeſſione. CALIXTVS Papa obiit XII. Kalend. Ianuarij. A

1125. XXXIX. *De congregato exercitu Turcorum ad diſpergendam obſidionem.*

ANNO à Saluatore mundi nato MCXXV. Indictione III. cùm menſibus V. Hieroſolymitanus vnà cum ſuis Halupiam vrbem Rex cohibuiſſet, nec quicquam profeciſſet: Turci, vt ſolent, non torpidi, tranſgreſſo flumine Paradiſiaco Eufrate magno, itinere citiſſimo properauerunt ad vrbem prædictam, ad diſperdendam obſidionem, quam gens noſtra iam diu appoſuerat circa illam. Verebantur enim, niſi citiſſimè ſubuenirent, in proximo eam fore capiendam. Fuerunt autem ſeptem millia equitum, camelorum quoque annonâ & alimentis onuſtorum, ad quatuor ferè millia. Sed quoniam aduerſus eos præualere noſtri non potuerunt, neceſſariò ceſſerunt, & ad oppidum eis proximum *Carepb* nominatum die ſequenti diuerterunt. Erat enim illud noſtrum. Turcorum enim pars vna noſtros aliquantiſper cùm inſequerentur, duos de ſuis probioribus equis deiectos atque peremptos illic amiſerunt. Nos verò clientem vnum, ſex quoque tentoria. Accidit aduentus eorum III. Kalend. Februarij. Sed quia noctu repentini aduenerunt, propterea imparatos nos faciliùs inuenerunt, & confuderunt. Viliſſimum ergo dictu, inhoneſtum ſcitu, tædium relatu, pudor auditu. Sed qui hoc narro, à veritate non deuio. Quid ergo? voluntati Dei quis reſiſtit? Verum eſt autem prouerbium, quod quidam Sapiens dixit: *Futura non pugnant, nec ſe ſuperari ſinunt.* Erat hoc verum futurum, ſed nemini præſcitum. Si enim fuiſſet præſcitum, numquam poſſet fore futurum: quia de meditatione veniret ad nihilum ſine voluntate. Nam caſſaret qui præſciret, ne ad factum res exiret. Rex autem deinde ſeceſſit Antiochiam, Goſcelinúſque cum eo. Obſides verò, quos poſuit pro ſe Rex quando de vinculis exiit, neque ſunt redditi, neque redempti. Itaque tam Hieroſolymitani quàm Tripolitani omnes ad ſua remeauerunt. Obuiat autem diuina diſpenſatio ei, quem proſperiorem facit humana probitas, ne cui conuenit ampliari patiatur. Quis enim alius vel bonorum dator, malorúmve depulſor, quàm rector aut medicator mentium Deus, qui ex ſumma cœli ſpecula vniuerſa conſpicit & diſcernit? Qui Tyrum vrbem fortiſſimam & glorioſiſſimam nobis Chriſtianis ſuis paulò antè benignè tradidit, & poſſeſſoribus eius abſtulit, nunc ei manum retrahere libuit. Fortaſſis liberioribus agricolis vineam ſuam excolere reſeruauit, qui fructum ei vbertim reddere velint vel valeant oportuno in tempore. Quidam quidem cùm plus habent minus valent, nec largitori bonorum gratias quantas debent exhibent: verùm etiam Deo in his, quæ votis illi promittunt, ſeſe fallentes, item itémque mentiendo fallunt. B C

XL. *Quòd Rex Hieroſolymis cũ gaudio ſit receptus.*

CVM autem duobus ferè annis tentus, & vinculis compeditus à Paganis atrociſſimè Rex fuiſſet, Hieroſolymam ſuam reuerſus rediit. quem III. Non. Aprilis vniuerſi proceſſione celebri ſuſcepimus. Qui parum apud nos commoratus, Antiochiam feſtinanter rediit. Turcis terram illam iam vaſtantibus, quorum potentior Borſequinus erat nominatus, iunctis ſibi ſex millibus militum.

XLI. *De Veneticis, qui reuertentes Inſulas Imperatoris vaſtauerunt.*

TVNC temporis vſque ad nos diuulgatur, Veneticos poſt Tyrum captam in repatriatu ſuo, Inſulas Imperatoris, per quas præteribant, Rhodum videlicet & Mothonem, Sanum quoque, & Chium, violenter comprehendiſſe, paritérque mœnia diruiſſe, puberes & puellas miſerabiliter captiuaſſe, pecuniam multimodam ſecum aſportaſſe. Sed quoniam nequiuimus hoc commendare, in viſceribus intimis hoc audientes condoluimus. Hi enim aduerſus Imperatorem, hic quoque contra Veneticos crudeliſſimè vtrobique deſæuiebant. Inimici enim erant ad inuicem. Sed væ mundo ab ſcandalis! væ illis etiam per quos ſcan-

A dala eueniunt! Si culpa eſt Imperatoris, malè quidem ipſe imperat. Si autem 1125. Veneticorum, ipſi ſibi damnationem adquirunt. De ſuperbia quippe peccata procedunt vniuerſa. Nónne ſuperbit homo, quando facit quod prohibet Deus? Habent Venetici vlciſcendi ſe occaſionem, habet & Imperator defendendi ſe, vt ait, iuſtiorem. Inſontes autem in medio poſiti, & eorum iniuriæ non obnoxij luunt, & iniuſtè perdunt. Sed quid præterea dicendum eſt eis, qui raptu pyratico peregrinis Dei & Hieruſalem pro amore Creatoris, cum labore & angore tantimodo euntibus in pelago mala quæ poſſunt facere non deſiſtunt? Si beatificari Domino dicente merebuntur miſericordes, quid contrarij pietatis recipiunt pro impietate ſua immiſericordes? Maledicuntur, excommunicantur, & impœnitentes & perfidi moriuntur. Deſcendunt vltrò tales in infernum viuentes. Apoſtolico non obediunt, Patriarcham contemnunt, ſanctorum Patrum dicta vilipendunt. ſcio, ſcio quod eis dicere non formido. Futurum enim eſt, quòd audient à Domino Iudice valde ſeuero: Neſcio vnde ſitis, qui ianuam „ vobis aperire clamatis. Et tardè venitis, & nihil boni vobiſcum affertis. Immò „ ianua iam clauſa eſt. Noluiſtis enim me audire, nec ampliùs dignor vos auſcultare. „ Qui quondam clamaui, Venite: nunc omninò dico, Diſcedite. Dico, dico: amen „ dico. datam ſententiam nullatenus commuto. Quod autem ſupereſt, horribile eſt, & impatibile eſt. ſed perpetuum pro meritis væ. Rerum autem ordinem B continuandi gratiâ, & ne interciſa pendeat hiſtoria, ſummatim ſingula deſignare ſatagam.

XLII. IGITVR Borſequinus, cuius tam probitatem quàm improbitatem ordiri iam cœpimus, cùm paulatim per ſingulos dies eius concreſceret exercitus, oppidum quoddam vocitatum *Caphardam* obſidione arcuit, & arcitum comprehendit. Quod ei tradiderunt qui tutores eius erant, cùm diutiùs obtinere nequirent, nec ſubuentum aliundè habere ſperarent. Necdum Rex noſter illuc peruenerat, nec Comes Tripolitanus quem ſecum illuc ducebat. De Hieroſolymitanis autem paucos habebat, quoniam in præſenti & in præterito anno valdè fatigati fuerant. Nam quomodo tot labores aſſiduè tolerare poterant, quibus vix vno menſe in domibus ſuis quieſcere licebat? Certè crudelis corde eſt, qui eis qui circa Hieruſalem inhabitant piè non compatitur. qui die ac nocte in Domini ſeruicio grauiſſimè tribulantur. qui etiam, cùm de hoſpitio ſuo exeunt, ne reuerti poſtea poſſint timidi ambigunt. Si longè tendunt, neceſſariò alimentis ſuis & vtenſilibus onerati incedunt. Si pauperes vel agricolæ, aut lignarij ſunt in ſaltibus & lucis: Ethiopum inſidiis aut capiuntur, aut necantur. Hinc Babilonij terrâ & mari, ab Aquilone verò Turci plerumque accurrunt ſubitanei. Præſto quippe ſunt aures & attentæ ad cornicinem audiendum, ſi fortè increpuerit bellicus tumultus. Quòd niſi interdum peccando deuiaremus, amici reuera Dei omninò eſſemus. Borſequinus autem humilem Syriam proculcans, & quid ei magis ſit commodum ſollicitè ex-C quirens, *Sardanaium* caſtrum obſedit. Sed nihil illic proficiens, ad municipium *Haſar* nominatum exercitum ſuum conuertit. quod ſtatim obſeſſum machinis & tormentis vehementiſſimè coërcuit. Cui Rex Damaſcenorum cùm properaſſet mandatus adiutum, audito Regis aduentu, iam callidè Borſequinus tentoria ſua collecta cum ſarcinis ſuis formidoloſus emiſerat. Et cùm vſque ad comprehenſionem iam caſtrum angeretur, & tempus ad bellandi affectum noſtros artaret: ecce Rex venit cum XIII. cuneis ordinatiſſimè præparatus. Ad cuius cornu dextrum Antiocheni conſtituti ſunt. In læuo duo Comites, Tripolitanus & Edeſſenus. Rex verò in tertio cum denſiore & poſteriore: cùm in XXI. phalangibus Turci diuiſi eſſent. multitudo nempe erat copioſa. Iamiámque arcus tentos in brachia de manibus deponebant, & comminus enſibus extractis nudatíſque dimicabant. Cùm Rex hoc viſo haut diutiùs tardans, orationum munimine & ſigno crucis armatus, exclamando ADIVVA DEVS, & tubis vehementer ſonantibus, impetum in eos & fecit, & fieri præcepit. Non enim pugnam incipere audebant, quò vſque Rex iuſſiſſet. Turcis ſiquidem potentiſſimè primitus reſiſtentibus. Denique conditore vniuerſorum opitulante, deſperatione tabuerunt, & ſtrage ſub magna confuſi in fugam & deſperationem quibus licuit conuerſi ſunt.

De malis à Borſequino perpetratis, & propoſito contra ipſum geſto.

Quinquies exortu in quinis quinque Gemellis
Claruit hoc bellum, Domino præſtante triumphum:

1125. *Idibus in texuis cùm Iunius æſtuat auris,* A
Hoc geritur bellum Damins decus ad memorandum.

XLIII. *Quanti in prælio ſint occiſi.*

De numero autem occiſorum vel ſauciatorum comprehendi veritas nec in hoc nec in alio quolibet bello poteſt: cùm niſi ſub æſtimatione talis ſumma à nemine taxetur. Sed multotiens varietas Scriptorum vtique fallacia eſt. quæ quidem fallaciæ cauſa profectò adulatio eſt, dum victorum laudes accumulare, virtutémque patriæ extollere vel præſentibus vel poſteris ſtudent. Vndè lucidiſſimè paret, quoniam tali impudentia mentiendi & occiſorum hoſtium numero adiciunt, & amicorum damna minuunt, vel omninò reticent. Retulerunt autem nobis qui bello interfuerunt, duo millia militum Turcorum extitiſſe peremptorum, ipſis qui euaſerant Turcis teſtificantibus. Sed de equis vtrarumque partium infinitus numerus fuit, angore & fatigatione ſiti extinctis.

Aeſtus erat, magnúſque calor geminauerat æſtum,
Pugna grauis geritur, furit hic, occidit & ille.
Is fugat, ille fugit. poſt caſum nemo refugit.
Sanguine caſorum campíque viaque rubeſcunt,
Candent lorica, lucent galea frameaque
Clarifica ſpecie, per campos vndique tacta.
Praiicis hic ſcutum, pharetram iacit ille, vel arcum.

Nollet Borſequinus ſcutica tunc carere, & mallet Tuldequinus vrbe Damaſcena nudipes inceſſe, & ſuam Toparchiam ſollicirè ſeruare. Amiſerunt Satrapas Turci XV. in congreſſu illo. Noſtri verò non ampliùs quàm XX. homines, quorum quinque milites erant. Mille quidem centúmque milites noſtri fuerunt, quando prœlium commiſſum eſt. Turci autem XV. millia militum. De noſtris verò duo millia peditum. B

XLIV. Cvm autem niſi paucis diebus apud nos poſtea moratus eſſet Borſequinus, prætergreſſo Eufrate flumine in ſua repatriauit: nihil honoris, ſed doloris & plangoris, amicis ſuis in patriam relaturus. Et qui huc venerat minax & cornutus, Dei gratiâ rediit mutilatus, & conſolatione viduus. Deindè cùm Rex noſter filiam ſuam ætate quinquennem, quæ in obſidatu detenta fuerat, & aliquantos familiares ſuos ſimiliter compeditos redemptione nummiſmatum adeptus fuiſſet: ſicut vtrimque pactum fuerat, Hieruſalem contendit gratiarum actiones Deo acturus, & de prœlio circa Borſequinum magnificè patrato eum obnixè laudaturus. Et meritò laudaturus, & gratias acturus: quia cùm iam diuturno tempore peſſundatus, & in parte ſubteriore roræ locatus, & viliſſimè & miſerrimè ferè fuerat traditus, nunc opitulante Deo in decus priſtinum reſtitutus eſt, & corroboratus.

Sena decennia, bina tricennia prateriernnt,
Ex quo natus ſum, quoad hunc peruenimus annum.
Quod ſupereſt vita Deus ordinet & regat aquè.

XLV. *De caſtello à Rege ædificato.*

Hoc in anno menſe Octobris ædificauit Rex caſtellum in montanis Berithi, & terra bonorum ſatis feraci. Hunc montem *Glauianum* vocant, à digladiando: quia ibi rei digladiabantur, qui apud Berithum damnandi iudicabantur. Abeſt autem ab vrbe ipſa ſex milliariis. Et quia ruricolæ Sarraceni tributa locorum reddere antea nolebant, poſtea vi cohibiti reddibiles extiterunt. C

XLVI. *De expeditione Regis, & prælio cum Turcis.*

Deinde parauit Rex profectionem ſuam in Syriam verſus Damaſcum, rupta pace inter Regem & Tuldequinum, vbi tres vicos optimos cepit, profligauit, præcipitauit: & prædâ rapta quantum potuit, ad ſua rediit. Quam quidem rapinam cùm equitibus ſuis vel participibus æquè diuiſiſſet, vel ſolito iure diſtribuiſſet; poſtridie in terram Philiſtum expeditionem ſuam conuertit. Tunc apud Aſcalonem noui recentéſque conuenerant, qui de Babylonia illuc miſſi fuerant. Cuncus militum probitatem ſuam in terra noſtra monſtrare cupientes, iam victores ſe fore arbitrabantur. Quos cùm viderent ciuitati prædictæ leuatis ſignis appropinquare, exierunt contra eos cum magna vociferatione & audacitate. Et quamlibet Rex nondum in primam acierum ſuarum frontem adueniſſet, quia in poſteriore parte ſollicitus ſe retardabat, vt ſuis callidè fugientibus, ſi neceſſitas vrgeret, adiutor exiſteret; anteriores noſtri curſores animi non inopes aduerſus eos inedicibili impetu, Adivva Devs inclamantes, irruerunt. Quos cum tanta virtute & animoſitate inculcantes intra portas vrbis, feriendo,

A proſternendo, & occidendo impulerunt: vt quantum æſtimare licet, ſi aliquan- 1125.
tò magis de gente parata illic haberemus, proculdubio cum illis communiter in-
troire poſſent qui perſequebantur. Remanſerunt itaque Aſcalonitæ mortuos
ſuos vltra XL. de melioribus lugentes & lamentantes, & de hoc inſperato in-
fortunio vehementer admirantes. Rex autem tubis ſignificantibus vltra & prope
vrbem, nocte illa ſub tentoriis conquieuit. Quod ſi habuerunt gratiâ Dei quie-
tem, hoſtes noſtri noctem duxerunt inſomnem & triſtem. Nam, vt ait Ioſephus,
nimis confidens incautus eſt, metus autem prouidentiam docet. Sciendum quòd
die illa nullam prædam noſtri curſores circa vrbem inuenerunt. Nam de aduentu
Regis præſcij, iam pecora ſua vniuerſa abſconderunt prouidenter.

MORALE eſt Sarracenis in Palæſtina degentibus, vt per columbas ad hoc XLVII.
officium doctas de ciuitate in ciuitatem literas ſagaciter tranſmittant: quæ ſcri- *Quid Sar-*
ptorum vectrices ad domicilium iam ſibi dudum cognitum deportent. Quæ ſcri- *raceni per*
pta in ſcedulis & ſuper clunes columbarum conſuta inuentis legendo innuunt, *columbas*
quid poſtea fieri debeat. Quod tunc ita factum clariſſimè eſt compertum. *ſuas litte-*
ras tranſ-
mittant.

IGITVR ſecundum diuiſiones terrarum varietates exiſtunt vtique rerum & XLVIII.
conſuetudinum. Alios enim vſus habet Francia, alios equidem Anglia, alios Egy- *De varieta-*
ptus, alios verò India. Differunt etiam in volucribus, differunt in piſcibus atque *te conſuetu-*
arboribus. Numquam in Paleſtina vidi balenam, neque lampredam: nec in vo- *dinum.*
B lucribus picam, ſiue cutucam. Illic autem habentur onagri, cirogrilli, necnon &
hiæna, quæ mortuorum effodit buſta. In arboribus illic non vidi populum, nec
taxum, neque corilum, aut ſambucum, aut ruſcum, aut acerem vllam.

NVPER vidimus omnes apud Neapolim beſtiam quandam, cuius nomen XLIX.
nullus hominum nouit, nec audiuit: facie quâ hircus, collo vt aſelli crinito, vn- *De diuerſis*
gulis bifidis, cauda vitulina, ariete maiorem. In Babilonia quoque eſt alia beſtia, *generibus be-*
quam *Chimeram* vocant, quæ non retrò, ſed ante alta eſt: ſuper quam in diebus *ſtiarum &*
maioribus pallium extendunt optimum, Principi ſuo cum magnis aliis apparati- *ſerpentium*
bus ſeruituri. Eſt *Cocodrillus* animal quadrupes. In terra & in flumine pariter va- *in terra Sar-*
let. Linguam non habet, maxillam mouet ſuperiorem. morſus eius horribili te- *racenorum.*
nacitate conueniunt. Plerumque ad XX. vlnas longitudinis eualeſcit. Qualia an-
ſeres edit oua, nec alibi fœtus premit, quàm vbi creſcentis Nili aquæ non poſſunt
peruenire. Armatus eſt enim vnguium immanitate. Noctibus in aqua degit, per
diem humi acquieſcit. Circumdatur maxima cutis firmitate. In flumine quodam
Ceſarienſis Paleſtinæ modò hæc quadrupedia ſimiliter habentur: ſed non ex lon-
go tempore dicunt illuc fuiſſe allata de ipſo Nilo doloſitate maligna. vbi iam dam-
na quamplurima in territorio illo ſæpè perpetrant. animalia deuorant. *Appotamus*
in eodem flumine Nilo ac ſolo naſcitur, & in India: maximè equo ſimilis, & dor-
ſo, & iuba, & hinnitu, roſtro reſupino, vngulis bifidis, aprinis dentibus, cauda
tortuoſa. Noctibus ſegetes depaſcitur, ad quas pergit auerſus, aſtu doloſo: vt fal-
G lente veſtigio reuertenti nullæ inſidiæ præparentur. Sunt quidem corpore maio-
res quàm elephanti. Hæc & alia, puſilla & magna, Deus creat vniuerſa. Et quia
placet ei creare, & nobis debent placere. & proindè laudes ei dare. Veris *Draco-*
nibus ora ſunt parua, & ad morſum non dehiſcentia. ſunt & arctæ fiſtulæ, per quas
trahunt ſpiritus, & linguas exerunt. Quippe non in dentibus, ſed in caudis ve-
nenum habent, & verbere potiùs quàm rictu nocent. Exciditur ex cerebris *Dra-*
contias lapis. Draco maximus eſt omnium ſerpentium, ſiue animantium quæ ſunt
ſuper terram. qui ſæpè à ſpeluncis abſtractus fertur in aërem, concitatúrque pro-
pter eum aër. Eſt autem criſtatus. Si quem ligarit, occidit. à quo nunc elephans
tutus eſt ſui corporis magnitudine. Gignitur in India, & in Ethiopia in ipſo in-
cendio iugis æſtus. Circa ſemitas delitet, per quas elephans graditur: ſoliris cru-
ra eius nodis illigat, & ſuffocatum perimit. Pedes non habent. In Aſia Scythica
ſunt *Frigriphes* alites ferociſſimi, vltra omnem rabiem ſæuientes. Sunt & *Hirca-*
nij gens ſiluis aſpera, copioſa immanibus feris, fœta *Tigribus*. Quod beſtiarum
genus, inſignes maculis notæ fuluo nirent. Pedum motum neſcio velocitas an
peruicacia magis adiuuet. Nihil tam longum, quod non breui penetrent: nihil
adeò antecedit, vt non illicò aſſequantur. Sunt & *Panthera* in Hircania minutis
orbiculis ſuperpictæ. Tradunt odore earum & contemplatione armenta mirè af-
fici, atque vbique eas perſentiunt properato conuenire, nec terreri niſi ſola oris

1125. toruitate. Eas veneno frequentiùs quàm ferro necant. lenta illis viuacitas. Eſt *Alce* mulis comparanda, adeò propenſo labro ſuperiore, vt niſi recedens in poſteriora veſtigia paſci nequeat. *Cameleon* naſcitur in Aſia plurimus, animal quadrupes. facies qua lacertæ, niſi crura curta & longiora ventri iungerentur. Prolixa cauda, eadémque in vertiginem torta. hamati vngues ſubtili aduncitate. inceſſus piger, corpus aſperum, cutis qualem in crocodillis deprehendimus. hiatus eius æternus, ac ſine vllius vſus miniſterio. Impetibilis eſt coraci. A quocumque interfectus eſt, victorem ſuum perimit interfectus. Nam ſi vel modicum ales ex eo ederit, illicò moritur. Sed corax habet præſidium ad medelam. ſumpta fronde laurea recuperat ſanitatem. Corpus ſine carne, vitalia ſine linea. cuicumque ſe iunxerit, concolor ei fit. *Salamandra* Græcè vocatur, *Stellio* Latinè, A

Stellio flammipotens, Salamandra, Cameleon horrens,
Nomen ineſt trinum, ſed ſimplex corpus & vnum.

Ales eſt *Pegaſus*, quæ nihil equinum præter aures habet. Quidam populi adeò ſunt proceri, vt elephantos velut equos facillima inſultatione tranſiliant. Eſt & gens, quæ in iuuentute cana ſit, nigreſcat in ſenectute. *Leucocrota* eſt beſtia, quæ velocitate præcedit feras vniuerſas. aſini feri magnitudine, cerui cluribus, pectore ac cruribus leoninis, capite cameli, biſulca vngula, ore vſque ad aures dehiſcente, dentium locis oſſe perpetuo. Hæc quoad formam. nam voce loquentium hominum ſonos æmulatur. *Mantichora* nomine inter hæc naſcitur, triplici dentium B ordine coëunte, vicibus alternis, facie hominis, glaucis oculis, ſanguineo colore, corpore leonino, caudâ velut ſcorpionis, aculeo ſpiculata, voce tantùm ſibila, vt imitetur modulos fiſtularum. Humanas carnes auidiſſimè affectat, pedibus ſic viget, ſaltu ſic poteſt, vt morari eam nec extentiſſima ſpacia poſſint, nec obſtacula latiſſima. Sed quis poteſt in hoc mari magno & ſpatioſo tot & tanta Dei magnalia vel ſcire, vel exquirere: in quo verſantur tot animalia, & reptilia, quorum non eſt numerus? Hoc autem quod dixi tantillum, à Solino exquiſitore ſagaciſſimo, & dictatiſſimo, prout malui excerpſi. Sed quod iter Alexander Magnus in India repperit, & vidit. ſi non cuncta, tamen aliquanta in poſterioribus indicabo.

Nunc abit hic annus, rector Deus extet alius
Temporis ad ritum, modo tranſilit annus in annum.

1126. ANNO à Natali Dominico MCXXVI. Indictione III. celebratis in Hieruſalem Natalitij diebus feſtis, conflauit Rex exercitum ſuum, in Regem inceſſurus Damaſcum. Et facto extrauentu ſuo monitu preconario, tota Hieroſolymitana regio ad hoc commota eſt pede & equo. Ioppini & Rametenſes, & qui erant in Lidda, meantes per Neapolim, iter egerunt ſuum per Scitopolim. hæc eſt *Beſan*. In Septentrionali autem tractu Achonitæ & Tyrij. Hi verò, in quorum Rex præerat collegio, linquentes ad dexteram vrbem Sephorum, & montem Thabor, venerunt Tyberiadem. Quibus Hieroſolymitani ſimul conglobati, Iordane tranſito ſub tentoriis ſuis cuncti iocundè quieuerunt. C

L.

De expeditione Regis Hieroſolymorum contra Regem Damaſcenorum.

Tempus erat clarum, quoniam ſine nube, ſerenum,
Et ſeptemdecimæ renitebant cornua Lunæ.

Antelucanum autem, cùm caſtris egrediendum erat, indicium lituus fecit. Tunc verò tabernacula colligunt, & ad profectionem cuncta inſtruunt. Mulos, & iumenta, camelóſque ſarcinis onerant. ad quod multum tumultuabatur. Rudunt aſini, blacterant cameli, hinniunt equi. Cùm autem præduces viatorum tramitem inſinuare cœpiſſent, cornibus item vnà perſonantibus, viam quam ſibi vtiliorem nouerunt accuratè carpſerunt. Et cùm terram hoſtilem profundiùs introiſſent, leuatis ſignis incedere ſapientiùs ſategerunt, & armis ſuis ſe munierunt, ne inopinato periculo perturbarentur. Tunc tranſierunt caueam Roob, & terram Damaſcenorum introierunt, & vltra Meddam duabus noctibus pauſauerunt. Vbi quoddam oritur flumen, quod extra mare Galileæ verſus Scitopolim deſcendit, & Iordani ſe iungit. Tunc ſiquidem vnam turrim ante ſe inuentam præcipitauerunt. Itaque ad caſtrum *Solone* nominatum venerunt. Vnde Syri Chriſtiani habitantes in eo cum proceſſione ſua exierunt obuiam Regi. Poſtmodùm verò venerunt ad vallem, quam *Marchiſophar* vocant, hoc eſt Imperatoris Sophar. ad locum, in quo Paulus Apoſtolus à Domino colaphum accepit, per tres dies viſum amittens. duobus ibi diebus moram facientes. Illic aſpexerunt tentoria Dama-

A ſcenorum, exercitum noſtrum ibi expectantium. Et cùm Tuldequini Regis filius 1126. equitum circiter tria millia ſtudioſè adductans vtcumque potuit contraxiſſet, ad patrem pugnabundus rediit, & die illo ante bellum genti ſuæ aggregatus eſt. Nec mora longior, ordinatæ ſunt in parte noſtra tam militum quàm peditum acies XII. vt ab alterutra corroboraretur caterua, ſi neceſſitas adueniret. Et cùm de pane ſanctificato poſt Miſſam auditam communicati eſſent omnes, factus eſt vtrimque congreſſus: & bellare incipientes, ADIVVA DEVS exclamantes, vociferauerunt. Turci quoque & exclamauerunt, & acerrimè dimicauerunt. Et quos quaſi iam victos antea vilipenderant, eorum miram probitatem admirati ſunt. Et deficiente illis ſpiritu, timore & pauore exterriti de fuga cogitauerunt. Fugit Tuldequinus, fugit filius eius. Et quamuis noſtros illi vltra omnem modum coartarent, creſcente illis magis magiſque ſpiritu, conſtantes & animi compotes extiterunt. Tantus tamen nimbus ſagittarum ingruebat à Turcis, vt nulla corporis pars ab ictu & vulnere tuta eſſet Chriſtianis. Nulla quippe noſtris tumultuoſior, nulla terribilior pugna fuit. Diſcurſus circumcurſantium atque fremitus, itémque impetus erat nimius. Salpices & cornua vehementer concrepabant. Accincti ergo noſtri à Turcis circumcirca iam plerumque ſauciabantur: & cùm quatuor milliariis fugitantes tolerando calluiſſent, vellent nollent conuerſis ad eos vultibus, ſpiritu repleti martio pugnare cœperunt. Sacra die belli nituit Conuerſio

B Pauli, quem Deus elegit. Hora diei tertia incœpta eſt lis bellica, de qua finem dat veſpera diei data victoria. Grauis quidem pugna ignominioſa eſt fuga. ſed tolerabilius eſt infirmum viuere, quàm mortuum in æternum plangere. Itaque Turci elegerunt fugam, vt retinerent vitam. Duo ſiquidem millia, & paulò plus, de Turcis remanſerunt in campis. De peditibus autem non eſt numerus. De noſtris verò XIV. equites, & LXXX. pedites. Optimè ſe habuit Rex noſter in die illa, cum omni equitatu ſuo, necnon & clientela. cum quibus omnipotens Deus in præſentiarum affuit. Fugit Rex Syriæ cum quibus potuit. Rex autem Solimæ cum triumpho lætus rediit. Cúmque remeare ſtatutum eſſet, accinxerunt turrim vnam, & ceperunt eam cum nonaginta ſex viris. Quibus interfectis, aliam comprehendit Rex, cum XX. Turcis in ea fugitiuis. Quam cùm viderent à noſtris circumfodi, & lapides ingentiſſimos extorqueri, & ſe & arcem perterriti tradiderunt Regi. quos eo pacto abire fecit. ſed turrim dirui fecit. Neceſſarium autem valdè videbatur hanc exſcindi, ne multos ſui munimine ad defectionem inuitaret. Nam & ſalutis ſpem habitatoribus certam, & aggredientibus hæſitationem atque formidinem præſtare poterat. Tædebit forſan Hiſtoriæ auditores, ſi omnia quæ in bello, vel belli gratiâ, tam vi quàm aſtutiâ geſta ſunt, recitentur. Aſſumebant enim Damaſceni lectos agilitate iuuenes, qui cum armis ſuis poſt equitum terga ſederent, & cùm ad hoſtem ventum eſſet, equis deſilirent: & continuò pedites ipſi ex alia parte equitibus, per quos aduecti fuerant, dimicantibus hoſtem perturbarent.

C SCRIPTVM quippe eſt, *Nihil ex omni parte beatum*. Beati enim in hac parte non potuimus, cùm XIV. ibi milites probiſſimos amiſimus, præter pedites aliquot ſimiliter ſtrenuos. Sed quantum ad ſtragem de illis factam, hoc minimum eſt. Interpretatur autem Damaſcus, oſculum ſanguinis, ſiue ſanguinem bibens. Legimus in Damaſco ſanguinem Abel fuſum fuiſſe. De cruore enim occiſorum poſſent Damaſceni lambere, poſſent etiam de ipſo cernui potare. Regreſſo denique cum exercitu ſuo Rege in Hieruſalem, diem feſtum & gratulatorium vniuerſim duximus. Et poſt puſillum Rex motus prece Comitis Tripolitani, proficiſcitur in auxilium eius, ad obſidendum oppidum, quod *Raphaniam* nominamus, extra Libanum montem ſitum. In qua videlicet regione, vt narrat Ioſephus, inter Archas & Raphaniam ciuitates fluuius medius fluit, qui quoddam peculiare habet miraculum. Nam cùm ſit quando fluit plurimus, atque meatu ſegnis; tamen interpoſitis VI. diebus à fontibus deficiens ſiccum exhibet locum videre. Deinde quaſi nulla mutatione facta, ſeptimo die ſimilis exoritur. atque hunc ordinem ſemper eum obſeruare pro certo compertum eſt. Vnde etiam *Sabbaticus* appellatus eſt, à ſacro Iudæorum ſeptimo die ſic nominatus. Princeps verò Titus aliquandiu Beriti commoratus, & indè reuerſus, per omnes quas abibat Syriæ

LI. *De obſidione urbis Raphaniæ. & de Sabbatico flumine.*

1126. ciuitates magnificentiſſima celebrans ſpectacula, hunc conſpiciens fluuium naturâ cognitione digniſſimum, admiratus eſt valde. A

LII. *De alio quodam flumine.* ALIVD quoque idem Hiſtoriographus miraculum refert, inquiens iuxta Ptolomaidam vrbem fluuiolum eſſe quaſi à duobus ſtadiis præterlabentem: quem vocant *Beleum*, prorſus exiguum. cui prope eſt ſepulcrum Menonis, admiratione quidem digniſſimum. Erat autem ſpecies vallis rotundæ, vitream emittens arenam. Quam cùm hauſerint, multæ naues pariter accedentes, locus iſdem rurſus impletur. Venti ſiquidem quaſi edita operâ conuehunt de circumſtantibus ſuperciliis arenam iſtam vtique communem. Locus autem metalli ſtarim metalla in vitrum quæ ſuſceperit mutat. Mirabilius quoque illud mihi videtur, quoniam conuerſæ iam arenæ in vitrum pars quæcumque ſuper margines loci illius fuerit iactata, in communem arenam denuò conuertitur.

LIII. *De acquiſitione vrbis Raphaniæ.* DE vrbe autem Raphania, de qua narrare ſermunculum iam cœpi, talis fuit exitus. Cúmque Rex & Comes cum tormentis ſuis lapides iaculando, per dies XVIII. Sarracenos incluſos vehementiſſimè cohibuiſſent, & vrbem reddiderunt, & indemnes abierunt. Accidit ſiquidem hoc vltimo Martij die. Itaque Comes prædictus vrbem poſſeſſurus recepit, & muniuit. Rex autem Hieroſolymam rediit.

LIV. *De morte Romani Imperatoris.* ET cùm dies Paſchales in Hieruſalem celebraremus, exiit ad nos rumuſculus à peregrinis ſuperuenientibus, Romanum Imperatorem obiiſſe nunciantibus. Addentibus etiam, Saxonum Ducem nomine LOTHARIVM in Regem & Imperatorem ſublimatum fuiſſe. B

Dum ruit HENRICVS *Geminorum claruit ortus.*
Poſt quem LOTHARIVS *Rex imperat, ex Duce natus.*

LV. *De Regis profectione contra Babilonios.* NON multum poſtea proceſſit temporis, cùm de Tyro Rex exiens in Syriam humilem deſcendit, partem de equitatu ſuo relinquens, partémque ſecum ducens. licèt de Babiloniis ad bellandum paratis, & contra eos venturis, à rumigeris audiſſet. Expediebat enim eum illuc priùs properare, vbi hoſtes audiebat ingruere. More enim apri à canibus circundati, & morſibus creberrimis anguſtioſi, oportebat dextro læuóque pede feriendo ſe obnixè defendere. Solemus namque parabolicè dicere: *Vbi dolor, ibi manus.* Antequàm autem Rex illuc perueniſſet, iam Turci quoddam pſeudo-caſtellum obſederant, & vi ceperant. Quod quidem illis erat contrarium, nobis autem neceſſarium. Milites autem aſtutiſſimo exitu noctanter euaſerunt, relictis vxoribus cum liberis ſuis. malentes partem ſaluari, quàm totum penitus perdi. Tempore tunc æſtiuo, mediante menſe Iulio, apparere cœpit Cometa inter Orientem & Septentrionem. qui ante lucanum naſcens, & verſus horam nonam radium ſuum emittens, mediocri lumine ſe monſtrabat. Illum autem per dies ter ſenos cernere ſtuduimus. ſignificantiam cuius Conditori omnium commiſimus. Turci autem, quorum Borſequinus erat fortior, oppidum *Cerepum* nominatum obſederunt. ſed audito Regis aduentu, qui iam eos inſequebatur, ſpe ſua fraudati ad tutiora præſidia ſeceſſerunt. Non enim erant plus quàm VI. millia militum. Rex ergo Antiochiam rediit. C

LVI. *De claſſe Babilonica.* HORNO autem Babilonij claſſe ſua reparata, & congregata, velificantes Auſtri flatu intrauerunt terram Philiſtiim tranſita Phara, Mialaris quoque & Gaza, Aſcalone quoque & Ioppe, Ceſarea & Ptolomaida, Tyro & Sidone: explorando, & inſidiando per littus maritimum vſque vrbem Beritum: aucupantes & perſcrutantes de portu in portum, ſi quid poſſent inuenire ſibi commodum, quod Chriſtianis eſſet incommodum. Sed quia dulcis aquæ penuria tunc ſitibundi valdè angebantur, oportuit eos ad ſiccum egredi, vt de riuis & fontibus ſitulas ſuas implerent, & ſitim ſuam mitigarent. Sed ciuibus vrbis præfatæ hoc moleſtè ferentibus, ad eos extimplo audaciſſimè progreſſi ſunt: additis ſibi viatoribus, qui illuc forſitan accurrerunt. & congreſſione facta, tam de occiſis quàm ad mortem vulneratis CXXX. de piratis illis proſternuntur. Erant qui exierant ad certamen quinque millia, exceptis his qui naues interim conſeruauerunt; quarum XXII. triremes vel cautos nuncupant. ceteræ verò LIII. fuerunt. Itaque crudelitatem ſuam in gentem noſtram pompabant. ad miſerandum inflexibiles, & immiſericordes in omnes quos præoccupare poterant. Sed Deo gratias, nihil hìc ſibi vendicaue-

A tunt. quoniam & equites noſtri cum lanceis, & arcuarij cum ſagittis in ſalum in- 1126.
culcantes inopinabilirer fugauerunr. Illi aurem continuò carbaſis leuatis per ma-
re veliuolum verſus Tripolim ſe direxerunr, & hinc Cyprum.

QVOTIENS aurem Legari hoc anno, vel peregrini, BOAMVNDI ado- LVII.
leſcenris aduentum nobis annunciauerunt & allegauerunt? ſed mulriplicaris tu- *De nauigatione adoleſcetis* BOAMVNDI.
moribus fefellerunr. Mericuloſus enim erar propter claſſem Babiloniccam vel pi-
raticam, quam in ponto audiebat larè diffuſam. Inſuper de Terra ſua ſollicitus
admodum erar, quam niſi benè & fidelibus ſuis locarer, à maliuolis ſuis inſidiato-
ribus circumuenrus fraudulenrer amitreret. Scriptum eſt in prouerbiis ruſticanis:
Qui habet malum vicinum habet malum matutinum. Denique cùm iter ſuum ſæpiùs
præparaſſet, apud Hydrunrum Apuliæ ciuiratem, collectis quot potuit nauibus,
videlicer XXII. quarum x. longæ, & remis muniræ erant, iter cœpir expedire
marinum. Poſtquam Terram ſuam Apuliæ Duci commiſiſſer, quem heredem
Terræ ſuæ ſuffecir, & ſubſtituir, ſi prior à vira diſcederer: identidem confirmauit
ei Dux, & gratanrer conceſſir, ſi primitus ipſe obirer, reſtantibus Optimaribus
eorum vtrobique aſſiſtentibus. Itaque BOAMVNDVS mediante Septembri
menſe mare ſulcans, rranſitis Cycladibus per æquor ſparſis, venit Morhonem.
Poſtmodum verò Rodum, Pamphiliam, & Liciam permeat: & Iraliæ gurgirem
ſæpè nauigantes conrurbat. Indè tranſiens Antiochiam paruam, venir ad ma-
B gnam, rranſcundo Iſauriam, & vrbem Seleuciam. Qui cùm Cyprum liquiſſet ad
dexreram, Tharſum ſiquidem dimiſit ad ſiniſtram, & Melotem vrbem opinatiſſi-
mam iamdiu vaſtaram. Eo runc tempore plures biſarij & elluones de mari recen-
ter exeuntes vulgabanr proculdubiò nobis in Hieroſolymis, eum proculdubiò
apud Antiochiam applicuiſſe, & menriebantur. Verum ramen dicere ſe putabant,
quia cum aliqua parre militum ſuorum vſque Parharam vnà venerant, & cum ac-
cipitribus, & capis, & aucupibus, arque canibus, quos antè præmitrebar.

MVLTA ſæpè turbulenta, vel Deo volenre, vel permirtenre, in mari naui- LVIII.
gantibus occurrunt. tum ſoluitur anchora, tum frangirur antenna, vel apluſtra, *De periculis in mari euenientibus.*
vel rudentes rumpuntur. Cúmque venti muranrur, runc ad cherucham reſpe-
ctarur: vr ſi proſperè incedant, diſtinctè & ſollerter experiarur. Cauendum ne
nocte vna perdarur. Cùm enim ſtellæ obnubilanr, ſi cubus raris alliditur, mor-
tem illicò vel naufragium peſtis imminens minitatur. Sicut in terra, ſic & in mari
pericula. Quid de nobis miramur, ſi Pauli Apoſtoli naufragium recordamur?
Ad remprandam abyſſi profundirarem dimiſerunt naucleri bolidem. Niſi vide-
ret Angelicam viſionem in exrremis vitæ conſolatricem, iam ſubibat vitæ deſpe-
rarionem.

CIRCA gurgitem Italiæ multoriens naues aſſuefiunt periclitari, & vndique LIX.
flabra commoueri, quæ de montanis per valeſtria præcipiranter per amfractus *De mari magno.*
ſubrerraneos rirè aſſueſcunr intorqueri, & in vertiginem voraginis mirabiliter
C conuolui. Quòd ſi paroni aliquando nautæ obuiauerint, & diripiuntur, & impiè
confunduntur. Sed qui pro Dei amore hoc patiuntur, donatiuis ſuis numquid im-
piè fruſtrabuntur? De hoc mari noſtro tanrillum ſic habemus. De Mediterra-
neo aurem non eſt omirtendum, vndè caput extollar. Exiſtimant enim quidam
ſinus iſtos à Gaditano frero naſci, nec aliam eſſe originem quàm eliquia erumpen-
tis Oceani. Qui conrrarium ſenriunt, omnem fluorem aiunt è ponticis faucibus
inundare: ídque fulciunr argumenro non inani, quòd æſtus è ponro profluus num-
quam reciprocerur. Laus igitur & honor omnium ſit Conditori, qui poſuir fines
mari, apponens clauſtra & porras. Dixit enim ei: *Huc vſque venies, & in te con-
terentur fluctus tui.* Quod vbi imperum ſuum ad littus illiſerit, in ſpumas reſolui-
tur, & repagulis quibuſdam arenæ humilis repercurirur. Ceterùm, niſi ius ſta-
tuti cœleſtis inhiberer, quid obſtarer quin per plana Egypti, quæ maximè humi-
lioribus iacenr vallibus, Mare Rubrum Egyptio pelago miſceretur? Denique do-
cenr hoc, qui voluerunr hæc duo ſibi maria connectere, arque in ſe transfunde-
re. Seſoſtris Egyptius, qui antiquior fuir, & Darius Medus, qui maioris conrui-
tu porentiæ in effectum voluir adducere, quod ab indigena fuerar ante rempta-
tum. Quæ res indicio eſt, quòd ſuperius eſt Mare Indicum, in quo Mare Ru-
brum. quia æquor Egyptium, quod inferius alluit. Et fortaſſis ne latiùs ſe mare
effunderet, de ſuperioribus ad inferiora præcipirans: ideò molimina ſua Rex vter-

1126. que reuocauit. Hoc in Examerон Ambroſij ſic habetur. Aliud verò in Solino inuenitur. Mirabilia igitur opera Dei, multò autem mirabilior qui facit & diſponit ea. Quòd ſi aliqua noſtris aſpectibus videntur deformia, nihilominus tamen ſunt laudanda, quia Conditor omnium facit ea. imò nec minus ſunt vtilia. Etiam in cimine dat Deus medelam, & in polipo piſce immittit aſtuciam, vel echioo. Serpentibus quoque dat prudentiam. aliquando præbent medelam, aliquando inferunt peſtem, vel eriam mortem. Interdum verò parant obſequium, interdum verò nocumentum. Quandoquidem antidotum tyriacum de corpore ſerpentis confici ſolere dicatur. quod vtique vitus corpúſque ſerpentis cùm ſolum ſumitur nocet, cùm autem admiſcetur aliis ſanitati eſt & ſaluti. A

LX. *De generibus ſerpentium.* BASILISCVS autem eſt ad ſemipedem longitudinis, albus quaſi mitrula, lineatus caput, nec hominis tantùm vel aliorum animantium exitiis datus, ſed terræ quoque, quam polluit & exurit. Vbicumque fuerit, ferale ſortitur receptaculum. denique extinguit herbas, necat arbores. Ipſas etiam corrumpit auras, ita vt in aëre nulla alitum impunè tranſuolet, infecto ſpiritu peſtilenti. Cùm mouetur, media corporis parte ſerpit, media arduus eſt, & excelſus. Sibilum eius etiam ſerpentes perhorreſcunt. Er cùm acceperit fugam, quæque quoquò poſſunt properant. Quicquid morſu eius atteritur, non depaſcitur fera, non attrectar ales. Muſtelis tamen vincitur, quas inferunt homines cauetnis quibus deliteſcunt. Denique Baſiliſci reliquias amplo ſeſtercio Pergameni comparauerũt, vt ædem Apollinis manu inſignem nec araneæ intexerenr, nec alites inuolarent. *Amphiſibena* ſurgit in caput geminum, quotum ſecundum ea in parte qua eſt cauda. *Ceraſtes* præferunt quadrigemina cornicula, quorum oſtentatione veluti eſca illice ſollicitas aues premunt. nam reliqua corporis de induſtria arenis tegunt. *Emorroïs* morſu ſanguinem elicit, & diſſolutis venis quicquid animæ eſt euocat per cruorem. *Preſter* quem percuſſerit, diſtenditur, enormique corpulentia necatur. extuberatos ſæpiùs putredo ſubſequitur. Sunt & *Himodita*, eſt & *Chencheris*, elephantie chelſidrica, *Medracontes*. Poſtremò quantus homioum, tantus mortium numerus. *Scorpiones* etiam, *ſcinci*, *lacertæ*: quæ vermibus, non ſerpentibus aſcribuntur. Monſtra hæc ſi ſibilant, clementiùs feriunt. habent affectus, non temerè niſi ad coniuges euagantur. Sunt & *Iaculi*, qui penetrant animal quodcumque obuium fortuna fecerit. *Scitale* tanta præfulget tergi varierate, vt notarum gratia videntes retardet. *Dipſis* ſiti interficit. *Sippiale* quòd ſomno necet teſte, etiam conſumitur ad mortem. Aliarum virus quàm medelas admittit minus, fame moritur. Hæc valdè mira nihilominúſque miranda, quæ Magnus Alexander vidit in India. Vnde Magiſtro ſuo Ariſtoteli, & matri ſuæ Olimpiadi mandando ira dicit: Non » crederem cuiquam tot eſſe prodigia, niſi ſumpta ipſe oculis meis ponderaſſem. Verè Rex iſte vir fuit omninò magnificus, & in negociis ſuis ſagax & circumſpectus, & ingens viguit, & potens potuit: non vt pluma volitans, nec ſtipula fluitans. B C

LXI. *De aduentu* BOAMVNDI *adoleſcentis, & de ſuſceptione eius in Antiochia.* QVONIAM præter ſpem BOAMVNDVS tardè hoc venerat anno, opinabamur eum non eſſe vltrà venturum, ſicut interminatum fuerat, & ſicut fama promiſerat. Sed quia iuxta Prophetæ eloquium, in manu hominis via eius non eſt, nec ab homine, ſed à Domino greſſus hominis diriguntur; ſpem ex parte magna defraudauit opinio. Non enim fit quod humana auiditas ſtabilit, ſed quod Deus arbiter meritis humanis competere iudicauerit. Cùm autem per Litteras ſuas Rex mandando nobis Hieroſolymis innotuit eum iam Antiochiæ applicatum, omnibus oon mediocriter placuit. Sed Deum, qui eum adduxit ſanum, cuncti laudauimus. Iam Sol occiderat, cùm portum nocte ſubiotrat. Aduentante autem illo Aotiochiam, ab omnibus gaudentet eſt ſuſceptus. Cui cum proceſſione magna & laudibus populi celeberrimè Rex obuiam exiit, & alaeriter eum ſuſcepit. Et habita collocutione ad inuicem feſtina, continuò Rex Terram ſuam tradidit ei totam, & de filiabus ſuis in matrimonium vnam.

En ſocer atque gener, pater hic & filius alter.
Diligat hunc ille, potior ſic fiet vterque.

Tunc apparatis nuptiis, legitimè ſunt expletæ. Conſideotе autem BOAMVNDO ſuper cliotedrum ſuum Principe effecto, diploidéque decentiſſima veſtito, conuocatis Optimatibus ſuis omnibus, iurauerunt ei humanitatis ſubditam fidelitatem

A litatem, præſente Rege, & eo fauente, ab eo die & deinceps ſe ſeruaturos. 1126.
Quibus geſtis, rediit Rex Hieruſalem.

Scorpio cæleſtis cùm fulſerit ortus in aſtris,
Excipitur Regno Boamundus in Antiocheno.
Orbita nunc anni retrograda ſtat renouati.

Anno MCXXVII. ab ortu Domini, Indictione verò v. ebulliit multitu- 1127.
do murium immenſa in regione Paleſtina: in tantum vt bouem vnum à eluni- LXII.
bus opprimentes comederent, & ſuffocantes eum cum ſeptem vetucibus de- *De peſtilentia murium.*
uorarent. Denique cùm ſatis ſæpiùs in territorio Achonitarum vaſtaſſent, pe-
tentes aquationem montana Tyriorum conſcenderunt. Vnde tunc continuo
ingruente vento peſtilenti & truculento cataclisſmo in valeſtria confinia milli-
bus innumeris repulſantur. De quorum putore cadauerum regio illa remanſit
valde infirma.

Explicit Historia Hierosolymitana domni
Fulcherii Carnotensis.

 A

HISTORIA GESTORVM
VIAE NOSTRI TEMPORIS
HIEROSOLYMITANÆ.

Cuius Libri tres priores à FVLCONE quodam, reliqui à domno GILONE Pariſienſi editi ſunt.

Ex MS. Exemplari Viri eruditiſs. IACOBI SIRMVNDI *Societatis Ieſu.*

INCIPIT LIBER PRIMVS. B

INCLYTA geſta Ducum perſcribere magnanimorum
Fert animus, patrum qui fortia facta ſuorum
Non ſolùm magnis ſucceſſibus æquiperare,
Sed maiore fide certarunt exſuperare.
Ardor ineſt, inquam, ſententia fixáque menti,
Verſibus & numeris tranſmittere poſteritati,
Qualiter inſtinctu deitatis & auſpice cultu
Eſt aggreſſa via memorando nobilis actu,
Qua ſacroſancti violantes iura Sepulcri,
Digna receperunt meriti commercia praui.
Inque ſuis Francis antiqua reſurgere Troia
Cœpit, & edomuit Chriſto contraria regna.
Iſta nihil fictum, nil tegmine fraudis amictum,
Sed puri veri referet narratio fructum.
Non ſic Pegaſei geſtimus pocula fontis,
Nec Parnaſiaci ſpelæa loquacia montis,
Nec libet Aonio deducere vertice Muſas,
Quas ſibi ter ternas finxit mendoſa vetuſtas.
Sed petimus trina virtus deitatis & vna
Rore ſuæ lucis noſtra arida colluat ora.
Clarificet pingues terſa caligine viſus,
Exacuátque hebetes ſubtili indagine ſenſus.
Materie vt tantæ valeamus promere digna,
Dictáque cum factis ſint vel vicina vel æqua.
Quique vel infantum linguas facit eſſe diſertas,
Mutiſque & brutis voces dedit articulatas,
Auferat à nobis puerilia brutáque ſenſa,
Conferat & nobis matura & congrua penſa.
Quæque dedit ducibus magnis euincere poſſe,
Concedat nobis grataunter dicere noſſe.
Vt benè geſta patrum reminiſcens æmula virtus,
Euolet ad ſimiles per flammam pectoris actus.
Sed prælibati quoniam ſatis eſſe videtur,
Propoſitam ſeriem iam nunc ſtylus aggrediatur.
MVLTORVM ſpatio ſeritas pagana dierum,
Niſibus omnimodis Domino contraria rerum,
Vrbem Hieruſalem ſæua ditione tenebat:
Chriſticoláſque inibi nimia aſperitate premebat.
Hinc Domini violans polluta per idola Téplum,
Illinc Catholicis claudens vitale Sepulcrum.
Nulli namq; aditus vel ad hęc vel ad illa patebat,
Si non præueniens merces iter expediebat.
Et cùm Paſchali feſto reſonantibus hymnis
Expectabatur ſuper affore cœlicus ignis,
Tunc vice flammicomi ſeriata lucerna papyri
Aptabatur, auens diuino obſtare nitori.
Cùm tamẽ Omnipotẽs ſua per miracula numen
Ferro ceu ſtuppæ clarum daret edere lumen,
Hoſtis deuictus, ſed non compunctus in iſtis,
Tentabat ſtolidis cœleſtia dona ſagittis,
Vt circum ſacri laquearia fulgida tecti,
Confixam ſegetem potuiſſet cernere ferri.
Sin verò hæc tardè miracula proueniebant,
Tempore nec ſolito ſacra lumina ſe referebant,
Tum gladij circum ſacra limina triſte micabant,
Atque pios capitum diſcrimine terrificabant,
Ni precibus celerem impetrarent affore lucem.
Nec cita nec tarda ſedabant ſigna furorem.
Sic Arabes, Perſæ, Medi ſimul, atque Elamitæ,
Aſſyrij, Allophyli, Parthi quoque, Caſpiadæque C
Et quæ mille colunt gentes Babylonia regna,
Quas Nilus, Eufrates, quas Tygridis alluit vnda,
Aduerſus cœlum coniurata arma ferebant,
Et veluti Phlegræ certamina reſtituebant:
Sic vt & omne ſacrum penitus tunc dirueretur,
Multa Dei ſeruis aurana præciperetur.
Præſulis Euthymij quod Epiſtola ſignificauit,
Dum ſua per Gallos Legatio peruolitauit.
Nec ſolamen ſperãs armorum exercituúmque,
Quæſiuit potiùs auri ſolamen, opémque.
Cuius ad egregium querimonia tunc GODEFRIDVM
Nomine ſcripta tenus lacrymarũ mouit abyſsũ.
Dum gentile nefas, dum blaſphemantia verba
Replicat, inquè pios minitantia dicta vel acta.
Talibus & tantis Deitas permota procellis,
Sanctorúmque etiam grauibus pulſata querelis,
Mouit belligeras per plurima regna cateruas.
Vt ſuper his iuſtas inflammarentur in iras,
Et pro vindicta pietatis ſuſcipienda
Corpora cum vita ferrent in aperta pericla.

A Qualiter hoc autem, vel quo ſit tempore geſtum,
Ordo ſequens operis non differet interſerandum.
Anno milleno ſexto deciéſque noueno
A Patris Verbo velamine carnis amicto,
Cùm Rex eximius Francorum ſceptra Philippus
Ferret, & Henricus regeret Lotharingica quartus.
Contigit Vrbanum Romanis Pontificantem
Gallorum fines inuiſere iura dicantem,
Eccleſiæ Chriſti ſua commoda proſpicientem,
Pro meritis pœnas & præmia conſtituentem.
Hic poſtquam primo gelidas pertranſiit Alpes,
Famáque præceſſit diſcurrens per regiones,
Vndique concurrunt diuerſis agmina votis,
Diuerſi cultus, diuerſæ conditionis,
Multa ſuper multis paſſim rogitantia cauſis,
Plurimáque ex variis reſponſa petentia curis,
Pars auſcultandi ſtudio noua, ſiue videndi,
Pars quoque diſcendi nihilominus, atque docendi.
Qui quia non cunctis per ſingula ſufficiebat,
Sæpiùs atque eadem repeti non ſuppeditabat,
Concilium ſtatuit generale indicere cunctis,
Atque ibi propoſita ſimul & ſemel edere multis.
B Vrbs Aruernorum Claramontis nomine dicta
Huius Concilij locus extitit. huc reuocata
Agmina concurrunt quæ miſit Gallia tota.
Nam tres in partes ea noſcitur eſſe dirempta,
Hinc Belgis Celtiſque colentibus, hinc Aquitanis,
Legibus & ſtudiis diſtantibus, atque loquelis.
Quo poſtquam ventum & de pluribus eſt agitatum,
Et vice concordi finita negotia centum:
Inſpirante Deo ſe quæſtio maxima iecit,
Et memorata ſatis querimonia pectora monit.
De domibus Chriſto carnem geſtante ſacratis,
Et modo paganis malè ritibus obtenebratis.
Vrbem Hieruſalem, primum caput Eccleſiarum,
Matrem ac nutricem ſanctorum diſcipulorum,
Atque inſpectricem ſignorum viuificorum,
Sanguine ſacratam primorum martyriorum,
Nunc fore ſpeluncam protectricémque latronum,
Pérque eius caueam lacerari membra piorum,
Et blaſphemari nomen ſuper omnia ſanctum,
Calcatique Dei Templum, ſpernique Sepulcrum.
Ergo laborandum, quo conuertatur, & ad ſe
Iam tandem rediens ipſam ſe quæritet in ſe,
Ac nihilam ſpernens ad veram ſe trahat eſſe.
C Amodo namque ſui miſerendi tempus adeſſe.
Proſpiceret dominus ſapienti pectore Papa,
Quid facto ſit opus, quo ſint loca ſacra recepta.
Agmina namque ſua concorditer eſſe parata,
Ad ſubeunda Dei pro laude pericula cuncta.
Non ignes vel aquas, ſibi non obſiſtere ferrum,
Quin paribus votis agmen volet interuocatum,
Si tutela Dei ſibi propitiabilis adſit,
Si non Pontificum fauor & benedictio deſit.
Talibus atque aliis conuentio pertonat omnis,
Vt ſic velle Deum benè poſſet credere quiuis.
Tunc vir Apoſtolicus peruoluens ſingula quæque,
Cùm videt in cunctis vnum fore fœdus, idémque,
Vſus conſilio Primatum Pontificúmque,
Cúmque ipſis fundens Domino pia vota precéſque,
Tunc ſuper orandu cunctas à crimine ſoluit.
Indè voluntati deuotæ fræna remiſit,
Et pro culparum venia tolerare labores
Iuſſit, & illatos patienter ferre dolores.
Atque illis præſens ne conſolatio deeſſet,
Pontificem Podij, quem dicimus Anicienſem,
Militiæ ſacræ ſtabiliuit præcipientem,
Ac ne ferre minus ſolus ſua pondera poſſit,
Collegam poſuit quem clara Aurengia miſit.
His ducibus freta diuinitus agmina ſacra
Inſumunt contra cuncta aſpera pectora digna.
Non vrbes, caſtra retinent, non prædia larga,
Non thalami, nati, nón ſollicitudo paterna,
Quin pro laude Dei concorditer arma capeſcant,
Iuratiſque animis in cuncta pericula currant.
Ergo parant ſeſe, fidei ferríque nitore.
Stipantur paſſim pedites, equitúmque catervæ,
Quas Liger atq; Elaber, Matrona & Sequana mittit.
Quas Arar & Rhodanus, Durentia & Iſara promit,
Axona & Eſia quos agitat, magnúſque Garumna,
Quos Scaldis, Moſa, Rhenus, paritérque Muſella,
Quos Arbeſis pulcher præterfluit, Eridanúſque,
Quos Tiberis, Macra, VVlturnus, Cruſtumiúmque.
Concurrunt Itali, Galli, paritérque Alemanni,
Noricij, Sueui, tum Saxones atque Boëmi.
Piſani ac Veneti propulſant æquora remis.
Oceanus flauis diſtendit vela Britannis.
Procedunt alacres diuerſis partibus, atque
Condicunt vbi ſe ſocient terráque maríque.
Nunc libet ex parte populos memorare, Ducéſque,
Quorum virtute viguit via ſacra fidéſque.
Inclytus ille Ducum Godefridus culmen honóſque,
Omnibus exemplum bonitatis militiæque,
Siue haſta iaculans æquaret Parthica tela,
Cominus aut feriens terebraret ferrea ſcuta,
Seu gladio pugnans carnes reſecaret & oſſa,
Siue eques atque pedes propelleret agmina denſa.
Hic inimicitiis cunctis ſibi conciliatis,
Cunctis poſſeſſis pro Chriſti pace relictis,
Arripuit callem, Chriſtum ſectando vocantem.
Quem iuxta gemini fratres comitantur euntem.
Stipantur circum Proceres, equites peditéſque,
Vtraque Belgica quos Transrhenaníque dedere.
Namq; Alemannorum quicquid, vel Vindelicorum,
Siue Sueuorum petiit vitale Sepulcrum,
Illius elegit ſua iungere cœtibus arma.
Noſſe minus nihilo vocalia mutáque ſigna.
Eius enim reſonans turbat gentilia nomen,
Ac ſi concuterent eliſa tonitrua fulmen.
Eius vexillis volitantibus intremit hoſtis,
Ipſius gladio ſocius defenditur omnis.
Ipſius populos currentes vndique ad arma,
Comperimus creuiſſe ad milia ſeptuaginta.
Exhinc Rotbertus Morinorum viuida virtus,
Quos nunc Flandrenſes appellat temporis vſus,
Milia denſa mouet. cuius memorabile dextra
Promeruit nomen Parthorum cæde probata.
Post hunc magnificè Rotbertus claruit alter,
Qui Normannorum ductor præclarus & acer,
Propulit egregias in Chriſti bella cohortes.
Cum quibus antideas alacer volat in legiones.
At Comes eximius Hugo, cognomine Magnus,
Philippi Regis vterinus frater & vnus,
Agmina nobilium comitantia Francigenarum,
Duxit in exitium memorabile Nilicolarum.
Ractor Montenſis, populus quem nomine priſco
Neruius aſſequitur, Heinodariúſque moderno,
Cui patrui tulerat Morinos damnabile crimen,
Arnulfum perimens dominum paritérque nepotem,
Prorupit inſtructis in Chriſti prœlia turmis,
Coniuge cum natis, domibus caſtriſque relictis,

HINC STEPHANVS, Comitis Tetbaldi clara propago,
Calcat iter ſacrum circumdatus agmine denſo.
Sed ſpe, ſine metu, media inter prœlia victus,
Effectu gemino ſociis fit inutile pignus,
Cum primo Regis Conſtantinopolitani
Diuitiis captus ceruicem flecteret ipſi,
Ac poſt deſperans Dominum fore cunctipotentem
Exit Antiochi fœdis egreſſibus vrbem,
Atque fuga turpi retrogradus abſque pudore,
Conſimiles ſecum traxit ſtimulante pauore.
Quin & ſubſidio concluſis aduenientem,
Armorum & victus ſtipendia multa ferentem,
Prædictum Regem retrò celerare coëgit,
Dum ſocios omnes falſo periiſſe retexit.
Iſta tamen longo poſt tempore geſta fuere,
Quæ nunc hic breuiter ſuffecerit inſeruiſſe.
HINC Comes Ægidij diſcernens iura beati,
Milia denſa mouet ſancti ſub honore Sepulcri,
Quæ ſibi dat magnis opibus Prouincia florens,
Quæque miniſtrauit populosè Gothia pollens.
AT trans aërias diuiſis tractibus Alpes,
Quos diuerſiuocè compellant circa habitantes.
Nam Gothias, Graias, Penninas, Iuliadáſque
Appellare ſolent poſiti propiúſque procúlque.
Qui Ligures, Itali, Tuſci, paritérque Sabini,
Vmbri, Lucani, Calabri ſimul atque Sabelli,
Aurunci, Volſci, vel qui memorantur Etruſci.
Quæque etiam gentes ſparguntur in Apulia rura,
Quîs conferre manus viſum eſt in prœlia dura,
Sub iuga TANCREDI & BOIMVNDI corripuere,
Et contra fidei refugas patria arma tulere.
MVLTI præterea Comites, Proceréſque minores,
Inter primores quos enumerauimus omnes,
Adiunxere ſuas collato robore vires.
Galli ſiue Itali, vel quos dat pagina plures,
Quos ne lecturis, ſi qui tamen eſſe valebunt,
Quos poſitis curis hæc vilia noſtra tenebunt,
Ruſticitas calami pariat faſtidia longa,
Non eſt conſilium per nomina promere cuncta.
OMNIBVS his paſtor benè prouidus, ac moderator,
Præſul HAIMARVS Podij fuit atque ſacrator:
Cúmque ſodale ſuo, quem clara Aurengia miſit,
Vt pater in natos curam conferre ſategit.
Quod velut anterior iam pagina commemorauit,
Dominus Papa ſibi diuinitus impetitauit.
IMPENSIS igitur cum ſtrenuitate paratis,
Diuerſos portus adeunt exercitus omnis.
Quidam per Venetos trans Adriacóſque Liburnos,
Quidam Brundiſium, nonnulli molle Tarentum,
Quidam piſcoſi tenuerunt mœnia Bafri,
Qua Veneti fortes felici merce beati,
Torpentes Lycios furto populante fideli,
Deportauerunt Nicolai pignora ſancti.
Atque per hos omnes portus feliciter acti,
Iuxta condictum ſunt agmina in vna redacti,
Per maria & fluctus optata ad littora vecti.
AT verò inſignis GODEFRIDVS iam memoratus,
Ordinibus denſis armato milite ſeptus,
Caſtellis, terris, villis, domibus ſpoliatus,
Argenti atque auri ſumma multiplice fartus,
Omnibus impenſis plenè atque decenter onuſtus,
Expetiit Rhenum, qua ſe Moguntia pollens,
Iuxtáque VVormatia reſerat, naualia præbens.
Quem prætervectus tentoria candida figit, A
Et memoratorum venientia milia iungit,
Agmine multiplici tunc metans vlteriora.
Atque in proceſſu ſocium creſcente chorea,
Hinc Reganerburgi famoſum permeat Hiſtrum.
Hunc quoque Danubium verax eſt fama vocatum.
Amnibus hic multis, magniſque & nauibus aptis.
Nam decies ſenis ſpatioſo ventre receptis,
In mare prorumpit Scythicum, quod Thracia cenſet,
Tanta mole fluens, vt amara in dulcia mutet.
Quod prope Colchorum fines ſeptemfluus intrat,
Obuius ac vndis aurati Phaſidos extat.
Huic etiam ripa vicina eſt ſilua ſiniſtra,
Quam vocat Herciniam Scriptorum pagina multa.
Iſta via ſeptem memoratur lata dierum,
Porrò tricenorum bis tenditur agmine longum.
Nutrit & alarum volucres fulgore ſuarum
Noctibus obſcuris pandentes ſtrata viarum.
Nutrit & externis animalia picta figuris.
Vnis nomen ineſt alces, comitantibus vris,
Alcibus haud vlla ſunt internodia crutis:
Vris cornua ſunt immenſæ concauitatis,
Ex quibus ampla ſatis & leuia pocula fiunt, B
Viribus & menſis & honora & commoda proſunt.
Seu docti artifices ea quadrificata rotundent,
Integra ſiue ſinant, & fiſſa caloribus aptent.
Digrediens ergo generoſus ductor ab Hiſtro
Verſus Pannonias iter arripit agmine toto.
Quod quali fuerit ratione vel ordine geſtum,
Quæ cauſa excitum potuit ſedare tumultum,
Ad præſens refugit mens dicere, laſſáque multum
Palpitat, inque alium geſtit differre Libellum.

EXPLICIT LIBER I.

INCIPIT LIBER II.

ANTE VIAM cœptam Ducis in Domini famulatum,
Cùm primum Proceres niti cœpere paratum,
Pars quædam ſtolidè reliquos proceſſerat antè,
Agmen agens magnum pariter peditúmque equitúmque.
Hos Eremita PETRVS quidam, ſic nomine dictus, C
Ducere cœptarat, ſed nunquam ad talia doctus.
Cuius in hoc ſocius quidam VValterius ibat,
Qui Sine habere ſuper poſitum cognomen habebat.
His ducibus dicti geſtantes arma manipli
Ibant ſecuri, nullo moderamine cauti,
Credentes proprij gratíſque exiſtere iuris,
Omnia quæ cupidis demonſtrarentur ocellis,
Nec per iter cœptum quicquam ſibi iure negandum.
Quin potiùs ferro quamuis prohibente petendum.
Nam neque curarant ſtipendia multa parare,
Qui ſibi ſperarent ſtipendia vbique patere.
Séque Euangelij præcones, diſcipulóſque,
Ex Euangelio capere indumenta cibóſque.
Talia dum ſperant, ſperatáque mente recurſant,
Et iam deficere ſibi parcè pacta retractant,
Pannonias veniunt, crucis ante inſignia monſtrant
Veſtibus inſuta, nulliſque obſtantibus intrant.
Ingreſſi gratis quæ ſunt ſibi viſa requirunt,
Non data diripiunt, hoſtiliter oſtia frangunt,
Horrea frumentis, vino cellaria fraudant.
Si qui veſtis egent, indutos tegmine nudant.
In proprias eſcas aliena animalia mactant,

A In proprios vſus aliena negotia captant.
Inſtituunt ſeſtas alieno ex iure tabernas,
Dant mercaturas alieno ex fœnore largas:
Qui veluti ciues intrarant hoſpita tecta,
Ipſis in tectis peragunt hoſtilia cuncta.
Quid moror in multis? non vlla exempla malorum
Diſconuenerunt plus genti Chriſticolarum.
His irritantur veſanis motibus Huni,
Fama volans partio facit omnia cognita Regi.
Vndique conueniunt, conclusos vndique mactant.
Hic fugit, hic pugnat, cuncti moriendo laborant,
Maxima pars gladiis, pars fluminibus periere,
Pauci cum ducibus ſe morti ſubripuere.
Cúmque fuga medium regionis iam tenuiſſent,
Et ſolitos iterum raptus agere inſtituiſſent,
Rex iterum accitus fama volitante recurrit,
Et circumducta meros indagine claudit.
Conſeritur bellum, virtus fortunáque certat.
Comminus obtruncant ſi quos ſtrictura coartat.
Anceps pugna diu populi morientis vtrimque,
Dum deſperantes pugnant audénſque pauénſque,
Donec externi concurſibus indigenarum
B Turbati fugiunt metuentes tela ſequentum.
Forte fuit iuxta Chriſti venerabile Templum,
Pignoribus multis Sanctorum nobilitatum.
Huc bello pulſi gens inconſulta manipli
Intendere fugam ſpe morti ſe eripiendi.
Sed gens barbaricis aſſueta furoribus vti,
Nil reuerens ſanctæ ſeruarunt relligioni.
Namque locum ſacrum vallantes obſidione,
Allexere aliquos malefida deditione.
Quos tamen egreſſos contra fas decapitantes
Expaneſecerunt reliquos, ne progredientes
More trucidari pecorum ſine laude perirent,
Aſt ibi quicquid eis ferret fortuna ſubirent.
Quapropter curſus furiis immanibus acti,
Igne ſuperiecto circum faſtigia Templi,
Non dubitauerunt ipſóſque domúmque cremare,
Atque Deo non ſuaue fragrantia thura adolere.
Sed quia non fuerat penes omnes culpa malorum,
Cúmque malis pariter erat obnoxa vita bonorum,
Ac ſimul almifici periit reuerentia Templi,
Nec cuiquam menti inſedit miſeratio Chriſti,
Oſtendit Dominus ſibi talia non placuiſſe,
Dum per ſigna locum ſacra contulit enituiſſe.
C Namque ibi per triduum fons ſanguinis emanauit,
Atque locum cædis condigno horrore notauit.
Præterea dignis loca percrebreſcere ſignis
Ex tunc affirmat diſcurrens fama celebris:
Dum cæcis, claudis, variòque dolore grauatis,
Omnipotens virtus ibi præſtat dona ſalutis.
His ita tranſactis, quoniam ille exercitus omnis
Agmine non vno, nec eiſdem incedere caſtris
Ob numerum poterat, non parua ſede capacem,
Atque ideò inter ſe non magna parte ſequacem,
Quædam pars iſtos præceſſerat hic reſidentes.
Iámque videbatur regionis tangere fines,
Sed ſibi præcluſum caſtello & flumine magno
Inuenit egreſſum, nec poſſe excedere clauſtro,
Egreſſu verito, caſtellum prendere cœptant
Donec exigui caſtrenſes cœpta remorant,
Dánique locum clauſtris reſeratis egrediendi.
Sic ex Pannoniis laceri exceſſere manipli.
Hinc iter aggreſſi per fines VVlgariorum,
Quos vocitant Thracas, vt habẽt monimẽta priorum,
Deuenere Gnidon, vrbem ſic nomine dictam,
Calle perangusto ceu carceris ore patentem.
Cuius pacificam poſcentes tranſitionem,
Vnus poſt vnum quaſi tranſiuere feneſtram.
Poſtquam progreſſi campo potiuntur aperto,
Clamauere forum Famis inſtimulante magiſtro.
Agmine vendentum ſolemniter adueniente,
Monſtrantur ſpecies, ſed cenſu deficiente
Cœperunt rapere quod mercari cupiebant.
Et mandante fame cupidè raptus inhiabant.
Protinus excita concurrunt agmina ad arma.
Propulſant, abigunt iaciendo haſtilia denſa.
Corpora & arma ſimul conſternunt ſtrata viarum.
Nec fuga ceſſauit ternorum fine dierum.
His depulſa locis acies male conſiliata,
Imperio nullo, nullo moderamine ducta,
Dum ſibi cuncta forent contraria, proſpera nulla,
Duratis animis tendebat ad vlteriora.
Ergo malè expertam fugere exoptans Europam,
Finibus inque Aſiæ fortunam quærere blandam,
Qua breuis eſt iuxta Byzantion Helleſpontus,
Cuius ab hac artus dirimit Chalcedona curſus,
Tranſit; atque vrbem Nicomedem nomine dictam
Inter & egregiam ſtabiliuit caſtra Nicæam.
Hos fuerant inter modica non parte Alemanni,
Ante Ducem dictum proprio ſub nomine moti.
Qui naturali nimium feritate tumentes,
Indignabantur reliquis fore conſociales.
At poſtquam fines quos diximus applicuerunt,
Cuncta ſuis per ſe titulis agere inſtituerunt.
Ergo Bithynorum caſtellum reperientes
Incuſtoditum, móxque illud præripientes,
Muniuêre ſatis muris, cuſtodibus, armis.
Saxa, ſudes, tormenta locant in turribus altis,
Ordine diſpoſito ſtatuunt qui mœnia ſeruent,
Qui voto vtilia reſidentibus omnia curent.
Indè per extentæ fines regionis oberrant,
Comportant prædas, & rapto viuere certant.
Et licèt in patria ſint omnimodis aliena,
Sic agitant, veluti ſua ſit prouincia tota.
Hoc vbi fama tulit per compita tot regionum,
Quo iam nullus erat manifeſtus Chriſticolarum,
Vndique barbaricæ properant concurrere gentes,
Vndique multiplices protendunt obſidiones.
Nam quia competerant ductores Francigenarum,
Quorum nomen erat per totum nobile mundum,
Coniuraſſe viam ſancti ſub honore Sepulcri,
Et violatorum animatos cædibus vti:
Si præcurſores habuiſſent mortificatos,
A reliquis ſeſe ſperabant iam fore tutos.
Hoc igitur voto ſe totis viribus aptant.
Artibus ingeniis quæ ducunt commoda curant.
Aggeribus, pluteis, onagris quoque, fuſtibaliſque,
Aſſultus ineunt cunctis vtenſilibúſque.
Nube ſagittarum tenebroſus redditur aër.
Vocibus atque tubis vlulantibus obſtrepit æther.
Succedunt aliis alij, vel vulnere tardis,
Vel diuturnarum operarum pondere laſſis.
Obſeſſi porrò, feritate & robore freti,
Et ſi deficiant nunquam ſe vincere certi,
Omni telorum genere oppugnatoribus inſtant,
Oſſáque, corporáque, & vitalia tota terebrant.
Nec ſolùm perenunt, quos duro vulnere quaſſant,
Quos ſude, quos ferro, quos igne vel aſſere mactant,
Quos velut Hylla terunt muralis pondera ſaxi,
Quos quaſi tranſiliunt ..la.. acumina teli.
Sed rabidos oculos vultúſque videndo minaces,
Exanimante metu fugiunt in terga ruentes.
Sæpiùs hoc igitur tentantes, ſæpe repulſi,
Nullo conatu caſtro valuere potiri.
Poſtquam nulla viam virtus ad talia confert,

Protinus ad ſ[g]audem ſe contio barbara transfert.
Mittitur extemplo legatio non benè cautis,
Alliciens ſtolidos affatibus inſidioſis,
Cur maneant illic vbi vexet inedia clauſos,
Et mors ſera licèt rerum conſumat egenos.
Si vellent ſanctum properanter adire Sepulcrum,
Cuius propoſito vacuaſſent tecta parentum,
Ex facili poſſe votis gaudere peractis,
Si eum pace velint caſtris exire relictis,
Denique ſe votis concordibus eſſe paratos
Vſque in Hieruſalem cunctos deducere viuos.
Hoc quoque iurando ſibi ſe promittere iure,
Si non credendi teneantur conditione.
Talibus atque alijs rationibus amplificatis,
Inflexæ mentes populi non certa pauentis.
Nam ſi fortunæ præſens oſtenſio blanda,
Ignorabatur quid haberet ferre futura:
Veſtigetur ab his quæ ſit fiducia cœpti:
Iurant legati penitus nihil eſſe pericli.
Ductores etenim iamdudum ſtare paratos,
Ducere qui valeant, iterúmque reducere tutos.
Hoc ſe per legem cupidè firmare paternam,
Per ſuperos, & ſi qua fides apud eſt Acherontem.
Sic tamen vt poſitis ſe pacifice agmina telis
Credere non dubitent ſibi iungi fœdere certis.
Sic confirmatus mediante interprete dictis,
Et male percuſſis ſub pacis imagine pactis.
Credite res miſeris legatio quam malè fœda
Pertulit, & pepigit iuratio plus malè fide.
Excedunt caſtris, & tradunt hoſtibus arma
Agmine capta dolis, & proditione ſubacta.
Decipiunt ipſos ductores aſſimulati,
Deducunt aliquot ſpatijs ſub nomine pacti:
Donec in exoſam venientes vndique vallem,
Valli Hieruſalem ſtuduerunt ponere nomen.
Quo facto, medios denſa ſtatione coronant,
Hos in Hieruſalem iam ſe ſteteniſſe perorant,
Quicquid promiſſum fuerit compleſſe recorſent,
Nil illis poſthac iam ſe debere recenſent.
Vndique conclamant, gladios & ſpicula nodant,
Armati nudos cædunt, feriuntque, trucidant,
Nil prohibente metu, circúmque infráque vagantur,
Hinc etenim iugulis, ſine ferro bella geruntur.
Nuda perit virtus, nec quo ſe oſtendere poſſit
Inuenit, & quid agat nulla ratione capeſcit.
Cæduntur pauci multa inter millia preſſi,
Et quod erat grauius, armis ac tegmine nudi
Sic detruncantur, media ſic cæde rotantur,
Sic illi faciunt, ſic iſti perpetiuntur,
Vt morti addicti medios clauduntur in enſes,
Vt dibacchantur pecore inter inertia tygres.
Teli ſine ruit virtus temeraria, fruſtra
Dum ſine conſilio ſperat ſibi cedere cuncta.
Et velut in meſſe ſucciſi diſperiere.
Dum ſe non valuit virtus compreſſa mouere.
Ex hac clade ferunt non euaſiſſe vel vnum,
Alterius partis qui detinuere receſſum.
  NAM meminiſſe decet, ſi qui ſunt iſta legentes,
Nos dixiſſe ſupra diuiſas tunc legiones,
Quando Alemanni iſti per ſe caput inſtituerunt,
Ac ſeſe à reliquis ſecernere non timuerunt.
Qui poſtquam per ſe ſtatuerunt caſtra mouere,
Et malè conducti ceu diximus interiere:
Illi quos dictum eſt metatos pone Nicæam,
Non minus aggreſſi ſtolida leuitate rapinam:
Lance pari timidum pariterque laceſſere fortem,
Pene patis damni metuere incurrere ſortem.
Namque acie ſperſa mox diſcurrendo per arua
Oppida prædari primum cœpere minora. A
Exhinc paulatim longè latéque vagari,
Inſignes villas caſtelláque depopulari.
Donec eſpirans primo fortuna labori
Suaſit eos auſum cæca præbere furori.
Vrbs etenim clara bis iam memorata Nicæa,
Olim tercentum patribus ter ſéxque ſacrata,
Dum per Concilium omni memorabile terra
Dogmata ſunt Arrij penes ipſam mortificata.
Hæc erat & pollens opibus, tum robore firma
Natura atque manu, populiſque immane refertа
Quæ dominabatur venerans tamen idola turba,
Et famulabatur diuino fonte renata.
Hanc primum prædis tentatam, necne rapinis,
Poſt etiam vexant diſcurſibus exteforenis.
Creuit inexplicitus proceſſu temporis auſus.
Iam quatitur murus, niſi qua lacus imminet altus;
Iam quaſi capturi crebris aſſultibus vrbem
Comminus incurſant pluſquam ſit cauſa timentem.
Nam quis mirari populum male deſipientem,
Quis queat indocilem dignè incuſare cohortem?
Vrbanos etenim, quos Chriſti fonte orientes
Diximus, inque vrbe non primos, ſed famulantes, B
Viderunt calamos ſine ferro conicientes,
Et manuum geſtu ſe ſignificando cientes,
Vt prope congreſſi, muris portiſque recepti,
Vrbe potirentur ſocio conamine freti.
Sed neque id obtunſus valuit perpendere ſenſus,
Aut intercipere voluit malè credulus auſus.
Sic igitur cœptum medio tenus intermiſſum,
Sic opere infecto eſt iter ad tentoria verſum.
Tunc gemini Proceres fuerant hæc regna tenentes,
Incertum nobis an fratres, ſiue nepotes,
Vni SVLTANNVS, alij nomen SOLIMANNVS,
Diues vterque ſatis, & opimo milite cinctus.
Fama relatarum veniens his nuntia rerum
Admonuit tantum non diſſimulare tumultum.
Cogunt militiam, veniunt properando Nicæam,
Inueniunt prædis compluribus exſpoliatam,
Quæ geſta inquirunt, multi conſpecta renarrant,
Multi comperta, cuncti vlciſcenda perorant.
Procedunt contra, ſed non opus eſt via longe.
Inueniunt prope ſe quibus eſt penuria amara.
Namque lupos matrem ſolito extra pellere ſiluam
Non ſinit hoc placidam membris dare cura quietem.
Ad primos viſus acies ſtatuuntur vtrimque, C
Sed non conſimilis conſtantia perſtat vtriſque.
Primo congreſſu metuens fugit aduena turma,
Soléque pugna ſuit fugientum cædere terga.
Nulli ſpes cordi, nulli conſtantia mentis,
Pectora vel facies hoſti obiectare ſequenti.
Nudatis manibus, proiectis turpiter armis,
In pedibus tota fiducia manſit inermis.
Nec prius abſiſtit patientia commoriendi,
Quàm ſaties tenuit victores interimendi.
Namque retro pulſos, atque in ſua terga repreſſos,
Fines vſque ſuos proculcauere ſupremos.
Hac in clade ruit VVALTARIVS vnus eorum
Diximus iſtorum quos aſſumpſiſſe ducatum.
Alter, id eſt Petrus, retro fugiendo relatus,
Cum reliquis viuis torrente Propontidis actus,
Circa Byzantij latebras confinia fouit,
Donec ſe ducibus venientibus aſſociauit.
Talia diuerſis ſtolidus comitatus in oris
Aſpera ſuſtinuit. qui laxis fuſus habenis,
Quicquid ſperauit ſe poſſe explere putauit.
Nec ducis imperio moderantis viuere duxit.
Has de ſe pœnas gentilibus exhibuerunt,

A Ac fidei noſtræ ſpernendæ exempla dederunt.
Quamuis non longum fuerint hac laude hilarati,
Aut impune diu talerint hac cæde potiri.
Sed quia iam rauca vult reſpirare camœna,
Tertius iſta Tomus referet virtute reſumpta.

EXPLICIT LIBER II.

INCIPIT LIBER III.

POSTEA quæ primo ſunt enumerata Libello,
A diuerticulo repetendum eſt ordine terno,
Quo diuerticulo docuit Liber iſte ſecundus,
Qualiter excitus fuerit malus ille tumultus.
Quo fuerat ſancti via pene relicta Sepulcri,
Ni virtute foret Procerum reparata potenti.
Præmiſſo ſatis eſt iam dicta Volumine plaga,
Nunc iſta ſupereſt dicenda ſequente medela.
Poſtquam Dux rapidum GODEFRIDVS tranſiit
Hiſtrum,
B Diſpoſuitque ſuas turmas per aperta viarum,
Noricios fines iam præteruectus abibat.
Pannonias verius iter indefeſſus agebat.
Cum ſubito rumor nil tale timentibus aſper
Aduenit, atque animos leuium pauor obruit acer.
Agmina commoti bellum fugientia vulgi,
Quod ſibi in introitu terræ ſua culpa mereri
Fecerat in prædis graſſantibus atque rapinis,
Quod memoraſſe iat eſt Libri ſermone prioris,
Occurrunt ſtupidis, & acerbant funera dictis.
Orant retrogradis celerent veſtigia plantis,
Vulnere demonſtrant putri inſiccata cruore,
Quicquid perpeſſi digno defleore dolore.
Deplorant ſtructos capitum miſeranter aceruos,
Congeminant multos fluuiorum vortice merſos,
Deflent innumeros cinerem tenus igne peruſtos,
Sanguinis errantes ſacra circa altaria riuos,
Omnigenum mota populorum comminus arma
Nullum ſufficere numerum ad gentilia monſtra.
Quin potiùs, dum ſpes fugiendi, perceleraren͏t,
Ne conſectari inſatiata clade potirent.
TALIA cuncta phalanx grauioráque comperientes,
Non ſolùm timidi, turbantur denique fortes.
C Exoptantur equi multis, miliaria longè
Quot proceſſiſſent vltra confinia Rheni.
Séque ſuper frontes illorum ....
Ne nece cogantur grauiora pericula adire.
Conſilium fractis anguſto in tempore rebus
Electum multis, agitant dum ſingula ſenſus,
Circumſtare Ducem, duróſque reuoluere caſus,
Implorare fidem ſummæ deitatis .....
Ne quaſi ſe viles animas immittere morti
Neu velit vt pecudes addicere perditioni.
Sat ſibi ſufficere debere exempla priorum,
Nec poſitos facile fines tranſcendere patrum.
Non ſapere optandum pluſquam ſit copia noſſe,
Nec facere audendum pluſquam foret vtile poſſe.
Multa per extentos pollere ſacraria Gallos,
Multos eſſe locos orandi iure dicatos
Siue Coloniaci ſubeant oracula Petri,
Siue Genitricis veneranda Palatia Chriſti.
Seu loca Sanctorum per plurima regna piorum,
Quorum ſit precibus moles ſubiecta malorum.
Poſſe vbicumque pias diuæ bonitatis ad aures
Illacrymando preces tranſmittere ſpirituales.
Ipſum namque Deum nullatenus eſſe localem,
Sed totum totis in partibus eſſe potentem:
Nec pretioſarum gazarum quærere templa,
Sed pia, ſed pura, ſed amare innoxia corda.
Deſinerent igitur tentare impoſſibiles res,
Fruſtráque inceptas adamare ſuperfluitates?
Et ſi non poſſent euincere quod voluiſſent,
Id demum vellent adſumere quod potuiſſent.
TALIBVS atque aliis grauioribus ingeminatis,
Penè retrò verſis inflectebantur habenis.
At ductor validis angoribus intima preſſus,
Atque hamo duplici circum præcordia fixus.
Ex vno profugos cernens graue paſſa gementes,
Ex alio timidos bello grauiora pauentes.
Nam fortes animo, timidis agitantibus iſta,
Nutabant inter Therſitis & Herculis arma.
Spémque metúmque inter non belli munia poſcunt,
Non indigna fugæ quærenda latibula promunt.
His inquam grauibus vir maximus vndique ſeptus.
Nunc prece, nunc minis, nunc verò hortatibus vſus,
Increpitat quænam ſit eis mutatio tanta,
Qui deuouiſſent Domino ſeſe & ſua cuncta.
Qui ſe martyrio pro Chriſti nomine promptos
Vſque vel in mortem iuraſſent ſubiiciendos,
Cur necdum poſitos in belli limine primo
Cogat eos retro fugiendi dira cupido.
Cur quos terrifici necdum canor increpet æris,
Nec moueant pulſis vexilla volantia ventis,
Rumor iners agnet generoſa relinquere cœpta,
Et nondum viſa dare terga fugacia pugna.
Quid mirum ſi pacifica ſtatione recepti,
In prædam verſi, fuerint bellando repulſi?
Hoc ſe facturos, ſi quid ſibi tale veniret,
Et mala quiſquam illis propter benefacta referret.
Non debere viam rapto feruere beatam,
Sed dare quàm rapere plebem pia vota profeſſam.
Qui venit vt ciuis, & mox graſſatur vt hoſtis,
Non mirum ſua ſi patiatur ſæua tyrannis.
Ne quid fortè ſibi poſſit contingere tale,
Se curaturum, non ſanguine, ſed ratione.
Namque manus meritis quæ dat ſua iura ſuperbis,
Mitibus hæc eadem dat munera proſperitatis.
Deniq; ſplendiferum quæ fornax comprobat aurum,
Hæc eadem reprobat velut ad nihil vtile plumbum.
Quæ moto paleas exterminat area vento,
Hæc eadem puro ſeruat loca congrua grano.
Noſſe decere omnes, conſtantes mentis in actu,
Non ſine diuino hæc ſuſcepta pericula nutu,
Quæ ſic per cuncti placuiſſent climata mundi,
In quibus accipitur nomen venerabile Chriſti.
Et ſi quos fidei modicæ ferus atterat hoſtis,
Nil hoc officere fidei integritate probatis,
Quæ montes etiam deitate fauente moueret.
Talia ſi noſcens nullatenus addubitaret.
TALIBVS admoniti redeunt in fortia cuncti,
Et timidos etiam piguit voluiſſe reuerti.
Vt reuocantur apes poſt tædia mellificandi,
Dum recreant animos æris commenta ſonori.
Tunc ad rumigeros verſus, profugóſque maniplos,
Increpat atque minis prope territat exanimatos.
Quid turbare rudes ipſis conuenerit aures,
Atque eneruandas animi conquirere vires.
Cetera ſi pergant, non hos ſibi perpetiendos,
Stigmatibus ſed enim candentibus inficiendos.
Diſcedant potiùs, melioribus atque locum dent.
Ne ſibi coniunctos veluti contagia lædant.
Vnumquemque ſuis ſatis eſt fore inutile membrum,
Nedum ſepoſitis morbum inculcare nociuum.

MITTITVR interea rectori Pannoniarum
Dicta ferens legum Legatio pacificarum,
Ductorem regni ſtipatum milite Chriſti
Deuouiſſe viam ſancti ſub honore Sepulcri:
Velle iter impauidum ſua per confinia ferre,
Exorare ſibi blandè ſua clauſtra patere.
Mercaturarum precio ſibi monia iuſto
Commutare velit, pacis præbente miniſtro.
Velle etiam ſtabili ſe conditione paciſci
Ne ſibi quis noceat Pannon, neque quis ſuus illi.
Quod commiſiſſent malè qui commiſſa luiſſent,
Ne quis ſperaret firma ratione cauerent.
Obſidibus namque firmaret pronnus ipſe,
Et non externis, ſed germano obſide fratre,
Quod nihil aduerſi per ſe accideret regioni,
Hoc & idémque ſibi per eos debere rependi,
Hoc & ab ingreſſu regionis continuari,
Donec in egreſſu contingeret exſpatiari.
Talia dum paſſim Legatio docta perorat,
Rex cum conſilio ſeriatim ſingula tractat.
Omnia timantes dum diſceptando trahuntur,
Nil fore quod poſſit reprehendi iure fatentur.
Cenſent mandatis reſponſa decentia reddi,
Vt benè ſit veniens ductori notificari.
Officiis onerant legatos muneribúſque.
Aduentus ſtatuunt ſignando diémque locúmque.
Gaudent non modicè regiones Pannoniarum,
Quod dignè exceptæ legiones Francigenarum.
Sufficerent ſeſe purgare à crimine cædis,
Vndè ſupra cæſæ eſt deſcripta tragœdia gentis.
Dicta dies venit, locus alma Sabaria ceſſit.
Qua, Martine, tuus ſacer ortus in Orbe reluxit.
Huc Rex deuotus eum cœtu Pontificali,
Cum Ducibus, populo, ſacri ſed & agmine Cleri,
Cúmque faris, crucibus, Libriſque Euangeliorum,
Relliquiis ſacris, & honoribus Eccleſiarum,
Obuius accurrit, venientibus oſcula figit,
Cum iubilo ac hymnis intra ſacraria ducit.
Hoſpitio celebri regaliter amplificauit,
Obſidibus pactum ſumptiſque datiſque ſacrauit,
Per totum Regnum venalia multiplicari,
Ac per iter totum gradientibus aſſociari
Iuſſit, & emeoſis propriæ regionibus oræ,
Munera cum vadibus regalia contulit, atque
Auxilio tutos opibúſque & honoribus auctos,
Iuſſit abire Dei cum pace beatificandos.

HINC prætergreſſi, veſtigia longáque menſi,
Per quæ pertulerant memorata pericula primi,
Diſcunt quid valeat moderatio, conſiliúmque,
Contra quid noceat temeraria cauſa, furórque,
Cum modo ſeruitio ſibi ſint & ſubditioni,
Qui fuerant illis inhoneſtæ perditioni.

INDE per extentas regiones multimodáſque
Ire viam Domini properans exercitus ille,
Læua dexter habet Mithridatis Pontica regna,
Dextra conſpiciens Danaos & Achaica rura,
Nomine quæ tellus generali Græcia dicta.
Scinditur in multa ſpecialia nomina ducta.
Namque eſt Epirus, Pelopis tunc Inſula, & Hellas,
Arcadia atque Argi, tunc quæ tenet ora Laconas,
Attica Boëtis, Locriſque, & Theſſalia acris.
Hinc Macedum Regio, Dodona, Actolia, Phocis,
Qua quondam rabie Perſarum mortificata,
Maſſilia eſt profugis à ciuibus ædificata.

EXHINC longarum poſt interiecta viarum,
Ad Solis rutilum ſe pertendentibus ortum,
Eſt regio * edmini ſortita vocabula mundi,
Seſton vicini dirimens à litore Abydi,
Qua iuuenis, calidis ſtrictum mare dum ſecat vlnis, A
Pertulit iratis miſerabile funus ab vndis,
Qua fugiens ſocia Phryxus patria arma ſorore,
Perpetuum Ponto dat ab ipſa nomen habere.
Qua Conſtantini Chalcedone diuidit vrbem
Stringens ſe fluctus ſtadia in velocia ſeptem.
Sic à ſe dirimens ſimul Europen Aſiámque,
Vt Zephyro atque Euro ſit terminus vnus vtriſque.

VLTRA non magnis diſtantibus interuallis,
Arua iacent Phrygiæ maioris, itémque minoris,
In quibus effulſit præclaro nomine Troia.
Inclyta per bella longè per ſæcula nota.
Quæ quia non vnquam niſi prodita victa fuiſſet,
Prodita verò etiam capta atque exciſa flagraſſet,
Eius diſperſi per mundi climata ciues
Multas ſtruxerunt variis regionibus vrbes.
Vt Pataui ſedes, vt mœnia iuncta Timano,
Vt Salamina potens in opima condita Cypro,
Vt Capua atque Alba, necnon pulcherrima Roma.
Oſtia quin etiam Tiberina, vel Apula Troia.
Vt ſera vicino conſtructa Sicambria Rheno.
Quæ poſt deuicto circum Mæotida Alano
Francorum nomen meruit virtute fidei.
Mixtáque cum Gallis ſumpſit ſibi culmina regni. B
Sed quia ab incœpto digreſſio facta remouit
Propoſitum, repetat calamus qua parte reliquit.

PROGREDIENS ductor memoratus in vlteriora,
Conſtantinopolis tendebat ad anteriora.
Quo dum metatur, dum ſollicitus ſpatiatur,
Dum de non certis euentibus immeditatur:
Venit ei rumor, quoniam Proceres memorati
Portus Brunduſij, Bari, vel ....
Tranſgreſſi maria, reſidentes Dalmatiæ aruis,
Epiro & Mediis poſuiſſent caſtra Liburnis.
Complacuit fines non vrbis adire ſuperbæ,
Non quicquam tumido cum Cæſare participare,
Sed ſocios inibi communiter opperiendos,
Ipſis conſilio concorditer aſſociandos.
Et quicquid fieri bello vel pace ſederet,
Cunctorum concors conſenſus conciliaret.
Et quoniam magna peditum ſe turba ſecuta
Longiùs hinc aberat, retro ſua terga relicta,
Nec breuis horror erat præcedere longius illos,
Hoſtiléſque manus inter ſe linquere & ipſos,
Hos ſibi mandauit celeri ſuccedere paſſu.
Ipſe autem tardo mouit tentoria greſſu, C
Caſtrorúmque vſus breuioribus interuallis,
Præbebat tempus legionibus opperiendis:
Quatinus & ſocias poſſet coniungere vires,
Et tardos faceret comprendere præuenientes.

PERVENIENS igitur citra quam diximus vrbem,
Caſtellum Karoli quod dicitur in ſtationem
Deligit, interea vt ſocij fierent propiores,
Atque vrbanorum poſſet perdiſcere mores.
Sic aliquantorum functus ſtatione dierum,
Dum ſollenne forum ſibi plurima fert ſpecierum,
Monſtra Palatina, dominóque ſimillima prauo,
Rumores varios confingunt more profano,
Quid ſibi tanta velit mora, quid portendere poſſit,
Quidnam concurſus hic ſpondeat, atque recurſus,
Quidnam ſollicitans popularia corda tumultus.
Talia credendum celebrari non ſine cauſa,
Quod ſic alliceret manus extera patria regna.
Nam veri ſimilem ſpeciem debere videri,
Hos in ſeruitium Domini potuiſſe moneri.
Et nunc incœptis ceſſantibus hîc remorari,
Ac velut expletis affectibus inſpatiari.

A Tales regia mens, ſolita eſt quæ cuncta panere,
Rumores captans monita eſt ſua facta cauere.
Vt pote qui Dominum famulus diademate caſſum
Fecerat, & ſuper hanc peruaſerat impia ſceptrum.
Indè ſibi meritò malè conſcius, atque paueſcens,
Verbáque adulantum cum ſollicitudine verſans,
Ductori mandat quæ ſeſe intentio ducat,
Qnid ſtrnat, aut quidnam ſua præſtolatio nectat.
Non ſibi vel tutum vel honeſtum poſſe videri,
Hos alienigenas intra ſua tecta morari,
Nec velut hoſpitium mutandáque clanſtra tueri,
Sed quaſi manſores inter poſſeſſa foueri.
Ille refert, ſancti ſeſe ſub honore Sepulcri
Has agitare vias, & ſpe ſacra loca videndi.
Sed ne gentili ſuccumberet impietati,
Nolle minus cautè externæ ſe credere genti:
Ne velut infauſtis acceſſerat ante maniplis,
Accideret ſanctæ lues & deſpectio plebis.
Iccirco iſtorum ſpatio ceſſare dierum,
Quo ſibi iungatur ſociorum turma ſequentum.
Hoc vt pace ſua fiat depoſcere. namque
Cuncta ſui iuris à ſe fore tuta ſuiſque.
B Talia maiores acuerunt dicta timores,
Atque ex conſiliis exortæ ſuſpiciones.
Non alia mente tota agmina iungere velle,
Quàm peruadendi bello ſua regna locóſque.
Dirigitur maior numerus mandata ferentum,
Accipiat gazas geminorum pondus equorum,
Tranſeat abductis legionibus Helleſpontum,
Inque Aſiæ expectet patre explementa ſuorum.
Ni faciat, non iam patienter ſe tolerare,
Quin prohibere forum ſtudeat, victúmque negare,
Et prius adductis quàm creſcant agmina turmis,
Pellere collectis extra ſua caſtra maniplis.
Hæc audita Duci dura ſunt, nil flectitur heros,
Sed reſponſa refert faſtus ſpernentia vanos.
Fallere ait cunctos ſe talia velle putantes,
Nec famulos Domini tales dare ſuſpiciones.
Se famulum Domini, peregrinum exiſtere Chriſti,
Nec niſi paganis deferre piacula belli.
Si quis Chriſticolum ſibi tale quid inferat vltro,
Se præ ſe poſito debere reſiſtere Chriſto.
Si ſponderet opes geminorum pondus equorum,
Se ſpondere trium, liceat modo currere cœptum.
Eſſe ſibi fixum ſocios adiungere cunctos,
Viribus vt iunctis pulſarent Chriſti inimicos.
C Ni pretio oblato veniant venalia digno,
Se quæſituros ſua commoda ſine coacto.
Namque ideo cœptum pro conſuetudine tolli,
Poſcenti quoniam ſunt cœpta perita negari.
His irritatur furioſi Cæſaris ira,
Infremit, ac primò prohibet venalia cuncta:
Hinc iubet extrudi excedentibus omnia clauſtra.
Poſt apices mittens bello parat agmina tota.
Dux quid ad hæc faciat? victum perquirere primo
Cenſuit, & poſt hoc venienti occurrere bello.
Diſcurrunt celeres per paſcua plena manipli,
Abducúntque pecus varium, numerabile nulli.
Et quia tempus erat referens pia gaudia feſti,
Quo fuit æterni facta incarnatio Verbi,
Venit ei rumor proponens munera magna,
Bis binos Proceres, ſocia comitante caterua,
Affore ducentes porcorum milia plura,
Vnde pararentur ſuicidia Cæſariana.
Oblatum credit diuinitus emolumentum,
Occurrénſque capit Proceréſque pecúſque coactum.
Sic exercitibus data pleno copia cornu
Diuino cunctos animauit fidere nutu.

His geſtis, bellum fert nuntius eſſe paratum,
Atque ſequente die dubio ſine conficiendum.
Exoritur multus per Gallica caſtra tumultus,
Feruor adhortantum magno clamore relatus.
Territat hoſtiles, ſocias acuítque cohortes,
Monſtrans quam leue ſit pigras concurrere gentes.
Procedunt caſtris, volitant vexilla tu...
Itur in aduerſos, reſonant lituíque tubæque.
Non clypei clypeis, non telis tela repulſa,
Non gladij gladiis, non oſſibus oſſa reliſa:
Sed ferit hæc acies, ſed corruit ictibus illa,
Bella ſed iſta gerit, patitur ſed comminus illa.
Non tetinent ictus .... ſcuta ......
Totum tranſadigit quod percutit haſta ....
Per galeas gladij cerebrorum aſpergine manant,
Plura ſupérque humeros capita huc illúcque recurſant.
Non arcus, iaculum, non hic valuere ſagittæ,
Lancea ſed totum ſocio diiudicat enſe.
Armis, corporibus, campus conſternitur omnis.
Fit fuga cum gemitu, portus mactantur in ipſis,
Vſque Palatinas arces fugientia noſtri
Agmina ſectantur dextra ſeriente minaci.
Sic ope diuina noſtris victoria plena
Claruit, aſt illis patuit miſeranda ruina.
Qui tamen infauſto potuere euadere bello
Occurrunt populo redeuntes in ſua noſtro.
Nam ſupra dictum, peditum ſupereſſe cateruam,
Et poſt terga Ducis longa ſtatione relictam,
Ipſe quibus Cæſar clauſtrum præcluſerat omne,
Iuſſerat & pulſos retro in ſua terga redire.
Sed Philippoleos, Andronopoliſque receptu.
Iam pulſi fuerant ſpoliatíque vndique cenſu.
Cùm malè ſic habiti peterent tamen vlteriora,
Occurrere ſibi quæ diximus agmina victa,
His ſe conſpectis magno quatiente pauore,
Nam malè diſperſi fuerant vix milia quinque,
Hortantes alios ſociant, qui pectore forti,
Vt non ſic facile cuncti morerentur inulti,
Conſpiciunt iuxta ſaxoſi culmina montis.
Quò pertendentes, onerant ſua pallia ſaxis.
Hoc viſo facti timidi nihilominus hoſtes,
Non præſumentes peruadere ſic agitantes,
Sollicitant placidis ſub pacis nomine dictis,
Vt redeant ſecum tranicenſis mœnia ad vrbis,
Et fore mercatum pretij ſolamen habenti,
Panem verò dari nil quod mutaret habenti.
Credunt auditis nil ſuſpicionis habentes.
Et qua iter ad pontem retro petiere ruentes.
Mox circumfuſi media inter milia pauci,
Vndique vallantur velut vno carcere clauſi.
Diuiditur rumor per multas ſuſpiciones,
Et varios fingunt ſibi credula corda timores.
Quidam namque omnes dicebant decapitandos,
Exilio quidam breuibus gyaris relegandos.
Quidam diuerſis damnandos quaque metallis,
Et quidam grauibus luituros prœlia pœnis.
Quid miſeri facerent? tanto quatiente pauore
Optabant citiùs quàm præſtolando perire.
Nacti curſorem noctúque diéque volacem,
Mandauere Duci quam ferreat aſperitatem.
Protinus exertis percuſſo pectore pugnis
Ingemit, & grauibus damnat ſua facta querelis,
Et niſi ſuccurrat, ſe cauſam mortis eorum
Deputat, atque reum proclamat ſanguinis horum.
Et quia fortè aderant .... Cæſariani
Non benè pugnati qu..............
Sumit materiem prop..............

Condere ſe pacem. belli pr ....
Conſtantinopolim vacuare ....
Tranſmiſsiſque fretis ſecurum........
Finibus inque Aſiæ Proceram ....
Quæque mali fuerat ſubuertere........
Si domini pauper reſolutus carcere miles
Amiſsiſque datis ſequeretur præuenientes:
Et ſi venali repetita conditione,
Copia propoſitæ reddatur digna monetæ.
Talibus auditis, nihil eſſe libentiùs illi
Clamauere, ſuo magis aut optabile Regi,
Nec diſtare moram, quin auguſtalia ſacra
Circumquaque volent ad talia conficienda.
Sic igitur cunctis quæ conuenere peractis,
Fœderibúſque etiam iuſta vice conciliatis,
Deſerit obtenta Dux, & freta transmeat alta,
Atque in deſerta ſtatuit Chalcedone caſtra.
Sarcit ſemiruta, dat lapſis culmina muris,
Et reparat foſſas, ponitque repagula portis.
Hic hyemis veniens decernit ducere tempus,
Expectans Procerum ſparſos in Achaide cœtus.
Vt primum placidi flatus caluere Fauoni,
Véſque nouum cœpit glaciali obſtare rigori,
Iam dicti Procerum mouerunt caſtra Magiſtri.
Iungere ſe cupidi ductori præuenienti,
Præſul Haimarus, Boimundus, Tancradiúſque
Hugo Comes, Stephanus, necnon Rotbertus vterque,
Et reliqui, quos non per ſingula dinumerare
Eſt opus, ac totiens eadem repetendo referre,
Mœnibus egreſſi Conſtantinopolitanis.
Mox .... aſciti Cæſarianis.
Q...... ductor quæ bello vincere poſſent.
Quæ ſibi non iuſtè gentilia bella tuliſſent,
Vt ſibi gratanter ſub pacis pignore reddant.
Quo ſua ...... ſimul auxiliúmque capeſcant.
Hæc fore Nicænam vrbem, ſed & Antiochenam,
Et circum poſitam quoquo verſus regionem
Declaratutam ſuper his quæ digna fuiſſent.
Vtilia vt cuncta ſibi nuſquam defore poſſent,
I...... tantum terræ omni parte daturum,
Quatuor vt ſpatio peragraret mula dierum.
Hæc ſibi iurando firmari denique iure
Per bis ſeptenos patres ſine fraude iubere.
Illi nil contra refragari. nam ſibi certè
Aut fore parendum norant, aut morte perire.
Iurauere tamen quia ſic ſua pacta valerent,
Inuiolata ſibi ſi regia ſponſa manerent.
His actis abeunt, fretáque Helleſpontica calcant,
Adiunctique Duci pariter ſocia agmina miſcent.
Militéque inſtructo pergunt Nicomedis ad vrbem,
Quam prætergreſſi ſimul obſedere Nicæam.

Hæc de principiis callis Hieroſolymitani
Scripſimus, vt noſtræ permiſſum ruſticitati.
Cetera deſcribit domnus Gilo Pariſienſis.
Cuius turpatur noſtris elegantia nugis.

EXPLICIT LIBER III.

A

INCIPIT LIBER IV.

A domno Gilone Pariſiensi *cum ceteris ſequentibus eleganter editus.*

Textvs Geſtorum memorandus Chriſticolarum
Eſt ope diuina Turcorum facta ruina.
Hoc pro laude Dei licèt impar materiei
Carmine perſtringo facili, nec ludicra fingo.
Chriſte meæ menti tua bella referre volenti
Adſis, laus cuius ſeries eſt Carminis huius.
Vt benè prouenîant, & te duce carmina fiant.
Christicolæ gentes gladióque fidéque nitentes
Vt ſacra purgarent à ſordibus, & ſuperarent
Turcos inſanos fœdantes fana profanos,
Coniurauerunt & Hieruſalem petierunt.
Aſt vbi iam laſſus, iam multa pericula paſſus
Æquoreum litus tetigit chorus ille beatus,
Tranſiit æquoream rabiem, petiitque Nicæam, B
In qua ter centum ter quinque triúmque potentum
Conuentus mores ſtruxit, docuítque minores.
Sed male mutata Chriſtíque fide vacuata.
Chriſtum ſpernebat, gentilia monſtra colebat,
Et quoniam Chriſtum prius hæc coluiſſe putatur,
Ad Chriſtum corrupta prius meritò reuocatur.
Ergo diſponunt acies, tentoria ponunt,
Vndique conueniunt, quæ bello congrua ſiunt
Partem, quam mundus vocat Occaſum, Boamundus
Occupat, & iuxta muros ſtatuit ſua caſtra.
Qui locus eſt infra iunctus contrarius Auſtro
Ille tuæ forti datus eſt, Godefride, cohorti.
In loca ſuccedunt alij quæ congrua credunt.
Cunctorum portus vertuntur Solis ad ortus.
Militibus denſi Raimundus cum Podienſi,
Hugo Comes Magnus, leo ſæuis, mitibus agnus,
Et ſatis expertus per prœlia ſæua Robertus.
Dux quoque Flandrenſis, cuius non fallitur enſis,
Et Stephanus muros expugnabat ruituros.
Tuta ſed à turbis pars vna remanſerat vrbis.
Nec timet aſſultus pars quam Sol reſpicit altus.
Fruſtra ſecuros petierunt denique muros. C
Nam lacus immenſus multáque putredine denſus,
Hos defendebat, noſtros tranſire negabat.
Sed tamen hanc partem noſtri tetigere per artem,
Namque ſuperiectis ratibus, multis quoque tectis,
Quas Cæſar dictus vinctis per terrea bobus,
Fecerat adduci voto tunc auxiliandi.
Sic quaſi per pontes potuerunt tangere fontes.
Acriter inſiſtunt noſtri, Turcique reſiſtunt:
Acriter impellunt illos, illique repellunt.
Sæua venenatas gens mittit ab orbe ſagittas,
Cuique ſagitta dabat leue vulnus eum perimebat.
Et dum ſucceſſit per turpia verba laceſſit
Chriſti cultores, cane dicens deteriores.
Vocibus ingratis noſtris ſatis exagitatis,
Altior ad muros portatur machina diros
Gentiles miſeri tandem cœpere vereri.
Noſtri non ſegnes lapides iaculantur & ignes,
Torres impellunt, affixáque tela reuellunt
A clypeis, hoſtes telo proprio ferientes.
Vtque cadit ſpiſſus imber cum grandine miſſus,
Sic non vitatæ mittuntur vbique ſagittæ.
Tela cadunt, miſerique gemunt, moriuntur vbique.

A Hi gladiis, alij baculis pugnant ſudibúſque.
Magnus erat turbæ clamor trepidantis in vrbe.
Ergo plorantes manibus quoque ſignificantes,
Orarunt pacem, clamarunt deditionem,
Expediunt dextras vadúntque recludere portas,
Exultant noſtri, laudant magnalia Chriſti.
Primum purgari cenſent à ſordibus vrbem,
Et conſignari per aquam prece ſanctificatam.
Cúmque hymnis crucibúſque intrant reconciliatam.
Mittuntur ſacri portantes ſacra miniſtri,
Luſtrant ſecuros benedicta aſpergine muros
Cantantes modulos diuinis ritibus aptos.
Talia dum ciues viſu auditúque capeſcunt,
Protinus irati in gentilia monſtra recurrunt,
Cuncta profanari magicâ vertigine dicunt,
Et proturbantes extra ſacra agmina trudunt.
Sic irritantur Legiones Chriſticolarum,
Et deluſa dolent myſteria cœlicolarum.
Acrius inſurgunt celeres & in arma recurrunt,
Déque profanatis pœnas cum ſanguine poſcunt.
Acrius incumbunt, baliſtas fundibulo aptant,
Præfodiunt portas, miſeros quaſi carcere vallant.
B Excubias ſtatuunt noctúque diéque, cauentes
Ne quis colloquio externus iuuet interiores.
Dúmque inſtant vigiles ſibi ſuccedendo per horas,
Repperiunt quendam per nigras ire tenebras
Quærentem .... vel portas ingrediendi,
Vel per .... cum clauſis ſermocinandi.
Illi correptum grauiter manicíſque ligatum
Cogunt aut citiùs quæ noſſet cuncta profari,
Aut duræ mortis grauia experimenta lucrari.
Ille metu victus nimio, nec longa moratus
Dicere ſeruata ſe deuouet omnia vita.
Hinc vbi fecit eum pia conuenientia fidum,
Exponit miſſum ſe ciuibus inſinuatum,
Ne deſperarent, ſed rem virtute tenerent.
Namque ſequente die plenum ſolamen haberent,
Quando .... obſeſſi mortificare
Poſſent, atque opibus cum libertate vacare.
Milia nam propius plus conſediſſe trecenta
Sultanno ducibus Solimannóque coacta:
Quæ ſic de propriis ſe viribus exhilararent,
Vt quaſi victores iam facti glorificarent,
Agmina Chriſticolum quo iam deleta putarent,
Soláque de ſpoliis inter ſe bella pararent.
C Mane etiam primo ſtatuiſſent caſtra mouere,
Illa quoque ante vrbem vacua ſtatione locare,
Quæ fuerat tibi Dux Raimunde tuíſque relicta,
Quando ibi prima duces cœperunt figere caſtra,
Qui retrorſus adhuc aberant ad milia bina.
Pro quibus eſt miſſum citiùs, iuſsíque venire
Ipſa in planitie tentoria diſpoſuere.
Legatus porrò iam factus ſponte fidelis
Purgari ſeſe expetiit baptiſmatis vnda.
Quod dum fit citius concurſu Preſbyterorum,
Egregius fulſit vir in ordine Chriſticolarum.
Mane igitur primo noſtri vertuntur in arma,
Vrbis perfidiam punitum ſorte ſuprema.
Fit clamor multus, variatur ...... vultus
Iſtinc pugnantum, atque illinc extrema gementum.
Tormentis, iaculis, gladiis quoque bella geruntur.
Haud multum diſtat quin protinus ingrediantur.
Dum ſic inſtarent noſtri, miſeri trepidarent,
Et iam conſtrati ſua vellent reddere victi:
Ecce repentino clamore vlulante Nicæa
Milibus auditis montana videntur operta.
Quæ dum deſiliunt hinc per decliuia montis,
Altera contiguæ properant per concaua vallis.
Gens tua Chriſte ſatis clemens ſuſpirat ab imis
Pectoribus. clari bello cœpere precari
Supplice voce Deum, quòd eis daret ipſe trophæum.
Vt conſpexerunt Turci noſtros fremuerunt,
Mox vbi ſtruxerunt tres turmas, diſpoſuerunt
Quod pars intraret muros, inopéſque iuuaret
Viribus & telis, & opem præberet anhelis,
Ipſi munirent portas noſtróſque ferirent.
A gemina parte compertâ protinus arte
Noſter in hoſtiles cuneos ruit impete miles.
Pugnatur durè, ſed non par actus vtrimque.
Sed perimunt noſtri, pereunt enormiter illi.
Franguntur rigidæ validis impulſibus haſtæ.
Pectora rupta ſonant, riuóſque cruoris inundant.
Trunca volant capita tremula velut arbore poma.
Nec qui deſcendit montem poſthac repetiuit.
Et quod de noſtris ſtolidè prædixerat hoſtis
Hoc patitur victus, nec duros ſuſtinet ictus.
Sed celeres fugiunt, & tardi funera fiunt.
Dimiſſa parma fugit hic ſua dum capit arma.
Alter proſtratus cadit in capiendo moratus.
Singula quid dico? nullus ſuccurrit amico.
His pietate Dei victis timuere Nicæi,
Atque metu tacti tandem ceſſere coacti.
Pérque duos menſes obſeſſæ gentis habenæ
Dux tibi traduntur Conſtantinopolitanæ.
Mittuntur plena capitum quoque milia naui.
Seruitium primum datur hoc à milite forti.
His ita deuictis, victis ſub Rege relictis,
Succeſſu læti noſtri nec cedere certi
Caſtra mouent, Dominóque vouent ieiunia, cuius
Auxilio vicere pio gentis ſcelus huius.
Sed quoniam per dura viam fuerant habituri,
Ne populi languore ſiti caderent perituri,
In turmas ceſſere duas. tibi traditur vna
Dux Boimvnde, tibi Comes Hvgo traditur vna.
Sícque graues colles noſtri licèt ad mala molles
Tranſilière tribus non abſque labore diebus.
Inque die quarta poſtquam via facta per arta
Illi ſecuri quaſi gens ignara futuri,
Quos ſibi commiſſos Boimundus ab agmine ſciſſos
Duxit lætantes, graue nil reſtare putantes,
Dum malè ſe iactant, & dum benè facta retractant,
Turcis inſultant, ter centum milia ſpectant
Turcorum mœſti, tantæque reſiſtere peſti
Non auſi dubitant. priùs ergo prœlia vitant.
Sed nullam mortem metuens Boimvnde cohortem
Inſtruis, vt viles depellat cúſpide miles:
Et ponis iuxta riuos ex ordine caſtra,
Quos nimis exoſos vocat incola .....
Sed noſtri nondum fuerant ad bella parati,
Cum quinquaginta centum ferrugine .....
Milia Turcorum curſu portantur equorum.
Et non paulatim veniebant, ſiue gradatim
Seſe commiſcent noſtris, & prœlia miſcent.
Noſter commixtos miles ferit eminus iſtos,
Et fidei parma protectus non timet arma.
Turci vallabant noſtros, curſúque volabant.
Et nunc inſtabant, nunc Chriſtiadas fugitabant.
Dúmque fugit Turcus, ſinuatus ſoluitur arcus.
Arcu quippe magis pugnant, & non ſine plagis.
Cùm graue cum Turcis bellum Boimundus haberet,
Inque vicem Turcus noſtros fugiendo fugaret,
In fugiendo quidem vulnus facit, & fugit idem.
Nam modo qui Turci, veteri ſunt nomine Parthi,
Fidere quos verſis mos eſt fugiendo ſagittis.

Magna cohors magni non huius conſcia damni
Gente ſub ignota quaſi milibus octo remota
Colles girabat, nec tam prope bella putabat.
Sed per Legatum bellum ſcit adeſſe paratum
Conſilio nitidus quem miſit ei Boimundus.
At dum pugnatur, dum turba vocata moratur,
Pars ea Turcorum quos altera ripa tenebat,
Vt faceret cædem de noſtris quam ſitiebat,
Per loca nota parum tentoria Chriſticolarum
Attigit, & cædes facit hoſtis, & occupat ædes,
Dátque neci laſſos, & plurima vulnera paſſos
Oppida ſeruantes iam martem ferre valentes.
Qui ſi ...... poſſent, mors eſſet honori
Matribus........... truncare videres
In fa............ miſeras mulieres
Hoc ... . Boimundus caſtra petiuit
Subd........ dimittens prœlia damno
Hóſque .... gens mala penè necarat;
Protinus elegit .... paruiſque ſubegit
Hanc gentem fœdam, recipit tentoria, prædam.
A .... circum tentoria ponit
Caſtráque terribili pro vallo milite munit.
DVM duplices pugnant acies, illinc Boimundus,
Ex hac parte Comes Normannus in arma timendus,
Francigenæ ...... nimióque timore coacti
Cum Duce Normanno fugiunt, & non ſine damno,
Morte, calore, ſiti crudeliter excruciati.
Et niſi dum fugerent, dum palmam penè tenerent,
Turci vincentes, ſe conuertiſſet in hoſtes,
Dux Normannorum ſignum clamando ſuorum
Lux ea plena malis noſtris foret exitialis.
Nec mora Francigenæ ſpe ducti ſedis amœnæ,
Reſpiciendo mori benè pro vita meliori,
Ad ſua conuerſi, circum tentoria ſparſi,
Facti caſtellum, permiſcent denuo bellum.
Dum nimis inſiſtunt noſtri Turcique reſiſtunt,
Tela legunt pueri, cantant ex ordine Cleri,
Fortes pugnabant, mulieres collacrymabant.
Altera proſtratum portabat in oppida natum.
Eſt aliquid quod quiſque facit. tegit alter amicum,
Hic fugit, hic ſequitur, raptum capit hic inimicum.
Penè triumphantes noſtros te Chriſte vocantes
Turci proſternunt, & eorum prœlia ſpernunt.
Vtque lupus villas circumdans......
Et quas deceptas ſtabulis........
Aſpicit, has fundit miſeras ....
Sic quoque vallantes noſtros Turci .....
Hunc quem ſpectabant extra caſtella necabant.
Noſtri quid facerent, niſi tanta pericula ferrent?
Non poterant dorſum dare, nec pugnare ſeorſum.
Non ſatis eſt genti de palma........
Quod fuerant clauſi noſtri, pugnare nec auſi.
Sed monuit mille Turcos ....
Vt quæ tranſierant noſtri ....
Hac etenim de re dubij timidique fuere,
Quod tegerent aliquos ....
Aſt eques armatus nil ad præcepta moratus
Montes luſtrauit, crudeliter enſe necauit
Mille viros ferme, mulierum vulgus inerme
Exanimes facti nimióque metu ſtupefacti,
Multum tardatos rebúſque ſuis oneratos.
Qui malè ſub ſaxis latitantes non latuerunt
Exploratores, ſed turpiter interierunt.
Ecce nihil timidus Comes HVGO, Dux GODEFRIDVS,
Hortari fortem precibúſque miníſque cohortem,
Curſu certabant, ſocióſque iuuare parabant.
Vtque vident flentes ſocios iam deficientes,
Dimittuntur equi, quamuis non viribus æqui A
Eſſent, non dubitant, nec tela volantia vitant.
ERGO Ducum ſidus cum paucis Dux GODEFRIDVS,
In medium denſæ gentis ſtricto volat enſe.
Et veluti diram ſus poſtquam colligit iram,
Dente canis læſus, baculo vel arundine cæſus
Dente carnes figit, ruit & venabula frangit:
Hos ita ..... Godefridus & agmina ſulcat.
At Comites ..... dant multis tartara Ditis.
Trans ripas riui pugnabant in pede cliui.
Illis proſtratis, de cliuo præcipitatis,
Aſcendit cliuum Comes, implet ſanguine murum.
Milia nam quinque morti dedit ipſe decémque.
Sed ....
Omnibus extenſis ad pugnandum. PONTENSIS
Atque Comes fortis RAIMVNDVS, Dúxque cohortis,
Audacéſque viri velut ad bellum ſolet iri,
Paulatim veniunt, & ab his noua prœlia fiunt.
Hi cornu dextrum cædunt, aliíque ſiniſtrum.
Qui prius incluſi fuerant formidine fuſi.
Fit ſtrepitus multus, fit magnus vtrimque tumultus, B
Nec ſonitu minimo diſſoluitur arcus equino
Neruo conſtrictus, ſine quo ſatis eſt leuis ictus
Horum, ſpes quorum non eſt niſi curſus equorum.
Vt vulnus geminum iactu det Turcus in vno
Cum ſerpentino iaculatur tela veneno.
DVM ſic pugnatur, noſtri ter ab hoſte fugantur,
Térque fugæ dantur gentiles, ſed reuocantur,
Et ſolitos curſus faciunt, & vulnera rurſus,
Sed puto preſſiſſent, nec bella pati potuiſſent,
Ni circa montes quidam Turci latitantes
Acriter attrarent noſtros pluréſque necarent.
Quos vbi ſenſerunt noſtri Comites, ſtatuerunt
Vt magis audaces committere bella ſagaces,
Ad latebras irent, inopino marte ferirent
Hos qui pugnabant furtis, multóſque necabant.
Protinus ingentes animis armíſque vigentes,
Mille viri laudis cupidi ſub tegmine fraudis
Bella relinquentes, velut è bello fugientes
Aſcendunt taciti montes, ſed monte morati.
Non tacuit Chriſti miles, fugit hoſtis, at iſti
Enſibus hos angunt, arcus & ſpicula frangunt.
Non prodeſt domino neruo conſtrictus equino
Arcus, non pharetra de cruda condita C
Non equus aut curſus, non illita ſpicula felle,
Sed malè turbantur, moriuntur, præcipitantur.
His ita diſperſis, multis in tartara merſis,
Attoniti, belli ſubiti formidine tacti,
Poſt illos reliqui fugiunt dare terga coacti.
ERGO reſumentes animos noſtri fugientes
Turbant, funduntur Turci, fugiunt, moriuntur.
Tardius egreſſi vel belli turbine feſſi
Acrius inſurgunt, & equos calcaribus angunt.
Francigenæ pronos faciunt ad pectora contos.
Cornipedes ſpumant, aſperſi ſanguine fumant.
Fræna terunt Dominóſque ferunt non impete paruo.
Dúmque ruunt ſtratos feriunt. nam multus in aruo
Turcus erat ſtratus, iaculis aut enſe necatus.
Exſuperare pares certant, flant non lene nares.
Albet & intinctus tabo cum puluere rictus.
Hoſtem quiſque premit, ſed nox obſcura diremit
Gaudia noſtrorum, triſtémque fugam miſerorum.
Et quod non poterat leuis arcus & in reſolutus,
Nec ſonipes velox & longis curſibus aptus,
Hoc importuna potuit nox turpis & vna.
Quippe per ..... noctem diram tenebroſam

Gens

A Gens inimica Deo Chriſti ſubdenda trophæo
Inuenit latebras. fugit ergo ſecura tenebras.
Atq; per hanc noctem gens Chriſti perdidit hoſtem,
Et .... eadem nocte ſecutus,
S................. ad tentoria miles,
Veſtibus .... ciues multiſque camelis.
Mox Proceres læti ſua membra dedere quieti,
Solares ortus vbi Lucifer attulit ortus.
Surg........ quondam modo funera natos,
.... gemitus, ſua pectora tundunt.
Quis .... cognati colligit oſſa.
Sæpe dab......... tumulo caput hoſtis iniqui.
Eſſe ca ....
Vulnera contrectant, infixáque ſpicula ſpectant,
Vulneribus plorant, & de pietate laborant.
Aſpiciúntque bonos equites in puluere pronos,
Qui dum viuebant ſuper aurea ſtrata iacebant,
Inque die tota non ſunt tentoria mota.
Interea laſſi recreantur, vulnera paſſi
Curæ traduntur medicorum, tela leguntur
Et fiunt plenæ pharetræ, ſolidantur habenæ,
Cuncta reformantur quorum manet vſus egere.
B Altera lux oriens vbi noctis depulit aſtra,
Caſtra mouens miles ſequitur gentilia caſtra.
Miles at ille Dei cuiuſdam planitiei
Dum loca tranſiret, & tutus ab hoſtibus iret,
Peſte, calore, ſiti, moriuntur in agmine multi.
Indè recedentes ſecuri nil metuentes,
Omine felici loca vaſtabant inimici,
Hoſtis iter tutum dabat illis ....
Sícque metu moto patuit ....
Nec ſenſit pœnam quis donec ad Antiochenam
Vrbem formoſam, muris opibúſque ......
Denique tam ritè caruit via ....
Vt quidam Procere paucis comitantibus irent,
Egregiáſque vrbes & fortia caſtra ſubirent.
Sicque per extenſas terræ Pamphylidos oras,
Et Cilicum fuit his ſpatiandi tuta voluptas,
Sicque metus gentes perterruit exanimatas,
Vt cùm Thaſenſes noſtrorum pauca viderent
Agmina de muris ſe.................
Sed quædam magni interceſſit ....
Egregióque Duci ſors aſpera ....
Nam dum per quædam carecta cacumine celſa
Mixtim tranſiret peditúmque equitúmque caterua,
Quidam monſtruoſæ molis vel roboris vrſus,
C Pandebat rabidos in funera plurima rictus.
Dúmque interceptum peditem laceraret acerbè,
Nullus & auderet peſti obuius ire malignæ,
Vicit iter durum pietas ad cuncta parata,
Ire vel in cladem properat ſuccurrere certá
Deſilit alipede. procurrit & obuius hoſti
Ductor, & exempto præfulgurat enſe potenti.
Ille autem contra prædam dimittit inermem,
Erigitúrque ſuper partem ſtans poſteriorem.
Dux celer aduerſo mucronem pectore figit,
Non tamen .... timente recondit,
Ille Ducem ſtrictum validis amplectitur vlnis,
Dux nihil .... artando lacertis.
Sub ſe proſternit .... innodatus inhæſit.
Et dum .... vtrimque tenentur,
Dum .... timente iuuatur.
Exterior .... pars vulnerat enſis,
Oſque .... ſuper edita curis.
Tandem ...... concurſibus hoſte perempto,
Ægre .... vulnere duto
Hæc dedit interea .... Domini per caſtra cohortem,
Mœrorem .... cauſa timorem.

Nam .... ductori hinc affore mortem,
Quidam .... metuebant debilitatem.
Quorum .... de culmine cunctos,
Deiceret .... lumine caſſos.
Namque .... vectus eq orum,
Per menſes, ... victum dedit omnibus vnum.
Tandem diuinam recreatus per medicinam
Cum ſociis vrbem pertendit ad Antiochenam,
De qua nobilium complures hiſtoricorum,
Multa reliquerunt dictorum ſcripta ſuorum.
Sed neque ſe ſcriptis dignè potuiſſe profari,
Quæ dicenda forent ſunt inter dicta profeſſi.
Huius nam meminit Moyſes Rex hiſtoricorum,
Quarto in fine Libri cui nomen dat Numerorum,
Dum Dominum narrat Tribubus præcepta ferentem,
Quo ſibi promiſſam diſcernant ordine terram,
Huius & inſignis Hieremias, cùm Sedechiam
Narrat ibi ductum pœnam dare iudicialem.
Quando ſuis natis ſeſe inſpectante necatis,
Luminibus periit Babylonis mœnia foſſis.
Huius Hiezechiel cùm Templum ſpirituale
Scribit, quod reputant Iudæi materiale.
Hanc Machabæorum Liber ....
Quando ſecus Daphnem vatem dolet ....
Daphnes quippe fuit nemus halans ſuauibus herbis,
Fontibus egregiis, lautis ſimul ac cypariſſis,
Quod nunc accipimus ....
Propter diſcurſus ....
Alluit hanc fluuius, cui priſcum nomen Orontis,
Qui modo vulgatur vocitari ....
Imminet huic quoque mons ....
Vnde ferunt Solem ....
Illius populus qui ſit ....
Dicitur ex ſcripto reliquis ....
Illius atque locos reliquis ....
Dicunt ad Zephyros circum ſpirando frequentes,
Tertia maiores inter prius hæc fuit vrbes,
Quam res acciperet Byzantica quas modo vires.
Hæc etiam Chriſti in primis inſignia ſumpſit,
Chriſticolum nomen quando hic primordia cepit,
Hic & Apoſtolica Petro reſidente cathedra,
Floruit ante foret quàm ....
Ergo profanatam malè Chriſti turma dolentes,
Ad recoaptandam Chriſto venere frequentes.

EXPLICIT LIBER IV.

INCIPIT LIBER V.

Vrbis vt immenſæ tetigerunt mœnia menſe
Octobris, turbis pars maxima cingitur vrbis,
Pons tamen in ferro fit peruius antea ferro,
Multáque prædari licèt & multis onerari,
Eſſent .... tentoria ponunt,
Inter .... murúmque leuatum,
Et quia .... bellique peritæ,
Si .... nocuiſſent,
Ingenio .... per vim non potuerunt.
Ingenióque fugant quæcumque vident nocitura,
Accel.. .... ſcit quiſque futura.
Ergo .... montem Chriſti facit agmen,
Per quem .... grex malus inualuiſſet,
Fiunt res plures. fiunt ex ære ſecures,
Fiunt baliſtæ .... bata phalarica, talpæ;
Falces, tela, faces, aries, fundæque minaces.
Multa per artifices ceſſas æquantur ad arces.

VTQVE parauerunt quæcumque paranda fuerunt,
Muros impugnant fruſtra, Turcíque repugnant,
Quæque parare vident noſtros, vt inania rident.
Nam quis ſperaret quòd gens hæc exſuperaret
Militibus planam tam multis Antiochenam.
Vrbem? quam clarus ſapiens aliquis vel Homerus,
Si modò vixiſſet, deſcribere non potuiſſet.
Chriſticolæ feſſi ſunt ad ſua caſtra regreſſi,
Et ſe ſecuros intra ſua caſtra futuros
Nocte putauerunt. ſed & hoſtes nocte fuerunt
Et malè ſecuti. nocuerunt pluribus illi,
Nec ſemel hac fraude nocuit gens callida valde.
Nocte laceſſebant noſtros & nocte petebant,
Nun clauſis portis inimicæ caſtra cohortis,
Sed lenis interea bellum fortuna ....
Inque vicem miſeram gentem gens ......
Sæpe ſuper muros Turcorum ....
Iámque fatigatis noſtris, opibúſque ......
In prædam pedites Chriſti ....
Qui cùm prædati loca vellent ....
Partim prædati, partímque ....
Sed tamen illorum mortem pauci.. ....
Narrando triſtes. faciunt ſocios ....
Vnde nimis triſtis Boimundus rebus in iſtis,
Supplex diuinæ rogat auxilium ....
Inſidiáſque parat genti quæ ....
Victum quærentes nil per ....
Ad victus igitur quærendos vt prius itur.
Cum Duce Flandrenſi Boimundus conſociatur,
Armigeris res armigeris prædicta dicatur.
Præmiſſis mille ſequitur Dux prouidus ille.
Hos vbi prædantes viderunt inſidiantes,
Protinus à latebris ſalientes ....
Vocibus inſultant, & equorum pectora voluunt,
Armigeros feriunt, dum talia prædia fiunt.
Cum parua gente BOIMVNDVS bella repente
Turbauit. multos perimit. ſocios nec inultos
Amplius eſſe ſinit, gemitúſque ſuos ibi finit.
Hic quoque Flandrenſis multos necat horridus enſis,
Sic Turci telis populi ceſſere fidelis.
Oppida victores repetunt, priſcóſque dolores
Ponere præcipitant, ponunt, ſollemnia fiunt.
Tempora tranquilla victoria præbuit illa
Victus, ac villis non inſidiantibus vllis,
Portabant gentes in caſtra nihil metuentes.
AST vbi .... aduenit hyems glacialis,
Venit .... afflixit egeſtas.
Imbr........... niuibus montana tumebant,
Armen .... caſtra iuuare ſolebant.
Per nimios fluctus nimios extinguere luctus
Non poterant. flebat populus quem grādo grauabat,
Non ....-.. glacies, ſed tela premebant.
Non .... Symeonis adibant.
Qui nauale forum dabat omni merce decorum.
At fidei pugiles pœnas nimias fore viles,
Corporeas reputant, nec pœnis gaudia mittant.
Nec bona tormentis titubat conſtantia mentis,
Quamuis preſſuras patiantur corpora duras.
Sed quicumque pati potuerunt tela parati,
Paruam nec fortem vix axſtruxere cohortem,
Atque manu parua prædam rapuere per arua.
QVOS tulit euentus Gallorum clara iuuentus
Enumerare licet, ſed quis tot acerrima dicet
Prælia, preſſuras, ieiunia, frigora, curas?
Pauca quidem dico triſtis, nec lumine ſicco:
Millia ter centum fuerant. tunc æſtimo centum
In bello clari vix poſſent annumerari.
Sæpe quidam læti dederant ſua membra quieti,
Et nil ſolliciti gaudebant aëre miti. A
Sed ſub momento ſurgente per aëra vento,
Aëris ingrati commotu præcipitati,
Vix ſubitæ peſti poterant obſiſtere mœſti.
Cunctáque luſtrabant imbres, & caſtra natabant.
Quique locaret equum nocturno tempore ſecum,
Flebat eum mane, corpúſque trahebat inane.
Militibus mille qui cinctus erat p........
Pro nimia peſte nec nomen habebat honeſte,
Militis atque pedes factus ....
Turpe quidem dictu. ſed miles ....
Armigerum flentem flens ipſe ....
A ſe pellebat quia nec ſibi ſufficiebat.
Proh dolor! ipſe pater nato ....
Quos ſibi ſeruabat victus ....
Attonitis ducibus quos miſerat ....
Cum Duce Flandrenſi ſolatur ....
Et bellatores iubet armari ....
Ter decies mille pedites Dux eligit ille,
Armatíque fera galeati mille fuere.
Hique ſuos enſes conuertunt ....
Oppida prædantur Syriæ. noſtri redeuntur
Telluris gratæ dum gaudent fertilitate,
Diripiendo ſata Syriæ gens illa beata B
Tres Ammiraldi (ſic Reges quippe vocati
Hieruſalam) Calapi ductores atque Damaſci
Ipſos inuadunt. ſed & hi noſtris ſua tradunt,
Quippe receſſerunt victi. plures perierunt.
Hac palma freti repetunt tentoria læti.
Dantur opes, gaudent inopes, meliúſque futurum
Eſſe putant. credunt non poſſe reſiſtere murum,
Optima creduntur bona quæ mala prima ſequuntur.
HIS ita tranſactis mons extans mœnibus altis,
Deſuper æquatur, & caſtello decoratur.
De quo ſpectaret ſpeculator ſi qua pararet.
Vrbs armata dolis de culmine peruia molis,
Hic conſumpſerunt vim multam, nec potuerunt,
Caſtrum natura munitum vellare plura,
Agmina nam fidi Chriſti ſatis exagitati,
Pellebant contis ciues de culmine montis.
Viribus interea fractis ex vrbe Lycea,
Auxilium quærunt, quod non tamen obtinuerunt.
Normanno Comiti dederant hanc, vrbe potiti
Angli victores, patribúſque ſuis meliores.
Nec gens Anglorum geſſit pugnas aliorum,
Marte ſed æquato fuit illa potita trophæo.
Hoc genus ...... non eſt bis participatum, C
Mentis turma bonæ quæ geſſit in obſidione,
Nam grex Turcorum diuortia nota locorum
Obſeruans noſtro caſtella propinqua tenebat,
E quibus auxilium dare Chriſticolis prohibebat.
Auxilij poſtquam fiducia non fuit vſquam,
Hos inuaſerunt metus & pudor. obriguerunt
Audaces animi, trepidant & in agmine primi.
Pœnitet auctores rerum tot iniſſe labores.
Pœnitet incœpti mox in ſua caſtra recepti,
Dum perſcrutantur quid agant magis attenuantur
Illorum mentes, mala quæque futura timentes.
Quæ poterant fieri, ſed mens eſt inſcia veri.
Mens ſapit humanum. Proceres dant deniq; vanum
Conſilium turbæ, quo quiſque recedat ab vrbe,
Et ſe tutetur, ne turpi morte necetur.
DVM ſunt attonitæ tot gentes, fama repente
Rem docet ingratam, pugnam prope caſtra paratam.
Nam tres prædicti primo certamine victi
Turba collecta, caſtrorum ſoluere recta
Haud diffidebant, & ad hoc taciti veniebant.
Hoc vbi torpentes, quaſi de ſomno redeuntes,

A Auribus hauſerunt, alios alij monuerunt.
Albeſcunt vultus, auditur vbique tumultus,
Et veluti ventus cùm fit ſubitò violentus;
Murmura parua freti, ſed non omninò quieti,
Turbat. at inflatum reſonat mare, reddit hiatum
Res referens ſubitas. ſic aſpera fama iacentes
Attollit mentes. animos agit ipſa furentes.
Protinus è caſtris acies procedit equeſtris,
Quæ quadringentos armata ſimulque trecentos,
Examen diræ gentis non audet adire.
Deinde vigens dextris pede propria caterua pedeſtris,
In numero paruo renitens exponitur aruo,
In qua quingenti pedites ibant numerati.
Nec ſimul incedunt, ſed in agmine quinq; recedunt,
Emenſíſque tribus leugis, aliíſque duabus,
Eminus optatos hoſtes videre paratos
Ad pontem ferri, nequeunt numerando referri
Agmina Turcorum. nec vis capit hæc oculorum.
Hoſtes abſque mora ſub eadem ſcilicet hora
Noſtros viderunt, & in ipſos ſe rapuerunt.
Spicula mittuntur, clamores tela ſequuntur.
Inſtant pagani, ictu fruſtrantur inani.
B Turcus equo gaudens, nec prœlia comminus audens
Expectare, tonat verbis, noſtróſque coronat.
Noſtri vallati ſtant in medio glomerati,
Et Turcis obſtant. clypei galeæque reſultant
Ictibus immenſis. enſémque reuerberat enſis.
Iámque fatigati Turci, latéque necati,
Non ſpe vincendi contendunt, ſed fugiendi.
Mox verſis ſcutis patitur fuga cauſa ſalutis.
Turcus equum frenis indulgens vrget habenis.
Præceps ille fugit, tellus pede concita mugit,
In campo lentus iacet arcus puluerulentus.
Iſte iacit pictas pharetras, capit ille relictas.
Alter currendo ſe liberat orbe rotundo.
Singula quid dicam? gentem ſuperant inimicam.
Vix euaſerunt aliqui, plures perierunt.
Qui dum luctantur ſuperare vadum ſuperantur.
In bello ſtrati pauci ſunt enſe necati.
Hanc ſtragem quidam gentiles proſpiciebant,
Caſtellum quoddam qui non procul indè tenebant.
Illicò fugerunt .. .. deſeruerunt,
Huic Proceres noſtri cuſtodes impoſuerunt,
Qui cuſtodirent pontem. poſt hæc redierunt
Auxilio fulti .... fortiter vlti.
Hos exceperunt ſocij, lætíque fuerunt.
C Conflictu duplici quo conciderant inimici.
Nam dum prædicti pugnant, ad caſtra relicti
Inſignem .... de ciuibus obtinuerunt,
Et multi victore Dei pauco, timuerunt.
Non tamen audaci populo fiducia ceſſit,
Nec ſociis aduerſa ſuis fortuna repreſſit.
Ergo repente cauis de turribus egredientes
Turci, turbabant victus ad caſtra ferentes.
Néve dolo tali paterentur ſæpe ruinam,
Inuenere Duces noſtri ſuper hoc medicinam.
Atque ſuper montem, iuxta fluuium, propè pontem
Caſtellum fieri ſtatuunt, pontémque tueri.
Sed res difficilis ne perficeretur ab illis,
Bello quaſſatis & viribus attenuatis:
Mox Boamvndvs equo celer inſilit, & quaſi præco
Conuocat è caſtris aliquos vergentibus aſtris.
Ægidij ſancti Comes aſſociatur eunti.
Hoſtibus ergo bonis filij ſancti Symeonis
Ad portam properant vt ab his ſuffragia quærant,
Qui ſua vendebant illic, noſtriſque fauebant.
Hi ſunt Genuenſes, Angli, Venetúmque colentes,
Piſani cuncti nauali marte periti.

Dúmque duces aberant, reliqui torpeſcere ſpectant,
Si non impeterent ciues, vrbique nocerent.
Protinus afflatis animis ....
Vrbanum temerè pontem ....
Sic inconſultæ genti facto grege ſtultè,
Prouocat hoſtiles .... prope mœnia miles.
Funduntur portis ſubitò clamoribus ortis
Nudati pedites, quorum via ſpicula vitas,
Proſiliúntque citi iuuenes vitiis redimiti,
Et procul exertis iaculantur vtrimq; lacertis.
Ille ſudes iacit, hic lapides, hic tela, ſed ille
Dum trahitur gemit. hic petitur per ſpicula mille.
Lumina noſtrorum nubes hebetant iaculorum,
Atque coartati crudeli cedere marti,
Qui tot vicerunt fortes, poſt hoc didicerunt.
Laxatis loris fugiunt, multúmque cruoris
Exhauſtas venas dum reſpicit, inter habenas
Labitur, & plenam defunctis mordet harenam.
Nullus equi frontem vertit, donec fuga pontem
Repperit vt dixi, quem dudum nauibus ipſi
Struxeruot. ſed ibi reſtant animi melioris
Agmina, quæ needum fuerant oblita decoris.
Et ſe defendunt clypeis, hoſtémque retardant.
Plures dum trepidi pontem conſcendere tardant,
Turpiter oppreſſi moriuntur flumine merſi.
Turci lætantur. flent noſtri, caſtra petuntur.
Nec ſic laſſatur ferus hoſtis, at inſidiatur,
Dum ſuccedit et malè callidus hinc aciai,
Quæ ducis hortatu veniebat cum comitatu
Forti, multiplici, ſed & hunc ſuperant inimici.
Atque necant pedites tria millia turma quiſtum,
Euaſit latitans per colles prœlia vitans.
Nec mora gaudentes de turribus illa videntes,
Perſæ ridebant noſtros qui caſtra tenebant.
Rémque docent ſignis, ſtrepitu, clamoribus, hymnis.
Ergo vir intrepidus Flandrienſis, Dux Godefridvs,
Rotbertus, Stephanus, Tancterius, Hugo, Statinus,
Qui dum viuebat naſo non ſede carebat.
Et reliqui fortes armantur, & ecce cohortes
Procedunt, plorant quia fruſtra ſæpe laborant.
Optat quiſque mori, niſi bellum cedat honori.
Mors ingrata grauis, foret illis grata ſuauis,
Integrat illorum mentes ſolatus eorum,
Et rogat intenſis precibus Præſul Podienſis
Ne deſperarent, quia credentes ſuperarent.
Ceruicéſque gregis ſummi ſignat cruce Regis,
Pluribus hortatu mortémque ſubire parati,
Aut ſuperare boni Proceres fideíque patroni.
Illuc accelerant vbi ſe concurrere ſperant
Hoſtibus & tacitè graditur prior, & ſine lite.
Corripit ignarum Hugo ductor Francigenarum,
Amouítque parum curſores Chriſticolarum.
Stantia ſigna ducum, vexilla vident quaſi lucum.
Nec mora per ſcalas Godefridus ſegregat alas,
En modo deuictus Dux & de ſtrage relictus,
Emerſit ſubito de montibus ....
Milite ſigna gerens demiſſa, fugam ſibi quærens;
Viſa recognouit vexilla metúmque ....
Præcipit & ſtare ſua ſigna, tubíſque ſonare.
Alterutrum gaudent ſociorum ſcuta videre,
Alterutrúmque viris reſides animi redire.
Exacvit Perſas victor ....
Erigitur ſoſpes. Dominum gerit impatienter.
Arcus lunantur, clypei galeæque parantur.
Iam reſonant cornua. iam Turci tela proterui
Intorquent. iam cornipedes ſaliunt quaſi cerui.
Iam tubicen teter lituus ſonat obſtrepit æther.

Iam caua ſaxa dſtas voces redduot geminatas.
Vndique bellatur, belli fortuna vagatur.
Nam modo terga dabant Perſæ, modo noſtra fugabāt
Agmina. per bellum verſat fortuna flagellum.
Diuerſum iacitur nec eiſdem miſſile votis.
Deſtinat hic iaculum præſentibus, ille remotis
Cedere ctinitus iuuenis noo pellere doctus,
Funditur in plsno, iactu terit aëra vano.
Néue petat palmam gens cunſpicienda cspillis
Libertate fugæ, libertas clauditur illis.
Ergo Dei Proceres vmbonibus vndiqoe iunctis,
Succinaere viros vt ſilua cacumins montis,
Vndique ſtant turbæ, Godefridus pugnat ab vrbe.
Imminet à tergo Buimundus comminus ergo
Pugna fit immuis tanto minus apta ſagittis.
Flectit equum Parthus, nuſquā veiat hoc locus artus,
Tinguit Perſarum cruor enſes Francigenatum.
Enſis in eapertis ſtudio .... inerti,
Turci per .... reddere ripam,
Vt pateant .... tangere litus.
Se ſatis exercent .... nata coërcent,
Agmina .... cedere victus.
Stat ſtupidus .... via nulla ſaluti.
Non iaculis licet aot ſolitis anfractibus vti.
Audaa & pauidus ...... ſimul hie prohibetur,
In pugna pugnate ..... huic fuga fida negarur,
Immoditæ turbæ modico capiuntur ab oibe,
Turcus in .... ſæpius erigit ictom,
Confoſſis coſtis ſocij. partem iuuat hoſtis.
Pectora pectoribus, & membtis membra teruotur.
Soli bella gerunt noſtri, Turci patiuntur.
Parthus, Arabs, Indos ſuccumbunt vltro mucroni,
Nec noſtri tantùm poſſunt proſternere, quantum
Agmina denſa mori, claudit madefacta cruori
Terra viam, rimas quia iam compleuerat imas,
Sanguis cognatus, nec habet quos pandat hiatus
Puluis vbi ceſſit, quem ſanguinis vnda tepreſſit,
Vincendi certum ſignum campom per apertum
Conſpiciunt noſtri factos de ſanguine riuos,
Et ſuſtentantes erecta cadauera viuos.
Et quoniam tantom licuit pro ſtrage nocentum,
Se ſtolidæ gentes reputabant eſſe nocentes.

Milia vt Eoo viderat arua cruore natare
Ceſſit, & eahauſtas vires timuit renouare.
Rupit vt illa chorum nubeſ glomerata vitorum,
Conuerſis frænis in ſe ruit, vrget habenis
Laſſos cornipedes, caruit ...... noua cædes,
Hic fratrem terit, ille partem, ciuilia bella
Eaercent, Dominúmque premit ſuper obruta ſella.
Et velut in ſtagnis cùm ſæpe recluditur amnis,
Vndæ detentæ diſrupto ...... repente
Proſiliunt, primæ fugiunt aliæque ſequuntur.
Impediunt alias aliæ .... videntur,
Haud ſecus ad plsnum properat vulgus malè ſanum,
Et fugit ad pontem calcans dua poblicus hoſtem.
Occupat ingteſſum pontis, prohibétque regreſſum
Enſe cruentato, populo grauiter ſuperato,
Ira, locus, gladius pugnant, vim qoæque Duci dant,
Hæc animos firmat, hic impetit, illa trucidat.

Dvx ſpes noſtrorom, Turcis confuſio luctus,
Troncat equos, equites recipit ....
Quod noo de Tydeo legitur, non de Capanea,
Quod non Acacides, non Hector, non Diomedes,
Dux potuit, neque nos latuit res digna relato.
Mole ſoa Turcus Proceres multóque paratu,
Dirus Arabs gladium voluens radiante toratu,
Præcipiti portarus equo celerique volatu.
Cooſtitit ante Ducem, putat hanc extinguere lucem,

A

Et ſuper iouictum caput altiùs erigit ictum.
Præcauet iratus Dux ſolo clypeo replicatus.
Móxque coruſcaotem gladio ſecat & ferit hoſtem,
Os caput illidit ....
Spargit & aruin ſm ...... cum pectore ſpinam,
Sic homo truncatus cadit in duo dimidiatus,
Atqoe ſuper ſcutum ....
Pars cecidit, pars ſtæret equo trahitúrque ſupina,
Eſtque .... non iuſta rapina.
Ictu ſic vno fit magna nec vna ruina.

Dicere .... ſi vellem ſoneta victæ
Gentis, quas mortes ſunt paſſæ mille cohortes.
Aut quid Normānus Comes egerit, aut Hvgo Magn'.
Flandrenſiſue manus, eſſem me iudice vanus.
Non Maro, non Mater, quid ibi Tancretius acer
Fecerit exprimerent, & verbis facta carerent.
Hic decus Eoum cecidit, nullúmque trophæum
Hoc magis affliat ciues Sic dextra reuixit
Mortua noſtrorum ſatiata cruore virorom.
Hic Ammirati primates ſunt iugulati:
Hic vrbis magnæ fractæ cecidere columnæ.
Hic quoqoe conſilio Rex deſignatus insni,
Filius occubuit Magni Regis Casiani. **B**
Corporibus plenum flumeo ſtetit Antiochenum,
Vndáque pallo ....
In pontis ſtrata ſuot millia quinque necata,
Fitque pauimentom de corporibus morientum.
Iámque fatigari multis ſpoliis onerati,
Nocte duces læti redeunt, dant membra quieti.
Sed vigilant ſenſus, hoſtéſque fugare videotur
Quique ſuos, capulóque manus abſente mouentur,
Poſt vbi clara dies nituit, noſtri nituere
Veſtibus. æra ſuis victores diſtribuere.
Tunc capti numerantur equi ſeptémque fuere
Millia, tuoc equites totidem Proceres ſtatuere,
His ita tranſactis caſtellom turribus altis,
Et ſolido fundo ſtabilitum dant Raimundo.

Dvm bene ſuccedit, dum ſæuior alea fati
Mergit gentiles, ſuot extra caſtra vocati
A ducibus magis audaces meliúſque parati.
Quilibet hoſtili gaudens occurrere iámque
Ducitur ad prædam, ſed non hortamine magno.
Qui feſtinantes fluuiúmque ſub vrbe vadantes,
Mulas & mulos capiunt, multóſque camelos.
Et ſubitò rapiunt animalia millia quinque
Cum totidem, licèt vrbani iaculentur vtrimque. **C**
Hie qooque quo iuuenes prædam ....
Qoodd sm caſtellum vallúmque ....
Illud Tancreto committitur ....
Nam præmonſtrabat ....
Vrbis coſtodem ....
Iam timet obſeſſus ciuis ....
Eſt inſultantis populi ....
Pluribus afflictus ....
Acrius angebat, quia ....

Posthæc inter ſe ſtatuerunt talia Perſæ,
Vt pax ad tempus cum Chriſticolis habeator,
Qoalitet interea ſe reddant diſcutiator.
Sic igitur cotam paa confirmatur ad horam,
Portæ cælatæ ſunt interea reſeratæ,
Moros hoſtiles poſita formidine miles
Circuit, & tuto Parthi tandémque ſoluto
Aten ridebant noſtris & caſtra petebant.

At Gvalo vir fortis dum lumina paſcit in hortis,
Perfidiæ gentis nimis immemor hæc ſimulantis,
Dum delectatur, male fida fides violatur.
Occubuit nempe loca dum videt æmula Tempe,
Iura fidéſque data ſunt morte viri temerata,

A Quem ſimul eluſit, ſe ciuis in vrbe retruſit.
AVDIIT vt funera HVMBEROA decens & HVGONIS
Filia, nupta priùs Comitis, tunc nupta Gualonis,
Palluit, atque genas ſecat vnguibus illa proteruis,
Et ſuſtentatur matrum ſtipata cateruis.
Dextra comas lacerat, ſed quæ lacerat laceratur,
Subtiliſque manus ſubtili crine ſecatur,
Exanimémque diu vix preſſa dolore relinquit.
Et tandem voci via vix laxatur, & inquit.
TANTANE ſuſtinuit Deus infortunia genti,
Occurriſſe ſuæ plus inimica mihi?
Occubuitne decus Francorum, maximus hoſtis,
Hoſtibus ille meus, ſpéſque ſalúſque ſuis?
Eheu quis mihi det miſera decedere vita,
Languet & occubuit vir Gualo vita mea.
Me miſeram non obſequium miſerabile feci,
Vir tibi cùm caderes eùm pariter cecidi.
Hei mihi! non foui, non clauſi, non ego laui
Os, oculos, vulnus, veſte, manu, lacrymis.
Tu mihi, tu certè memini iurare ſolebas,
Te vitaturum cautiùs inſidias.
B Sed quam non poterat gens perfida demere bello,
Eſt ſublata tibi vita beata dolo.
Fugite me quibus eſt pietas, opponite telis
Parthorum miſeram, mors mihi pœna leuis.
Mors mihi pœna leuis, ſi iungar morte Gualoni,
Si non ſim Turco præda futura truci.
Hos leuat Eurardus frater ſolamine luctus,
Et reprimit blanda voce graues gemitus.
SIC apud hoſtilem variis euentibus vrbem
Ducebant longam noſtrates obſidionem.
Inter Chriſticolas & Chriſti nominis hoſtes,
Pugna trahebatur prope denos aſpera menſes.
Inſtabant iſti fiſi virtute ſuperna,
Obſtabant illi nitentes fraude pare .....
Sperabant ſiquidem noſtros vel deficientes
Deſerere in medio fruſtratos ſæpe labores,
Vel ſibi Myriadas Perſarum gentis adeſſe,
More lncuſtarúmque obſtantia cuncta vorare.
Tali comperto rumore beata caterua
In conſpectu vrbis producit pignora ſacra.
Illic obſidio ſeptem iteratur in annos,
Rurſus & in totidem, niſi virtus cælicà mitior
Panderet ante ſibi, quæ ſpem reſecauit inanem
Ciuibus, immodicúmque incuſſit cauſa timorem ...
C

EXPLICIT LIBER V.

INCIPIT LIBER VI.

TALIA apud Syriam varia dum ſorte geruntur,
Nùncque hinc nunc illinc mala vel bona diſtribuuntur,
Venit ad Heroas ſupplex Legatio noſtros,
Conſilij poſcens ſimul auxiliique miniſtros.
Præcipuéque Ducis compellat nobile nomen
Vulgatum fama terram volitante per omnem.
Vnde tamen vel cur Legatio venerit iſta,
Reſtat vt expediat narratio ſuppeditata.
TERRA inter geminos ditiſſima clauditur amnes,
Tygrin & Euphratem, populos famoſa per omnes.
In Græco retinens ... Meſopotamia nomen,
Ex habit...... conſeruat nominis omen.
A fluuio ad...... tantum diſtare videtur,
Quantum ... pedibus ſeptena luce meatur.
Hæc inter plures gremio quas continet vrbes,
Vrbs antiqua, potens, ſpecioſa, & diuite vena,
Eminet antiquæ Babyloni nempe coæua.
Nam quo Chaldæani pharetrata Semiramis arcem
Tempore conſtruunt ſimul hæc quoq; condita fulſit
Nomine corrupto quæ nunc RAHASIA dicta,
Temporis antiqui poſſedit nomen Edyſſa.
Hæc ſecus Aſſyrias iacet ad ſex millia Charras,
Romanis ducibus Craſſorum morte peroſas,
In quibus annoſus degebat Abram Patriarcha,
Cùm de Chaldaica diuino numine flamma,
Erutus euaſit fuerat qua frater aduſtus,
Vnde & voce Dei mox eſt excedere iuſſus.
Sed iam præmiſſæ textus repetatur Edyſſæ.
In qua regna tenens fuit Abgarus ille beatus,
Ex Domini Chriſti reſcripto magnificatus.
Ac morbi veteris cruciatibus exoneratus,
Hæc ibi temporibus permanſit epiſtola multis,
Atque ea ab aduerſis tutauit mœnia cunctis.
Nam ſi barbaricus furor illuc perueniebat,
Baptizatus eam puer alta ex arce legebat,
Móxque vel in pacem gens ex feritate redibat,
Aut terrore fugam diuino tacta petebat.
Hic quoque Thaddæus in Septuaginta probatus,
Et fidei normam contradidit & requieuit.
Hic etiam Thomæ qui Chriſti vulnera ſenſit,
Et dubitans nobis dubitandi crimen ademit.
Corpus ab Indorum regionibus eſſe relatum
Creditur, & magnis hic honoribus accumulatum.
Hæc ſemel in Chriſti poſtquam .... amorem,
Numquam ſuſtinuit frigeſcere religionem,
Sed neque ſchiſmaticis patiens concedere ad horam,
Catholici tenuit moderamina integritatem,
Vnde & gentilis mala plurima conditionis,
Et tulit hæreticæ ſeuitates impietatis.
Maxima ſed fuit hæc odiorum primáque cauſa,
Quæ ſuper hanc grauius commouit finitima arma,
Quod Syriæ veniens Chriſti chorus ad regionem
Antiochi quæreret variis conflictibus vrbem.
Et nec eos magno valuiſſent vincere bello,
Sed nec ab obſeſſo ſaltem depellere muro.
Indè graues iræ contra genus omne piorum,
Et deſiderium delendi nomen eorum.
Propterea celſam circa concurſus Edyſſam
Vaſtabat totam regionis fertilitatem.
Illuc vicini cuncta de parte gregati,
Illuc longinqui fama ſtimulante vocati.
Oppida, tuta, caſas, caſtelláque concutiebant,
Matres, prata, viros, animalia diripiebant.
Nonnunquam portis quoque pugnabatur in iſtis,
Mutua ...... feruebant vulnera telis.
Ciuibus ...... feſſis non futile viſum,
Auxilium contra perquirit Chriſticolarum.
Hac ...... cauſa Legatio iam memorata,
Miſſa ſuperueniens penetrauit Gallica caſtra.
Monſtrant & ſocios in Chriſti religione,
Et conſeruata ſemper fidei integritate,
.... grauia hæc ſibi proueniebant,
Auxilium per eos ſibi dandum iure ferebant.
Præcipuéque Ducis perſonam ſollicitabant,
Namque .... plus formidabile norant.
TALIA mouerunt Procerum miſerantia corda,
Quid ſit opus facto tractant indagine multa.
Credunt proficuum ſibi deinceps eſſe futurum,
Si per ſe columen præſtetur rebus eorum.
Hinc ſibi iuncturos ſocialia fœdera multos,
Magnam verò ſibi ſuper hoc accreſcere laudem,
Spargendúmque ſuum longè latéque timorem,
Si cùm præſentem retinerent obſidionem,

Largirentur opem longinquis auxiliarem.
His aliiſque modis dicta ratione probata,
Ardor ineſt cunctis citiùs gnauare precata.
Sed quia præſentis domitandi fulmina gentis
Maior cura ducem ſocialibus abſtrahit armis.
Quod pignus pro ſe dare carius eſſe probauit,
Fratrem quippe ſuum poſcentibus aſſociauit.
Cum quo militiæ partem quam mittere dignum
Credidit, emiſit populatis ſuppetiatum.
Iſte minor natu fuit eius denique frater,
Qui poſt ſe rexit Solymorum ſceptra decenter.
Tunc proficiſcentes longarum ſtrata viarum,
Nempe decem ſpatiis inter diuiſa dierum,
Tandem peruenitint memoratam ſæpiùs vrbem.
Conficiunt ſtragem de vaſtatoribus acrem.
Arſacidæ victi, neque comminus arma ferentes,
Diffugiunt arcus vt inutile raicientes.
Dum non expertam nequeunt protendere . . .
In pedibúſque citis totam poſuere ſalutem.
Nec niſi qui latuit Francorum vulnera fugit.
Nec qui deſiluit ſella poſt hanc repetiuit.
Nec veniens vulnus cutis exteriora . . . . .
Sed cæſim punctimque animæ . . . .
Nec fuit his mirum Gallorum tela pauere,
Et colliſa nimis poſt pectora terga fouere.
Dum quorum fuerant virtutibus omnia prona,
Soláque habebatur gentilis gloria pugna.
Cum Gallis ſueti pro ſola bella ſalute,
Ducere, ſæpe fugam ſibi pro victoria habere.
Quos à ſe Craſſi meminiſſent funere victos,
Sublatíſque etiam ſignis ſua ſub iuga miſſos:
Cum Romanorum per plurima nomina gentis,
Obruit Euphrates, & multa cadauera Tygris
Detulit in terras ac reddidit. Ergo repulſis
Hoſtibus, & cæcis condentibus ora cauernis,
Omni pacata regione & conſtabilita,
Nulla ſe lætis ſpecie miſcente maligna:
Vrbis regnator fratrem ductoris adoptat,
Vtque pater natum penitus ſibi nectere certat.
Delegat terram, regionem ſubiugat omnem,
In ſua pacta manus facit ipſam iungere plebem.
Læta coronatur facies & concinit vrbis.
Diuerſis modulis iubilatio conſonat aſtris.
Condit caſſam fertur concurſus ad aulam,
Vnanimes noſtram certant addiſcere legem,
Funditur in cunctos pax & concordia ciues.
Iur . . . . componunt vndique lites,
Militiam exercet ſub certo iudice tyro.
Hinc eques hincque pedes recto mouet agmina gyro
Pellitur atra fames, opulentia regnat in omnes,
Non aliquos patitur bonitas communis egentes.
Ductoris noſtri nimio plebs ardet amore,
Nec ſatis expleri viſu valet alloquióque,
Felices ſeſe reputant fore iudice tali.
In quo non niſi pax poterat bonitáſque videri,
In quo militiæ decor & virtutis honeſtæ,
Omnibus exemplo poterat communiter eſſe.
Nam veluti Paulus ſic omnibus omnia factus,
Sic erat in cunctos moderanter morigeratus,
Fortibus vt fortis, infirmis penè ſodalis,
Gauderet lætis, & compateretur amaris.
Largus erat largis, quaſi parcus denique parcis.
Mitibus & mitis, feritate tumentibus aſper,
Sic ſe conformans cunctis moderamine miro,
Vt velut in ſpeculo ſe quiſque videret in illo.
Hoc inſpectanti diuini plaſmatis hoſti,
Inuidiæ patri non eſſe valebat amori.
Vnde ſibi ingenitum liuoris fomita muto,
Collectóque ſuæ impietatis in arma veneno. A
Regnatorem vrbis priùs hoc ſe lætificantem,
Mouit in inuidiam mentis nimiúmque dolorem:
Creſcere quicquid huic cernit de plebis amore,
Diminui ſibimet ſperat dictante timore.
Vnde in dogma cadens peruerſum heradis iniqui,
Et metuens ab eo de regni culmine pelli:
Hunc quem ſummiſſis precibus ſibi muneribúſque
Ad ſuccurrendum rogitauerat ante venire.
Quique ſibi patriam penitus tutore carentem,
Penè & ab hoſte malo ferro flammáque ruentem,
Cædibus & prædis omni de parte gementem,
Reddiderat ſummo conamine nil metuentem.
Quærit quo genere ſpeciéque modóque vel arte
Poſſit ad interitus caſum foueámque rotare.
Si faciat, ſceptri fructum putat eſſe retenti:
Si non, deſperat vitæ momenta luctari.
Et tam peruerſæ mentis fuit inuidiæque,
Vt cùm Chriſticolam ſe dici vellet & eſſe,
Duxerit indignum ſe Chriſticolas adiuiſſe:
Et triſtaretur par eos ſua tuta fuiſſe,
Optans idolatris potiùs ſine honore ſubeſſe,
Quàm Chriſti famulis fœdus ſociale dediſſe. B
Sed quia plebis amor nimio feruore fauebat
Illi, cui malus hic placitum lethale parabat.
Demonſtrare palam timuit quod mente gerebat.
Ergo Legatos ſimiles ſibi nactus iniquos,
Hoſtes vicinos à Chriſti milite pulſus,
Inuitat proprius veniant vt rurſus in agros.
Pœniteat quod ſe ſocios cepiſſe alienos.
Hos ſe miſſurum bellandi nomine ad illos;
Iuſſurúmque ſuis vt primo limine belli
Deſtituant illos fugiendo in terga regreſſi.
Hos permanſuros fugiendi obſtante pudore,
Sic omnes poſſe ſimul vna morte perire.
Exultant Parthi capientes quod cupiebant.
Et celeres adſunt vt vota maligna capeſcant.
Ille acuit noſtros penitus nil tale cauentes,
Donat eis comites ſibi proditione ſodales.
Non tamen aſſociat ſaltem de ciuibus vnum,
Ne pateat cœptum pacto quocumque nefandum.
Extra quæſiti ſubeunt ea caſtra manipli,
Indigenis ducibus concedere ad omnia iuſſi.
Procedunt alacres conſueta ad ludicra noſtri,
Occurrunt contra ſtructis legionibus illi.
Primo congreſſu penetrant media agmina Galli,
Cædunt, proſternunt, via fit calcaribus & vi. C
Sed poſtquam infeſtis tenebrarunt obuia telis,
Inque eadem verſis referuntur prœlia frænis:
Ecce vident ſocios manifeſta proditione
Diffugere, & retro dare nemine terga fugante.
Tunc intellecta per ſigna patentia fraude,
Mutuo adhortati, in manibúſque animas poſuere,
Amplexi clypeos, ſtringunt animoſius enſes,
Dant validos ictus in comminus atque ſedentes.
Norunt in manibus vitam conſiſtere & armis,
In pedibus verò ſtipendia mortis inermis.
Malunt nobiliter pugnando occumbere plagis,
Quàm Paganorum trucibus dare colla catenis.
Non parcunt dextris, non parcunt denique telis,
Nullus hic eſt iaculis leuibus locus atque ſagittis.
Aſpiciunt Parthi circum iaculando vagantes,
Pro tutela animæ noſtros iam ritè gerentes.
Perpendunt quod erat, quia laus ſibi nulla canatur,
Si morientibus his ipſi quoque commoriantur.
Vincere quod nequeunt, dimittunt aufugientes,
Dimittúntque viros damnata luce feroces.
Deſperata ſalus ſic eſt pugnando reducta,

A Vt ſpes nequitiæ in nihilum ſtercúſque redacta.
EGREGIVS ductor fortes affatur amicos,
De fouea mortis propria virtute reuerſos.
Nun benè barbaricis vnquam permixta cateruis
Agmina quæ fidei ſunt enutrita trophæis,
Eſſe ſibi tutum Comitatum linquere gentis,
Quæ ſpecie blanda propinet pocula mortis.
Monſtrari tamen hæc collectis fœdera turmis
Vt noſci valeat, placeant ſi talia cunctis.
Cum dicto factum' celeratur. contio tota
Cogitur, & fit eis mox hæc querimonia nota.
Ob quæ ſint miſſi ſe compleuiſſe perorauit,
Tempus adeſſe ſibi vt caſtra Antiochena reuiſant.
Poſthac auxilia ſi poſcant nec mereantur,
Hoc ſibi pro meritis fieri non diffiteantur.
Própter opem nece tractata ſe penè periſſe.
His quod adhuc viuant ſe nullam gratiam habere,
Per Chriſtum & dextras reſtare ſuperſtite vita.
Ergo recedere ſe melioráque quærere pacta.
HIS dictis onerant quæ deportanda fuerunt.
Quæque graui bello per ſe ſua facta fuerunt.
Diſpoſiti in turmas dant agmina bellica retro,
Et malè mercato celerant abſcedere regno.
B Protinus in tota fit lamentatio plebe,
Vt potè quæ fuerat non huius conſcia culpæ.
Se miſeros clamant, inopes, rationis egenos,
Et vice crudeli ſine defenſore relictos.
Poſtquam dicta ſatis quæ dici digna fuerunt,
Quæ dolor atque timor comites dicenda dederunt:
Protinus in belli rationem quæſtio ſurgit,
Quæ ſibi cauſa fugæ feruens querimonia poſcit:
Ac primo tacitis gladium mortémque minantur,
Ni reſponſa ſibi veracia mox referantur.
Nemo ſponte luit peccata aliena ſilenter.
Regem ſic noſtri memorant iuſſiſſe potenter.
Tunc quæcumque mali illius commenta fuerunt,
Et qua de cauſa concordiret edocuerunt.
Nec mora fit celſam populi concurſus ad aulam,
Et cum Rege agitant rationem iudicialem.
Non benè purganti frandis criménque retectum,
Mox eſt purpurea caput à ceruice reſectum.
Tunc oratores mox ad tentoria mittunt,
Vt ſibi conſultum redeant lacrymando repoſcunt.
Quamuis inuitus ductor multa prece victus,
Conſilij cauſa eſt ad mœnia celſa reductus.
Vtque fuit primum portis muriſque receptus,
C Omniseum propere circumſtat turma ſenatus.
Omnes ſe purgant à crimine proditionis,
Omnes deplorant mala prauæ ſuſpicionis,
Quæ ſibi ductoris animum per cuncta benignum
Abſtulerat, cùm nil foret à ſe perpere geſtum.
Omnes poſcere ſe precibus lacrymiſque profuſis,
Ne ſe dedecoret poſt hæc infamia turpis,
Ne ſe deſtituat tutela ſuæ pietatis,
Neu ſe mortiferis velit obiectare periclis.
Eius primatum ſuper omnia vellet amare,
Non indignetur ſecum regnando manere.
Ille negat ſeſe ſuper illum præfore poſſe,
Quo ſe contigerat vrbem inuitante petiſſe.
Quod ſe purgarent ſatis illis gratiam habere,
Illius potiùs conſortia nolle tenere.
Illi continuò monſtrant quæ geſta fuiſſent,
Quæ pro perfidiæ ſibi crimine dona tuliſſent.
Oſtendunt caput, hócque ſui dant pignus amoris,
Quod fidei læſæ tulerat vindicta fidelis.
Hinc votis vota iungunt, precibúſque precata,
Vimque parant, niſi flectatur ſententia fixa.
Obſtupuit ductor tanto ſe fœdere quæri
In Dominum populi pro ſe hac feritate ſeueri.
Quid ſit opus facto ſociorum conſulit agmen,
Collaudant omnes oblatum ſcandere culmen.
Ingreditur celſam cunctis lætantibus arcem,
Iuris iurandi capit vndique conditionem.
In ſua ſic totam componit fœdera gentem,
Defenſámque regit propriis virtutibus vrbem.
HIS ita compoſitis, & fama notificante
Noſtros obſidio dum detinet vrbis amœnæ.
Altera ad Heroas Legatio de Babylonia
Arcibus aduenit non expers proditionis.
Hæc autem Babylon quæ nunc habitabilis exſtat,
Longè à Chaldaicæ Babylonis climate diſtat.
Illa etenim verſus Aquilonem ducitur, iſta
Euronotum ſpectans tangit Memphitica regna.
Alluit Euphrates illam torrentibus vndis,
Fertilis hanc Nilus nigris fœcundat arenis.
Illam poſt Nemroth fundamina præiacientem,
Inque polos turrim ſuſtollere percupientem,
Struxit Semiramis quadro latere æqua tenentem,
Pérque latus quodque ſeadenáq; millia habentem,
Millia circuitus ſic ſexagena ferentem,
Atque quaterna ſimul tota ambitione replentem.
Vndique coctilibus forma hæc circumdata muris,
Atque gygantæis pedibus fuit alta ducentis.
Et cum vicenis pariter ſpiſſata tricenis,
Præterea portis tantum ſtridebat ahenis,
In medio turrim gremio complexa ſuperbam,
Quam ſcriptura refert gentem ſtruxiſſe proteruam,
Cùm poſt diluuium veniens Orientis ab axe,
Repperit hunc campum medio telluris apertæ.
Cuius planitie mox delectata capaci,
Hanc ſtatuit turrim facere vſque ad culmina cœli.
Cúmque euaſiſſet iam millia ad vſque quaterna,
Atque foret totidem ſpatioſius vndique lata.
Hanc ita ſtultitiam pietas diuina recidit,
Vniloquam linguam per multas extenuauit.
Sic intermiſſa eſt operum præſumptio caſſa,
Non intellecta alterutrum currente loquela.
Taliter exſtructa viguit per tempora multa,
Regibus ac populis compluribus imperioſa.
Multa mala exercens, crudelia cuncta frequentans,
Reges excœcans, Proceres populóſque catenans.
Templa Dei violans, ſacra vaſa per idola fœdans,
Ignibus atque feris Sanctorum corpora dedens.
Donec ſub Cyro Medos Perſáſque regente,
Summo regna Deo ſibi plurima ſubiciente,
Capta & deſtructa quod fecerat eſt quoque paſſa.
Prædans prædata, captiuans exiliata.
Atque Prophetarum iuxta prædicta ſacrorum,
Monſtrorum facta eſt habitatio moltimodórum.
At poſtquam Cyrus Scythico fuit enſe necatus,
Filius ipſius Cambyſes patrem imitatus,
Quæ nunc incolitur Babylonem condidit, atque
Iudæos, Arabes ſibi ſubdidit, Æthiopáſque.
Sic ex nunc & tunc Babylon Ægyptia regnat,
Et circum circa famulantia regna coartat.
Huius regnator noſtris apud Antiochenam,
Inſignes miſit Legatos perfidus vrbem.
Horum primus erat qui tunc fuit alter ab illo,
Vir bonus & prudens non ingenióque maligno.
Neſcius ergo doli, neque conſcius inſidiarum,
Simpliciter dixit ſibi quod fuit imperitatum.
Ragem namque ſuum noſtrorum geſta legentem,
Expoſuit noſtris multum mandare ſalutem.
Vrbem Hieruſalem ſibi nunc ditione ſubactam,
Huius cauſa iſtos tantum ſumpſiſſe laborem.
Velle aliquos ſibi noſtrorum properanter adeſſe

Viſu, colloquio, victu ſibi participare:
Si ſibi vel ratio vel honeſtas relligionis
Suadeat vt faueat ſua conuerſatio noſtris.
Iam fieri poſſe vt gentilia monſtra refutet,
Vt poſito Chriſtum diademate primus adoret.
Tunc ſibi Hieruſalem fieri per cuncta patentem,
Tunc ſacrũ tumulũ, cunctum quoq; cedere honorem.
Tunc palmeta ſuis inſontes ſuggerere haſtas,
Inque Dei laudes habiles concedere ſpicas.
Exultant noſtri nihil hic hoſtile cauentes,
Sed nomen Domini hinc celebrari ſuſpicientes.
Ille etiam Princeps aliorum mente benigna,
Conſtat & hortatur, ſpondens fore proſpera cuncta.
Hos etenim incolumes deducere ſe fore certum,
Rurſus honorificè reduces dare pectore fixum.
Ergo inter primos bellorum laude potentes,
Intérque eximios inſignia clara ferentes,
Ductores vocitant, complures digniter ornant,
Cunctis militiæ ſimul vtilibus armant,
Et cum Legatis Legatos pergere mandant.
Dicere vel facere quæ ſint ſe digna perorant.
Quid multis opus eſt? ſociali fœdere iuncti,
Noſtri & non noſtri ſubeunt naualia cuncti.
Pérque maris magni diuortia plurima vecti,
Tandem ſunt propius Babylonica mœnia ducti.
Princeps officij quoſdam præmittere curat,
Atque ſuo Regi quæ geſſerat ordine narrat.
Ille dolos verſans præceptum tale remandat,
Ne lucente die Francos in mœnia ducat.
Néve ſitus vrbis cernens manus extera noſcat,
Sícque animos in ſe gens bellis aſpera tollat.
Ille dolum metuens paret, ſed pectore triſti,
Inducitque viros in mœnia nocte ſilenti.
Nec malus hos Princeps patiens aſſiſtere coram,
Omnes in quandam deduci præcipit aulam.
Illuc incluſos, & nuſquam progredientes,
Tempore non modico tenuit ſuſpitia dantes.
Iuſſit abundantem tamen illis adfore victum,
Sic celare volens infandi pectoris æſtum.
Tandem conductor queſtu pulſatus ab illis,
Et grauiter motus pro crimine ſuſpicionis,
Regnatorem adiit, quærit quæ cauſa ſit iſta,
Quod ſe Legatum Francorum accedere caſtra
Iuſſerit, atque viros illinc deducere claros,
Quos à conſpectu proprio velit eſſe remotos.
Si quid fortè mali contradere cogitet illis,
Non ſe poſſe pati conſortia proditionis:
Sed conaturum toto diſcrimine vitæ,
Vt ſua procedat penitus Legatio ritè,
Aut det magnificos coram ſe ſtare Quirites,
Et patria dignos illis concedat honores,
Aut ſe de proprio donatos ac renitentes,
Efficere vt repetant ſociorum caſtra canentes.
Talia per ſocios illo monſtrante potentes,
Obſtupuit rector metuens offendere plures.
Imperat acciri perſonas, colloquióque
Participans illos, interprete ſed mediante,
Quærit de ſociis qui ſint, quæ nomina geſtent,
Quidve poteſtatis propria in regione retentent.
Illi reſponſa digna & veracia reddunt,
Et pauidæ menti crementa timoris inurunt.
Ille metum celans vultu fictúque renidens,
Et geſtus habitúſque virum ſpectando pererrans,
Suadet vt armati campis potiantur apertis,
Et ſua demonſtrent quid Gallia poſſit in armis.
Paretur. capiunt celeres inſignia, & acres
Scandentes in equos, geminas ſtatuere cohortes
Aſpectus galeis, loricis corpora tecti,

Ardentes clypeos & ſpicula lucida nacti, A
Aſpera corripiunt imitantem prœlia Martem,
Et variis monſtrant patriam diſcurſibus artem.
Confligunt dociles telegi docileſque relinqui,
Nunc procul abſentes à ſe, nunc verò propinqui,
Et nunc terga fugæ dantes, nunc verſa fugantes
Impediunt curſus concurſibus, orbibus orbes.
Nunc velut infeſtis in mutua vulnera telis
Itur. at in rerum ſunt omnia tuta potitia.
Spectant Nilicolæ, ſpectat Rex ipſe malignus,
Atque hebetantur eis gelida formidine ſenſus,
Sollicitis quia ſi gens talis Francigenarum,
Hieruſalem capta fines peruadat eorum,
Nil fore virtuti quod eorum obſiſtere poſſit.
Cùm vehemens bellum quaſi quidam ludus eis ſit.
Tunc ſibi diſſimilem poſt ſe loca ſumma tenentem
Conuocat, & geſtit facere ex ratione furentem.
Orat vt hos Francos, quos iuſſus duxerat ad ſe,
Quos perpendebat, ſenſu ſua cuncta notaſſe.
Ne reduces facti ſocios huc afore cunctos
Procurent, ſibi clam procuret decapitandos.
Ille velut gladij per pectus acumine fixus,
Peſſima mandantem tali mox voce ſecutus:
Quænam væſani compellat cauſa furoris, B
Vt ſanctum nomen populis per ſæcula cunctis
Nomine ſub pacis Legatos euocet ad ſe,
Quos mactare velit ſub operta proditione?
Nuſquam tuta fides poſthac. nil gentibus æquum,
Hæc ſi contingat fieri damnabile iuſſum.
Pacis in hoc equidem ſe proceſſiſſe miniſtrum,
Nequitiæ nunquam conſortem ſe fore viuum.
Si ſic complaceat quo Franci decapitentur,
Ceruia ante ſua gladio graſſante ſecetur.
Sed perpendendum quocumque hæc fama volaret,
Incurabiliter ſe infamia tanta notaret.
Eſſe quidem damnum probitatis militiæque,
Si paucos iſtos contingeret oppetiiſſe.
Sed tamen amiſſis inter tot millia paucis,
Non multum Gallos ſenſuros debilitatis.
Sed tamen immenſo dolituros eſſe dolore,
Atque in vindictam maiore calere furore.
Non iam gentilem Legatio ſumpta iuuaret,
Dum res facti huius exempla ſequenda probaret.
Quin potiùs tales magno cumularet honore,
Ditatóſque opibus permitteret in ſua abire.
TALIBVS infractus rationibus ille tyrannus C
Conſilium mutat, ſequitur quæ dictat amicus.
Sic poſt immenſum miles generoſe timorem
In tua terga redis, claro duce fretus eodem.
Ac per Iordanem redeuntes Hieruſalémque
Accipitis palmas, petitis loca ſancta domóſque,
Omnia luſtratis, paſcentes lumina viſu
Diſcitis ignota referentes digna relatu.
Et bonus ille Comes non vobis defuit, vſque
Dum vos ſecuros ſociis dedit incoluméſque.
Sic igitur celeri repetentes caſtra recurſu,
Lætantes Comites proprio fecere regreſſu.
Sed quia iam textus capiendæ texitur vrbis,
Hoc melius referet Libri textura ſequentis.

EXPLICIT LIBER VI.

INCIPIT LIBER VII.

NVNC age virtutem ſolitam Rex Chriſte reuela,

A Quam neq; vis hominum tibi daut, nec plurima tela.
Nunc age Chriſte tuis da ſæpe datum Machabæis,
Diuinum munus, tot millia vincat vt vnus.
Millia famoſæ gentis ciues populoſæ
Vrbis. Chriſte faue, vim gentis comprime prauæ.
Ergo Dei pietas per pondera tanta malorum
Inſpiciens animos non defeciſſe ſuorum,
Inſpirat cuidam Turco miſerendo ſuorum,
Vt noſtris vrbem tradat murúmque decorum
Turribus, & capiat pró munere culmen honorum.
Iſta diu ſecum vir verſans, iudicat æquum,
Vt prius hæc pandat BOIMVNDO. nec mora mandat
Illi quanta paret. ſed ne quicquam dubitaret,
Præcipit vt capiat miſſum dum res ea fiat.
Néve parando moram producant, tempus & horam
Hic deſignauit, ſed in hoc Dux participauit
Conſilio Procerum. Comitum pars maxima verum
Miſſum ferre putat. dubitans pars altera nutat.
Dicta nocte tamen BOIMVNDVS colligit agmen
Pulcrius armatum, belli ſudore probatum.
Dux animo flagrat, diuortia nota peragrat,
Quiſque pari voto ſuſpirat pectore toto.
B Per tenebras Dux carpit iter, galeáque nitenti
Depoſita ſilet, & graditur ſub nocte ſilenti.
Eſt via militibus timidis, iuga deuia, valles
Quæque per obſcuras ducebat ſemita calles.
Ne malè res caderet, ductor licèt ipſe timeret,
Quod tamen angebat mens & frons læta tegebat.
Dat ſpem tardanti, triſtémque ſerenat ouanti
Vultu, virtutem ſtimulat, populóque ſalutem
Hactenus optatam nunc innuit eſſe paratam.
Vtque locum votis multóque labore petitum
Proſpiciunt, hoſtémque vident vigilare peritum.
Stant procul & latebris tecti, noctíſque tenebris
Collucere faces ſpectant, arcúſque minaces,
Et diſcurrentes per propugnacula Turcos,
Purpureos criſtis gladios verſare coruſcos.
Qui loca mutantes commiſſa, vices variantes
Excubias noctis ſuccedenter faciebant.
Vocibus aſſuetis clamores incutiebant.
Militibus clamando, Quis es? nec adeſſe ſciebant.
Nec mora dat Dux magnanimus dignas Duce voces,
Inſtimulando viros verbis animóſque feroces.
Pluribus optatum votis, ſatis inuigilatum
Tempus adeſt, Proceres, Domini pietate paratum.
C Tempus in hoc protracta fuit victoria ſera,
Pérque nouem menſes Domini vindicta ſeuera
Nos caſtigauit, ſed ſunt propè gaudia vera.
Ergo viri fortes forti perſiſtite mente,
Vóſque citi iuuenes muros ſuperate repente,
Vincite ſed celeres, pudeat vos vincere lenè.
Ille locus, monſtrátque locum, priùs aggrediatur.
Vos ibi palma ſedens vocat, vt priùs indè petatur.
Dona maneant omnes, ſed non mea dona vocabo,
Quod ſibi quiſque dabit. victori nulla negabo.
Sed moror, ite viri. cum paucis hîc ego ſtabo.
Accelerate boni Proceres, ego tardius ibo.
Si ſit opus, pedes ipſe prior certamen inibo.
Finierat. dubiúſque ſilet Dux, atque vagantur
Per totam mentem quæcumque futura putantur.
Accelerant iuuenes. Fulcherius imminet ante.
Per tenebras legit ille vias greſſu titubante.
Illis temporibus radior ....
Præmonſtrabatur regni mutatio læta.
Aſtra polúſque nouo ſunt offuſcata rubore,
Cordáque ſunt hominum nimiu perculſa timore.
Noctis erat medium cùm miles ad illa paratus
Conſtitit ad turres quas traditor ille beatus
Seruabat, ſtupuítque nimis de turre vocatus.
Eia, clamabat Turcus, conſcendite muros.
Summa petat virtus. premat hoſtes iam ruituros,
Scalarúmque modo funea huc ferte plicatos.
Mouit eos tandem latitantes ſæpe rogatos.
Denique calcata formidine, vi reuocata,
Vepribus extracti vix, vincentéſque coacti
Seſe confortant, ſcalas ad mœnia portant,
Dántque retrò greſſus .... receſſus.
Frutectis merſi redeunt ad tuta reuerſi.
Et licèt inſtaret Turcus ....
Nil tamen audebant, ſed corda gelata ſtupebant.
Increpat è muris vir vocibus agmina duris.
Iamque recedebat nox, & matutina rubebat,
Cùm ſtans in medio ....
Sic ait, ô ....
Surgite, primus ero ...... Fulcherius ille
Natus Carnoti. Proceres ....
Non timet inuictæ properare ad mœnia villæ,
Non hunc tardat onus ...... ad ardua pronus
Euolat arma gerens, ſcalæque viriliter hærens,
Illum Veneticus ſequitur ..... hoſtis iniquus;
Vt ſtent in muris Fulcherius ..... necantur
Fulmineo vigiles ....
Exultat victor ....
Corpora trunca cadunt, lacerantur membra decora,
Adſpirat fortuna viro, plebémque ....
Turbat quæ requiem trahit inter .... . tutam.
Euellit poſtes, turréſque ſubintrat, & hoſtes
Opprimit incautos. Proſpectus occupat altos,
Túmque capit turres propria virtute Boëllus,
Hunc natiua vocat tali cognomine tellus.
Germanos hic fortè tuos bono traditor vrbis
Sternit, quos nollet morientibus addere turbis.
.... geminos impellit ab vrbe ſupinos.
Iamque viri fortes pendebant vndique ſcalis.
Nec dubitat quiſquam niti per membra ſodalis.
Aſcenſu ſuperant muros, faſtigia dextris
Prenſant, obiciunt clypeos ad tela ſiniſtris.
Inſtaurant animos Turci, detrudere primos
Fruſtra luctantur, trepidáque manu iaculantur.
Fratrum fata dolens Turcus, ſed de nece nolens
Sumere vindictam, pacémque reſoluere fictam,
Fræna dat huic iræ, properat portas aperire:
Educénſque graues gemitus de pectore claues,
Portæ porrexit BOIMVNDO. Dux quoque flexit
Supplex ante virum corpus, vultúmque ſeuerum.
Diffugiunt miſeri ciues, vbi morte teneri
Cuncta vident. telis ſternuntur mœnia tota,
Et ſunt de muris partim rubra ſigna remota,
Albáque pro rubris illic vexilla locantur.
Ad commune bonum ſic agmina fida vocantur.
Clangorémque tubæ tulit ad tentoria ventus.
Nec mora proſiliunt de caſtris agmina denſa,
Deſeruere duces campis tentoria tenſa,
Dum ſine lege ruunt. ex vrbe viros fugientes
Excipiunt. terræque premunt hos ſponte cadentes.
Hos non ſponte cadút quibus & cum corpore mẽtes.
Agmina per portas mox irrupere patentes,
Et preſſere viri primorum terga ſequentes.
Protinus inuadunt vrbem, dant vulnera multa,
Paſſim turba perit vino ſomnóque ſepulta,
Signa canunt matréſque gemunt, eſt luctus vbique,
Pérque vias omnes gentis cruor errat iniquæ.
Ore vomit cerebrum capitis compage ſoluta
Infans, & fœdant nutricem ſordida ſputa.
Ad matres tendunt captiuæ lumina natæ,

Lumina (namque manus rigido ſunt fune ligatæ)
Flent hæréntque ſenes templis auro ſpoliatis,
Duráque percutiunt loca frontibus inueteratis.
Emicat aduolans GODEFRIDVS, inertia ſpernit
Corpora. quóſque videt torquentes ſpicula ſternit.
Loricas clypeóſque ſimul ſecat enſe nitenti,
Territat inſtantes. huic obicit hunc fugienti,
A nece vix gladium Dux ipſe poteſt cohibere.
Quóſque mori nollet gladio multi periere.
Vulnera nam ſi quem paruo præſtringere captat,
Hunc rapido mucrone manus licèt inſcia mactat.
Dum quæcumque ſuis ſuadet victoria læta,
Gens leuis exequitur, liciris miſcens inhoneſta,
Celauit pannis Regem Rex obſitus annis,
Victorúmque manus ſic euaſit CASIANVS.
Non tamen eſt fatis ereptus, ſed benè notus
Armenio cuidam, fugiens & ab vrbe remotus,
Perdidit annoſis cinctum caput vndique villis,
Atque reportatur ceruix ſuſpenſa capillis.
Per vicos vrbis caput applaudendo ſequuntur
Armenij, Turcíque ſuo pro Rege queruntur.
Vrbi contiguus mons eſt, montíſque cacumen,
Non leuiter valet humanum comprendere lumen.
Stat ſuper hoc caſtrum de quo pater Antiochena
Pulchra nimis regio, cùm lux ſolet eſſe ſerena.
Illuc euadunt Perſæ, noſtróſque ſagittis
Indè premunt, nec tota venit victoria miris.
Cum legione ſua BOIMVNDVS ſuſcipit ictus
Illorum. petit hoſtis aum par mœnia victus.
Cúmque ſuper murum turrim Dux ſortis haberet,
Quæ munita parum caſtro vicinius hæret,
Incumbebat ei ſæuiſſima turba reſumptis
Viribus. ammentant Arabes de culmine montis.
Aſt alij conantur eum depellere contis,
Pérque globos denſant cuneos, & culmina prenſant,
Prœlia committunt. vix primi ſpicula mittunt
Aſſimilanda niui, calcántque cadauera viui.
Dux equitéſque Ducis conſiſtunt, & morientes
Turribus euoluunt, ciuéſque necant ſubeuntes.
Nunc inſtat ſuda, nunc ſaxo. per tela ruentes
Hos fugiunt, hos deiciunt. Dux ſumma tenentes
Amputat enſe manus, clypeóque ſonante furentes
Suſtinet, hortatur Proceres, telis oneratur.
Dum certant acies, iaculum ſemori Ducis hæſit,
Atque virile ſemur grauiter vulnus leue læſit.
Dux igitur reprimens fugientis ſanguinis vndam,
Deſeruit primam turrim, petiítque ſecundam.
Vtque ſui videre Ducis procumbere mentem,
Apulus & Calaber fugiunt victam modo gentem.
Sed tamen emiſſa vir ſolus in arce remanſit,
Cuius honeſta ſatis BOIMVNDVS ſunera planxit.
Hoſtibus hic mediis vbi ſe videt eſſe relictum,
Exagitans clypeum circum ſua tempora pictum.
Territat inſtantes turbas ſub turre vagantes.
Obruit elapſis de ſummo culmine ſaxis,
Mille manus laſſat, vnáque viros ſude quaſſat.
Fruſtáque cementi decruſtans vngue trementi,
Stantibus infligit, ferro caua tempora figit.
Hunc ſub pace vocant ciues, ſuccurrit at iſti
Quàm pulcrum ſit Matre mori pro nomine Chriſti.
Iámque ſuperficiem clypei denſauerat hoſtis
Miſſilibus. iacet Orbis iners, pondus graue coſtis.
Protinus haud timidè ſeſe ſuper agmina iecit,
Tormentúmque nouum proprio de corpore fecit.
Et fractus fregit multos. Hæc Apulus egit,
Sed quis id expediat verbis? quæ lingua notare
Funera tot poterit? tot captiuos numerare!
Ne turbara quidem queat amplificatio verum.

Sufficiat mihi ſumma ſequi faſtigia rerum. A
VRBS antiqua, potens, Petri cathedra decorata,
Eccleſiæ Sedes poſt Romam rite vocata,
Vrbibus innumeris vrbs aſſiduè dominata,
Muris, delubris, felix, iocunda, ſalubris,
Ignorantis erat populi demerſa tenebris.
Indè ſed erupit, noua facta magíſque celebris,
Veſtes gemmatas, auróque domos laqueatas
Agmen habet noſtrum, peregrinum poſſidet oſtrum,
Vrbis & vnius expleuit copia gentes,
Pauperibúſque nihil poſſunt auferre potentes.
Seruus in hac ſeruos habet vrbe, clientéſque clientes.
Illam luce Iouis tuus intrat Chriſte ſatelles,
Sed Caſtellanos nequit exſoperare rebelles.
Ergo die tota pugnat, noctíque laborem
Continuat, nullúmque capit ſub nocte ſoporem.
AST vbi mane datur, Veneríſque dies reſeratur,
Stans eques in muris dum ſuſtentatur ab haſta,
Sortitúſque locum loca viſit lumine vaſta,
Pulueris obſcuram proſpexit in aëre nubem.
Triſtia mox reliquam vocat ad ſpectacula pubem.
Suſpenſis animis per propugnacula ſtabant,
Diuerſíque viri diuerſa videre putabant.
Appropiare quidem mutos pars vaticinatur, B
Pars Byzantinos fore credit, quos ſpeculatur.
Ardentes clypeos Sol lumine percutiebat,
Paulatímque frequens exercitus adueniebat.
Conſedere tamen procul expectando ſequentes,
Corbana militiæ Princeps, reliquíque potentes.
Sed quidam Perſæ iam mœnia ſpe capientes,
Vrbis in aſpectu campos petiere patentes,
Diuerſíſque modis gaudent ibi luxuriare.
Turpia non ceſſant ſpectantibus improperare.
Spumantes per gramen equos dimittere certant,
Nodatos enſes iaciunt, iterúmque receptant.
Exululant, paſſim volitant, clausíſque minantur,
Teláque per vacuas auras temerè iaculantur.
Tutius eſſe putant noſtri loca certa fouere,
Quàm caſus incerta ſequi, bellúmque mouere.
Sed cùm iam Turci remearent vociferantes,
De Barnanilla ſequitur Rotgerus ouantes
Cum tribus armatis. quos poſtquam gnaos memorata
Reſpexit, facit inſidias ſub rupe cauata.
Dúmque laceſſentes aliquos noſtri ſequerentur,
E latebris Turci ſaliunt, iuuenéſque tenentur
Incluſi, verſíque ſtupent, animíſque receptis, C
Vallantes penetrant clypeis ad terga reiectis,
Vt ſit vbi canibus poſt cerui crura ſolutis,
Hi pedibus prædam, portum petit ille ſalutis.
His alas addit ſpes, fit celer ille timore.
Mox voti compos ceruus canis exit ab ore.
Hos ita Parthus agit præceps in verbera pendens.
Sic fugit iſta cohors ad vitæ præmia tendens.
Inſtigat ſocios Rotgerus, & excipit ictus.
Hunc tardare facit probitas & conſcia virtus.
Telorum ſiluam vix ſuſtinet horrida parma.
Labentem ſuſtentat equum. tinguit cruor arma.
Oppreſſis fortuna nocet. iam deficiebant
Inſtantes, Rotgere tui iam tuta tenebant,
Cùm te præcipitat ſonipes malè præcipitatus,
Nec releuaris equi reuoluti mole grauatus.
Qui non parcebas hoſti, fœdatis in alto
Puluere. nec voluit Turſus tibi parcere capto.
Æſtuat in muris confuſa pudore iuuentus,
Cùm premitur iaculis vir fortis ab hoſte retentus.
Auertunt oculos Proceres qui proſpiciebant,
Cùm per ſaxa canes inſignia membra trahebant.
Raptatóque viro ſubito caput amputat enſis.

A Tunc verò reſonant clamoribus agmina denſis.
Parthus ouat, digitiſque premit caput ille cruentum.
Ora refert ad caſtra nigro rorantia tabo.
Vrbis ad euentus nunc ingenium reuocabo.
VRBI quaque die Turci ſua caſtra propinquant.
Marte minis clauſis ſuadent vt adepta relinquant.
Et caſtrum plures ex illis ingrediuntur,
Intus & exterius ita noſtros aggrediuntur.
Non igitur poſtris telis manus vlla vacabat,
Nec galea quiſquam preſſum caput exonerabat,
Nocte cubant tecti clypeis in puluere vili,
Membráque defleuunt ipſo cruciata cubili.
Vrbis turbabat loca diſcurſus iaculorum.
Turres indè rigent, hirſutáque tecta domorum.
Se quoque gentilea in aperta pericula mittunt,
Et propè decertant gladiis, atcúſque remittunt.
Hoſtes & noſtri modicum diſcrimen habebant,
Omnes quaque die ſub caſtro conueniebant.
Iámque opibus minimis à pluribus attenuatis,
Vix aliquid victus reſtabat in vrbe beatis.
Ergo fames crudelis adeſt crudelior omni
Peſte, viri vigilant, fugiunt ieiunia ſomni.
B Deformat macies vultus, nigriora ſepulris
Oſſibus oſſa micant. apparent viſcera multis.
Vulgus iners herbas dubias lethúmque minantes,
Vellit & in duro luctantur ceſpite dentes.
Frondibus hi gaudent arbuſta ſuis ſpoliare,
Illi more feræ radices prata vorare.
Multa quidem comedunt, hominum non cognità menſis.
Arida facta manus vix pondera ſuſtinet enſis.
O referenda Dei virtus, circumdata peſte,
Noſtra cohors ſatuto ieiuna timetur ab hoſte.
Res noua, ecus aſini libris tribus appretiatur.
Quique dedit pretium non prodigus indè putatur.
Ora mouent pueri, matreſque vocant morientes,
Aëra pro ſolitis epulis auráſque tenentes.
Curſor equus quem vix nuper career retinebat,
Nunc auido morſu vacuum præſepe petebat,
Et tandem poſita feritate, furore remoto,
Labitur infelix, ſingultans corpore toto.
Deuorat hunc etiam præſtans virtute iuuentus,
Et cibus iſte placet populis caro licèt emptus,
Dum pereunt, dum qui poterat perſiſtere ſuttis,
Viuit, ſi viuit quiſquam ſub imagine mortis.
C Vir quidam data nocte ſibi ſolatia ſancta
In commune refert, fidei fiducia tanta
Ille refert palmam noſtris poſt quinque paratam
Eſſe dies, hilarátque viros plebémque vocatam.
Præterea mentes noſtrorum lætificauit,
Lancea quæ Domini latus innocuum penetrauit.
Hanc ſanctt Andreæ reſeſtauit viſio certa,
Cuiuſdámque ſuit præ cognitione reperta.
POST hæc congreſſum caſtellanis veruere,
Et murum noſtri gentilibus appoſuere.
Pluribus exemplis vbi ſpes eſt reddita vitæ,
Ieiunant omnes triduo ſicut Niniuitæ.
Tunc Eremita Ducem Turcorum Petrus adiuit,
Qui Procerum portans mandata petenda petiuit.
CORBANA dux ſublimis equo ſe fortè ferebat
Ad portum, laſciua cohors vtrimque fremebat.
Cùm ſubitò Petrus turbam ſubit impedientem,
Nec timuit quemdam Turcum ſibi præcipientem,
Vt caput inflectat, vultúmque potentis adoret,
Pectore ſic placido demiſſa voce peroret.
Cùm negat hic homini Deitatis reddere cultum,
Illius incuruat gentilis dextera ... ultum,
Illius à ſtoltdis bona deciderat egeſtas,

Sed tamen eſt illi ſandi conceſſa poteſtas.
MAXIME Dux, me paruus ait, nos non aliena
Quærimus, ad noſtros vrbs pertinet Antiochena,
Cur igitur nos à propria vis pellere ſede?
Si cenſura mouet te turis, ab vrbe recede.
Aut ſi cedere vis erroris lege remota,
Sic Regno tranſcripta tuo Romania tota,
Fies Rex Syriæ, Rex iſtius regionis,
Túque potens multum multis onerabere donis,
At ſi mente ſedet pugnandi tanta voluntas,
Si mauis ſpectare manus ad prœlia iunctas,
In partibus ſortem reliquorum præcipe poni,
Quique pati bello cedent cedant regioni,
Pugnant cum totidem triginta ſiue viginti.
Diſcedant, ſi fortè valent diſcedere victi.
DIXIT, ad hæc enim quatiens dux CORBANA nudum,
Tunc putas impune mihi talem dare ludum?
Hoc gladio caput amittes, trucidabitur iſto
Gens quæ neſcio cui ſtudet obſequium Dare Chriſto.
DISCEDIT Petrus dictis commotus acerbis.
Arma parant Proceres auditis ordine verbis.
Illa nocte patres vigilant, errata fatentur.
Turba gemens aras tenet, Eccleſiæque replentur.
Luce data ter tres de tota gente ſtatutæ
Sunt acies, propriúmque ducem ſunt quæque ſecutæ.
Quos habeant in fronte manus ibi diſpoſuere,
Quos medios, vel quos cupiant extrema tenere.
SISTITUR HUGO prior. medium robur tenuere
Magnanimi ſeptem. Boimundo deſeruere
Vltima, per muros, cuſtodes conſtituere.
Hic ducis officium Præſul Podienſis habebat,
Et populus ægri Raimundi ritè regebat.
Lancea ſancta Dei prætecta viros animabat,
Membráque Pontificis lucens lorica grauabat.
Hic populi voces vbi voce manuque repreſſit,
Dixit, eo dicente ſolo gens prona ſiſtebat.
Rebus in extremis vires effundite totas.
O Proceres renouate manus Turcis benè notas,
Ite per ignauos, gladiis diſrumpite gentes,
Quas primi ictus exarmant deficientes.
Mittet in auxilium Deus Angelicam Legionem.
Opprimat hûc populum velut oppreſſit Pharaonem,
O quantù rapitur gens inſenſata furore!
Hæc emit infernum proprio maleſana cruore.
Denique lucratur pœnam, caro bis cruciatur,
Atque per hanc mortem mortem ſine fine meretur.
At nobis ſit ſiue pati poſtrema neceſſe,
Siue Deus ſuperat gentiles, quod precor eſſe,
Exitus eſt felix. orietur morte corona.
Militibus diuerſa dabit victoria dona.
Vincetis, victutis erit veſtræ monimentum,
Parthorum cædes iam conſpicio morientum.
Ne dubitate, ſuos pugiles Deus haud patietur
Plura pati quàm ferre queant. vt glorificetur
Lætitiæ ſtimulis agitari ſentio gentem.
Supportate viri me gaudia veſtra trahentem.
Sint rata Chriſte precor noſtris gratiſſima vota
Vt vincamus. amen reſpondet gens prece mota.
Interea mandat Dux Perſarum Boimundo
Primo ſuos equites dici, noſtróſque ſecundo.
Nomen & à reliqua iubet hue abradere gente,
Nève decus mundi mittatur in arma repente,
Præcaueant, numeróque pari pugnetur vtrimque.
Tunc ita Legatum dux increpat. iſta relinque,
Deſine vana loqui, nos ad maiora vocamur.
Vincamus ſimul ò comites, ſimul aut moriamur.
Reſpexitque ſuos comites. bona vel mala verè

Proueniunt ſanctis. nihil interea timuere
Noſtri. ſed portas egreſſi diſtribuere
Per loca certa viros, dum tutus ab vrbe receſſit
Nuntius. iſta Deus tua diſpenſatio geſſit.
Preſbyteri muros parua cinxere corona,
Illorum iacet in mutis pars maxima prona,
Ornatique ſtolis quas ſumunt tempore Miſſæ
Altius hi pſallunt, hi flent, orántque remiſsè.
Vt ſonuere tubæ, populos prior Hugo feroces
Inuadit. ſolitas inuadunt vndique voces.
Francorúmque cohors longo diſtenta receſſu,
In ſeriem coniuncta pari petit agmina greſſu.
Stant infra iactum teli, totóque vigore
Inflectunt arcus Turci neruo meliore
Intenſos. ſtridendo volant per inane ſagittæ.
Inſtat eis oblita breuis gens Gallica vitæ.
Paulatim dant preſſa retro veſtigia Parthi,
Vicinóque timent dextras committere Marti.
Spicula Turcorum diuertit ab agmine ventus,
Euratdus de Puſiaco feruénſque iuuentus
In bello quærunt bellum. gladióſque leuabant
Percuſſi, quos percuterent non inueniebant.
Nuntius ecce celer miſſus venit à Boimundo,
Qui dum pauca refert, ſua præter radit arundo
Tempora. ſed tamen hæc inquit, Boimundus vtrimque,
Hoſtibus vrgetur. fugitiuos Hugo relinque.
Conversis mox Hugo ſuis, Arabes ſpeculatur
Haſtatos circa Boimundum. tunc ita fatur:
Quod iuuenes optaſtis adeſt. ſic ferreus haſtis
Horret ager. vertamur ad hos. incumbite vaſtis
Viribus. ergo manus iungunt Comes & Boimundus.
Hic etiam Dux ille ducum ſtabat Godefridus.
At contra tendunt Arabes Regéſque potentes.
Et Rex Damaſci Lucas, illicque furentes
Sunt Amici duo. namque duos ſic turba vocabat.
Dux Boimundus adhuc, Godefridus & ipſe vacabat.
Bellum primus init magnus, frænúmque furenti
Laxat equo. cuidámque viros in Marte mouenti,
Haſta diſrupit guttur, vitámque loquenti
Abſtulit, & voces haſtilis lancea lenti
Frangitur. ille gemens petit ore ſolum morienti.
Concurrunt Arabes & Francigenæ violenter,
Pugna grauis ſurgit, telis obtexitur æther.
Hic Balgentiacus Odo primus vbique ruebat,
Vexillúmque tenens ſe non retinere valebat.
Cùm degnſtaſſet latus huic non viſa ſagitta,
Stridula ſigniferum priuauit lancea vita.
Lapſus at ille cadens humectat ſanguine ſignum,
Et quo concideret traxit de vulnere lignum.
Mox ſuccedit ei, ſignúmque leuat Benienſis
Guillelmus, iuuenique viam fecit ſuus enſis.
Non procul hinc ibat noſtrorum parua caterua,
Quos nimis vrgebat Turcorum turba proterua.
Turbáque fraude nocens ignes per gramina ſparſit
Quos aluit ventus. & ſic ager aridus arſit.
Ardor at ille dedit fumum tenebráſque creauit.
Pérque cauam nubem campo trahit hoſtis in æquo,
Atque necat pedites tercentum vulnere cæco.
Tunc cum Pagano Beluacenſis Rainaldus,
Cúmque Drogone Thomas, & bellipotens Clarebaldus,
Et reliqui ſubiti ſe mortibus eripuere,
Et rapido curſu belli robur petiere.

FINIS.

INDEX
RERVM AC VERBORVM
QVÆ IN TOMO IV. CONTINENTVR.

A

Alis filia iunior Guillelmi Comitis Pictanenſis nubit Comiti Viromand. 413, a
Abbas Diuionenſis Guillelmus. 64, b. 97, a
Abbatiæ S. Victoris reformatio. 604, c. 605, a
Abaelardus. 537, c. 538, a
Abbonis Apologeticus. 127, a
Abbo Abbas. 176, a
Abbo Floriacenſis Abbas. 125, a. ſucceſſit Oylbaldo. *ibid.* electione monachorum. *ibid.* reclamantibus quibuſdam. *ibid.* doctus. *ibid.* ſubiectionem denegar Epiſcopo Aurelianenſi. *ibid.*
Abbo pater monaſterij S. Benedicti. 27, a. martyr factus. *ibid.* eius ſepultura. *ibid.* b
Abbo Floriacenſis abbas miraculis coruſcat. 70, a. 75, b
Abuſiones Epiſcoporum. 478, b
Adalradus Rex. 13, a
Adalradus Rex Anglorum. 26, c
Adalbertus pontifex regit in ciuitate Braga Eccleſiam martyris Vitiſclodi. 6, b
Adala ſoror Richardi Comitis Rhotomagenſis. 82, c
Adaluis. 217, a
Adam Abbas Burgulienſis. 268, a
Adam Abbas S. Dionyſij. 284, b. 293, a. 300, a moritur. 310, a. 316, b. foſſatum. 301, a
Adela ſoror Bleſenſis Comitis. 440, b. 441, a
Adela filia Theobaldi Comitis Bleſenſis nubit Ludouico iuniori. 416, a
Adela regina Franciæ. 373, a. Adelais. *ibid.*
Adela Comitiſſa. 217, a. 272, b. 573, a
Adelais Comitiſſa, domina Feritatis Balduini. 294, b
Adelais Regina. 310, b
Adelaidis filia Ludouici iunioris & Conſtantiæ. 415, a
Adelais Comitiſſa dicta Blancha. 171, a
Adeleria Puteacenſis domina. 523, a. 526, b
Adelaidem Siculorum Comitiſſam duxit Balduinus ſua vxore viuente. 864, b
Ademais Podienſis Epiſcopus. 803, a. 818, b. 891, a
Ademarus Abbas Floriacenſis. 423, a
Adhelais mater Roberti Itala. 63, a. conſtruxit Monaſterium S. Frambaldi. 67, b. & Argentolium. *ibid.* caſulam SS. Martino & Dionyſio. 68, a. 118, b
Admiraldus. 81, b
Aduocatus. 213, a
Aduocatus Bituniæ. 432, a. 437, b
Aduocati. 131, c. 132, b. 156, a
Ala Regina ſoror Vvill. Rem. Archi. 437, b
Alais Ludouici iunioris filia. 410, b
Albateria caſtrum. 352, a
Alberadus Ep. Rhegienſis. 169, b
Albericus Epiſ. Hoſtienſis. 381, a. 385, b
Albero Treuerenſis Archiep. 502, a
Alce animal. 884, a
Alexander Turonenſis canonicus. 261, a
Alexander III. 416, a. 434, a. Rolandus. 435, b. 441, b. 445, a
Alexandrum in Papam recipit Rex Hungariæ. 578, a
Alexander II. Papa. 200, c. *& ſeqq.*
Alexius Imperator. 778, c. 781, a. 857, b. 865, a
Aleſia filia Ludouici iunioris. 433, b
Algalif Rex Sarracenorum ab Hiſpania in Italiam transfretans eam infeſtat. 8, a
Algarus Conſtantiarum Epiſc. 357, b
Algrinus Palatinus. 367, a. clericus regalis. *ib.*
Alienor vxor Ludouici ſeptimi, quæ & Aanor. 349, a. 357, b. Ænoudis. 382, a. Alienordis. 301, a
Alona. 301, a
Alphonſus Comes S. Egidij. 392, a
Alphonſus Comes Toloſæ. 408, c
Alricus Aſtenſis vrbis præſul. 41, c
Almuzor Sarracenorum princeps. 8, b. 50, a
Aluerniæ Comites regem Angliæ cognoſcunt. 671, b. 670, c. 731, a. 743, b
Aluerniæ Comes abſolutus à Papa. 663, a
Aluerniæ Comes abſolutus ad cautelam. 619, a
Aluerniæ Comites in Normannia. 633, a. 635, b. 653, a
Aluerſus Atrebat. Epiſ. 357, a
Aluinus Attrebat. Epiſ. 385, a. 389, b
Amalricus de Monteforti. 298, a
Amalricus Rex Hieruſalem. 689, c. 698, a
Amaſonia flumina. 794, b
Amanenus de Lobreto. 807, a
Amatus Archiepiſcopus. 277, a
Ambianenſis Epiſ. 552, a
Amidis filius Adelettæ. 208, a
Ammiralis Turcorum. 790, a
Amorauij gentes. 95, a

Anachorita in remotioribus Aſiæ partibus per ſpatium viginti annorum ſegregatus à conſpectu omnis hominis. 54,b.c
Analogium. 96,a
Andela fluuius. 308,a
Andefonſus Rex Galliciæ & Aſturciæ. 88,c. duxit Conſtantiam Roberti Ducis Burgundionum filiam. 89,a
Andefonſus Rex Galliciæ obit. 95,a
Andefonſus Rex Arragoniæ. ibid.
Andebertus. Archiepiſcop. Bituricenſis & Dolenſis Abbas. 253,c. 254,a
Andegauenſis Comes Gaufridus. 549,a
Andegauenſis Comitatus. 474,c. 475,a
Andegauenſis Comes. 540,c. 541,a. 574,b. Toloſam inuadere tentat. ibid.
Andegauenſis Comitis prærogatiuæ. 319,a
Andegauenſis Comitis nati hæredes Angliæ. 390,a
Andegauorum Comes. 440,a
Andegauenſium Comitum genealogia. 241,a
Andegauenſis Epiſcopus excommunicatus. 607,a
Andoenus Epiſcopus. 61,a
Andreas de Ramera. 286,a
Angliæ Rex bellum infert Ruthenenſibus. 699,a. Toloſanis parcet. 713,b
Annalarij doctrina. 71,b
Anſelmus de Garlanda regis Dapifer captus. 294,c. 363,a. 301,a. ab Hugone Puteacenſi lancea perforatur. 305,a
Anſellus Dapifer occiſus Puteoli. 365,a
Antiochia capitur à Chriſtianis. 90,b
Antiochiæ ſitus. 804,a
Antiochiæ obſidio. 785,a
Antiſſiodorenſis Comes Landricus. 143,c
Antiſiodorum nunquam captum. 10,a
Apices. 218,a
Apoſtolicus Epiſcopus dictus. 61,b
Appotamus. 883,a
Aquilani. 783,a. 814,b
Aquitaniæ. 474,a
Arabes. 783,b
Arbores à paganis cultæ. 6,a
Archambaudus de Borbonio. 630,a
Archambaldus de Borbonio. 591,a
Archicancellarius Italiæ Colonienſis Archiep. 578,b
Arduns fluuiolus. 27,a. eius proprietas. ibid.
Arembu rgis Comitiſſa Andegau. 329,a
Argentolienſe Monaſterium S. Dion. reſtituitur Honorij Papæ ſententia. 315,a
Argentolium datum K. Magni filiæ Sanctimoniali. 335. Argentolium. 67,b
Aribaldus Epiſ. Vielicenſis. 569,b
Armentio fluuius. 56,a
Arnulphus Epiſcopus Aurelianenſis. 125,b
Arnulphus eligitur Patriarcha. 812,b
Arnulphus Remorum Archiepiſcopus depoſitus. 129,a. quod notbus. 142,a
Arnulphus Epiſc. Lifienenſis. 392,b
Arnulphus Lexouienſis Epiſc. 463,a. 467,b. 510,c. 511,a
Arnulphus Turonenſis Archiepiſc. 73,b
Aruernicum Comitium. 819,a
Aruernenſe Concilium. 226,a. 241,b
Aſtingus Gallus Trecaſſinus ex ruſticorum genere, princeps terra marique Normannorum. 9,a. Galliam ferro & igne vaſtat. ibid. b
Arſacidæ aſſaſiui. 445,a
Aſſaltus. 301,a
Athenaſi. 780,a
Aureliana ſedes regia. 16,a. vnde dicta. 17,a
Aurelianenſis Eccleſia infeſtatur à Leonio quem Ludouicus Groſſus oppugnauit. 285,a
Aurelianenſis Epiſcopus. 225,a. 230,b
Auiſgundus Epiſcopus Cœnoman. 173,a
Azimatæ. 814,a

B

BAGVLATVS mons. 821,a
Balduinus Andegauenſis. 251,b
Balduinus Barbatus. 144,a. Flandriæ Comes. ibid.
Balduinus Rex Hieroſ. 404,a
Balduinus II. Rex Hieroſolymitanus. 866,b
Balduinus Comes Flandriæ. 307,b
Baldarius flumen. 821,a
Bailliui. 731,b
Baliſtarij alij à ſagittariis. 284,a. 292,b
Balgenciacum. 223,a
Balmenſe Monaſterium. 29,c
Balnea. 447,a
Baltildis Clodouei vxor. 59,c
Barchinonenſis Comes. 713,a
Barones feodati S. Dionyſij. 318,a
Barrenſe caſtrum. 38,a
Barri Comes. 163,b
Baſilius Imperator fit monachus. 80,a. à Nortmannis victus. ibid.
Baſilones 681,a
Bandoinus frater Godefredi. 779,a. 777,b. fit Rex. 840,a. eius expeditio in Arabiam. 842,a. moritur. 865,b
Bauoberch Monaſterium id eſt Bauonis mons. 23,b. ab Henrico Saxonum rege conſtructum. ibid.
Bauonis mons & Monaſterium. 23,b. 25,a
Beatrix Comitiſſa. 208,a
Beda ſcripſit hiſtoriam Anglorum. 1,a
Beleſmenſis Guillelmus. 541,a
Belfa. 300,a. Villana. 555,b
Bellimontenſis Comes Matheus. 583,a. 284,b. 285,a
Bellum inter reges Francorum & Saxonum
Beluacenſis Epiſcopus. 442,a
Benedicta recluſa. 256,a
Benedictus Cardinalis. 227,a. 248,b
Benedictus Papa. 23,c. 24,a
Berengarius. 259,a
Beroldus Epiſcopus. 181,b
Berardus Sneſſionenſis Epiſcopus. 191,a
Beraldus de Mercur. 663,a. 681,b
Berengarius damnat ſuam hæreſim. 87,c
Bernardus Piſanus. 561,a
Bernardus de Grandimonte. 475,a
Bernardus Abbas primùm Selemniacenſis, tum Belhlocenſis. 127,c. fit Epiſcopus Toloſanus. 128,a
Bernerius Meldenſis Epiſc. 71,b
Betta vxor Roberti. 118,a
Bertrada Philippi pellex. 283,a. 286,a. 293,b. ſuperducta. ibid. 298,a
Bertrada. 317,b

Bertrada Regina. 163, c. 164, a. 165, a
Betrada filia Comitis Montifortis rapta à Rege. 95, a
Bertrandus Comitis filius. 857, a
Beſue Monaſterium. 47, a
Berhem, prouincia Sibarorum lingua. 6, a
Bibliothecarius Romanæ Eccleſiæ. 200, a
Bindinus Antipapa. 309, c. ignominia afficitur. 310, a. pingitur in Camera Palatij. *ibid.*
Birro indutus. 7, a
Biſuntinus Archiepiſc. 212, b
Bituricæ regionis principes. 213, a
Bituricenſis Archiepiſcopus. 212, b. 147, a
Bituricenſis Archiepiſcopus. 450, a
Bituricenſis turris. 521, a. 515, b
Bituricorũ vrbs Aquitaniæ metropolis. 426, a
Blancha regina Franciæ. 440, a
Blandinenſe Cœnobium. 201, a
Boamundus iunior. 888, a
Boamundus. 779, a. 782, b. 819, a. Antiochiæ princeps. 837, a
Boamundus Durachium obſidet. 268, a. ducit Conſtantiam Ludouici Groſſi ſororem. *ibid.*
Boamundus iunior princeps Anthiochenus cæditur à Turcis. 288, a.
Boamundus princeps. 701, a
Boloniæ Comes. 430, a
Boloniæ Comitiſſa. 713 a
Bonifacius Marchio. 240, a
Bona limes. 21, b
Boſo Hiſpaniæ legatus. 369, a
Borbonum Comitiſſa. 525, a
Borgolienſe Cœnobium. 8, b
Brabantiones. 665, a. 681, b. 684, a. 418, a
Brachium maris. 777, c. 778, a. 779, b. 817, a
Braga. 1, a
Britanniæ Comes Gaufridus. 432, a. 440, b
Briuatenſis Eccleſia ad B. Petri. 607, a. 619, b
Brienſes. 292, a
Bruno Eremita. 89, c
Bruno Signinus Paſchalis PP. legatus. 288, a. Concilium Pictauis cogit. *ibid.*
Bruno Lingonenſis Epiſcopus. 25, c
Bruno Signinus Epiſcopus. 234 b
Bruſcorum gens. 6, a
Burchardus Archipræſul Lugdunenſis. 56, c
Buchardus Lugdunenſis Epiſcopus. 169, a
Burchardus Vienuenſis Archiepiſcopus. 569, b
Burchardus Rufus Monaſterienſis Epiſcopus deponitur. 291, a
Burchardus Turonenſis. 264, c. 265, a. 267, b
Burchardus Monmorenciaſenſis. 284, a. 309, b
Burchardus Comes Pariſienſis. 116, a
Burdecardus dominus Vindocini, Lanandini, & Mouris aurei. 121, c. fit monachus in fine. 122, a
Burcardi Comitis mors. 123, a. epitaphia. *ibid.*
Burdenus Antipapa incaucatus. 366, b
Burdegalenſis Archiepiſcopus bellum infert Toloſanis. 718, a
Burgalenſis Abbas excommunicatus. 607, a
Burgalienſis Abbatia ex fundatione Ducum Aquitaniæ. 493, a
Burgodionum Comes. 141, a
Burgulius. 269, a
Burgundiæ Duces. 88, b
Burgundiæ Duciſſa mendicans. 726, a

Burgundiæ Comes in tutelam ſuam recipit abbatiam regni Franciæ. 709, a
Burgundiæ Dux. 703, b
Buticularius. 385, a
Buticularij Franciæ iura. 625, a

C

CABILONENSIS Epiſcopus. 484, c. 485, a
Cabinolenſis Sindus. 205, a
Cadolus Antipapa. 201, b
Calipſa. 795, a
Caliſtus Papa auunculus Ludouici VII. 667, a
Calixtus. 866, a. obit. 880, b
Cambia fluuius. 269, a
Cambiatores. 531, a
Camelerij. 884, a
Cameracenſis occiſus electus. 565, a
Camerarius regis. 234, b
Camiſia Mariæ Matris Dei. 309, a
Cancellarius filius Comitis Pariſienſis. 118, b. poſt Pariſienſis Epiſcopus. *ibid.*
Cancellarius Rogerius, pòſt Beluacenſis Epiſcopus. 119, a
Cancellarius Franco, poſt Pariſienſis Epiſcopus. 119, b
Cancellarij ſummi Franciæ dignitatem ſibi arrogat Remenſis Archiepiſcopus. 162, c. 163, a
Cancellarius Eccleſiæ Romanæ. 202, a
Cancellarius Franciæ. 544, b
Cancellarius Pariſienſis. 567, a
Cancellarius Franciæ. 569, a. 570, b. gratia regis excidit. *ibid.* 575, a. 579, a
Cancellarius Balduinus regis Lud. VII. 516, a
Cancellarius G. 517, a
Cancellarius Franciæ Attrebat. Archidiaconus. 586, a. canonicus Eccleſiæ Pariſienſis. *ibid.* canonicus in Eccleſia S. Crucis Aurel. abſens integros fructus lucratur. 597, a, inuitis & repugnantibus canonicis. *ibid.* plebanus. 588
Cancellarius regis Angliæ. 466, a
Cancellarius Imperatoris Albertus. 289, a
Canis cum ſuſpendioſo ad exaclobandam pœnam. 316, a
Canliacum caſtrum. 284, a
Cannamelles. 838, a
Cantara vas vinarium 65, a
Cantor Pariſienſis. 416, a
Capiciarius Eccleſiæ. 189, a
Cardinales creati in Concilio Lateranenſi Galli. 436, a
Cardinales Romani diſciplinam Eccleſiaſticam emebant. 15, a
Cardinales Epiſcopi. 199, a
Cardinales Franci. 360, a
Cardinales Rom. gratiam Lud. VII. amiſerant, 576, a
Carolus Clotarij filius vnctus non fuit. 142, b
Caroli M. via Conſtantinopolim vſque. 772, a
Carolus Flandriæ Comes vexatus à Rege Angliæ. 447, b
Carolus Flandriæ, genus, laudes, cædes. 315, a
Caroli Calui domus Compendij. 64, a. quæ turris Caroli. 60, a

Carnotenſis Epiſc. 551,a. 554,b
Carnotenſis Epiſcopus. 440,a. 442,b
Carnotenſis Comitatus. 441,a
Carnarium. 374,a
Carroſum. 81,a. 82,b. 83,a. 191,a
Cartuſienſes Eremitæ. 379
Caſati. 164,b
Caſatus. 178,b
Caſtanedis ſylua. 44,b
Caſtellum de Galardone. 172,b. 190,c
Caſtellum Vindocinum. 175,a
Caſula S. Martini. 68,a. cappa. *ibid.*
Caſtellanus Geruaci caſtri ſuper Matronam. 291,a
Caſtrum S. Florentini. 56,a
Caſtrum Theodoricum vado. 146,a
Catalaunenſis Epiſc. 534,b
Catalaunorum Epiſcopus. 18,a. 22,b
Catapontum dignitas apud Græcos. 2,a
Cecilia regis Angliæ filia. 274,a
Celeſtinus Innocentij II. ſucceſſor. 387,a
Cella. 128,b. 164,c
Cœnomania efficitur iuris Comitis Andegauen. 319,a
Cœnomanenſis Comitatus. 474,c. 475,a
Chinonenſe colloquium. 467,b
Chimera beſtia. 883,c
Chounradus Imperator. 48,c. obit. 49,c. 55,a
Chremaldus Burbonenſis. 307,a
Chuernai. 840,b
Ciraudus à Guillelmo victus. 88,b
Ciuitatum catalogi. 221,b
Clarembaudus Catalaunenſis Epiſc. 680,a
Clarembaldus Andegauenſis. 256,a
Claribaldus bellipotens. 912,c
Claromontenſes & Podienſes Comites. 417,a
Cliotedrum. 888,b
Cluniacum Monaſterium. 29,c. vnde dictum. *ibid.*
Cluniacum in Maliſconenſi pago. 169,a. liberum. *ibid.*
Cluniacenſe Monaſterium religioſiſſimum. 10,a. Henricus Imperator mittit Cluni mulum aureum à Papa ſolemniter oblatum. *ibid.*
Colloquium Giſortij. 706,a
Colloquium priuatum Regis cum Epiſcopis. 367,b
Colloquium apud Carnotum. 535,a
Columbæ nuntiæ. 883,b
Comes de Mellento. 585,a
Comes S. Egidij. 208,a
Comes Daloi cognatus regis. 711,a
Comes S. Egidij. 597,a. 600,b
Cometa. 855,a. 858,c
Comes de Bouſſaolo. 779,a
Comati. 780,a
Comes Forenſis. 665,a
Cometes. 88,c. 97,b
Comitatus officium. 121,a
Comitiſſa Niuernenſis ſub cuſtodia Sugerij. 498,a
Comitiſſa Carnotenſis bello impetitur ab Hugone Puteolenſi. 294,b
Communia. 646,b
Communia. 23,a
Communia Viicliacenſium. 590,a
Communia. 520,b
Communitas. 390,a. 392,b. 412,c. 414,a. 418,b
Communitates Parrochiarum. 301,a. 306,b
Compēdienſes clerici & monachi. 543,a. 544,a. abbas. 545,a. 587,a. 628,b
Cōpedienſis Eccl. de iure B. Petri. 544,a. 618,b
Conanus Comes Britanniæ. 314,b
Concilio celebrando opportunum locum Sugerius obtulit Eugenio. 495,a
Concilium Biſuntinum ab Imperatore indictum. 581,a. 505,b. 620,c
Concilia Remenſia. 142,c. 143,a
Concilium Sueſſionenſe. 583,a
Concilium apud S. Dionyſium. 127,a
Concilium Meldenſe. 164,c
Concilium Pictauenſe. 226,c. 227,a. 228,b. 229,c
Concilium apud Airdias. 145,b
Concilium generale Eccleſiæ Gallicanæ Beluaci. 306,a
Concilium nolente rege. 455,b
Concilium Remenſe in ſimoniacos. 87,a
Concilium Toloſanum. 368,a
Concilium Rem. 378,b
Cono Prænestinus Epiſcopus. 245,c. 246,a
Cono Prænestinus Epiſc. legatus. 306,b
Cono Prænestinus Epiſc. 367,a. 368,b. 369,c. 371,a. 372,b
Cono Rex. 192,a. 194,b
Conſecratio Baſilicæ S. Aniani. 147,b
Coneſtabilis. 788,a
Conſtantinopolis. 821,c
Conſtabularij. 328,a
Conſtantia regina. 192,a. filia regis. 234,b
Conſtantia vxor Roberti Regis. 145,a
Conſtantia Regina. 300,a
Conſtantia Ludouici Groſſi ſoror nubit Boamundo. 288,a. vidua Hugonem Trecenſem aſpernatur. *ibid.* nuptiæ Carnoti celebrantur: genuit duos filios Ioannem & Boamundum. *ibid.*
Conſtantia Regina fortis & conſtans. 66,a. cognomento candida, filia Comitis Toloſani. 85,b. 91,a Henrico infeſta. 86,b. obit. *ibid.*
Conſtantia Alani Comitis Britanniæ filia. 725,a nuptias regis Scotorum ſpernit. *ibid.*
Conſtantiæ Reginæ Palatium Stampis. 64,b
Conſtantia filia regis Hiſpaniæ nubit Ludouico iuniori. 411,a. 415,b. 427,c. 441,a
Conſtantia rebellat in Robertum cum proceribus. 148,a
Conſtantia filia Comitis S. Egidij nubit Ludouico VII. 427,a
Conſtantia virgo. 258,a
Conſtantinus Imperator ex concubina Helena genitus. 47,c
Conſtantinopolitanus Imperator. 24,a
Conſtantia ſoror vnica regis. 721,b. 725,a
Conſuetudines regis Angliæ. 468,a
Conſul. 445,a
Conſules Romani de domo Petri Leonis. 712,b. 716,a 717,c. 764,b
Conſules Romani. 715,b
Conuerſio occident. & ſeptemtr. populorum. 11,a
Corbonenſis Comes. 328,b
Corranus Dux Brittonum. 14,a. vincitur à Ful-

tone Comite Andegauenſi & capitur. *ibid.*
Creſcentius Romam expellit qoem Otto Papa ordinari iuſſerat. 7, a. obſidetur in turri. *ibid.* præcipitatur & ſuſpenditur. *ibid.*
Criſpeienſis Comes. 220, a
Crocodili deſcriptio. 883, c
Cruce ſignati. 90, b. Crucifixi imago in media Eccleſia. 11, a
Cubilonenſis Comes. 417, b
Cumis oppidum. 40, a
Coriæ iudicium. 299, b
Curia Paſchalis. 137, a
Curia Comitis Andegauen. 330, a
Curia regis Bituricis. 320, b
Curia generalis imperij. 726, a
Curia ſolemnis. 369, a. 412, b
Curia priuata Papæ. 369, a
Curia Paſchalis. 225, a. in natali. 225, a. 233, a. 239, a
Curti. 814, b
Cuſtos Turris Burdegalenſis. 507, a

D

DAIMBERTVS Senooenſis Archiepiſc. 293, a
Daimbertus Archiep. Seoonenſis. 364, b
Daibertus Patriarcha Hieroſolymit. 838, a. 842, b. 843, c. 852, a
Dalphinos Comes. 721, b
Dapifer Theobaldus. 462, c
Dapifer Regis. 219, b. 220, a
Dapiferatus. 317, a. hæreditarius. *ibid.* domus regiæ. 328, a. Maioratus & Seoeſcallus. 329, a
Dauid Comes Cœnomanorum. 328, a
Demonis flumen. 821, a
Depoſitio Arnulphi Remenſis Archiepiſcopi. 101, a
Dialectici celebres. 96, a
Didiſis Comes. 209, a
Dienſis Epiſcopus. 211, c. 212, a. 213, c. 146, b. demum Lugdunenſis Primas. 258, a
Dietauit Conſtantinopoli Ludooicos iunior per aliquot dies. 499, a
Dinicus. 283, b
Diſcordia regis Angliæ & filiorum. 769, b
Diuio iuris Epiſc. Linguneuſis. 145 a
Diuiu caſtrum. 425, a
Diuortiū Ludouici iunioris. 411, a. 415, b. 427, c. 429, a. 440, b. 443, c
Diuionenſis Dux obligatos Imperatoris. 728, c
Diuionenſe Caſtrum. 37, b
Doleoſe Monaſterium. 426, a
Dolo. 425, b
Dolenſis Archiepiſcopus Ioannes. 258, b
Dolenſis Prior. 260, a. 263, c
Dolenſis Abbatia. 213, b
Dordiochinum, *Dourdans.* 365, c
Dracontius. 883, b.
Dordona Guaſconiæ limes. 332, b
Drogas caſtrum. 37, a
Drogo Montinenſis. 701, a
Drogo Montiacenſis. 284, a
Duellum anthoritate eccleſiæ. 242, b
Duelli Lex. 296, a. Duellum à Ludouico Groſſo Henrico Regi oblatum. 296, a
Durendus Aruerneuſis Ep. 253, a. 264. b

E

EBALOVS Remen. Archiep. 173, a. 179, a. 187, b
Eblo de malleone. 499. c
Ebraldus puteoli. 362, a. 375, b
Ebremarus Patriarcha. 856, a
Eccleſia S. Crucis Aurelian. 16, a
Eccleſia B. Michaëlis Archangeli crematur incendio. 26, c. vbi ſita. 27, a
Eclipſis. 95. b
Eclipſis Solis. 56, c
Eclipſis Solis terribilis. 49, a
Eclipſis Solis iterum poſt 4. annos. 49, c
Eclipſis Lunæ hominibus valdè tremenda. 55, c
Edeſſa à Sarracenis capta. 388, a
Egidius Comes S. Egidij factus homoligius regis Angliæ. 463, a
Egidius Ebroicenſis Ep. 430, a
Eldebertus Auenionenſis Epiſc. 169, a
Electio. 164, b
Electio Senonenſis Archiepiſcopi. 445, b
Electio Abbatis S. Dionyſij fieri non debebat rege inconſulto. 310, a
Electus Carootenſis. 474, a
Elias Aureli. Epiſc. 357, a
Elinandos Lauduneoſis Epiſc. 203, a
Elizabeth vxor Comitis Burchardi. 123, b. & paſſim in vita mariti. *ibid.*
Ella flumen. 132, b
Ellorenſis Epiſcopus. 211, c. 212, a
Elpe Comitiſſa. 264, a
Emma. 277, a
Emma vxor Rodolphi regis 4. filia Hugonis magni. *ibid.* a
Emmauricus de Monteforti. 369, a. 373, b
Engeriacenſis abbas. 263, b
Engeireannus de Boua pater Thomæ de Macna. 386, a
Engerianous de caloo monte. 308, a
Engoliſmenſis Comes. 432, b. 436 b
Engoliſmenſes Comites Arnaldus & Vuille: 80, c. 81, a. 84, b
Engoliſmenſes Epiſcopi. 80, c
Epiſcopus reus læſæ maieſtatis. 102, a
Epiſcopi nolebant parere Sogerio. 495, b
Epiſcopis nihil licebat in aliena diœceſi. 15, a
Epiſtola Francorum ad Vrbanum. 830, b
Eremiæ. 432, a
Erilandos vir litteratus. 262, a
Ermengaudis Comitiſſa Britanniæ. 325, b
Eſtachius terræ ſanctæ cuſtos. 870. moritur. 872, b
Eugenij epiſtola conſolatoria ad Sugerium. 493, a
Eugenius Papa. 345, a. qui Bernardus Piſanus. 387, b. aduentus deſcribitor. 421, a
Euſtachius Stephani regis filius. 417, a. ducit Conſtantiam Comitis ſancti Egidij filiam. *ibid.*
Etta fluuius Giſortium alluit. 296, a. 308, b
Euſtachius Comes frater Godefridi. 811, a
Euulus de Roccio Comes. 207, a

Examinatio per corpus domini. 64,c
Extirpatio ſimoniaca ab Henrico I. rege facta. 58,a

F

FABRATARSA. 527,b
Facilioſi. 297,a
Fames vniuerſa in orbe terrarum. 43,c. 44,a per ſpacium trium annorum. 45,a
Fanchetius patriarcha Hieroſol. 404,a
Federici Imperatoris Epiſtola. 726,a. 728,b
Fenus fluuius. 825,a
Fernandus Rex Hiſpanorum. 733,a
Ferrarias Abbatia regalis. 369,a
Ferrum candens. 225,a. 247,b
Fides corporaliter præſtita. 474, c. 475,a
Fidelitatis forma. 189,a
Fiducia. 781,a
Finalia chlamidis. 65,a
Firmitas Balduini. 294,c
Fiſcamnenſe Monaſterium ſupra mare Oceanum conſtitutum. 43,c
Flandriæ Comes. 121,b
Flandrenſes Comites. 144,a
Flandriæ Comites. 88,a
Flandriæ Comes Robertus. 820,a
Flandriæ Comes Philippus. 431,a. 436,b
Flandriæ Comes queritur apud regem Angliæ, quòd Rex ſibi auferat terram Comitis pecuniæ. 707,a
Flandriæ Comitatus datur Guillelmo Normanno. 316,a
Floriacus antiquitus Vallis Daurea. 135,a
Floriacenſis Abbatiæ priuilegia. 130,a
Floriaci fundatio. 59,a. 60,a. 61,c
Florentius Dux Friſiæ. 89,c
Flotta quid Normannorum lingua. 9,a
Forenſis Comes. 622,a
Forenſium & Lugdunenſium Comes quid. 308,a
Formata. 312,a
Forum publicum die ſabbati. 303,a
Foſſatenſe Cœnobium. 116,c. regale. 117,a
Foſſatenſes Abbates. 124, a. & paſſim in vita Burchardi. ibid.
Franci religioſi, 144,a
Fraxenetas. 6, b
Fredericus Dux Alemanniæ, nepos Henrici Imp. 390,a
Fredericus affligit Eccleſiam. 615, b
Fredelo Aulcienſis Epiſcopus. 169,a
Frigrides aliter ferociſſimi. 883,a
Frigium Papæ. 318,a
Frodo Andegauenſis vir doctus. 259,a
Fruttuarenſe Monaſterium. 29,b
Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus ſcientia clarus. 82,b
Fulbertus Carnotenſis Epiſcopus. 172, a. 546,b
Fulcherius Carnotenſis. 819,a. 825,b. 838,c
Fulco Andegauenſis Comes vincit Carnotenſem. 97,a
Fulco Hieroſolymitanus. 329,b
Fulco Comes. 188, b. 193, c. excommunicatus. 216, c
Fulco Andegauenſis Comes. 14,b. bellum gerit aduerſus Odonē Comitem Trecorum. 25,c
Fulco Comes Andegauēſis. 298,a. 307,b. 308,c. deſpondet filiam filio Regis Angliæ. 309, a. 313,b 314, a. 329,a
Fulco Andegauorum Comes obit. 49,c. eius ſepultura. ibid.
Fulco Andegauorum Comes. 26,a. auunculus Conſtantiæ Reginæ. ibid.
Fulco Epiſcopus Aurelianenſis. 68,b
Fulco Gaufredum fratrem Andegauenſem Comitem in vincula conijcit. 89,c
Functio. 298,a. 303,c
Fundibalaria. 299,a. 304,b

G

GALDINVS Epiſcopus Laudunenſis à Thoma de Manna occiſus. 306,a
Galo Pariſienſis Epiſcopus. 289,a. 293,a
Galo Electus Beluacenſis. 229,a. Epiſcopus Pariſienſis. 223, c. 244,a
Galo Pariſienſis Epiſcopus. 763,b
Galo S. Pauli Epiſc. in Britannia. 369,a
Galterius Tirellus idietabore à ſe non percuſſum Guillelmum Regem Angliæ. 283,b
Garaldus Vapicen. Epiſc. 169,a
Garlandenſes fratres. 287,a
Gaſtos de Biaer. 790,a. 812, b. 813,a. 814,a
Gaudefridus Comes Andegauenſis. 420,a
Gauderius de Monte-gay. 389,a
Gaufredus Comes Andegauenſis. 87,b. 97,a
Gaufredus Dux Norm. & Com. Andeg. 495,a
Gaufridus de Douidio. 532,a
Gaufredus Cabilonenſis Epiſcopus. 169,a
Gaufredus Carnot. Epiſc. 324,c. 325,a. 356,b. 357,a. 369, b. 377, a. 379, c. legatus. 382,a
Gaufridus Fulconis Andegauan. filius iacet in Eccleſia S. Iulianæ Turonis. 329,b
Gaufridus Comes ſepultus Cœnomanni. 330,a
Gaufridus Martellus Comes Andeg. Turonen. atque Cœnom. 377,b
Gaufridus Comes Vendonienſium. 849,a
Gaufridus Catalaunenſis Epiſc. 378,a
Gaufridus Burdeg. Archiep. 382, b
Gauſlinus Matiſconenſis Epiſc. 169,b
Gauzilinus Bitur. Archiep. 71,a 96,b
Gelaſius P. antè Ioannes Guitanus. 309, a. ci Sugerius primitias regni offert. ibid.
Gelaſius Papa meditabatur Concilium Remis conuocare. 366,a
Gelaſius Papa. 866, a
Gemet degener. 284, a
Geraldus Abbas Syluæ maioris. 270,c. 271,a
Geraldus de Monaſteriolo. 420,b
Geraldus Engoliſmenſis Epiſcopus fauet Petro Leonis. 324,a. quondam legatus Turonicæ, Auxenſis, & Burd. prouinciæ. ibid. deprædabatur has prouincias. ibid. & 383, a
Gilo Tuſculanus Cardinalis Epiſc. fauebat Petro Leonis. 324, a
Gerberga Comitiſſa. 171,a
Gerberga vxor quondam Giſleberti D. S. vxor Ludo. regis. 260,b. mater Lotharij. ibid.
Gerbertus Gallus primùm Reménſis Archiepiſcopus, dein Rauennas, tunc demum Romanos pontifex. 7,a. humili genere. ibidem. doctus. ibid.
Germania iure pertinet ad Reges Frāciæ. 302,a
Geruacum caſtrum. 291,a

Geruſius Remen. Archiepiſcopus. 198.a.& *ſeqq.*
Geſta Pontificum Remenſium. 143,a
Gilbertus Pictauenſis Epiſcopus. 439,a
Gilduinus Abbas S. Victoris. 322,a
Giraldus Comes Matiſconenſis. 704,a
Giraudus Ep. Lingonenſis. 389,c
Girbertus Remenſis, Rauennas, Romanus Epiſcopus. 64,a. primum monachus S. Benedicti. *ibid.*
Giſlebertus de Aquila. 283,
Gladius Vvelfoni Duci vbique præferebatur. 289,a
Glabri Rodulphi monachi viſio. 50,c. 51,a.b
Glannofolium Monaſterium. 29,c
Gualetannus Vilcampi primus Abbas. 327,a
Gualo Dux totius primæ Rhetiæ regionis cis Rhenum. 38,a
Godofridus Ep. Lingonenſis. 395,c. 420,a
Godofredi Bulionenſis genealogia. 772,a
Godefridus Bulion. 772.a. 777,b. 782,a. 819,b. 890. a. 891,a. eligitur in regem. 812,a. 837,b. moritur. 840,a
Godermannus Ambianenſis Epiſc. 101,a
Godefridus Ambianenſis Epiſcopus. 543,a
Goftidus Btilagonuella 328. a. ſeruiebat Roberto Regi cum tribus millibus armatorum. *ibid.* donat ei Robertus quicquid Lotharius poſſidebat in Cœnom. & Andega. *ibid.* fugit & cædit Othonem. *ibid.* Maior & Dapifer. *ibid.*
Goffridus Abbas Vindocinenſis. 359,a
Goffredus Carnot. Epiſc. 312,b
Goffredus Martellus. 149,c. 150,a 258,b
Goſſelinus Comes Edeſſanus. 869,a 872,b
Gozelinus Burdegal. Archiep. 210,a
Gozfredus Turonicam vrbem obſidet. 56,a
Gualo vir fortis gener Hugonis duxit Humbergam. eius frater Eurardus. 905,a
Gualterius de Meduana. 248,a
Guarinus Beluacenſis Epiſcopus. 73,b
Guaſcones perfidi. 131,a
Guelphus Dux. 403,a
Guibertus Antipapa. 818,a. 850,b
Guido frater Boamundi. 799,a
Guido de Rupeforti. 372,b
Guido Comes Niuernenſis. 392,b
Guido Tiburtinus Epiſc. 377,a
Guido de Gualatdone. 369,b
Guido Senonum Archiepiſcopus. 357,a
Guido Catalau. Epiſc. 357,a
Guido Troſſellus 359,a. filius Milonia Vicecomitis. *ibidem.* Adelais vxor eius. *ibidem.* 365,a
Guido Vicecomes Stampenſium. 365,a. filius Hugonis Magni domini puteoli. *ibid.* 372,c. 373,a
Guidonis Truncelli Milonis de Montheleeij filij filia vnica nubit Philippo filio Bercadæ Andeg. Com. 586,a
Guido de Rupeforti. 287,a. Dapifer. 289,a. Comes. 304,b. bellum mouet aduerſus regem. 591,c. 292,a
Guido Viennenſis Archiepiſc. nobiliſſimus eligitur in Papam. 310,a
Guido Siluanectenſis. 285,a
Guido Turonenſis doctus. 267,a
Guido Longobardus. 89,c
Goillemus Marchiſius de Montferrati. 403,a
Guillelmus Seneſcallus. 369,a
Guillelmus Pictauenſis Comes. 381,b
Guillelmus Niuernenſis Comes. 382,a
Guillelmus Comes Pontinienſis. 392,b
Guillelmus Cómes Niuernenſis. 418,a. 426,b. 427,a. Carthuſianus. 438,c
Guillelmus Præneſtinus Epiſcopus. 377,a
Guillelmus Dux Aquitaniæ. 313,a. 315,b. nuptias filiæ Carrettæ permittit. 313,b
Guillelmus Baſtardus auctor cædis Caroli Flandriæ Comitis. 316,a
Guillelmus Comes Burgundiæ. 208,a
Guillelmus Dux Norman. 9,a
Guillelmus Dux Aquitanorum. 175,a. 185,b. 189,a. 510,a. eius filius Rex Italiæ deſignatur. 192,a. 193,a. 194,b
Gúillelmus de Belliſſimo. 185,a
Guillelmus Engoliſmenſis Epiſcopus. 265,b
Guillelmus iunior vſurpat Angliam & Normanniam exhæredato fratre maiore natu. 283,a
Guillelmus Angliæ Rex ſagitta percuſſus interiit. 283,b
Guillelmus de Montepiſtetio. 785,b
Guillelmus filius regis Angliæ hominium facit regi Ludouico de Ducatu Norm. 597,a
Guillelmus Garlandenſis. 303,a. facit homagium de Dapiferatu, Comiti Andegauenſi. 329,b
Guillelmus Iordanis. 857,b
Guillelmus Comes Trauſſagonnanus. 85,b
Guillelmus Dux Normanniæ Eduardo Angliæ regi ſuccedit. 88,c
Guillelmus Dux Aquitániæ Hiſpaniam vaſtat. 88,b
Guillemus Dux Normannorum. 149,b
Guillelmus Burdegalenſium Comes. 131,a
Guitbertus Rauennas Epiſcopus Clemens Antipapa. 89,b
Græci ignes. 805,b
Graona fluuiolus. 29,c
Gregorius V II. 818,a
Gregorius V II. 207,a. *& ſeqq.*
Gregorius Ioanni Papæ ſuccedit. 129,b
Grippis auia. 67,a
Griſogonus Cardinalis. 370,a

H

HAIMERIVS Tuſculanenſis Epiſ. 387,a
Haimerius Cancellarius Eccleſiæ Romanæ. 377,c
Haimo Varia Vacca Burbonenſis dominus. 307,b
Haimo Comes Carboili. 116,b
Hæreſis in Italia. 41,c
Hæreſis apud Aurelianenſem vrbem. 35,c à muliere Itala proceſſa. *ibid.*
Hæretici. 22,b
Hæretici vitandi. 126,a
Hæretici in Narbonenſi prouincia. 574,a
Helgaldus Floriacenſis monachus. 85,c
Helinandus Hiſtoricus. 440,a
Heribertus vnus primatum Franciæ. 4,a. Caroli Hebeti ſuſpectus. *ibid.* excipitur oſculo

à Carolo. *ibid.* Carolum in carcerem condit. *ibid.* morte crudeli obit. 5,a
Heribertus Comes Trecorum. 18, b. pater Stephani. 25,c
Herluinus Pariſienſis. 285,b
Hernodius de Baugeucio, ex ſanguine regio. 326, a. fit monachus. 317,b
Hermandus Veronniæ Marchiſius. 403,b
Herbertos Comes Cœnom. 173, a
Heribertos Trecorum Comes. 38,c
Hermannus Epiſcopus Viuarienſis. 169,a
Hermeuij. 782,a. 800,a
Henrici Imperatoris Legati. 289,b
Henrici expeditio & Ludouici in Hiſpaniam. 390,a
Henricus Saxonum Rex Agnetem filiam Vvilelmi Pictauorum ducis, vxorem ducit. 55,b. omnibus amabilis. *ibid.* c.
Henricus Rex ſuccedit Roberto. 86, b. mater & proceres ei infeſti. *ibid.* victor. *ibid.* Odo frater rebellat. 76, a. Odo vincitur. 87, b. Pelueris caſtrum recipit Rex. *ibid.* in Normannos ducit exercitum & ſubiugum mittit. *ibid.* Machildem duxit. *ibid.* ea defuncta Annam Ruſſorum regis filiam. *ibid.* 97, a. ex qua tres filios ſuſtolit. *ibid.* eius obitus. 88,a
Henricus Comes Meldeoſis. 389,b
Henricus filius Theobaldi Comitis Bleſenſis. 392,a
Henricus Tullenſis Epiſc. 403,b
Henricos filius Theobaldi veteris Comitis Campaniæ. 403, c
Henricus filius Comitis Andegauenſis Normanniæ feudo inueſtitur à Ludouico iuniore. 410,a
Henricus Andegaueuſis, Dux Normanniæ duxit repudiatam Ludouici. 7,a. 411, b. 428, c. bellum inde ortum. *ibid.* c
Henricus Comes Palatinus Trecenſis. 416, a. 424, b. 415, c
Henrici regiæ prolis benedictio. 181, a. Henricus Rex. 190, a. viuo adhuc patre. a
Henrici Saxonum regis annus L. M 1[illegible]5, a. poſtmodum fuit Imperator. *ibid.*
Henricus ſuccedit Ottoni III. 8, a. ei obuiam procedit Papa. 10,a
Henricus Dux Burgundiæ frater Hugonis Cap. 11, a
Henricus Comes. 517, b. Theobaldi filius. 518, c. 519, a
Henricus Rex Auglorum interdicitur. 562, c. 563,a
Henricus Rex Angliæ. 379,a
Henricus Comes fœdus iniit cum Imperatore rege inſcio ſuimet ſchiſmate. 576, a. 581,b
Henricus Senonenſis Archiepiſ. 374, a. 377,a
Henricus Rex Angliæ antiqusm cpoſuetudinem firmauit. 295, a. bellum fouet in Gallia. 301, b. 302, c. 313, a. feodatus. 307, a. terretur. 308, s. obſidet vibem Rem. 312,b
Henricus II. Roberti regis filius fit Rex. 37,a
Henricus Saxooom Rex Chriſtianiſſimus. 53, a. eius mors & ſepoltura. 55,b
Henricus Roberti regis filios Dux Burgundiæ. 85, b. demum Rex Burgundiam Roberto fratri dat. 86,a
Henricus Imperator capit Paſchalem. 290, c. in eum anathema dicitur in Concilio Gallicano. 291, a
Hiberis fluuius Aluerniæ. 314,a
Hieruſalem obſidio. 91, c. 92,a
Hildebrandus Gregorius VII. Henricum Imperatorem excommunicat inuito Coocilio. 89, a. pœnitentem nnn recipit. *ibid.*
Hildebertus Cœnoman. Epiſcopus. 225,b
Hildefunſi Regis Hiſpan. 379,b
Hoel Cœnoman. Epiſcopus. 252,b
Homo quidam inuentus eſt in Tugurio cum 48. capitibus trucidatorum, quorum carnes ore belluino vorabat. 44, c. captus crematus eſt. *ibid.*
Homo quidam plebeios oſſa hominom è terra effoſſa pro reliquiis Sanctorum dabat. 42, b. c
Homines lenitate vsnilliini, hiſtrionum more barbis raſi. 38, c eorum deſcriptio verſibus. 39, a
Hominium. 283, c. 284, a. 287, b. 781,a
Honorius P. electus. 312, s. grauis & ſeuerus. *ibidem.*
Hoſtis, exercitus. 289,a. 292,a
Hugo primogenitus Roberti Regis. 35, c. bonæ indolis puer. *ibid.* Rex factos viuente patre. 36, a. magnus dictus. *ibid.* b. eius mors. *ibid.* & ſepultura. 37, a
Hugo de S. Victore. 385,a
Hugo Comes. 171,a
Hugo Rex filius regis. 172, b. 173,c
Hugo Trecenſis Comes. 240,a
Hugo Magnus regebat regnum Fraocorum. 4, a. Roberti Pariſiorom Comitis filius. *ibid.* Rex. 145, a. 147, b. eius ſoror Emma nupſit Rodulpho Richardi Ducis Burgundiæ filio. *ibid.* duxit vxorem Haduidam Ottonis primi ſororem. 5, a. Dux Pariſienſis. 12,a
Hugo Cap. filius Hugonis M. Rex vngitur. 15, b. Regibus Saxonum affinitate iunctus. *ibid.* a. viuo Robertum filium regem Aurelianis conſtituit. *ibid.* inuitus ſuſcipit regnum. 144,a
Hugo Lixiniacenſis. 809, a. frater Raimundi Comitij. 849,a
Hugo Puteacenſis rebellis. 153,a
Hugo Magous conſtruxit Monaſterium S. Maglorij Pariſios. 67, b
Hugo Gornacenſis 445,a
Hugo Roberti filius conſors regoi. 85, c. 96, b. Pius. *ibid.*
Hugo S. Germani Pariſ. Abbas. 374,a
Hugo Puteolenſis. 299, a. captus. 301, a. ex carceratus. *ibid.*
Hugo Archiepiſc. Rotom. 379,a
Hugo Laudunenſis Epiſc. 346,a
Hugo Antiſſiodor. Epiſc. 357,a
Hugo de Creciaco. 365, b. fit monachus. *ibid.*
Hugo Rothom. Archiep. 342, a. 353, b. 357,a
Hugo Abbas de firmitate. 286,a
Hugo Creciacenſis. 294, a. 299, b
Hugo Claromontenſis. 284, c. 285,a
Hugo Autiſiodorenſis Epiſc. 49, c. obit. *ibid.*
Hugo de Cleriis legatus Fulconis Andegauenſis Comitis. 328,b
Hugo Dienſis Epiſcopus. 164, a. Gallicanum legatus. *ibid.*
Hugo Niuernenſis Epiſc. 293,a

Hugo Gornacenſis. 308,a
Hugo Treceenſis Comes. 313,a
Hugo Placentinus Epiſcopus, canonicus ſit S. Victoris. 764,a
Hugo Magnus. 778, a. 782,b. 819,a. 891,a
Hugo Epiſcopus Autiſiodori. 26, a. ante regem trucidatus. ibid.
Hugo de Leginiaco. 701,a
Hugo de Pompona miles. 291,a
Hugonis regis epiſtola. 113,a
Hubertus Syluanectenſis Epiſc. 98,b
Humbertus de Bello-ioco. 707, a. vide Imbertus. 704,a
Humbertus Cardinalis. 377,b
Hunbaldus caſtri S. Seueri dominus. 292,a
Huneraldus Antiſiodorenſis Epiſc. 293,a
Hungarorum Rex fines Galliarum irrumpit. 9, a. fit Chriſtianus cum ſua gente. 10,a
Hieroſolyma iuſſu principis Babylonis penitus euerſa. 31, c. eius occaſio. ibid.
Hieroſolymitana peregrinatio. 128,a

I

IDELFONSVS Suppoſititius. 731,a
Igniti vomeres. 110,b
Ilerdenſis Epiſcopus. 733,b. 734,a
Illuſtris. 61,b
Imbertus de Bello-ioco. 704,a
Imperator eligendus à Pontifice. 10, a. imperij inſigne malum aoreum cruce inſignitum. ibid. procedit ex more obuiam Imperatori Papa. ibid.
In Cabilonenſi pago ſunt qui viderunt ex pano ſacrato veram carnem effectam. 54,a
Ingo Abbas Maſciaccuſis primùm, dein S. Germani. 64,a
Innocentius Papa. 376,a. 385,b
Innocentius Papa vnxit Ludouicum VII. 418,b
Innocentij electio. 317,a. eius in Galliam adnentus. ib. in Lotharingiam diſceſſus. 318,a
Innocentius Papa comitatur Lotharium Italiam depopulantem. 291,a
Inſignia Regni. 293,c
Inſignia Apoſtolatus. 290,a
Inter-cœlos Turris Romæ. 7,a
Interdicit regnum Innocentius. 387, a. interdictum ſoluit Celeſtinus. ibid.
Ioueſtitura. 89,c
Inueſtiturarum diſſenſio. 366,b
Inueſtiturarum querela. 288, a. vſus. 289,a. priuilegium à Papa conceſſum. 290, a. irritum & caſſatum. ibid.
Ioannes Aurel. Epiſc. 295,b
Ioannes Stampenſis. 336,a
Ioannes Hoſtienſis Epiſc. 377,a
Ioannes Cremenſis Cardinalis. 377,b
Ioannes Aurelianenſis Epiſcopus. 98,c
Ioannes Papæ obitus. 18,a
Ioannis Cardinalis. 226,c. 248,b. 217,a
Iocius Turonenſis Archiep. 425,b
Ioculator. 186,a
Iohel Cœnomanenſis. 252,a. Abbas. 253,b
Ioſlenus Ep. Sueſſionenſis. 325,a. 327,b. 326,c
Ipia caſtrum. 316,a
Iporeia ciuitas. 40,a
Iſembertus Pictauenſis Epiſc. 211,a
Italiſugaces. 8. perfidi. 193,a. Gnamatici. 22,b
Iudæi ſpoliandi. 461,a
Iudicata in Francia emendabantur Andegauis. 330,a
Iuo Carnotenſis Epiſcopus. 98,a
Iuo Carnotenſis Epiſ. 300, a. carcere tentus. ibid. reformauerat canonicos regulares S. Quintini. 312,a. 336,b
Iuo Carnotenſis ſapientiſſimus. 293,a
Iuo Comes Sueſſionenſis. 392,a
Iuramentũ inconſultũ. 452,a. herodianũ. 454,a
Iuriſchlot. Rex Ruſſorum. 87,c
Iuſiurandum per animam patris. 66, a. ſuper reliquias Sanctorum. ibid.

L

LAMBERTVS Lingonenſis Epiſc. 301,a
Lancelinus Bulenſis Dommmantini dominus. 301,b
Landricus Neuernis Comes. 25,c
Lateranenſe Concilium Alex. III. 436,a
Laudunenſis Epiſcopus. 440,c. 441,a
Laufrancus. 89,c
Legatus Romani Pontificis pro pace. 146,b
Legati Papæ non interſunt conſecrationi regis niſi honoris gratia. 162,b
Lemouicus Vicecomes. 81,a
Lemouicenſis Vicecomes. 412,a
Leobaldus Epiſcopus. 170,b
Leodebodus Abbas temporibus Clotharij. 59,a
Leodegarius Epiſcopus. 62,c
Leotaldus Comes. 170,c
Leotericus Senonum Archipræſul obit. 37,c
Leothericus Senonenſis Archiepiſcopus. 73,b
Lethbaldus ad ſepulchrum Saluatoris Hieroſolymis venit. 46,c. & paulò pòſt gaudio moritur.
Leutherius Senon. Archiep. 178,a. 146,a. 147,b
Leuticorum gens barbara 48,c. eius vocabulum à luto deriuatur. ibid.
Lex Salica dicitur quælibet vetus conſuetudo. 292,a
Ligerittus fluuius. 69,a
Litteræ contradictoriæ. 295,b
Lotharingiæ Dux ab Eugenio excommunicatus. 495,a
Lotharius Dux Saxoniæ, creatur Imperator. 291,a. Italiam, Apuliam, Campaniam depopulatur. 390,a
Lotharius malos inno. 318,a
Lotharius Rex confirmatus. 5,a. agilis corpore, ſenſu integer. ib. regnum reformare tentat. ibid. inſidias Ottoni II. parat. ibid. perſequitur Ottonis exercitum. ibid.
Lotharij regnum hodie Lotharingia pars regni ſuperior. 5. vſurpatum ab Ottone Saxonum Imper. ibid.
Lucacenſe Monaſterium. 49, c. conſtructum à Fulcone Andegauorum Comite. ibid.
Lucius Papa. 769,a
Lucius Celeſtini ſucceſſor. 387,a
Ludouici VII. geſta in expeditione terræ ſanctæ. 495,a
Ludouici regis exercitus in Henricum Imperatorem numeroſiſſimus. 312,a
Ludouici Groſſi facinus audax. 291,a
Ludouicus Craſſus conſecratur Aurelianenſis. 293,a

Ludouicus Groſſus Carnutum obſidet. 309,a
Ludouicus VI. educatus in conſuetudine apud S. Dionyſium. 282,a
Ludouicus Rex. 142,a
Ludouicus Groſſus Rex deſignatus. 188,b
Ludouicus iunior in Sicilia. 522,a.524,b.525,a
Ludouicus filius Lotharij. 5,a. ducit vxorem ex Aquitanis. *ibid.* quæ ab eo diuertit. *ibid.* patre minus induſtrius. *ibid.* ſine liberis deceſſit. *ibid.*
Ludouicus Caroli Hebetis filius fugiens O-ceanum tranſit. 4,a. eligitur Rex & vngitur hæreditario iure regnaturus. S. Gerbergam Gideberti D. ducit. *ibid.* ex ea Lotharium tollit. *ibid.*
Ludouicus filius Ludouici Groſſi coronatur. 319,a.ab Innocentio Papa. 324,b
Ludouicus Groſſus moriens monachus efficitur. 319, a. Ludouicum filium annulo inueſtit. 320,a. ſupellectilem Eccleſiis & pauperibus diſtribuit. *ibid.*
Ludouicus Rex ducit Alernoiam Ducis Aquitaniæ filiam. 310,e.321,a
Ludouicus Rex duxit proneptim Vvidoonis Vienn. Archiep. poſtea Papæ. 367,a
Ludouicus electus Bituricenſis. 386,c
Luſarchium caſtrum. 284,a

M

Macharius nepos Alberici Epi. hoſt. 385,b
Machomaria. 790,a
Magalona inſula. 309,a
Mahildis Regina. 87,b
Mahometi genealogia ab Abraham. 6. in eo cõpletas prophetias nugantur Sarraceni. *ib.*
Maieſtatis reos. 188,b
Maingaudus Teutonicus illuſtris. 89,c
Maiolus Abbas Cluniacenſis. 117,b
Maiolus Cluniacenſis Abbas à Sarracenis captus, S. Bibliam ex more deferebat. 6,a
Maior villæ. 424,a. Maioris. *ibid.*
Maioratus regni. 328,a
Malliacenſe Cœnobium. 81,a
Manaſſes Epiſc. Meldenſis. 293,a.342,b.357,a
Manaſſes Epiſc. Aurelian. 424,a. 496,b.497,a
Mandatum. 72,a
Mandatum apoſtolicum. 592,a
Mandunum caſtrum Ep. Aurelianenſis. 285,a
Mangunnella. 299,a
Manichæi. 729,a
Manichæi canunici Aurelianenſes. 81, c. in Aquitania. 83,a
Manicheorum Dux Liſcius. 85,a
Manuel Imperator. 566,a.579,b.614,c.490,a
Mantum inſigne Papatus. 567,a
Marchia. 297,a. 301,a. 307,a.310,b.312,c
Marchia caſtrum. 667,a
Marchiæ Comes Albertus.435,a. Audebertus. *ibid.* 438,a
Marchio Stampenſium Vicecomes. 365,a
Mareſcalli metatores. 329,a. mareſcalciæ feudum. 330,e
Margareta filia Ludouici iunioris ex Conſtantia nubit filio regis Angliæ. 411,a. 415,b
Maria Ammirati Babyl. principis mater. 32,b
Martellus. 258,a
Matheus Alban. Epiſc. 377,b.378,a
Matheus de Montemaurentiaco. 331,a
Matildis in Italia potens. 819, a
Mauricius Pariſienſis Epi. 419,a.425,b.442,a
Mauricius Pariſienſis Epiſc. 621,b
Medicus. 550,a
Mediens Robertus. 532,a
Meduntenſe caſtrum. 286,a
Melecedenſe Cœnobium. 51,b
Meleeenſe Cœnobium. 31,c
Mellentinus Comes. 120,a
Mercatores regis. 530,b
Merginfredus Marchio. 194,b
Merlinus vates. 255,a
Meratum. 134,a
Metropoles vnde dictæ. 878,b
Milo Trecenſis Vicecomes. 287,b
Milo Ternanenſis Epiſc. 357,a
Milo de Bruio. 309,b
Milo de Monteliherico. 365,b
Miniſteriales Aquitaniæ à Rege cõſtituti. 507,a
Miſſa S. Ioannis Baptiſtæ. 71,a
Molæ in annales. 845,a
Monachi montis Sina quotannis Xenia repetebant à Ducibus Normannorum. 9,a
Monachorum otium laborioſum. 126,a
Monachorum diuitias arguit Alexander III. 479,a
Monaſterium B. Martyris Leodegarij. Capellis cognominatum. 50,c
Monaſterium S. Sauini Confeſſoris Pictauenſis. 29,c
Mons-iouis. 24,b
Mons-aculus caſtrum pagi Laudunenſis. 285,a
Monſtrum. 141,a
Moriẽnæ Comes auunculus Ludou. VII. 392,a
Morini Flandrenſes. 891,b
Morinorum Epiſc. 552,a
Moritoniæ caſtrum. 328,b
Morſperenſis Comes Albertus. 554,b
Mors Sarracenorum ad prælia euntium. 48,b
Montisferati Marchio. 708,a
Morget Sarracenorum princeps. 48,b

N

Nannetenſis Comes. 767,a
Nantildis vxor Dagoberti. 348,a
Natalis Abbas. 251,a
Natalis Cancellarius Regia, Rabaſcenſis Abbas. 385,a
Nauariæ Dux. 20,a
Neolgoriẽſis Comes 674,a.707,b.716,a.718,b
Neuelo magiſter Philippi fratris regis. 555,a
Nenernis Comes. 25,b
Nicolaus Papa. 298.c. & *ſeq.*
Niuernenſis Comes. 314,a
Nominatio regis. 568,a
Normanni Siciliã & Calabriã inuadunt. 86,a
Normanni Gallias infeſtant. 8,c. vnde dicti. *ib.* Gallias igne & gladio vaſtãt. 9,a. Normann. duces fortes & Pij. *ib.* iis datum ius eõoobij. *ibid.* Normanni bonæ fidei mercatores. *ibid.*
Normannis Franci iuuideor. 149,c
Noroenſis gens. 859,a
Nundinæ malè dictæ torneamenta. 516,c.518,a
Nuptiæ inceſtæ Roberti regis. 145,a

O

OBEDIENTIA. 176,a
Octauianus Schiſmaticus. 567,a.576,b
Odilo Abbas Cluniacenſis. 19,a.170,b
Odilo Cluniacenſis Abbas. 73,c.82,a.83,b
Odilo Abbas. 27,c
Odo filius Roberti priuatus remanſit, 86,a. rebellat. *ibid.* capitur. 87,b
Odo Comes. 64,c. 86,a. eius filij Theobaldus & Stephanus. *ibid.* 97,c
Odo Hoſtienſis Epiſc. 275,a.276,b.277,c.278,a
Odo Comes. 172,c. 173,a. 178,a. 179,b. 180,a 182,b. 184,a. 187,a. 190,b. Carnotenſis. 18,a. & Turonenſis. *ibid.* Fallax dictus. 25,a
Odo Dux Burgundiæ. 620,a
Odo filius Theobaldi à patruo exhæredatus. 87,a
Odo I. Archiep. Tyriæ. 869,a
Odo de Dolis. 193,a
Odo Comes Corbeilenſis capitur. 194,a. moritur. 302,b. filius Buchardi. *ibid.*
Odo Beluacenſis. 353,c. 317,a
Odo S. Remigij Remenſis Abbas. 374,a.385,b
Odolricus Epiſcopus. 68,c.73,a
Odolricus Aurelianorum Præſul. 47,a
Odolricus Aurelianenſis Epiſcopus. 578,a
Odolricus Lingouenſis Eccleſiæ Archidiaconus. 57,b
Odones. 271,a. Odo II. Comes Bleſeoſis. 25,a
Odulricus Epiſcopos Tricaſſinenſis. 169,a
Oratio Dominica ſub ſilentio dicitur. 378,a
Orbis terrarum ornamentum regium. 68,b
Orta foreſta. 666,b
Oſcula & manus datæ vaſallis. 475,a
Oſculum ſeu labratum regis, annui excipiebant proceres. 4,a
Oſculabatur genu regis etiam regina. 4,a
Oſtiarius regiæ domus. 753,a
Oſinna Comitiſſa. 266,a
Otherius vnus è primatibus Aquitaniæ. 236,a
Otho frater Imperatoris clericus. 403,a
Otto I. Henrici Saxonum regis filius. 5,a. moritur. 6,a
Otto Rex Saxonum Imp. Ro. II. filius primi a maximi Ottonis. 5. fugit cum vxore. *ibidem.* venit vſque Pariſius cum exercitu. *ibid.* fugatur. *ibid.* Lotharingiam vſurpat. *ibid.*
Otto III. annorum xii. imperat. 7,a. iure paterno. *ibid.* acer viribus & ingenio. *ibidem,* conſanguineum in Papã ex more ſublimari mandat. 7,b. Creſcentium obſidet. *ibid.* ſupplicem nõn lædit. *ibid.* ducit viduam Creſcentij. 8,a ab ea diuertit. *ib.* in Italia obit. *ib.*
Ouuinus Vvaliarum princeps. 731,a

P

PAGANVS Montis-gai. 583,a.302,b.305,a
Paganus de Giſortio. 283,a.296,b
Papa non debet canones ſpernere. 15,a
Papa procedit ex more Imperatori. 10,a
Papæ celebrabant paſcha apud S. Dionyſium. 345,a
Palatia Romana miri artificij. 256,a
Pallium Arnulfo redditum, 131,a
Pannetarius. 330,a
Papilio. 284,a
Paredo Monaſteriũ. 26,a. à quo cõſtructũ. 15,c
Pares. 187,a
Pares communiæ. 519,a
Pares Franciæ, Normannus coronam auream profert, Flandrenſis gladium. 437,a
Parlamentum. 392,c.403,a.409,a
Pariſienſis Epiſcopi querimoniæ contra regem. 446,a
Pariſienſis Epiſcopus. 18,a. 218,b. 222,c
Pariſienſes Scholæ. 567,a
Pariſius regni caput. 390,a
Pars virgæ Moyſi inuenta. 30,b
Paſchalis Concilium generale Trecis conuocat. 289,c. moritur. 309,a
Paſchalis Papa. 228,c. 219,a
Paſchalis Papa venit in Galliam. 288,c. Turonis apud S. Martinum ſergium fert. 289,a
Paſchalis Papæ mors. 869,b
Patriarcha Hieruſolymitanus à Papa miſſus Dagberius Piſanus. 91,a
Paulus Diaconus ſcripſit hiſtoriam Longobardorum ſeu Italiæ. 5,a
Pax inter Alexand. III. & Fredericũ 563,a.602,b
Pax inter Ludonicum, & Henricum Angliæ Regem. 589,a
Pax ad decem annos à Ludonico ſancita iurantibus ſummatibus regni. 583,a. quibus cõditionibus recepta ab Hẽrico Trecenſi. 384,b
Pedagia. 667,b
Pedagica. 530,a
Pedalica noua Rex prohibebat. 707,a.709,b. 738,c
Pedalicum. 674,a
Peſagia. 904,a
Pertea. 821,a
Perſæ. 781,a
Petragoricenſes Comites. 80,c
Petragoricenſis Comes. 137,b. 140,a
Petrariæ. 822,a. 834,b
Petraciæ. 695,a
Petri Leonis genus. 376,a. electio. *ibid.* 383,a
Petri Leonis antipapæ electio. 317,a
Petrus Rubens Cardinalis. 377,a
Petrus Abuilardus. 377,b. 438,a. 439,b
Petrus Capellanus Regis. 386,c
Petrus Haimerici Cancellarij Rom. conſobrius. 386,a. electus Bitur. Archi. *ibid.*
Petrus Beluac. Epiſc. 367,a
Petrus Vaſſinenſis Epiſcopus. 169,b
Petrus Syluanectenſis Epiſc. 342,a.351,a. 353,b
Petrus de Courtenay frater regis. 433,a
Petrus Moranus celebris hæreticus damnatus. 488,a. conuerſus. *ibid.* pœnitens. *ibid.*
Petrus de Caſtellione. 785,a.790,b.807,c
Petrus Comeſtor. 441,a
Petrus Comeſtor. 561,a. Decanus Trecenſis. *ib.*
Petrus Pictauenſis Epiſcopus. 470,a
Petrus Eremita. 727,b
Petrus de Gerberodo. 652,c
Philippi conſeruatio. 150,a. 161,a.162,a
Philippi corpus ſepultum in Monaſterio S. Benedicti ad Ligerim. 293,b
Philippus Bertradæ rebellat. 299,a
Philippus Frãcorum Rex. 205,a.208,b. & *ſeqq.*
Philippus frater Ludouici VII. 543,c.544,a. 555,a. Archidiaconus. 590,a

Philippus Ludouici Groſſi filius petit. 319,a
Philippus I. Rex ſub tutela Comitis Flandriæ, 88,a
Philippus I. ducit Bertham filiam Ducis Friſiæ. 89, c. ex qua Ludouicum. *ibid.* Bertradam capit. 93, a. excommunicatus Pictauis. *ibid.* abſolutus. 94, b. moritur. 95, a. conſecratur. 98,a
Philippus Rex vngitur. 373,b
Philippi I. epitaphia. 167,a. 168,a
Pictauiæ Comes Richardus. 432,b
Pictauenſis Comes. 237,a
Pictauenſis Comitis epitaphium. 264,a. 266,c
Pinciacum caſtrum. 284,a
Pincinnati. 780,b
Piſcincus ſedes regia. 65,b. ibi tria Monaſteria. *ibid.*
Plumbum Anglicanum. 484,b
Pondus Trecenſe. 646,a
Pontius Tripolitanus. 878,b
Pontius Archiepiſc. Arelat. 269,c
Populicani hæretici. 729,a
Porta Pariſienſis verſus S. Medericum. 332,c
Portenta. 13,a. 16,b. 185,c. 186,a. 187,b
Portugalliæ Rex in Ciſtercienſes munificus. 481,a
Poſterna. 637
Præceptor Senonenſis. 416,b
Præcones Regis Franciæ, Regem Angliæ non ſalutant. 296,a
Præfecti regis. 739,b
Præpoſitura Burdegalæ. 522,a
Præpoſituræ Eccleſiæ Pariſienſis. 592,b
Præpoſitus Senonenſis. 657,a
Præpoſitus Matiſconenſis. 370,a
Præpoſitus regis de Briâ. 638,b
Præpoſitus regis Senonis. 535,a
Præpoſiti regis. 520,a. 521,a. 524,c
Præpoſitus Senonenſis. 666,b
Prècaria. 170,a
Primatiæ Lugdunenſis controuerſia. 221,a
Prior Diaconorum Eccleſiæ Romanæ. 567,b
Priuatiſſimus Conſiliarius Regis. 367,b
Proceſſio ad Regem. 185,a
Procurator Comitis Carnot. 301,a
Prouinciæ Comes Raimundus. 166,a
Publicani. 782,a
Puella vir doctus. 561,a. Magiſter Scholarum. *ibid.*
Puellaris Petri Monaſterium Aurelianis. *ibid.*
Puer annorum circiter duodecim ordinatus ſedi Romanæ. 58, c. ſed conſenſu totius Romani populi à ſede eiectus eſt. *ibid.*
Pullani qui. 408,a
Pyrrhus Ammiralius Antiochiæ Græcè loquitur. 793,a

Q

QVADRRA metatio Galliæ. 54,a
Quadraria. 352,b
Quaternarij laudes. 2,c. 3,a
Quirites regij. 301,a. 304,b. 305,a

R

RADVLFVS Comes. 450,a. 451,b
Radulfus de Belgẽſiaco. 302,a. 325,b. affinis Hug. Magni. *ib.* ſagax & ſtrenuus. 304,a
Radulfus Andegauenſis vir celebris. 256,a
Radulfus Belgiacenſis. 236,b. 243,c
Radulfus Comes Viromandenſis. 305,a. 313,b. 316,c. 317,a. Peronæ Comes. 329,b. Maiordomus. 318,c. 382,a. 389,b
Rahaſia Edyſſa. 905,a
Raginaudus de Pompona. 585,a
Raherius. 265,a
Raimundus Vicecomes de Torena. 790,a. 807,b. 808,a
Raimũdus S. Egidij Comes. 778,a. 782,b. 820,c
Raimundus Comes prouinciæ. 849,a
Raimundus Comes Toloſanus. 439,a
Raimundus Princeps Antiochiæ. 409,b
Raimundus Comes ducit filiam Andefonſi regis. 89,a
Ramnoffus Doratenſis Abbas. 319,b
Rainaldus Comes. 171,a
Rainaldus Colonienſis Archiep. Cancellarius Imperatoris. 416,a
Rainaldus Remorũ Archiep. 217,a. 252,b. 253,c. primùm S. Martini Turonenſ. Eccl. 267,a
Rainaldus Beluacenſis. 912,a
Rainaldus Comes à quodam milite interimitur. 49, c. eius ſepultura. *ibid.*
Raritas vini & tritici. 55,b
Redonenſis Comes. 241,a
Reformare nõ expellere monachos decet. 8,a
Regalia. 333,b
Regalia inſignia Imperatorum occidẽtis. 288,a
Regina ſoror regis. 714,b
Regina Cypri nubit Marchiſio Montisferrati. 441,a
Reges Francorum patres populorum. 4,b
Reges raro ſaluantur. 147,a
Reges & Imperatores docti. 83,b
Regis voctio. 379,a
Regis filius non poteſt eſſe monachus. 282,b
Regis proditoris vltio diuina. 5,a
Regum Franciæ cathedra in qua hominium recipiebant. 348,b
Regnum Franciæ quaſi vna familia. 4,a. & ducatus Normanniæ. 9,b
Regum ſepulchra loco mouere nefas. 321,b
Regnum Hieroſol. Baroniam Vorcuban. 401,a
Regnum Siciliæ proprietatis B. Petri. 625,a
Regula Benedicti & Columbani. 60,a
Regulæ Monaſterium deſcribitur. 133,a
Rhibus longæ manus. 306,a
Reliquiæ. 543,b
Reliquias Franci colunt præ aliis nationibus. 144,a
Relutela exercitus. 330,b
Remenſe Concilium. 310,a. Henricus ibi excommunicatur. *ibid.* & 312,b
Remenſe Concilium ſub Innocentio. 324,b
Remenſe Concilium Eugenij. 439,a
Reomenſe Monaſterium. 54,a
Remenſe Concilium. 198,b
Remenſis Eccleſia ab Ebalo Rociacenſi Barone & Guiſchardo filio opprimitur. 285,a
Remenſis Eccleſiæ iura in conſeruandis Regibus. 293,b
Remenſis Arch. 551,a. 576,b. 597,c. 600,a. 610,b. 613,c
Remenſis Archiep. Manaſſes. 252,b
Remenſis Archiep. frater regis. 729,b

Remo-

Remorum Comes Rainaldos. 143,b
Reomagenſe Monaſterium. 20,a
Rex Aragonenſis. 713,b
Rex Regni defenſor. 284 a
Rex Dei imago. 300, a. Vicarius. ibid.
Rex Franciæ ſpernit Anglum, Ducem Normanniæ feodatum ſuum. 307, b
Rex ad ſepulchrum piſcatoris ſubmiſſo diademate ſe inclinatur. 289, a. 318,b
Rex Abbas S. Martini Turouenſis. 664,a
Rex Franciæ, feodatus Franciæ, ratione Vvolcaſſini Comitatus. 312,b
Rex Papæ pedes oſculatur. 376,b. 378,c
Rex pedibus Papæ inclinatur. 289,a
Rex aduocatus Eccleſiæ. 454,a. 463,b
Rex abiiciebat gladium ſecularem, & accingebat Eccleſiaſticum. 293,a
Richardi Duces Norman. 9, a. Richardus II. mittit Hieroſolymam centum libras auri. ibid. eius ſoror nubit Adalrado Danimarch. regi. 13, a. obit. 18,b. 24,a
Richardus Dux Aquitaniæ. 562, b
Richardus Dux Rothomagenſis. 25,c
Richardus Burgundiæ Dux pater Rodulphi regis. 9,b. Normannos fundit. 9,c
Richerius Epiſcopus Senonenſis. 364,b
Roberti regis Francorum annus XIII. milleſimus. 2,a
Roberti regis mores. 63, a. mater Adhelais Italiæ oriunda. ib. Girberto præceptore vſus. ibid. coniuratis parcit. 64,b. improbat examinationem per corpus domini. ibid. pius. ib. & 65,b. miracula patriæ. 66,a. humilis. 67,b. Aurelianis educatus, baptizatus, conſecratus. 68,a. Eccleſiæ Aurelianenſi fauit. 69,b. eius filius Hugo. ibid. monachos oſculo excipiebat. 71, b. Roberti mors & laudes. 78, a. epitaphium. 79, b. anathemate percuſſus quod commatrem duxiſſet. 85,a
Roberto regi filij quatuor. 85,c
Robertus Pariſiorum Comes. 4. huius genus obſcurum. ibid. pater Hugonis Magni & Emmæ. ibid. Rex creatus cæſus à Saxonis. ibid.
Robertus de Perona dominus Capiaci. 286,b
Robertus Ludouici VII. frater. 389,a
Robertus Comes Normannorum. 89,c
Robertus Guiſchardus Alexandro Papa, obſeſſo, auxilium fert. 288,a
Robertus Comes Flandrenſis. 296,a. 301,b
Robertus Abbas Corbeiæ. 330,a. 348,b
Robertus Comes de Pertico frater regis. 403,b
Robertus Normannus. 778,a. 820,a 891,b
Robertus frater Ludouici iunioris malè affectus in expeditione terræ ſanctæ. 513,b
Robertus Comes Drocarum. 392.c
Robertus Rex. 172,a. particeps regni. 144, b. excommunicatus. 145,c. nubit cognatæ. ibid. cauebat in Eccleſia cum capa. 147,b
Robertus Rex litterarum ſciens. 127,c. 147,a
Robertus piiſſimus. 142,b
Robertus Rex moritur. 37,b. eius ſepultura. ibid.
Robertus Dux Burgundiæ conſtitutus à Germano ſuo Henrico I. rege. 37,b
Rodulphus Syluanectenſis Epiſcopus. 73, b
Rodulphus viridis Arch. Rem. 293,b
Rodulphus Richardi Burgundiæ D. filius Rex creatur. 4. a
Rodulphus Rex Auſtraſiorum. 26, c
Rodulphus ex Nouigento. 174,a
Rodulphus Turonenſis Archiep. 212, b
Rodulphus Comes. 178, c
Rodulphus Normannorum audaciſſimos. 24,a
Rogerius Catalaun. Epiſcopus. 208, a
Rogerius princeps Antioch. 861,b
Rogerius Catalanorum præſul. 38, a
Rogerius Dux Normannorum. 80,b
Rogerius Biterienſis hæreticus. 489,b
Rolandus quondam Cancellarius. 579,c
Roma gentium domina faſces Francorum regibus ſubmiſit. 304, a. à variis gentibus diuexata. 3,a. quibus leges dederat. ibid.
Romana lingua. 742, b
Romanorum auaritia. 108, a
Romania. 778,a. 780,b. 818,b. 823,c
Romani auari. 2,a
Romanus Cardinalis. 377,b
Romaniæ caput Nicæa. 781, c
Roſa aurea. 416, a
Rotgerus Dux. 274,b
Rothericus Comes in Hiſpania. 703,c
Rothómagenſis Eccleſia iuris regis Franciæ. 463, a. 467,b.
Rotomagus Normannorum metropolis. 9, c
Rotrocus Rotomag. Archiep. 462, c. 463, a. 464, b
Rotrocus Ebroicenſis Epiſ. 350, a
Rotrocus Comes Perticenſis. 5.5,b
Rotrocus Comes. 235,a. 236,b. 248,c
Rotrodus Rotomag. Archiep. 430,a
Rozala, quæ poſt Suſannam Roberti regis vxor. 144, b
Rupis Guidonis deſcriptio. 297, b

S

SACRA regis. 175, a. 183, b. 187,c
Samſon Rem. Archiep. 317,b
Samſon Archiep. Remenſis. 501,b
Sancio Rex Aragonenſis. 88, b
S. Genouefæ Pariſienſis reformatio. 406, a. 409,b
Sancius Rex Nauarriæ Hiſpaniarum. 26,c
Sarraceni. 782,c
Sarraceni Alpium cluſuras occupant. 5, a. prophetas legunt. 6, a. internecioni dati a. Vv. Arelatenſi duce. ibid.
Sarracenorum prælia contra Chriſtianos. 48,a
Sarracenus à dæmonio correptus expirat. 47,b
Saxonum reges ſumunt imperium exinanito Caroli, mortuo ſine liberis Lodouico. 5,a
Secalonia. 60,b.c
Scropha. 822,a. 824,a
Senatores vrbis vrbium. 714,a
Seneſcallus regis Anglorum. 648,a
Seneſcallus victoris Antipapæ. 578,b
Seneſcallus Franciæ Theobaldus Bleſenſis Comes. 765,a
Seneſcallus Franciæ, feudatarius Andegauenſis Comitis. 329,a
Seneſcalius de Chaalons. 706, b
Senonenſis Archiepiſcopus. 442, c
Serbaticus fluuius. 883,a

Serpentium varia genera. 888,a
Seruientes regis. 516,a
Seruitus regis. 551,a
Signa. 710,b
Signum recedendi ab obſidione, ignis immiſſio in tentoria. 284,a
Silua legum. 289,a
Simon de Monteforti. *ibid.*
Simon Nouion. Epiſc. 317,a
Simon Epiſc. Nouiomenſis. 398,a
Simon Comes. 283,a
Simonia. 17,a
Simon Epiſcopus Agennenſis. 253,b
Simonis. 186,b
Soldanus Perſiæ. 793,a
Solidaror. 283,b
Solidarij. 859,b
Solidi aurei. 62,b
Solimannus. 782,b. 783,a
Sommarius. 330,b
Stampenſe Comitium. 317,a.323,b
Stampenſis pagus. 60,c
Standar. 870,a
Srellio. 884,c
Stella Cometa per ſpacium trium menſium fulgens. 26,c
Stephanus Metenſis Epiſc. 403,a
Stephanus Rex Angliæ. 345,a
Stephanus de Sancero. 415,a. Comes. *ibid.*
Stephanus Carnotenſis Comes rebellat. 88,b
Stephanus Comes Burg. 849,a
Stephanus Papa. 198,b
Stephanus Rex Vngarorum. 83,a
Stephanus Carpenroraceuſis Epiſcopus. 169,a
Stephanus Comes Treeorum Heriberti filius. 85,a
Stephanus Comes Bolouiæ regnum Angliæ inuaſit. 390,c
Stephanus Epiſcopus Pariſienſis. 311,a
Stephanus Cãcellarius. 367,a.369,b.à Rege ſecundus. *ib.* maior regiæ domus factus. 373,a
Stephanus Comes Bleſenſis. 795,a
Stephanus Comes Burgundiæ torius, regis Lud. conſanguineus. 710,a
Stephanus Comes Meldorum & Trecorũ. 85,c
Stephanus de Veſontio Camerarius Papæ. 369,a
Stephani Carnotenſis Comitis fuga. 799,a. 827,b. reditus in terram ſanctam. 849,a. 850,b
Srolus naniam. 844,b
Sudarij domini pars in Eccleſia Bituricẽſi. 96,b
Sneſſionenſis Comes. 247,b
Sneſſionenſis Epiſcopus. 551,a
Sugerij laudes verſibus decantatæ. 491,a. & proſa. 500. & paſſim.
Suggerius Abbas S. Dionyſij. 374,b
Sugerius princeps in regno. 517,c
Sugerius cauſam S. Dionyſij contra Galonem Pariſ. Epiſc. apud Paſchalem agit. 889,a
Sugerius generis obſcuri. 546,a. eius teſtamentum. 549,a
Sugerius Abbas S. Dionyſij electus. 309,a. confirmatus à Rege. 311,a ordinatur presbyter. *ibid.* conſecratur Abbas. *ibid.* reformat abbatiam. *ibid.* viſitat Eccleſiam. Ro. *ibid.* Conc. Lateran. de inueſtituris interfuit. *ibid.* regni primitias offert Innocentio. 317,a.
Snegerij nepos Girardus. 331, b. Sugerius primùm Taurieci præpoſitus. 336,a. & Bernevallis. 341,b
Summa fluuius. 121,a
Suriani. 782,c. 800,a

T

Talsmvndi turris. 499,a
Tancredus filius Marchiſi. 779,b.842,c. Caipſæ dominus, dein Antioch. princeps 844,a
Tarnodoreuſe caſtrum. 51,c
Tartarones. 823,a.
Tebaldus Carnoti Comes. 38,b
Terræ motus. 856,b
Teſtamentum monogramma. 118,a
Teulfo auctor chronici Morigniacenſis. 360,a
Theobaldus Comes. 271,b
Theobaldus Comes Carnotenſis. 299,a. 300, b. Palatinus dicitur. 303, a. 305, b. 307, c. bellum mouet Ludouico. 301,a. nepos Henrici Regis Angliæ. *ibid.* & Comes Bleſenſis. 312,a. 345,b. 349,a
Theobaldus Comes Bleſenſis. 176,c. 177,a.
Theobaldus pater Odonis. 83, a. vir S. Odo. b
Theobaldus Comes Carnot. Bleſenſ. Meldenſium. 365,a. Comes Palatinus. *ibid.* ſecundus à Rege. *ibid.* 381,a
Theobaldus Comes Bleſenſis. 416,a. eius filij & filiæ. *ibid.*
Theobaldus Comes. 450,c. 451,a.453,b
Theobaldus Cantuarienſis Arch. 557,a
Theobaldus Comes Meldenſis. 540,a
Theobaldus Comes Palatinus. 298,c. 303, a. in fugam vertitur. *ibid.*
Theodericus Epiſcopus. 68, c. 74,a
Theodiuus Pontineuſis Epiſc. 403,a
Theodoricus Carnotenſis Epiſcopus. 73,c
Theodricus de Monregeliardo. 554,a
Thiericus Comes Flandriæ. 391,a
Tholoſæ hæretici Arriani. 488,a
Thomas Cantuarienſis Archiep. ſcribit regi Ludouico. 632,c. 633,a
Thomas Cantuarienſis Archiep. 422,a.443,b. 468,c 470,a. 473,b. 476,c
Thomas Cantuarienſis Archiep. 568,b
Thomas Cantuar. Epiſcopus proditor iudicatus. 734,a
Thomas de Macna Deo & hominibus infeſtus. 286,a. 306,b
Threuga. 683,a. 710,b. 775,c
Tiualgas villa. 54,b
Toloſa inuis contrauerſi, 427,a. 442,b. 466,a. 474,c
Tornacenſis Eccleſia olim Nouiomenſi ſubiecta. 438,a
Tornodorenſis Comitatus. 163,c
Tranquillus vicus Trecaſſini pagi. 9,a
Tranſmarinæ ſeu barbaræ prouinciæ. 1,a
Trecenſis Epiſcopus. 18,a
Treuga. 582,a. 330,a
Triſtega machina. 292,c.303,a. 355,b
Tullenſis pagus. 38,a
Turela regis. 150,b
Turci Eccleſias Orientis diripiunt. 90,a

Turcopoli. 701, a. 822, b
Turenæ Vicecomes. 435, a
Turonenſis Archiep. excommunicatus. 607, a
Turouenſis Comitatus feudi Theobaldi. 475, b
Tutorem ſibi eligit princeps. 549, b
Tyrus. 860, c

V

VASTINENSIS Comitatus imis Andegauenſium Comitum. 89, c. Regi Franciæ conceditur. *ibid.*
Veranus Papa. 257, b
Veterorum expeditio in terram ſanctam. 869, a. 871, b. 877, c. 880, a
Vergiacum caſtrum inexpugnabile. 415, a. obſidet. 416, b
Vermandorum Comes. 150, a
Vernolium. 430, a
Veſuntio ciuitas. 55, b
Veſtire. 284, a
Vexillum B. Dionyſij oriflambe. 395, a. 399, b
Vexillum Franciæ ab altari S. Dionyſij regnū imundatur, ſuſcipitur. 312, b
Vexillum Podienſis Epiſc. proferebatur. 829, a
Vicecancellarius Angliæ. 433, a
Vicecomes. 171, a
Vicecomes & aduocatus. 131, b
Vicecomes Biterienſis. 718, a. 721, b
Vicecomes Carnotenſis. 528, a
Vicecomes Carnotenſis. 235, c
Vicecomes Caſtridunenſis. 190, b
Vicecomes Diuionenſis. 145, c
Vicecomes Hubertus Vaſſallus Epiſc. Carnot. 176, a
Vicecomes Senonenſis. 634, a
Vicecomes Lemouicinus. 137, a
Vicecomes Milidunenſis. 119, a
Vicecomes Senonenſis. 531, a
Vicecomitiſſa Narbonenſis Ermengarda. 667, a. 713, b. 722, c. 724, a. 732, b
Vicecomitiſſa Narbonenſium. 574, b. 654 b
Vicedominus Catalaunenſis. 644, b. 645, c
Vicedominus Remenſis. 471, a
Victor Antipapa. 416, a. 424, b. Octauianus. 425, c
Victor Papa primùm Abbas Caſſinenſis. 89, b
Vigo Valentinenſis Epiſc. 159, b
Vilcaſſinum Francigenum. 435, b
Vilcaſſinum Normannicum quid. 410. datur Ludouico ab Henrico Andegauenſi. *ibid.* 443, c
Vilcaſſinenſes ſtrenui. 298, a
Vini tanta raritas vt 24. ſolidorum foret pretium vnius modij. 56, c
Virtutes caſtellum. 165, a
Virtutis vicus. 22, a
Viſio cuiuſdam Monachi per noctem. 50, b
Vitriacum ſuccenſum. 443, b
Vlgerius Epiſcopus Andegauenſis. 768, a. 769, b. 770, c
Vlgerius Andegauenſis Epiſc. 493, b. 494, c
Vlixbonenſis Epiſcopus 705, c
Vnctio regis Hieruſ. 843, b
Vngrorum gens ad fidem Chriſti conuerſa. 23, c
Voces auium & quadrupedum 762, a
Vrbanus Papa. 777, a. 816, a
Vrbanus Papa & martyr primus ſtatuit Eccleſias poſſidere prædia. 361, b
Vrbanus II. Gallus. 89, c. qui Odo dicebatur antè. *ibid.* in Gallias venit. 90, a. celebrat Concilium Claromotanum. *ibid.* Nemocenſe. *ibid.*
Vſi. 780, a
Vvalterius Auguſtodunenſis Epiſc. 169, a
Vvalterius Archiep. Beſonſienſis. 169, c
Vvalterius de Branceduno. 170, b
Vvalterius Dua. 624, a
Vvalterius de Bello-ioco. 170, a
Vvido Remorum Archipræſul. 56, c
Vvillelmus Aquitanorum princeps fundator Cluniaci. 169, a
Vvillel. Archiep. Senonenſis. 416, a. 462, b
Vvillelmus Carnotenſis electus nobilis proſapiæ. 162, e
Vvillelmus Comes Pictauenſis. 849, c
Vvillelmus Comes Toloſanus. 128, a
Vvillelmus Dua Aquitaniæ fortis. 82, c. litteratus. 83, a. procedit regi Franciæ. *ibid.* paſtor Monachorum. *ibid.* b
Vvillelmus Dua Arelatenſis Sarracenos debellat apud Fraxinetum. 6, c
Vvillelmus de Manſiaco regis Senecalcus. 499, a. 517, b
Vvilielmus de Monteforelli. 259, a
Vvilelmus de Ypre. 706, a
Vvillel. Epiſcopus Pictauenſis. 325, a
Vvillermus Henrici Ducis priuignus. 25, c
Vvillelmus Pictauorum Dux obit. 18, a
Vvillelmus Pictauenſium Comes ſe cruce ſignat. 94, a
Vvillelmus Pictauorum Comes obit. 49, c
Vvillelmus Rea Siciliæ. 625, c
Vvillemus Rea Anglorum. 257, a
Vvillermus Abbas clarus. 29, a. Italia ortus. *ibid.* b

FINIS.

A01 1474336

1.44